PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

BIBLIOTHECA RODILEANA

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR,

PATROLOGIÆ TOMUS CXCVI.

RICHARDUS A SANCTO VICTORE. GILDUINUS, ACHARDUS, ERVISIUS, GUARINUS, ODO, GODEFRIDUS, ADAMUS, VICTORINI. JOSCELINUS TURON. ARCHIEP. HENRICUS REM. ARCHIEP. HUGO DE CAMPO-FLORIDO SUESS. EPISC. HENRICUS ARCHIDIAC. SALTZBURG. HUGO DE FOLIETO. NICOLAUS CLARÆVALL.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

Digitized by Google

Digitized by Google

SÆCULUM XII

RICHARDI A SANCTO VICTORE OPERA OMNIA

ORDINE NOVO DONATA, VARIIS PRÆTEREA, QUÆ ANTEA DESIDERABANTUR, MONUMENTIS AUCTA ET ILLUSTRATA

ACCEDUNT

GILDUINI, ACHARDI, ERVISII, GUARINI, ODONIS, GODEFRIDI, ADAMI, VICTORINORUM; JOSCELINI TURONENSIS ARCHIEPISCOPI, HENRICI ARCHIEPISCOPI REMENSIS, HUGONIS DE CAMPO-FLORIDO SUESSIONENSIS EPISCOPI, HENRICI ARCHIDIACONI SALTZBURGENSIS, HUGONIS DE FOLIETO, NICOLAI CLARÆVALLENSIS.

EPISTOLÆ ET OPUSCULA

ACCURANTE J.-P. MIGNE
BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

VENIT : 8 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT-MONTROUGE

1855

Digitized by Google

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXCVI CONTINENTUR.

RICHARDUS A SANCTO VICTORE.

OPERUM PARS PRIMA. — EXEGETICA.

Col.

De præparatione animi ad contemplationem, liber dictus Benjamin Minor. 1
De gratia contemplationis, seu Benjamin Major. 64
Allegoriæ Tabernaculi fœderis. 192
Tractatus de meditandis plagis quæ circa finem mundi evenient. 201
Expositio difficultatum suborientium in expositione Tabernaculi fœderis. 211
Declarationes nonnullarum difficultatum Scripturæ. 255
Mysticæ adnotationes in Psalmos. 265
Expositio cantici Habacuc. 401
— in Cantica canticorum. 405
Quomodo Christus ponitur in signum populorum. 523
In visionem Ezechielis. 527
De Emmanuele. 601
Explicatio aliquorum passuum difficilium Apostoli. 665
In Apocalypsin Joannis. 683

OPERUM PARS SECUNDA. — THEOLOGICA.

De Trinitate. 987
De tribus appropriatis personis in Trinitate. 892
De Verbo incarnato. 995
Quomodo Spiritus sanctus est amor Patris et Filii. 1011
De superexcellenti baptismo Christi. 1011
De missione Spiritus sancti. 1018
De comparatione Christi ad florem et Mariæ ad virgam. 1031
De sacrificio David prophetæ. 1031
De differentia sacrificii Abrahæ a sacrificio B. Mariæ virginis. 1043
De gemino Paschate. 1059
Sermo in die Paschæ. 1067
De exterminatione mali et promotione boni. 1073
De statu interioris hominis. 1115
De potestate ligandi et solvendi. 1159
De judiciaria potestate in finali et universali judicio. 1177
De Spiritu blasphemiæ. 1185
De gradibus charitatis. 1195
De quatuor gradibus violentæ charitatis. 1207

OPERUM PARS TERTIA. — EPISTOLÆ ET MISCELLANEA.

Epistolæ. 1226
De eruditione interioris hominis. 1229
Tractatus Exceptionum. 1365

GILDUINUS, ACHARDUS, ERVISIUS, GUARINUS, ABBATES S. VICTORIS.

Epistolæ 1379-1396

ODO PRIOR S. VICTORIS.

Epistolæ. 1399

GODEFRIDUS S. VICTORIS.

Fragmenta. 1417

ADAMUS S. VICTORIS.

Sequentiæ. 1423

JOSCELINUS TURONENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Epistolæ. 1535

HENRICUS ARCHIDIACONUS SALTZBURGENSIS.

Historia calamitatum Ecclesiæ Saltzburgensis. 1539

HUGO DE FOLIETO.

(De scriptis Hugonis de Folieto vide Patrologiæ t. CLXXV, CLXXVI, CLXXVII, Appena. ad Opp. Hugonis a S. Victore.)

HENRICUS REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Epistolæ et diplomata. 1565

HUGO DE CAMPO-FLORIDO SUESSIONENSIS EPISCOPUS.

Epistolæ. 1585

NICOLAUS CLARÆVALLENSIS MONACHUS.

Epistolæ. 1593

Ex typis Migne, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google

RICHARDI

CANONICI ET PRIORIS S. VICTORIS PARISIENSIS

VITA

Ex libro v Antiquitatum ejusdem Ecclesiæ, cap. 55

(Edit. Opp. anni 1650, Rothomagi, in-fol.)

—

Richardus natione Scotus, abbatiæ Sancti Victoris Parisiensis canonicus, a Gilduino primo abbate receptus, et sub eo professus, magistri Hugonis de Sancto Victore dicti discipulus sub ejus magisterio studiis incubuit, et profecit adeo, ut successu temporis evaserit vir scientiis philosophicis et theologicis instructissimus. Qui provectus ætate et saplentia ad officium subprioris ascitus fuit anno circiter 1159, in ea siquidem dignitate subscriptum reperio cum Achardo abbate et Nantero priore in conventione facta inter canonicos Sancti Victoris et Fredericum Paridem dominum de Palatiolo in agro Parisiensi ratione decimarum quæ ecclesiæ nostræ competunt in ipso dominio. Ad eum etiam subpriorem exstant litteræ manuscriptæ Laurentii cujusdam qui se totum commiserat ejus directioni, quibus rogat Richardum nostrum subpriorem ut eum vindicet a cavillationibus religiosi alterius qui a promissis sibi coram ipso resiliebat. Anno 1162, mortuo Nantero priore viro sanctissimo pridie Idus Junii, successor ei status est virtutibus æqualis, sed scientia prævalens Richardus noster, qui per undecim ferme annos officio prioris digne perfunctus est in prosperis et arduis ecclesiæ nostræ negotiis; prosperis, inquam, quando summum pontificem Alexandrum hujus nominis tertium Lutetiæ Parisiorum mensibus Martio et Aprili degentem, anno 1164, in domum nostram et in capitulum cum Ervisio abbate et toto conventu suscepit, et quæ tunc ad domus Victorinæ splendorem desideranda videbantur, ex ipso summi pontificis ore proferri sategit ut ex ipsius summi pontificis Epistola manuscripta ad Guillelmum Senonensem archiepiscopum postea scripta habeo in hæc verba : *Quapropter*, inquit summus pontifex, *cum sæpe litteris, et cum Parisiis essemus viva voce, sed et in capitulo ejusdem domus Sancti Victoris abbatem Gruisium monuerimus ut ad ordinis observantiam interderet, sed postquam a partibus istis recessimus, non solum se correxit, sed velut alter Cæsar contra statuta ordinis omnia suo nutu ordinat et disponit*, hæc ex pluribus summus pontifex. Ex quibus colligo indefessam Richardi prioris vigilantiam in obeundo munere et in servanda ordinis disciplina adversus nutantem abbatem, nec propterea quidquam de studiis aut scribendi assiduitate remittebat. Quæ cum exteris etiam religiosis nota essent, nonnulli ad eum scribebant rogantes ut directionis spiritalis, vel tractatuum suorum eis copiam faceret. In manuscriptis Bibliothecæ nostræ leguntur epistolæ duæ quarum prima est Guillelmi prioris Ursicampi ordinis Cisterciensis ad nostrum Richardum in hæc verba :

Dilecto suo domino RICHARDO, *priori de Sancto Victore F.* GUILLELMUS, *dictus prior Ursicampi, salutem in Domino.*

Libellum vestrum quem remitti vobis nobis mandastis, ego ipse reportavi in Quadragesima; sed quoniam tunc non eratis apud Sanctum Victorem, fratri Hugoni hospitali vestro commendavi insinuans ut et vobis eum redderet. Rogamus autem ut aliquod opusculum vestrum nobis mittatis quod necdum habuimus, scilicet de somnio Nabuchodonosor, *vel* illumina faciem tuam super servum tuum. *Nam et hoc scribere incœperamus, sed in exemplari vestro imperfectum reperimus. Vale.*

Altera est Joannis, subprioris Claræ vallis, ad nostrum Richardum, ut sequitur :

Domino et Patri suo RICHARDO *priori de Sancto Victore* JOANNES, *dictus subprior Claræ vallis, modicum id quod est.*

Rogo vos, domine mi, in Spiritu sancto, pro Spiritu sancto scribere mihi orationem devotam de Spiritu sancto, scribite, domine mi, juxta sensum et scientiam quam administravit vobis Spiritus sanctus, scribite, Pater mi, et mittite mihi, nolite super hoc contradicere mihi; scribite, domine mi, non sub nimia brevitate, nec sub nimia prolixitate, sed sic ut eam memoriter valeam retinere, et Spiritui sancto, sive in die, sive in nocte saltem semel offerre, charissime Pater, ut nos saltem exaudiat. Vale.

Anno 1170 in charta venditionis nemorum et terrarum ad opus Ecclesiæ Victorinæ apud Bellum robur, Beaurose, in Brige seu Bria sub sigillo Mauritii Parisiensis episcopi testes subscripti leguntur e nostris Ervisius abbas et Richardus prior Sancti Victoris; quos et simul subscriptos lego eodem anno in alia charta ejusdem episcopi super venditione decimæ de Barra prope Caprosiam. In tertia autem charta ejusdem episcopi pro emptione Alneti juxta pratum Sancti Pauli obedientiæ domus Sancti Victoris eodem anno facta subscriptus legitur Richardus prior Sancti Victoris cum fratribus Hugone de Sercella, Roberto priore Sancti Pauli et Theobaldo de Taverni canonicis Sancti Victoris.

Anno 1171, mense Augusto, cum sanctus Thomas Cantuariensis archiepiscopus Lutetiam Parisiorum advenisset, ut grates qua posset ratione Ludovico septimo Francorum regi referret, pro humanissimo sibi in terris suis exhibito hospitio; circa initium Septembris in domum nostram Sancti Victoris venit, et in ea honorifice et humaniter susceptus fuit, et in Octava Sancti Patris nostri Augustini quæ erat ipso anno feria sexta, die quarta Septembris in capitulum nostrum admissus, sermonem habuit, sumpto themate ex versiculo Psal. LXXV: *In pace factus est locus ejus*, ut habetur in manuscript. bibliothecæ nostræ, sed utinam integer ille sermo descriptus fuisset, et colloquia illa sancta tanti præsulis cum Richardo priore nostro scriptis consignata fuissent. Ex iis enim plura ediscceremus quæ ad pacem internam et externam cum Deo et hominibus et nobis ipsis necessaria sunt, unde ex minori Benjamin ad majorem mentis excessum transferri valeremus, prout reliquiæ nobis suppetant ex Richardi nostri Benjamin majori et minori

Jam vero constantem ejus animum in arduis competit exhibere, nec enim sine angustia cordis et intimo

Digitized by Google

animi dolore vixit prior Richardus, cum abbas Sancti Victoris Ervisius cuncta pro suo nutu moderaretur, et priscam regularis observantiæ disciplinam relaxaret prætextans suorum inobedientiam aut seniorum assistentium remissius consilium; unde summus pontifex rescripsit Richardo priori et toto cœtu Victorinorum hortatoriam epistolam, datam Verulis III Id. (13) Maii, anno Domini 1170, quam vide inter epistolas Alexandri III (1).

Non destitit prior Richardus Ervisium hortari et juvare in moderanda familia Victorina, tum in spiritualibus, tum in temporalibus; sed neglexit abbas tanti prioris monitis adhærere, unde post biennium tantus in eum perstrepuit rumor apud ipsum summum pontificem ut judices hac in parte delegarit archiepiscopos Senonensem Guillelmum, et Stephanum Bituricensem. Quod cum Mauritio Parisiensi episcopo innotuisset, ipsum Guillelmum Senonum archipræsulem de statu Victorinæ domus sic instruxit: *In quantam et quam perniciosam frater Ervisius abbas Sancti Victoris ex inordinatis actibus suis Ecclesiam, et fratres universos qui tam religione quam litteratura præ cæteris præeminere dignoscuntur adduxerit confusionem, vestra plenius noverit circumspectio, qui cum sanctos qui secum erant pro viribus expugnaverit, et sanctitatem persecutus fuerit, nec tamen internam aut externam potuerit subvertere disciplinam, variis et innumeris exteriorum tentationum generibus eorum nititur perturbare quietem*, etc. Concludens ut ab eis ab officio absolveretur.

Cum autem præfati antistites juxta commissam sibi facultatem domum Victorinam visitarent, Ervisius abbas coram eis sponte officio cessit circa festum Paschæ 1172. In cujus locum e nostris et a nostris suffectus est, Richardo priore præsidente, Guarinus vir provectæ ætatis ac morum gravitate et scientia clarus, cujus quidem inaugurationis anno primo, Christi prænotato 1172, convenere canonici Sancti Victoris cum canonicis Sancti Cosmæ de Luzarchiis pro decimis Laciaci plessiaci et Campiplatrosi illis derelictis pro quatuor modiis duobus frumenti, et duobus avenæ singulis annis in festo S. Rhemigii nobis persolvendis, subscribentibus Guarino abbate, Richardo priore Sancti Victoris, Odone quondam abbate Sanctæ Genovefæ, et Galtero subpriore Sancti Victoris. Quem cum post biennium ad officium prioris assumptum lego, inde veraciter elicio Richardum nostrum supremo fato functum sexto Idus Martii anno Christi 1173, qua die recensetur in funebri nostro diario in hæc verba: *Eodem die anniversarium Richardi hujus Ecclesiæ prioris qui exemplo sanctæ conversationis et scriptorum elegantia dignam sui nominis memoriam nobis moriens reliquit.* Quintus exstitit Ecclesiæ nostræ Victorinæ prior, primus siquidem nominatur Gilduinus prior in Bullis Paschalis pp. II de anno 1114, postea primus abbas. Secundus venerabilis Thomas pro justitia trucidatus XII Kal. Septemb. 1130. Tertius R. P. Odo assumptus primus abbas Sanctæ Genovefæ Paris. 24 Augusti 1148. Quartus V. Nanterus e vivis sublatus pridie Id. Junii 1162, de quo se quens legitur distichon:

Nanterusque prior vir dignus glorificari,
A claustro meruit in cœlum virgo levari.

Huic quintus successor datus est Richardus noster usque in diem 10 Martii 1173. Proinde quæ de ejus vitæ aut regiminis tempore ab aliis viris eruditis quibuscunque aliter scripta leguntur, rectius ac verius a nobis observata signentur. Corpus ejus in claustro juxta ostium eleemosynæ humiliter est sepultum, sed post duo ferme sæcula Guillelmus de Sancto Lando doctor theologus, et abbas noster vicesimus secundus, in ejus laudem carmen rudiori stylo sic edidit anno 1348.

Roridus eloquiis prior hoc tumulo tumulatur,
Insultans vitiis, justus justis sociatur,
Canonicus Victoris Sancti, dæmone victo
Auxit spem veniæ per dogmata theologiæ,
Regis cœlestis imitator relligione,
Doctrina, gestis florens fuit et ratione.
Victorem morum celebri gravitate secutus,
Sanctum sanctorum fit regis in agmine tutus.
Scotus erat, devotus, magno temporis ævo
Vixit canonicus, vir relligionis amicus,
Dulcis doctrinæ doctor fuit, et manifeste
Rorifluo trinæ Monadis tibi Codice teste
Augustino se conformans dogmate, vita
Corde tui merita Victor coluit studiose,
Insignis titulo, doctrina, moribus, iste
Reddidit huic tumulo corpus, flamen tibi, Christe.

Anno Christi 1531, Joanne Bordier 34 abbate Victorino cum claustrum præcipuum domus nostræ renovaretur et elevaretur, Richardi nostri memoria sequenti carmine in lamina ænea insculpto posterorum notitiæ commendata est.

Moribus, ingenio, doctrina clarus et arte,
Pulvereo hic tegeris, docte Richarde, situ.
Quem tellus genuit felici Scotica partu,
Te fovet in gremio Gallica terra suo.
Nil tibi Parca ferox nocuit, quæ stamina parvo
Tempore tracta, gravi rupit acerba manu.
Plurima namque tui superant monumenta laboris
Quæ tibi perpetuum sint paritura decus.
Segnior ut lento sceleratas mors petit ædes,
Sic propero nimis it sub pia tecta gradu.

Meminere Richardi de Sancto Victore Robertus Montensis in Appendice ad Sigebertum; Vincentius Bellovacensis, lib. XXVIII *Speculi historialis*, cap. 58; D. Antoninus in III volumine partis historialis, tit. 18 cap. 3; Guillelmus de Sancto Lando abbas noster vicesimus secundus in Elogiis quatuor Patrum Victo-

(1) *Patrologiæ* tom. CC.

Digitized by Google

rinorum, scilicet Thomæ prioris, Hugonis et Adami ac nostri Richardi ; Benevenustus Imolensis in Chronico sex ætatum mundi, ætate sexta ; Platina in Vitis Pontificum ; Trithemius *De scriptoribus ecclesiasticis ;* Joannes Pithæus, Anglus, libro *De illustribus Angliæ scriptoribus ;* Gilbertus Genebrardus, et Jacobus Galterus Societatis Jesu in Chronologiis, et alii innumeri passim, ut non omittam eminentiss. S. R. E. cardinales Baronium in Annalibus, et Bellarminum lib. *De scriptoribus ecclesiasticis*, in quo revocat in dubium utrum quatuor libri Exceptionum sint Richardi nostri, eo quod lib. primo, cap. quarto, inter inventores theologiæ scribat e nostris temporibus Joannem Scotum qui centum et amplius annis Richardo nostro supervixit. Sed cum Vincentius Bellovacensis loco supra citato Exceptionum libros inter Richardi nostri opera recenseat, et ipse Vincentius præcesserit ætate Joannem Scotum annis circiter sexaginta, non video quomodo Richardus noster inter inventores theologiæ referat suo tempore Joannem Scotum, nisi sit alius a Joanne Duns Franciscano, natione Scoto, toto orbe celebri, circa annum 1308. Proinde non sine indicio mihi persuadeo in illo quarto capite libri primi Exceptionum errorem irrepsisse aut amanuensium defectu, aut typographorum incuria, aut mutatione nominis unius pro alio, verbi gratia, Petro Lombardo pro Joanne Scoto ; aut certe dicendum ætate Richardi nostri floruisse in Scotia Joannem quemdam in theologia instructissimum qui methodo quadam ibi theologiam docuerit, licet non supersint scripta, et sic memoria illius sub nomine Joannis Duns Franciscani perierit. Alioquin non video quomodo Vincentius Bellovacensis libros Exceptionum Richardo nostro potuerit ascribere, præsertim cum ab ejus stylo non recedant. Inter opera Richardi nostri pridem manuscripta in bibliotheca nostra asservabantur Exceptionum libri quatuor, quos nebulonis rapax manus dudum subripuit ; proinde nobis non licuit dignoscere utrum Joannes Scotus vel alius in ipso cap. 4 lib. 1 reponeretur, aut ex antiquitate codicis alius esset a Joanne Duns Scoto ordinis Sancti Francisci, nam de Joanne Erigena prævalet eminentiss. cardinalis Bellarmini sententia. Richardi de Sancto Victore opera omnia primo typis prodiere Lutetiæ Parisiorum studio canonicorum Sancti Victoris, anno 1528, deinde Lugduni anno 1534, ac tertio, nostra ætate, Coloniæ Agrippinæ in Germania anno 1621. Et omnia genuina ipsius esse nullus dubi tavit usque ad castigationem eminentiss. cardinalis Bellarmini super quatuor libris Exceptionum, quæ præcedenti nostra observatione mitigari potest et revinci, cum libri illi, eo teste, a stylo Richardi nostri non recedant.

(*Hæc ex scriniis chartarum et manuscriptis codicibus depromebat F. Joannes a Tolosa, canonicus Sancti Victoris Paris.*)

NOTICE SUR RICHARD DE SAINT-VICTOR

PAR L'ABBÉ HUGONIN

Licencié ès lettres de la Faculté de Paris. ancien élève de l'école ecclésiastique des Carmes.

—

Richard naquit en Ecosse. Les biographes ne disent pas en quelle année, ni de quels parents, ni quelle fut sa première éducation. Comme Hugues, son maître, il quitta de bonne heure sa patrie. Il vint à Paris, attiré peut-être par la réputation des professeurs qui enseignaient dans cette capitale ; peut-être conduit par le seul désir de se consacrer à Dieu dans une communauté aussi célèbre par sa science et par sa piété, que celle des chanoines de Saint-Victor. Il prit dans cette maison l'habit de chanoine et fit profession entre les mains de Gilduin. Il n'était pas rare de voir, à cette époque, des jeunes gens d'outre-mer, chercher en France, ou la science dans ses écoles publiques, ou un asile paisible dans les nombreux monastères qui florissaient de toutes parts. Nous y rencontrons presque en même temps, Achard, philosophe distingué et profond théologien, qui fut abbé de Saint-Victor, et plus tard évêque d'Avranches ; Adam du Petit-Pont, disciple d'Abeilard, qui enseigna lui-même avec éclat la grammaire, la rhétorique et la philosophie ; Jean de Salisbury, Robert de Melun, et tant d'autres qu'il est inutile de mentionner ici.

Nous connaissons peu de détails sur la vie de Richard à Saint-Victor. Les annales de cette abbaye, écrites par Simon Gourdan, vantent sa piété et son zèle pour le maintien de la discipline. Il fut d'abord sous-prieur ; c'est en cette qualité qu'il souscrivit, en 1157, une convention entre l'abbaye de Saint-Victor et Fréderic, seigneur de Palaiseau. Il devint ensuite prieur, et il se conduisit avec une rare prudence dans les circonstances les plus délicates.

L'abbé Ervise, anglais de naissance, n'était ni un moine édifiant ni un administrateur habile. La communauté de Saint-Victor avait fleuri jusqu'à lui sous la sage direction de Gilduin, d'Achard et de Gautier. Ervise dissipa ses biens et faillit ruiner sa discipline. Alexandre III fut témoin de ses désordres, et il l'en reprit vivement dans le voyage qu'il fit à Paris. Ervise s'inquiéta peu de ces avertissements et continua ses scandales ; c'est ce que nous apprenons d'une lettre du même pontife, où il appelle l'abbé de Saint-Victor *un autre César*, qui disposait de tout selon ses caprices, qui méprisait les statuts de son ordre, et qui, loin de profiter des remontrances pontificales que lui avait attirées sa négligence, se montrait de plus en plus incorrigible. Les choses en vinrent à ce point, que le souverain

Digitized by Google

pontife, touché de l'état déplorable de cette maison auparavant si florissante, nomma trois commissaires: Guillaume, archevêque de Sens; Etienne, évêque de Meaux, et Nicolas, abbé du Val-Secret, pour visiter et réformer l'abbaye de Saint-Victor, avec pouvoir de déposer l'abbé, s'il était nécessaire, et d'exiler les chanoines vicieux. Le pape voulut toutefois que les commissaires agissent de concert avec l'évêque de Paris, supérieur immédiat de cette maison.

Il écrivit en même temps au roi Louis VII, pour l'exhorter à contribuer, de son autorité, au rétablissement du bon ordre dans le monastère. Ces deux lettres se trouvent rapportées, sous l'an 1169, dans les annales manuscrites de Saint-Victor. On ne sait par quels artifices l'abbé éludé, pour cette fois, la punition qu'il méritait; mais il est sûr qu'il ne profita pas de l'indulgence qu'on eut pour lui dans cette occasion. Aussi Alexandre III fut-il obligé d'écrire de nouveau, quelque temps après, au roi et à l'archevêque de Sens, pour les exhorter à ne plus différer la réforme qu'il leur avait confiée. Il fit aussi savoir par lettres, à l'abbé et aux chanoines réguliers de cette abbaye, que l'archevêque de Sens, l'évêque de Meaux et l'abbé du Val-Secret, devaient visiter leur monastère, et il leur enjoignit de les recevoir honorablement et de se soumettre à leurs ordonnances. Les trois commissaires se transportèrent à Saint-Victor et reconnurent le mal qui leur avait été signalé. Ils résolurent la destitution de l'abbé. Mais avant d'en venir à l'exécution de ce dessein, ils le communiquèrent aux cardinaux Théodin et Albert, que d'autres nomment Alexis, légats du saint siége, qui se trouvaient alors à Paris. Vers les fêtes de Pâques de l'an 1172, selon l'auteur des annales de Saint-Victor, on obtint d'Ervise une abdication qui fut appelée volontaire. L'abbé démissionnaire se retira dans le prieuré de Saint-Paul des Aulnois, dépendant de Saint-Victor et situé près de Chevreuse, où il continua à vivre dans la dissipation et la bonne chère, et d'où il troubla plus d'une fois encore la paisible retraite des chanoines de Saint-Victor.

Il n'est pas téméraire de croire que Richard ne fut pas étranger à cette réforme et qu'il eut plus que tout autre à souffrir des caprices et des emportements de son abbé. Mais Dieu lui ménagea quelques consolations au milieu des peines et des persécutions que lui attirait son zèle. Ce fut pendant ces épreuves qu'il reçut à Saint-Victor, avec Ervisius, Alexandre III, ce pontife si attentif à récompenser le mérite et si zélé pour le maintien de la discipline. Peu de temps après, un hôte aussi célèbre par sa fermeté apostolique que par ses souffrances, dut réjouir son cœur et raffermir son courage: c'était Thomas de Cantorbéry. Ce prélat visita les chanoines de Saint-Victor, où plusieurs Anglais étaient venus chercher un asile; il fut introduit au chapitre, où il prononça sur ces paroles du psaume LXXV, *in pace factus est locus ejus*, un discours dont un fragment a été longtemps conservé dans le monastère. Pourquoi ne croirions-nous pas avec Baronius, Manrique et l'éditeur des Œuvres de Richard, que le prieur eut avec saint Bernard des relations qui ne lui furent point inutiles dans les circonstances délicates où il se trouvait? Nous savons quel intérêt l'abbé de Clairvaux portait aux chanoines de Saint-Victor et quelle vénération les chanoines avaient pour sa personne. Ils honoraient comme une relique précieuse une coupe que le saint abbé avait laissée à Saint-Victor, dans une visite qu'il leur avait rendue. Ils durent à sa protection quelques avantages temporels, et ce fut sur sa demande qu'ils reçurent avec affection Pierre Lombard, et qu'ils lui procurèrent les secours dont il avait besoin. Enfin nous avons vu que le saint abbé de Clairvaux avait eu des relations particulières avec Hugues de Saint-Victor.

Le calme succéda à la tempête dans l'abbaye de Saint-Victor, et Richard put couler en paix les dernières années de sa vie. Guarin ou Guærin, successeur d'Ervisius, était un homme pieux et savant. Alexandre III, qui connaissait son mérite, écrivit aux chanoines pour les féliciter d'un si bon choix. Les commencements de son administration ne furent pas sans amertume, le passage d'Ervisius à Saint-Victor devait y laisser des traces. Toutefois le bon gouvernement du nouvel abbé et le concours qu'il trouva dans le prieur, rétablirent l'ordre et rendirent à l'abbaye son éclat primitif.

Richard put donc continuer d'édifier en paix ses frères par sa piété et de les éclairer par ses leçons et par ses ouvrages. Sa réputation était si grande que des religieux étrangers lui demandèrent avidement des copies de ses écrits. Guillaume, prieur d'Ourcamp, de l'ordre de Cîteaux, lui écrit pour lui annoncer qu'il lui en renvoie quelques-uns et pour lui en demander un autre; c'était celui qui traite du songe de Nabuchodonosor. Garin, prieur de Saint-Alban, désire avoir une liste complète de ses productions. Jean, sous-prieur de Clairvaux, le supplie de lui composer une prière au Saint-Esprit.

« Ecrivez-la, lui dit-il, selon la science et le jugement dont le Saint-Esprit vous a doué; qu'elle ne soit ni trop courte ni trop longue, afin que je puisse l'apprendre par cœur et l'adresser au Saint-Esprit, au moins une fois par nuit ou par jour. »

On a publié dans cette édition plusieurs autres lettres écrites à Richard. Quoique fort courtes et peu importantes en elles-mêmes, elles concourent à montrer que Richard jouissait de l'estime de ses contemporains.

En 1172, il fut fait entre les chanoines de Saint-Cosme de Luzarche et ceux de Saint-Victor, une transaction que signa le prieur Richard. Richard vivait donc encore cette année. Mais le premier mois de l'année 1174, c'était Gautier qui remplissait à Saint-Victor les fonctions de prieur. On en peut conclure qu'il mourut en 1173; sans doute le 10 mars, jour auquel se trouve placé son anniversaire dans le nécrologe de l'abbaye.

Digitized by Google

Ce nécrologe loue Richard comme un digne prieur qui, par ses bons exemples, par la sainteté de ses mœurs, par la beauté de ses écrits, a laissé les plus A honorables souvenirs. Il fut enterré dans le cloître auprès de la porte de l'Aumône (2).

ŒUVRES DE RICHARD DE SAINT-VICTOR.

Différentes éditions des œuvres de Richard.

On connaît sept éditions du Recueil des œuvres de Richard.

La 1re fut publiée à Venise en 1506, in 8°. Elle est fort incomplète;

La 2e in-f°, parut à Paris en 1518;

La 3e in-f°, à Lyon, 1534;

La 4e in-f°, à Paris, 1550;

La 5e in-f°, à Venise, 1592;

La 6e in-4°, à Cologne, 1621.

La dernière parut à Rouen chez Jean Berthelin, en 1650, in-f°. Elle a été jusqu'ici à peu près la seule en usage, quoiqu'elle soit peu correcte et dépourvue de tout genre d'éclaircissements. Mais les précédentes, qui n'en sont pas plus riches, sont plus fautives. B Cette édition de 1650 s'annonce comme revue et corrigée par les chanoines réguliers de Saint-Victor de Paris. On ne la doit pourtant qu'aux soins d'un de ces religieux, Jean de Toulouse, qui a placé à la tête du premier vol. une vie de l'auteur, tirée, dit-il, des manuscrits et des chartes de l'abbaye.

L'édition publiée par M. l'abbé Migne est plus correcte et plus complète. Elle contient des lettres que ne renferment point les précédentes. Mais surtout les écrits de Richard seront disposés dans un ordre plus régulier.

On les a divisés en trois classes. Les écrits *exégétiques*, où Richard explique quelques passages de la sainte Ecriture; les ouvrages *théologiques;* et les *Mélanges*, qui comprennent des lettres et quelques C écrits détachés. C'est, à peu de chose près, l'ordre indiqué par les Bénédictins dans l'Histoire littéraire de France.

Nous allons rapidement rendre compte de ces ouvrages, afin d'en faciliter la lecture.

I.

La première partie comprend quatorze traités. Le premier, qui a pour titre *Benjamin minor*, est un traité de morale mystique à l'occasion de ces paroles du Ps. LXVII : *Benjamin in mentis excessu.* Benjamin est le dernier et le plus cher des enfants de Rachel; il est l'ouvrage de la contemplation. Rachel et Lia représentent, la première la raison, la D seconde l'amour; l'une la vérité possédée, l'autre la vertu conquise; de l'une naissent les bons desseins, de l'autre les bons désirs. De même que Jacob doit recevoir Lia avant Rachel, de même les bonnes actions conduisent à la vraie science, de même la raison s'unit à l'imagination, et la sensibilité à l'amour.

La suite n'est qu'un développement de ces pensées. Les enfants de Lia et de Rachel, ce sont les facultés qui se rapportent à l'intelligence ou à l'amour. Richard les étudie psychologiquement; il apprend à les régler et à les conduire de concert au même terme, qui est la contemplation, ou le repos de l'âme dans la possession et l'amour de la vérité. Il n'est pas difficile de reconnaître les doctrines de Hugues sur la distinction profonde de la sensibilité et de la connaissance du monde physique et du monde spirituel, et sur les rapports de l'un à l'autre. Toutefois ces principes sont plutôt indiqués que nettement exprimés dans cet écrit.

Richard s'élève dans un passage contre les écrivains de son temps. Il leur reproche une attention trop scrupuleuse à éviter les incorrections et les négligences. « Ils sont, dit-il, bien plus honteux d'un barbarisme qui leur échappe que d'un mensonge qu'ils ont arrangé, et craignent bien plus d'offenser les règles de Priscien que celles de l'Evangile. » Il regarde comme la gloire la plus haute à laquelle un mortel puisse aspirer, celle de convertir ses semblables, et de les transformer d'enfants du démon en C enfants de Dieu. Un tel ministère est à ses yeux le don le plus sublime; il le préfère au pouvoir de faire des miracles et de ressusciter des morts.

Le *Benjamin minor* est celui des ouvrages de Richard qui a été imprimé le premier. Il en a paru une édition particulière à Paris en 1489, in-4°; il a été réimprimé à part dans la même ville en 1521, in-12. Le même ouvrage a été depuis plusieurs fois publié sous le titre de *De duodecim patriarchis.*

Le *Benjamin major* diffère peu par la méthode du traité qui précède. L'arche est appelée par le Psalmiste l'arche de la sanctification : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ* (*Ps.* CXXXI). Or, c'est la sagesse qui triomphe du mal et qui procure la sanctification; et la perfection de la sagesse, c'est la contemplation. C'est là que Richard nous ramène toujours. Il étudie d'abord la

(2) Voyez *Hist. litt. de France*, t. XIII, 472-488; *Vita Richardi*, à la tête de l'édition de 1650; Pagi ad ann. 1134, n° 41, et 1140, n° 8; Henric. Gand. *Descrip. eccl.*, c. 26; Pitseus, p. 311; Alberic. *Chron.* ad ann. 1156; Cent. Magdeb. XII, c. 10; Du Boulay, *Hist. Univ. Par.* t. II, p. 160, 260 et passim; Duchesne *Scr. rer. Gall.*, t. IV, p. 757, 747, 745 et passim; Dubois, *Hist. Paris. Eccl.* lib. III; Corrozet, *Antiq. de Paris*, liv. IX, fol. 57.

Digitized by Google

contemplation en elle-même, et il en distingue six degrés. Le premier consiste dans la considération et l'admiration des objets corporels qui frappent nos sens; le second n'est encore que l'étude de la production de la nature et de l'art; le troisième nous élève à l'ordre moral, à la méditation des lois divines et humaines; le quatrième à la connaissance des substances incorporelles et invisibles, c'est-à-dire de nos âmes et des esprits angéliques; au cinquième degré, la raison s'élance au-dessus d'elle-même, et au sixième, elle parvient à l'extase. Ce traité est presque entièrement consacré à l'étude de ces différents degrés qui conduisent à la contemplation : il en cherche des figures dans les différentes parties de l'arche. Il indique les moyens qui doivent élever l'âme de l'un à l'autre de ces degrés : ce sont la grâce, le concours de notre propre activité et l'enseignement extérieur.

Il faut avouer que ses applications sont quelquefois forcées, ses raisonnements un peu subtils. Il avoue qu'il a eu beaucoup de loisir pour composer ce livre et qu'il en faut beaucoup pour le lire. Il a pour appendice une sorte de récapitulation intitulée : *Allégorie du tabernacle de l'alliance.* Nous en citerons quelques passages qui donneront une idée de ce genre de composition qu'il est difficile de soumettre à l'analyse.

« Par le tabernacle de l'alliance entendez l'état de perfection. Où est la perfection de l'âme, là est l'habitation de Dieu. Plus on approche de la perfection, plus on est étroitement uni à Dieu. Mais le tabernacle doit avoir le vestibule qui l'environne. Par le vestibule entendez la discipline du corps, et par le tabernacle la discipline de l'âme. Où il y a absence de discipline extérieure, la discipline intérieure ne peut être gardée. Mais la discipline du corps est inutile sans la discipline de l'âme. Le vestibule est à découvert et en plein air, la discipline du corps paraît à tous. Les choses qui étaient dans le tabernacle n'apparaissaient pas au dehors. De même personne ne connaît ce qui est de l'intérieur de l'homme, si ce n'est l'esprit de l'homme qui est en lui. La raison est figurée par le tabernacle extérieur, et l'intelligence par le tabernacle intérieur. Nous appelons sens rationnel ce par quoi nous discernons ce qui est à nous, et sens intellectuel ce par quoi nous nous élevons à la contemplation des choses divines. L'homme sort du tabernacle dans le vestibule par les œuvres. L'homme pénètre dans le premier tabernacle quand il se recueille en lui-même; il entre dans le second quand il s'élève au-dessus de lui-même. En s'élevant au-dessus de lui-même, il s'élève certainement à Dieu. »

Il a paru une édition particulière de ce traité en 1494, in-4°, et une autre, in-8°, sans date et sans indication de ville, mais avant la fin du XV^e^ siècle.

L'opuscule qui a pour titre : *De fine mundi*, ou *De meditandis plagis quæ circa finem mundi evenient*, est un sermon qui a pour texte ces paroles de l'Ecclésiaste : *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas : Non mihi placent* (c. XII). Le style de ce discours est naturel, élégant même; il ne renferme rien, au reste, qui demande une explication particulière.

Richard composa son traité *Du Tabernacle* sur la demande de ses amis, comme il nous l'apprend lui-même dans le prologue. Cet ouvrage est divisé en trois parties : dans la première il traite de la construction du tabernacle, il en décrit toutes les parties, et il en tire un sens tropologique. Cette composition est dans le genre des deux premières que nous avons étudiées.

La seconde partie est une simple explication littérale ou un simple commentaire de la description du temple de Salomon, qui se lit au livre des Rois. « La description du temple de Salomon, dit-il en commençant, est généralement assez claire. Plusieurs passages cependant sont obscurs et embrouillés. Quelques personnes, que je sers volontiers, me pressent de dire mon sentiment sur les endroits qui ont besoin d'explication. » La troisième partie traite de la chronologie des rois de Juda et d'Israël. Ce dernier livre est adressé, sinon par l'auteur au moins par l'éditeur, à saint Bernard. Richard y concilie, avec un soin scrupuleux et non sans quelque sagacité des dates contradictoires en apparence. Il montre que ces difficultés viennent tantôt de la négligence des copistes, tantôt du double emploi d'une même année, comptée comme la dernière d'un règne et comme la première du règne suivant; quelquefois aussi du couronnement de certains rois avant la mort de leurs pères, et par conséquent de la coexistence de deux monarques sur le même trône durant plusieurs années. L'auteur a joint à ce traité deux tables chronologiques : l'une en quatre colonnes, l'autre en cinq.

Cet ouvrage fut imprimé à Paris, en 1511 et en 1540; à Venise, en 1590.

Les Annotations mystiques sur les Psaumes sont plus étendues que celles attribuées à Hugues. C'est un commentaire pieux de quelques passages de ces divins cantiques. Le 28^e^ est le seul qui soit expliqué tout entier. Les Bénédictins nous semblent exagérés quand ils disent que ces remarques sont purement mystiques. Les développements que Richard donne au texte sacré ressemblent assez à ceux que donnerait un prédicateur; ils forment comme de petits sermons ou de petites homélies.

L'explication du *Cantique des cantiques* comprend 42 chapitres ou sermons inférieurs, sans doute, à ceux de saint Bernard, mais qui ne sont point sans mérite. Richard y est plus sobre qu'ailleurs d'interprétations allégoriques, et il y donne à ses auditeurs d'utiles instructions morales, souvent empruntées à saint Grégoire le Grand.

L'opuscule intitulé *Quomodo Christus ponitur in*

Digitized by Google

signum populorum, est une explication de ces mots d'Isaïe : *Radix Jesse stat in signum populorum*. Richard explique que le prophète annonce Jésus-Christ élevé sur la croix, appelant et réunissant les deux peuples, c'est-à-dire les Juifs et les gentils. Ce petit traité ressemble assez, par la forme et par les instructions qu'il renferme, aux sermons de cette époque.

Le traité *sur Ezéchiel* est une explication littérale des animaux, des roues et des édifices décrits dans la vision du prophète. Richard fait ici peu d'usage de son talent pour l'allégorie. Il s'attache à la lettre et au sens immédiat qu'il dit être le fondement nécessaire de toute interprétation mystique. Ce livre suppose quelques connaissances de géométrie et d'architecture. L'auteur y a même joint des plans qui rendent son explication plus sensible.

Richard nous apprend lui-même dans un petit Prologue à quelle occasion il composa l'ouvrage intitulé *De Emmanuele*, et quel but il s'y propose. « Je suis tombé, dit-il, sur un traité écrit et publié par maître André, j'y ai trouvé quelques passages imprudents et peu catholiques. Dans plusieurs endroits, en effet, il expose les opinions des Juifs sur la sainte Ecriture, moins comme étant des Juifs que comme la véritable interprétation : ainsi sur ce passage d'Isaïe : *Voici qu'une Vierge conçevra et enfantera un fils*, il propose les objections et les explications des Juifs, et il ne les réfute pas, en sorte qu'il semble leur céder la victoire, en négligeant de résoudre leurs difficultés. » Ce docteur imprudent avait fait des disciples, en sorte que plusieurs entendaient ce texte non de Marie, mais d'une prophétesse. C'est pour faire disparaître ce scandale que Richard entreprit cet ouvrage. Il rapporte d'abord les objections des Juifs telles qu'elles se trouvaient dans le traité du docteur André ; il les résout ensuite d'après l'interprétation de saint Jérôme, qu'il corrobore encore par des arguments qui lui appartiennent.

Explication de certains passages de l'apôtre saint Paul. Nous ne voudrions pas assurer que Richard ait toujours éclairci les difficultés que présentent les textes qu'il interprète. Mais sa théologie est exacte, et c'est là un mérite qu'il n'est point aisé de conserver en traitant de pareilles matières.

On a deux éditions particulières de cet ouvrage : l'une de Venise, en 1592 ; l'autre de Rouen, en 1606, toutes deux in-f°.

Le commentaire sur l'Apocalypse est adressé à un religieux dont Richard ne dit point le nom. Il se divise en sept livres, dont chacun explique une vision. Nous n'entreprendrons pas une analyse de cette paraphrase mystique du plus impénétrable de nos livres sacrés. On y trouvera un aliment à la piété, d'utiles instructions de morale, et plus d'une fois, de belles interprétations du texte inspiré.

II. *Œuvres théologiques.*

Le principal ouvrage dogmatique de Richard de Saint-Victor est son traité *De la Trinité*, qui comprend six livres. A l'exemple des Pères et de tous les anciens écrivains orthodoxes, il pose la foi comme le point de départ et le fondement obligé de toute science théologique ; il répète et commente dans le sens des anciens le texte devenu fameux du prophète Isaïe : *Nisi credideritis non intelligetis*. La foi est la porte d'entrée du sanctuaire, c'est par elle seulement qu'on y pénètre. Mais, la porte étant ouverte, il ne faut point s'arrêter sur le seuil de ce temple si riche en merveilles de tout genre ; on doit avancer toujours en s'efforçant de comprendre de plus en plus les vérités reçues par la foi. « Si dans la foi, dit encore l'illustre Victorin, réside le commencement de tout bien, c'est dans la connaissance que se trouve la consommation et la perfection. Travaillons donc à atteindre cette perfection ; que tout nous serve de degré pour aller de la foi à la connaissance ; employons tous nos efforts pour comprendre ce que nous croyons.... C'est peu pour nous d'avoir des sentiments justes et vrais sur Dieu, il faut, comme je viens de vous le dire, nous efforcer de comprendre ce que nous croyons ; il faut travailler sans relâche, autant qu'il est permis, autant qu'il est possible, à saisir par la raison ce que nous tenons par la foi. Mais quelle merveille si notre âme se trouble et s'obscurcit en présence des mystères de la Divinité, lorsqu'elle est souillée presque à chaque instant de la poussière des pensées terrestres ! Sors de la poussière, ô vierge fille de Sion ! si nous sommes de vrais fils de Sion, dressons cette échelle sublime de la contemplation, et prenant notre vol, comme des aigles, échappons à la terre pour planer dans les hauteurs des cieux. »

Ces paroles, qui semblent dictées par la chaleur du plus pur enthousiasme, nous montrent suffisamment quel intérêt Richard attachait aux spéculations théologiques. Aussi ne se contente-t-il pas de poser des principes sur la mission de la théologie, ni de convier les savants chrétiens à l'étude plus approfondie des mystères révélés ; lui-même veut prêcher d'exemple en essayant d'expliquer par la raison l'auguste mystère de la sainte Trinité. L'illustre Victorin se propose dans ce traité d'éclaircir et de confirmer par la raison les enseignements d'ailleurs innombrables de la foi. Il débute par une pensée profonde qui mérite de fixer l'attention des théologiens et des philosophes chrétiens ; elle nous paraît singulièrement féconde en applications importantes. « Notre dessein dans cet ouvrage est, dit-il, d'apporter à l'appui de notre foi des raisons non-seulement probables, mais encore nécessaires. Car nous sommes pleinement persuadé qu'il existe pour toutes les choses nécessaires des arguments non-seulement probables, mais nécessaires, bien qu'il arrive que notre esprit ne les aperçoive point tou-

Digitized by Google

jours.... En effet, il est de toute impossibilité que ce qui est nécessaire ne soit pas et n'ait pas une raison d'être nécessaire, mais il n'est pas donné à tout le monde de tirer ces raisons du sein des mystérieuses profondeurs de la nature et de les mettre ensuite à la portée des esprits ordinaires. »

La pensée de Richard nous semble d'une exactitude rigoureuse. Tout ce qui est a une raison d'être ou en soi ou en autrui; ce qui est nécessairement, ce qui ne peut pas ne pas être, a une raison d'être nécessaire; rien de plus certain. Il se peut que notre intelligence ne voie pas, ne distingue pas cette raison, mais elle doit exister, sa réalité ne saurait être l'objet d'un doute sérieux. Or, la trinité des personnes dans l'unité de la nature divine est une vérité en soi nécessaire, et la foi nous enseigne que Dieu subsiste en trois personnes distinctes. Mais si la Trinité est nécessaire, elle doit avoir aussi une raison d'être nécessaire, raison qu'elle porte avec soi, dans son propre fond, dans sa propre nature, et qui n'est point distincte d'elle-même. Il y a en Dieu une raison d'être trois en personnes, et quand le voile épais, qui dans ce monde des sens nous dérobe la vue de l'essence divine, sera déchiré, nous verrons clairement que la trinité des personnes ne peut pas ne pas exister dans l'unité de cette essence ineffable. Nul doute donc qu'il n'y ait des arguments où la logique est absolument nécessaire en faveur du dogme de la Trinité; et quoique durant le cours de cette vie moitié obscure, moitié éclairée, notre œil ne puisse pas plonger jusqu'à la dernière racine de ces arguments, s'ensuit-il cependant qu'aidés de la lumière de la révélation chrétienne, il soit impuissant à les saisir dans leur dérivation et dans cette espèce de projection lumineuse que la nature divine nous envoie sans cesse? Richard ne le croit pas; loin d'admettre cette impuissance, il est au contraire profondément convaincu qu'une intelligence chrétienne peut trouver à l'appui de cet auguste mystère des arguments d'une rigueur irrécusable.

Plein de confiance en la vérité de ce principe, l'illustre théologien, après avoir discuté dans les deux premiers livres tout ce qui a rapport à l'unité de la nature divine, entre résolument dans la voie des spéculations sur la trinité des personnes. La bonté absolue de Dieu et la souveraine félicité dont il jouit, voilà la double source générale dont l'auteur dérive à peu près tous ses arguments. Dieu étant la plénitude de la bonté, doit être le siége de l'amour parfait; or l'amour ne peut exister sans la pluralité des personnes; on ne saurait donner le nom d'amour à cette affection par laquelle une personne s'aime soi-même; l'amour pur et vrai demande nécessairement plusieurs personnes. Il faut donc qu'en Dieu, qui est le type et la loi de l'amour parfait, il y ait plus d'une personne.

Richard expose longuement les propriétés de l'amour et marque avec beaucoup de soin le caractère propre à l'amour, tel qu'il doit être en Dieu. Il définit avec la même attention les éléments essentiels du souverain bonheur dont Dieu jouit nécessairement, et il s'efforce de prouver que ce bonheur ne se conçoit point si l'on n'admet dans la nature divine trois personnes réellement distinctes entre elles. Nous ne suivrons pas l'auteur dans ses spéculations, nous nous contentons d'en indiquer la source et la tendance générale.

Après avoir établi la trinité des personnes divines, notre Victorin cherche à montrer comment la pluralité des personnes se concilie avec l'unité de nature, et enfin dans les deux derniers livres il examine et discute les propriétés respectives de chacune des personnes.

Nous dirons avec M. Laforêt à qui nous avons emprunté cette analyse et cette appréciation si judicieuse et si profonde de ce traité (3), qu'à le prendre dans son ensemble, c'est une œuvre de beaucoup de mérite; peut-être même, au point de vue des spéculations théologiques, doit-on le regarder comme le travail le plus important que nous ait légué le moyen âge. Nous avouons cependant avec le même écrivain que l'ouvrage a des parties faibles; que certaines déductions, auxquelles l'auteur semble attacher le plus grand prix, sont loin d'être rigoureuses; que quelques arguments ne concluent pas; que l'on y rencontre parfois des idées peu exactes; mais la plupart de ses spéculations sont très-solides et même très-profondes. C'est un traité qui renferme des trésors infiniment précieux, malheureusement trop peu connus de beaucoup de théologiens d'ailleurs recommandables.

Les six livres *De la Trinité* ont pour appendice un opuscule qui traite des attributs de chaque personne, et qui est adressé à un nommé Bernard qui l'avait consulté sur ces matières. Ce Bernard est-il le célèbre abbé de Clairvaux? Baronius, Manrique, Dupin, Thoulouse le pensent; les Bénédictins en doutent parce qu'ils ne trouvent dans les œuvres de l'abbé de Clairvaux aucun vestige de ses relations avec le prieur de Saint-Victor. Mais nous avons vu dans la notice de Richard qu'il était non-seulement improbable, mais à peu près impossible que saint Bernard, qui connaissait la communauté de Saint-Victor, qui la visita, qui lui rendit et lui demanda des services, qui traitait Hugues comme son ami, n'eût eu aucun rapport avec Richard, dont la réputation était si grande.

C'est sans doute en comptant l'opuscule dont

(3) *Coup d'œil sur l'histoire de la théologie dogmatique*, par M. Laforêt, docteur en théologie, professeur à la Faculté de philosophie ès lettres et président du collége du pape à l'Université catholique de Louvain. Louvain, 1851.

Digitized by Google

nous venons de parler, que Vincent de Beauvais (4) dit que Richard a composé un traité de la Trinité en sept livres. Il ajoute que c'est le principal ouvrage de notre Victorin.

Henri Etienne en a donné une édition particulière in-4°, en 1510; il en existe une autre de Nuremberg, en 1518, in-8°.

Le livre *De Verbo incarnato* est encore dédié à Bernard et répond à une consultation nouvelle adressée à l'auteur par le même personnage. Vous ne rougissez pas, lui dit Richard, de fatiguer mon incapacité.

Ce traité de l'Incarnation du Verbe est en même temps une explication des 11 et 12 vers. du chap. xxi d'Isaïe : *On me crie de Sion : Sentinelle, qu'avez-vous vu cette nuit?* — « C'est un livre fort court, dit M. Laforêt (pag. 60), mais substantiel, plein d'idées ingénieuses, et souvent profondes, sur la nécessité de l'Incarnation. » C'est l'objet principal du livre.

Nous ne nous arrêterons pas au petit traité qui a pour titre : *Comment le Saint-Esprit est l'amour du Père et du Fils*, ni sur celui intitulé *Du très-excellent baptême de Jésus-Christ*. Ce dernier est écrit à la prière d'un de ses parents. C'est plutôt un ouvrage de piété qu'un traité de théologie.

Il suffira de même de mentionner un sermon sur la mission du Saint-Esprit et un petit opuscule, où il compare Jésus-Christ à une fleur, et Marie à une tige.

Suit un autre sermon, où Richard explique aux religieux de Saint-Victor *en quoi le sacrifice de David diffère de celui d'Abraham*. Ce sacrifice d'Abraham, *dont* parle notre Victorin, n'est point celui dont Isaac devait être la victime, mais celui que Dieu au chap. xv de la Genèse prescrit en ces termes au père des croyants : *Prenez une vache de trois ans, une chèvre et un bélier du même âge, une tourterelle et une colombe*. C'est une espèce de commentaire moral et allégorique du verset 14 du psaume 65 : *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum*.

Il explique dans un discours du même genre les différences qui existent entre le sacrifice d'Abraham et celui de Marie, lorsqu'elle offrit deux tourterelles et deux colombes nouvellement écloses.

On a placé sous le titre commun : *De gemino Paschate*, deux autres sermons : l'un pour le jour des Rameaux, où il parle de la pâque des fleurs et de la pâque des fruits, et l'autre pour la fête de Pâques; c'est une paraphrase de ces mots de saint Paul : *Pascha nostrum immolatus est Christus* (*I Cor.* vii).

Les trois traités sur *l'extermination du mal et la promotion du bien*, sont comme plusieurs de ceux que nous avons parcourus jusqu'ici, des traités de morale mystique dans lesquels Richard montre A que pour acquérir et conserver la vertu, il faut se vaincre et se résigner à la souffrance.

Richard écrivit encore le traité *De l'état de l'homme intérieur* à la demande d'un ami; il indique dans le Prologue qu'il le composa à plusieurs reprises et au milieu de beaucoup d'obstacles; ce qui ferait croire que ce fut pendant les dernières années d'Ervisius. Peut-être est-ce la cause des nombreuses digressions qu'il a répandues dans son livre et qu'il ne désavoue point lui-même. « Il a fait, dit-il, comme un voyageur qui allonge exprès sa route pour visiter et admirer d'agréables environs. » Le sujet de cet ouvrage est une explication de ces paroles d'Isaïe : *A planta pedum usque ad verticem non est in eo sanitas*. Impuissance, ignorance, concupiscence, voilà la triple plaie de l'homme, son triple vice. Il en résulte trois sortes de péchés : des faiblesses, des erreurs, des méchancetés. Il faut y opposer trois genres de remèdes, les commandements de Dieu, ses promesses et ses menaces. Telle est la substance de l'ouvrage qui se divise en trois parties. Dans la première, il traite du triple vice; dans la seconde, du triple péché, et dans la troisième, du triple remède. Presque à chaque pas l'auteur met en parallèle les maux du corps et ceux de l'âme, ainsi que les moyens de guérir les uns et les autres. Il serait possible de recueillir çà et là quelques notions de la médecine du xii^e^ siècle. On y voit, par exemple, que les médecins distinguaient trois esprits dans le corps humain : l'esprit animal qu'ils plaçaient dans la tête, l'esprit naturel dans le foie, et l'esprit vital dans le cœur. Mais, sans nul doute, les trois parties de ce traité sont plus édifiantes qu'instructives, et l'on ne peut trop admirer le nombre prodigieux de pensées pieuses ou mystiques que suggèrent à Richard chaque parole et presque chaque syllabe des versets 5 et 6 du premier chapitre d'Isaïe.

Des difficultés avaient été soulevées sur le sens de ces paroles de notre Seigneur : *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram erit solutum et in cœlis* (*Matth.* xvi); et sur ces autres : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis retenta sunt* (*ibid.*). Les apôtres et leurs successeurs ont-ils réellement reçu par ces paroles le pouvoir de remettre les péchés? Deux pécheurs viennent à un prêtre : l'un est endurci et par là même lié, l'autre est vraiment juste et par là même délié; le prêtre peut-il délier celui qui est lié, et lier celui qui est délié? De même deux criminels viennent à un prêtre; l'un est pénitent, l'autre impénitent; le prêtre peut-il remettre les péchés à celui qui est impénitent, et les retenir à celui qui est pénitent? Telles étaient les questions discutées par quelques théologiens et sur lesquelles on demandait à Richard son avis.

(4) *S. ecul. Hist.* lib. xxviii, c. 52.

Digitized by Google

C'est pour repondre à ces demandes qu'il écrivit son traité *Sur la puissance de lier et de délier*. Toutefois cet ouvrage est plus moral que dogmatique. On y trouve plutôt des instructions édifiantes que des solutions exactes, nettes et précises, des difficultés qui lui sont proposées.

L'opuscule *Sur le jugement final et général* a pour but de montrer comment au dernier jour les apôtres jugeront en un instant et avec une extrême facilité tous les hommes; comment ils découvriront les secrets de toutes les consciences, et comment ils détermineront la mesure précise des récompenses ou des peines que chacun aura méritées. C'est encore une espèce de sermon qui a pour texte ces paroles de Notre-Seigneur : *In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX).

L'esprit de blasphème n'est-il autre chose que le blasphème contre le Saint-Esprit? telle est la question proposée au prieur de Saint-Victor, et qu'il examine dans un petit traité. Il ne la résout point, mais il incline à croire avec Hugues, son maître, et saint Augustin que, la miséricorde de Dieu étant infinie, il n'y a point de péché irrémissible.

Suivent deux passages sur la différence du péché mortel et du péché véniel. Un homme meurt coupable de deux pechés : l'un mortel, l'autre véniel. On convient qu'il sera éternellement damné pour le premier. Mais la question est de savoir, s'il souffrira pour l'autre quelque surcroît de châtiment. Au lieu d'énoncer sur ce point une opinion précise, Richard commente ces paroles de l'Ecclésiastique (c. III) : *Eleemosyna patris non erit in oblivionem, et pro peccato matris restituetur.*

Il a été publié à Paris des éditions particulières de ce traité et de celui intitulé *De potestate ligandi et solvendi*, en 1520, in-12; en 1528, in-8°; en 1554, in-12; en 1543, in-16.

Des deux traités des degrés de la charité, le premier qui n'a que quatre chapitres est adressé à un religieux, nommé Séverin, qui l'avait demandé à Richard, son ami. L'auteur y explique d'après saint Paul les caractères de la charité.

Dans le second, il met la charité en parallèle avec la cupidité. Comme l'amour profane, la charité a quatre degrés : elle blesse, elle enchaîne, elle fait languir, elle consume. Ces deux livres sont du nombre de ceux qu'un compilateur du XIII^e^ ou du XIV^e^ siècle a mis à contribution pour en composer un traité de la charité attribué à saint Bernard.

III. *Mélanges.*

On a placé au commencement de la 3^e^ partie des Œuvres de Richard de Saint-Victor plusieurs lettres qui ne se trouvent point dans les précédentes éditions.

La première est adressée par l'abbé Ervisius et son prieur Richard à Robert, évêque de Herford en Angleterre. Ce Robert n'est autre que le fameux Robert de Melun, auteur de la première somme théologique qui ait peut-être été publiée. Il était Anglais de naissance. Il enseigna d'abord à Paris, puis à Melun, et c'est de là que lui vint son surnom. Il eut pour disciples Jean de Sarisbury et Thomas Becket. Ce dernier, pour témoigner sa reconnaissance à son ancien maître, contribua à le faire élever sur le siége épiscopal d'Herford; il le consacra même évêque, en qualité de primat. Mais Robert se montra peu digne d'un rang si élevé, il se rangea même parmi les prélats courtisans qui embrassèrent le parti du roi contre le saint archevêque de Cantorbéry. Ervisius et Richard lui écrivent pour lui reprocher sa conduite, et lui faire savoir qu'elle était universellement blâmée par les écoliers qui avaient autrefois applaudi à ses succès.

La seconde, qui n'est qu'indiquée, est adressée au pape Alexandre III. Le prieur de Saint-Victor lui recommande fortement l'affaire de Thomas de Cantorbéry. Elle est signée de Richard et d'un ancien abbé de Saint-Augustin.

La troisième est celle de Guillaume de Cantorbéry, dont le nom n'est désigné que par l'initiale *N*, prieur d'Ourcamp, que nous avons mentionnée dans la notice de Richard.

Les deux suivantes sont anonymes et peu importantes.

Les autres sont des lettres adressées par le prieur de Saint-Alban, ou par son frère, au prieur de Saint-Victor. Elles offrent quelques détails intéressants sur les relations de ces deux abbayes.

Le traité *De eruditione hominis interioris*, qui vient ensuite, se partage en trois sections, dans lesquelles l'auteur explique successivement les chapitres 2, 4 et 7 du prophète Daniel. C'est une suite d'interprétations tropologiques du songe de Nabuchodonosor et de son histoire. L'auteur s'occupe peu du sens littéral qui est généralement connu. Selon lui, l'auteur s'est proposé surtout de nous montrer comment les gens de bien abandonnent peu à peu la vertu, comment ils s'éloignent de la perfection de la vie contemplative ou de la vie active, par quel degré ils tombent dans le précipice, et par quels secours efficaces la grâce divine les relève. Les allusions et les applications sont nombreuses dans ce long traité. Richard observe, par exemple, qu'aussitôt que les gens de lettres obtiennent un emploi considérable et parviennent à quelque dignité éminente, ils abandonnent l'étude, et perdent souvent pour toujours le goût des travaux solitaires.

Nous renvoyons pour les extraits à ce que nous en avons dit dans la critique des Œuvres de Hugues de Saint-Victor.

—

Digitized by Google

IV. *Ouvrages manuscrits.*

Trithème (5), dans une longue liste des écrits de Richard, en cite quelques-uns qui ne se trouvent pas, du moins avec les mêmes titres, dans l'édition de 1650, ni dans les précédentes.

De studio sapientiæ;
De profectu monachorum;
De oratione mentali;
De officiis ecclesiæ;
De quatuor ventis;
De Actibus apostolorum,
De novitate vitæ;
Epitome totius Bibliæ.

On remarque que la plupart de ces titres seraient applicables à certains morceaux ou fragments des œuvres imprimées de Richard: il est fort vraisemblable que Trithème a donné ces indications d'après des manuscrits qui ne contenaient que de simples extraits des traités du prieur de Saint-Victor, et l'on peut étendre cette conjecture à d'autres manuscrits soit de la bibliothèque Ambroisienne, soit de la Belgique, indiqués par Montfaucon et Sanderus. Montfaucon (6) trouve dans la bibliothèque Ambroisienne deux traités de Richard de Saint-Victor, intitulés :

De laudibus B. Mariæ;
Incendium divini amoris.

Peut-être ce dernier article n'est-il que le *Stimulus divini amoris* de saint Bonaventure. Il pourrait bien aussi n'être pas distinct de l'opuscule des deux degrés de la charité. Voyez ci-dessus. Montfaucon trouve encore parmi les manuscrits de la reine Christine :

Richardi SECUNDI *canonici a Sancto Victore Liber pœnitentialis*, livre qui serait à confronter avec les opuscules *De potestate solvendi...*, et de la différence du péché mortel et du péché véniel. Mais le mot *secundi* nous donnera lieu d'observer qu'on a quelquefois distingué deux Richard de Saint-Victor, savoir: celui dont nous parlons ici, et un autre qui vivait vers l'an 1242, et que Poissevin (7) désigne comme l'auteur de quelques écrits, attribués d'ailleurs au premier par Poissevin lui-même. Cette distinction de deux Richard est, selon toute apparence, une méprise à laquelle Henri de Gand (8) et Sixte de Sienne (9) ont donné lieu en omettant dans l'art. de Richard de Saint-Victor sa qualité d'Ecossais.

Sanderus (10) cite les manuscrits suivants comme contenant d'ouvrages de Richard de Saint-Victor :

De canone;
Summa de virtutibus;
De studio sapientiæ;
De septem generibus tentationum;
Tractatus ad novitios;
Tractatus de domo corporis nostri spirituali;
Sermones octodecim in aliquas sententias sacræ Scripturæ;
Sermones vel tractatus sex in psalmos et alia Scripturæ loca;
Sermones super Evangelia;
Sermones duo in verba Matthæi : « *Tolle puerum et matrem ;* »
Sermones Dominicales; Sermones Dominicales per totum annum; Aliquot sermones;
De Passione Domini.

Enfin dans le catalogue des manuscrits d'Angleterre (11) on rencontre trois articles qui portent le nom de Richard de Saint-Victor :

Sermones;
Tractatus de fide;
Glossa interlinearis in Matth. et Marc.

Nous n'avons aucun moyen de vérifier l'authenticité de ces productions.

« Richard est fort subtil, dit Dupin (12) : il raisonne avec justesse, avec méthode, en bon dialecticien. Ses traités de critique sont assez exacts pour son temps. Il n'est pas fort élevé dans ses expressions ; et c'est ce qui fait que ses livres de spiritualité, quoique pleins de bons sentiments, n'ont pas toute la grandeur ni toute la force qu'on pourrait souhaiter. » Les Bénédictins ne trouvent dans les œuvres de Richard ni tant de dialectique ni si peu d'élévation. « Ses pensées, disent-ils, bien plus recherchées que justes, ses allégories plus spirituelles que raisonnables, communiquent presque toujours leur propre caractère à son style. Richard ne manque ni d'idées, ni d'imagination, ni même de sensibilité ; et si, en effet, on ne lit plus ses ouvrages, c'est parce qu'ils sont écrits sans méthode, sans critique, sans logique et sans goût. Il s'en faut bien d'ailleurs que sa diction soit aussi familière que Dupin le suppose. On aurait plutôt le droit de dire qu'elle ne l'est pas assez. Souvent métaphorique, plus souvent antithétique, elle suppose et laisse voir beaucoup de travail. Les consonnances dont elle abonde ne sont point du tout des négligences, mais de prétendus ornements qui ont exigé des soins continuels, et même des efforts, car l'auteur semble s'être prescrit pour règle constante de partager presque toutes ses phrases en deux sortes d'hemistiches rimés : c'est ce qu'on va reconnaître dans les lignes suivantes que nous rencontrons à l'ouverture du vol. p. 274, 275 et par lesquelles nous terminerons cet article :

« Cum contra mandatum divinum aliquid præsumitur, jus contumacium contra majestatem *agitur.*

(5) *De script. eccl.* c. 375.
(6) *Bibl. Bibl.*, t. I, 523.
(7) *Appar. S.* t. II, p. 322, 327.
(8) *De script. eccl.* c. 26.
(9) *Bibl. S.* I p. 275.
(10) *Bibl. mss. Belg.* part. I, 32, 67, 112, 117, 223, 245, 254, 325.
(11) *Cat. mss. Angl.* p. III, n. 727, 4077, 6160.
(12) XII^e *siècle*, p. 727.

Digitized by Google

Sed cum majestatem læsam propitiare volumus, ad ejus misericordiam recurrimus.

Recurrimus ad ejus bonitatem, imo et ad ejus veritatem.

Nam venia pœnitentibus promissa est ab eo qui mentiri omnino non potest.

Sic transiet nox ut iterum redeat; sic rediet dies ut iterum recedat.

Mane ne laborantes deficiant; nox ne incauti fiant.

Illud ubique ad medelam; istud contra ad cautelam. »

Cette dernière observation est trop générale. Si nous trouvons dans quelques passages ce défaut que signalent les Bénédictins, il nous semble exagéré de dire que c'est la manière habituelle d'écrire de notre Victorin. Son style est souvent simple, clair, et précis, sans affectation, sans recherche, surtout dans ses ouvrages plus sérieux. Nous avouerons simplement que nous avons cru remarquer dans la critique que les savants Bénédictins ont faite des œuvres de Richard dans le 13e vol. de l'Histoire littéraire de France, un peu de mauvaise humeur. Ils ont été rebutés par les interprétations tropologiques qui s'y rencontrent si souvent. On sait qu'elles étaient peu goûtées au XVIIe siècle. Cette critique est bien inférieure à celle des écrits de Hugues de Saint-Victor. Il est difficile de croire que l'une et l'autre aient été faites par la même main.

Nous terminerons en disant que si Richard est le disciple et le continuateur de Hugue, si la doctrine de ces deux Victorins est la même, si leur méthode se ressemble, Richard semble avoir été doué d'un esprit moins étendu, il a possédé une érudition moins vaste et moins variée. Plus encore que Hugues, il est avant tout théologien mystique et contemplatif; tous ses ouvrages décèlent cette tendance, et la plupart sont exclusivement consacrés à la théologie mystique. Il faut bien remarquer cependant que le mysticisme de Richard, non plus que celui de son illustre maître, n'exclut ni la philosophie ni la spéculation; c'est un mysticisme spéculatif qui abonde souvent en pensées profondes: mais toujours la science s'y montre accessoire, et l'esprit ne passe par elle que pour arriver à l'amour qui est la pleine vie de l'âme.

Digitized by Google

RICHARDI SANCTI VICTORIS

OPERUM PARS PRIMA

EXEGETICA

DE PRÆPARATIONE ANIMI AD CONTEMPLATIONEM

LIBER DICTUS

BENJAMIN MINOR.

CAPUT PRIMUM.

De studio sapientiæ, et ejus commendatione.

Benjamin adolescentulus in mentis excessu (*Psal.* LXVII). Audiant adolescentuli sermonem de adolescente, evigilent ad vocem Prophetæ : Benjamin adolescentulus, in mentis excessu. Quis sit Benjamin iste, multi noverunt, alii per scientiam, alii per experientiam. Qui per doctrinam noverunt audiant patienter ; qui per experientiam didicerunt, audiant libenter. Qui enim eum experientiæ magisterio semel nosse potuit (fidenter loquor), sermo de eo, *quamvis* prolixus, illum satiare non poterit. Sed quis de eo digne loqui sufficiat ? Est enim speciosus forma præ omnibus filiis Jacob, et qualem Rachel generare decuit. Nam Lia quidem, quamvis plures, pulchriores tamen liberos habere non potuit. Duas namque, ut legitis, uxores Jacob habuisse cognoscitur. Una Lia, altera Rachel dicebatur : Lia fecundior; Rachel, formosior. Lia fecunda, sed lippa ; Rachel fere sterilis, sed forma singularis. Sed jam, quæ sint istæ duæ uxores Jacob, videamus, ut qui sint earum filii facilius intelligamus. Rachel, doctrina veritatis, Lia disciplina virtutis. Rachel, studium sapientiæ, Lia desiderium justitiæ. Sed scimus Jacob septem annis pro Rachel servisse, et tamen videbantur ei dies pauci, præ amoris magnitudine. Quid miraris ? Secundum magnitudinem pulchritudinis erat magnitudo dilectionis. Certe si in laudem sapientiæ aliquid tentare voluero, minus erit quantumcunque dixero. Quid enim sapientia ardentius diligitur, dulcius possidetur ? Ejus decor omnem superat pulchritudinem, ejus dulcor omnem excedit suavitatem. Est enim, ut ait quidam, speciosior sole, et super omnem stellarum dispositionem : *Luci comparata, invenitur prior* (*Sap.* VII). Illi enim succedit nox, A sapientiam autem non vincit malitia : *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter. Hanc amavi*, inquit, *et exquisivi a juventute mea, et quæsivi sponsam mihi eam assumere, et amator factus sum formæ illius* (*Sap.* VIII). Quid ergo mirum, si Jacob in hujusmodi sponsæ amore flagrabat, si talis ignis, si tantæ dilectionis flammas temperare non poterat ? O quantum amabat, o qualiter in ejus amore flagrabat, qui dixit : *Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam !* (*Sap.* VII.) Nihil enim hac, ut diximus, sapientia, ardentius diligitur, nil dulcius possidetur. Hinc est enim quod sapientes omnes esse volunt, pauci tamen admodum sapientes esse possunt.

CAPUT II.

De desiderio justitiæ, et ejus proprietate.

Nunquid de justitia similiter dicimus. Nunquid æque justi omnes esse volumus, sed justi forte esse non possumus. Imo omnes utique justi esse potuissent, si esse justi perfecte voluissent. Justitiam enim perfecte diligere, est jam justum esse. Sapientiam et multum amare potes, et ipsa carere potes. Omnino, et absque dubio, quanto amplius justitiam dilexeris, tanto justior eris. Sed videamus nunc quæ sint instituta veræ justitiæ, et inveniemus cur homines tantum detestantur connubia Liæ. Quærendum namque est, cur fere omnes conjugia Liæ tantopere abhorreant, qui in amplexus Rachel tantum suspirant ? Perfecta justitia jubet inimicos diligere, parentes ; propria quæque relinquere, illata mala patienter ferre, oblatam gloriam ubique declinare. Sed ab hujus mundi amatoribus, quid stultius, quid laboriosius esse reputatur. Hinc est quod ab eis Lia, et lippa creditur, et laboriosa vocatur. Lia namque *laboriosa* interpretatur. Magnus namque labor, sed non minor error videtur eis esse,

Digitized by Google

in tribulatione gaudere, prospera mundi quasi pestem fugere. Sed quia copiam mundi ad necessitatem non respuit, et ad voluptatem non admittit, Liam lippam, non cæcam vocant, quam in rerum judicio errare putant. Si igitur per Liam desiderium justitiæ, per Rachel vero studium sapientiæ intelligitur, patet ratio quare vel Lia ab omnibus fere contemnitur, vel Rachel tantum diligitur.

CAPUT III.

De gemino totius boni fonte, ratione videlicet et affectione.

Sed libet adhuc de his duabus uxoribus Jacob diligentius inquirere, et quidquid inde animus suggerit manifestius aperire. Omni spiritui rationali gemina quædam vis data est ab illo Patre luminum, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum. Una est ratio, altera est affectio : ratio, qua discernamus, affectio, qua diligamus ; ratio, ad veritatem, affectio, ad virtutem. Hæ sunt sorores illæ duæ a Domino desponsatæ : Oolla et Ooliba, Hierusalem et Samaria. Hæ sunt spiritus rationalis geminæ uxores, ex quibus oritur generosa proles, et regni cœlestis hæredes. Ex ratione oriuntur consilia recta ; ex affectione, desideria sancta. Ex illa, spirituales sensus; ex ista, ordinati affectus. Ex ista denique, omnis virtus ; ex illa vero, veritas omnis. Sciendum itaque est quod affectio tunc veraciter incipit Lia esse, quando satagit seipsam ad normam justitiæ componere. Et ratio Rachel esse indubitanter asseritur, quando illius summæ et veræ sapientiæ luce illustratur. Sed quis ignorat quam sit illud laboriosum, quam sit istud jucundum? Utique non sine labore magno animi affectio ab illicitis ad licita restringitur; et recte talis uxor Lia (hoc est *laboriosa*) vocatur. Quid vero dulcius, quidve jucundius potest esse quam oculum mentis ad summæ sapientiæ contemplationem erigere? Ad hanc itaque contemplandam cum ratio dilatatur, merito Rachelis nomine honoratur. Rachel *videns principium* vel *ovis* interpretatur. Ut ergo tali nomine digna sit, impleat quod scriptum invenit : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum* (*Sap.* 1). Utique qui de Domino sentit in bonitate, jam illum, qui est principium omnium, fidei oculo cernit. Sed et ovis veraciter est, si in simplicitate quærit. Videsne quemadmodum non quælibet, sed summa sapientia simpliciter quæsita facit esse Rachel. Jam, ut arbitror, non miraris quod Rachel tantum diligitur, cum ejus etiam pedissequa (sapientia mundi loquor, quæ in dominæ suæ comparatione, stultitia reputatur), tanto, ut cernimus, amore a mundi philosophis requiratur

CAPUT IV.

Quomodo per studium sapientiæ animus latenter sæpe inducitur ad exercitia justitiæ.

Quemadmodum autem Lia supponitur, dum Rachel speratur, facile recognoscunt qui hoc quam sæpe contingat non tam audiendo quam experiendo didicerunt. Sæpe contingit ut animus antiquæ conversationis sordibus minus mundatus, et ad cœlestium contemplationem nondum idoneus, dum se in cubiculo Rachel collocat; dum se in ejus amplexus totum parat; dum illam jam sese tenere putat, subito et inopinate inter amplexus Liæ se esse deprehendat. Quid enim Scripturam sacram, nisi Rachel cubiculum dicimus, in qua sapientiam divinam sub decenti allegoriarum velamine latitare non dubitamus? In tali cubiculo, Rachel toties quæritur, quoties in lectione sacra spiritualis intelligentia indagatur. Sed quandiu adhuc ad sublimia penetranda minime sufficimus, diu cupitam, diligenter quæsitam Rachel nondum invenimus. Incipimus ergo gemere, suspirare, nostram cæcitatem non solum plangere, sed et erubescere. Dolentibus ergo nobis et quærentibus unde hanc cæcitatem meruimus, occurrunt mala quæ fecimus. Quinimo ipsa divina lectio nobis nolentibus, et aliud quiddam in ea molientibus, fœditatem nostram frequenter ingerit, et corda nostra in ejus consideratione compungit. Quoties ergo in divina lectione, pro contemplatione, compunctionem reperimus, in cubiculo Rachel, non ipsam, sed Liam, nos invenisse non dubitemus. Nam sicut Rachelis est meditari, contemplari, discernere, intelligere; sic profecto pertinet ad Liam flere, gemere, dolere, suspirare. Nam Lia, ut dictum est, affectio est divina inspiratione inflammata ; Rachel est ratio divina revelatione illuminata. Lia, affectio ad normam justitiæ seipsam componens; Rachel, ratio se in cœlestis sapientiæ contemplationem attollens. Sed de his hactenus. Nunc de earum ancillis videamus.

CAPUT V.

Quomodo imaginatio subserviat rationi, sensualitas affectioni.

Accepit ergo utraque illarum ancillam suam. Affectio, sensualitatem; ratio, imaginationem. Obsequitur sensualitas affectioni; imaginatio famulatur rationi. Intantum unaquæque ancillarum dominæ suæ necessaria esse cognoscitur, ut sine illis totus mundus nil eis posse conferre videretur. Nam sine imaginatione, ratio nihil sciret; sine sensualitate, affectio nil saperet. Utquid enim Lia circa labentium rerum amorem tam vehementer afficitur, nisi quia in eis, per ancillæ suæ (hoc est sensualitatis) obsequium, multiformiter delectatur. Item, cum scriptum sit : *Quia invisibilia Dei, a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom* 1), inde manifeste colligitur quia ad invisibilium cognitionem nunquam ratio assurgeret, nisi ei ancilla sua, imaginatio videlicet, rerum visibilium formam repræsentaret. Per rerum enim visibilium speciem surgit ad rerum invisibilium cognitionem, quoties ex his ad illam quamdam trahit similitudinem. Sed constat quia sine imaginatione corporalia nesciret, sine quorum cognitione ad cœlestium contemplationem non ascenderet. Visibilia enim solus intuetur sensus carnis, invisibilia vero solus oculus

Digitized by Google

videt cordis. Est ergo sensus carnis totus extrinsecus, sensus vero cordis totus intrinsecus. Ratio foras exire non potest, sensus corporeus ad illam intrare non valet. Non enim decebat filiam delicatam, et teneram, et singulariter formosam foris per plateas discurrere, sed nec servum conveniebat dominæ suæ penetralia secretoria irreverenter irrumpere. Discurrit ergo imaginatio (utpote ancilla) inter dominam et servum, inter rationem et sensum; et quidquid extrinsecus haurit per sensum carnis, intus repræsentat ad obsequium rationis. Semper ergo imaginatio rationi assistit, nec ad momentum quidem ab ejus famulatu se subtrahit. Nam sensu etiam deficiente, ipsa ministrare non desinit. Nam in tenebris positus, nihil video, sed quælibet illic imaginari possum, si volo. Sic semper et in omnibus imaginatio præsto est, et ejus obsequio ubique ratio uti potest. Sed et sensualitas nihilominus satagit et sollicita est circa frequens ministerium, et ipsa utique semper et ubique ad dominæ suæ Liæ parata obsequium. Hæc est, quæ illi solet carnalium delectationem cibos condire, et apponere, et ad earum usum ante horam invitare, et ultra mensuram provocare. Quæ enim alia est quam sensualitas, quæ animi affectionem carnalium voluptatum desiderio inflammat, et earum delectatione inebriat. Hæc est quæ laboriosam illam dominam suam egredientem præcedit, et huc illucque circumducit. Nam quia Lia lippa est et parum videt, illius manuductionem sequi eam non pudet. Hinc est quod Lia (animi videlicet affectio) nunc contemnenda diligit, nunc diligenda contemnit; quia, dum ejus oculus in rerum judicio caligat, carnis appetitum sequi non erubescit. Hæc sunt duarum uxorum Jacob ancillæ duæ, *quas* Scriptura nominat Zelpham et Balam, Balam Rachelis, et Zelpham Liæ.

CAPUT VI.

De vitio imaginationis et sensualitatis.

Vidimus de earum obsequio, sed nec de earum vitio silendum puto. Est enim Bala, garrula; Zelpha, tumulenta. Bala namque loquacitatem nec ipsa ejus domina Rachel compescere potest; sed et Zelphæ quidem sitim dominæ suæ copia tanta omnino exstinguere non potest. Vinum, quod Zelpha sitit, gaudium est voluptatis. De quo quanto plus bibit, tanto amplius sitit: nam ad satiandum sensualitatis appetitum, totus mundus non sufficit. Quia ergo quantumcumque bibat, semper ad bibendum inhiat, recte Zelpha, hoc est *os inhians*, vocatur, sitis cujus nunquam exstinguitur. Imaginatio autem cum tanta importunitate in auribus cordis perstrepit, quatenus ejus clamorem, ut diximus, ipsa Rachel vix vel omnino cohibere non possit. Hinc est quod sæpe dum psallimus vel oramus, phantasias cogitationum vel quaslibet imagines rerum ab oculis cordis amovere volumus, nec valemus. Quoniam ergo hujusmodi perstrepentium cogitationum quotidie etiam inviti patimur, qualis vel quanta sit Balæ garrulitas quotidiano experimento docemur.

A Quæque etenim visa, vel audita, quandoque quæ ipsi gessimus vel diximus, ad memoriam revocat, et quæ ipsa jam enarrando explicaverit, eadem iterum atque iterum replicare non cessat. Et sæpe, cum nulla voluntas cordis ei audiendi assensum præbeat, ipsa nihilominus (quamvis nullo quasi audiente) narrationem suam explicat. Sic utique decrepiti senes, vel inveteratæ anus, solent quælibet absque omni auditore referre, et quasi aliquibus præsentibus cum eis sermonem conferre. Unde non immerito Bala (hoc est *inveterata*) dicitur, quæ inveteratorum morem imitatur. Sed de garrulitate Balæ, et temulentia Zelphæ quis nesciat, nisi forte qui seipsum ignorat?

CAPUT VII.

B *Qui sint affectus principales, et quo ordine vel modo rediganlur in virtutes.*

Nunc de earum filiis, et prius de filiis Liæ dicendum videtur: nam et ipsa prior peperisse legitur. Filii Jacob ex Lia, ut diximus, nihil aliud sunt quam ordinati affectus. Qui quidem si inordinati sunt, ejus utique filii dici non possunt. Septenaria itaque Liæ proles, septem sunt virtutes. Siquidem nihil aliud est virtus quam animi affectus ordinatus et moderatus. Ordinatus quidem, quando illud est ad quod esse debet; moderatus, quando tantus est quantus esse debet. Principales ergo affectus septem sunt qui ab una animi affectione alternatim surgunt. Spes videlicet et timor, gaudium et dolor, odium, amor et pudor. Isti omnes possunt esse ordinati, C modo inordinati; sed, cum fuerint ordinati, tunc tantum inter Jacob filios deputandi. Si non esset timor inordinatus, sermo divinus minime dixisset: *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* XIII). Item, si non esset timor ordinatus, scriptum non esset: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII). Item, si non esset amor modo ordinatus, modo inordinatus, Scriptura sacra nec hunc præciperet, nec illum prohiberet: *Diliges*, inquit, *Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua, et proximum tuum sicut teipsum* (*Deut.* VI). Et alibi: *Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt* (*Joan.* II). Similiter debemus et de aliis affectibus intelligere, ali- D quando ordinatos, et idcirco bonos; aliquando inordinatos, et idcirco malos esse. De bonis autem, quos et Jacob filios esse diximus, nunc quo ordine generentur videamus.

CAPUT VIII.

Quomodo, vel unde oriatur ordinatus timor.

Scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX). Hæc ergo est prima virtutum proles, sine qua cæteras habere non potes. Qui talem filium habere desiderat, mala quæ fecit, non solum frequenter, sed et diligenter attendat; hinc magnitudinem sui sceleris, illinc potentiam judicantis. Ex tali consideratione timor nascitur, scilicet filius ille qui jure Ruben, hoc est *filius visionis* vocatur. Quodammodo etenim cæcus est, et minime videt,

Digitized by Google

qui peccare non timet, qui futura mala non prævidet, qui non erubescit pravitatem suam, qui non expavescit potestatem divinam. Sed, si incipiat ista videre, incipiet pariter et timere, et quanto perfectius cognoverit, tanto vehementius timebit. Vides, ut arbitror, quam juste Ruben vocetur, qui ex tali visione generatur. Recte, eo nato, mater ejus exclamat : *Vidit Deus humilitatem meam* (*Gen.* XXIX), eo quod tunc veraciter incipiat videre, et videri; Deum cognoscere, et a Deo cognosci; videre Deum per intuitum formidinis, videri a Deo per respectum pietatis.

CAPUT IX.

Quomodo oriatur vel ordinetur dolor.

Primo filio nato, et paulatim crescente, secundus nascitur, quia magnum timorem necesse est ut dolor sequatur. Quanto enim vehementius quis metuit pœnam quam meruit, tanto acerbius plangit culpam quam fecit. Sed sciendum quia, quacunque hora peccator conversus fuerit et ingemuerit, salvus erit, secundum illud : *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies* (*Psal.* L). Quid tibi videtur? Nonne merito talis filius Simeon, id est *exauditio*, vocatur. Qui enim vere pœnitet, qui veraciter dolet, absque dubio et absque mora indulgentiam accipiet. Oratio quæ ex corde contrito et humiliato profertur, citius exauditur : humiliato per timorem, contrito per dolorem. Per Ruben humiliatur, per Simeonem conteritur, et in fletu compungitur : sed *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V).

CAPUT X.

Quomodo oriatur vel ordinetur spes.

Sed quæ, quæso, consolatio potest esse pœnitentibus vere, et lugentibus amare, nisi una spes veniæ? Hic est ille tertius filiorum Jacob, qui idcirco Levi, hoc est *additus*, vel *additio* vocatur, quia duobus illis prioribus prius datis hic superadditur. Non datum, sed additum sermo divinus hunc filium nominat, ne ante timorem et condignum pœnitentiæ dolorem quis de spe veniæ præsumat. Qui enim post perpetrata scelera sine satisfactione sibi impunitate blanditur, non tam spe erigitur, quam præsumptione eliditur. Ex tali itaque nomine voluit nos Scriptura divina certos efficere, hunc nos videlicet filium, nec ante duos illos priores posse habere, nec post illos præcedentes hunc tertium posse deesse. Vere enim et absque dubio quanto quis frequentius, quantoque vehementius de suo reatu interno dolore afficitur, tanto certior, tanto securior per indulgentiæ veniam efficitur : *Secundum multitudinem*, inquit, *dolorum meorum in corde meo consolationes lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). Hinc namque est quod Spiritus sanctus Paracletus, hoc est *Consolator* dicitur, quia animam pœnitentiæ lacrymis afflictam tam frequenter quam libenter consolatur. Illam namque frequenter visitat, illam libenter confortat, et ad veniæ fiduciam plene reformat, quam sua scelera flendo damnare, et damnando flere considerat.

CAPUT XI.

Quando oriatur vel ordinetur amor.

Incipit extunc quædam familiaritas inter Deum et animam fieri, et amicitia confœderari, eo quod hæc se sentiat ab illo sæpius visitari, et ex ejus adventu non tantum jam consolari, imo aliquoties quodam ineffabili gaudio repleri. Hanc amicitiæ confœderationem (nisi fallor) Lia præsenserat, quando jam nato Levi cum magna exsultatione proclamabat : *Nunc copulabitur mihi vir meus* (*Gen.* XXIX). Verus animæ sponsus Deus est, quem tunc veraciter nobis copulamus, quando ei per verum amorem inhæremus. Imo vero tunc sibi nos ille connectit, quando nos quibusdam interius commerciis ad suum amorem accendit, et arctius astringit. Quod est enim cor tam durum et tam ferreum, quod divina pietas sua præsentia non emolliat, et sua dulcedine non alliciat? Unde fit ut quem prius consueverat multum formidare, incipiat postmodum ardenter amare. Vides jam, ut arbitror, quod quemadmodum post crescentem quotidie timorem, necessario suborius est dolor, sic utique post spem natam, et per quotidiana incrementa proficientem nascitur amor. Hic itaque est ille filiorum Jacob, qui quarto loco nascitur, et Judas, id est *confitens*, in Scriptura nominatur. Cujus nominis, si rationem quærimus, citius inveniemus. Scimus namque quia quisque quod approbat, hoc amat, et quo plus amat, tanto amplius approbat. Et quid est approbare, nisi laudare? Illa, illa utique est vera laudatio, illa est pura confessio, quæ ex casta dilectione surgit, quæ ex laudis admiratione procedit. Vultis nosse apertius quæ sit vox exsultationis et confessionis quæ novit Judas solus, vel cæteris omnibus excellentius?

CAPUT XII.

Quid sit proprium amoris.

Attende nunc animum aliquem nimium amantem, et nimio amore ferventem. Attende quid sentiat, quid secum loquatur de eo quem multum amat, quem valde miratur. Quid ergo dicit? Quid secum tacitus loquitur? O, inquit, quam bonus, quam benignus, o quam suavis, quam dulcis, o quam amandus, quantum amplectendus, quam totus admirabilis, quam totus desiderabilis! O beatum quem amat! o felicem, quem suo amore dignum judicat! Me felicem, si eo frui liceat; me beatum, si eum possidere contingat! Hæc, nisi fallor, est illa vox exsultationis et confessionis qui semper ex ore Judæ resonat in auribus divinæ pietatis. Quid tu dicis, Lia? Quid tu proclamas pro Juda? Quid tu reddis Domino? Quid retribuis pro tali puero? Nunc, inquit, confitebor Domino : *Confitebor*, inquit, *Domino nimis in ore meo* (*Psal.* CVIII). Vere utique et absque dubio non solum frequenter, sed etiam indesinenter Domino confiteris, si tamen perfecte diligis : *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni*

Digitized by Google

tempore, semper laus ejus in ore meo (*Psal.* xxxiii). Semper quidem laudas, si semper amas et semper desideras. Nam non amares, si non approbares. Quid est enim, ut dictum est, approbare, nisi laudare? Et ipsa laudatio, ipsa est confessio. Nec putes quod sufficiat Judæ confiteri tantum corde, nisi etiam confiteatur et ore. Cupit enim Judas et aliis commendare, et ad ejus amorem accendere, quem omnium amore dignum judicat, et ab omnibus amari desiderat. Hæc omnia dicta sunt de confessione laudis. Sed quid dicemus de confessione criminis. An forte Judas istam ignorat, quamvis illam tam excellenter agnoscat? Ego non sic existimo, quia et hanc et illam ad honorem Dei multum pertinere cognosco. Et scio quia qui veraciter diligit, libenter facit quidquid honori Dei militare cognoverit? Multum commendat bonitatem Dei non solum largitas sua, sed etiam iniquitas nostra. Si enim magnum est nil promerentibus gratis impendere multa, quale quantumve erit tribuere bona promerentibus mala? O qualis pietas, quam nulla nostra superare potest impietas! Alia sunt quæ misericorditer ignoscit, alia quæ affluenter tribuit. Ignoscit mala nostra, largitur bona sua. Semper præsto ad ignoscendum, semper paratus ad largiendum. Ilic pius, illic largus; utrobique benignus, ubique bonus. Confiteamur ergo illi mala nostra; confiteamur illi bona nostra. Confiteamur a nobis esse mala nostra; ut pie ignoscat, confiteamur ab ipso esse bona nostra, ut conservet, et augeat. Hæc Judas incessanter actitat, ne ingratus appareat, vel de indulta venia, vel de concessa gratia. Recte ergo, ut arbitror, hic filius Judas, id est *confitens*, vocatur, quia verus amor semper confitetur. Denique, cum scriptum sit: *Quia Deus veritas est* (*I Joan.* v), Deum non amare convincitur quisquis veritatem confiteri erubescit: *Justus*, inquit Scriptura, *in initio accusator est sui* (*Prov.* xviii). Habet ergo quid agat, qui se credit, vel cupit esse amatorem Dei, nisi forte putet aliud esse amare Deum, quam amare justitiam Dei. Ecce jam habemus de quatuor filiis Liæ. Primus est timor pœnæ, secundus dolor pœnitentiæ, tertius spes veniæ, quartus amor justitiæ, et posthæc desinit parere. Sufficere enim sibi posse existimat, cum se vera bona veraciter amare considerat.

CAPUT XIII.

Quomodo per invisibilium amorem mens instigetur ad invisibilium investigationem.

Sed quid putas in corde Rachel agitur, quibus putas desideriorum æstibus agitatur, cum videat Liam sororem suam matrem filiorum lætantem, se autem sterilem permanentem? Audiamus quid dicat, et intelligamus quid doleat. Quid ergo dicit Jacob viro suo: *Da mihi*, inquit, *liberos, alioquin moriar* (*Gen.* xxix). Absque dubio studium sapientiæ si non proficit, citius deficit. Sed quæramus diligenter quidnam esse possit, quod, nato Juda, Rachel ad amorem prolis solito amplius inardescit. Diximus superius quia sicut ad Liam, id est animi affectionem, pertinet diligere; sic Rachelis, id est rationis, est cognoscere. Ex illa namque oritur quilibet affectus ordinatus, ex ista sensus seu intellectus purus. Sed quid aliud per Judam intelligimus, nisi amorem ordinatum, amorem cœlestium, amorem Dei, amorem summi boni. Nato itaque Juda, id est, bonorum invisibilium desiderio exsurgente atque fervente, incipit Rachel amore prolis æstuare, quia incipit velle cognoscere. Ubi amor, ibi oculus. Libenter aspicimus quem multum diligimus. Nulli dubium quia qui potuit invisibilia diligere, quin velit statim cognoscere, et per intelligentiam videre, et quanto plus crescit Judas (affectus videlicet diligendi), tanto amplius in Rachel fervet desiderium pariendi, hoc est studium cognoscendi.

CAPUT XIV.

Quæ sit prima via omni ingredienti ad invisibilium contemplationem, videlicet per imaginationem.

Sed quis nesciat quam sit difficile, imo quam pene impossibile mentem carnalem, et adhuc in studiis spiritualibus rudem, ad invisibilium intelligentiam assurgere, et in illis contemplationis oculum figere? Nulla quippe novit adhuc, nisi corporalia; nil aliud adhuc cogitanti occurrit, nisi quæ cogitare consuevit sola visibilia. Quærit invisibilia videre, et nil occurrit nisi formæ rerum visibilium; desiderat intueri incorporea, et nil somniat nisi imagines rerum corporalium. Quid igitur faciat, quid agat? Nonne melius est qualicunque modo illa cogitare, quam oblivioni vel negligentiæ tradere? Imo, si bene amat mens, ea non facile obliviscitur, multo tamen difficilius ad eorum contemplationem sublevatur. Facit tamen quod potest, intuetur ea quomodo potest. Cogitat per imaginationem, quia necdum videre valet per intelligentiæ puritatem. Hæc, ut arbitror, est causa cur Rachel prius liberos habeat de ancilla, quam generet de seipsa; quia dulce est ei saltem imaginando eorum memoriam retinere, quorum intelligentiam nondum valet ratiocinando apprehendere. Sicut enim Rachel rationem, sic per ejus ancillam intelligimus imaginationem. Suadet ergo ratio commodius esse qualicunque modo vera bona cogitare, et imaginaria quadam saltem pulchritudine ad eorum desiderium animum accendere, quam in falsis et deceptoriis bonis cogitationem figere: et hæc est ratio cur Rachel voluerit ancillam suam viro sub tradere. Hanc esse primam viam omni ingredienti ad invisibilium contemplationem nemo ignorat, nisi forte, quem ad hanc scientiam necdum experientia informat.

CAPUT XV.

Quomodo infirmorum speculationi divinæ Scripturæ alludant.

Sed nec hoc prætereundum, quomodo Scripturæ divinæ huic speculationi alludant et humanæ infirmitati condescendant. Res enim invisibiles, per rerum visibilium formas describunt, et earum memoriam per quarumdam concupiscibilium spe-

Digitized by Google

cierum pulchritudinem mentibus nostris imprimunt. A Hinc est quod nunc terram lacte et melle manantem promittunt; nunc flores, nunc odores nominant, nunc per cantus hominum, nunc per concentus avium cœlestium gaudiorum harmoniam designant. Legite Apocalypsim Joannis et invenietis cœlestis Hierusalem ornatum per aurum, et argentum, per margaritas vel alias quaslibet gemmas pretiosas multipliciter descriptum. Et scimus quidem quia horum omnium nihil ibi est, ubi tamen nihil omnino deesse potest. Talium namque nihil ibi est per speciem, ubi tamen totum est per similitudinem. In his omnibus habet Bala unde dominæ suæ utiliter deserviat, quandoquidem ei horum omnium memoriam, ubi et quando voluerit pro voto repræsentat. Hæc enim statim cum voluerimus imaginari possumus. B Nunquam imaginatio rationi utilior esse poterit, quam cum ei in tali obsequio deservit.

CAPUT XVI.

Quod imaginatio alia sit bestialis, alia rationalis.

Sed, ut de Balæ filiis quæ dicenda sunt prosequamur, sciendum est quod imaginatio alia bestialis, alia rationalis. Bestialis autem inter filios Jacob annumerari non debet, nec tamen aliquando Rachel adoptivum sibi filium facere volet. Bestialis itaque imaginatio est, quando per ea quæ paulo ante vidimus, vel fecimus, sine ulla utilitate, absque omni deliberatione huc illucque vaga mente discurrimus. Hæc utique bestialis est: nam et hoc bestia facere potest. Rationalis autem est illa, quando ex his quæ per sensum corporeum novimus, aliquid imaginabiliter fingimus. Verbi gratia: Aurum vidimus, domum vidimus, auream autem domum nunquam vidimus. Auream tamen domum imaginari possumus si volumus. Hoc utique bestia facere non potest, soli rationabili creaturæ possibile. Hujusmodi imaginatione sæpe utimur, cum quæ sint futuræ vitæ bona, vel mala diligentius rimamur. Nusquam hic sola bona, nusquam hic sola mala, sed permista simul et bona et mala. Et, quamvis in utroque genere sint multa, nunquam tamen inveniuntur sola. Ibi inveniri possunt et bona sine admistione malorum, et mala nihilominus sine admistione bonorum. Item hic sicut nec sola, sic nec summa invenimus. D Ibi, et summa et impermista bona, et mala esse non dubitamus. Quoties igitur ex multis bonis, vel malis quæ in hac vita sensus corporeus experitur, quale, vel quantum esse possit illud futuræ vitæ summum bonum sive malum colligitur, et ex horum imaginatione, quædam futurorum imago figuratur, talis utique imaginatio rationalis esse facile convincitur, et ad Balam, et ad Rachel pertinere videtur. Ad Balam pertinet, in quantum imaginatio est; ad Rachel autem, in quantum rationalis est. Talis itaque proles, et imaginationis est per nativitatem, et rationis per adoptionem. Hujusmodi enim prolem una generat, sed altera educit. Ex Bala namque nascitur, sed per Rachel moderatur.

CAPUT XVII.

Quod cum imaginationem, rationem, voluntatem dicimus, diversis modis id accipimus.

Neminem conturbet quod et matrem et prolem imaginationem appellem. Sed hoc volo esse inter matrem et filium, quod est inter instrumentum et actum, vel hoc est inter matrem et prolem ejus, quod est inter genus et speciem. Nam genus adjuncta sibi differentia ex se speciem generat, quemadmodum copula viri feminam ad prolem fecundat. Et sæpe instrumentum et ejus actionem uno nomine appellamus: nam illud quod videmus, et illud quo videmus, visum vocamus. Sic cum ratio, vel voluntas, vel intellectus nominatur, aliquando instrumentum, aliquando ejus actio intelligitur. Et scimus quidem quia instrumentum quam ejus actio semper prius est, et sine ipsa esse potest. Habet ergo ab instrumento actio esse, non instrumentum ab actione. Unde nec inconveniens est, per instrumentum matrem, per actionem autem filium ejus intelligere. Imaginatio ergo, quando instrumentum significat, est vis illa animæ qua cum voluerit quodlibet imaginari valet. Hoc instrumento cum ad aliquid imaginandum mens utitur, actio procul dubio quædam efficitur, quæ similiter imaginatio nominatur. Hæc volui breviter commemorare, sed in his immorari diutius non est necesse. Sed nunc ad prosecutionis ordinem revertamur.

CAPUT XVIII.

De gemina speculatione, quæ surgit ex imaginatione. C

Diximus quia sola rationalis imaginatio ad Rachel pertinere videatur, et quæ rationalis non est, ejus adoptione prorsus indigna judicatur. Sed rationalis imaginatio alia est per rationem disposita, alia intelligentiæ permista. Illa utimur, quando secundum visibilium rerum cognitam speciem visibile aliud aliquid mente disponimus, nec tamen ex eo invisibile aliquid cogitamus. Ista vero tunc utimur, quando per visibilium rerum speciem ad invisibilium cognitionem ascendere nitimur. In illa est imaginatio non sine ratione, in ista intelligentia non absque imaginatione. Isti sunt duo filii Balæ, quorum primogenitus Dan dicitur, posterior Nephtalim nominatur. Ad Dan itaque specialiter pertinet considerat io futurorum malorum: ad Nephtalim autem speculatio futurorum bonorum. Dan nihil novit nisi corporalia, sed ea tamen rimatur quæ longe sunt a sensu corporeo remota. Nephtalim per rerum visibilium formam surgit ad rerum invisibilium intelligentiam. Infernalia tormenta longe a sensu corporeo remota non dubitamus, quia ubi vel qualia sint videre non possumus, sed tamen hæc quoties volumus, per ministerium Dan præ oculis cordis habemus. Nemo fidelium cum infernum, flammam gehennæ, tenebras exteriores in Scripturis sanctis legit, hæc figuraliter dicta credit, sed ista veraciter et corporaliter alicubi esse non diffidit. Unde fit nimirum ut, quamvis quispiam hæc ante oculos cordis per imaginationem ponat, non statim eorum

Digitized by Google

significationem per spiritalem intelligentiam quærat, quia hæc non tam figuraliter quam historialiter dicta, non dubitat. Recte ergo considerationem ad Dan specialiter pertinere jam diximus, ubi sola imaginatione opus habemus, quamvis eam in tali negotio non sine rationis dispositione tractamus. Sed cum terram lacte et melle manantem, cœlestis Hierusalem muros ex lapidibus pretiosis, portas ex margaritis, plateas ex auro legerit, quis sani sensus homo hæc juxta litteram accipere velit? Unde statim ad spiritualem intelligentiam recurrit, et quid ibi mysticum contineatur, inquirit. Videsne quomodo hæc talis futurorum descriptio ad Nephtalim tantum pertinere videatur, ubi sine intelligentia, sola imaginatio sufficere non posse minime ignoratur. Recte ergo dictum est quod ad Dan specialiter pertineat consideratio futurorum malorum, ad Nephtalim autem maxime speculatio futurorum bonorum. Multa tamen, et quæ de tormentis malorum scripta sunt, mystice accipienda sunt, et multa similiter de futuræ vitæ bonis (quamvis corporalia describantur) simpliciter intelligenda.

CAPUT XIX.

De prima speculatione, et ejus proprietate.

Illud autem sciendum est, imo nec hoc ignorari potest, quia illa consideratio meditanti facilius occurrit, quæ in sola imaginatione consistit. Nam illa, quæ cum sola intelligentia permiscetur, quanto subtilior, tanto difficilius invenitur. Unde est quod Dan prior, Nephtalim vero posterior nascitur. Hoc autem in hac gemina consideratione valde notabile, quod Dan scilicet per præsentium rerum imaginationem veram repræsentat rerum futurarum imaginationem fictam. Nephtalim vero sæpe per descriptæ rei imaginationem fictam surgit ad intelligentiam veram. Neque enim licet de futuris et invisibilibus bonis per spiritualem intelligentiam aliquid falsum fingere, quamvis absque culpa sit, tormenta malorum multo aliter quam sunt per imaginationem cernere. Quis enim ea omnino prout sunt in hac vita contemplari sufficiat? Sed quisque ea pro arbitrio mentis non qualia sunt, sed qualia fingere novit, figurando describit. Unde fortassis hic talis filius Dan, id est *judicium*, vocatur, quia in tali repræsentatione non experientiæ documentum, sed suæ discretionis sequitur arbitrium. Nam, quoniam Dan futurarum rerum repræsentationem in cujusque mente ex proprio judicio format, recte quis, ut arbitror, artificem talium Dan in judicium vocat.

CAPUT XX.

De officio primæ speculationis.

Est tamen hujus nominis alia ratio, quæ forte quanto subtilior, tanto etiam invenitur et utilior: sancti etenim viri quoties se sentiunt turpibus cogitationibus pulsari, et ad illicitam delectationem incitari, toties solent in ipso etiam tentationis aditu futura tormenta ante mentis oculos ponere, et ex tali consideratione, quidquid mens illicitum suggerit, ante turpem delectationem exstinguere. Hoc igitur modo in se statim, per considerationem pœnæ ulciscuntur, et damnant blandimenta culpæ. Quia ergo per officium Dan illecebrosæ cogitationes deprehendimus, arguimus, damnamus, castigamus, recte cum Dan, id est judicium, vocamus. Sed, quid hoc de turpibus tantum cogitatibus loquimur, quandoquidem vanas et inutiles perfecti viri non leviter abominantur, propter illud quod scriptum invenitur: *Væ qui cogitatis inutile!* (*Mich.* I.) Et illud: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I). Quid ergo, quæso, fiet de his quæ sentimus non sine quodam illicito affectu, quando Spiritus sanctus aufert se ab his etiam quæ sunt sine intellectu? Sæpe fit ut in oratione constituti, quasdam cogitationum phantasias cum importunitate se magna ingerentes corde toleremus. Sed nunquid eas sine nostra reprehensione negligere debemus? Nonne magis eas oportet acriter arguere, et, ut dictum est, per repræsentationem pœnæ reprimere irritationem culpæ et cogitationibus castigare? Unde scriptum est: *Dan judicabit populum suum sicut alia tribus in Israel* (*Gen.* XLIX). Ad filios quippe Zelphæ pertinet disciplina operum, ad filios Liæ dispositio voluntatum: ad filios Rachel sententia assertionum, ad fillios vero Balæ moderatio cogitationum. Quælibet ergo cogitatio quasi in sua tribu judicatur, quando omne erratum per suum simile corrigitur, quando voluntas voluntate emendatur, quando opus opere castigatur, assertio assertione corrigitur. Quoties ergo falsum aliquid sentimus, quoties injustum aliquid volumus, quoties inordinatum aliquid agimus, statim nos reprehensibiles esse minime ignoramus. Sed nunquid æque omnes reprehensione dignos se esse judicant, quando aliquid inutile vel inordinatum cogitant? Multorum est se ipsos reprehendere de perverso opere vel prava voluntate; pauci sunt qui seipsos dijudicent de inordinata cogitatione. Sed, quia perfecti viri hoc faciunt, et facere eos oportet qui perfecti esse volunt, idcirco Jacob prædicit vel præcipit, dicens: *Dan judicabit populum suum sicut alia tribus in Israel.*

CAPUT XXI.

De utilitate primæ speculationis.

Si enim Dan populum suum districte custodiat, si judicium suum diligenter exerceat, fiet ut in cæteris tribubus raro inveniatur quod jure damnari debeat. Mens enim quæ statim in ipsa suggestione præcidit illecebrosam cogitationem, non facile rapitur in pravam delectationem, sicut et culpa quæ cohibetur ante pravum consensum, nunquam transit in actum. Debet ergo Dan præ cæteris omnibus vigil et districtus in judicio esse, ut detur aliis tribubus ex majori parte absque lite et disceptatione vivere. Semper inveniet Dan in sua tribu quod examinare debeat, quod juste reprehendat, quamvis in aliis possit fieri ut aliquando aliqua earum sine culpa valeat inveniri. Aliarum namque culpa est in voluntate, hujus

Digitized by Google

autem exordinatio sæpe est in necessitate. Nunquam enim malum approbo, nunquam malo consentio, nunquam malum perficio, nisi ipse voluero; malum autem per cogitationem occurrere potest etiam invito. Sed ad Dan pertinet exsurgens malum statim, cum per cogitationem pulsat in judicium adducere, diligenter discutere, deprehensum damnare, et deceptoriam cogitationem ex alia consideratione percutere, et tentantia mala ex tormentorum recordatione exstinguere. Vides jam, ut arbitror, quam recte hic filius Dan, id est judicium, vocetur, de quo solo dubitatur utrumnam populum suum judicare habeat, cum solus, si fieri posset, ne cæteri habeant quid judicent, non solum assidue sed et districte judicare debeat.

CAPUT XXII.

De secunda speculatione, et ejus proprietate.

Sed, sicut ad officium Dan spectat per repræsentationem pœnæ reprimere exsurgentia vitia; sic ad Nephtalim pertinet per considerationem præmiorum inflammare desideria bona. Mirabiliter enim animum nostrum Nephtalim ad eorum desiderium accendit, quoties æternorum bonorum imaginem ante mentis oculos adducit, quod tamen duobus modis facere consuevit. Utitur namque aliquando translatione, aliquando autem comparatione. Comparatione, quando ex præsentium bonorum multitudine vel magnitudine colligit illa futuræ vitæ gaudia, quot vel quanta esse possint. Verbi gratia: Inspecta sæpe solis claritate (corporeo videlicet lumine) considerat quanta futura erit lux illa spiritualis, si tanta tamque mirabilis est lux ista corporalis. Quanta namque putas erit lux illa quæ erit nobis communis cum angelis, si tanta est ista quam habemus communem cum bestiis! Qualis erit lux futura beatorum, si talis est præsens lux ista miserorum! Item multiplicitatem bonorum invisibilium conjicit ex multitudine bonorum visibilium. Quot ergo putamus ea esse? Sed quis ea possit dinumerare? Quot sunt oblectamenta oculorum, quot oblectamenta aurium cæterorumque sensuum? Quot sunt colores, quot odores, quot sapores? Si ergo tot sunt deliciæ corporum, quot erunt deliciæ spirituum? Si tanta possidemus in tempore, quanta sunt quæ exspectamus in æternitate? In hunc igitur modum utitur comparatione: utitur nihilominus, ut dictum est, translatione, quando rerum visibilium descriptionem transfert ad rerum invisibilium significationem. Verbi gratia: Audit in Scripturis nominari lucem, sicut de Deo scriptum est: *Quia habitat lucem inaccessibilem* (*1 Tim.* VI). Quærit ergo quæ sit lux ista incorporea quam inhabitat invisibilis et incorporea Dei natura, et invenit quia lux ista est ipsa Dei sapientia, quia ipsa est lux vera. Sicut enim lux ista exterior illuminat oculos corporum, ita illa absque dubio illuminare consuevit oculos cordium. Ecce quomodo Nephtalim per rerum visibilium qualitatem surgit ad rerum invisibilium cognitionem. Patet ergo quam recte secundum utramque interpretationem Nephtalim dicatur. Nephtalim namque *comparatio* vel *conversio* interpretatur. Solet namque cognitam quamlibet rerum visibilium naturam convertere ad spiritalem intelligentiam. Quia ergo pene quidquid scriptum reperit, ad spiritualem intelligentiam convertit, recte conversionis nomen accepit. Et item quia assidue, ut dictum est, comparatione utitur, recte nihilominus Nephtalim, id est comparatio, nominatur.

CAPUT XXIII.

Quid sit familiare, seu etiam speciale speculationi secundæ.

Sciendum autem quia illud contemplationis genus, quod in pura intelligentia versatur, hujusmodi speculatione, quæ per Nephtalim designatur, quanto subtilius, tanto nimirum excellentius esse cognoscitur. Habet tamen hujusmodi speculatio aliquid singulare valdeque notabile. Est enim præ cæteris rudibus quidem adhuc mentibus, minusque exercitatis, et ad intelligendum facilior, et ad audiendum jucundior. Siquidem hæc meditanti facilius occurrit et audientem dulcius afficit. Est plane et promptior in meditatione, et affabilior in sermone. Unde et per Jacob de Nephtalim dicitur: *Nephtalim cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis* (*Gen.* XLIX). Cervus namque dicitur, propter currendi facilitatem; emissus, propter currendi aviditatem. Cervus animal velox nimis multum currere potest, et multum currere cupit, qui emissus est. Recte ergo, nisi fallor, Nephtalim, cervus emissus dicitur, quia per contemplationis gratiam multa percurrere valet, et propter contemplationis dulcedinem, multum ei currere placet. In tanta enim velocitate Nephtalim iste contemplantis animum (in hujusmodi tamen negotio aliquantulum exercitatum) nunc ad summa erigit, nunc ad ima deponit, nunc per innumera rapit, ut ipse animus, qui hæc patitur, semetipsum sæpe miretur felici magisterio edoctus quam convenienter Nephtalim noster cervus emissus dicatur. Notandum sane quam recte, non avi volanti, sed cervo currenti comparatur: nam avis quidem volando longe a terra suspenditur, cervus autem ad dandos saltus, terræ innititur, sed nec in ipsis suis saltibus, longius a terra separatur. Sic nimirum, sic Nephtalim, dum per rerum visibilium formam, rerum invisibilium naturam quærit, quosdam saltus dare, non autem ad plenum volatum convalescere consuevit, quia in eo quod se ad summa erigit, rerum corporearum secum umbram trahens ima omnino non deserit.

CAPUT XXIV.

Quanta sit jucunditas speculationis secundæ.

Ecce quomodo sit cervus emissus. Sed quomodo dans eloquia pulchritudinis, fortassis hoc per exempla evidentius ostendemus, persuadebimus plenius. Vultis audire eloquia pulchritudinis, eloquia suavitatis, plena decore, plena dulcedine, qualia Nephtalim formare consuevit, vel qualia eum formare convenit; *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui* (*Cant.* I).

Digitized by Google

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo (*Cant.* II). *Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris* (*Cant.* IV). Quid, quæso, dulcius hujusmodi eloquiis, quid jucundius invenitur? Quid talibus eloquiis libentius, quid avidius auditur? Ista verba carnale aliquid sonare videntur, et tamen spiritualia sunt quæ per ipsa describuntur. Sic novit Nephtalim carnalia cum spiritualibus permiscere, et per corporalia incorporea describere, ut utraque hominis natura in ejus dictis inveniat unde se mirabiliter reficiat qui ex corporea et incorporea natura constat. Hinc est fortasse quod homini tam suaviter sapiunt, quod quodammodo, ut dictum est, utramque ejus naturam reficiunt. Illud autem in ejus dictis est valde mirabile dignumque admiratione quod tunc fere semper delectabilius blanditur, quando juxta litteræ sensum nihil sonare videntur quale est illud: *Capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro* (*Cant.* IV). *Nasus tuus sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum, caput tuum sicut Carmelus* (*Cant.* VII). Hæc et hujusmodi alia cum audiuntur, vel leguntur, jucunda valde esse videntur, et tamen in his omnibus, si solum litteræ sensum sequimur, nil in eis invenimus quod digne miremur. Sed forte in hujusmodi dictis hoc est quod tam libenter amplectimur, quod ex jucunda quadam, ut ita dicam, litteræ fatuitate ad spiritualem intelligentiam confugere coarctamur. Si ergo pensamus, iste noster Nephtalim quam sit expeditus in meditatione, quam sit jucundus in sermone, citius advertere licet quam recte de eo Scriptura pronuntiet: *Nephtalim cervus emissus dans eloquia pulchritudinis.*

CAPUT XXV.

De gemina virtutum prole quæ nascitur ex edomita sensualitate.

Sed hæc interim filiis Balæ dicta sufficere volumus; restat nunc de filiis Zelphæ aliquid loquamur. Videns itaque Lia sororem suam Rachel de adoptiva jam prole gaudere, provocatur et ipsa ancillam suam viro suo tradere, ut possit et ipsa cum sorore sua de filiorum adoptione exsultare. Si igitur, ut superius dictum est, per Zelpham sensualitatem debemus accipere, quam aliam, quæso, virtutis prolem potest ipsa gignere, nisi ut discat et in rebus prosperis temperanter vivere, et in adversis patientiam habere? Isti sunt Gad, et Aser, duo filii Zelphæ, rigor videlicet abstinentiæ et vigor patientiæ. Gad itaque nascitur prior, Aser autem gignitur posterior, quia prius est ut temperantes simus ad bona propria; postea etiam ut fortes simus ad toleranda mala aliena. Hæc est gemina virtutum proles, quam Zelpha quidem parit in dolore, verumtamen ad magnam beatitudinem dominæ suæ. Per abstinentiam siquidem vel patientiam caro quidem affligitur, sed ad magnam inde pacem et tranquillitatem animus componitur. Hinc est quod, nato Gad, Lia exclamat, dicens: *Feliciter*; et iterum Aser nascendo pronuntiat, dicens: *Hoc pro beatitudine mea* (*Gen.* XXX). Mea, inquit, non sua. Unde enim sensualitas per carnem exterius atteritur, inde cordis affectio ad puritatis integritatem reparatur.

CAPUT XXVI.

De rigore abstinentiæ, et vigore patientiæ, et eorum proprietate.

Quanta enim putas pax cordis est, vel tranquillitas, nulla hujus mundi oblectamenta concupiscere, nulla ejus adversa formidare? Quorum unum per Gad adipiscitur, alterum per Aser obtinetur. Quid enim de hujus mundi oblectamentis concupiscat, qui oblata delectamenta amore abstinentiæ recusat? Vel quid de hujus mundi adversis timeat, qui virtute patientiæ roboratus de illatis etiam malis triumphat? Sicut de apostolis scriptum est: *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V); et sicut per Paulum præcipitur: *In tribulatione gaudentes* (*Rom.* XII). Quid igitur illius gaudium imminuat, qui etiam de illata contumelia vel qualibet pressura exsultat? Ad beatitudinem ergo animi spectat, quidquid pro Dei amore caro durum tolerat. Unde enim corpus atteritur, conscientia exhilaratur. Et quo exterius videtur infelicior, eo interius constat esse beatior. Duo enim sunt ex quibus constat gaudium beatitudinis, carere eo, scilicet quod nolis, et habere quod velis. Felicem siquidem dicimus qui nil patitur quod nolit, et illum beatum judicamus cui suppetunt quæ cupit. Qui igitur pro cœlestium desiderio sæculi voluptatem odit, profecto per abstinentiam hostem suum ubique declinare poterit. Recte ergo rigor abstinentiæ Gad, id est *felicitas* dicitur, qui ubique calcat sæculi blandimenta quæ detestatur. Item qui pro amore Dei afflictionem corporis diligit, ubi, quæso, non inveniat aliquid unde affligi possit? Si ergo jure beatus creditur, qui ubique invenit quod amat, juste vigor patientiæ. Aser, hoc est *beatus*, nominatur, cui undique obviat quod desiderat. Ecce duo amatores, unus Dei, alter sæculi. Iste propter Deum diligit temporalem afflictionem, ille desiderat temporalem bonorum plenitudinem. Ille quidem ubique invenire potest quod propter Deum diligit, iste nusquam apprehendere potest bonorum plenitudinem quam sitit. Quis horum beatior? Item ecce alii duo, quorum unus odit mundi hujus adversitatem, alter autem detestatur mundanam voluptatem. Sed ubi, quæso, vel ille hostem suum declinare poterit, vel iste inimicum suum calcare non possit? Quis horum, quæso, felicior? *Beatus*, inquit Scriptura, *qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris* (*Eccli.* XXXI). Et item: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ* (*Jac.* I). Isti sunt Gad et Aser, quorum prior calcat mundanam gloriam, alter propter Deum libenter patitur mundi pressuram. Valde itaque notandum et profunde retinendum quod Scri-

Digitized by Google

ptura sacra abstinentiæ laborem non calamitatem, sed felicitatem appellare voluit, et patientiæ rigorem non miserum, sed beatum appellare decrevit. Hoc autem breviter hic commemorare volumus, quod per Gad non solam illam quæ in cibo et potu est abstinentiam intelligere debemus; imo per Gad et Aser intelligimus omnis superfluæ delectationis, aut cujuslibet corporalis afflictionis abstinentiam vel patientiam, in omnibus quæ per quinque sensus carnem delectant aut cruciant.

CAPUT XXVII.

Quod sensualitatis appetitus non temperatur, si imaginationis evagatio non restringitur.

Sed quando, quæso, Lia ancillam suam viro suo traderet, vel tales filios adoptaret, nisi sororis suæ exemplo provocata fuisset? Prius enim semper est ut ancilla Rachel redigatur sub viri potestate quam ancilla Liæ. Si enim imaginationis evagatio quæ fit per inutiles cogitationes prius non reprimitur, absque dubio sensualitatis appetitus immoderatus minime temperatur. Qui igitur vult corporalium voluptatum desideria temperare, prius assuescat carnales delicias nunquam, vel saltem raro cogitare. Profecto namque quanto talia rarius cogitaveris, tanto rarius, tanto tepidius nimirum ea desiderabis. Hæc, nisi fallor, est causa cur sub virili dominio prior incurvetur Bala quam Zelpha. Patet nihilominus quod de Gad et Aser abstinentia, videlicet et patientia, nunquam adoptivos filios faceret, nisi sororis suæ Rachel adoptivam sobolem assidue cerneret. Quis enim unquam affectioni cordis posset persuadere mundi hujus prospera contemnere, et ejus adversa formidare, nisi suggerentibus Dan et Nephtalim futuræ vitæ tormenta, vel præmia æterna, non solum frequenter, imo pene indesinenter cogeretur aspicere? Nunc autem per assiduam considerationem futurorum malorum facile ei persuadetur contemptus præsentium bonorum. Et iterum per jugem contemplationem æternæ felicitatis inflammatur ad voluntariam tolerantiam pressuræ temporalis. Hoc est, ut arbitror, cur Dan et Nephtalim prius nascantur, et cur Gad et Aser posterius generentur.

CAPUT XXVIII.

Quomodo per abstinentiam et patientiam animus roboratur ad omnem obedientiam.

Natis itaque Gad et Aser, jam tempus instat quo Ruben mandragoras inveniat, si tamen eum foras exire non pigeat. Sed cur eum velle exire dubitemus, quem jam ad exeundum, vel introeundum idoneum esse cognoscimus? Credendum est enim eum post tot natos matris suæ, post tot liberos Balæ vel Zelphæ, jam adultum, et posse et velle ad patris sui imperium exire et intrare. Sed, si per Ruben, ut superius dictum est, timorem Dei accipimus, quid per ejus introitum vel exitum accipere debemus? Quid est eum vel intus esse, vel foras exire? Ruben intus est, quando in secreto cordis in conspectu Dei de nostra conscientia trepidamus. Ruben tunc foras exit, quando propter Deum hominibus etiam nos ad omnem obedientiam inclinamus. Timere itaque Deum propter seipsum, homines autem propter Deum est Ruben nunc intus morari, nunc foris inveniri. Exit ergo Ruben tempore messis triticeæ, quando ex imperio obedientiæ exercet se in operibus justitiæ. Sed, quando putas Ruben ad perfectam obedientiam convalescere, nisi eum Gad et Aser (id est amor abstinentiæ et patientiæ) ad contemptum voluptatis, vel ad tolerantiam tribulationis animasset? Duo enim sunt quæ solent imperfectionem obedientiæ præpedire, id est ne cogamur vel amata deserere, vel aspera tolerare. Sed, si semel animus amore abstinentiæ vel patientiæ perfecte incaluerit, protinus Ruben ad omnem obedientiam absque ulla contradictione se subdit. Qui enim tam adversa perpeti quam in prosperis non delectari apud semetipsum statuit, quæ difficultas ejus obedientiam ulterius minuere poterit? Si enim dura et aspera quæque pro Dei amore etiam per memetipsum appeto, cur non magis hæc ex adjuncta obedientia ad majoris meriti gloriam tolero? Recte ergo post natum Gad et Aser Ruben exire dicitur, quia timor Domini ex voluntaria abstinentia et patientia ad omnem obedientiam roboratur.

CAPUT XXIX.

Quomodo ex abstinentia, humana laus surgit, et quam caute ejus appetitus temperandus sit.

Sed quantus qualisque bonæ opinionis odor de seipso circumquaque spargitur, qui nulla modestia, nulla inopia a studio obedientiæ præpeditur? Hæ sunt mandragoræ quas Ruben invenit, quas ab ipso mater ejus Lia accepit. Quid enim per mandragoras quæ odorem suum solent late spargere, nisi bonæ opinionis famam debemus accipere? Quas quidem tunc Lia accipit, quando oblata laus affectum tangit, quando in laudis suæ præconiis animus afficitur, et in aura popularis favoris perversæ delectatur. Harum partem Rachel petit, Lia concedit, ut virum accipiat, quæ prolis desideria flagrat. Mentem etenim quæ, suadente ratione, appetitum vanæ laudis non temperat, profecto Spiritus sanctus ad virtutis prolem minime fecundat. Unus itaque Spiritus est qui utramque sororem prolis fecunditate ditat, quia idem Spiritus et rationem ad veritatis cognitionem illuminat, et affectionem ad virtutis amorem inflammat. Suadet ergo affectioni ratio humani favoris appetitum sub uno moderamine temperare, si ad multiplicandam virtutum prolem cupit de divini Spiritus copula gaudere. Mandragorarum itaque possessio sub Rachel potestate redigitur, quando laudis appetitus sub rationis dominio moderatur.

Notandum sane quam temperate Rachel non mandragoras, sed mandragorarum partem petat: nam nec hoc rationem latet valde esse difficile ut animus quamvis renitens ex oblata laude non hilarescat. Debet itaque amor humanæ laudis prius temperari; postmodum, si posset fieri, debet etiam penitus abscindi. Unde est quod Rachel partem mandragorarum petiisse legitur; Lia vero postmodum ad Ja-

Digitized by Google

cob loquens, non de sola parte gloriatur. *Ad me*, inquit, *intrabis : mercede enim conduxi te pro mandragoris filii mei* (*Gen.* XXX). Pro mandragoris, inquit, non pro parte mandragorarum filii mei. Absente adhuc viro, vix Lia partem concedit, sed in ejus adventu ejus desiderio uberius accensa, nihil sibi ex eis ulterius reservari voluit. Sic nimirum mens hominis dum spirituali dulcedine tangitur, quidquid prius de humana laude concupierat libenter obliviscitur. In hunc modum mandragoræ utiliter de possessione Liæ, rediguntur sub Rachel potestate. Novit enim Rachel quam Lia mandragoris melius uti : nam quidquid affectio cordis usurpat ad laudem sui, rectius sane ratio retorquet ad gloriam Dei. Sed quid hoc dicimus esse quod præ cæteris filiis Liæ, Ruben bonæ opinionis mandragoras potuit invenire.

CAPUT XXX.

Unde maxime soleat laus surgere, et quod vera laus sit de recta voluntate.

Sed scimus quia virtutum opera quæ cæteras virtutes nutriunt, pene semper humilitatem exstinguunt. Solent enim quæ per Gad et Aser fiunt hominibus miranda, abstinentiæ videlicet et patientiæ opera, operantem non timidum, sed tumidum reddere; non tam humilem, quam contumacem efficere. Quid igitur amplius mirandum? quid magis omnium laude prædicandum, quam cum unde in aliis sæpe exstinguitur, divini timoris reverentia non minuitur, sed augetur? Quia ergo solemus singulari laude efferre, quem videmus etiam post virtutum opera non solum de Dei, sed de hominum parva offensa non parum trepidare, recte Ruben mandragoras post natos Gad et Aser invenisse dicitur; quia *quemlibet* ex operibus præclaris ad tumorem non ad timorem profecisse miramur.

Notandum sane quod hæ, de quibus locuti sumus mandragoræ, nec post natos tot Liæ, nec post geminos liberos Balæ, sed post nativitatem filiorum Zelphæ statim leguntur inventæ. Ad filios namque Liæ voluntates, ad filios Balæ cogitationes, ad filios Zelphæ pertinent actiones. Voluntates itaque seu cogitationes, quamvis rectas, quantumlibet utiles, quomodo miramur, vel quando laudabimus quas minime videmus? Et quamvis vera laus sit de recta voluntate, eam tamen non laudamus nisi appareat in opere. Per opus enim bonum bona voluntas innotescit, ut jure bonæ opinionis laudem, quasi quasdam late fragrantes mandragoras invenire possit. Quasi ergo post partum Zelphæ, proles Liæ mandragoras invenire creditur, quando voluntas bona, per bonum opus manifesta, miris laudum præconiis undique honoratur.

CAPUT XXXI.

Quomodo virtutibus prædictis muniatur tam disciplina cordis, quam corporis.

Hoc autem de duarum istarum filiis ancillarum non negligenter prætereundum, sed jugi memoria retinendum, quod ex eorum jugi vigilantia vigilique custodia, conscientiæ nostræ civitas mire custoditur, multumque progreditur. Primogenitus namque Balæ eam componit intrinsecus; primogenitus vero Zelphæ munit eam extrinsecus. Per Dan reprimuntur mala intus exsurgentia; per Gad repelluntur mala exterius insurgentia. Omnes namque scimus, quia omnis tentatio surgit, aut exterius, aut interius : interius, per cogitatum; exterius, per sensum. Modo enim intus per cogitationem pulsat; modo de exterioribus per sensus irrumpere parat. Solet nimirum inimicus nunc ab intus ministrare consilia erroris, nunc a foris admovere incitamenta voluptatis. Sed, quia ad Dan pertinet disciplina cogitationum, ad Gad autem spectat disciplina sensuum, debet utique Dan evigilare ad discretionis judicium, Gad dimicare fortiter per abstinentiæ exercitium. Unius est sedare civilem discordiam; alterius est repellere hostilem pugnam. Ilic vigilat contra civium proditionem; ille contra hostium incursionem. Iste contra perfidiam, ille contra violentiam. Dan namque negligente, mens facile decipitur; Gad segnius agente, subito ad turpem delectationem rapitur. Sed quid interest utrum civitas cordis nostri per vim an per fraudem pereat, utrum discordia civilis an manus hostilis eam subvertat?

CAPUT XXXII.

Quod disciplina cogitationum non possit custodiri sine disciplina sensuum.

Hoc autem nosse oportet, quia disciplina corporis, sine disciplina cordis, absque dubio inutilis est; disciplina vero cogitationum, sine disciplina sensuum, omnino observari non potest. Unde satis constat quia sine adjutorio Gad, qui contra exteriora vigilare debet, Dan, in componenda civium pace, intus inaniter laborat. Quid enim juvat, judicante Dan populum suum, assidue causam discordiæ amputare, nisi studeat Gad per portas sensuum irritamenta vitiorum (quemdam videlicet quasi hostilem exercitum) non admittere? Quamvis enim Dan assidue in throno judicii resideat, quamvis rixas altercantium cogitationum indesinenter componat, frustra utique in componenda civium discordia desudat, nisi eodem studio Gad ad civitatem nostram per sensuum disciplinam muniat, et hostilia vitiorum agmina abstinentiæ prælio acriter feriat. Unde etiam scriptum est : *Gad, accinctus præliabitur ante eum* (*Gen.* XLIX). Tunc enim utiliter Dan contra proditorum perfidiam intrinsecus vigilat, cum Gad extrinsecus occursantes hostes excludit et oppugnat. Prius itaque Gad accingitur, ut fortiter postmodum prælietur. Gad procul dubio tunc se accingit, quando sensuum dissolutionem per disciplinam restringit. Tunc Gad forti prælio dimicat, quando desideria carnalia per carnis mortificationem trucidat. Magna namque hostium strages efficitur, citiusque odiosus ille vitiorum exercitus in fugam convertitur, cum sensus corporis per disciplinam ab evagatione restringitur, et appetitus carnis per abstinentiam a voluptate refrenatur. In hunc itaque modum, ut

Digitized by Google

omnes experiri possumus, Dan civitatem nostram componit intrinsecus, Gad munit extrinsecus.

CAPUT XXXIII.

Quomodo in cordis custodia vicissim sibi virtutes prædictæ cooperentur.

Assistunt autem et eis fratres sui, non segnes quidem ad auxilia ferenda, Nephtalim intus cum Dan in civium pace componenda, Aser exterius cum Gad in violentia hostium expugnanda. Gad itaque et Aser vigilant contra hostes; Dan et Nephtalim solliciti sunt circa cives. Hinc ergo Dan minatur; illinc Nephtalim blanditur. Dan terret minis, Nephtalim fovet promissis. Ille punit malos, iste remunerat bonos. Unus gehennæ terrore corda perterret, alter spe felicitatis æternæ animos demulcet. Quantum ergo putas Nephtalim iste, dans eloquia pulchritudinis, fratrem suum in tali negotio adjuvat, qui animos auditorum dulcedine eloquii sui, pene absque mora, quo vult inclinat? Adjuvat et Aser exterius nihilominus fratrem suum, muniuntque ambo civitatem contra hostium incursum. Hic latus unum protegit, ille alterum defendit. Gad certat in dextro, Aser dimicat in sinistro. Gad insidiatur, mundi hujus prosperitas; Aser vero persequitur, mundana adversitas. Sed Aser hosti suo facile illudit, dum partem tuetur, alta patientiæ rupe munitam conspicit, et idcirco de tuto stationis loco hostes suos tam inaniter quam ab imo reluctantes deridet ac despicit. Unde fit ut eum hostes sui sua impugnatione non tam vexent quam ei triumphandi assidue materiam ministrent. Hinc est quod, spretis suis impugnatoribus (mundanis videlicet adversitatibus), in fratris sui persecutores (carnales scilicet delectationes) totus effertur, et eos magna animadversione persequitur. Tantus autem terror impugnatores Gad subito invadit, cum ei se Aser in prælii sui certamine adjungit, ut omnes absque mora ad fugam se convertant, cum nec ad horam quidem, vicissim sibi fratribus auxilium ferentibus, resistere audeant. Veri utique animæ hostes carnales sunt delectationes. Sed quis, quæso, locus pravæ delectationi inter tormenta relinquitur, quæ iste noster Aser propter Deum non solum patienter ferre, sed etiam ardenter appetere comprobatur? O quam recte Aser, id est beatus, dicitur, secundum illam Domini sententiam: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam!* (*Matth.* v.)

CAPUT XXXIV.

Quod perfectam patientiam semper comitatur misericordia.

Quis illud Dominicum præceptum: *Dimittite, et dimittetur vobis* (*Luc.* vi), tam magnifice implere potuit? Quis tam facile, quis tam ex corde sibi illatas injurias ignoscere valuit, quam qui de corporis sui cruciatibus exsultare magis quam contristari didicit? Utquid enim inimicos non diligat, cur eis libenter non indulgeat, qui hoc ei inferunt quod desiderat? Magis itaque quam suo corpori, suis miseretur persecutoribus, ut sit iterum atque iterum beatus: *Beati* enim *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v). O virum gloriosum, o terque quaterque beatum! Beatus, propter justitiæ esuriem; beatus, propter voluntariam passionem; beatus, propter mansuetudinem; beatus, propter misericordiæ compassionem. Sicut enim beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam; sicut beati, qui persecutionem patiuntur propter ipsam; sic nihilominus beati mites, beati misericordes. Et hic noster Aser, ut sit veraciter multipliciterque beatus, justitiam ardenter sitiens, propter ipsam libenter patitur, nesciens irasci, facile miseretur. Quamvis enim multum esuriat panem justitiæ, dedignatur tamen eum comedere, nisi sit conspersus oleo misericordiæ. Ex multa divitiarum etenim affluentia quæ sibi superabundant, ex spoliis hostium pro frequenti victoria, multum est delicatus effectus; nec ei jam sapit panis ullus, quantumlibet nitidus, nisi sit oleo conspersus, in tantum ut de eo Scriptura manifeste denuntiet, dicens quia *Aser, pinguis panis ejus* (*Gen.* xlix). Quis putas sic deliciis affluit ut ipse, ut veraciter possit psallere: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis?* (*Psal.* cxviii).

CAPUT XXXV.

Commendatio perfectæ patientiæ.

Quantum namque putas Aser iste abundat divitiis spiritualium consolationum, quantumve affluit deliciis spiritualium gaudiorum, cujus divitias quælibet adversitas non tam minuere quam augere solet, cujus delicias quodvis tormentum nec saltem interpolare valet. Nam quanto durius premitur exterius, tanto delectabilius gloriatur interius. Ilæ sunt illæ deliciæ, quas tantum sitiunt, quas tam gratanter accipiunt, non dico pauperes et ignobiles, sed etiam ipsi reges vel principes. Mentior, si hæc de ipso ipsa Scriptura non loquitur. *Aser*, inquit, *pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus.* Quod enim putamus suaviter pascuntur, quam mirabiliter credimus delectantur, non quilibet reges, sed illi utique vere reges, quibus ille Rex regum et Dominus dominantium restituit imperium corporis sui, et quibus distribuit regnum Patris sui; talibus, inquam, regibus, quam putamus dulce sit, quam intime eis sapit, cum videant hominem justitiæ amore tormenta non timere, et inter ipsas persecutiones pacem cordis animique tranquillitatem non amittere. Si enim *gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* xv), quanta tunc solemnitas erit super quolibet justo, pro justitia libenter moriente? Vere Aser pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. O qualis panis, panis ejus! O quales deliciæ, deliciæ ejus, quæ tantum sapiunt regibus, regibus talibus! Certe reges isti jam ad nuptias Agni introierunt, jam ad illud æternum convivium sederunt, jam illo angelorum pane, deliciisque æternis vescuntur, jam torrente voluptatis inebriantur, et adhuc hujus Aser delicias insatiabiliter esuriunt, et usque hodie esurientes, et sitientes justi-

Digitized by Google

tiam, in tanta cœlestium gaudiorum abundantia hanc suam famem vel sitim sedare non possunt. Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. Quam putas largus esse potest in necessitates pauperum, cui superabundat parare delicias regum? Quantum putas mirantur, quantumve gratulantur in ejus constantia, quos viventes adhuc in valle lacrymarum premit infirmitas sua, si tantum delectantur in ejus operibus illi etiam quos jam absorbuit felicitas illa æterna? Aser, pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus. Et unde ei tanta divitiarum abundantia, tanta deliciarum copia, nisi, ut dictum est, de hostium spoliis in tam frequenti victoria? Constat namque quia quanto amplius atteruntur hostes justitiæ, tanto uberius cumulantur gaudia conscientiæ : *Gloria et divitiæ in domo ejus*, ait Psalmista (*Psal.* CXI). Et Apostolus de hujusmodi gloria et divitiis, quasi exponendo, loquitur ita : *Gloria nostra hæc est : testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Hæc est domus, vel civitas illa, conscientia videlicet nostra, in qua spiritualium bonorum divitiæ abundant, cum eam prædictarum ancillarum filii vigili sollicitudine custodiunt : Dan videlicet et Nephtalim satagentibus in confirmanda pace civium, Gad et Aser viriliter agentibus in expugnatione hostium. Horum namque prudentia cives pacificantur, illorum constantia hostes expugnantur.

CAPUT XXXVI.

Quomodo, vel quo ordine oriatur verum gaudium.

Hostibus itaque fugatis, civibusque pacificatis, nil jam obstat, ut arbitror, quin illa nostra civitas experiatur quæ sit illa Dei *pax quæ exsuperat omnem sensum* (*Philip.* IV) ; vel *quam* sit *magna multitudo dulcedinis, quam abscondit Deus diligentibus se* (*Psal.* XXX). Abscondit, inquit. Quid ergo mirum, eam si quilibet mundi amator nescit, quam Deus diligentibus se abscondit? Qui enim in bonis falsis et deceptoriis spem figunt, quæ sint vera bona invenire non possunt; unde est quod dicunt : *Quis ostendit nobis bona* (*Psal.* IV). Est enim manna absconditum, et nisi gustantibus, omnino incognitum. Est namque hujusmodi dulcedo, cordis, non carnis; unde nec eam noscere potest quilibet carnalis : *Dedisti*, inquit, *lætitiam in corde meo* (*ibid*). Corporales deliciæ, sicut et ipsum corpus, corporeo oculo videri possunt; delicias cordis, sicut nec ipsum cor, oculi carnis videre nequeunt. Qua ergo ratione spirituales delicias cognoscat, nisi qui ad cor suum intrare, et intus habitare non dissimulat? Unde et ei dicitur : *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Hoc itaque internum gaudium, spiritualibus solis; illa dulcedo, quæ intus sentitur, est ille filius Liæ, qui ei quinto loco nascitur. Est enim gaudium, ut superius jam diximus, unus de principalibus affectibus. Hic autem cum ordinatus est, recte inter filios Jacob et Liæ annumerari potest. Ordinatum autem et verum gaudium veraciter tunc habemus, quando de veris et internis bonis gaudemus. Ad talis prolis desiderium Apostolus nos animare voluit, cum dixit : *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete* (*Philip.* IV). Et Propheta : *Lætamini in Domino, et exsultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde* (*Psal.* XXXI). Pro tali prole Lia mandragoras libenter contempsit, ut talem filium habere possit. Mens etenim, quæ in laude hominum delectatur, quod sit internum gaudium experiri non meretur. Recte autem post nativitatem Gad et Aser, Lia talem filium genuit; quia, nisi per abstinentiam et patientiam, mens humana ad verum gaudium non pertingit. Oportet ergo non solum falsam delectationem, sed etiam vanam perturbationem excludere eum qui vult de veritate gaudere. Qui enim adhuc in infimis delectatur, interna utique jucunditate indignus est; et qui vano timore perturbatur, spirituali dulcedine non potest perfrui. Falsam lætitiam Veritas damnabat, cum dicebat : *Væ vobis qui nunc ridetis* (*Luc.* VI). Vanam perturbationem exstirpabat, cum auditores suos admonebat, dicens : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X). Horum autem unum abstinendo superamus, alterum patiendo calcamus. Itaque per Gad exstirpatur falsa delectatio, per Aser vero vana perturbatio. Isti sunt Gad et Aser, qui excludunt gaudium falsum, et introducunt gaudium verum. Jam, ut æstimo, nulla erit deinceps quæstio, cur hic talis filius Issachar dicatur, si quidem Isachar *merces* interpretatur. Quid enim aliud tot tantisque laboribus quærimus? quid, inquam, aliud quam verum gaudium, tam perseveranti longanimitate exspectamus? Hujus mercedis toties quasi quasdam primitias, et velut arrham quamdam accipimus, quoties ad illud Domini nostri gaudium internum intramus, et ex parte aliqua gustamus.

CAPUT XXXVII.

Comparatio interioris et exterioris dulcedinis.

Hanc autem internæ dulcedinis degustationem Scriptura sacra nunc gustum, nunc ebrietatem vocat, ut quam sit parva, vel magna ostendat, parva quidem ad comparationem futuræ plenitudinis, magna autem in comparatione cujuslibet mundanæ jucunditatis. Præsens etenim spiritualium virorum delectatio futuræ vitæ gaudiis comparata, quantumlibet excrescens invenitur parva, in cujus comparatione tamen omnis exteriorum delectationum suavitas est nulla. O dulcedo miranda, dulcedo tam magna, dulcedo tam parva! Quomodo non magna? quæ mundanam omnem excedis. Quomodo non parva? quæ de illa plenitudine vix stillam modicam decerpis. Modicum quidem de tanto felicitatis pelago mentibus instillas, mentem tamen quam infundis, plene inebrias. Merito tantillum de tanto, gustus quidem dicitur, merito nihilominus quæ mentem a seipsa alienat, ebrietas nominatur. Gustus ergo est, et ebrietas jure dici potest : *Gustate*, inquit Propheta, *et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Et Apostolus Petrus : *Si*

Digitized by Google

tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus (*I Petr.* II). Et de ebrietate idem Propheta : *Visitasti terram, et inebriasti eam* (*Psal.* LXIV). Audi hominem hac ebrietate madentem, et quid circa se agatur omnino ignorantem : *Sive in corpore*, inquit, *sive extra corpus, nescio, Deus scit* (*I Cor.* XII). Quomodo putas inebriatus erat, quomodo mundus ei in oblivionem venerat, qui seipsum nesciebat?

CAPUT XXXVIII.

Quid soleat impedire illud internum gaudium.

Hac utique dulcedine inebriari non merentur, qui adhuc carnalium desideriorum fluctibus agitantur : *Visitasti*, inquit, *terram, et inebriasti eam* (*Psal.* LXIV). Quid putas est causæ, quod solam terram Dominus dicitur inebriasse, cur non etiam et mare? Sed scimus quia mens, quæ per varia desideria fluctuat, quam adhuc sæcularium curarum procella exagitat, ad illud internum gaudium non admittitur, et illo torrente voluptatis non potatur, quanto minus inebriatur? Scimus quia mare semper fluctuat, terra autem in æternum stat. Sic et cætera elementa semper in motu sunt, et sola terra stante, stare cætera nesciunt. Quid igitur per terram, nisi fixam cordis stabilitatem debemus accipere? debet igitur fluctuationem cordis restringere, et ad unius veri gaudii desiderium cogitationum affectionumque motus colligere, qui se cupit, vel credit illo veræ sobrietatis poculo inebriandum fore. Hæc est illa vere beata terra, mentis videlicet stabilitas tranquilla, quando mens in seipsa tota colligitur, et in uno æternitatis desiderio immobiliter figitur. Hæc est illa terra quam Veritas promittebat, cum dicebat : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* V). Hæc est illa terra de qua Psalmista promittens admonebat, et admonens promittebat : *Inhabita*, inquit, *terram, et pasceris in divitiis ejus* (*Psal.* XXXVI). Hæc est illa terra quam iste Issachar, asinus fortis, vidit et concupivit, et in ejus concupiscentias mirabiliter exarsit : *Issachar*, inquit, *asinus fortis habitans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima, et supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens* (*Gen.* XLIX). Oportet ergo nos transire de terra ad terram, de terra aliena ad terram propriam, de exsilio ad patriam, de gente ad gentem, et de regno ad populum alterum, de terra morientium ad terram viventium, si volumus experiendo nosse verum et internum gaudium. Concupiscamus et nos terram illam quam Issachar iste vidit, et concupivit. Si enim non vidisset, non cognovisset; et si non cognovisset, non concupisset.

CAPUT XXXIX.

Quomodo interna dulcedo soleat animum et ad fortia roborare, et ad humilia inclinare.

Pro hac terra asinus factus, et fortis effectus, libenter supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens. Multum sibi subito vilueratus, qui se asinum, animal videlicet pene præ cæteris vilius reputabat. Multum concupivit terram quam vidit, pro qua ad omnem laborem fortis perduravit. Viderat sane quod ad pulchritudinem terræ illius *omnes justitiæ nostræ* erant *ut pannus* mulieris *menstruatæ* (*Isa.* LXIV). Viderat nihilominus *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). In uno ergo sibi vilis, in altero fortis effectus; de uno humiliatus, de altero roboratus, fortitudinis suæ humerum ad omnem laborem libenter inclinavit, et in acquirenda divina gloria non sua, vero Regi dignum tributum persolvit. Vultis autem audire, et alterum simili ratione sibi viluisse, et ad omnem nihilominus laborem convaluisse : *Ut jumentum*, inquit, *factus apud te* (*Psal.* LXXII). Et alibi : *Propter te*, inquit, *mortificamur tota die* (*Psal.* XLIII). Ecce quam vilis, ecce quam fortis : vilis ut jumentum, fortis ad se mortificandum. Issachar asinus fortis habitans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima. Pene ergo, non plene, hanc morientium terram deseruerat; pene, non plene, illam viventium terram apprehenderat, qui inter terminos habitabat. Quia vilissimis, quia paucissimis hujus vitæ bonis contemtus erat, hujus terræ miseræ extrema tenebat. Quia per frequentes mentis excessus perennis vitæ bona prægustabat, illius beatæ terræ initia tangebat. Issachar asinus fortis, habitans inter terminos, quia hujus vitæ ad bona necessitatem non respuebat, hanc terram penitus non deserebat, quia futuræ vitæ nonnisi novissima quædam capere poterat. Illam omnino non apprehendebat, et ideo inter terminos habitabat. Istam tolerabat ad necessitatem, illam concupierat ad jucunditatem, et idcirco inter terminos habitabat. Satagebat penitus istam deserere, nec poterat, ambiebat in illam totus intrare, nec valebat. Fecit ergo quod potuit, inter terminos habitavit. Quotidie ad illam nitebatur, quotidie ad istam relabebatur, et in hunc modum inter terminos morabatur. Issachar asinus fortis, habitans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima. Quid ergo mirum quod eam vidit, qui in ejus confinio habitavit? Quid, inquam, mirum quod vidit, quod visam cognovit, quod cognitam concupivit? Et idcirco supposuit humerum suum ad portandum, et factus est tributis serviens. Vidit, inquit, requiem quod esset bona. Requies ergo ibi est, et requies bona. Si enim ibi non esset, ibi eam minime vidisset. Et si bona non esset, propter eam humerum suum ad portandum minime supposuisset : *Mansueti autem*, ait Propheta, *hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis* (*Psal.* XXXVI). Ecce qualis terra. Pax ibi est, requies ibi est. Pax plena, requies bona; pax quieta, quies pacifica. Vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima. In illa labor non est, sed ad illam sine labore perveniri non potest. Propter ipsam laboratur, sed in ipsa non laboratur. Extra hanc terram non invenitur requies vera; nullus penitus labor

Digitized by Google

invenitur in hac terra. Duo sunt, terra et requies. Duo contra duo. Duo bona contra duo mala. Duo sunt magna mala, miseria et concupiscentia, pœna scilicet et culpa. Duo magna bona, tranquillitas et stabilitas. Contra miseriam mentis tranquillitas, concupiscentiam cordis stabilitas. Nullam molestiam sentire, est bene requiescere. Nullis concupiscentiæ fluctibus agitari, est procul dubio jam in terra morari. In terra tali, requies talis. Mens, quæ ad internum gaudium nondum tota colligitur, quæ sit vera requies minime experitur. Væ mihi misero, qui usque hodie vivo vagus, et profugus super terram; vagus, sequendo concupiscentiam; profugus, declinando miseriam. Semper deest quod concupiscam, ubique invenio quod fugiam. Concupiscentia me facit vagum, miseria me efficit profugum. Profecto terra mala, terra miseriæ, talis terra in qua taliter vivo: terra miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis est et nullus ordo. Est procul dubio terra talis non stabilitas cordis, sed duritia et insensibilitas mentis: sed, *Spiritus tuus bonus, Domine, deducet me in terram rectam* (*Psal.* CXLII). Et qualem denique Issachar vidit, et concupivit, eo quod esset ibi requies bona, et ipsa terra optima. O felicem, qui potuit, vel ad horam, malorum omnium oblivisci, et illa interna pace vel requie (saltem ad modicum) potiri! Felicem nihilominus, cui datum est dispersiones cordis in unum colligere, et in illo veræ felicitatis fonte desiderium figere. Illud utique bonum, verumtamen hoc optimum. Juxta quod Issachar vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima. Quia bonum quidem est longe esse ab omni malo, multo tamen melius, imo optimum inhæsisse summo bono. Novit hoc Issachar, et idcirco a tali terra longius discedere nolebat, sed habitans inter terminos in ejus vicinia manebat, cupiens et ambiens eam raptim quidem et furtim per raros saltem excessus tangere, sed et de illius terræ fructibus frequentius comedere. Est enim, ut nosse potestis, fructus terræ illius sublimis, fructus mirabilis, fructus singularis. Hujus siquidem terræ fructibus mens hominis sæpius satiata, et aliquatenus impinguata, mirandum subito contra omnia pericula fortitudinem accipit, in tantum mox ad omnium vitiorum odium convalescit, ut parum jam ei sit nullum in seipso per consensum recipere, nisi studeat ea et in aliis viriliter persequi, et forti animadversione percutere.

CAPUT XL.

Quomodo vel quo ordine oriatur in nobis odium vitiorum.

Sit ergo mox tam fortis contra omne periculum, quam ferox hostis vitiorum omnium. Hinc est quod post Issachar, Zabulon nascitur, qui *habitaculum fortitudinis* interpretatur. Quid enim per Zabulon intelligimus, nisi odium vitiorum. Odium bonum, odium ordinatum, odium vitiorum. Hunc procul dubio in nobis affectum Propheta ordinare cupiebat cum dixit: *Irascimini, et nolite peccare* (*Psal.* IV). Quid est enim irascendo non peccare, et non peccando irasci, nisi homines utiliter non ad oculum amando, eorum vitiis indignari? Hunc habere se filium idem Propheta significabat, cum alias dixit: *Perfecto odio oderam illos* (*Psal.* CXXXVIII). Et alibi: *Omnem viam iniquam odio habui* (*Psal.* CXVIII). Hic est egregius ille miles Dei, qui bella Domini præliari non cessat, et quem usitato vocabulo Scriptura sacra zelum Domini vel zelum rectitudinis appellat: *Zelus domus tuæ*, Domine, *comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (*Psal.* LXVIII). Et iterum: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei* (*Psal.* CXVIII). Et Elias: *Zelo*, inquit, *zelatus sum propter Dominum* (*III Reg.* XIX). Et Phinees bellavit zelum Domini, et accepit sacerdotium æternum (*Num.* XXV). Sed unde istis putas fortitudo tanta, tam mira constantia? Elias solus contra centum quinquaginta prophetas Baal insurrexit, Phinees solus contra castra Madianitarum irrumpens, adulterantes gladio transverberavit. Ecce quantum roboris accipiunt, ecce quam fortes fiunt, qui de illius prædictæ terræ fructibus comedunt, qui se interna suavitate reficiunt. Recte ergo post Issachar, qui *merces* interpretatur, Zabulon, id est *habitaculum fortitudinis* nascitur, quia post degustatam æternæ retributionis dulcedinem, animus contra tentationum argumenta mirabiliter roboratur, sua subito pericula parvipendens, Domini injurias fortiter ulciscitur. Hinc est quod Moyses, ille mitissimus omnium qui morabantur in terra, post quadraginta dierum jejunium, spiritualium deliciarum refectus satietate mirifica, in tantum subito zelum contra fabricatores vel cultores idoli exarsit, ut statim adjunctis sibi qui Domini erant, per medium castrorum, de porta ad portam percutiendo transiret, et hominum prævaricatorum tria millia in mortem prosterneret (*Exod.* XXXII). Sic sic post Issachar Zabulon gignitur, quia per internæ dulcedinis degustationem odium vitiorum generatur, et veræ formidinis robur acquiritur. Iste est Zabulon, qui irascendo iram Dei placare consuevit, qui pie saeviendo dum hominum vitia percutit, eis quasi non parcendo melius parcit. Absque dubio nihil sic placet Deo, nihil sic placat Deum, quomodo zelus animarum.

CAPUT XLI.

Quam sit rarum ex vero vitiorum odio, zelum rectitudinis habere.

O quam multi multas cæterarum virtutum proles ex Dei gratia mente conceperunt, et de se genuerunt, qui hunc filium habere non potuerunt! Quam multos hodie videmus spiritu pauperes, spe gaudentes, charitate ferventes, multum abstinentes, admodum patientes, ad zelum tamen animarum nimis tepidos, multumque torpentes! Alii, quasi ob custodiam humilitatis, delinquentes increpare non præsumunt; alii, ne charitatem fraternam perturbare videantur, peccantes arguere metuunt. Sic et alii aliis, et aliis adhuc modis, quod zelare pro Do-

Digitized by Google

mino nolunt, virtutis hoc esse fingunt, vel virtutum esse credunt. Econtra multi, quod absque dubio agunt in spiritu furoris, agere se arbitrantur zelo rectitudinis, et quæ veraciter exsequuntur odio hominum, exercere se putant vel simulant odio vitiorum. Sed, quæso, interrogent qui hujusmodi sunt qui Zabulon jam genuisse se credunt, seipsos; quæso, interrogent utrum in veritate diligant (quos quasi instigante Zabulon) tam acerbe castigant? Forte adhuc quæ sint illæ spirituales deliciæ per experientiam scire minime potuerunt, ad quas eos quos arguunt vel flagellant, suis invitare flagellis, vel etiam increpationibus videri volunt. Illi enim pietate, potius quam crudelitate delinquentes, persequi credendi sunt, qui interna illa gaudia, ad quæ eos tot doloribus invitant, per experientiam noverunt. Judam et Issachar, prius quam Zabulon, Liam peperisse legimus; et per Judam charitatem, per Issachar spiritualium gaudiorum experientiam significari jam diximus. Prius Judam et Issachar nasci necesse est, quoniam mens quæ charitatis et internæ suavitatis adhuc expers est, rectitudinis normam in suo zelo minime servare potest. Charitas enim docet quomodo tractare oporteat quos Zabulon castigat. Spiritualium notitia docet quæ sit illa suavitas ad quam invitantur, vel etiam compelluntur, quibus exterius jucunditas (carnalis videlicet voluptas) interdicitur, pro qua sæpe Zabulon urgente, durius arguuntur. Judas itaque docere debet modum, Issachar autem causam correptionis, ut, moderante Juda, fiat in spiritu lenitatis, et Issachar suggerente, fiat nihilominus causa utilitatis. Utilitatem eorum Zabulon quærat, non suam, ut quod delinquentes ferit ad utilitatem sit, non ad vindictam.

CAPUT XLII.

Quod sit officium veri zelatoris.

Debet autem Zabulon non solum delinquentes corripere, sed eos etiam tempore tribulationis contra persequentes defendere, alioquin verus zelus non est, nec Zabulon veraciter dici potest, si paratior est ad feriendum quam ad protegendum. Non enim frustra iste sextus idemque novissimus filiorum Liæ habitaculum fortitudinis dicitur : nam Zabulon, ut superius jam dictum est, *habitaculum fortitudinis* interpretatur. Vide ergo quomodo domus inhabitantes quosque superius protegit, et ab omni parte cingit, et tamen nisi fortis et firmiter munita sit, habitaculum fortitudinis non erit. Sic nimirum sic perfectus zelus, ut Zabulon jure possit dici, imo veraciter esse, debet infirmiores contra aereas potestates doctrina et oratione protegere, et contra mundana pericula undique munire, et in utroque non solum infatigabilis, sed etiam insuperabilis perseverare. Vigilare ergo oportet hinc contra insidias diaboli, illinc contra pressuras mundi. Procul dubio quisquis es in utroque fortis, habitaculum es fortitudinis, et digne Zabulon dici mereris. Debet esse Zabulon promptior, imo semper paratior ad mala ferenda quam ad mala inferenda. Et quia habet necesse pro culpa quandoque subjectis irasci, amplius utique dolet, cum cogitur eos pro culpa percutere, quam cum cogitur pro eorum defensione punire. Libenter ergo se occurrentibus periculis objicit, et contra sævientium tempestatum procellas se sponte opponit. Alioquin, frustra in littore maris habitat, frustra in statione navium habitationem parat, si contra marina mundanæ pressuræ discrimina trepidat, nisi tempestatibus diu fatigatos, et tandem littoribus ejectos blande excipiat, et benigne foveat.

CAPUT XLIII.

Quod veri zelatoris sit vigilare, non solum contra sævitiam, sed etiam contra fraudulentiam.

Zabulon, inquit, *in littore maris habitabit, et in statione navium, pertingens usque ad Sidonem* (*Gen.* XLIX). Quæ ergo causa est, putas, cur habitet in littore, nisi ut muniat extrema terræ, et utpote habitaculum fortitudinis protegat infirmiora membra Ecclesiæ? Illorum ergo se periculis opponit, quos assiduis persecutionum procellis fatigari conspicit. Ut enim naufragantibus semper paratus sit ad ferendum auxilium, manet, ut de eo scriptum est, in statione navium. Diuturnis namque tentationibus oppressos, et quasi quædam naufragia passos, et pene jam fractos scit blanda consolatione fovere, et ad statum securitatis erigere et ad quemdam quasi tranquillitatis portum revocare. In hunc itaque modum Zabulon in littore maris habitabit in statione navium, pertingens usque ad Sidonem. Extendens ergo se latius per littora maris, et huc illucque discurrens, dum undique vigilat circa suorum protectionem, dum ubique se parat contra hostium incursionem, pertingit etiam usque ad Sidonem. Sidon *venatio* interpretatur, per quam recte satis deceptionum fraudulentia intelligitur. Satagit ergo Zabulon iste non solum imbecilles quosque erigere contra furorem persequentium, sed quoslibet etiam simplices eripere de laqueo venantium. Ad Sidonem ergo usque pertingit, quoties versuti hostis insidias detegit, quoties fratrum falsorum fraudulenta consilia deprehendit : *Qualium sermo*, teste Apostolo, *ut cancer serpit* (*II Tim.* II). Hic est enim ille laqueus venatorum, et quasi quoddam rete spirituum malignorum animas simplices venantium, lingua videlicet adulantium, lingua detrahentium, seminantium inter fratres discordias, concitantium iras, rixas. Pertingit ergo Zabulon usque ad Sidonem, quoties prævenit insidiatorem dolosam machinationem, sive malignorum spirituum, sive perfidorum hominum. Scimus enim fieri hujusmodi venationem animarum, aliquando per occultam suggestionem dæmonum, aliquando per apertam persuasionem hominum. Verumtamen novit utramque Zabulon caute deprehendere, et in cautis detegere. Figit ergo fortitudinis suæ habitaculum e regione maris, in confinio Sidonis, ut hinc vigilet contra sævitiam persequentium, illinc contra fraudulentiam insidiantium, et impleatur quod de eo scriptum legitur : Zabulon in littore

Digitized by Google

maris habitabit, in statione navium, pertingens usque ad Sidonem.

CAPUT XLIV.

Quale sit, vel quantum habere perfectum zelum animarum.

Cogitet qui potest qualis sit hic filius, quanta sit ejus virtus, cujus officio quisque non solum seipsum contra vitia munit, sed etiam alios a peccati laqueis eripere contendit, et quorum non potest malitiam in melius mutare, nititur saltem resistendo reprimere. Nescio si potest homo aliquid a Deo in hac vita majus accipere; ignoro an possit hac gratia interim majorem aliquam Deus homini conferre quam ut ejus ministerio perversi homines in melius mutentur, ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur. An forte cuiquam magis videbitur esse mortuos suscitare? Ergone majus erit suscitare carnem iterum morituram, quam animam in æternum victuram? Ergone majus erit carnem revocare ad gaudia mundi, quam animæ restituere gaudia cœli? Ergone majus erit restituere carni bona transeuntia iterum peritura, quam animæ reddere bona æterna in æternum mansura? O qualis dos, quanta dignitas talem gratiam a Deo accipere! Non debuit Dei sponsa a sponso suo dotem aliam accipere, non decuit cœlestem sponsum sponsæ suæ dotem aliam donare, quam ut per adoptionis gratiam possit multos Deo filios gignere, et de filiis iræ filiisque gehennæ, regni cœlestis hæredes ascribere. Merito ergo Zabulon nato exclamat mater ejus Lia : *Ditavit me Deus dote bona* (*Gen.* xxx). Videsne quale, quantumve sit zelum justitiæ veraciter possidere, et vitiorum ex corde gerere, in veritate exercere? Qui talem filium genuit, cum Propheta fiducialiter psallit : *Omnem viam iniquam odio habui* (*Psal.* cxviii).

CAPUT XLV.

Quomodo, vel unde oriatur ordinatus pudor.

Sed nunquid post has sex virtutum soboles, saltem dabitur cuivis sine peccato vivere, ut saltem post vitiorum odium, possit sine vitio esse? Quis hoc præsumat? Quis hoc in hac vita vel sperare audeat cum apostolus dicat : *Si dixerimus quia peccatum non habemus nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est?* (*I Joan.* i.) Quis est, ut de cæteris taceam, qui ipsa saltem peccata ignorantiæ possit in hac vita plene deserere, perfecte devitare? Nunquid vel ipsi qui aliorum culpas corripiunt se ab omni peccati contagio penitus exuunt? Imo eos sæpe per quos Deus aliorum errata corrigere disponit, ex magnæ pietatis dispensatione graviter cadere permittit, ut ex propria culpa discant quam misericordes in aliorum correptione esse debeant. Sed quantum putas erubescunt, cum quali se humilitate deiiciunt, cum se in id unde alios corripiunt, vel forte in aliquid gravius lapsos conspiciunt, qui aliis in statu rectitudinis formam præbere debuerunt? Quis putas digne pensare sufficiat quanta confusio corda eorum transfigat, cum in sua vita videant quod jure valeat ab ipsis etiam reprehendi, quos pro culpa eorum reminiscuntur a se sæpe et acerbius corripi et durius castigari? Hinc est quod post Zabulon nascitur Dina, quia nimirum sæpe nimium zelum, interveniente culpa, sequitur verecundia. Nihil enim aliud, intelligimus per Dinam nisi verecundiam, sed ordinatam; solum peccatum erubescere, est bonam, est ordinatam verecundiam habere. Sed qui Zabulon nondum gignere meruit, frustra Dinam se posse gignere credit.

CAPUT XLVI.

Quis, vel qualis sit ordinatus pudor.

Disce prius peccatum odisse, et tunc illud incipies veraciter erubescere. Si veraciter odis, erubescis citius illud. Ille pudor verus esse cognoscitur, quem vitiorum odium præcedit et comitatur. Alioquin, si in peccato deprehenderis et deprehensus pudore confunderis, non te credo erubescere culpam, sed infamiam. Non enim verecundia talis descendit tam ab ipso peccato quam de famæ detrimento. Non est ergo unde glorieris quasi Dinam genueris. Habent utique etiam homines perversi verecundiam, sed utinam bonam, utinam ordinatam! Nam utique si bonam haberent, perversi forsitan non essent. Peccatum etenim si perfecte erubescerent, non tam facile committerent. Qualis putas pudor est erubescere paupertatem, erubescere humilitatem? Illud non pudet eos erubescere ad quod docendum non puduit cœlestem magistrum de cœlo descendere: *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* xi). At isti econtra magis abominantes quam sectantes humilitatem, multo amplius erubescunt habere sordidam vestem quam sordidam mentem. Quam multi hodie sunt, quos magis puderet in oratione fecisse barbarismum contra regulam Prisciani, quam protulisse mendacium in suo sermone contra regulam Christi. Sed quid hæc de istis loquimur qui sæpe sua etiam crimina jactant, quandoquidem illi etiam qui spirituales videntur, hunc pudorem haud facile superant? Sæpe dum in prædicationis officio proximorum utilitati deserviunt, dum forte contra superbiam disputant, contingit eos sæpe superbire, unde constat eos contra superbiam subtiliter disserere. Et si forte inter loquendum (quod fieri solet) brevem accentum producerent, magis eos fortassis puderet de vitio orationis, quam de vitio elationis. Crede mihi non est credendum hanc esse illam verecundiam quam intelligere debemus per Dinam.

CAPUT XLVII.

Quam sit rarum habere pudorem verum.

Vultis adhuc melius nosse quam sit rarum humanam verecundiam perfecte calcasse, et hanc veram et ordinatam habere quodque est Dinam genuisse? Ecce de carnalibus omitto, cum spiritualibus tantum interim sit mihi sermo. Ecce quisquis es qui te credis jam Dinam genuisse, si cogeris coram multitudine nudo corpore transire, nunquid posses non erubescere? Cogita ergo si tantum confunderis quando immunda cogitatione in mente sordidaris.

Digitized by Google

Cur te jactes amplius Dinam genuisse et ordinatam verecundiam habere, si minus erubescis pudenda cordis quam corporis? Si magis vereris vultum hominum quam conspectum angelorum? Siccine magis est erubescendum quod Deus fecit bene, quam quod tu male fecisti? Certe illas etiam corporis partes (quas pudenda vocamus) Deus fecit; pudenda autem cordis nonnisi tu fecisti. Diligenter ergo consideranti, recteque discernenti quam sit rarum, vel quam sit paucorum humanam verecundiam plene vicisse, et solam illam quæ ordinata est possidere, non erit, ut arbitror, unde amplius quis admirari debeat talem prolem tam sero Lia concipiat, vel pariat.

CAPUT XLVIII.

Quid sit proprium pudoris.

Sed ne de nominis ratione tacite præteriisse videamur, Dinæ *judicium istud* interpretatur. Hoc itaque est illud judicium quo quisque a propria conscientia convenitur, convincitur, condemnatur, et digna confusionis pœna multatur. Si enim sibi conscius non esset, non esset utique unde erubescere deberet. Et confusio quidem si nulla pœna esset, non esset unde eam quisquam tam detestari, vel tantum devitare debuisset. Miro itaque modo mens cujusque de propria conscientia convicta, et condigna confusione dejecta, uno eodemque tempore ipsa contra seipsam dictat sententiam, ipsa de seipsa sumit vindictam. Hoc itaque est illud judicium in quo unus idemque est ille qui judicat, et ille qui judicatur; idem ipse qui condemnat, et idem ipse qui condemnatur; unus idem qui punitur et ipse qui punit. Non ergo sine causa fuit quod hoc tale judicium Scriptura sacra non sine demonstratione nominare voluit. Istud enim demonstrationem semper significat, et quid aliud hæc adjectio quam animum audientis in admirationem excitat? Verum judicium mirabile dignumque admiratione, digneque pronuntiandum cum demonstratione, in quo quidem judicio quanto quisque seipsum ardentius diligit, tanto in seipsum acrius sævit; et quo parci sibi vehementius cupit, tanto minus ipse sibi parcit; quia quo amplius suam confusionem formidat, eo acerbius sua quemque confusio vexat. Sed hoc fortassis cuiquam mirandum videtur si hæc inter alias virtutes digne annumeratur, cur per femineum, et non potius per virilem sexum exprimitur? Sed scimus omnes quia in feminis quam in viris, quamvis sit forma pulchritudinis major, est tamen ad opera virtutum constantia fortitudinis minor. Quis nesciat verecundia quantumlibet honesta cordis robur quantum emolliat, et quam sæpe fortia opera præpediat, dum animus hominis ultra modum confundi devitat? Est itaque Dina non vir sed femina, non filius sed filia.

CAPUT XLIX.

De utilitate et venustate verecundiæ.

Et forte non sine causa fuit quod, post natum Zabulon, Deus Liæ non filium, sed filiam donare decrevit, quæ fratris audaciam blande mitigaret, et furentis animos blanditiis deliniret. Habet enim, ut ex prædictis apparet, Zabulon impetus vastos, et ingentes gerit animos. Sed sciunt, ut omnes novimus, feminæ quam viri tumentes animos blandius alloqui, et iratis dulcius blandiri. Valde ergo opportunum videtur quod post Zabulon Dina nascitur, ut ex sororis lenitate fratris ferocitas temperetur. Multum enim per omnem modum zelantis animi impetum temperat, cum in seipso invenit quis unde erubescat. Hæc utique est ratio, ni fallor, cur post Zabulon Dina nascitur, ut ejus modestia fratris sui impetus moderetur. Sed quia Dina nil utile, nil magnificum molitur, tribum in populo Israel facere non meretur. Imo etiam sæpe, ut dictum est, dum plus justo confundi metuit, ad fortia et virilia non solum non convalescit, sed ea etiam præpedire consuevit. Sed quamvis pavida sit (utpote femina) ad opera fortitudinis invenitur, tamen provida et circumspecta ad custodiam honestatis; et quamvis nesciat placere per fortitudinem, novit tamen placere per formæ pulchritudinem. Est enim Dina admirandæ pulchritudinis et formæ singularis, et quæ intuentium oculos in sui admirationem facile trahat, et admirantium animos cito sua dilectione alliciat. Quis enim ignorat quomodo modestia verecundiæ homines omnibus et commendabiles reddat, et amabiles efficiat? Unde namque est quod verecundos homines fere semper cæteris charius amplectimur, nisi quod, in eis dum verecundiæ modestiam modestiæque gratiam miramur, Dinæ quodammodo pulchritudine allicimur, et pulchritudinis suæ magnitudine in ejus amorem captivamur? O quam singularis hujus Dinæ pulchritudo! quam celebris hujus dilectio, cujus pulchritudinem pene nemo non miratur, cujus dilectione pene nemo non delectatur! Hujus rei Sichem filius ille Emor testis sit, qui ei tam ardenti amore inhæsit, ut mallet omnes mares suos absque mora circumcidere quam illam non habere.

CAPUL L.

Quomodo verecunda mens modestiæ metas transgreditur, cum per superbiam et vanam gloriam corrumpitur.

O quam multi usque hodie sunt qui, quod pro Deo facere voluerunt, sæpe pro amore Dinæ efficere non differunt, et pudendorum superflua, quæ pro Deo amputare debuerant, orta confusionis occasione, pro evitando verecundiæ detrimento amputare non tardant, et malunt in amputandis vitæ suæ superfluis circumcisionis molestiam subire, quam impudentes videri, et sine verecundia esse! Sed quis est Sichem, vel quis pater ejus? Vel quid sibi volunt hujusmodi nomina Sichem, quod interpretatur *humerus* vel *labor*, et Emor quod sonat *asinus?* Sed si eorum facto consulimus, qui sint citius invenimus. Qui enim sunt qui solent non tam pro Deo quam pro Dina, non tam pro conscientia quam pro verecundia pudenda sua circumcidere: qui, inquam, ubi

Digitized by Google

erunt, quam amor propriæ excellentiæ et amor vanæ gloriæ. Talis filius de tali patre, de amore propriæ excellentiæ amor vanæ gloriæ. Attende nunc ergo hunc Emor, quam sit stultus; et invenies quam recte nuncupetur asinus. Videamus ergo unde extollitur, unde glorietur. Si de eo quod non habet, sed habere se credit, hoc, quæso, stultitia quid stultius excogitari potest? Si autem habet, audiat quid ei Apostolus dicat: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* (*I Cor.* IV.) Et quidem accepisse non accipientis, sed veraciter est gloria dantis. Quid enim habet homo proprium nisi peccatum? Et quale erit gloriari de malo proprio, sive de bono alieno? Talis itaque gloriator, quam vere est stultus, tam recte appellatur et asinus. Sed et quod Sichem humerus vel labor dicitur, ad idem pertinere videtur. Humeris enim onera portamus, et hoc agendo utique laboramus Supponit itaque Sichem humerum suum ad portandum, et libenter desudat, sed ad solum nomen sibi faciendum. Recolamus modo quod de Issachar legimus: *Issachar*, inquit, *asinus fortis vidit requiem quod esset bona, et terram quod esset optima, et supposuit humerum suum ad portandum* (*Gen.* XLIX). Ibi Issachar asinum se reputat, et humerum suum ad portandum inclinat. Hic Emor asinus dicitur, et Sichem laboriosum humerum habere demonstratur. Videtis quia quidquid agitur pro lætitia vera, totum exercetur pro lætitia vana. Issachar laborat pro requie quam vidit. Sichem pro laudis vanitate quam concupiscit. Recte tamen non laboriosus, sed labor appellatur, quia per suum laborem ad veram requiem non perducitur. Quod autem recte labor dicatur, testatur labor hypocritarum, qui tantum laborant pro adipiscendo vano favore hominum.

CAPUT LI.

Quomodo verecunda mens ab intentionis suæ rectitudine dejicitur.

Hic itaque est ille Sichem qui egredienti Dinæ occurrit, oppressamque corrumpit. Integritatem ergo quam intus fortassis conservare potuit, egressa amittit. Nam quoniam verecundiæ venustas ab omnibus fere commendatur, laudatur, amatur, Dinam egredientem et intima sua deserentem, et quæ eam humiliare consueverat infirmitatis suæ memoriam cito obliviscentem, subito hominum laudes excipiunt, et eam, dum favoribus demulcent, corrumpunt. Dum enim in oblata laude delectatur, quid aliud quam per Sichem (amorem videlicet vanæ gloriæ) corrumpitur? Verumtamen tunc Dina corruptionis suæ damna violentia quadam potius quam voluntate patitur, cum blandienti pravæ delectationi quantum potest reluctatur. Toties enim Sichem quasi nolentem opprimit, quoties mentem corruptionis suæ confusionem erubescentem, et ideireo fortiter reluctantem, etiam invitam usque ad turpem delectationem trahit. Sed quid putas causæ accidit quæ eam sua intima deserere, et ad exteriora vagari compulit, nisi quod sæpe dum infirma nostra nimis erubescimus, unde forte alii easdem infirmitates in se sentiant, mirari incipimus, et videtur nobis quoddam solatii genus invenisse, si deprehendamus nos in nostra saltem dejectione vel socios habere? Inde fit ut incipiamus aliorum studia curiosius quærere, nunc vultum, nunc gestum, totiusque corporis habitum frequenter circumspicere, eorum occulta ex aliorum relatu libenter addiscere. Dum igitur Dina in aliis animarum statum ex signis exterioribus deprehendere nititur, quid aliud quam sua deserens ad videndas mulieres foras egreditur, forisque vagatur? Dum ergo Dina mulierum formas curiose circumspicit, alias multum, alias minus pulchras nimirum invenit. Et dum secum tacita sæpe comparat, quam multas pulchritudinis suæ magnitudine longe antecedat, quid mirum si appetitus eam vanæ gloriæ vehementius pulsat? Cujus impetum dum resistendo repellere non sufficit, quid aliud quam viribus Sichem victa succumbit?

CAPUT LII

Quomodo sub uno eodemque tempore unde una corrumpitur, inde aliæ virtutes quandoque nutriuntur.

Notandum sane quod uno eodemque tempore et Dina corrumpitur, et ejus in suis pecoribus pascendis fratres occupantur. Mens etenim quæ charitate cæterisque virtutibus pollet, sicut de suis malis dolere, sic et de proximorum bonis gaudere solet. Dum igitur proximorum vitam lustrando eorum bona considerat, suaque cum illorum bonis comparat, sicut non potest suis sæpe favoribus non favere, sic et de aliorum eam bonis congratulari erit necesse. Mens utique pia dum aliorum profectum, aliorum defectum, horum infirmitatem, illorum perfectionem diligentius intuetur, variis nimirum, nunc his, nunc illis vicissim affectibus tangitur. Incipit ergo pro aliis timere, pro aliis dolere, de his bona, de illis meliora sperare. Videt in aliis quæ diligat pro quibus et gaudeat invenit, et in quibusdam quæ juste abhorreat, pro quibus et juste dolere debeat. In hunc itaque modum dum affectus boni simplicibus cogitationibus alludunt, quæ ex inspecta et sibi complacita proximorum disciplina hinc inde occurrunt, quid aliud fratres Dinæ, filii Liæ, quam pecora sua pascunt? Videsne quomodo uno eodemque tempore aliud verus amor proximi, atque aliud operatur vanus amor sui? Verus amor proximi pascendis pecoribus fratrum pascua præstat, vanus amor sui corruptionis Dinæ occasionem administrat. Quod autem res patrem non latet, etiam priusquam ad fratres sermo perveniret, quid aliud nobis insinuat, nisi quod corruptelæ notitia animum prius per cogitationem quam per affectum pulsat? Sed cum res diutius in corde versatur, sæpius per cogitationem replicatur, quandoque usque ad intima cordis penetrat, cordisque affectum transverberat. Cum igitur rei sollicitudine animus afficitur, vari-

Digitized by Google

isque affectibus vicissim tangitur, jam usque ad filios Liæ, fratres autem Dinæ sermo pervenisse non dubitatur.

CAPUT LIII.

Cum quanta instantia, vel cautela corrigenda sit intentio depravata.

Sed quomodo putas insaniunt, cum sororis suæ corruptionem jam ignorare, vel saltem dissimulare ulterius non possunt? Quid enim de eis ait Scriptura, nisi quod irati sunt vade; et iterum quod essent sœvientes ob stuprum sororis suæ? (*Gen.* XXXIV.) Docet utique nos hæc fratrum ira, vel potius insania, quantum sibi debeat quisque irasci, qualiter indignari, quomodo seipsum arguere, quam acriter increpare, cum se agnoscit conscientiam suam inani gloriatione fœdasse. Debet ergo, quicunque est, ad sanandum mentis tumorem infirmitates suas ante oculos ponere, et culpas suas, sine quibus nemo hanc vitam transigit, ad memoriam revocare, quam inhonesta sæpe in opere, quam indigna in ore, quam immunda versetur in cogitatione diligenter attendere, ut inde manifeste colligat quam multa in suis moribus invenire queat quæ jure debeant amputari, si vere vult, et non impudenter gloriari. Cum igitur hujusmodi conditionis retractatio mente revolvitur, quid aliud quam cum filio Emor circumcisionis pactum statuitur. Nam quid est aliud dicere: Morum tuorum pudenda abscinde, quam masculorum tuorum præputia circumcide? Et quid est dicere: Alioquin non poteris non impudenter gloriari, quam alioquin non poteris Dinæ copulari? Si enim Sichem gloriatio, si digna verecundia, quid aliud erit gloriatio impudens, gloriatio sine verecundia, quam Sichem sine Dina? Recte autem inveteratæ consuetudines quæ difficile superantur, per masculinum sexum designantur. Isti sunt mares quos fratres Dinæ circumcidi voluerunt; teste tamen Scriptura hanc circumcisionis conditionem Sichem in dolo proposuerunt. Ecce, ut facile advertere possimus, nullo modo marito tali sororem suam dare disponebant, et quamvis propositæ conditionis conventionem explere potuisset, nullatenus tamen cum tali matrimonio dignum judicabant. Et quidem etiam si possemus omnia inhonesta nostra de nostra penitus vita amputare, et ab omnibus omnino mundari, nihilominus tamen deberemus non de nostris meritis, sed tantum in Domino gloriari. Et idcirco fortassis fratres Dinæ dura ei proponebant, ut eum de sororis suæ copula omnino desperarent. Sed paratior est Sichem quælibet, vel quamlibet aspera tolerare quam adamatæ Dinæ divortia sustinere. Et fit quidem sæpe quod et superius prælocuti sumus, ut ea quæ ab animo extorquere non potuimus, quando pro Deo illa facere disponebamus, eadem nobis ipsa sit facile perficere, cum pro eis timeamus incurrere detrimenta verecundiæ.

CAPUT LIV.

Quomodo, vel quam caute oporteat intentionem mutare, et morum honesta non deserere.

Quid ad ista dicemus? An forte melius erit tacite gemere quam aliquid respondere, qui ista negare non possumus? Illud sane dixerim quod digne fratribus merito displicuit, merito eos placare non potuit circumcisio, quæ non tam pro Deo quam pro Dina, non tam pro institutione divina quam pro verecundia humana fuit facta. Malum tamen in eis fuit justæ severitatis modum excedere, et in ulciscenda injuria æquitatis mensuram minime servasse. Merito ergo Jacob inconsultam eorum audaciam redarguit, severitatemque tam indiscretam juste reprehendit. O quanto satius erat viros quamvis non tam pro Deo, quam pro Dina circumcisos ad verum Dei cultum paulatim perducere, quam inopinata et repentina morte percutere! Hinc itaque colligat, hinc diligenter attendat quomodo quisque debeat circumcisis suis parcere, quos tamen sè meminit non propter Deum circumcidisse. Qui sunt istiusmodi circumcisi, nisi mores non bona intentione correcti? Nec tamen in talibus debemus morum honesta destruere, sed intentionem mutare. Errant ergo, utique errant qui abjiciunt opera bona, quamvis forte inchoata sint intentione mala. Erratuum ergo suorum ultores hujusmodi quid aliud faciunt, quam super circumcisos cum Simeon et Levi irruentes violenter occidunt?

CAPUT LV.

Qua maxime consideratione debeamus intentionis depravationem castigare.

Opere pretium est illud etiam diligenter attendere quonam modo tam pauci tantam potuerunt stragem efficere. Sed nimirum adjuvit eos electa opportunitas temporis, quando ipsos circumcisos, et ab ipsis occidendos oppresserat acerbitas doloris. Ad hoc electus est circumcisionis dies ille tertius, in quo teste Scriptura, dolor solet esse gravissimus. Sed qui sunt isti dies, vel cur tantum dicuntur esse tres? Si per noctem ignorantia, recte per diem intelligitur notitia. Primus itaque dies est cognitio eorum quæ sunt extra nos, secundus dies, cognitio eorum quæ sunt intra nos; dies tertius, cognitio eorum quæ sunt supra nos. Extra nos corporalia, intra nos spiritualia, supra nos divina. Eorum itaque qui se circumcidunt, verumtamen non propter Deum hoc faciunt, prima consideratio esse debet, vel potius esse solet, cum diligenter attendunt quid asperitatis extrinsecus pertulerunt. Secunda consideratio esse debet quid intus acquisierunt per tot cruciatus corporis, imo quantum intus veraciter perdiderunt per nævum sinistræ intentionis. Tertia consideratio erit quid retributionis de Deo exspectare debeant, quem simulatæ servitutis obsequio non tam placasse quam exasperasse non dubitant. Primo itaque die considerationis primæ recurrit ad memoriam amputata licentia amatæ consuetudinis, et absque dubio dolor efficí-

Digitized by Google

tur, dolor utique gravis; quia non relinquitur sine dolore quod possidebatur cum amore. Secundo die considerationis secundæ invenit se animus per detrimenta corporis pervenisse ad damna mentis, et fit utique dolor quanto justior, tanto fortassis et gravior. Tertio die considerationis tertiæ deprehendit se gravia pertulisse de sententia propria, sed graviora exspectare debere de sententia divina. Hic est ille dies tertius in quo, testante Scriptura, dolor solet esse gravissimus. Quantus enim putas dolor mentem transverberat cum diligenter considerat malum quod pertulit, malum quod commisit, malum quod promeruit, malum quod pertulit exterius in cruciatu corporis, malum quod contraxit intrinsecus in reatu criminis, malum quod promerunt divinitus in conspectu Creatoris. Profecto non solum graviter, sed etiam gravissime doluit quisquis inutiliter circumcisorum ad hanc diem pervenire potuit.

CAPUT LVI.

Quod mens in omni corruptione sua debeat et patienter dolere, et de sua correctione non desperare.

Debet tamen mens sui criminis conscia et de sua infirmitate confusa, et patienter dolere, et de sua correctione non desperare. Oportet eam sane et dolere de corruptione et sperare nihilominus de correctione, ut per moderatum dolorem afflicta, et per spei fiduciam erecta, et satisfaciat de præterito, et provideat de futuro. Superius autem jam diximus quomodo dolorem et spem per Simeonem, et Levi intelligere debemus. Isti sunt duo illi Dinæ fratres Simeon et Levi injuriarum suarum ultores sævi, sed utinam quam fortes, tam forent et discreti! Ad Simeon *pertinet* satisfacere de eo quod malefactum est, ad Levi pertinet animum erigere ad id quod in posterum providendum est. Si ergo doles de corruptione, desperes autem de correctione, est tibi Simeon, sed solus. Si negligis de satisfactione præteriti, speres tamen de cautela futuri, est ibi Levi, sed solus. Ad tantum ergo negotium necesse est ut uterque conveniat, et uterque alteri opem ferat.

CAPUT LVII.

Quomodo, vel quam caute per exprobrationem peccati vel per exactionem debiti, debeat corrupta mens flagellari.

Sed considerandum est iterum quod sæpe in eo quod fortiter agunt, modum justi libraminis excedunt, quod facile convincimus ex hoc eorum opere quod inter manus habemus. Arreptis enim gladiis, confœderatos sibi societatis pacto violenter occidunt, et pro unius pudicitia violata, tot virorum tam subitam stragem fecerunt. Gladius Simeonis exprobratio, gladius Levi est exactio. Solet enim Simeon corruptæ menti exprobrare vehementer malum quod fecit, Levi vero solet vehementer exigere bonum quod fieri oportuit. Quid igitur aliud est eos his gladiis pugnare, quam exprobrationis et exactionis stimulis mentem flagellare? His stimulis quorumdam mens vehementer accensa, sæpe inconsolabiliter plangit ea etiam quæ nullo modo potest evitare. His stimulis exagitata ea etiam sæpe inchoare præsumit, quæ nullatenus valet consummare. Hinc illa quorumdam immoderata tristitia; hinc illa etiam indiscreta abstinentia, quæ non solum vires corporis, verum etiam evacuant virtutem mentis. Quosdam etenim, sæviente Simeone, vidimus tam irrationabili tristitia absorberi, ut nullius possent aliquatenus consolatione relevari. Alios cognovimus per immoderatam abstinentiam tam graviter corruisse, ut nulla postmodum deliciarum copia, nulla coquorum diligentia posset eis satisfacere. Ecce bellatores isti (Simeon loquor et Levi) quomodo pugnant, qualiter se vindicant. Quid est enim aliud eos, arreptis gladiis, Dinæ amatores interficere, quam exprobratione inevitabilium vel exactione impossibilium eo usque non solum vires corporis, verum etiam vigorem mentis attenuare, ut pro humana saltem verecundia non possit se mens a suis excessibus temperare? Unde eis recte per Jacob dicitur: *Simeon, et Levi fratres vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu eorum non sit gloria mea* (*Gen* XLIX). O quales bellatores, qui dum fortiter egisse videri volunt, pacis suæ socios tam crudeliter quam violenter occidunt! Vasa iniquitatis bellantia, sed in consilium eorum non veniat anima mea. O viros inconsultos, qui dum hic præsumunt quod efficere non possunt, illud etiam amittunt quod efficere potuerunt! In consilium ergo eorum non veniat anima mea, et in cœtu eorum non sit gloria mea. Non est bona gloriatio ambulare in magnis, et in mirabilibus super se, quo possit quasi de sua gloriari virtute. Non est, inquam, hujusmodi bona gloriatio. In cœtu ergo eorum non sit gloria mea: *Quia*, inquit, *in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum* (*ibid.*).

CAPUT LVIII.

Quomodo per nimiam afflictionem mens quandoque usque ad impudentiam effrenatur.

Quid per virum nisi vigor mentis? quid per murum nisi disciplina intelligitur corporis? Vir itaque ille amator Dinæ tunc veraciter occiditur, quando per afflictionem nimiam vigore mentis exhausto, usque ad apertam impudentiam animus effrenatur. Tunc amator Dinæ absque dubio gladio perit, quando per afflictionis nimietatem vigor mentis eo usque deficit, ut a suis, ut dictum est, excessibus pro humana saltem verecundia se temperare non possit. Tunc murus destruitur, quando per immoderatam abstinentiam rigor prioris disciplinæ penitus dissipatur. Sed hoc est in hujusmodi bellatoribus præ omnibus admirabile, imo supra omnia detestabile, quod nullius unquam quamlibet prudentis viri consilio acquiescunt, imo nec propriæ saltem experientiæ cedunt, nec tunc quidem cum jam incipiunt et corpore deficere, et corde tabescere. Quorum pertinacia maledictionis jaculo percutitur, cum ad illos per Jacob dicitur: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, et indignatio eorum, quia dura* (*Gen.* XLIX). Mirabilis

Digitized by Google

pertinacia, sed non minor insania, ab impetu cursus sui, a devio erroris sui, nonnisi solo impossibilitatis freno posse retineri. Ecce quomodo præliari norunt vasa iniquitatis bellantia, ecce quanta faciunt, ecce quanta fiunt pro Dina. Pro Dina masculi circumciduntur, pro Dina circumcisi perimuntur. Totum hoc fit pro Dina, totum pro humana verecundia.

CAPUT LIX.

Quod nec ordinata verecundia sit bona, nisi sit et moderata.

Sed miraris forte cum humanam verecundiam superius reprobaverimus, cur eam modo ad Dinam pertinere doceamus, cum per Dinam solam ordinatam verecundiam intelligere debeamus. Sed aliud est homines erubescere propter Deum, et aliud eosdem erubescere propter seipsos : *Sic luceat lux vestra*, dicit Scriptura, *ut videant opera vestra bona, et glorificetur Pater vester qui in cœlis est* (*Matth.* v). Bonum est ergo erubescere infamiam, non tam ad nostram quam ad gloriam divinam. Et hoc est forte Dinam exire, hominum infamiam propter Deum erubescere. Nam tunc procul dubio Dina intus invenitur, quando de occultis etiam suis coram Deo conscientia nostra confunditur. Homines itaque propter Deum erubescere, est bonam verecundiam habere, et qualem non dubitamus ad Dinam pertinere. Verecundia itaque talis et ordinata est, et juxta aliquid recte humana dici potest. Revera tamen hujusmodi bona est, si non sit nimia. Certe si Dina adhuc parvula esset, vel intra thalami sui secreta seipsam cohiberet, corruptionis maculam non incurrisset, et tantorum malorum causa non exstitisset.

CAPUT LX.

De principalium affectuum numero, et ordinandi modo compendiosa recapitulatio.

Hæc est Dina quæ post Issachar et Zabulon nascitur, quia post degustatum internæ dulcedinis gaudium, et post verum vitiorum odium, quanto verius tanto vehementius quisque de sua infirmitate confunditur. Per Issachar etenim intelligimus gaudium conscientiæ, per Zabulon odium malitiæ, per Dinam venustatem verecundiæ : et sunt quidem hi novissimi tres liberorum Liæ. Quos si cum quatuor superioribus annumeramus, septem esse absque dubio invenimus. Principales enim affectus septem esse longe superius jam diximus : quos cum in nobis ordinamus in numerum virtutum redigimus. Primo itaque ordinatur timor, deinde dolor, post hos spes et amor. Post hos quatuor ordinantur lætitia et ira ; novissime autem omnium verecundia. Itaque nihil aliud est Jacob hujusmodi liberos ex Lia genuisse, quam animum affectionis suæ motus ordinando dignam virtutum sobolem de seipso procreasse. Per Ruben igitur primogenitum Jacob intelligimus ordinatum timorem, per Simeonem ordinatum dolorem, per Levi et Judam ordinatam spem et ordinatum amorem. Per Issachar autem intelligitur ordinata lætitia, per Zabulon ordinata ira, per Dinam ordinata verecundia.

CAPUT LXI.

Quod affectus ordinati veraciter sunt boni, si sunt et moderati.

Sciendum autem quod affectus isti tunc veraciter creduntur boni, quando sunt non solum ordinati, sed etiam moderati. Sæpe namque cum discretionis moderamen excedunt, virtutis nomen amittunt. Sed hoc fortassis melius per exemplum ostendemus, si de ipso fratrum primogenito exempla sumamus. Certe si timor immoderatus periculosus non esset, Jacob ad Ruben loquens minime dixisset : *Effusus es sicut aqua ; non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus* (*Gen.* XLIX). Si per Ruben debemus ordinatum timorem intelligere, cur, quæso, jubet eum Jacob non crescere, nisi quia malum est in quolibet ordinato timore modum æquitatis excedere?

CAPUT LXII.

Quibus modis timor mensuram æquitatis transgreditur.

Duobus autem modis hic filius æquitatis mensuram sæpe supergreditur, aut quia circa unum aliquid minus extenditur, aut quia ad innumera, vel etiam inutilia passim dilatatur. Quis neget Judam post proditionis scelus jure timere debuisse ? Sed illud in eo quis non videat supra omnia exsecrabile fuisse, quod, dum in suo timore modum servare noluit vel nescivit, semetipsum desperando malum quod corrigere potuit, detestabiliori exitu quam exordio cumulavit ? Sed illa timoris nimietas quæ se passim ad multiplicia rerum effundit facilius decipit : perfectis etenim viris quandoque subrepit. Quis namque prælatorum quamlibet perfectus dum subjectis suis vitæ necessaria providet, ita sollicitudinis suæ curas temperet, ut pro adversis rerum casibus nunquam plus justo formidet ? Pertinet autem ad Ruben tunc tantum timor hujusmodi, cum surgit quidem, et non ex amore mundi, sed de dilectione proximi. Sed quis enumerare sufficiat omnes ancipites incommodorum casus hinc indeque surgentium, pro quibus eum trepidare cogit et si non sua, suorum saltem infirmitas subjectorum ? Et quis non videat quam sit difficile, imo quam pene impossibile justæ formidinis metas nunquam excedere? Inde fit sæpe ut quanto quis prudentior, tanto inveniatur et sollicitior ; et quanto quisque novit perspicacius circumstantium periculorum casus ancipites prospicere, tanto cogitur timidæ sollicitudinis suæ habenas multiplicius relaxare. De quo et illud convenienter intelligitur quod a Ruben per Jacob dicitur : *Effusus es sicut aqua, non crescas* (*Gen.* XLIX). Solet enim per aquam quandoque carnis prudentia, sicut per vinum intelligi sæpe specialis intelligentia. Hæc aqua cuique tunc in vinum vertitur, quando aspirante Deo, per exterioris scientiæ scalam ad invisibilium intelligentiam sublevatur, quando invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ

Digitized by Google

facta sunt intellecta conspiciuntur (*Rom.* I). Hujusmodi cuique aqua eo amplius abundat, quo ejus animus in exteriorum scientia copiosius se dilatat. Hæc utique aqua quanto uberius excrescit, dum omnia caute circumspicit, tanto procul dubio formidolosæ sollicitudinis silvam densiorem gignit, et latius expandit, unde recte hic dicitur : *Effusus es sicut aqua, non crescas.* Cavendum itaque summopere est, cum mundanæ scientiæ aqua abundat, ne multiplicis sollicitudinis timor ultra mensuram excrescat.

CAPUT LXIII.

Ad quam impudentem evagationem nimius timor mentem prostituit.

Certe cum Ruben adhuc parvulus esset, et annos pueriles ageret, patris sui cubile incestare non præsumpsit, vel quia non potuit, vel quia minime ausus fuit. Adultus tamen in tantam, ut de ipso legitur, prorupit audaciam ut patris sui corrumperet concubinam, Balam videlicet Rachelis ancillam. Sed si per Balam imaginatio intelligitur, quomodo putamus hujusmodi ancilla corrumpitur? Sed quæ est Balæ corruptio, nisi cogitationis, vel imaginationis inordinata et impudens evagatio ? In tantum enim quandoque timor superfluus imaginationem, non dicam, corrumpit, sed prostituit ut in tempore quidem orationis a suis se fornicationibus temperare vix, aut omnino non possit. Cum enim præ nimia sollicitudine inter orandum etiam sæpe mundanorum negotiorum phantasias mens per imaginationem recipit, quid aliud Bala quam ad fornicationes Ruben sinum suum expandit ? Cogita nunc ergo quam sit ineptum, ut eo tempore quo debes pro æternis malis removendis Domino supplicare, incipias temporalia tantum pericula præ oculis habere, et illa sola corde revolvere, illorum propter quæ veneras oblivisci, illa quorum oblivisci debueras sola reminisci. Hinc est quod mens sæpe, quæ prius solebat per imaginationem sola sibi futurorum bona vel mala omni hora anteponere, postmodum per superfluum timorem subacta non possit vel ad modicum curarum sæcularium incursus a cordis secretario excludere. Quia igitur sæpe imaginatio per superfluum timorem ad tam imprudentem cogitationum evagationem deducitur, recte ad Ruben pater suus de corruptione Balæ ei improperando loquitur. *Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus.*

CAPUT LXIV.

De vi, vel efficacia timoris sine quo nec mala deserimus, nec bona inchoamus.

Sed ut de hoc affectu aliquid loquamur apertius, majorem præ cæteris sive ad bonum, sive ad malum efficaciam habere videtur. Siquidem ab illo frequenter a suo mens rectitudinis statu dejicitur, sed quolibet modo dejecta sine illo nunquam reparatur. Quis enim de quovis peccato quamlibet parvo sine timore liberatur ? Sine timore mala nostra nunquam deserimus; sine timore bona operari, nec saltem inchoamus. Nonne de eo hoc illa verba Jacob manifeste loquuntur, si recte intelligantur ubi dicitur : *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei, primus in donis, major imperio* (*Gen.* XLIX). Ubi et illud sequitur, de quo aliqua jam diximus : *Effusus es sicut aqua, non crescas.* Quomodo autem iste Ruben sit primogenitus, vel quomodo sit principium doloris ex superius jam dictis satis, ut arbitror, manifestum est; quomodo autem sit ejus fortitudo, et cætera quæ de eo dicuntur, facile ostendi potest : *Tu*, inquit, *fortitudo mea.* Quis enim in illo unquam prælio victor exstitit, ubi spiritus adversus carnem, caro adversus spiritum concupiscit? Quis, inquam, tam numerosum concupiscentiarum suarum exercitum debellavit, si sine timore pugnavit ? Recte ergo primogenitus, quia a timore Domini omne bonum inchoatur, recte fortitudo dicitur, quia per timorem Domini cor contra concupiscentias suas roboratur, recte principium doloris sui, quia timorem Domini utilis dolor comitatur. Ut enim animi dolor cuique suus sit, et sibi utilis existat, necesse est ut eum timor Domini præcedat.

CAPUT LXV.

De principalitate timoris, et aliis affectibus qui quibus principentur.

Primus, inquit, *in donis, major imperio.* Inter omnia Dei dona quæ ad salutem hominis spectare videntur primum et principale donum bona voluntas esse cognoscitur, per quam in nobis divinæ similitudinis imago reparatur. Quidquid homo agat, bonum esse non potest, nisi ex bona voluntate procedat. Quidquid ex bona voluntate fit, malum esse non poterit. Sine bona voluntate omnino salvari non potes, cum bona voluntate omnino perire non potes. O donum mirabile ! o donum singulare ! Hoc est illud primum, vel principale donum quod primogenito Ruben tribuitur, quia absque dubio per timorem Domini voluntas mala in bonam commutatur. Cur itaque primus in donis non sit qui primum et principale donum accipit? Primum quia a bona voluntate bonum omne inchoatur; principale, quia bona voluntate hominibus utilius nihil datur. *Primus in donis, major imperio.* Quis hunc Ruben præ cæteris imperio majorem esse neget, qui cæteris omnibus fratribus suis persæpe etiam imperare solet? Ante ejus conspectum Levi cedit, quia superveniente timore spes cadit, ad ejus imperium sæpe Judas secedit. Zabulon accedit quia, cogente timore, sæpe charitas refrigescit, odium exsurgit. Ad nutum ipsius Issachar egreditur, et Simeon ingreditur, quia subintrante timore, sæpe et gaudium excluditur, et dolor admittitur. Vidimus quomodo Ruben quandoque fratribus suis etiam imperare consuevit, videamus quomodo imperium suum præ cæteris latius extendit. Certe alia sunt quæ amamus, alia sunt quæ odio habemus, sed pro utrisque timere solemus, dum sæpe ista amittere, illa formidamus incurrere. Dividunt itaque Judas, et Zabulon inter

Digitized by Google

se regnum, sed Ruben se extendit ad totum, quia verus amor ad sola bona, verum odium ad sola mala, timor se effundit ad hoc, et ad illa. Zabulon in partis suæ partem fratrem suum admittit Simeonem. Pro adversis siquidem dolemus, sed non pro omnibus, quia non omnia sustinemus. Levi quam Judas imperio est minor, multo tamen quam Issachar imperio est major. Plura enim sunt quæ debemus diligere, quam quæ audeamus sperare. Sed constat nihilominus copiosiorem esse materiam sperandi quam gaudendi, quia habita de quibus gaudemus pauca sunt ad ea quæ habenda speramus. Judas itaque et Zabulon imperii sui magnitudine cæteros fratres vincunt, verumtamen ad mensuram Ruben extendere se minime possunt. Omnes itaque Ruben antecedit, qui cæteros primus longe post se reliquit. Omnia enim quæ constat homines amare, sperare, odisse, pro quibus dolere, vel gaudere solent, multiplicis timoris causas ex se gignere valent. Sæpe etenim circa unam rem quam diligimus, plures timendi causas invenimus. Quot modis siquidem perdi potest, tot timoris occasiones dare potest. Multum itaque regnum suum Ruben iste dilatat, sed vires ei administrat, non solum multiplicitas occultorum, sed etiam mutabilitas apparentium. De quo enim securus esse possum, qui nil habeo quod perdere non possum ? Quando hic ad scientiæ certitudinem pertingo, qui innumerabiliter plura nescio quam scio ? Quia igitur timor cæteris affectibus latius diffunditur, recte Ruben fratrum comparatione imperio major esse perhibetur. Et ne crescat a patre suo prohibetur, sed eo videlicet tempore quo sicut aqua diffusus erat, quando jam patris cubile ascenderat, stratumque ejus jam maculaverat : *Ruben*, inquit, *primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei, primus in donis, major imperio, effusus es sicut aqua, non creces, quia ascendisti cubile patris tui, et maculasti stratum ejus.* Ecce Ruben quantum malum præsumpsit, quia ultra modum excrevit. Cito magnum periculum incurritur, si timor noster per discretionem non moderatur.

CAPUT LXVI.

Quomodo virtutes in vitia vertantur nisi per discretionem moderentur.

Sic et de aliiis affectibus credere debemus, periculosos quidem esse, nisi eos intra æquitatis metas coerceamus. Certe quam malum sit dolorem et spem modum excedere ex prædicto Simeonis et Levi facto facile possumus advertere : de quibus per Jacob dicitur : *Maledictus furor eorum quia pertinax, et indignatio eorum quia dura* (*Gen.* XLIX). Caute ergo circa omnes debet custodiri, ut non solum sint ordinati, sed etiam moderati. Timor enim nimius sæpe cadit in desperationem, dolor nimius in amaritudinem, spes immoderata in præsumptionem, amor superfluus in adulationem, lætitia supervacua in dissolutionem, ira intemperata in furorem. In hunc itaque modum virtutes in vitia vertuntur, si per discretionem minime moderentur. Videsne quemadmodum cæteræ omnes virtutem discretionis requirant, ne virtutis nomen amittant.

CAPUT LXVII.

Quomodo, vel quam sero oriatur discretio cum sit prima proles rationis.

Hic est ille Joseph qui quidem sero nascitur, sed a patre plus cæteris amatur. Quis enim nesciat vera bona animi sine discretione nec posse acquiri, nec posse conservari? Merito ergo illa virtus singulariter diligitur sine qua nulla conquiritur, nulla consummatur, nulla conservatur. Sed vix sero talem filium accipere meremur, quia ad discretionis perfectionem non sine magno usu, nonnisi per magna experimenta erudimur. Prius nos oportet in singulis virtutibus exerceri, et quid in unaquaque possimus experiri, quam possimus de omnibus plenam scientiam percipere, et de singulis sufficienter judicare. Multa quidem de discretione legendo, multa discimus audiendo, multa ex insito nobis rationis judicio : verumtamen nunquam de hac ad plenum erudimur sine experientiæ magisterio. Post omnes sequi oportet qui de omnibus judicare debet. Primum ergo est ut satagamus singulis virtutibus studium frequens impendere, quod dum facimus, necesse est nos sæpius cadere : oportet ergo nos sæpe resurgere, et per frequentem lapsum addiscere qua vigilantia, qua cautela oporteat virtutum bona aquirere vel custodire. Sic sic dum longo usu virtutum disciplina addiscitur, quandoque mens diu exercitata ad plenam morum discretionem perducitur, et quasi de nato Joseph jure lætatur. Ante hujus nativitatem ejus fratres dum adhuc omnia sine discretione agunt, quanto ultra vires suas multa præsumunt, tanto sæpe deterius, atque deformius ruunt. Unde est, sicut jam diximus, quod post eos Dina nascitur, quia frequenter deformem lapsum pudoris confusio comitatur. Sed post natam Dinam et quasi per confusionis ignominiam fratres sui inveniunt, et per experimentum addiscunt, nihil melius esse quam consilio regi : *Quia melior est vir prudens viro forti* (*Prov.* XVI). *Vir enim prudens loquitur victorias, et qui cum consilio cuncta agit, in æternum non pœnitebit* (*Prov.* XXI). Cum igitur consilii necessaria utilitas per experimentum cognoscitur, et per studium attentius quæritur et invenitur, Joseph quodammodo nascitur, per quem virtus discretionis intelligitur. Patet autem ratio cur ancillarum nulla, cur nec ipsa quidem Lia, sed Rachel sola potuerit talem filium gignere, siquidem non est sensualitatis, non imaginationis, non denique ipsius affectionis, sed solius est rationis discernere sicut et intelligere. Si igitur per Rachel rationem intelligimus, cur nonnisi de Rachel Joseph nasci possit citius invenimus, quia quod de sola ratione discretio oriatur minime dubitamus. Talis proles de tali matre. Joseph de Rachele, discretio de ratione.

CAPUT LXVIII.

De discretionis utilitate, vel ejus proprietate.

Hic est ille Joseph qui solus inter fratres tunica

Digitized by Google

talari vestitur, quia sola illa actio ad consummationis talum debitique finis terminum perducitur, quæ per discretionis prudentiam moderatur. Hic est ille Joseph qui a patre plus cunctis fratribus amatur, quia cunctarum virtutum virtus custos cæteris jure præfertur. Hic est ille Joseph sommiator somniorumque interpretator; quia vera discretio in ipso tentationis articulo, inter ipsa suggestionum phantasmata ex eorum qualitate futura pericula deprehendit, et aliis quibuslibet ad cogitationum suarum confessionem imminentium malorum insidias detegit, et de futuris periculis cautos reddit. Hic est Joseph quem æmulantur sui, venerantur alieni, quem vendunt Hebræi, emunt Ægyptii, quia citius consilio acquiescunt, faciliusque alienæ prudentiæ cedunt erroris sui tenebras cognoscentes, quam de justitia sua, vel prudentia præsumentes. Hic est ille Joseph sponsus virginis, amator, non violator castitatis, quia discretio custos non corruptor esse solet internæ puritatis. Hic est ille puer, et nuntius qui beato Job in omni persecutione sua solus remanere potuit, qui ei perpetrata damna statim renuntiare studuit, quia nisi per discretionem, virtutum damna animus nec cognoscit, nec corrigit. Nescit puer ille cum pereuntibus perire; nescit discretio per rerum detrimenta, per tentationum augmenta deficere, sed proficere. Quanto enim acrioribus tentationibus urgemur, quanto crebrioribus periculis exercemur, tanto perfectius ad discretionem erudimur, et sæpe aliarum virtutum damna, discretionis sunt lucra. Novit itaque Joseph non solum cum crescentibus crescere, non solum cum proficientibus proficere, verum etiam ex fratrum defectu ad profectum tendere, et ex aliorum detrimentis prudentiæ lucra acquirere. Merito talis filius Joseph nuncupatur, Joseph siquidem *augmentum* interpretatur. Unde recte de ipso per patrem ejus dicitur : *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu* (*Gen.* XLIX). Recte itaque augmentum nominatur, recte filius accrescens dicitur qui semper augmentatur, cujus incrementum usque in finem non finitur.

CAPUT LXIX.

Quam sit utile et item quam sit difficile discretioni perfecte obtemperare.

Quanta autem hujus virtutis sit excellentia testantur ipsa Joseph somnia, testantur patris ejus verba, ubi legitur : *Nunquid ego, et mater tua, et fratres tui adorabimus te super terram?* (*Gen.* XXXVII.) Hunc Joseph et pater, et mater, et fratres adorant, quia aut spontanea voluntate, aut coacti necessitate quandoque discretioni obtemperant. Per discretionem siquidem sol ille mundi intellectualis interior ille oculus cordis intentio videlicet mentis dirigitur, per discretionem de qua oritur subtilitas rationis acuitur, per discretionem illa tota virtutum fraterna germanitas modificatur, et virtutum quælibet quæ ejus consilio non acquiescit, quæ se discretioni, non subdit, citius virtutis nomen amittit. Ipse est qui fratrum suorum negligentias non negligit, ipse est qui eorum excessus arguit. Ipso præsente, non licet eis quidquam ultra vires præsumere; ipso præsente, nihil per negligentiam prætermittere. In ejus præsentia non eis licet sive ad dexteram sive ad sinistram declinare, nil segniter, nil præcipitanter agere, nil ante tempus præsumere, nil ultra temporis opportunitatem differre. Hinc illa inter ipsum et fratres discordia gravis, et ita pene implacabilis, de qua Scriptura non tacet, cum manifeste pronuntiet, qui oderant eum fratres sui, nec poterant ei quidquam pacifice loqui. Monita enim Joseph videntur eis valde gravia, dura instituta, consilia importabilia. Quid enim durius, quid difficilius, quam nil faciendum negligere, et in omni suo facto nunquam modum perturbare, nunquam ordine confundere, nunquam mensuram excedere? Crede mihi, nihil a se animus difficilius extorquet, quam ut in omni affectione sua modum servet. Sæpe etenim fratres Joseph magnum aliquid mollientes dum eis undique acclamatur : Euge, euge, solent non solum ad inutilia, verum etiam ad impossibilia conatus sui manus extendere. Frequenter siquidem animi affectus ex hujusmodi adulantium acclamatione, ad immoderatam præsumptionum audaciam effrenatur, imo etiam multoties mentis intentione depravata usque ad hypocrisis crimen deducitur atque dejicitur. Hoc est illud crimen pessimum et præ cæteris abominandum quia Deo præ omnibus odiosum, de quo Joseph fratres suos apud patrem suum accusat, sicut Scriptura ipsa manifeste declarat, cum dicit : *Accusavit Joseph fratres suos apud patrem crimine pessimo* (*Ibid.*). Vitium quod Deus singulariter detestatur, nullum aliud quam hypocrisis rectius intelligitur. Augustino namque attestante, simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Hoc vitium per Joseph detegitur, quando insidians malum per discretionem deprehenditur, et arguitur. Hoc vitium tunc filios corrumpit, hoc vitium tunc pater corrigit, quando affectum tangens durius pulsat, diutius occupat, verumtamen animum usque ad consensum non inclinat.

CAPUT LXX.

De multiplici officio veræ discretionis.

Pertinet itaque ad Joseph non modo hoc vitium sed quodlibet insidians malum, et latens adhuc provide circumspicere, caute prævidere, callide deprehendere, citius detegere, acerbius arguere. Ad officium Joseph spectat cura, et custodia omnium fratrum suorum, ad ipsum spectat disciplina singulorum, ad ipsum dispositio gerendorum, ad ipsum providentia futurorum. Ad ejus officium pertinet diligenter attendere, frequenter discutere, quantum animus quotidie proficiat, vel quantum forte deficiat, quibus cogitationibus magis incursetur, quibus affectibus frequentius tangatur. Ipse Joseph debet non solum vitia cordis, verum etiam invalitudines corporis perfecte cognoscere, et secundum quod unumquodque exigit, salutis remedia quærere, quæsita adhibere. Ipsum nosse oportet non solum vitia sua,

Digitized by Google

sed et gratiarum munera et virtutum merita, sed et ipsa diligenter distinguere, et quæ sint bona naturæ, vel quæ dona gratiæ subtiliter pensare. Promptum habere debet quibus tentationum machinis malignus eum spiritus impugnet, quantis spiritualium gaudiorum consolationibus abundet, quam frequenter divinus eum spiritus visitet, quomodo ab ipso cum sit unus non tamen uniformiter, eodemque modo semper tangitur, sed nunc spiritu sapientiæ, nunc spiritu intellectus, nunc spiritu consilii, vel aliis quibuslibet ejus affectibus repletur. Et ut totum breviter concludam, debet hic noster Joseph totum interioris et exterioris hominis statum et habitum inquantum possibile est, plene cognoscere, nec solum qualis sit, verum etiam qualis esse debeat subtiliter quærere, diligenter investigare

CAPUT LXXI.

De gemina prole rationis, gratia videlicet discretionis, et gratia contemplationis.

Per hunc itaque Joseph animus assidue eruditur, et quandoque perducitur ad plenam cognitionem sui, sicut per uterinum fratrem ejus Benjamin, quandoque sublevatur ad contemplationem Dei. Sicut enim per Joseph gratiam discretionis, sic per Benjamin intelligimus gratiam contemplationis. Uterque de eadem matre nascitur quia et Dei cognitio, et sui ex ratione percipitur. Longe post Joseph Benjamin gignitur, quia animus qui in sui cognitione diu exercitatus, pleneque eruditus non est, ad Dei cognitionem non sustollitur? Frustra cordis oculum erigit ad videndum Deum, qui nondum idoneus est ad videndum seipsum. Prius discat homo cognoscere invisibilia sua, quam præsumat posse apprehendere invisibilia divina. Prius est ut cognoscas invisibilia spiritus tui, quam possis esse idoneus ad cognoscendum invisibilia Dei. Alioquin si non potes cognoscere te, qua fronte præsumis apprehendere ea quæ sunt supra te?

CAPUT LXXII.

Quomodo per plenam cognitionem sui, sublevetur animus ad contemplationem Dei.

Præcipuum et principale speculum ad videndum Deum, animus rationalis, absque dubio invenit seipsum. Si enim invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Rom.* I), ubi, quæso, quam in ejus imagine cognitionis vestigia expressius impressa, reperiuntur? Hominem secundum animam ad Dei similitudinem factum et legimus (*Gen.* I), et credimus, et idcirco quandiu per fidem, et non per speciem ambulamus (*II Cor.* V), quandiu adhuc per speculum et in ænigmate videmus (*I Cor.* XIII), ad ejus, ut ita dixerim, imaginariam visionem aptius speculum, quam spiritum rationalem invenire non possumus. Tergat ergo speculum suum, mundet spiritum suum, quisquis sitit videre Deum suum. Hoc itaque speculum non desinit verus Joseph tenere, tergere, indesinenter inspicere. Tenere, ne deorsum, corruens terræ per amorem inhæreat; tergere, ne in inanium cogitationum pulvere sordescat; inspicere, ne ad inania studia intentionis suæ oculum reflectat. Extorso autem speculo et diu diligenter inspecto, incipit ei quædam divini luminis claritas interlucere, et immensus quidam insolitæ visionis radius, oculis ejus apparere. Hoc lumen oculos ejus irradiaverat, qui dicebat: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo* (*Psal.* IV). Ex hujus igitur luminis visione quam admiratur in se, mirum in modum accenditur animus, et animatur ad videndum lumen, quod est supra se. Ex hac, inquam, visione videndi Deum flammam desiderii conspicit et fiduciam sumit. Mens itaque, quæ jam visionis hujus desiderio flagrat, si jam sperat, quod desiderat, jam se Benjamin concepisse cognoscat. Sperando enim concipit, desiderando parturit, et quanto amplius crescit desiderium, tanto appropinquat ad partum.

CAPUT LXXIII.

Quam sit arduum, vel difficile gratiam contemplationis obtinere.

Sed scimus nihilominus (nam et hoc, Scriptura docente, didicimus): *Quia spes quæ differtur, affligit animum* (*Prov.* XIII). Nihil enim sic afficit animum, quomodo impatiens desiderium. Quid autem hujus visionis dulcedine expetitur salubrius? quid sentitur suavius? quid animus experitur jucundius? Novit hoc Rachel, nam nec rationem hoc latere potest, quia in hujus suavitatis comparatione omnis dulcedo amare est. Hinc est quod nec studium suum laxare, nec desiderium suum temperare potest. Hinc illa tanta parientis anxietas et doloris immensitas. Unde namque putas tanta doloris magnitudo, nisi ex indesinenti studio, et impatienti desiderio? Crescit quotidie, et ex desiderio labor, et ex labore dolor. Augmentatur assidue, et ex studio desiderium et ex desiderio studium. Scit tamen Rachel hoc negotium supra vires suas esse, nec tamen valet studium suum, vel desiderium temperare. Ad tantam namque gratiam, nunquam pertingit mens per propriam industriam. Dei est hoc donum, non hominis meritum. Sed absque dubio talem, tantamque gratiam accipit nemo, sine ingenti studio et ardenti desiderio. Novit hæc Rachel, et idcirco studium multiplicat, et desiderium suum quotidianis incrementis acrius inflammat. In tanta namque quotidiani conatus anxietate, in hujusmodi doloris immensitate, et Benjamin nascitur, et Rachel moritur, quia cum mens hominis supra seipsam rapitur, omnes humanæ ratiocinationis, angustias supergreditur. Ad illud enim quod supra se elevata, et in extasi rapta, de divinitatis lumine conspicit, omnis humana ratio succumbit. Quid est enim Rachelis interitus, nisi rationis defectus?

CAPUT LXXIV.

De illo contemplationis genere, quod est supra rationem.

Benjamin itaque nascente, Rachel moritur, quia mens ad contemplationem rapta, quantus sit humanæ rationis defectus experitur. Nonne Rachel mortua tunc erat, et omnis humanæ rationis sensus in

Digitized by Google

Apostolo defecerat, cum dicebat : *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (*II Cor* XII). Nemo ergo se existimet ad illius divini luminis claritatem, argumentando posse penetrare ; nemo se credat humana illud ratiocinatione posse comprehendere. Si enim aliqua argumentatione adiri potuisset lumen illud divinum, utique inaccessibile non fuisset. Denique Apostolus gloriatur, ad illud se non quidem, isse, sed absque dubio raptum fuisse : *Scio*, inquit, *hominem, sive in corpore, sive extra corpus ; nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum* (*ibid.*). Sed quod est cœlum hoc tertium quod est inter terram et cœlum, hoc est inter corpus et spiritum. Sed alia est dignitas spiritus humani, alia autem spiritus angelici, et longe alia est excellentia spiritus divini. Humani siquidem spiritus dignitatem qui subjacet pœnæ et culpæ longe supergreditur utriusque expers, excellentia scilicet angelicæ naturæ, sed incomparabiliter, utrosque præcedit spiritus ille qui fecit utrumque. Ad horum igitur cœlorum quodlibet cujusvis animus, tunc veraciter exigitur, quando terrenarum cogitationum ima deserens, in eorum contemplatione defigitur. Ad primum itaque cœlum pertinet cognitio sui, ad tertium autem pertinet contemplatio Dei. Ad hoc itaque tertium cœlum quis putas ascendit, nisi qui et descendit Filius hominis qui est in cœlo, itaque et si sint qui ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos, non tamen ascendunt nisi forte ad primum et secundum, non enim possunt usque ad tertium. Ad hoc utique cœlum homines rapi possunt : nam ipsi ascendere omnino non possunt. Possumus tamen illa quæ in hac vita haberi potest, Dei cognitionem, tribus gradibus distinguere, et secundum triplicem graduum differentiam per tres cœlos dividere. Aliter siquidem Deus videtur per fidem, aliter cognoscitur per rationem, atque aliter cernitur per contemplationem. Prima ergo visio ad primum cœlum, secunda ad secundum, tertia pertinet ad tertium. Prima est infra rationem, tertia supra rationem. Ad primum itaque et secundum contemplationis cœlum, homines sane ascendere possunt, sed ad illud quod est supra rationem, nisi per mentis excessum supra scipsos rapti nunquam pertingunt. Quod autem per Benjamin illud contemplationis genus, quod supra rationem est, intelligere debeamus, ex matris ejus morte convenienter satis conjicere possumus.

CAPUT LXXV.

De supereminentia spiritualium theoriarum.

Ad hujusmodi ergo contemplationis celsitudinem quælibet creaturarum cognitio angusta est, et in imo jacet, terræ moræ in cœli respectu, et vix puncti vicem tenet. Ad cognitionem siquidem Creatoris, quantalibet cognitio creaturarum, quid aliud est quam quod terra ad cœlum, quod centrum ad totius circuli ambitum? Habet tamen hæc terra, habet hæc inferior inferiorum scientia, montes et colles, campos et valles. Secundum differentiam creaturarum, erit et differentia scientiarum. Ut enim ab imo incipiamus, magna est distantia inter corpus et corpus. Siquidem sunt corpora cœlestia, sunt et corpora terrestria. Major tamen est distantia cujuslibet corporis ad spiritum, quam quorumlibet, et quamlibet dissimilium corporum. Sed et ipsorum spirituum alii sunt irrationales, alii sunt rationales. Oculos ergo quasi in imo defixos habere videntur, qui sola adhuc corporea mirantur. Sed jam quasi ad alta ascendunt, qui se ad spiritualium investigationem convertunt. Animus qui ad scientiæ altitudinem nititur ascendere, primum et principale sit ei studium seipsum cognoscere. Magna altitudo scientiæ seipsum perfecte cognovisse. Mons magnus et altus, plena cognitio rationalis spiritus. Omnium mundanarum scientiarum cacumina mons iste transcendit, omnem philosophiam, omnem mundi scientiam ab alto despicit. Quid tale Aristoteles, quid tale Plato invenit, quid tanta philosophorum turba, tale invenire potuit ? Vere, et absque dubio, si hunc montem ingenii sui acumini ascendere potuissent, si ad seipsos inveniendos, eorum eis studia sufficerent, si seipsos plene cognovissent nunquam idola coluissent, nunquam creaturæ collum inclinassent, nunquam contra Creatorem cervicem erexissent. Hic defecerunt scrutantes scrutinio. Hic, inquam, defecerunt, et hunc in montem minime ascendere poterant. *Ascendat homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* LXIII). Disce homo cogitare, disce cogitare teipsum, et ascendisti ad cor altum. Quantum quotidie in tui cognitionem proficis, tantum ad altiora super tendis. Qui ad perfectam sui cognitionem pervenit, jam montis verticem apprehendit.

CAPUT LXXVI.

Quam sit rarum, vel quam jucundum, spirituales theorias in usum adducere et in oblectamentum vertere.

O quam rari sunt, vel quia nolunt, vel quia nequeunt qui hucusque ascendunt. Rarum valde in hunc montem ascendere, sed multo rarius in ejus vertice stare, et ibi moram facere ; rarissimum autem ibi habitare et mente requiescere : *Quis*, inquit, *ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus* ? (*Psal.* XXIII). Prius ascendere est, postea stare. In stando quidem labor, sed in ascendendo major. Multi quidem in ipsa ascensione defecerunt, propter nimium laborem ascendendi, multi ab arduo ejus vertice ocius descenderunt, propter laborem standi. Hoc fortassis eis intolerabile videbatur, quoniam non solum in hunc montem, nisi per magnum laborem non ascenditur, verum etiam sine magna difficultate ibi immorari non datur. Sed forte jam ascendisti, jam ibi stare didicisti, nec hoc sufficiat tibi. Disce ibi habitare et mansionem facere, et qualicunque mentis evagationem abstractus illuc super redire. Absque dubio per multum usum quandoque vertetur tibi in oblectamentum, intantum, ut absque ulla laboris difficultate possis ibi assiduus esse, quinimo pœna potius tibi sit alibi, quam ibi moram aliquam facere. Mira jucunditas in hoc monte sine labore morari posse. Petro attestante, qui tanta et tam insolita suavitate allectus,

Digitized by Google

exclamat : *Bonum est nos hic esse* (*Matth.* XVII). O felicem qui potuit in hunc montem ascendere, et mente requiescere ! O quam magnum ! O quam rarum ! *Domine quis habitavit in tabernaculo tuo ? aut quis requiescet in monte sancto tuo ?* (*Psal.* XIV.) Et quidem magnum est ascendere posse et stare ; majus tamen est posse inhabitare, posse requiescere. Ascendere et stare, est virtutis ; inhabitare et requiescere, est felicitatis. Utrumque utique magnum, utrumque admiratione dignum. Utrumque Propheta miratur, sed illud pro magnitudine difficultatis, istud pro magnitudine jucunditatis. Admiratio difficultatis est illa exclamatio : *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus ?* (*Psal.* XXIII). Admiratio jucunditatis est illa exclamatio : *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo ?* (*Psal.* XIV.) Ascendere et stare, o quanta, qualisque fortitudo, inhabitare, et requiescere, o quanta, qualisque beatitudo ! Quis ad id opus idoneus, quis hoc munere dignus ? *Domine, quis ascendet ; Domine, quis stabit in monte sancto tuo ? Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua* (*Psal.* XLII).

CAPUT LXXVII.

Quod frustra nitimur ad summa sine præveniente gratia.

Videsne quod nonnisi veritas in hunc montem deducit, et adducit ? Ipsa ducit, ipsa est quæ perducit. Libenter sequor veritatem non habeo suspectum talem ducem. Novit veritas ducere, nescit veritas seducere. Sed quid est veritas ? Quid tu dicis, doctor bone, doctor Christe, quid est veritas ? *Ego sum*, inquit, *via, veritas et vita* (*Joan.* XIV). Sequatur ergo veritatem, qui vult ascendere in montem. Sequere Christum, quicunque cupis ascendere in montem istum. Docente evangelista, didicimus ? *Quia assumpsit Jesus discipulos suos, Petrum videlicet, Jacobum et Joannem, et duxit eos in montem excelsum seorsum* (*Matth.* XVII). Ducuntur ergo discipuli Jesu sursum et seorsum, ut possint apprehendere montem istum excelsum. Via ardua, via secreta et multis incognita, quæ ducit ad montis hujus fastigia. Illi soli ut arbitror, sine errore currunt, illi soli sine impedimento perveniunt, qui Christum sequuntur, qui a veritate ducuntur. Quisquis ad alta properas, securus eas, si te præcedit veritas : nam sine ipsa frustra laboras. Tam non vult fallere, quam non valet veritas falli. Christum ergo sequere, si non vis errare.

CAPUT LXXVIII.

Quantum valeat plena cognitio sui.

Sed ne te perterreat vel retrahat labor itineris, difficultas ascensionis, audi et attende quis sit fructus perventionis. In hujus montis cacumine Jesus transfiguratur ; in ipso Moyses cum Elia videtur, et sine indice uterque cognoscitur ; in ipso vox Patris ad Filium auditur. Quid horum non mirabile ? quid horum non desiderabile ? Vis videre Christum transfiguratum ? Ascende in montem istum, disce cognoscere teipsum. Vis videre et absque ullo indice cognoscere Moysen et Eliam, vis absque doctore, sine expositore intelligere legem et prophetiam ? Ascende in montem istum, disce cognoscere teipsum. Vis paterni secreti arcanum, ascende in montem istum, disce cognoscere teipsum. De cœlo enim descendit, cum dixit : γνωτι σεαυτὸν illud id est *Nosce teipsum*. Videsne adhuc quantum valeat montis hujus ascensio, quam utilis sit suis ipsius plena cognitio ?

CAPUT LXXIX.

Quibus modis ad scientiæ altitudinem pertingimus.

Sed quid hoc esse dicimus, quod sine tribus discipulis in hunc montem ascendere noluit, nec plus quam tres secum Christus duceri quæsivit ? Sed forte in hoc opere docemur, quod sine triplici studio ad hujus cognitionis celsitudinem non perducitur. Per studium operis, per studium meditationis, per studium orationis paulatim promovemur, et quandoque producimur ad perfectionem cognitionis. Multa enim experimur operando, multa invenimus investigando, multa extorquemus orando. Innumera siquidem, quæ nec per experientiam operis, nec per investigationem rationis invenire valemus, per importunitatem orationis, edocere meremur, ex revelatione divinæ inspirationis. His tribus comitibus sibi adjunctis, veritas in nobis proficit, et in alta se attollit, et eousque se per quotidiana incrementa exaltat, donec prædicti montis verticem tangat. O quam multos hodie videmus, studiosos in lectione, desidiosos in opere, tepidos in oratione, præsumentes tamen montis hujus cacumina posse apprehendere. Sed quando, quæso, apprehendent, qui Christum ducem non habent ? Neque enim ducit eos Christus, qui ascendere non vult, nisi cum discipulis tribus. Jungat ergo studio lectionis studium operis et orationis, qui Christum quærit habere ducem itineris, ductorem ascensionis. Absque dubio sine ingenti exercitio, sine frequenti studio, sine ardenti desiderio, ad perfectam scientiæ altitudinem, mens non sublevatur, qui Christi vestigia perfecte non sequitur, qui viam veritatis haud recte ingreditur.

CAPUT LXXX.

Quomodo summis conatibus nostris, divina revelatio occurrat.

Sed nec hoc silendum, quod multi montis hujus jam se credunt apprehendisse suprema, cum constat eos ejus vix tetigisse extrema. Sit tibi certum signum quia montis hujus verticem minime apprehendisti, si Christum clarificatum nondum videre meruisti. Mox ut te dux tuus Christus collocaverit in summo, apparet tibi in habitu alio, et te coram induitur lumine sicut vestimento, et sicut evangelista testatur, fiunt mox vestimenta ejus alba sicut nix, et qualia non potest fullo facere super terram.

Digitized by Google

quia ille divinæ sapientiæ splendor, qui ab alto speculationis vertice prospicitur, omnino definiri non potest per humani sensus prudentiam. Animadverte ergo quia aliam in valle, et aliam vestem Christus habet in monte. In valle sane habet vestem integram, sed in monte tantum, habet vestem gloriosam. Nescit penitus simplex veritas schismatum scissuras, et idcirco sive in valle, sive in monte non induit Christus nisi vestes integras. Sed multum interest inter vestem integram et vestem gloriosam. Vultis vestium ejus differentiam nosse, et inter vestem, et vestem distinctionem apertam accipere? *Si terrena*, inquit, *dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis?* (*Joan.* III.) Distingue ergo inter doctrinam et doctrinam, et invenies vestium differentiam. O quantum est inter doctrinam qua docentur terrena, et inter doctrinam qua docentur cœlestia, et quidem non sine Christo, quia sine veritate non cognoscuntur, vel ista, vel illa! Quid enim verum scitur, ubi veritas non loquitur? Christus ergo est qui docet utraque, sed terrena in valle, cœlestia in monte. Quandiu ergo adhuc in valle moraris, quandiu ad alta non ascendis, non te docet Christus nisi de rebus terrenis et infimis.

CAPUT LXXXI.

Quam suspecta debeat esse omnis revelatio, quam non comitatur Scripturarum attestatio.

Sed si jam te existimas ascendisse ad cor altum, et apprehendisse montem illum excelsum et magnum, si jam te credis Christum videre transfiguratum, quidquid in illo videas, quidquid ab illo audias non ei facile credas, nisi occurrant ei Moyses et Elias. Scimus quia in ore duorum vel trium stat omne testimonium. Suspecta est mihi omnis veritas quam *non confirmat* Scripturarum auctoritas nec Christum in sua clarificatione recipio, si non assistant ei Moyses et Elias. Et in valle, et in montis ascensione Christum sæpe recipio sine teste, nunquam autem in montis vertice, vel in sua clarificatione. Si Christus docet me de rebus exterioribus, vel de intimis meis facile recipio, utpote in his quæ comprobare possum proprio experimento, verum ubi ad alta mens ducitur, quoniam de cœlestibus quæstio ventilatur, ubi de profundis rebus agitur, in tantæ sublimitatis vertice non recipio Christum sine teste, nec rata poterit esse quamlibet verisimilis revelatio sine attestatione Moysis et Eliæ, sine Scripturarum auctoritate. Adhibeat igitur sibi Christus duo testimonia in transfiguratione sua, si vult ut non sit mihi suspecta claritatis suæ lux illa tam magna, et tam insolita. Ut ergo secundum hujus rei documentum, in ore duorum vel trium suum confirmet testimonium, ad comprobandam revelationis suæ veritatem, non solum figurative, sed etiam apertæ Scripturæ exhibeat auctoritatem. Pulchrum spectaculum, valdeque jucundum, cum in revelatione veritatis, hinc procedit manifesta ratio, et ad confirmationem revelationis illinc occurrit tam aperta, quam figurata locutio. Alioquin ab altitudine diei timebo, verens ne forte seducar a dœmonio meridiano. Unde enim tot hæreses, unde tot errores, nisi quia spiritus erroris transfigurat se in angelum lucis? Vides certe, quia uterque se transfigurat, Christus videlicet, et diabolus, sed Christus lucis suæ veritatem confirmat in duobus testibus. Apparent itaque Moyses et Elias cum Domino in hoc monte; apparent autem in majestate, non in obscuritate litteræ, sed in claritate spiritualis intelligentiæ.

CAPUT LXXXII.

Quam sint incomprehensibilia, quæ mens per excessum videt ex revelatione divina.

Ecce quam magna sunt, quæ in hoc monte geruntur, sed adhuc his majora sunt ea quæ sequuntur. Hoc enim totum discipuli stantes aspiciunt, nondum in faciem cadunt. Nondum paterna vox auditur, nondum auditor prosternitur. Nondum Rachel moritur, nondum Benjamin nascitur. Mox enim ut paterna vox intonuit, discipulos prostravit. Ad tonitruum itaque divinæ vocis auditor cadit, quia ad id quod divinitus inspiratur, humani sensus capacitas succumbit, et nisi humanæ ratiocinationis angustias deserat, ad capiendum divinæ inspirationis arcanum intelligentiæ sinum non dilatat. Ibi itaque auditor cadit, ubi humana ratio deficit. Ibi Rachel moritur, ut Benjamin oriatur. Idem itaque, nisi fallor, per mortem Rachel, et casum discipulorum figuratur, nisi quod trium in tribus discipulis, sensus videlicet, memoriæ et rationis defectus ostenditur. Ibi enim sensus corporeus, ibi exteriorum memoria, ibi ratio humana intercipitur, ubi mens supra semetipsam rapta in superna elevatur. Attendamus quam comprehensibile sit quod paterna vox insonuit, et intelligemus quam recte auditor succumbit: *Hic est*, inquit, *Filius meus dilectus in quo mihi complacui* (*Matth.* XI). Aliud est dicere complacui, et aliud est dicere complacuit: et tamen hoc unus, illud alter evangelista posuit. Consequens est autem ut, si ibi veraciter dictum est complacui, sensus qui ab alio evangelista ponitur, possit veraciter intelligi, sed non potest converti. Vere et absque contradictione, In ipso mihi complacuit, in quo ipse mihi complacui, sed non statim in quocunque mihi complacuit, in illo ipse mihi complacui. Si igitur complacui ibi dictum non esset, nullo modo evangelista hoc dicere auderet: *Hic est*, inquit, *Filius meus in quo mihi complacui.* Certe si Filius aliud quam Pater esset, posset Patri in Filio complacere, sed ipse sibi Pater in Filio complacere non posset. Quid est dicere complacui, nisi quomodo placui mihi, in meipso, ita placui mihi in Filio. An forte in eo quod dicit, mihi complacui, in hoc suo beneplacito socium se habere ostendit? Quia quomodo Pater complacet in Filio, sic in Filio complacet et Spiritui sancto. Vel forte idcirco dicitur complacui, ut inde detur intelligi, quia quomodo Pater sibi complacet in Filio, sic sibi nimirum complacet in Spiritu sancto. Quid horum rectius dicitur? An potius totum hoc, quam unum horum aliquod singulariter intelligitur? Hæc adhuc verba

Digitized by Google

aliter atque aliter distingui possent, si ad ministerii profunditatem intimandam, minus ista sufficerent. Certum est autem, quia quidquid horum eligitur, unitatem substantiæ in diversis personis astruit, si recte intelligatur. Nam illud quod dicitur, hic est Filius meus, personarum diversitatem ostendit : unus enim atque idem sibi ipsi, et Pater et Filius esse non posset. Sed quid sensus hoc capiat, quomodo unus ad alium sit, alius in persona, idem in essentia? Si exemplum quæris, nusquam creaturarum invenis, quod tibi satisfacere valeat, si rationem consulas, omnis humana ratio reclamat. Intantum enim est ista assertio, supra omnem humanam æstimationem et præter omnem humanam rationem, ut nunquam ei ratio acquiesceret, nisi ad hujus rei certitudinem fides eam sublevaret. Merito ergo in hujus mysterii revelatione auditor cadit, sensus deficit, humana ratio succumbit.

CAPUT LXXXIII.

Quoa illa mens divinas revelationes percipit, quæ in intimis stare consuevit.

Merito talis revelatio non est facta nisi in monte neque enim mysterii hujus, tam profunda sublimitas, et tam sublimis profunditas debuit manifestari in valle. Qui enim conversatione vel cogitatione adhuc in imo sunt, hujus muneris dignatione indignos se ostendunt. Ascendat ergo homo ad cor altum ascendat in montem istum, si vult illa capere, si vult illa cognoscere, quæ sunt supra sensum humanum. Ascendat per semetipsum supra semetipsum. Per cognitionem sui, ad cognitionem Dei. Discat prius homo in Dei imagine, discat in ejus similitudine quid debeat de Deo cogitare. Montis ascensio, ut dictum est, pertinet ad cognitionem sui, ea quæ supra montem geruntur, provehunt ad cognitionem Dei. Illud ad Joseph, ista ad Benjamin pertinere dubium non est. Ante Benjamin Joseph nasci necesse est. Mens quæ se ad sui considerationem non sublevat, quomodo ad ea quæ supra ipsam sunt, penna contemplationis evolat? In hunc montem Dominus descendit, Moyses ascendit. In hoc monte, de tabernaculi constructione, Dominus docuit, Moyses didicit. Quid per tabernaculum fœderis, nisi status intelligitur perfectionis? Qui igitur montem ascendit, qui diligenter attendit, qui diutius quærit, qui tandem invenit qualis sit, restat ut ex divina revelatione cognoscat qualis esse debeat, quale mentis ædificium Deo præparare, quibus obsequiis Deum placare oporteat. Mens igitur, quæ adhuc per varia desideria spargitur, quæ variis cogitationibus huc illucque distrahitur, quando putas hanc gratiam accipere merebitur? Quæ nondum potest seipsam in unum colligere, quæ necdum novit, ad semetipsam intrare, quando poterit, ad ea quæ supra seipsam sunt contemplatione ascendere?

CAPUT LXXXIV.

Quomodo mens se ad interiora colligere debeat, quæ in cœlestium contemplationem anhelat.

Discat ergo dispersiones Israelis congregare, studeat evagationes mentis restringere, assuescat in intimis suis immorari, exteriora omnia oblivisci, qui ad cœlestium contemplationem anhelat, qui in divinorum notitiam suspirat. Faciat ecclesiam non solum desideriorum, verum etiam cognitionum, ut discat verum bonum, solum amare, et ipsum solum indesinenter cogitare : *In ecclesiis*, inquit, *benedicite Deo* (*Psal.* LXVII). In hac namque gemina ecclesia, cogitationum videlicet et desideriorum, in hac gemina unanimitate studiorum et voluntatum, Benjamin in excelsum rapitur, et mens divinitus afflata in superna elevatur : *Ibi*, inquit, *Benjamin adolescentulus in mentis excessu* (*ibid.*). Ubi putas nisi in ecclesiis? In ecclesiis, benedicite Deo, Domino de fontibus Israel. Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Prius tamen est cuique ut faciat de cogitationibus, vel desideriis suis Synagogam, quam Ecclesiam. Nostis satis quod Synagoga *congregatio*, Ecclesia interpretatur *convocatio*. Aliud est sine voluntate seu contra voluntatem, aliqua in unum cogere, atque aliud per seipsa ad nutum jubentis, sponte occurrere. Insensibilia, et bruta congregari possunt, convocari autem non possunt. Sed et ipsorum quoque rationalium concursus, spontaneo nutu fit, ut jure convocatio dici possit. Vides ergo quantum sit inter convocationem et congregationem, et inter Ecclesiam et Synagogam. Si igitur præsenseris desideria tua circa exteriores delectationes affici, et cogitationes tuas, in eis jugiter occupari, cum magna sollicitudine compelle intrare, ut possis saltem ex eis interim Synagogam facere. Quoties enim evagationes mentis, in unum colligimus, et omnes cordis motus in uno æternitatis desiderio figimus, quid aliud quam de illa interna familia Synagogam facimus? Sed cum jam illa desideriorum nostrorum, cogitationumque frequentia, illius internæ dulcedinis degustatione allecta, ad nutum rationis, sponte occurrere, et in intimis fixa stare didicerit, Ecclesiæ utique nomine, ulterius digna censeri poterit. Discamus ergo sola interiora bona amare, discamus sola illa frequentius cogitare, et quales Benjamin diligere scimus, procul dubio ecclesias efficimus.

CAPUT LXXXV.

Quam sit jucundum, et dulce contemplationis gratiam familiare habere.

In hujusmodi siquidem ecclesiis Benjamin, libenter immoratur, mirabiliter delectatur, et cum seipsum præ gaudio jam capere non possit, supra seipsum ducitur, et per excessum mentis in summa elevatur. Nisi enim in interiorum contemplatione, Benjamin noster delectabiliter requiesceret, de eo procul dubio per Moysen scriptum non esset : *Benjamin*, ait, *amantissimus Domini habitabit in eo confidenter, tota die quasi in thalamo commorabitur, et inter humeros illius requiescet* (*Deut.* XXXIII). Quid putas causæ est quod iste Benjamin tota die in thalamo moram facit, quod ibi jugiter requiescit, intantum ut nec ad horam saltem exire velit? Illud

Digitized by Google

autem scimus quod in thalamis soleant sponsus et sponsa simul morari, amoris obsequiis, in alterutrum occupari, mutuis amplexibus, et charitate alterna confoveri. Mirandæ ergo pulchritudinis, et formæ singularis, ni fallor, prærogativa pollet, quæcunque sit illa Benjamin nostri dilecta, et cujus contubernium nunquam fastidire valet, et a cujus amplexibus, nec ad horam abesse volet. Sed si jam vocem hujus Benjamin, esse noscimus, quantæ pulchritudinis sit ejus dilecta minime dubitamus: *Dixi sapientiæ, soror mea es, et prudentiam vocavi amicam meam* (*Prov.* VII). Vultis audire quod non possit fastidire hujus dilectæ suæ pulchritudinem, quam sororem et amicam vocat, propter castam et ardentissimam dilectionem? *Intrans in domum meam*, inquit, *conquiescam cum illa. Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ipsius, sed lætitiam, et gaudium, et in amicitia ipsius delectatio bona* (*Sap.* VIII). Dicat quisque quid sentiat, ego aliam causam non invenio, quæ illum intrinsecus ita ligatum teneat, ut nec ad modicum quidem exire valeat. Unum autem scio, quia quisquis hujusmodi amicæ desiderio flagrat, quanto eam familiarius novit, tanto amplius amat, et quo frequentius ejus fruitur amplexibus, eo vehementius ejus desiderio æstuat. Ejus siquidem frequens conturbernium, solet sane desiderium, non minuere, sed augere, et amoris incendium acrius inflammare. Mirum ergo non est, cur iste Benjamin, tota die quasi in thalamo commoratur, qui talis sponsæ dulcedine fruitur, et inter humeros illius requiescens, ejus amore jugiter delectatur. Quam putas frequentes mentis excessus patitur, quam sæpe in extasin raptus, supra seipsum ducitur, dum pulchritudinis ejus magnitudine attonitus, in ejus admiratione suspenditur, et impletur absque dubio quod de eo legitur: *Benjamin adolescentulus in mentis excessu.*

Notandum sane quomodo sibi occurrant testimonia Scripturarum. Quod enim propheta per Rachelis interitum, quod evangelista designat per casum discipulorum, Psalmista exprimit in Benjamin, per mentis excessum.

CAPUT LXXXVI.

De duobus generibus contemplationum.

Possumus tamen per mortem Rachel, et per excessum Benjamin, diversa contemplationum genera, non inconvenienter intelligere. Constat siquidem duo contemplationum genera, supra rationem esse, et utrumque ad Benjamin pertinere. Et primum quidem est supra rationem, sed non præter rationem; secundum autem et supra rationem et præter rationem. Illa sane supra rationem, sed præter rationem non sunt; quæ quamvis ratio patitur esse, nulla tamen ratione investigari vel convinci possunt. Illa autem dicimus, et supra rationem, et præter rationem esse quibus videtur omnis ratio humana contraire. Qualia sunt ea, quæ de Trinitatis unitate credimus, et multa quæ de corpore Christi indubitata fidei auctoritate tenemus. Quod enim in una, et simplici natura triplex persona sit, vel quod unum idemque corpus eodem in tempore, in diversis locis esse possit, nulla humana ratio patitur, et hujusmodi assertionibus omnis absque dubio ratiocinatio reclamare videtur. Hæc sunt itaque duo genera illa contemplationum, quorum unum ad mortem Rachel, alterum pertinet ad Benjamin excessum. In primo Benjamin interficit matrem, ubi omnem supergreditur rationem; in secundo autem etiam seipsum excedit, ubi in eo, quod ex divina revelatione cognoscitur, humanæ intelligentiæ modum transcendit. Hoc autem non solum in Benjamin, sed et in omnibus fratribus oportet attendere, imo et in innumeris Scripturarum locis, diligenter observare, quomodo soleat Scriptura divina, circa eamdem rem, nunc significationem extendere, modo restringere, vel etiam mutare. Solet autem hos alternantium significationum modos, modis multis determinare, et modo per locum, modo per actum, vel aliis quibusque circumstantiis, sensum suum aperire. Per locum determinatur sicut est illud, ubi Benjamin in Ægyptum descendisse legitur. Per actum, sicut ibi, ubi Joseph et Benjamin, in mutuos amplexus ruunt, et alterna oscula jungunt.

CAPUT LXXXVII.

Quomodo contemplatio desinat in meditationem, vel quomodo meditatio surgat in contemplationem.

Quid est Benjamin in Ægyptum descendere, nisi ab æternorum contemplatione, ad temporalia contemplanda, intuitum mentis revocare, et ab æternitatis luce, quasi de vertice cœli, usque ad mutabilitatis tenebras, intelligentiæ radios deponere, et in tanta alternantium rerum confusione, divinorum judiciorum rationem perpendere, et ex magna parte penetrare? Et quid est quod Joseph et Benjamin conveniunt, et oscula jungunt, nisi quod meditatio et contemplatio sæpe invicem sibi cum rationis attestatione occurrunt? Nam quantum ad generalem considerationem pertinet, sicut per Benjamin gratia contemplationis, sic per Joseph intelligi valet gratia meditationis. Proprie tamen et expressius per Benjamin designatur intelligentia pura, per Joseph vero prudentia vera. Per Benjamin, scilicet illud genus contemplationis, quod est de invisibilibus; per Joseph, illud genus meditationis quod est in moribus. Comprehensio siquidem rerum invisibilium pertinet ad intelligentiam puram, circumspectio vero morum pertinet ad prudentiam veram. Intelligentiam puram dicimus, quæ est sine admistione imaginationis; prudentiam autem veram, ad differentiam ejus quæ dicitur prudentia carnis. Prudentia vera est de acquirendis, multiplicandis, conservandis veris bonis; prudentia autem carnis est, de bonis transitoriis, secundum quam filii hujus sæculi dicuntur prudentiores filiis lucis (*Luc.* XVI). Toties ergo Joseph super collum Benjamin ruit, quoties meditatio in contemplationem desinit. Tunc Benjamin fratrem suum super se ruentem excipi-

Digitized by Google

quando ex studio meditationis, animus in contemplationem surgit. Tunc Benjamin et Joseph oscula jungunt, quando divina revelatio et humana ratiocinatio in una veritatis attestatione consentiunt. Videsne quomodo divina Scriptura circa unam eamdemque rem significationis modum alternat, ubique tamen aliquid adjungit unde sensum suum ex toto latere non sinat. In morte Rachel contemplatio supra rationem ascendit, in introitu Benjamin in Ægyptum, contemplatio usque ad imaginationem descendit, in deosculatione Benjamin et Joseph, divinæ revelatione humana ratio applaudit.

DE GRATIA CONTEMPLATIONIS

LIBRI QUINQUE

OCCASIONE ACCEPTA AB ARCA MOYSIS ET OB EAM REM HACTENUS DICTUM

BENJAMIN MAJOR.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De contemplatione ejusque commendatione.

Mysticam Moysi arcam libet, si liceat ex inspirationis illius munere qui habet clavem scientiæ lucubratiunculæ nostræ expositione, vel ad aliquid reserare, et si quid adhuc in hoc arcanorum divinorum secretario, scientiarumque reconditorio repositum latet, quod a nostra exiguitate ad aliquorum utilitatem erui possit, non nos pigebit in publicum exponere et in commune preponere. Multa quidem de hac materia utiliter jam dicta sunt. Restant adhuc multa quæ de eadem adhuc utiliter dici possunt. Quid juxta allegoricum sensum hæc arca mystice designet, vel quomodo Christum significet, a doctoribus fuit jam ante nos dictum et a perspicacioribus pertractatum. Nec idcirco tamen temeritatis incuriam incurrere nos suspicamur, si aliud in eamdem adhuc materiam moraliter loquamur. Verumtamen ut hujus nobis materiæ studiosa pertractatio amplius dulcescat, nostrumque desiderium in ejus admirationem vehementius trahat, cogitemus quid ille prophetarum eximius de ea sentiat, qui eam arcam sanctificationis vocat : *Surge*, inquit, *Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ* (*Psal.* CXXXI). Arca sanctificationis, putamus an habeat nomen ex re, hæc quæ dicitur arca sanctificationis? Diligenter attendendum, et profunde retinendum quod hæc quæcunque sit dicitur arca sanctificationis vobis quibus doctor noster præcipit dicens : *Sancti estote sicut et ego sanctus sum* (*Levit.* XI). Vos igitur qui sanctificamini hodie, et eras, in diem tertium, nolite negligenter attendere quid sibi velit quod dicitur arca sanctificationis Sed si Moysi jure creditur, scimus quod quicunque tetigerit eam sanctificabitur (*Exod.* XIX). Si omnino sic est, meriti omnis populus quærit eam tangere si virtus sanctificationis exit ab ea. O si quis inveniatur in vobis vir unus sicut ille de Ramathaim qui indutus vestimentis gloriæ, sicut decet summum pontificem, dignus sit introire in Sancta sanctorum, ut possit non solum videre, sed etiam tangere hanc quæ dicitur arca sanctificationis et emundetur ab immunditiis suis. Sed quid de illo dicam si cui forte data est clavis scientiæ ab eo qui aperit, et nemo claudit, ut possit videre quid intus habeat hæc arca sanctificationis? Puto enim pretiosum aliquid in hac arca repositum. Multum vellem scire quæ sit hæc arca quæ possit sanctificare accedentes, ut merito dicatur arca sanctificationis. De sapientia autem non dubito quin ipsa sit quæ vincit malitiam (*Sap.* VII). Scio nihilominus quia quicunque sanati sunt ab initio per sapientiam sanati sunt (*Sap.* IX). Sed et hoc satis constat neminem posse placere Deo nisi fuerit sapientia cum eo. Quis dubitet ad sanctificationem pertinere hominem mundari ab omni immunditia sua, mentem cujuslibet purgari ab omni malitia et nequitia? Hæc enim sunt quæ coinquinant hominem. Purgatur autem per sapientiam quando fortior superveniens vincit malitiam utpote attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (*Sap.* VIII). Et hoc ipsum sic purgari est, ut arbitror, sanctificari. Præcepturus Dominus Moysi de constructione tabernaculi, primo omnium instruxit eum de arca fabricanda, ut ex eo ipso innueret propter illam cætera omnia esse facienda. Præcipuum et principale sanctuarium arcam fuisse puto quod nemo dubitat ex omnibus illis quæ tabernaculum fœderis continebat. Quærenti igitur quam gratiam significare possit illud sacrarium, quod cæteris omnibus dignius fuit, facile occurrit, nisi forte quis dubitet quod Maria optimam partem elegerit. Sed quæ est ista pars optima quam Maria elegit (*Luc.* X), nisi vacare, et videre quam suavis est Dominus? (*Psal.* XXXIII.) Nam Martha, ut Scriptura loquitur,

Digitized by Google

sollicitudinem gerente, Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Summam itaque Dei sapientiam in carne latitantem quam oculis carnis videre non poterat audiendo intelligebat, et intelligendo videbat, et in hunc modum sedendo, et audiendo summæ veritatis contemplationi vacabat. Hæc est pars quæ electis et perfectis nunquam auferetur. Hoc sane negotium quod nullo fine terminatur. Nam veritatis contemplatio in hac vita inchoatur, sed in futura jugi perpetuitate celebratur. Per veritatis sane contemplationem homo et eruditur ad justitiam et consummatur ad gloriam. Vides ergo quam recte gratia contemplationis in eo sacrario intelligitur, quod cæteris omnibus in Dei tabernaculo quadam sui dignitate præfertur. O quam singularis gratia! o singulariter præferenda per quam in præsenti sanctificamur, et in futuro beatificamur! Si igitur per arcam sanctificationis recte intelligitur gratia contemplationis, merito hæc gratia expetitur per quem qui accipit, non solum emundatur, sed etiam sanctificatur. Absque dubio nihil sic cor ab omni mundano amore emundat, nihil sic animum ad cœlestium amorem inflammat. Ipsa utique est quæ emundat, ipsa quæ sanctificat, ut per assiduam veritatis contemplationem fiat mundus per contemptum mundi, et sanctus per dilectionem Dei.

CAPUT II.

Quod sit utilis, vel grata hæc gratia proficientibus in ea.

Sed eadem ipsa, quæ per David dicitur arca sanctificationis, per Moysen vocatur arca fœderis. Sed cur arca, cur arca fœderis, nec cujuscunque sed Domini? Scimus autem quia pretiosa quæque aurum, argentum et lapides pretiosi soleant in arca reponi. Si igitur sapientiæ et scientiæ thesauros cogitemus, quod sit illud ejusmodi thesaurorum reconditorium citius inveniemus. Quæ erit arca in id negotii idonea nisi humana intelligentia? Hæc autem arca divino magisterio fabricatur et deauratur, quando humana intelligentia divina inspiratione et revelatione ad contemplationis gratiam promovetur. Sed quando ad hanc gratiam in hac vita proficimus, quid aliud quam arrhas quasdam futuræ illius plenitudinis accipimus, ubi sempiternæ contemplationi perpetuo inhærebimus? Hanc itaque gratiam accipimus quasi arrham divinæ promissionis, quasi pignus divinæ dilectionis, velut quoddam vinculum fœderis et monumentum mutuæ charitatis. Videsne quam recte arca fœderis Domini dicit, in qua et per quam talis gratia figuratur? Quod libenter debet se ad omnem laborem accingere, qui se cupit, vel credit tale, et tantæ dilectionis pignus accipere. Non dubito quod quicunque est inter vos servus Hebræus quin libenter pro hujusmodi gratia serviat sex annis, ut in septimo exeat liber gratis, ut deinceps libere possit vacare contemplationi veritatis. Si quis vero invenitur in vobis qui Jacob sit, vel qui tali nomine digne censeri possit, eo quod sit vir fortis et potens in prælio, strenuus luctator, vitiorumque supplantator, ut alia superet fortitudine, alia supplantet discretione, qui hujusmodi est profecto libenter serviet annis septem, et septem pro tali gratia, in tantum ut videantur ei dies pauci præ amoris magnitudine, dummodo possit ad amplexus Rachel, vel sero pervenire. Qui enim vult ad ejus amplexus pertingere, necesse est eum pro ea annis septem, et septem servire, ut discat requiescere, non solum ab operibus malis, sed etiam a cogitationibus supervacuis. Multi siquidem et si sciant vacare corpore, minime tamen prævalent vacare corde, nescientes facere Sabbatum ex Sabbato, et idcirco non valentes implere quod legitur in Psalmo : *Vacate et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV). Vacantes siquidem corpore, sed vagantes ubique corde, nequaquam videre merentur quam dulcis est Dominus, quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde (*Psal.* LXXII). Et hinc est quod hostes derident Sabbata eorum (*Thren.* I). Sed verus Jacob laborare non cessat, donec ad desiderii finem perveniat, serviens apud verum Laban, vere decandidatum, quia glorificatum, quem Pater glorificavit apud semetipsum claritate quam habuit ante mundi constitutionem (*Joan.* XII), quem oportuit pati et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV), ut servili formæ superduceret candorem gloriæ, et esset vere decandidatus, super nivem dealbatus (*Psal.* L), gloria et honore coronatus, fieretque formosus non solum præ filiis hominum, verum etiam præ spiritibus angelorum, et talis in quem desiderent angeli prospicere (*I Petr.* I). Videsne quanta sit hæc gratia, pro qua tam longanimiter, tam libenter laboratur, quæ cum tanto labore acquiritur, cum tanta jucunditate possidetur? De hac sane gratia Moyses pluribus Scripturarum suarum locis sub figurata locutione agit; sed hic eam plenius mystica descriptione distinguit, ubi eam per genera dividit.

CAPUT III.

De contemplationis proprietate, vel in quo differat a meditatione, vel cogitatione.

Ut autem ea quæ de contemplatione dicenda sunt possimus commodius capere, rectiusque dijudicare, debemus prius quid ipsa sit determinando, vel diffiniendo quærere, et quomodo differat a cogitatione vel meditatione. Sciendum itaque quod unam eamdemque materiam aliter per cogitationem intuemur, aliter per meditationem rimamur, atque aliter per contemplationem miramur. Multum a se invicem hæc tria in modo differunt, quamvis quandoque in materia conveniant. De una siquidem eademque materia, aliter cogitatio, aliter meditatio, longeque aliter agit contemplatio. Cogitatio per devia quæque lento pede, sine respectu perventionis, passim huc illucque vagatur. Meditatio per ardua sæpe et aspera ad directionis finem cum magna animi industria nititur. Contemplatio libero volatu quocunque eam fert impetus mira agilitate circumfertur. Cogitatio serpit, meditatio incedit et ut multum currit. Contemplatio autem omnia circumvolat, et cum voluerit se in summis librat. Cogitatio est sine labore et fructu. In meditatio e est labor cum fructu. Contemplatio permanet sine

Digitized by Google

labore cum fructu. In cogitatione evagatio, in meditatione investigatio, in contemplatione admiratio. Ex imaginatione cogitatio, ex ratione meditatio, ex intelligentia contemplatio. Ecce tria ista, imaginatio, ratio, intelligentia. Intelligentia obtinet supremum locum, imaginatio infimum, ratio medium. Omnia quæ subjacent sensui inferiori, necesse est ea etiam subjacere sensui superiori. Unde constat quia cuncta quæ comprehenduntur ab imaginatione, ea etiam aliaque multa quæ supra jam sunt comprehendi a ratione. Similiter ea quæ imaginatio vel ratio comprehendunt, sub intelligentia cadunt, et ea etiam quæ illæ comprehendere non possunt. Vide ergo contemplationis radius, quam late se expandat, qui omnia lustrat. Et licet sæpe circa eamdem rem, alius per cogitationem, alius per meditationem, alius per contemplationem occupetur, quamvis non dispari via, dispari tamen motu feruntur. Cogitatio semper vago motu de uno ad aliud transit, meditatio circa unum aliquid perseveranter intendit, contemplatio sub uno visionis radio ad innumera se diffundit. Per intelligentiam siquidem sinus mentis in immensum expanditur, et contemplantis animi acies acuitur, ut capax sit ad multa comprehendenda, et perspicax ad subtilia penetranda. Nunquam enim contemplatio potest esse sine quadam vivacitate intelligentiæ. Sicut enim ex intelligentia est quod oculus mentis in corporeis figitur, sic ex ejusdem vi esse constat quod sub uno intuitu in rebus corporeis ad tam infinita comprehendenda dilatatur. Denique quoties contemplantis animus dilatatur ad ima; quoties elevatur ad summa, quoties acuitur ad inscrutabilia, quoties agilitate miranda pene absque mora rapitur per innumera, ex quadam intelligentiæ vi hoc esse non dubita. Hæc propter illos dicta sunt, qui ista inferiora sub intelligentiæ aspectum cadere, vel ad contemplationem usquequaque pertinere, indignum ducunt. Specialiter tamen et proprie contemplatio dicitur, quæ de sublimibus habetur, ubi animus pura intelligentia utitur. Semper autem contemplatio est in rebus, vel per sui naturam manifestis, vel per studium familiariter notis, vel ex divina revelatione perspicuis.

CAPUT IV.

Definitio singulorum, contemplationis, meditationis, cogitationis.

Videtur itaque sic definiri posse. Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa, vel certe sicut præcipuo illi nostri temporis theologo placuit, qui eam in hæc verba definivit. Contemplatio est perspicax et liber animi contuitus in res perspiciendas usquequaque diffusus; meditatio vero est studiosa mentis intentio circa aliquid investigandum diligenter insistens, vel sic: Meditatio est providus animi obtutus in veritatis inquisitione vehementer occupatus; cogitatio autem est improvidus animi respectus ad evagationem pronus. Videtur itaque tribus esse cominune et quasi substantiale quemdam animi aspectum esse. A Ubi enim nil mente conspicitur, nullum horum recte dicitur vel esse affirmatur. Commune est autem tam contemplationi quam meditationi circa utilia occupari, et in sapientiæ vel scientiæ studiis maxime imo assidue versari. Sed in hoc sane solet maxime a cogitatione differre qui se singulis pene momentis consuevit ad inepta et frivola relaxare, et sine ullo discretionis freno ad omnia se ingerere, vel præcipitem dare. Commune vero est contemplationi et cogitationi libero quodam motu et secundum spontaneum nutum huc illucque circumferri, et nullo difficultatis obstaculo a discursionis suæ impetu præpediri. Differunt autem in eo ipso maxime a meditatione cujus studium est semper quovis industriæ labore, qualibet animi difficultate ardua B quæque apprehendere, obstrusa irrumpere, occulta penetrare. Fit tamen sæpe ut in cogitationum nostrarum evagatione tale aliquid animus incurrat quod scire vehementer ambiat, fortiterque insistat. Sed dum mens desiderio suo satisfaciens ejusmodi inquisitioni studium impendit, jam cogitationis modum cogitando excedit, et cogitatio in meditationem transit. Solet sane simile aliquid circa meditationem accidere. Nam veritatem quidem diu quæsitam tandemque inventam mens solet cum aviditate suscipere, mirari cum exsultatione, ejusque admirationi diutius inhærere. Et hoc est jam meditationem meditando excedere, et meditationem in contemplationem transire. Proprium itaque est contemplationi C jucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere. Et in hoc utique differre videtur tam a meditatione quam a cogitatione. Nam cogitatio, uti jam dictum est, vago incessu semper huc illucque divertit, meditatio vero destinata promotione semper in ulteriora tendit.

CAPUT V.

Quod contemplationis modus multiformiter agitur.

Sed cum perspicax ille contemplationis radius semper ex admirationis magnitudine juxta aliquid suspendatur, non tamen uno modo semper nec uniformiter id agitur. Nam vivacitas illa intelligentiæ in contemplantis animo mira agilitate modo it atque redit, modo se quasi in gyrum flectit, modo autem D se quasi ad unum colligit, et quasi immobiliter figit. Hujus sane rei formam si recte perpendimus, in cœli volatilibus quotidie videmus. Videas alia nunc se ad altiora attollere, nunc se in inferiora demergere, et eosdem ascensionis descensionisve suæ modos sæpius repetere. Videas alia nunc dextrorsum, nunc sinistrorsum divertere, et nunc in hanc, nunc vero in illam partem declinando in anteriora parum, vel pene nihil se promovere, et easdem discursuum suorum vicissitudines multa instantia multipliciter reiterare. Videas alia sub magna festinantia se in anteriora extendere. Sed mox sub eadem celeritate in posteriora redire, et sæpe idipsum agere, eosdemque excursus atque recursus diutina frequentatione continuare atque protrahere. Videre licet alia quc-

Digitized by Google

modo se in gyrum flectunt et quam subito, vel quam sæpe eosdem, vel similes, nunc autem paulo latiores, nunc paulo contractiores circuitus repetunt, et semper in idipsum redeunt. Videre licet alia quomodo tremulis alis sæpeque reverberatis se in uno eodemque loco diutius suspendunt, et mobili se agitatione quasi immobiliter figunt, et ab eodem suspensionis suæ loco diu multumque hærentia penitus non recedunt, ac si operis et instantiæ suæ exsecutione prorsus videantur exclamare et dicere : *Bonum est nos hic esse* (*Luc.* IX). Juxta hoc sane propositarum similitudinum exemplar contemplationis nostræ volatus multiformiter variatur, et pro personarum negotiorumque varietate vario modo formatur. Nunc de inferioribus ad summa, nunc de superioribus ad ima ascendit et descendit, et nunc de parte ad totum, nunc de toto ad partem considerationis suæ agilitate discurrit, et ad id quod sciri oportet nunc a majori, nunc a minori argumentum trahit. Modo autem in hanc, modo in oppositam partem divertit, et contrariorum notitiam ex contrariorum scientia elicit, et pro vario oppositorum modo ratiocinationis suæ exsecutionem variare consuevit. Aliquando in anteriora currit, et subito in posteriora redit, dummodo ex effectibus, modo ex causis et qualibuscunque antecedentibus, vel consequentibus cujuslibet rei modum, vel qualitatem deprehendit. Quandoque vero quasi in gyrum speculatio nostra ducitur, dum unicuique rei quæ sint cum multis communia considerantur, dum ad unam quamlibet rem determinandam nunc a similibus, nunc a similiter se habentibus seu communiter accidentibus ratio trahitur et assignatur. Tunc autem in uno eodemque loco considerationis nostræ defixio quasi immobilis sistitur, quando in qualiscunque rei esse, vel proprietate perspicienda atque miranda contemplantis intentio libenter immoratur. Sed, ne verba nostra humanam philosophiam videantur redolere, vel a catholicæ doctrinæ plano simplicitatisque tenore discedere commodius fortasse dicemus, quia ascendere et descendere, ire et redire, nunc huc, nunc illuc declinare, modo in circuitum pergere, vel tandem in uno hærere nihil aliud sit quam summa agilitate, nunc de imis ad summa vel summis ad ima, nunc de primis ad novissima vel novissimis ad prima, modo de disparibus ad disparia meritorum vel præmiorum genera mente transire, modo circumstantia vel cohærentia cujusque rei curiosa perlustratione circumspicere, vel tandem aliquando in alicujus speculationis novitate, novitatisque admiratione animum satiare. Vides certe quod et superius locuti sumus, quomodo contemplationis nostræ negotium semper juxta aliquid suspenditur atque protrahitur, dum contemplantis animus jucunditatis suæ spectaculo libenter immoratur, dum semper studet, vel in ipsum sæpe redire, vel in eodem diutius immobiliter permanere. Audi de illo contemplationis modo qui quodammodo fieri solet ante et retro : *Ibant animalia et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis* (*Ezech.* I). Accipe et de illo per quem animus in diversa rapitur, et nunc in hanc partem, nunc in illam discurrendo mira agilitate in contraria agitatur: *Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent* (*Sap.* III). Illum qui quasi sursum et deorsum fit, paucis Psalmista verbis expressit : *Ascendunt*, inquit, *usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos* (*Psal.* CVI). Ad illum contemplandi modum qui velut in girum ducitur, prophetica illa voce admoneris qua dicitur : *Leva in circuitu oculos tuos, et vide* (*Isa.* LIX). Tunc autem contemplationis radius velut in uno loco immobiliter figitur, quando illuc Habacuc in semetipso quilibet experitur : *Sol et luna steterunt in habitaculo suo* (*Habac.* III). Ecce jam quid sit contemplatio, determinando, vel definiendo docuimus. Superest ut eam per species dividamus, et quot sint genera contemplationum consequenter videamus.

CAPUT VI.

Quot sint vel quæ contemplationis genera.

Sex autem sunt contemplationum genera a se et inter se omnino divisa. Primum itaque est in imaginatione et secundum solam imaginationem. Secundum est in imaginatione secundum rationem. Tertium est in ratione secundum imaginationem. Quartum est in ratione et secundum rationem. Quintum est supra, sed non præter rationem. Sextum supra rationem, et videtur esse præter rationem. Duo itaque sunt in imaginatione, duo in ratione, duo in intelligentia. In imaginatione contemplatio nostra tunc procul dubio versatur, quando rerum istarum visibilium forma, et imago in considerationem adducitur, cum obstupescentes attendimus, et attendentes obstupescimus, corporalia ista quæ sensu corporeo haurimus quam sint multa, quam magna, quam diversa, quam pulchra vel jucunda, et in his omnibus creatricis illius superessentiæ potentiam, sapientiam, munificentiam mirando veneramur, et venerando miramur. Tunc autem contemplatio nostra in imaginatione versatur, et secundum solam imaginationem formatur, quando nihil argumentando quærimus vel ratiocinando investigamus, sed libera mens nostra huc illucque discurrit, quo eam in hoc spectaculorum genere admiratio rapit.

Secundum autem contemplationis genus est quod in imaginatione quidem consistit, secundum rationem tamen formatur atque procedit, quod fit quando ad ea quæ in imaginatione versamus, et quæ ad primum contemplationis genus pertinere jam diximus, rationem quærimus et invenimus, imo inventam et notam in considerationem cum admiratione adducimus. In illo itaque res ipsas, in isto earum utique rationem, ordinem, dispositionem et uniuscujusque rei causam, modum et utilitatem rimamur, speculamur, miramur. Hæc itaque contemplatio in imaginatione, sed secundum rationem consistit, quia circa ea quæ in imaginatione versantur ratiocinando procedit. Et quamvis juxta aliquid in ra-

Digitized by Google

tione etiam hæc contemplatio consistere videatur in qua visibilium ratio quæritur, recte tamen in imaginatione consistere dicitur, quia quidquid in ea ratiocinando quærimus, vel invenimus ad illa procul dubio accommodamus quæ in imaginatione versamus dum circa ea et propter ea ratiocinationi insistimus.

Tertium contemplationis genus esse diximus quod in ratione secundum imaginationem formatur. Hoc autem contemplationis genere veraciter tunc utimur, quando per rerum visibilium similitudinem in rerum invisibilium speculationem sublevamur. Hæc vero speculatio in ratione consistit, quia his solis quæ imaginationem excedunt per intentionem et investigationem insistit quia solis invisibilibus intendit his solis maxime quæ per rationem comprehendit. Sed secundum imaginationem idcirco formari dicitur quia ex rerum visibilium imagine in hac speculatione similitudo trahitur, unde in rerum invisibilium investigatione animus adjuvetur. Et recte quidem hæc contemplatio in ratione quidem, sed secundum imaginationem esse dicitur, quamvis ratiocinando promovetur, quia omnis ejus ratiocinatio et argumentatio ab imaginatione fundamentum sumit, et firmamentum capit, et ab imaginabilium proprietate investigationis et assertionis suæ rationem trahit.

Quartum genus contemplationis est quod in ratione et secundum rationem formatur : quod utique fit quando, semoto omni imaginationis officio, solis illis animus intendit quæ imaginatio non novit, sed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem comprehendit. Ejusmodi speculationi insistimus quando invisibilia nostra quæ per experientiam novimus, et ex intelligentia capimus in considerationem adducimus; et ex eorum consideratione in cœlestium animorum, et supremum bonorum intellectuum contemplationem assurgimus. Hæc autem contemplatio in ratione consistit, quia sensibilibus semotis, solis intelligibilibus intendit. Et hæc quidem contemplatio ab illis utique invisibilibus nostris videtur et initium sumere, et fundamentum capere, quæ humanum animum constat per experientiam nosse vel per communem intelligentiam comprehendere. Sed pro hac tantum parte hæc contemplatio etiam in ratione recte consistere dicitur, quia hæc ipsa invisibilia nostra a ratione comprehenduntur, et in eo ipso ratiocinationis modum minime supergrediuntur. Quæ idcirco secundum solam rationem procedit, quia ex invisibilibus per experientiam notis alia et alia ratiocinando colligit quæ per experientiam non novit. In hac primum contemplatione humanus animus pura intelligentia utitur, et semoto omni imaginationis officio, ipsa intelligentia nostra in hoc primum negotio seipsam per semetipsum intelligere videtur. Nam licet illis prioribus contemplationum generibus videatur non deesse, nusquam tamen inest pene nisi meditante ratione, seu etiam imaginatione. Illic quasi instrumento utitur, et velut per speculum intuetur. Hic per semetipsam operatur, et quasi per speciem contemplatur. Hic igitur se quasi ad imum inclinat, cum omnino non habeat quo per semetipsam inferius descendat.

Quintum contemplationis genus esse diximus quod est supra rationem non tamen præter rationem. In hanc autem contemplationis speculam mentis sublevatione ascendimus, quando ea ex divina revelatione cognoscimus, quæ nulla humana ratione plene comprehendere, quæ nulla nostra ratiocinatione integre investigare sufficimus. Talia sunt illa quæ de Divinitatis natura et illa simplici essentia credimus et Scripturarum divinarum auctoritate probamus. Contemplatio ergo nostra tunc veraciter supra rationem ascendit, quando id animus per mentis sublevationem cernit quod humanæ capacitatis metas transcendit. Sed supra rationem, nec tamen præter rationem censenda est, quando ei quod per intelligentiæ aciem cernitur humana ratio contraire non potest, quin potius facile acquiescit et sua attestatione alludit.

Sextum contemplationis genus dictum est, quod in his versatur quæ sunt supra rationem, et videntur esse præter, seu etiam contra rationem. In hac utique suprema omniumque dignissima contemplationum specula tunc animus veraciter exsultat atque tripudiat, quando illa ex divini luminis irradiatione cognoscit atque considerat quibus omnis humana ratio reclamat. Talia sunt pene omnia quæ de personarum Trinitate credere jubemur. De quibus cum humana ratio consulitur, nihil aliud quam contraire videtur.

CAPUT VII

Quæ, quibus sint communia.

Duo itaque ex his in imaginatione consistunt; quia solis sensibilibus intendant. Duo in ratione consistunt, quia solis intelligibilibus insistunt. Duo vero in intelligentia subsistunt, quia solis intellectibilibus intendunt. Sensibilia dico quælibet visibilia, et sensu corporeo perceptibilia. Intelligibilia autem dico invisibilia, ratione tamen comprehensibilia. Intellectibilia hoc loco dico invisibilia, et humanæ rationi incomprehensibilia. Ex his ergo sex contemplationum generibus quatuor inferiora versantur maxime in rebus creatis. Duo vero suprema in rebus increatis atque divinis. Item ex his quatuor duo superiora versantur circa invisibilia. Duo vero infima circa visibilia atque corporea. Infima namque duo procul dubio versantur in rebus visibilibus atque creatis. Duo autem suprema maxime versantur in rebus invisibilibus et increatis. Duo vero media maxime in rebus invisibilibus atque creatis. Maxime idcirco dixerim quia circa invisibilia atque creata quædam sunt quæ ab humana ratione nullatenus comprehendi possunt, et secundum hoc intellectibilium numerum currunt, et se secundum hoc ipsum ad duo suprema contemplationum genera potius pertinere ostendunt. Similiter circa summa illa, et increata videntur quædam esse humanæ rationi pervia, et secundum hoc quidem inter intelligibilia deputand-

Digitized by Google

et ob hoc ipsum mediis illis duobus contemplationum generibus maxime accommodanda. Duobus itaque primis commune hoc esse videtur quod utrumque eorum circa visibilia versatur. Verumtamen in hoc maxime videntur differre, quod primum quidem solet sine ullo rationis officio impellente admiratione huc illucque discurrere. In secundo autem ad ea quæ per imaginationem in mente versantur, ratio quæritur et assignatur, vel prius familiariter nota in admirationem adducitur : secundum et tertium hoc habent commune, sed præ cæteris singulare, quod in utroque pariter sibi commisceri videntur imaginatio cum ratione, ratio cum imaginatione. Differunt autem in eo quod in secundo quidem ad visibilia ratio, ut dictum est, quæritur et accommodatur; in tertio vero ad invisibilium investigationem ratio a visibilibus trahitur, et in illo sæpe ex invisibilibus ad invisibilia erudimur, et alia ex aliis convincimus. In isto ex visibilium inspectione ad invisibilium cognitionem promovemur. Tertio et quarto constat esse commune invisibilibus et intelligibilibus intendere, sed in eo utique differre quod in tertio quidem miscetur ratio cum imaginatione; in quarto autem intelligentia pura cum ratione; in quarto et quinto ratio et intelligentia in unum concurrunt, et in hoc maxime conveniunt. Sed in quarto ex ratione intelligentia promovetur. In quinto vero ratio nunquam intelligentiam prævenit, sed subsequitur, vel ut multum comitatur. Nam quod ex divina inspiratione prius agnoscitur, rationis postmodum attestatione firmatur. Quinto et sexto communiter accidit quod utrumque eorum intellectibilibus insistit. Sed quinto quidem humana ratio videtur satis consentanea. Sexto autem omnis humana ratio videtur esse contraria *nisi fuerit* fidei admistione suffulta.

CAPUT VIII.

Quæ sint singulorum propria.

Proprium est autem primæ contemplationi simpliciter et sine ulla ratiocinatione visibilium admirationi inhærere. Proprium est secundæ visibilium rerum rationi ratiocinando insistere. Proprium est tertiæ per visibilia ad invisibilia ratiocinando ascendere. Proprium est quartæ ex invisibilibus invisibilia ratiocinando colligere, et per expertorum intelligentiam ad ignotorum notitiam proficere. Proprium est quintæ in intellectibilium intelligentia rationem admittere. Proprium est sextæ in intellectibilium intelligentia omnem humanam ratiocinationem transcendere, et quasi ab imo calcare. Cum sit autem tribus primis contemplationem generibus commune sine imaginatione non esse, in primo imaginatione non esse, in primo imaginatio quasi infra rationem subsistit In secundo rationem excipit. In tertio imaginatio ad rationem ascendit. Item, cum sit tribus ultimis commune sine pura intelligentia non esse, in eorum primo (hoc est in quarto) ipsa intelligentia rationi se inclinat. In quinto rationem ad seipsam levat. In sexto intelligentia rationem transcendit, et quasi sub seipsa deserit. Item, cum sit quatuor, mediis commune sine ratiocinatione non esse, in secundo contemplationis genere ratio imaginationi quasi ad ima condescendit. In tertio imaginationem secum quasi ad altiora trahit. In quarto intelligentiam quasi sub se descendentem excipit atque conducit. In quinto ratio quasi supra se ad intelligentiam ascendit, et ei in suis sublimibus alludit. In primo itaque imaginatio in seipsa requiescit, quemadmodum et intelligentia. In sexto se ad seipsam colligit et in seipsa subsistit. In secundo ratio sub seipsam descendit. In quinto eadem ipsa supra semetipsam ascendit. In tertio imaginatio supra semetipsam ascendit. In quarto intelligentia infra semetipsam descendit. In primo imaginatio tenet locum infimum et solitarium. In secundo ratio descendit ad imum. In tertio imaginatio ascendit ad summum. In quarto intelligentia descendit ad imum. In quinto ratio ascendit ad summum. In sexto intelligentia tenet locum solitarium et summum.

CAPUT IX.

Qua sibi quæque proportione respondeant, vel quomodo invicem permiscere soleant.

Notandum sane quod sicut novissimo duo ascendunt supra rationem, sic media duo ascendunt supra imaginationem. Et sicut illud sublimius novissimorum nullam pene solet humanam rationem admittere, sic illud sublimius mediorum debet omnem a se imaginationem excludere. Et sicut illud inferius duorum novissimorum et supremorum consistit supra rationem, non tamen præter rationem, sic illud inferius mediorum duorum ascendit supra imaginationem, cum tamen non sit præter imaginationem. Item, sicut duo media inter puram et simplicem intelligentiam descendunt, sic duo prima et infima infra ratiocinationem descendunt. Simplicem intelligentiam dico quæ est sine officio rationis, puram vero quæ est sine occursione imaginationis. Sed, sicut illud sublimius duorum mediorum infra simplicem intelligentiam descendit, non tamen infra simplicem infra illam subsistit, quia illorum in quibus versatur alia simplici intelligentia comprehendit, alia ratiocinando colligit; sic illud sublimius duorum infimorum videtur infra ratiocinationem descendere, nec tamen infra illam subsistere, quia alia solet per imaginationem repræsentare, et alia ratiocinando colligere. Itemque, sicut illud inferius duorum mediorum solet infra simplicem intelligentiam descendere atque subsistere, sic illud inferius infimorum duorum solet se ad rationem habere. Nam et illud inferius infimorum duorum solet se ad rationem habere. Nam et illud solis illis intendit quæ mens ex imaginatione ratiocinando colligit, et istud solis illis quæ per sensum imaginationi impressit. Non autem hoc primum et infimum contemplationis genus idcirco infra rationem vel potius ratiocinationem subsistere dicitur quasi irrationabile et omnino contra rationem esse videatur cum per intentionem, seu etiam per dispositionem rationi consentaneum facile convincatur. Sed quod

Digitized by Google

in eo, ut dictum est, quantum ad ejus proprietatem attinet nihil ratiocinando colligitur. Solent tamen hæc quæ distinximus contemplationum genera quandoque invicem permisceri, et hic quem assignavimus proprietatum modus alterutra permistione confundi. Nostrum autem fuit hoc loco ad evidentiam doctrinæ singulorum propria docere, nihilominus quid commune, quid simile haberent ostendere.

CAPUT X.

Quod vix soli perfecti ad omnia sex contemplationum genera proficiunt.

Sex ista contemplationum genera oportet illum familiariter nosse, quicunque cupit scientiæ culmen attingere. His sex sane contemplationum alis a terrenis suspendimur et ad cœlestia levamur. Circa perfectum te esse non dubites, si usque adhuc aliquibus illarum cares. Mecum certe, et cum mei similibus bene agitur, si unum tantum, si vel unum ex his trium alarum paribus datur. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (*Psal.* XLV.) Scio tamen quia in duobus illis primis ejusmodi alis, non datur de terrenis ad cœlestia evolare, et illa cœlorum ardua petere vel penetrare. Nam, sicut superius jam dictum est, in illis sex contemplationum generibus tota priorum duorum consideratio circa terrena et corporalia occupatur, nihil in eis de invisibilibus agitur. Quamvis ergo sublimes, quamvis admodum subtiles circa ista terrena volatus, in primis illis duabus contemplationum alis habeamus, parum nobis esse debet, si ad illa sola sufficimus, in quibus mundi hujus philosophos præpollere videmus. Terrenum et nondum cœleste animal te esse convincis, quandiu duabus tantum alis contentus fueris. Habes unde corpus tuum velare, unde volare possis. Certe, si adhuc terrenum animal es, si usque in hodiernum corpus terrenum habes, et tale denique quale Apostolus describit, et mortificare præcipit, bonum profecto erit in promptu habere unde possis, cum volueris, tale corpus velare et a recordationis tuæ oculis abscondere: *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam* (*Coloss.* III). Quid est autem ejusmodi corpus, sub designatis illis contemplationem alis velare, nisi mundanorum concupiscentiam, ex mundanæ mutabilitatis consideratione temperare, imo in oblivionem adducere? Perpendis, ut æstimo, quantum valeat ejusmodi obductio alarumque obumbratio. Habes item in his alis unde, cum volueris, volare possis. Bonum sane est bene volare, et quantum potes te ab amore mundi elongare. Bene utique in his alis volant, qui mundanæ mutabilitatis lubricum quotidie considerant, assiduaque retractatione se ab ejus ambitione alienant. Quamvis ergo in his geminis alis usque ad cœlestia evolare non possis, tutum tamen fortassis tranquillumque stationis portum in earum remigio invenire poteris. Nitere in eis quantum poteris, apprehende saltem novissima maris: *Si sumpsero,* inquit, *pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris* (*Psal.* CXXXVIII). Extrema maris, mundi terminus, et unicuique propriæ vitæ defectus. Extrema itaque maris tenere, est mundi finem mundanæque vitæ exitum cum desiderio exspectare. Extrema maris, ut arbitror, evolando jam apprehenderat qui veraciter dicere poterat: *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philipp.* I). Puto, quia duas has contemplationum pennas non in vanum accepisti, si hucusque volare potuisti. Parum tamen tibi esse debet has duas alas accepisse; sed ut probes te cœleste animal esse stude et satage saltem duo paria habere, et tunc profecto habebis in quibus possis ad cœlestia evolare. Quatuor profecto alas habebant, et se ex eo cœlestia, non autem terrestria esse ostendebant quatuor illa animalia, quæ propheta Ezechiel vidit visaque descripsit: *Quatuor*, inquit, *facies uni, et quatuor pennæ uni* (*Ezech.* I). Duabus autem, ut ibi legis, corpus suum velabant: nam cæteris duabus, procul dubio volabant. Sic et tu cum incœperis jam quatuor alas habere, cum te putaveris jam cœleste animal esse, et corpus cœleste jam gerere, nihilominus tamen stude illud sub dictis alis velare. Sunt enim corpora cœlestia et sunt corpora terrestria; et alia gloria cœlestium et alia gloria terrestrium. Alia claritas solis et alia claritas lunæ, et stella a stella differt in claritate (*I Cor.* XV). Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit, non habens in se aliquam partem tenebrarum, utile tamen erit illud ab humanæ arrogantiæ oculis abscondere, et sub humanæ mutabilitatis incerto, propriæ æstimationis claritatem temperare. *Nescit* enim *homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo cum eis extemplo supervenerit* (*Eccle.* IX). Et idcirco bonum est homini bona sua dissimulare, et nil penitus de suis meritis præsumere, et se semper in humilitate custodire. In primo ergo alarum pari, velet homo corpus suum; in secundo, volet ad cœlum. Cur enim media illa duo contemplationum genera, hominem ad cœlestia et invisibilia, non levent quæ de solis invisibilibus, ut dictum est, agere habent? Satagat ergo spiritalis quisque studio et desiderio semper in cœlestibus esse, ut possit cum Apostolo dicere: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). Verumtamen si usque ad tertium cœlum, cum eodem Apostolo, penetrare paras (*II Cor.* XII), nunquam id in duobus alarum paribus posse præsumas. Oportet absque dubio omnes illas superius designatas sex contemplationum alas habere qui cupit et ambit usque ad tertii cœli secreta Divinitatisque arcana volare. Has utique sex contemplationum alas soli perfecti in hac vita vix habere possunt. Has omnes in futura vita electi omnes tam in hominibus quam in angelis habituri sunt, ita ut de utraque natura veraciter possit dici quia sex alæ uni, et sex alæ alteri.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Quomodo prima quatuor contemplationum genera mystice describantur.

De his itaque sex contemplationum generibus Moyses, ut mihi videtur, sub mystica descriptione agit ubi materialem illam sed mysticam quidem arcam, ex Dominica præceptione fieri instituit. Primum itaque designatur in arcæ fabricatione, secundum in ejus deauratione, tertium in corona arcæ, quartum intelligimus per propitiatorium. Per duo cherubin quintum et sextum. Si autem ad figuram et materialem facturam respicimus ex illis utique sex manufactis operibus solum primum fabricatur ex ligno, cætera omnia constant ex auro. Sic sane omnia illa unde primum contemplationis genus constat, per sensum corporeum haurimus, et per imaginationem repræsentamus, cum volumus. Nam alia omnia unde cætera ordiuntur ratiocinando colligimus, vel simplici intelligentia comprehendimus. Cogita ergo quid sit inter lignum et aurum, et invenies fortassis quam convenienter ista designentur in ligno, illa vero figurentur in auro. In ligno quidem quæ subjacent imaginationi; in auro autem quæ soli subjacent intellectui. Aurum in se magna claritate refulget, lignum in se nil claritatis habet nisi quod ignem accendit, et ministram luminis flammam nutrit. Sic sane imaginatio nullum in se prudentiæ lumen, nil præclarum habet, nisi quod rationem ad discretionem excitare, et ad scientiæ investigationem dirigere solet. Recte autem secundum illud contemplationis genus in quo rerum visibilium ratio quæritur, in lignorum deauratione figuratur. Quid enim aliud est rerum visibilium et imaginabilium assignata ratio, quam quædam, ut sic *dicam*, *lignorum* deauratio? Recte nihilominus corona arcæ tertium contemplationis genus potest mystica designatione repræsentare in quo solemus per visibilia ad invisibilia ascendere, et ad eorum cognitionem imaginationis manuductione assurgere. Nam corona quidem in summitate arcæ lignis affigebatur, lignorum tamen suprema alia protensione supergrediebatur. Sic illud contemplationis genus quod in ratione secundum imaginationem versatur imaginationi quidem innititur, dum ex rerum imaginabilium similitudine rationem trahit et quasi scalam erigit per quam ad invisibilium speculationem ascendere possit. Propitiatorium autem ab omni parte, et usquequaque ligno superponitur, et idcirco convenienter satis in eo illud contemplationis genus figuratur quod omnem imaginationem excedens in ratione secundum rationem versatur. Et sicut propitiatorium (utpote arcæ operculum) nusquam sub ligno descendit, nec ligno affigi sinit, sic hæc contemplatio omnem imaginationem supergrediens et nulli se permisceri consentiens, sola invisibilia respicit, solis invisibilibus intendit.

CAPUT XII.

Quomodo novissima duo contemplationum genera mystice designentur.

Duo autem novissima contemplationum genera exprimuntur angelica figura. Et recte quidem illa operis factura non humanam sed angelicam formam habuit quæ illa contemplationum genera per similitudinem repræsentare oportuit, quorum materia omnem humanam rationem excedit.

Notandum sane quod prædicta illa quatuor quodammodo sunt in unum conjuncta. Ista autem duo novissima separatim sunt et seorsum posita. Et in illis quidem primis quatuor contemplationum generibus ex propria industria cum divino tamen adjutorio quotidie crescimus, et ex uno ad aliud proficimus. Sed in ultimis istis duobus totum pendet ex gratia et omnino longinqua sunt, et valde remota ab omni humana industria, nisi in quantum unusquisque cœlitus accipit, et angelicæ sibi similitudinis habitum divinitus superducit. Et forte non sine causa hæc novissima operis factura angelicaque figura cherubin nomen accepit, eo fortassis quod sine hujus supremæ gratiæ adjectione quis ad plenitudinem scientiæ pertingere non possit. Sed quia a duobus cherubin unus dictus est stare ex parte una, et alter ex altera, ita ut unus intelligatur stare a dextris, alter autem a sinistris. Animadvertere, obsecro, quam apte ex adverso sibi opponuntur, et ex adverso statuuntur in earum videlicet rerum figuram quarum hæ rationi consentire, illæ rationi contraire videntur. Sed forte quis quærere pergat quod in quo specialiter intelligere oporteat. Vide ergo ne forte in illo cherubin qui a dextris stabat, illud contemplationis genus intelligi debeat quod est supra rationem, non tamen præter rationem. In illo autem qui a sinistris illud quod est supra rationem, et videtur esse præter rationem. Scimus autem quia sinistra sæpius sub vestimentis et qua in occulto tenetur, dextera vero frequentius in apertum profertur. Unde et recte per sinistram occultiora, per dexteram intelliguntur manifestiora. Manifestiora autem sunt rationi consentanea, occultiora autem rationi adversantia. Quintum ergo contemplationis genus recte intelligimus in cherubin dextro. Sextum nihilominus juste intelligi potest in cherubin sinistro. Et fortassis ista doctioribus animis sufficere possunt ad ea quæ de Moysis arca vel contemplationis gratia dici debuerunt. Sed quia otiosi sumus et otiosis loquimur, propter pigriores quidem pigrum nobis esse non debet, adhuc eadem cum utile et forte quibusdam necessario supplemento repetere, et eidem materiæ liberius vacando in ipsam adhuc aliquid latius agere. Contemplantis itaque more, contemplationisque tenore de contemplatione agamus, nec tantæ jucunditatis studium et tantæ admirationis spectaculum in transitu videamus. Occupatis ista compendiosa brevitate succinximus, otiosis autem eadem repetendo latius explicamus, simul utrumque præcaven-

Digitized by Google

tes, et festinos viatores contra propositum detinere, et curiosos novitatum exploratores contra votum urgere. Nunc ergo ad singula contemplationum genera redeamus et primum de primo dicamus.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Primum contemplationis genus consistit in consideratione et admiratione rerum visibilium.

Primum itaque contemplationis gentis est in consideratione et admiratione rerum corporalium in omnibus eis quæ per quinque sensus corporeos ingrediuntur ad animum. Et est quidem hoc omnium infimum et debet esse incipientium. Ad hoc enim debent adhuc rudes incipere, ut possint paulatim ad altiora quasi quibusdam profectionum gradibus ascendere. Ad hoc itaque contemplationis genus pertinet omnis admiratio Creatoris quæ surgit ex consideratione rerum corporalium, et designatur in hac arcæ descriptione per compaginem lignorum. Et congrua satis distinctione per ligna designantur ea quæ pertinent ad imaginationem, sicut per aurum nihilominus ea quæ videntur pertinere ad rationem. Non autem de quibuslibet lignis permittitur fieri hæc arca, sed de lignis Setim tantum, quæ sunt valde imputribilia. Pertinent autem ad ligna imputribilia quælibet rerum scrutinia honestatis et integritate plena. Ligna imputribilia sunt quælibet rerum considerationes, quælibet operum retractationes quæ nullam mentis corruptionem inducunt, quæ sinceritatis et veritatis integritatem custodiunt. In tanta itaque rerum visibilium copia, inter tot spectaculorum genera, videat quisque quod eligat, caveat ne illud ante mentis oculos reducat unde cordis sui munditiam polluat. Debet ergo a considerationis suæ respectu voluptatum irritamenta amovere qui cupit de internæ incorruptionis perpetuitate gaudere. Quidquid avaritiam stimulat, quidquid gulam irritat, quidquid luxuriam inflammat, ab illa recordationum suarum frequentia secernat. Ille sane mundum, et quæ in mundo sunt utiliter in contemplationem adducitur, qui per mundanorum respectum ad mundanorum despectum venit. Hunc hujusmodi contemplationis fructum magnus ille mundanalium contemplator quæsivit et invenit, scriptumque reliquit : *Vanitas vanitatum*, dixit Ecclesiastes, *vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccle.* I). Ille vanitatis contemplationem non in vanum assumit, qui ex eo quod in imo respicit in laudem Creatoris assurgit, qui eum in omnibus operibus suis mirabilem, laudabilem, amabilem reperit : *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* (*Psal.* VIII.) Ecce mirabilem : *A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini* (*Psal.* CXVIII). Ecce laudabilem : *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*Psal.* CXLIV), ecce amabilem. Ligna ergo rigida, ligna robusta, ligna durabilia quælibet considerationes sunt quæ mentis vigorem reparant, quæ ad constantiam roborant, quæ in perseverantia confirmant. Ligna denique ab omni corruptione aliena sunt, quæ nec maculam fœditatis, nec vitium falsitatis contrahunt. Pertinet itaque æque ad ligna Setim, ad ligna imputribilia de rebus corporeis quælibet assertio vera, sententia rata. Facienda est itaque hæc sapientiæ arca de lignis imputribilibus, de sententiis irrefragabilibus, ut sentiamus hæc omnia quæ videntur in mundo facta ab uno Deo et creata de nihilo, nihil in his omnibus diffinientes quod dissonet a vero.

CAPUT II.

Quod sit copiosa hujus contemplationis materia, vel quomodo philosophi se exercuerunt in ea.

Habet itaque materiam hæc contemplatio, ut jam dictum est, omnia quæ sensus corporeus contingere potest. Copiosa sane materia, et silva non modica. Currant omnes, intrent singuli, nemo prohibetur, eligat quisque quod magis miretur. Superabundat satis cuique materia ad faciendam sibi arcam. Discat tamen quisque eligere ligna imputribilia, ut nihil sentiat contra traditionem veram. De hac eadem silva philosophi gentium studuerunt sibi fabricæ suæ materiam eligere cupientes et ipsi nihilominus sapientiæ sibi arcam fabricare. Cœperunt igitur ligna secare, dolare, compingere diffiniendo, dividendo, argumentando, multa invenire, tenere et tradere. Fecerunt itaque arcas multas tenentes sententias varias, et constituentes sectas innumeras. Intrantes ergo et in illud nemus umbrosum et condensum inseruerunt se quæstionibus infinitis, et tradidit Deus mundum disputationi eorum (*Eccle.* VII), sed evanuerunt in cogitationibus suis (*Rom.* I), et defecerunt scrutantes scrutinio eo (*Psal.* LXIII.) quod non posset invenire homo opus quod operatus est Deus ab initio usque ad finem. Revelavit autem Deus per spiritum suum quibus voluit, quando voluit, quantum de his scire oportuit. Quid ergo mirum si potuerunt efficere opus admiratione dignum qui edocti sunt per Spiritum Dei, nolentes sequi spiritum suum, nec incedere volentes post cogitationes adinventionum suarum? Etiam temporibus nostris insurrexerunt quidam pseudophilosophi, fabricatores mendacii, volentes sibi nomen facere, studuerunt nova invenire. Nec erat eis cura tam ut asserérent vera, quam ut putarent invenisse nova. Præsumentes itaque de sensu suo, putaverunt se posse facere sibi sapientiæ arcam, et euntes in adinventionibus suis, tradiderunt sententias novas arbitrantes secum ortam morituramque sapientiam. Et ecce computruerunt horum omnium alta sapientum arcæ, eo quod non essent de lignis Setim, lignis videlicet im-

Digitized by Google

putribilibus factæ. Et ecce stulti facti sunt omnes principes Thaneos, eo quod stultam fecerit Deus sapientiam hujus mundi. In tantum enim infatuata est illa quondam gloriosa mundana philosophia, ut innumeri quotidie ex ejus professoribus fiant ejus irrisores, et ex ejus defensoribus fiant ejus impugnatores, et illam detestantes nihil aliud profitentur se scire nisi Christum Jesum et hunc crucifixum. Et ecce quam multi qui prius fabricabant in officina Aristotelis, tandem saniori consilio discunt cudere in officina Salvatoris, et qui prius fabricabant vasa contumeliæ, nunc docentur fabricare vasa gloriæ, quotidie confitentes Domino in vasis psalmi, eo quod pœniteat eos fecisse opus confusione dignum, et diu fuisse fabricatores mendacii. Ubi sunt nunc, quæso, sectæ academicorum, stoicorum, peripateticorum? ubi sunt arcæ eorum? Ecce jam omnes isti dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes hi viri divitiarum in manibus suis (*Psal.* LXXV), et reliquerunt alienis divitias suas, et sepulcra eorum domus in æternum (*Psal.* XLVIII). Et ecce computruerunt omnes cum arcis suis pereuntes simul cum doctrinis et traditionibus suis. Sed arca Moysis manet usque in hodiernum diem nunquam firmior, nunquam fortior quam hodie, utpote confirmata per catholicæ veritatis auctoritatem, eo quod sit facta de lignis Setim, imputribilibus videlicet et incorruptibilibus lignis, et omnis ejus narratio atque doctrina contexta sit sententiis veris et assertionibus raris. Ecce vidimus de qua materia debeat fieri, consequens est ut discamus de mensura et modo faciendi, ut, juxta Moysis exemplum, sequamur in his omnibus non nostrum sensum, sed divinæ institutionis documentum. Redeamus itaque nunc ad illud contemplationis genus quod *constat* esse omnium infimum, et primum, et idcirco esse incipientium, quod etiam figurari diximus in hac arcæ descriptione ex sola compage lignorum.

CAPUT III.

De triplici distinctione primæ speculationis.

Hæc igitur speculatio triplici ratione consideratur. Prima est in rebus, secunda in operibus, tertia in moribus. Illa quæ est in rebus pertinet ad arcæ longitudinem. Illa quæ est in operibus pertinet ad latitudinem. Illa quæ est in moribus pertinet ad altitudinem. Scimus enim longitudinem latitudine naturaliter priorem esse. Similiter latitudinem altitudinis respectu locum priorem tenere. Nam longitudo sine latitudine et latitudo sine altitudine potest intelligi, quamvis in rerum essentia ab invicem minime possint separari. Sed altitudo sine latitudine, vel latitudo sine longitudine, nec valet esse, nec licet intelligi. Simplex namque longitudo intelligitur quando quantitas de puncto ad punctum et per sola puncta discurrens in lineam sola saltem cogitatione protrahitur. Simplicem latitudinem dicimus quando quantitatem de linea in lineam et per solas lineas mente distendimus et in superficiem dilatamus. Nam, sicut linea est longitudo sine latitudine, sic superficies est latitudo sine altitudine. Altitudo autem est quando quantitas de superficie in superficiem densescit, et corpus solidum reddit, quod tres dimensiones suscipit. Qui ergo hæc recte considerat, satis ei, ut arbitror, constat quod longitudo naturaliter sit prior latitudine et latitudo altitudine. Sic sane illa consideratio quæ est in rebus, naturaliter prior est illa consideratione quæ est in operibus, et illa quæ est in moribus. Quis enim nesciat res ipsas earum operationibus quandoque etiam tempore, semper autem naturaliter priores esse, ex quibus, et in quibus quælibet operationes habent nec aliter omnino existere? Similiter mores ipsi sive boni sive mali circa opera quidem solent et debent considerari. Nam opera utique hominum magna ex parte in quantum sunt ordinata et moderata pertinent ad mores bonos; in quantum vero sunt inordinata et immoderata, pertinent nihilominus ad mores malos. Unde satis constat quod quemadmodum prior est consideratio rerum quam operum, sic naturaliter prior est consideratio operum quam morum. Recte itaque dictum est quod consideratio rerum pertineat ad arcæ nostræ longitudinem, consideratio operum ad latitudinem, consideratio autem morum ad ipsius altitudinem.

CAPUT IV.

Quod primus gradus hujus speculationis consideratur in materia, forma et natura.

Tripartitur autem trium illarum consideratio prima. Prima itaque hujus subdivisionis consideratio est in materia, secunda in forma, tertia in natura. Materiam et formam visu corporeo facile deprehendimus. Nam lapidem a ligno, triangulum a quadrato sine errore discernimus. Illud autem quod ad naturam pertinet partim expositum sensui, partim autem profundius latens repositum erat rationi. Natura siquidem consideratur in rerum qualitate intrinseca, quemadmodum et forma consistit in qualitate extrinseca. Qualitas autem rerum interior ex magna parte corporeo percipitur sensu, sicut sapores gustu, odores olfactu. Illam autem naturæ vim quæ rebus medullitus impressa profundius introrsum latet, nunquam homo sensu carnis adire posset etiamsi minime peccasset. Verumtamen eam ingenii sui acumine facile perspiceret si rationis oculus peccati nube obductus sub erroris nebula non caligasset. Modo autem ignorantiæ tenebris involuti quoties de ea aliquid quærimus, per experientiæ argumenta palpamus potius quam videmus. Patet itaque ratio cur arcæ nostræ longitudo, juxta Dominicum documentum non debeat vel potius non valeat habere nisi duos cubitos et dimidium. Ibi enim scientia humana cubitum plenum habet ubi certitudinem tenet, ubi ea quæ sciri oportet sensu aliquo comprehendere valet. Habet ergo sensus corporeus cubitum in conspectione materiæ. Habet alium cubitum in consideratione formæ, habet cubitum dimidium in præceptione naturæ, quam non penetrat nisi ex parte. Partim enim, ut dictum est, exposita est sensui, partim reposita est rationi. Hæc itaque tria, mate-

Digitized by Google

ria scilicet, forma et natura, quia in substantia corporea simul sunt et a se invicem dividi non possunt, se quasi in lineam extendunt, et ad arcæ longitudinem se pertinere ostendunt.

CAPUT V

Quod secundus gradus consideratur in operatione naturæ et industriæ.

Exercitata itaque mens secundum hanc triplicem considerationem, quæ est in speculatione rerum, debet se consequenter transferre ad speculationem operum, ut cum didicerit considerationem suam et ad opera naturalia et opera artificialia extendere, possit arcæ nostræ latitudo præfinitæ magnitudinis mensuram accipere. Alia est enim operatio naturæ atque alia operatio industriæ. Operationem naturæ facile deprehendere possumus ut in graminibus, arboribus, animalibus, in graminibus quomodo crescunt, maturescunt; in arboribus similiter quomodo frondent, florent, fructificant; in animalibus quomodo concipiunt et pariunt, quomodo alia nascuntur et alia moriuntur. Denique quoties attendimus quomodo omnia orta occidunt, et aucta senescunt, in naturalis operationis inspectione mentem nostram exercemus. Opus artificiale opus videlicet industriæ consideratur, ut in celaturis, in picturis, in scriptura, in agricultura, et in cæteris operibus artificialibus in quibus omnibus innumera invenimus, pro quibus divini muneris dignationem digne mirari et venerari debeamus. Opus itaque naturale, et opus artificiale quia sibi invicem cooperantur quasi e latere sibi altrinsecus junguntur et sibi invicem mutua contemplatione copulantur. Certum siquidem est, quia ex naturali operatione opus industriæ initium sumit, consistit et convalescit, et operatio naturalis ex industria proficit ut melior sit. In opere artificiali scientia humana cubitum habet; quia, si illud comprehendere non valeret, ipsum utique minime invenisset. Sed in opere naturali plenum cubitum habere non potuit, quia ipsum nonnisi ex parte comprehendit. Quid ex qua re nasci soleat facile dijudicat: nam nec poma in vite, nec racemos in segete, nec frumenta quærit in arbore. Verumtamen quid horum, vel quælibet alia res ex alia qualiter nasci soleat quando explicare sufficiat? Quando ergo ingenii nostri acumen in hac gemina naturalis et artificialis consideratione circumquaque se diffundit, et mira intelligentiæ vivacitate multipliciter huc illucque discurrit, arcæ nostræ latitudo secundum divinæ institutionis modum congruam sibi mensuram accipit.

CAPUT VI.

Quod tertius hujus speculationis gradus consistat tam in humanis quam in divinis constitutionibus.

Post primam itaque considerationem quæ est in rebus, et secundam quæ est in operibus, sequitur tertia quæ constat in moribus, quam et ad arcæ nostræ altitudinem pertinere jam diximus. Disciplina itaque morum partim ex institutione divina, partim processit ex institutione humana. Ad divina instituta pertinent obsequia divina, et quælibet Ecclesiæ sacramenta. Ad instituta humana pertinent humanæ leges, consuetudines, urbanitates, plebiscita, jura civilia, et hujusmodi alia multa. Humana institutio propter vitam inferiorem, divina institutio propter vitam superiorem. Illa ad obtinendam salutem et tranquillitatem vitæ temporalis, ista ad capescendam salutem et plenitudinem æternæ beatitudinis. In humana institutione scientia humana cubitum habere potest, quia quod invenire potest illud nec mirum comprehendere potest, in sacramentis divinis duo esse non dubitamus. Aliud est enim quod exterius in re vel in opere cernimus, atque aliud, virtus illa spiritualis quæ latet intrinsecus. Rem itaque sacramenti quæ intrinsecus latet credere potes, videre autem omnino non potes, et idcirco scientiam tuam in hac parte usque ad plenum cubitum extendere non potes. Hæc autem ultima speculatio quæ est in moribus ad arcæ nostræ altitudinem pertinet, sicut superius jam diximus. Revera siquidem quando humana institutio divinæ subservit, ex utraque animus proficit, et ad alta tendit. Nam animus qui illis quæ ad primam vel secundam considerationem pertinent, inhæret, absque dubio adhuc in imo jacet. Sed quanto his quæ ad tertiam spectant, perfectius inhæserit, tanto profecto semper ad altiora ascendit.

Notandum sane quod naturalis operatio et divina institutio plenum cubitum habent in re, sed nonnisi semissem habere possunt in nostra cognitione. Econtra autem artificialis operatio et humana institutio vix semissem habent in re, plenum autem cubitum habere possunt in nostra cognitione. Cum igitur animus in hac triplici speculatione plene exercitatus fuerit, arcæ nostræ mensura congruam sibi magnitudinem quaquaversum accipit. In hoc contemplationis genere seipsum Propheta ostendit, cum dixit: *Meditatus sum in omnibus operibus tuis* (*Psal.* CXLII). Et alibi: *Quia delectasti me*, inquit, *Domine, in factura tua* (*Psal.* XCI); et alibi in eorum admiratione exclamat: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII), et multa de eisdem operibus in eodem psalmo explicando commemorat. Totum itaque hoc primum contemplationis genus recte quidem in septem gradus distinguere possumus. Primus namque consistit in illa admiratione rerum, quæ surgit ex considerationem materiæ. Secundus autem gradus consistit in illa admiratione rerum, quæ surgit ex consideratione formæ. Tertius vero consistit in illa rerum admiratione, quam gignit consideratio naturæ. Quartus autem hujus contemplationis gradus versatur in consideratione et admiratione operum circa operationem naturæ. Quintus nihilominus versatur in consideratione et admiratione operum, sed secundum operationem industriæ. Sextus vero gradus constat in considerandis et admirandis institutionibus humanis. Septimus demum subsistit in considerandis et admirandis institutionibus divinis. Hi

Digitized by Google

septem ascensionis gradus primo occurrunt his qui montem Domini ascendere, vel ad illud Ezechielis templum intrare contendunt. In septem gradibus ad exteriores portas in atrium exterius intratur. Et in septem, inquit, gradibus ascensus ejus. Habes ergo quibus inchoationis gradibus debeas insistere, quisquis cupis contemplationis artem apprehendere. Quomodo autem hoc contemplationis genus in imaginatione insistat, vel secundum imaginationem discurrat, superior liber perdocuit, et hic iterare non oportebit.

CAPUT VII.

Quod secundum contemplationis genus constat in consideranda et admiranda rerum visibilium ratione

Nunc quoniam de primo contemplationis genere, quæ iterum dicenda videbantur, quomodo potuimus jam diximus, ad secundum quod per arcæ deaurationem designari jam dictum est, transeamus. Si igitur primum contemplationis genus recte intelligitur esse in consideranda specie rerum corporalium, consequenter, ut arbitror, intelligi oportet secundum genus contemplationis esse in perspicienda ratione earumdem rerum. Toties igitur in arcæ nostræ deauratione occupamur, quoties rerum visibilium rationem rimamur, et in ejusdem rationis inventæ, et perspectæ admiratione suspendimus, quoties attendentes intelligimus et intelligentes attendimus hujus mundanæ machinæ, quæ videntur omnia quam sint mirabiliter facta, quam convenienter ordinata, quam sapienter disposita. Arcam nostram deauramus, quando cujusque rei causam, modum et effectum, utilitatem et rationem consideramus. O quanto scientiæ auro abundabat! quomodo ei ad totius arcæ suæ deaurationem sufficere poterat, qui veraciter dicebat: *Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia. Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium et consummationem, et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes et divisiones temporum, anni cursus et stellarum dispositiones, naturas animalium et iras bestiarum, vim ventorum et cogitationes hominum, et differentias virgultorum, et virtutes radicum* (*Sap.* VII). Denique audi quid ad extremum inferat, ut plenius intelligas in deaurationis suæ opus, quanta ei ejusmodi census copia abundabat: *Et quæcunque*, inquit, *sunt absconsa, et improvisa didici* (*ibid.*). Constat ergo arcæ nostræ deauratio in contemplanda ratione divinorum operum, judiciorum, sacramentorum et humanarum nihilominus actionum, vel institutionum. Simus denique parati, secundum documentum Petri, omni poscenti, reddere rationem de ea fide, et spe, quæ in nobis est (*I Petr.* III), et arcæ nostræ suprema, vel extrema jam deauravimus, qui divinorum sacramentorum, seu etiam judiciorum rationem, exponendo, commendare novimus.

CAPUT VIII.

Quam sit copiosa hujus contemplationis materia.

Qui igitur ad secundam contemplationis hujus speciem jam profecit, in tanta materiæ prolixitate, copiose satis invenit, ubi speculationis suæ vela pandat, ubi disputationis suæ navigia exerceat. Quis enim non videat quam late pateat hujusmodi considerationis pelagus, quam multipliciter se diffundat hoc mare magnum et spatiosum manibus? In hujus immensitatis admiratione exclamans Propheta: *Judicia*, inquit, *tua abyssus multa* (*Psal.* LV). Abyssus profecto multa, et magna judicia Dei occulta, multa numerositate, magna profunditate, plane infinita, plene inscrutabilia. Hinc illa miranda spectacula eorum qui vident mirabilia in profundo. Quanta enim mirabilia putas, vident in hoc profundo illi qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis? Multi sunt siquidem qui conveniunt ad hoc mare magnum et spatiosum, sed alii ad transfretandum, alii ad piscandum. Ad transfretandum quidem illi qui cupiunt transire de gente in gentem et de regno ad populum alterum. Sed qui inter eos sunt piscatores hominum, veniunt sane ad piscandum, laxantes retia sua in capturam. Mittentes ergo nunc ad sinistram, nunc in dexteram navigii rete ad Domini præceptum, includunt sæpe copiosam multitudinem piscium, vagos scilicet hominum sensus, affectusque lubricos concludentes et extrahentes in siccum. Sed nec eadem semper retia, sicut nec in eamdem semper capturam mittunt. Nunc ergo argumentationum, nunc exhortationum retia laxant, aliquando ad probandum aliquod verum, aliquando ad improbandum falsum, aliquando ad eliciendum aliquod occultum, aliquando ad persuadendum justum, aliquando ad dissuadendum aliquod injustum. Isti sane qui noverunt facere hujusmodi operationem in aquis multis, isti, inquam, sunt qui vident mirabilia in profundo. Ab istis etenim trahitur sapientia de occulto. Audi quid dicat magnus ille contemplator sapientiæ: *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti* (*Psal.* CIII). *Omnia*, inquit, *in sapientia fecisti*. Absque dubio miranda erant quæ viderat qui sic exclamabat. Viderat sane mirabilia in profundo, et sapientiam trahebat de occulto, qui omnia in sapientia facta deprehendit, et indubitanter agnovit quod sapientia attingeret a fine usque ad finem fortiter, et disponeret omnia suaviter. Ecce quomodo in omnibus operibus divinis hoc aurum sapientiæ apparebat, aurum sapientiæ lucebat, quomodo in ejus oculis sapientiæ divinæ claritas omnia operuerat. Iste profecto bene noverat, facile poterat arcam suam deaurare, imo constat satis eum jam arcam suam ab omni parte auro obduxisse, qui sic præ admirationis suæ magnitudine cogitur exclamare: *Omnia in sapientia fecisti*. Conemur et nos quantum possumus, et desudemus in arca nostra deauranda, ut appareant etiam nobis divina opera omnia in sapientia facta, ut in quantum licet intelligamus, et

Digitized by Google

quæ immergere non licet, saltem sine hæsitatione credamus omnia in sapientia facta, nec ea solum quæ facit, sed et quæcunque fieri permittit, nunquam sine rationabili contingere causa, nec sine divina, quamvis occulta, actitari justitia.

CAPUT IX.

Quomodo philosophi se in hujus contemplationis materia exercuerint.

Sed neque hoc silentio prætereundum puto, quomodo hujus mundi sapientes studuerunt arcas suas deaurare, ut vel sic pudeat nos in arcæ nostræ deauratione non laborare. Satagebant itaque, et ipsi gentium philosophi sapientiam trahere de occulto, occultas rerum causas rimantes, et usque ad abditos naturæ sinus ingenii sui acumine penetrantes, eruebant aurum de profundo. Cœperunt ergo latentes rerum causas investigare, invenire et in palam proferre, et dubia quæque non dubiis assertionibus probare. Invenerunt itaque multa investigatione profunda et admiratione digna unde tremor terris, qua vi maria alta tumescunt, et cætera multa in hunc modum invenientes, scriptoque commendantes, ad posteros transmittere curarunt. Arcam itaque suam ex magna parte (sed exterius tantum) deaurare potuerunt. Nam ut eam intrinsecus deaurarent, erat eis parva cura, possibilitas nulla. Cito siquidem eorum defecit pecunia, nec erat eis auri tanta copia quo possent eam deaurare intrinsecus, quippe quibus pecunia defecerat ad eam ex integro deaurandam extrinsecus. Non enim erat ejusdem facultatis physicas rerum rationes invenire, et occultas in his quæ accidunt justitiæ causas dijudicare. Longe aliud est latentes rerum causas secundum physicam rationem investigare, et astruere, et longe aliud divinorum judiciorum rationem non ignorare. Investigatio naturæ ad arcæ nostræ deaurationem extrinsecam, assertio divinæ justitiæ pertinet ad deaurationem intrinsecam. Ad hanc utique penitus defecerunt putantes casu potius quam divino nutu omnia accidere, sacrantesque aram Fortunæ crediderunt deam res humanas minime curare pro eo quod cernerent æque contingere bona et mala, bono et malo, justo et injusto, immolanti victimas et contemnenti eas, et ipse cujus palpebræ interrogant filios hominum oriri faciat solem suum super bonos et malos, et æque pluat super justos et injustos. Nos autem quibus abundat jam aurum, tam de emolumento laborum nostrorum quam de spoliis Ægyptiorum, arcam nostram auro vestire curemus, non solum exterius, verum etiam interius. Attendamus quomodo in sapientia sua fecit hæc omnia, quomodo sapientia sua fundavit terram, et stabilivit cœlos prudentia, quomodo sapientia illius eruperunt abyssi, et nubes rore concrescunt, et arcam nostram deauravimus sed exterius. Consideremus nihilominus quoniam universæ viæ Domini misericordia et veritas, quomodo sit justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis, et deauravimus eam intrinsecus. Quomodo putas omnem lignorum pulchritudinem in arca sua auro obduxerat, qui manifeste deprehenderat, constanterque de Domino affirmabat quoniam miserationes ejus super omnia opera ejus? (*Psal.* CXLIV.) Studeamus et nos, juxta exemplum Prophetæ, auro hujusmodi omnia tegere, et eousque sub tali fulgore abscondere, quamvis in comparatione divinæ rationis atque dispositionis, per quam facta sunt atque disposita exteriorum omnium pulchritudo, in oculis nostris appareat parva vel *nulla*.

CAPUT X.

De distinctione secundæ contemplationis.

Superius ubi de primo contemplationis genere locuti sumus, septem illud gradibus distinximus. Longum esset modo singulos percurrere, et quomodo per omnes cubitos, tam in longitudine quam in latitudine vel altitudine arca deaurari debeat ostendere. Sed, ne nimis in longum faciamus, *his* interim supersedere melius judicavimus. Si quis autem satagat se in hoc opus accingere et arcam suam ambiat auro superducere nihil obest exterioribus scientiis et sæcularibus disciplinis, *scientiæ* aurum mutuare, dummodo sciat ipsum ab omni falsitatis, vel vanitatis scoria mundare et ad plenam perfectamque puritatem et qualem hujus operis dignitas exigit medullitus excoquere. Diximus autem arcæ nostræ deaurationem constare in assignanda rerum visibilium ratione. Quis autem nesciat quomodo tota pene mundana philosophia in hoc maxime laborat, ut latentes rerum visibilium causas sagacitatis suæ investigatione inveniat et in palam producat? Vide quam magnas, quam multas doctrinæ opes, scientiæque gazas præclara illa philosophorum ingenia conquisierunt, reposuerunt, tibique in ejusmodi usus reliquerunt. Verumtamen hæc omnia, ut dictum est, in solam extrinsecam arcæ deaurationem sufficere non possunt. Si autem eam et intrinsecus deaurare cupis, melius tibi in ejusmodi usus Christianis theologis quam a *mundi* philosophis materiam requiris. Verumtamen sicut illorum gazæ ad arcæ deaurationem intrinsecam, sic nec istorum sufficere possunt ad ejus deaurationem intrinsecam. Nam nec illi occultam rerum naturam plene perspicere potuerunt, nec isti occultam Dei justitiam perfecte penetrare valuerunt. Sed ecce unum adhuc tibi thesaurum ostendimus quem in id negotii superabundantem et indeficientem esse cognovimus. Certe ubi intelligentiæ aurum defecerit, fidei obryzum deesse non poterit. Sane si omnia philosophorum dicta, si omnia Catholicæ religionis pertractata perlegere memoriæque commendare potueris, innumera tamen in secretioribus naturæ finibus, in divinorum judiciorum arcanis invenies quorum rationem penetrare non valebis. Sed quod intelligere non potes, credere potes. Quorum igitur rationem perspicere non vales nihilominus tamen ex fidei regula justa et ordinata esse non dubites. Idcirco tibi in ejusmodi dicitur : *Si non credideritis non intelligetis* (*Isa.* VII). Crede ergo cum beato

Digitized by Google

Job quia nihil fit in terra sine causa (*Job* v); crede quia judicia Domini vera justificata in semetipsa (*Psal.* xviii), et deaurasti arcam tuam extra et intra.

CAPUT XI.

De proprietate secundæ contemplationis.

Dictum est autem hoc contemplationis genus hoc habere commune cum superiori, in imaginatione videlicet versari et circa rerum visibilium atque imaginabilium considerationem occupari. In hoc tamen maxime distant, quod in illo quidem nihil ratiocinando quæritur, sed totum secundum imaginationem ducitur. Istud autem ratiocinatione texitur et secundum rationem formatur. Illud itaque est in imaginatione secundum imaginationem, istud vero in imaginatione secundum rationem.

Notandum autem quod nec in ea quidem parte qua fidei innititur potius quam intelligentia texitur, nec in ea, inquam, parte proprietatis suæ terminos usquequaque transgreditur. Cum enim innumera Dei opera discreta et ordinata, cum innumera ejus judicia justa, et vera intelligentiæ suæ vivacitate perspiciat ex his quæ recta esse intelligit, recta et illa esse perpendit quorum rationem penetrare non sufficit. Vides ergo quia hæc speculatio nec ibi quidem ubi fidei vestigia sequitur a ratiocinationis suæ tramite penitus abducitur. Adeo autem hæc de qua modo loquimur speculatio secundum rationem agitur, ut ipsa etiam imaginatio in ea secundum rationem disponi et ordinari videatur. Nam in prima quidem cogitatio quo eam ducit admiratio solam sequitur imaginationem, in hac autem ipsa imaginatio formatur, disponitur et moderatur per rationem. Dum enim quis rerum visibilium rationem tacita *investigatione* quærit, non solum eas sibi sub alio *ordine* proponit quam eas per sensum invenit, verum etiam sub alia sæpe forma depingit. Eo enim citius invenit rationem cur ita fieri vel ordinari debuissent quo videt mala quæ sequerentur, si aliter essent. Sicut itaque in priori imaginatio post se cogitationem trahit, sic in ista ratio imaginationem circumducit atque disponit. Idcirco autem utraque in imaginatione consistere dicitur, quia circa illam quidem utraque per intentionem vel investigationem occupatur : quæ quoties volumus per imaginationem repræsentamus. Quocunque enim animus in hac gemina speculatione per diversa specula rapitur, semper speculantis obtutus per intentionis suæ propositum, vel studium in imaginatione defigitur.

CAPUT XII.

De tertio contemplationis genere.

Nunc vero de tertio contemplationis genere videamus. Ad hoc itaque genus pertinet quoties per rerum visibilium similitudinem rerum invisibilium qualitatem deprehendimus, quoties per visibilia mundi invisibilia Dei cognoscimus, ut constet quod scriptum reperitur, quia invisibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Recte autem hæc contemplatio qui ut ad invisibilia ascendat baculo se corporeæ similitudinis sustentat, et quadam, ut ita dicam, corporalium proprietatum scala se ad alta sublevat, recte, inquam, hujusmodi speculatio per coronam arcæ designatur, quæ ab inferiori quidem parte ligno affigitur, sed a parte superiori ligni mensuram supergreditur. Corona itaque superiora arcæ ambit, et ex parte infra lignum descendit, ex parte tamen majori mensuram ligni transcendit. Sic nimirum, sic ista speculatio, usque ad indagandas rerum corporearum proprietates, sponte se inclinat, ut habeat unde ex istis ad illa similitudinem trahat. Verumtamen se latius expandens inferiorum angustias intra se includit, nec his contenta quæ ex similitudine collegit, sed alia ex aliis argumentando convincens, et ratiocinando colligens, consequentiarum exsecutione omnem corpoream similitudinem longe post se relinquit, et arcæ nostræ suprema alta consideratione transcendit. In hunc itaque modum arcæ corona innititur, dum in altum erigitur, quia contemplantis animus ad invisibilia comprehendenda ex rerum visibilium similitudine non parum adjuvatur. Tunc autem corona quam arca se et expandit latius et erigit altius quando subtilis contemplator manifeste deprehendit bona invisibilia visibilibus, et multitudine ampliora, et dignitate excellentiora. Longe enim copiosior est bonorum invisibilium magnitudo, quam ut eam repræsentare possit corporalium similitudinum tanta multitudo. Habent tamen corporea omnia ad invisibilia bona similitudinem aliquam, sed alia infimam quamdam, et valde longinquam, et pene extraneam. Alia autem viciniorem et manifestiorem, et quanto propinquiorem, tanto evidentiorem, et supra hæc alia valde propinquam et cognatam, ut sic dicam, et penitus expressam, in tantum ut videantur visibilibus non non jam appropinquare, sed inhærere, et inseri potius quam accedere. Ab ipsis ergo quæ ad illa vicinius accedunt, et quæ invisibilium imaginem evidentiorem gerunt, debemus utique similitudinem trahere, ut ad ea quæ per experientiam non novimus, per ea quæ cognovimus intelligentia nostra possit ascendere, hinc est quod corona arcæ non usque ad ejus inferiora descendit, quæ tamen se ei in ejus superioribus conjungit.

CAPUT XIII.

Quomodo in hoc contemplationis genere incipiat homo fieri spiritualis.

In hoc primo statu deducetur homo esse animalis et discit effici spiritualis, eo quod tunc incipiat spiritualia comparare, et formari in novitate sensus sui, satagens quotidie magis magisque sapere quæ sursum sunt non quæ super terram. Magnus utique labor consueta deserere, et inolitarum cogitationum infima in imo relinquere, et alta perscrutatione de terrenis ad cœlestia evolare. Hic primo illa quæ docet hominem scientiam, Dei sapientia, lux illa quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, incipit se ingerere, et lucis suæ radios nunc mentis oculis infundere, nunc subtrahendo iterum abscondere. Crebro itaque animum visitat,

Digitized by Google

et nunc ad alta elevat, et iterum ad ima deprimit, et sibi relinquit. Sed iterum inopinate redit, et ubi non sperabatur occurrit, et se hilarem ostendit. Incipit hic demum quoddam miræ visionis præludium ante intuentis aspectum formare, et sicut aquila provocans ad volandum pullos suos assiduo revelationum suarum evolatu et revolatu, seipsam in diversa rapere, et contemplantis animum ad volandi desiderium primo inflammare, et quandoque ad plenum volatum perfecte informare. Ilic primum, animus antiquam dignitatem recuperat, et ingenitum propriæ libertatis honorem sibi vindicat. Quid enim spiritui rationali tam alienum, quid indigne servituti tam obnoxium, quam ut illa creatura, quæ vere spiritalis est, spiritalia ignoret, et quæ ad invisibilia et summa bona facta est, in invisibilium contemplationum nec saltem assurgere, quanto minus stare valet? Hinc, ut arbitror, satis apparet hujus speculationis familiaris assiduitas, et assidua familiaritas, quæ tertium locum tenet, quam recte per coronam designatur, quam convenienter corona nominatur, per quam victor animus coronatur. Hanc utique spiritualis scientiæ coronam accipit, quisquis ab hujus exsilii ærumnis in invisibilium gaudiorum libertatem, mentis contemplatione transire potuit, ubi tandem spiritus ille rationalis, qui diu sederat in tenebris et umbra mortis, vinctus in mendicitate et ferro, discussis tandem tenebris ignorantiæ, diruptis catenis concupiscentiæ, in ejus sane virtute, qui educit vinctos in fortitudine, conterens portas æreas, et vectes ferreos confringens, inveteratæ consuetudinis, et obdurationis angustias superans, per mediam infinitæ multitudinis aciem infimorum desideriorum et carnalium cogitationum undique occursantium, et usquequaque obsistentium, violenter erumpit, et vix tandem se in sui juris palatium recipit, dum se in cœlestis habitaculi solium totum colligit, ut de cætero cum suis commilitonibus, similibusque triumphatoribus, fiducialiter psallere possit: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III).

CAPUT XIV.

De distinctione eorum quæ ad hanc speculationem pertinent.

Notandum autem quod coronæ nostræ nulla mensura præscribitur, sed in eo ipso, quod corona nominatur ejus mensura, ex majori parte determinatur. Nam coronam non nominaret, quod superiora arcæ ab omni parte non cingeret atque coronaret. Juxta igitur longitudinem vel latitudinem arcæ coronam extendi, vel distendi oportuit, ut ipsam cingere atque coronare possit. Constat itaque eam secundum dimensionem arcæ duos cubitos, et semissem in longitudine, cubitum autem unum, et semissem habere in latitudine. Non autem æqua ratione ejus altitudinem æstimare possumus, nec altitudini arcæ æquare debemus. Nequaquam enim coronam diceret, si totam arcam vestiret, et non potius ejus solummodo suprema ornaret. Sicut autem, ut superius jam diximus, proprium hujus speculationis est a visibilibus ad invisibilia similitudinem trahere, et ex illorum consideratione ad istorum cognitionem propositæ similitudinis assignatione ascendere. Si una ergo utrobique mensura fuit, si eamdem prorsus hinc arca illinc corona, tam longitudinem quam latitudinem habuit, quid in his aliud oportet intelligere quam ut discamus ex illis omnibus ad invisibilium investigationem, similitudinum rationem trahere, ex illis omnibus, inquam, quæ diximus ad arcæ nostræ longitudinem vel latitudinem pertinere? Pertinet autem, ut dictum est, ad longitudinem arcæ in speculatione rerum, consideratio materiæ, formæ et naturæ. Ad ejus vero latitudinem operatio tam naturæ quam industriæ. Et his itaque omnibus ad invisibilium investigationem congruas similitudinum rationes eruere possumus et debemus, et cum ejusmodi industriæ usum in promptu habuerimus, quali oportuit vel decuit, arcam nostram corona circumduximus. Dictum est autem pertinere ad arcæ altitudinem, in morum consideratione, tam humanum quam divinam institutionem, ita ut intelligentiæ nostræ arca plenum cubitum videatur habere ex institutione humana, semissem vero ex institutione divina. Sed quid est quod dicta corona videtur sola superiora arcæ tangere, nisi quia constat humana instituta ad invisibilia et spiritalia valde longinquam, et omnino peregrinam similitudinem habere? Quis illa nesciat inventa in usum temporalium, non in typum æternorum? Creatoris autem opera quælibet visibilia ad hoc sunt creata, sic sunt disposita, ut et præsentis vitæ usibus ministrarent, et futurorum bonorum umbram gererent, unde fit etiam ut operatio industriæ, in quantum imitatur naturam, in tantum in se gestet invisibilium vel futurorum umbram. De cætero autem humana instituta tanto ab invisibilium similitudine peregrina sunt, quanto eorum inventores in illorum institutione nihil tale cogitaverunt. Quoties tamen in istis ad illa aliquid similitudinis invenimus, videamus ne forte in aliquam illarum considerationum cadat, quas superius longitudini vel latitudini arcæ assignavimus. De divinis autem institutis notandum quod quædam debeamus simpliciter intelligere, et nihil in eis mysticum quærere, quædam vero, et juxta litteræ sensum exerceri debent, nihilominus tamen mysticum aliquid figurare habent. Quia ergo in præceptis sublimioribus et ad intelligendum profundioribus, mystica intelligentia requiritur, dimidius ille cubitus qui arcæ nostræ altitudini in divinis institutionibus ascribitur, quasi in suis superioribus corona aurea decoratur. Sed nec in hac quidem parte similitudinis accommodatio, ab illarum quinque supradictarum considerationum proprietate, penitus recedit, unde est quod corona ibi se juxta longitudinem latitudinemque arcæ distendit, ut ipsam undique ambire possit.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Quod hoc contemplationis genus recte in quinque gradus dividitur.

Recte itaque tertium hoc contemplationis genus in quinque gradus distinguitur, secundum quinque dictos illos considerationum modos, ex quibus in invisibilium investigationem, similtiudinum ratio quæritur vel assignatur. Cum enim similitudo ex aliquo ad aliquid assumitur, secundum eosdem modos vario ordine formatur. Primus itaque modus est, quando similitudo sumitur ex eo unde ipsum est, vel potius ex eo quod ipsum est. Secundus et tertius similitudinem trahit ex eo quod in ipso est. Quartus et quintus ex eo quod per ipsum est. Et secundus quidem ex eo quod in ipso est, sed extrinsecus; tertius vero ex eo quod in ipso est, sed intrinsecus. Quartus vero ex eo quod per ipsum fit, impulsu quodam necessitatis. Quintus autem ex eo quod per ipsum fit, sed proposito voluntatis. Primus ergo hujuscemodi ratiocinationis modus in hac speculatione trahitur ex materiæ proprietate. Secundus et tertius ex rei ipsius qualitate. Sed secundus ex qualitate extrinseca, quod diximus formam. Tertius vero ex qualitate intrinseca, quod superius diximus naturam. Quartus autem modus colligitur ex eo quod in re ipsa, vel ab ipsa fit, secundum motum naturalem. Quintus demum ex eo quod agitur secundum motum artificialem. Ex proprietate materiæ similitudo trahitur, cum dicitur: *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas* (*Cant.* v). Qualitas extrinseca constat in colore et figura. A colore similitudo assignatur in eo quod legitur: *Dilectus meus candidus, et rubicundus* (*ibid.*). A figuræ qualitate similitudo sumitur, ubi mystica descriptione sacræ Scripturæ qualitas commendatur: *Aspectus rotarum, et opus earum quasi si sit rota in medio rotæ* (*Ezech.* I).

Nota quod extrinseca qualitas pertinet ad solum visum quemadmodum intrinseca qualitas ad quemlibet cæterorum sensuum. Ad auditum pertinet illa assignatio similitudinis, ubi audis: *Et vocem quam audivi, tanquam vocem citharœdorum citharizantium in citharis suis* (*Apoc.* XIV). Ad odoratum autem illud respicere videtur, ubi Sapientia de seipsa loquitur: *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans, odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris* (*Eccle.* XXIV). A deliciis gustus similitudo assumitur, ubi eadem ipsa de semetipsa fatetur: *Spiritus meus super mel dulcis, et hæreditas meas super mel et favum* (*ibid.*). Delicias tactus redolet, quod alias habes: *Sicut unguentum in capite quod descendit in barbam, barbam Aaron* (*Psal.* CXXXII). Hæc de qualitate intrinseca dicta sint, pro ea videlicet parte, qua eam corporei sensus attingere possunt. Naturalis operatio, pro similitudinis gratia, in considerationem adducitur, cum a Domino prophetæ voce promittitur: *Quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti; sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo* (*Isa.* LV). Ab artificiali operatione est illa similitudinis accommodatio, quam audis ab Apostolo: *Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu* (*Ephes.* II). Hæc tibi de similitudinum ratione, in coronæ nostræ fabricatione (quemadmodum superius, in arcæ deauratione) quasi quædam doctrinæ semina studuimus spargere, ut habeas unde possis, cum volueris, copiosam scientiæ segetem colligere. Nam ut hic locus plene et sufficienter explicari possit, proprium tractatum requirit. Tanto hic locus majori et diligentiori inquisitione eget, quanto huic ratiocinationi, tota hujus speculationis ratio incumbit. Constat autem in hac et in subsequenti speculatione maximam et pene præcipuam spiritualium virorum consolationem, nostris temporibus inesse. Nam pauci admodum sunt qui ad novissima illa duo contemplationum genera possint assurgere. Qui autem hæc plenius perscrutari voluerit, meminerit quod, juxta modum arcæ, corona ipsius quatuor latera habuerit.

CAPUT XVI.

Quod illa quæ ad hanc speculationem pertinent aliter adhuc distingui possunt.

Est autem adhuc aliud quod in hac corona recte notare possumus, si per illam invisibilium bonorum plenitudinem intelligere debemus. Corona siquidem propitiatorium ab omni parte ambiebat, et intra seipsam totum includebat. Nam quantum ad compositionem arcæ pertinet, nihil aliud propitiatorium, quam ejusdem arcæ operculum esse intelligi debet, quædam videlicet tabula aurea, ex auro purissimo ex integro facta, quæ ab inferiori quidem parte ab arcæ summitate excipiebatur, et ab omni, uti jam dictum est, parte, corona aurea cingebatur. Per hæc itaque duo (coronam scilicet et propitiatorium) duo intelligimus genera contemplationum, unum de invisibilibus bonis, alterum de invisibilibus substantiis, ut in spiritibus angelicis vel humanis. Quid est ergo quod corona totum propitiatorium intra se concludit, nisi quod beatitudo justorum omne eorum desiderium intra se comprehendit? Nos quandiu sub egenis hujus mundi elementis vivimus, desideria nostra ultra gaudia nostra extendimus, quia infinite plura sunt quæ concupiscimus, quam quæ in hac vita apprehendere possimus. Beata autem illa supernorum spirituum multitudo, desideria sua ultra gaudiorum suorum plenitudinem non extendit, quæ felicitatis suæ infinitatem vel immensitatem comprehendere omnino non sufficit, quam beatitudinis suæ corona undique cingit, et usquequaque magnitudinis suæ sinu includit. Est autem eorum gaudium non solum de contemplatione Creatoris, sed etiam in contemplandis ejus creaturis. Dum enim Deum in omnibus operibus suis mirabilem inveniunt, quid mirum si ubique mirando venerantur, venerando mirantur magnalia ejus,

Digitized by Google

quem diligunt? Inveniunt itaque non solum in creaturis incorporeis, sed etiam in creaturis corporeis unde mirentur, unde eorum Creatorem digne venerentur. Alia ergo sunt quæ supra se, alia quæ vident in se atque alia quæ vident sub se. Hæc omnia jugiter contemplantur, contemplantes mirantur, mirantes lætantur. Lætantur de divina contemplatione, congratulantur de mutua visione, delectantur in rerum corporalium speculatione. Pars infima coronæ, quæ sub propitiatorium descendit et ligno affligitur jucundum illud spectaculum designat quod habent in inferioribus creaturis, media pars coronæ, quæ propitiatorio jungitur, ardentissimum illud charitatis desiderium figurat, quod contrahunt de jucunditate mutuæ visionis. Suprema pars coronæ quæ supra propitiatorium elevatur ineffabile illud gaudium exprimit, quod hauriunt de jugi contemplatione sui Creatoris. Discamus et nos contemplantes mirari, et mirantes contemplari quomodo illi supernæ beatitudinis cives omnia quæ sub ipsis sunt indefiniter aspiciant, omniumque quæ ab alto vident rationem et ordinem comprehendant, quomodo de mutua societate, insolubilique charitate in infinitum gaudeant, quomodo in illam divinæ claritatis visionem insatiabiliter inardescant, et arcam nostram coronavimus. Cogitemus quomodo egrediuntur, et ingrediuntur, et pascua inveniuntur, et arcæ nostræ coronam juxta congruum sibi modum consummavimus. Vides certe, quod spiritualia pascua inveniuntur non solum in interioribus, verum etiam in rebus exterioribus, in rebus corporalibus. Absque dubio corporalia bona in quantum bonis invisibilibus et incorporeis similia sunt, spiritibus (nec mirum) spiritualia pascua ministrare possunt. Nam si nulla omnino bona visibilia ad invisibilia similitudinem haberent ad invisibilium investigationem, nullatenus nos adjuvare valerent, nec jam constaret, quod de ipsis legitur, quia invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Rom.* I). Iterum vero si ista ab illis multa dissimilitudine non discreparent, procul dubio caduca, transitoria et insufficientia non essent, incomparabiliter tamen copiosior est horum ad illa dissimilitudo quam similitudo. Infinita siquidem est in horum comparatione futuræ plenitudinis superveniens magnitudo. Unde est, quod vix arcæ suprema coronam tangunt, ejusque inferioribus junguntur, quia horum summa illorum ima, tot similitudinum suarum signis, nonnisi ex parte loquuntur.

CAPUT XVII.

Quod in hac speculatione corporeæ similitudinis manuductione utimur.

Hoc autem inter secundum contemplationis genus et hoc tertium de quo modo loquimur interesse videtur, quia illud, uti superius jam diximus, versatur in imaginatione et moderatur secundum rationem; istud autem constat in ratione, sed sequitur imaginationem. In hac ei speculatione per omnia quæ animus multipliciter scrutatur invisibilibus intendit, et ad illa apprehendenda nititur. In eo itaque hæc speculatio in ratione consistit quod illis solis investigandi insistit quæ corporeus sensus omnino capere nequit. Sed quia hujus speculationis investigatio ad invisibilium cognitionem sine corporalium similitudinum adjutorio non perducitur, imaginationis manuductionem in hac parte ratio sequi videtur, et inquisitionis suæ cursu eam quasi ducem itineris habere convincitur. Dum enim imaginatio rationi rerum visibilium formas repræsentat, et ipsam ex earumdem rerum similitudine ad invisibilium investigationem informat, quodammodo illuc eam conducit quo per se ire nescivit. Nunquam enim ratio ad invisibilium contemplationem assurgeret, nisi ei imaginatio rerum visibilium formas repræsentando exhiberet, unde ad illa similitudinem traheret, et investigationis suæ modum formaret. Inde est quod ille interior homo noster exteriorem hominem, ducem suum vocat, cum dicit: *Tu vero homo unanimis dux meus, et notus meus* (*Psal.* LIV). Certum namque est quia, nisi per corporeum sensum, animus ad exteriorem notitiam pervenire non potest. Merito ergo exteriorem hominem homo interior ducem suum dicit, sine cujus ministerio, vel potius magisterio ad visibilium cognitionem non pertingit. Sed nec ad invisibilium quidem, cum ad illa cognoscenda sine horum notitia assurgere non possit. Quoties ergo cognoscendarum rerum, per corporeum sensum, experientiam capere cogitur, toties (nimirum) interior homo noster ducem suum sequi videtur. Absque dubio sensus carnis, sensum cordis in cognoscendis rebus præcedit; quia, nisi prius sensibilia per sensum corporeum animus caperet, omnino non inveniret quid de eis saltem cogitare potuisset. Sed forte mirum non est, si sensum cordis sensus corporis illuc ducit, quo ipse ire potest. Sed illud valde mirabile, quomodo illuc eam conducit quo ipso ascendere non potest. Sensus quidem corporeus incorporea non capit; ad quæ tamen sine ejus manuductione ratio non ascendit, sicut jam supra monstrata ratio docuit. Certe et si homo minime peccasset, in cognitione rerum sensus exterior interiorem adjuvaret: nam Evam suam in adjutorium accepisse Adam quis neget? Aliud vero est cursus sui comitem habere, et aliud est itineris sui ducem quærere. Nam quoniam Eva virum suum, semel contra Dei consilium vel præceptum post se traxit et ad consilii sui consensum inclinavit, prævaricationis suæ pœna infirmatus Adam, jam eam sequi necesse habet, et usque nunc quotidiano ejus magisterio eget; verumtamen tunc de adjutoris sui ducatu non solum non confunditur, sed et gloriatur quando, interveniente ejus obsequio, ad invisibilium contemplationem corporearum similitudinum calle producitur: *Homo*, inquit, *unanimis dux meus et notus meus* (*Psal.* LIV). Quomodo autem sit homini interiori dux suus unanimis vel notus satius, ut arbitror, patet, nec multa expositione indiget. Cogita nunc quomodo motui cordis motus corporis ultro occurrit, et citius invenis quam unanimis ei sit.

Digitized by Google

Statim ut vult animus movetur pes vel manus. Ad nutum ejus circumfertur oculus. Ad ejus arbitrium movetur lingua, moventur et labia vel alia quælibet corporis membra. Quid, quæso, in rerum natura dissimilius quam spiritus et corpus? Verumtamen ubi, obsecro, tantam tam perfectæ concordiæ unanimitatem, invenimus ut pene, imo penitus eodem tempore, sit fieri velle et fieri, moveri velle atque moveri. Unum solum quidem corporis membrum est (in ea videlicet parte, qua libido regnat) quod interioris hominis imperio non obtemperat.

Cum vero hanc ejus contradictionem, ex divino adjutorio, per moderatam afflictionem poterit reprimere, jam deinceps audet eum unanimem dicere, et hominem pacis suæ appellare. Homo, inquit, pacis meæ. Ecce quomodo unanimis. Sed quomodo notus? Illud quidem satis constat, quia quidquid in qualibet corporis parte agitur, ubicunque læditur, ubicunque qualibet delectatione fovetur, statim ad animi notitiam pervenit, ut eum omnino latere non possit quæcunque afflictio vel delectatio, sensum corporeum afficit, et sicut motus cordis, absque contradictione statim exit per motum corporeum, sic omnis sensus corporis absque mora intrat ad animum; et sicut in omni actione sua corporalis motus, arbitrio cordis obsequitur, sic omnis passio corporalis absque repulsa ad animum ingreditur, et quam vere nulla corporis injuria, vel oblectatio animum lateat illam tam subita compassionis, vel congratulationis velocitas probat. Nam, sicut uno eodemque est tempore moveri velle atque moveri, sic uno eodemque momento est corpore pati et corde compati, exterius delectari, interius congratulari. Elige quid magis mireris, aut corporis ad animum tam celerem obedientiam, aut animi ad corpus tam familiarem notitiam. Mira obedientia ubi omne animi desiderium, motus corporis pene prævenit. Miranda notitiæ familiaritas, ubi quidquid corpus sentit, animus pene præsentit. Et habet quidem ille interior homo noster, de hac domestici sui tam familiari notitiam; habet, inquam, unde miretur, non tamen unde glorietur. Non magna gloriatio animum nosse, quæ soleant corpus suum delectari vel lædere. Sed illud procul dubio magnum erit, cum jam multis experientiæ documentis nosse cœperit, qua discretione debeat appetitui carnis, et in necessariis obtemperare, et in superfluis contraire, ne, si minus foveat, suscitet sibi hostem, et nutriat rebellem. Vel, si nimis affligat, perimat civem et opprimat adjutorem. Sane ad hujusmodi notitiæ perfectionem, animus vix per multa argumenta, vix post multa experimenta pertingit, sed ea semel adepta, ex illa nimirum non parum proficit. Sine hac nunquam poterit Adam adjutorio suo bene uti; per hanc docetur exterior homo noster delicias Ægypti paulatim fastidire, tandemque oblivisci, assuescitque nihilominus, spiritalibus alimentis delectari. Mirum hoc, vel potius incredibile alicui videbitur. Sed, si mihi inde non creditur, vel A experto credatur. Audiamus illum quem hæc experientia docuerat, et attendemus, quid dicat: *Homo*, inquit, *pacis meæ in quo sperabam, qui edebat panes meos* (*Psal.* XLVIII). Et in hoc iterum loco: *Qui simul mecum dulces capiebat cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu* (*ibid.*). Qui autem sunt panes quos interior homo noster, exteriori apponit, vel quibus eum cibis reficit, manifestat Scriptura, quæ dicit: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* (*Psal.* XLI). Et alibi de hujusmodi panibus, iterum ait: *Surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*Psal.* CXXVI). Hujusmodi itaque panem homo interior aliquando solus comedit, aliquando etiam ut secum comedat, domesticum suum B vix multa fatigatione compellit. Panem suum spiritus solus comedit, quando animus quidem de peccatis suis dolet, verumtamen lacrymas nulla ratione extorquere valet. Panem doloris pariter comedunt, et cibum unum quasi unanimiter sumunt, cum interior homo profunde ingemiscit, et ad ejus gemitum exterior homo ubertim lacrymas fundit. Prius autem omnis homo compungitur timore, postmodum vero compungitur ex amore. Compunctio timoris amaritudinem habet, compunctio amoris dulcedinem habet. Qui igitur adhuc solo timore compungitur, cibis quidem spiritalibus, minime tamen dulcibus pascitur. Qui vero jam ex æternorum gaudiorum desiderio lacrymas fundit, iste profecto dulcibus cibis spiritalibusque se reficit. Cum ergo cœperit C homo ille interior domesticum suum talibus cibis reficere, potest de eo veraciter psallere: *Qui mecum dulces capiebat cibos.* Talibus ergo studiis, quanto uterque homo, amplius ad puritatem proficiunt, tanto utique alacrius currunt. Quod vero, post tantæ concordiæ perfectionem carnis et spiritus eorum pacem malignorum spirituum infestatio perturbet, ex eo quod subjungitur, recte intelligenti liquide apparet. Quid est enim quod ille qui secundum Deum creatus est homo interior de homine pacis suæ, de homine unanime plangit, et mox non in illum, sed in alios maledictionis jaculum intorsit, nisi quod in illos per increpationem sævit, quorum sævitia pacis suæ quietem amisit? *Tu vero*, inquit, D *homo unanimis, dux meus, et notus meus qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Et subjungit statim: *Veniat mors super eos* (*Psal.* LIV). Non dicit super te, sed super illos. De his ergo se vindicat, quorum fraude pacis suæ consortem amiserat. Sæpe enim spiritus maligni paci spiritus invidentes, dum carnem subita et vehementi tentatione fatigant, spiritus pacem perturbant, et reddunt ei de unanimi hostem, de duce seductorem, et efficiunt de noto ignotum, et de domestico inimicum. Sed ecce, dum unum Scriptura locum plenius perscrutari volumus, circumadjacentia perlustrare compulsi sumus. Nam dum de exterioris hominis ducatu dicere aliquid rationis ordo expostulaverit, obscuritas circumadjacentium

Digitized by Google

verborum expositionem nostram paulo latius extendere coegit.

CAPUT XVIII.

Quod hoc contemplationis genus constat in ratione secundum imaginationem.

Nunc vero ad id redeamus unde digressi sumus, quomodo scilicet per rerum visibilium imaginationem adjuvemur ad rerum invisibilium investigationem. In eo enim exterior homo in investigationis suæ cursu interiorem adjuvat, quo ei invisibilium imaginem per rerum visibilium imaginationem repræsentat. Et, dum ducatus sui officium explet, illuc istum similitudinum calle perducit, quo ille intrare non audet. Sic sæpe famuli dominos suos in via usque ad regias fores præeunt et tamen, istis intro usque ad interiora palatii properantibus, illi exterius subsistunt. Patet ergo, ut arbitror, quod superius jam diximus, quomodo hoc contemplationis genus esse quidem in ratione, et secundum imaginationem intelligere debeamus, quia et invisibilia sunt quæ mente conspicimus, et tamen ex rerum visibilium similitudine illa nobis formamus. Quid enim dixerim rerum visibilium formam nisi quamdam quasi rerum invisibilium picturam? Sit modo aliquis qui nunquam leonem vidisse se dicat, quem tamen videre desiderat, si ei leonis imago in pictura aliqua convenienter expressæ ostenditur, profecto qualem eum cogitare debeat ex eo quod videt statim admonetur. Denique secundum lineamenta quæ superficietenus expressa considerat, solida membra et vivum animal sibi in mente format. Cogita nunc quantum sit inter illud quod videt exterius, et inter hoc quod in sua cogitatione sibi fingit interius. Sic sane in hoc contemplationis genere longe a se distant invisibilia quæ in mente versamus, et ea quæ per imaginationem cernimus, et tamen ad illa exprimenda ex istis similitudinem trahimus. Reddidimus quomodo potuimus rationem cur hoc genus contemplationis videatur esse in ratione, et secundum imaginationem.

CAPUT XIX.

Quomodo ad permissionem, vel operationem Dei pertineat quidquid radius contemplationis perlustrat.

Postulat rationis ordo de circulis et vectibus hoc loco aliqua vel breviter dicere, ut idem ordo servetur in expositione, quem auctor servare voluit in descriptione. Primo itaque considerandum est quæ sint latera arcæ, ut consequenter possimus agnoscere quos in quo latere circulos debeamus ponere, per arcam gratiam contemplationis accipimus, uti superius jam diximus. Quia igitur radius contemplationis ab alto jam radiat, et se in omnem partem pro sublevata mentis capacitate dilatat, omnia quæ sub contemplationem cadere possunt, ad hanc se arcam pertinere evidenter ostendunt. Alia vero consideratio est qua attendimus eorum quæ quotidie fiunt alia justa, alia esse injusta, et longe alia consideratio illa qua conspicimus humanis usibus alia esse commoda, alia vero incommoda. Erigunt ergo in arca nostra parietes duos sibi invicem e diverso oppositos, hinc unum æquitas, illinc alterum iniquitas, duos vero alios parietes e regione se invicem respicientes efficiunt nihilominus hinc unum prosperitas, illinc alterum adversitas. Illud autem valde admirandum et multa admiratione dignum, quomodo vel voluntas bona vel qualiter voluntas mala, Deo omnia moderante et juste disponente, hinc modo adversitate repellitur, modo illinc prosperitate religatur, ne hæc, vel illa in infinitum excrescat et divinæ dispositionis modum excedat. Cogita nunc quemadmodum in arca nostra parietes se in longum extendentes, et longitudinem arcæ metientes, duo alii parietes per transversum occurrentes hinc inde præcidant, et ad certam mensuram restringant. Juxta hanc utique similitudinem divina dispensatio diversis voluntatibus nunc ad votum famulatur ut inveniant quomodo se extendant, modo eis adversatur ne destinationis præfinitæ modum excedant. Ne enim per effluamus, uti jam duximus, hinc religamur vinculo cupiditatis, illinc obstruimur repagulo necessitatis. Multa enim sæpe dimittimus ne amittamus quod diligimus; multa nihilominus, ne incurramus quod odimus. Ubi ergo adversitas, atque perversitas se invicem collidunt quodammodo in arca nostra angulum efficiunt. Ubi vero prosperitas atque perversitas invicem occurrunt, alterum angulum componunt. Occursio vero æquitatis et prosperitatis tertium angulum constituit. Collisio autem æquitatis et adversitatis quartum conjungit. Ad primum angulum corripiuntur mali, ad quartum corriguntur boni; item ad secundum destituuntur mali, ad tertium proteguntur boni. Per adversitatem siquidem reprobi corripiuntur, non autem corriguntur. Si enim seipsos corrigerent, utique reprobi non essent. Sed per adversitatem boni a malis suis corriguntur, seu etiam ad meliora promoventur. Item per prosperitatem mali in seipsis resolvuntur, et a Deo destituuntur. Boni autem per prospera et ad bona foventur et a malis proteguntur. Igitur primus angulus est ad correctionem, secundus ad destitutionem, tertius ad protectionem, quartus ad correctionem. Patet autem quod illi parietes per Moysen latera arcæ dicuntur, qui longitudinem arcæ metiuntur. Horum duorum, quam cæterorum parietum, sicut in arcæ compositione est quantitas major, sic in rerum significatione et veritatis contemplatione est eorum dignitas sublimior. Quis enim nesciat quam sit incomparabiliter major illa quæ est justi et injusti, quam illa discretio quæ est commodi et incommodi? Prima autem pertinet ad parietes qui metiuntur arcæ longitudinem. Nam illa quæ est commodi et incommodi pertinet ad illos parietes qui metiuntur arcæ latitudinem. Ad duo itaque latera arcæ pertinet quorumlibet consideratio secundum quæ fiunt juste seu etiam injuste. Quæ vero

Digitized by Google

juste fiunt quis ignoret fieri Dei operatione, quæ injuste fiunt sola ejus fieri permissione.

CAPUT XX.

Quod Dei sapientia, cum sit simplex et una, diversis considerationibus in contemplationem adducitur, et modo scientia, modo præscientia, modo dispositio vel prædestinatio nominatur.

Quia ergo jam quæ sunt latera arcæ habemus, quia ejusdem angulos quatuor jam expositione tenemus, quæramus adhuc qui sint illi quatuor annuli aurei qui jubentur singuli in singulis angulis poni. De auro satis constat quod cætera omnia metalla claritatis suæ magnitudine superat. Sed divina sapientia quid clarius, quid lucidius? cui etiam nihil comparabile invenimus. De hoc auro quasi ad diversas operationes materiam sumimus, quando illam, quæ in se simplex et una est, diverso modo consideramus. Dei siquidem sapientia cum sit, ut dictum est, simplex et una, modo præscientia dicitur, modo scientia nominatur, nunc eam prædestinationem dicimus, nunc dispositionem vocamus. Sic res una a nobis diverso modo distinguitur ut a nostra exiguitate qualicunque modo, vel ex parte capiatur. Scientia est qua omnia cognoscit. Præscientia qua ab æterno omnia prævidit. Prædestinatio qua ab æterno omnes sive ad vitam, sive ad mortem præordinavit. Dispositio qua omnia ubique incessanter disponendo nihil inordinatum relinquit. Hos nostræ considerationis modos quasi in circulum flectimus, quando in omni divinæ sapientiæ ordinatione initium cum fine concordare videmus. Nunquam enim divina præscientia in sua providentia fallitur, nunquam divina prædestinatio in suo proposito decipitur, nusquam ejus scientia in suo judicio errat, nusquam ejus dispositio in suo consilio nutat. Dum enim circulus in semetipsum ab omni parte reflectitur, in ipso procul dubio sicut nec initium, sic nec finis invenitur. Illa utraque nihilominus consideratio ad hos circulos pertinet, quod in omni divinæ comprehensionis contemplatione initium, finem vel modum mens nostra investigare non valet. Horum circulorum ambitus ab omni parte ad unum medium punctum æqualiter circumfertur, quia omnis divina examinatio nusquam in una re quam in alia ab unius et simplicis veritatis diffinitione longius evagatur. Hi circuli in seipsis omnia comprehendunt, et suo in sinu universa concludunt. Hi sunt illi quatuor, ut arbitror, circuli, qui per Moysen per quatuor arcæ angulos jubentur ordinari.

CAPUT XXI.

Quod divina sapientia secundum diversos contemplationis modos in quibusdam videatur mirabilior, in quibusdam jucundior.

Horum autem circulorum duo sedem habent in latere uno, duo reliqui in latere alio. Singuli itaque certis locis deputantur quamvis ad totius arcæ evectionem pariter omnes cooperentur. Ibi enim quilibet hujusmodi circulorum sedem habere debet, quo quisque in loco præ cæteris mirabilior, seu jucundior nostræ considerationi apparet. Nam ab eo quisque loco quasi amplius elongat ubi contemplantis admirationem minus excitat ubi in admirantis animo minorem jucunditatem generat. Accipiunt ergo sedem duo in latere uno, et duo itidem in latere alio. Superius autem dictum est, quomodo ad latus unum pertineant quæ fiunt Dei permissione, vel quomodo æque ad latus aliud pertinere videantur quæ fiunt Dei operatione. Ordinentur itaque in permissionis latere circulus præscientiæ et circulus scientiæ. Similiter in latere divinæ operationis circulus prædestinationis, et circulus dispositionis. Vis autem scire quam recte, quam ordinate circuli qui dicuntur scientiæ, vel præscientiæ illis maxime præsident quæ fiunt Dei permissione? Cogita ergo, si potes, quanta admiratione dignum sit quod hæc omnia potuit præscire ab æterno quorum est tam innumera multitudo et tam multiplex variatio. Sed hæc ejus præscientia cum sit in utrisque mirabilis, mirabilior tamen apparet in rebus malis quam bonis. Quæ enim mala sunt quia injuste fiunt sola utique ejus scimus fieri permissione, nunquam autem ejus operatione. Cogita etiam, si potes, quanta admiratione dignum sit quod illa etiam præscire potuit quæ alienæ voluntati reliquit, et voluntati quidem quæ nondum fuerat, et quam nunquam facturus erat. Voluntatem enim malam nunquam facit, quamvis eam esse permittat. Certe minus miramur ea ipsum posse ab æterno præscire quæ ab ipso erant facienda, quamvis sint tam multa, et pene infinita, quam ea quæ posuit sub potestate aliena et voluntate contraria. Quid autem de ejus scientia dicturi sumus, quam omnium quæ sunt qualitatem, modum, ordinem et locum, et numerum sub uno simplicis visionis radio comprehendere scimus? O vere miranda! o vere stupenda! Si autem quæris ubi mirabilior nostræ considerationi appareat, quæ vere ubique est mirabilis, quis eam non videat mirabiliorem in Dei rebus occultis quam in rebus manifestis? Quale, quæso, est occulta hominum, secreta videlicet cogitationum, affectionum, voluntatum et intentionum indesinenter aspicere, et quemlibet cordis motum ante divinæ scientiæ conspectum non posse latere? Quoties vero bonas hominum cogitationes et voluntates attendit, quid pro his omnibus in cordium arcano aliud aspicit quam quod ibidem ipsemet reposuit? Bonos siquidem cordium motus quoslibet absque contradictione ipse operatur, ipsisque cooperatur. Illud vero præ omnibus mirum, quod nihil omnium ignorare valeat eorum etiam quæ cordibus humanis ipse non inspirat. Hæc est illa in divinæ scientiæ perspicacia vere summa et singularis admiratio, quod nihil eum omnino latere possit in cordium malorum tam profunda et tam tenebrosa abysso. Ecce cur providentiæ et scientiæ circuli in permissionis latere sedem accipiunt, ubi, uti aperta ratio perdocuit, nostræ considerationi mirabiliores occurrunt. Cæteros autem præde-

Digitized by Google

stinationis videlicet, et dispositionis divinæ circulos latus aliud habere debet; et cur hoc sit, multa, ut arbitror, expositione non indiget. Ut enim taceamus eos in hac parte apparere mirabiliores, quis eos neget in his quæ electorum saluti militant quæ sola ad hoc latus spectant apparere jucundiores? Divinæ siquidem prædestinationis et dispositionis rationem in salvandorum reparatione, promotione, glorificatione, quam in malorum justa reprobatione, dejectione, damnatione charius amplectimur, jucundius veneramur, ardentius diligimus, honorificentius magnificamus. In tantum enim prædestinatio specialiter et proprie ad hoc latus pertinere videtur ut pene de sola præordinatione ad vitam dici soleat, et ad aliam partem nonnisi abusive et improprie referatur. Divina vero dispositio quamvis ad utralibet pertineat, eo quod nusquam aliquid inordinatum relinquat, soli tamen electorum saluti omnis ejus ordinatio militat. Ecce jam diximus quos in quo latere circulos ordinare debeamus.

CAPUT XXII.

In qua speculatione divina præscientia, vel scientia appareat mirabilior.

Forte adhuc hoc animum pulsat in quo quisque angulo poni debeat. Attende ne forte quadam supereminentiæ singularitate specialius pertineant, circulus præscientiæ ad angulum primum, circulus scientiæ ad angulum secundum, circulus prædestinationis ad angulum tertium, circulus dispositionis ad angulum quartum. Collisionem adversitatis et iniquitatis primum angulum facere superius jam diximus, et ad malorum correptionem, non autem correctionem pertinere docuimus. Si igitur ad Dei præscientiam respicias, quid quod in ipsa amplius mireris invenies? Quid, quæso, reprobos per adversantium malorum flagella corripit, si eos a suis malis nunquam velle resipiscere prænoscit? Quid eis quasi paternitatis verba adhibet, præceptis cohibet, minis terret, quos æternis malis addictos esse prævidet? Si igitur in divina præscientia quod amplius mireris non invenis, non est cur eam huic angulo arctius inhærere mireris. Item superius monstratum est, occursionem prosperitatis et perversitatis secundum angulum facere, et eum ad malorum destitutionem et delectationem minime pertinere. Nunc, quæso, ad divinæ scientiæ considerationem intelligentiæ oculos reflectere; diligentius, obsecro, intuere, mirare, obstupesce. Stupendum valde quomodo mala hominum Deus indesinenter aspicit quæ tantum detestatur et odit. Nunquid, quæso, non potest Dei omnipotentia tot et tanta mala cohibere quæ omnipotens sapientia nusquam potest ignorare, quæ omnipotens bonitas nunquam potest amare? Ad hujus admirationis cumulum illud accedit, quod malis etiam bona temporalia tribuit per quæ quodammodo in eis ea mala multiplicare videtur quæ præ omnibus et super omnia detestatur. Nam per bona temporalia, ut superius dictum est, mali in seipsis resolvuntur, et a Deo destituuntur. Nunquidnam illa divinæ scientiæ perspicacia quomodo mali suis donis abutantur non considerat? An forte quid, quo animo gerant ignorat? Sed quis hoc dicere audeat? Attende ergo quam sit difficile hujus perplexionis involucrum digna admiratione venerari, et invenies quam juste hujusmodi divinæ scientiæ circulus huic angulo debeat vicinius jungi, firmius aptari.

CAPUT XXIII.

In qua speculatione divina prædestinatio appareat jucundior.

Tertius item angulus, uti superius habetur, ex occursione probitatis et prosperitatis conjungitur, et ad bonorum consolationem et protectionem pertinere comprobatur. Hinc nunc, quæso, ab hoc angulo ad oppositum ei angulum respice, et nunc hunc, illum diligenter attende, ut positionis rationem quam quæris possis citius invenire, perspicacius penetrare. In hoc angulo boni mundi hujus prosperis foventur, in illo mali mundana adversitate flagellantur. Attende diligentius, examina frequentius hinc Dei pietatem, illinc ejus severitatem, pietatem in bonis, severitatem in malis. Quam severum esse putamus quod illis nec in præsenti parcit, quod temporalem vitam sine pœna transire non permittit, quos æternis pœnis addicit? Illud autem quam pium erit quod bonos quidem, quantum eis expedit, bonis temporalibus fovere non desistit, quos tamen ad vera et æterna bona præordinavit. Discute, si potes, quale, quam magnum, quam pium possit esse gratuito quidem istos, illis rejectis, ad æterna bona prædestinare, et tamen temporalia bona ad usum, imo ad utilitatem non negare. Quid hac consideratione dulcius, quid in Dei prædestinatione jucundius inveniri poterit? Recte ergo in eo angulo divina prædestinatio præeminere describitur, ubi temporalis prosperitas electis ad utilitatem famulatur. Recte aureus ille circulus fixam illic sedem tenet, ubi quanto clarior, tanto nimirum jucundior appareret.

CAPUT XXIV.

In qua rerum speculatione soleat divina dispositio jucundior apparere.

Et, ut ad quartum tandem angulum veniamus illum longe superius esse exposuimus, ubi adversitas ex adverso occurrens probitatem exercet. Nam ipse, uti ibi dictum est, ad bonorum correctionem pertinet. Nam, quia nec boni quidem hanc vitam sine macula pertranseunt, et semper quantumvis perfecti quo crescendo proficere possint inveniunt, habeat ex hoc angulo unde purgentur, habent pariter et ubi exerceantur. Huic angulo circulorum nostrorum ultimus familiarius præsidet, quia alias quo sedem singularem accipiat non habet. Hic iterum, si hunc angulum cum ei opposito angulo conferimus, rationem quam quærimus citius inveniemus. In illo mali prosperantur, in isto boni flagellantur, ibi mali ex bonis quæ accipiunt erga Deum amplius tepescunt, unde in ejus amore acrius ignescere debuerunt. Illic

Digitized by Google

econtra in bonis, disponente Deo, id agitur, ut unde in eis exstinguendus videbatur, inde in eis amoris ardor acrius inflammetur. Quanto enim mundi malis acerbius urgentur, quanto gravioribus flagellis atteruntur, tanto ad Dei amorem vehementius accenduntur. Mirare, obsecro, mirare et vehementer obstupesce, vel quomodo in malis amor Dei deficiat ex beneficio, vel qualiter in bonis divina dilectio crescat ex flagello. Absque dubio plus in Laurentio amor Dei convaluit ex incendio, quam in Nerone ex imperio; imo in Laurentio incanduit per incendium, in Nerone penitus defecit per concessæ potestatis imperium. Et quod adhuc est majus et multo mirabilius, plus fortasse in martyre amoris flamma convaluit ex tam acerba pœna, quam potuisse ex qualibet, et quantalibet temporali gloria : unde, quæso, tale consilium, tam mirandum artificium? Vides quomodo ille summus artifex peritiam suæ artis ostendit, qui in electis suis contraria ex contrariis gignit, fovet ac nutrit. Juvat et hunc angulum adhuc et cum aliis conferre, et divinæ dispositionis ordinem ex eorum comparatione commendare. In primo angulo, ut dictum est, mali puniuntur nec purgantur. In isto boni flagellantur et corriguntur. Quid, quæso, est quod easdem culpas eadem flagella in his corrigunt, in illis penitus corrigere non possunt, imo similis per omnia corruptelæ rubiginem parva pene temporalis flamma in electis ad plenum excoquit, quam in reprobis tot tormentorum tanta acerbitas, et illud gehennæ crudele incendium in æternum excoquere non sufficit? Cur, quæso, dissimilem effectum habet non dissimilis causa, nisi quod divinæ dispositionis ratio cum sit utrobique mira in reprobis, apparet justior quam pia, in electis vero pia potius quam severa. Ecce contulimus jam quartum hunc de quo loquimur angulum, primo cum secundo, secundo cum primo, tertio nunc loco comparetur cum tertio. In tertio itaque angulo boni beneficium ad consolationem accipiunt, in quarto de quo et modo agimus, flagellis fatigari se sentiunt : in illo foventur, in isto exercentur; in illo suaviter pausant, in isto fortiter pugnant; in illo a rege suo quasi militaturi donativa percipiunt, in isto pugnando victoriam, et vincendo æternæ retributionis palmam acquirunt. In illo itaque angulo ex accepto divino beneficio id in eis agitur, ut Dei sint fidei debitores, in hoc autem angulo ex patientiæ, et fortitudinis suæ merito id in eis efficitur, ut Dei fiant, si dici fas est, justi exactores : *De reliquo*, inquit Apostolus, *reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (*II Tim.* IV). *Reddet*, ait, non dabit, et *judex justus*, non pius. Sed, ut fieret postmodum tanti præmii justus debitor, sponte prius factus est talis meriti gratuitus largitor. Cogita ergo quale sit Deum cum magno quodam quasi studio excogitare, cum multo quasi exercitio satagere, cum miro quodam artificio quandoque in electis perficere, ut fiant ex reis justi, ex servis liberi, ex miseris debitoribus meritis divites, et regni cœlestis hæredes. Hæc est, ut arbitror, sufficiens ratio cur divinæ dispositionis circulus ille aureus singulariter præsideat huic angulo, ubi per modicorum laborum certamina sublevat hominem ad præmia æterna. Hoc est illud in quo hujusmodi circulus aureus resplendet amplius, rutilat clarius. Hoc est, inquam, in quo divina dispositio in tribulatione gaudentibus, et sibi in contumeliis placentibus apparet gloriosior eoque jucundior. Ex his itaque quæ de angulis, sive de lateribus arcæ jam diximus, satis, ut arbitror, evidenter ostendimus quomodo in latere uno circuli præscientiæ et scientiæ appareant mirabiliores, vel quomodo in latere alio circuli prædestinationis, et dispositionis appareant jucundiores.

CAPUT XXV.

Quod contemplationis spectaculum semper comitari debent magna admiratio et ingens exsultatio.

Puto quia jam laboriosum non erit invenire cujusmodi vectes hujusmodi circuli debeant habere, vel quem in quo latere debeamus ponere. In his siquidem quæ magis miranda sunt, opus est (nec mirum) magna admiratione, in illis autem quæ jucundiora videntur uti utile erit magna exsultatione. Sit ergo magna nostra admiratio, sit vehemens nostra exsultatio et quales exigit divinorum operum contemplatio. Sit utraque magna, sit utraque fortis, sint ambæ robustæ in modum vectis, et quæ sufficere possint ad evectionem tanti oneris. Faciamus ergo de utraque vectem ligneum non baculum arundineum. Debet autem non de quolibet ligno fieri, sed de setim ligno videlicet forti et incorruptibili, ut sint et per fortitudinem inflexibiles, et per longanimitatem incorruptibiles. Boni sane hujusmodi vectes ambo, magna scilicet et diuturna admiratio, ingens et perseverans exsultatio. Ut autem formam habeant ad vectis modum, et possint vectium explere officium, sint utraque robusta, sint autem et utraque deaurata. Fiant ergo de robore constantiæ, dirigantur ad normam justitiæ, operiantur ambæ de auro sapientiæ, ut sint ambæ et per fortitudinem validæ, et per æquitatem directæ, et per discretionem splendidæ. Multum per omnem modum placet in his vectibus hujusmodi deauratio, quia multum in omnibus valet prudens et provida discretio. Sit ergo discreta admiratio nostra, ut nihil in Dei præscientia, nihil in ipsius scientia admiremur quod falsum sit. Sit nihilominus discreta congratulatio nostra ut nihil in prædestinatione vel dispositione divina veneremur quod vanum sit. Scit utique utraque illarum esse mirabilis, sine patrocinio falsitatis. Scit quidem et utraque istarum esse dulcis sine condimento vanitatis. Nihil ergo in Dei præscientia, nihil in ipsius scientia miremur quod sit falsum, nihil in Dei prædestinatione, nihil in ejus dispositione veneremur quod sit vanum, e sapientiæ auro quo debuimus vectes nostros operuimus. Hujusmodi ergo vectes circulis aureis inserantur, et secundum Dominicum documentum, vel præceptum nunquam

Digitized by Google

foris extranantur. Semper sit admiratio tua intra spectaculum divinæ præscientiæ, et divinæ scientiæ. Semper sit delectatio tua in consideratione prædestinationis et dispositionis divinæ. Semper in illis invenies quod mireris, semper in istis reperies unde delecteris. Quid ergo necesse erit alia pro aliis quærere, et per vana huc illucque cogitationum evagatione discurrere. Nusquam copiosior materia admirandi, nusquam utilior causa gratulandi. Sane et in his et illis invenies unde mireris, et in quo delecteris. Nam uterque vectis quamvis uno lateri vicinius inhæreat, neuter tamen a neutro multum se elongat. In his ergo semper sit admiratio tua, in istis semper sit delectatio tua. Sint ergo hujusmodi vectes in hunc modum inserti semper circulis aureis et Dominicum præceptum te implesse gaudebis.

CAPUT XXVI.

Quod secundum modum admirationis et exsultationis variatur modus contemplationis.

His vectibus arca nostra huc illucque circumfertur, his vectibus in alta sustollitur, his iterum ad ima deponitur. Profecto in divinorum operum ratione ejusque contemplatione, quanto amplius admirando delectaris et delectando admiraris, tanto libentius immoraris, tanto diligentius perscrutaris, profundiusque illuminaris. Quoties ex admiratione tua animus tuus per diversa rapitur, et ad singula delectabiliter afficitur, toties arca tua circumfertur quia contemplatio tua dilatatur. Si te admiratio tua ad altiora et profundiora rapit, et te in eorum investigatione delectabiliter suspendit, nimirum arca tua in altum surgit, quia intelligentia tua subtiliora capit. Quando decrescit, seu etiam deficit speculationis admiratio et admirationis delectatio, arca deponitur ad ima, quia cessat revelatio divina. In hunc itaque modum secundum qualitatem et quantitatem nostræ admirationis et exsultationis arca nunc in gyrum flectitur, nunc ad alta sustollitur, nunc ad ima deponitur, quia secundum desiderium æstuantis animi revelatio formatur et intelligentia multiformiter illuminatur.

CAPUT XXVII.

Quod in omni rerum mutabilium contemplatione necesse sit divinæ sapientiæ considerationi inhærere.

Nunc illud consideratione dignum videtur, quam convenienter per Moysen de circulis et vestibus statim subjungitur, postquam de triplici contemplationis genere mystica descriptione digessit quod, uti superius monstratum est, de rebus visibilibus surgit. Quis enim nesciat hujus visibilis machinæ tam varia multiplicitas et tam multiplex varietas quantæ confusioni subjaceat, cum universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti? Sicut bonus sic et peccator, ut perjurus ita et ille qui verum dicebat. Quis, quæso, est iste rerum ordo, imo quanta confusio quod omnibus omnia æque eveniunt, quod bonis bona et mala, quod malis mala et bona pari sorte contingunt? Intantum enim hujus confusionis caligo imperitorum obtutum obnubilat, ut Deum res humanas curare dubitet vel penitus diffidat. Hinc utique factum esse quis neget, ut antiquitas Fortunæ fanum erigeret, altare consecraret? Certe, si solis bonis sola bona, et solis malis sola mala contingere cernerent, id recte, id juste fieri nec imperiti negarent. Si vero bonis tantummodo mala, et malis tantummodo bona accidissent, in hujusmodi dispositionis ratione assignanda minus fortassis laborarent. Videretur fortæ divinæ justitiæ congruere nonnisi multis laboribus probatos ad præmia æterna provehere. Nunc autem cum communis casus communiter omnes involvit, quantum putas in tanta divinorum judiciorum abysso humana consideratio fluctuat? Si enim tantam morum diversitatem divina justitia non ignorat, cur, quæso, moribus tam disparibus disparia non dispensat? Si Deus malorum omnium finem prævidit, si certos quosque ad vitam præordinavit, quid, quæso, est quod sapientiæ, cæterorumque spiritalium charismatum dona reprobis etiam quibusdam largiter tribuit, multosque electorum his virtutum divitiis viduatos in vitiis diu jacere permittit? Si vero in omni hujusmodi fluctuatione prædictos divinæ sapientiæ circulos fidei manu fortiter apprehendimus, ad firmum certitudinis statum nosipsos citius erigimus. Si his circulis fortiter inhæremus, si Deum non modo omnia scire, omnia disponere, imo omnia ab æterno et præscisse, et præordinasse firmiter credimus, facile prævidere poterimus quomodo in his omnibus sapientiæ suæ peritiam commendat, quod in tam tenebrosa tantæ confusionis caligine nihil est quod ante præscientiæ, et scientiæ ejus conspectum latere valeat, quod prædestinationis suæ et dispositionis cursum in tanta tot perturbationum silva nullum unquam alicujus offensionis obstaculum quantulumcunque præpediat, quod inter tot mutabilitatis amfractus per æquitatis et pietatis semitas absque ullo evagationis devio ad destinatum locum percurrat.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De materia quartæ contemplationis ejusque proprietate.

Postquam ea quæ de circulis et vectibus dicenda videbantur exsecuti sumus, postulat expositionis ordo ut de quarto genere contemplationis aliqua loqui debeamus. Constat itaque hoc contemplationis genus uti superius jam diximus, in incorporeis et in-

Digitized by Google

visibilibus essentiis utpote spiritibus angelicis, et spiritibus humanis. Digna sane materia, digna plane eorum scientia. Hæc est enim nobilis illa imo nobilissima creatura ad imaginem Dei creata, omnibus creaturis prælata, ad summum bonum facta ipso et de ipso bonorum omnium Creatore beanda. Cæterarum omnium profecto creaturarum scientia scientiam horum quasi ab imo respicit; et quantumcunque excrescat, quamvis multum se erigat, ad hujus celsitudinis culmen non pertingit. Attende quam recte designetur per propitiatorium quod erat quidem totum non deauratum, sed aureum totum, de auro solo mundo atque purissimo factum. Illud jubetur fieri de auro puro et mundo, tu docceris ex eo in hac consideratione uti debere intellectu subtili et puro. Quid hic facit phantasmatum corporalium B creatrix, moderatrix et reparatrix imaginatio? Recedat procul ab hoc negotio tot phantasiarum formatrix imaginatio, quæ tot corporalium formas quotidie novas creat, antiquas reparat, et peritam multiplices variosque modos pro arbitrio disponit et ordinat. Nihil hic prosunt imo multum obsunt suorum simulacrorum tam copiosa multitudo. Quid te improbum huic operi ingeris? Quid te in hujus contemplationis officinam cum tanta importunitate intrudis? Quid tu in hac officina, quid tibi cum pura intelligentia? Nescis operari in auro nil tibi in tali artificio. Nescis purgare aurum qui semper turbas intellectum purum. Aurum tuum mistum est scoria, imo auri tibi omnino nulla est copia. Fa- C ciendum est propitiatorium nostrum de auro mundissimo, non est tibi quod offeras, non est omnino quod agas ad tale et in tali negotio. Nihil in hoc opere opus habemus opera tua paupercula, et indisciplinata. Nec habes aurum, nec nosti aurificium. Quidquid aliud est quam aurum quod paras offerre, non interim eo opus habemus; tolle quod tuum est, et vade. Nil in hoc opere opus habemus caprarum pilis, sed nec pellibus arietinis, seu etiam quibuslibet lignis. Quamvis multum sis dives, et si hæc, seu his aliquid amplius habes, aurum tamen habere non potes, nec est tibi in quo aurifices adjuves. Pili caprarum sordes concupiscentiarum ex carnis delectatione fetidæ diligenter inspectæ sæpius retractatæ adjuvare possunt compunctos in oratione. D Exempla passionum et quævis pelles arietum proprio sanguine rubricatæ juvare possunt quavis afflictos tribulatione. Pietatis operationes et hujusmodi quælibet arbores per misericordiæ opera fructiferæ a mundi silva abscisæ et ad justitiæ normam dolatæ prodesse possunt sedulis in administratione. Sed horum omnium, et hujusmodi quorumlibet memoria turbare potest potius quam adjuvare animos suspensos in hujus contemplationis specula. Quanto enim corporalium phantasmatum perfectius oblivisci mur, tanto profundius, tanto liberius super mundanarum essentiarum occulta rimarum. Mundet ergo aurum suum, studeatque purgare intellectum ab omni incursione phantasmatum qui anhelat ad A faciendum sibi propitiatorium. Quis mihi det invenire virum divitiarum, virum plene eruditum, talem denique virum cui non desit auri copia, nec artis industria ad faciendum propitiatorium quo operienda est arca? Quis ille est qui sciat aurum suum ab omni scoria mundare, qui noverit cor suum ab omni phantasia adeo purgare quantum exigit dignitas operis, vel urget auctoritas præceptoris? Quis ille est qui sciat hujusmodi opus et ad diffinitum divino documento modum distendere, et ad certam mensuram restringere: qui noverit cor suum infimarum rerum cogitationibus in imo relictis in solo supermundanorum spectaculorum intuitu defigere, et quantum hujus speculationis amplitudo exigit intelligentiæ suæ radios circumquaque diffundere? Quis, inquam, ille qui tantam apud se auri copiam inveniat, qui tanta intelligentia vivacitate vigeat, ut sufficienter, et ad manum habeat unde et quomodo possit propitiatorium suum in tantam longitudinem extendere, et in eam latitudinem expandere quo possit totam arcam operire, qui eousque in cœlestium animorum concordiam, in spiritalium gaudiorum harmoniam intendat, ut omnem mundanam gloriam, omnem humanam prudentiam, et per despectum deorsum premat et sibi ipsi interim per oblivionem abscondat? Optimus mundator auri peritus artifex propitiatorii, qui tanta novit intentione inhærere cœlestibus, quærens sola quæ sursum sunt sapere, ut nihil infimorum omnium, vel per desiderium respiciat, vel per cogitationem advertat. Quantum autem hoc contemplationis genus mira dignitatis suæ eminentia prædicta tria superet, diligentius intuentem, rectius intelligentem ratio manifesta latere non sinit.

CAPUT II.

Quomodo differat, vel quantum emineat hoc contemplationis genus primo vel secundo.

Vis scire quantum intersit inter primum et hoc de quo loquimur quartum? Discute, si potes, quantum a se distent aurum et lignum. Nam primum opus ex ligno, quartum ex auro conficitur; et prima per primum opus, secunda per secundum considerationis species figuratur. Quantum a se differre putamus spiritum et corpus. Si tantum a se distant corpus et corpus, quanta erit differentia corporis et spiritus? Compara, si placet, solem cum silice, et quæ sit summorum et infimorum corporum differentia facile potes advertere. Longe tamen major creditur cujuslibet differentia corporis ad quemlibet spiritum, quam possit esse differentia quorumlibet, et quamlibet dissimilium corporum. Puto quia secundum distantiam essentiarum erit etiam differentia scientiarum. Quanta autem differentia sit harum quas sic ad invicem conferimus speculationum saltem te admoneat utriusque instrumentum. Illa siquidem imaginationi, ista autem innititur rationi. Sed quantum interesse putamus inter imaginationem et rationem, nisi quantum est inter dominam et ancillam, inter inclytam et ignominiosam, eruditam et fatuam?

Digitized by Google

Vidisti quantum hoc contemplationis genus supereminеat primo, attende et nunc quantum differat a secundo. Compara adinvicem figuram amborum. Cogita quid sit inter arcæ deaurationem et propitiatorium aureum, opus videlicet secundum et quartum. Attende itaque utriusque situm et locum. Et illud quidem adhæret, istud autem superponitur ligno. Sed et illud surgit ab imo, istud vero jacet in summo et quidem utrumque opus ex auro conficitur. Nam et in utraque harum speculationum rerum existentium ratio quæritur. Sed in illa rationem rerum visibilium, in ista essentiarum invisibilium dignitatem aut occultam rimamur, aut propalatam miramur. Ibi ergo ligna quædam velut auri fulgore ornamus ubi rerum causam, modum, dispositionem cum rationis assignatione discutimus. Sed artificiale illud propitiatorii nostri opus recte quidem lignis omnibus super fertur, quia, calcatis undique corporalium phantasmatum occursibus, sublimis hujus investigationis libramine animus ad summa levatur, et in eorum admiratione suspenditur. Ibi quidem arcæ nostræ deauratio paulatim surgit ab imo, et dum sensim ad altiora proficit quandoque arcæ nostræ summitatem apprehendit. Sic nimirum sic ex rerum visibilium cognitione ex vanitatis mutabilitatisque consideratione cogitur animus ea ipsa quæ minus miratur fugere, et de quodam quasi immensæ fluctuationis diluvio in auram veræ libertatis effugere cui est periculum plene evasisse inferiora omnia per despectum calcare, et in summis et veris bonis per desiderium requiescere. Nihil verius, nihil certius utique et absque ulla dubitatione mundanorum mutabilitas quanto diligentius conspicitur, tanto melius, tanto manifestius, et per formidinem fugienda, et per despectum calcanda cognoscitur. Quamvis enim in ipsis sint innumera ex divina dispositione miranda, sunt tamen eadem ipsa et pro sui mutabilitate contemnenda, et pro nostra utilitate fugienda. Quid est quod propitiatorium ne lignis immediate jungatur deaurationis interpositione semovetur, nisi quod ex mutabilium cognitionis, et mutabilitatis contemplatione ab eorum repellimur? Attendat ergo unusquisque nostrum in hujusmodi propitiatorium et tunc redeat ad seipsum. Ecce propitiatorium nostrum imis supereminet, in summis jacet. Supereminet ut præsideat, jacet ut quiescat. Ascende ergo et tu ad cor altum, fige in summis desiderium tuum et invenisti tam jucundum quam tranquillum reclinatorium.

CAPUT III.

Item quomodo differat, vel supereminеat secundo.

Possumus tamen adhuc differentiam harum contemplationum propriam et specialem ostendere si in earum figuram velimus diligentius intendere. Oportuit enim propitiatorium (utpote arcæ operculum) nonnihil habere spissitudinis, deauratio vero multotues, imo penitus nihil videtur habere non dicam crassitudinis, sed soliditatis. Quid enim deaurationem rectius appellem quam quamdam sensus exterioris illusionem? Illud siquidem cui deauratio superducitur, totum aureum esse visui exteriori mentitur. Sic nimirum, sic scientia illa quæ inflat quorumdam quidem alta sapientium, sed carnaliter desipientium oculos magis illudit quam illuminat. Quo enim tibi scientia exteriorum nisi forte te adjuvet ad scientiam interiorum? Alioquin sapientia tua stultitia est apud Deum. Quid tibi prodest cætera omnia scisse, et teipsum nescire, Creatoremque tuum ignorare? Quid tantum gloriaris mundi, philosophe? Si gloriari oportet, non in te, sed in Domino gloriare (*I Cor.* I). Profecto, si hæc tua sapientia insipida et doctrina indocta te ad cognitionem tui, seu etiam notitiam Dei proveheret, te non tam tumidum quam timidum redderet. Si sapis recte, si sapis vere, noli altum sapere, sed time. *Quid habes quod non accepisti?* (*I Cor.* IV.) Gloriari oportuit in illo a quo accepisti, et glorificare illum a quo accepisti. *Quid autem gloriaris quasi non acceperis?* (*Ibid.*) *Si voluero*, inquis, *gloriari non ero insipiens, veritatem enim dicam* (*II Cor.* XII). Vides certe quod nomen habeam ex re, philosophus dicor, amator sapientiæ, eo quod dixerim sapientiæ, soror mea es, et prudentiam vocavi amicam meam. Falleris, falleris, philosophe: species enim decepit te; et concupiscentia subvertit cor tuum, hæc quam tu sapientiam putas, sapientiam nominas, stultitia est apud Deum. Quis ergo, inquis, ei locus est in arca sapientiæ, vel quid tale opus tali eguit deauratione? Si superficietenus lucet, si nihil solidum habet, cur in tali opere locum aliquem tenet? Audi ergo, si placet, quid placeat in opere nostro, vel quid nobis displiceat in opere tuo. Arca tua non habet operculum, nescis facere propitiatorium. Sed sola contentus deauratione gloriaris de operis consummatione, facis et nescis opus continuare. Dignum sane omnium irrisione, eo quod cœperis ædificare et non potueris consummare. Stulte et insipiens, nescis an dissimulas quid vas quod operculum non habet, juxta divinum præceptum, facili occasione frangi oportet, dignum sane vas quod frangi debeat, eo quod semper et ubique sordibus omnibus pateat. Mundas, immunde philosophe, quod deforis est vasis tui, intus autem plenum est omni spurcitia, et sola contentus fama, nullum studium exhibes in emundanda conscientia. Arca tua exterius splendet, intus sordet, utpote quæ operculum non habet. Captator famæ, neglector conscientiæ, nunquidnam non attendis, quia hæc oportuit facere, et illa non omittere? Luceat arca tua exterius, luceat nihilominus et intus. Exterius luceat propter illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut*, etc. (*Matth.* V.) Intus autem, et nihilominus luceat propter illud: *Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum* (*Matth.* XXIII). Opus ergo habet arca nostra deauratione, sed non oportet eam sola deauratione contentam esse. Nam sine operculo non potest internam munditiam conservare. Stude ergo,

Digitized by Google

juxta divinum documentum, facere propitiatorium, et quale sapientiæ aream decet, accipe operculum. Philosophe immunde, si vis habere sapientiæ aream intrinsecus mundam, si conservare cupis cordis munditiam, ascende ad hunc quartum contemplationis gradum, qui designatur per aream propitiatorium. Superius jam diximus quod hæc illa est speculatio quæ habetur de substantiis invisibilibus, humanis videlicet, seu etiam angelicis spiritibus. Primum ergo est in hac consideratione, ut redeas ad teipsum, intres ad cor tuum, discas æstimare spiritum tuum. Discute quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris. Quid fueris per naturam, quid modo sis per culpam, quid esse debueris per industriam, quid adhuc esse possis per gratiam. Disce ergo ex tuo spiritu cognoscere quid debeas de aliis spiritibus æstimare. Hæc porta, hæc scala, hic introitus, iste ascensus, hac intratur ad intima, hac elevamur ad summa, hæc via ad hujus speculationis fastigium, hæc fabricandi propitiatorii artificium, hæc ars absque dubio per quam cordis munditiam recuperatur, recuperata servatur. Vides certe quam recte hoc opus arcæ operculum dicimus, per quod intimorum munditiam munimus. Utique, si arca tua cum deauratione sua tali operculo hujusmodi propitiatorio subjaceret, si tua philosophia tali philosophiæ subserviret, utique nobis et ipsa placeret. Sed norunt ea uti melius nostri theologi, quam mundi philosophi. Denique, audi quid nobis in nostro opere placeat, vel quid tibi in arcæ nostræ deauratione juste placere debeat. Primo quod ligno superponitur, secundo quod propitiatorio supponitur, tertio quod utrique interponitur. Ligno superponitur ut emineat, et concupiscentiam oculorum tibi abscondat, et sit tibi *in velamen* oculorum tuorum, ne forte aperiantur oculi tui, et videant vanitatem. Propitiatorio supponitur, ut in alta attollat, ut inferiorum scientia superiori subserviat, et mentis oculum multo exercitio, ad altiora capienda exacuat. Propitiatorio et ligno interponitur, ut ab invicem dividat, et animum humanum ab inferiorum amore suspendat, ne forte de sublimibus dejectus, et de loco voluptatis a propria concupiscentia abstractus, et illectus post concupiscentias suas eat, et fiat vagus et profugus super terram.

CAPUT IV.

Quomodo differat, vel quantum supereminеat tertio.

Comparavimus jam quartum contemplationis gradum cum primo et secundo, conferatur adhuc, si placet, etiam cum tertio. Sed hoc forte melius facimus, si in utriusque figuram intendimus. Intendens itaque in amborum figuram, aureum videlicet propitiatorium, aureamque coronam, multiplicem eorum invenio differentiam. Taceo illud quod corona ligno affigitur, nam tertius contemplationis gradus, ut superius monstratum est imaginationi innititur. Quartus vero (hic de quo modo loquimur) omnem imaginationem suæ investigationis altitudine calcare contendit. Unde propter similitudinis expressionem propitiatorium nostrum nec ligno adhærere, nec ligno affigi debuit. Transeo et illud quod corona stans in altum surgit, propitiatorium vero jacens, in magnam se circumquaque amplitudinem expandit, eo quod in hujus contemplationis dulci suavitate, et suavi dulcedine animus sibi magnæ securitatis locum, et mirandæ tranquillitatis secretum primo inveniat, et tam insolita, inexpertaque jucunditas, cordis desiderium ad quietem colligat, et ad pacem componat. Sed utriusque magnitudinem attendo, et eorum in hac parte differentiam sine diligenti consideratione non transeo. Ecce enim quod negare non valeo, nihil differunt in materiæ qualitate, sed multum est per omnem modum, quod abinvicem distant in materiæ quantitate. Utrumque ex auro formatur, quia utrumque in ratiocinatione versatur. Sed perexiguum valde est illud tantillum auri unde corona producitur, si ad propitiatorii magnitudinem comparetur. Denique, hujus mensura cum magna diligentia, tam in longitudine, quam in latitudine, divino magisterio diffinitur. De illius autem magnitudine omnino tacetur, nec ulla ejus mensura describitur, ac si divinus sermo de coronæ fabricatione tacite innuat, quia, qui potest capere capiat, et unusquisque quantum potest facere faciat. Puto quia, si ejus altitudo, vel usque ad dimidium cubitum se extendere potuisset, quod divinus sermo hoc omnino tacite non præteriret. Sed novit Dominus figmentum suum, et eum qui docet hominem scientiam omnino latere non potuit, quantam adhuc in hoc opere humana paupertas auri inopiniam sustineat et quomodo eam in hujus contemplationis specula, sensus sui exiguitas angustet. Quoniam enim modo eo loci sapientiæ auro abundet, ubi ea quæ intelligenda sunt omni instrumento caret, vel, si habet, hebet. Quale, quæso, homo inveniet instrumentum ad comprehendendam eam pacem, quæ exsuperat omnem sensum? Quo, quæso, sensu comprehendat quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit? (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II.) Nam, cum Paulus, vel Paulo similis, elevatur supra seipsum, rapitur usque ad tertium cœlum, profecto arcana illa, quæ non, licet homini loqui, non investigat per spiritum proprium sed revelat ei Deus per spiritum suum. Sed quidquid juxta hunc modum per quemdam mentis excessum, humana intelligentia attingit, hujus tertiæ considerationis specula, præ nimia exiguitatis suæ angustia minime capit. Denique ad aliud (non autem ad hoc) contemplationis genus pertinet, quidquid humana experientia, per mentis excessum raptim videt. Quid ergo mirum si mentem humanam, scientiæ suæ exiguitas angustat in ea potissimum consideratione, ubi ad ea, quæ investiganda sunt, magna sensus inopia laborat? Quidquid enim de rerum invisibilium cognitione, vel ratiocinando colligit, vel per rerum visibilium similitudinem invenit, in veritatis comparatione, pene nihil esse deprehendit. Unde est quod coronæ nulla mensura præscribitur, quæ in propitiatorii descriptione, tam diligenter

Digitized by Google

exprimitur. Puto quia ex his patenter datur intelligi, cur in hoc adhuc opere tanta sit inopia auri.

CAPUT V.

Quantum valeat fortiter insistere huic contemplationi, vel quomodo ad ipsam proficiat mens ex multa consideratione et cognitione sui.

Qui autem quærit sapientiæ auro abundare, debet juxta vires suas huic quartæ contemplationi insistere, et in propitiatorio fabricando fortiter desudare. Placet enim multum per omnem modum hujusmodi opus, et offert in id operis sponte sua omnis ultroneus, non dicam quantum satis est, sed pene semper plus quam necesse est. Nunquam auri copia illi deesse poterit, qui huic operi fortiter institerit. Si rationem quæris, rationem accipe. Cum enim incipis spiritualibus theoriis insistere, et per spiritus tui considerationem in spirituum contemplationem assurgere, et in hunc modum ex spiritualibus spiritualia comparare, incipis et tu pariter spiritualis esse, imo absque dubio in hac contemplatione perficeris, quod in præcedenti incipis esse, videlicet spiritualis. Et satis nosti quia spiritualis dijudicat omnia, et hæc qualis erit scientia, quantave auri hujus copia posse dijudicare omnia? Vis adhuc tibi apertius ostendi unde tibi comparare possis hanc copiam auri? Nunquidnam menti excedit quod regnum Dei intra nos sit? Ecce, inquis, intra nos est regnum cœlorum, sed nunquid similiter intra nos est etiam aurum? Quidni, inquam? Siccine oblitus es, quia simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro? Ecce unde tibi copia auri copiose abundet, ad manum habes: effode, si placet. Tantummodo vade et vende quæ habes et eme agrum istum et quære thesaurum absconditum. Quæcunque in mundo concupiscis, quæcunque in mundo amittere metuis, impende libenter pro libertate cordis. Empto autem agro, fode in altum, exsultans nimirum, sicut qui effodiunt thesaurum, gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum. Quærere autem oportet thesaurum hunc in profundo quia sapientia trahitur de occulto. Sed me miserum unde mihi aurum in deaurationem, coronam, et propitiatorium? Argentum et aurum non est mihi, et unde vel quomodo possunt hæc fieri? Qua arte, quæso, aurum mihi comparo? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, vadam ad patrem meum, patrem misericordiarum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum, eo quod sit dives in omnes, qui dat omnibus affluenter, et non improperat. Effundo itaque in conspectu ejus orationem meam, et paupertatem meam ante ipsum pronuntio, et auri inopiam, et dicam ei: Domine, tu scis insipientiam meam, et substantia mea tanquam nihilum ante te, da mihi intellectum, Domine, et aurum habeo, et dives sum. Custodi animam meam quoniam infirmus sum, et quale concupisco, habeo propitiatorium. O quanta illi copia auri exstitit, qui in veritate psallere potuit: *Super omnes docentes me intellexi. Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi* (*Psal.* CXVIII). O quale propitiatorium habebat, qui coram Domino fiducialiter psallebat: *Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem* (*Psal.* LXIII). Sero quidem, verumtamen tandem aliquando Paulus sibi fecerat propitiatorium, qui palam profitetur: *Nihil mihi conscius sum* (*I Cor.* IV). Sine ingenti enim consilio conscientiæ suæ arcam mundare non nosset, et sine aureo propitiatorio, cordis arcana munda servare non posset. Sed eo adhuc tempore quando persecutus est Ecclesiam Dei, puto quia propitiatorio careret. Sed reputatum est ei ad indulgentiam, eo quod nescius hoc faceret, et aurum non haberet unde sibi propitiatorium faceret. Denique, quonam modo propitiatorium facere poterat, quando apertis oculis nihil videbat? Sed, postquam recepit lumen oculorum suorum (*Act.* IX), factus est vir videns paupertatem suam, et de reliquo curam sui, curiosius agens reversus est in semetipsum, et experimento didicit quoniam absque dubio intra nos sit regnum cœlorum. Invento namque thesauro abscondito in agro ditatus est valde, et factus inclytus cœpit possidere substantiam multam nimis super millia auri et argenti. Denique, audi gloriantem non tam de auro quam de thesauro: *Habemus autem*, ait, *thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV). O virum divitiarum, o vere inclytum factum. Nunquidnam non erat vir ille ditissimus inter omnes Orientales qui sapientiam loquebatur inter perfectos? Sed quid de illo dicturi sumus, qui non sero quidem, sicut Paulus, sed ab ineunte ætate propitiatorium sibi fecerat, per quod et cordis sui munditiam servaverat, unde et dicebat: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea* (*Job* XXVII). Denique, si et tu cupis implere Dominicum præceptum omni custodia serva cor tuum, et quale a te Dominus exigit cœpisti facere propitiatorium. Disce vel exemplo quid facere expediat. Audi David quomodo tibi seipsum in exemplum proponat: *Meditatus sum*, inquit, *nocte cum corde meo, exercitabar, et scopebam spiritum meum* (*Psal.* LXXVI). Meditabatur ille cum corde suo, meditare et tu cum corde tuo. Scopebat ille spiritum suum, scope et tu spiritum tuum. Exerce agrum istum, attende temetipsum. Absque dubio insistens huic exercitio, invenies thesaurum istum absconditum in agro.

CAPUT VI.

Quomodo ex speculatione sui spiritualium intelligentia comparatur, seu etiam amissa reparatur.

Ex hoc exercitio crescit auri copia, multiplicatur scientia, augmentatur sapientia. Ex hoc exercitio cordis oculus mundatur, ingenium acuitur, intelligentia dilatatur. Nihil recte æstimat qui seipsum ignorat. Nescit quam sub pedibus suis omnis mundana gloria jaceat, qui conditionis suæ dignitatem non ponsat. Nescit omnino, nescit quid de spiritu angelico, quid de Spiritu divino sentire debeat qui spiritum suum prius non cogitat. Si nondum idoneus intrare ad teipsum; quomodo ad illa rimanda

Digitized by Google

idoneus eris quæ sunt intra, vel supra temetipsum? Si necdum dignus es intrare in tabernaculum primum, qua fronte præsumis ingredi in tabernaculum secundum, hoc est in Sancta sanctorum? Si nondum moliri potes gressus altos ut cum Domino Jesu, vel saltem cum Moyse ascendas in montem excelsum, qua præsumptione paras volare in cœlum? Prius redi ad te quam rimari præsumas quæ sunt supra te. Prius sol ortus sui confinia irradiat quam ad altiora conscendat. Hinc etiam per Salomonem dicitur : *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur, ubique renascens*, etc. (*Eccle.* I.) Ergo sol ad locum suum revertitur ut ibi renascatur, indeque renascens paulatim se ad altiora elevat ut postmodum cœli verticem tangat : *Oritur*, inquit, *sol et occidit, et ad locum suum revertitur*. Sol oritur quando veritatis intelligentia cordi inspiratur, idemque sol occidit cum intelligentiæ radius subtrahitur. Sed post occasum sol ad locum suum revertitur ut iterum renascatur. Solis hujuscemodi locus ipse est animus. Ex ipso enim animo intelligentia nascitur, quando a divina gratia visitatur. Quid ergo est solem ad locum suum redire, nisi mentis intuitum ad sui considerationem reflectere? Post occasum ergo sol ad locum suum revertitur, quia per subtractionem gratiæ ad defectus sui considerationem mentis oculus reverberatur. Per hoc enim quod divina gratia se ad tempus subtrahit cogitur homo cognoscere quam nihil sit, et quam per se nihil possit. Sed post loci sui reversionem iterum renascitur quia per considerationem propriæ infirmitatis amissa intelligentia reparatur.

CAPUT VII.

Quomodo ex speculatione sui accepta intelligentia ad omnia dilatatur.

In loco autem suo sol renascens paulatim ad altiora conscendit quia per sui cognitionem in cœlestium contemplationem assurgit. Sed, cum ad summum usque perducitur ibi libenter immoratur, quia mira illic supercœlestium spectaculorum jucunditate reficitur. Studiose itaque in eo locorum moras innectit, ubi cursum suum in circulum flectit. Eapropter utique girat per meridiem, neque eo desiderio fertur, imo flectitur ad aquilonem. Jucunda sane admodum plaga meridiana a nimietate lucis et fervore diei, eo quod dulce sit valde et delectabile aspectu contemplari beatorum spirituum ordines hilarescentes in claritate et charitate Dei. Nihil procul dubio tale habet aquilonaris illa plaga perpetuis tenebris addicta et perenni frigore damnata, eo quod talibus in regionibus digne crucientur reproborum corda, et per malitiam frigida, et per ignorantiam cæca. Non ergo illuc usque percurrit, sed tantum flectitur : nam nullo desiderio puto ad tam inamabilem regionem trahitur; flectitur tamen ut quæ illic sunt quasi a longe prospiciat, et quæ mala qua cautela vitare debeat agnoscat. In Oriente accipimus cognitionem morum nostrorum, discretionem virtutum et vitiorum. In meridie contemplamur præmia meritorum bonorum, gaudia civium supernorum, arcana divinorum secretorum. In septentrione cognoscimus retributiones meritorum malorum, finem malignorum spirituum et hominum reproborum. Vides quantum valeat homini plena cognitio sui? Ex hac siquidem proficit ad cognitionem omnium cœlestium, terrestrium et infernorum.

CAPUT VIII.

De sensu triplici, per quos discurrere habet consideratio sui.

Si ergo cupis evolare usque ad secundum, seu etiam usque ad tertium cœlum, sit tibi transitus per primum. Spiritus siquidem omnia scrutatur, etiam profunda Dei (*I Cor.* II). Si ergo et tu scrutari paras profunda Dei, scrutare prius profunda spiritus tui. Profundum siquidem, imo et pravum est cor hominis et inscrutabile (*Jer.* XVII). Inscrutabile sane, nisi ei forte qui spiritualis est. Spiritualis enim dijudicat omnia, et ipse a nemine judicatur, eo quod soli spirituales digni inventi sunt qui videant opera Dei et mirabilia ejus in profundo. In hoc sane profundo invenies multa stupenda et admiratione digna, ibi invenire licet alium quemdam orbem, latum quidem et amplum, et aliam quamdam plenitudinem orbis terrarum. Ibi sua quædam terra, suum habet cœlum, nec unum tantum, sed secundum post primum et tertium post primum et secundum. Et, ut hoc triplex cœlum congrua possimus distinctione discernere, primum dicatur imaginale, secundum est rationale, tertium intellectuale. Tenet itaque imaginatio vicem primi cœli, ratio secundi, intelligentia vero vicem tertii. Et horum quidem primum cæterarum comparatione grossum quidem atque corpulentum, et suo quodammodo palpabile atque corporeum, eo quod sit imaginarium, atque phantasticum post se trahens, et in se retinens formas, et similitudines rerum corporalium. Reliqua vero duo hujusmodi comparatione admodum subtilia, et omnino et corporea, et ab ejus crassitudine multum longinqua. Sic sane cœlum hoc exterius quod nos dicimus firmamentum, absque ulla dubitatione constat esse visibile atque corporeum, et ipsum quidem primum et omnium infimum. Quod autem est terra ad hoc visibile cœlum, hoc est sensus corporeus ad illud internum, phantasticum et imaginarium cœlum. Nam, sicut hoc visibile cœlum omnium quæ terra gignit atque nutrit multitudinem, sinus sui magnitudine comprehendit, sic omnium quæ sensus attingit, appetitus suggerit, similitudines intra sinum suum imaginatio includit. In primo itaque cœlo continentur omnium visibilium imagines et similitudines. Ad secundum vero pertinent visibilium omnium rationes, diffinitiones et invisibilium investigationes. Ad tertium autem spectant spiritalium ipsorum, etiam divinorum comprehensiones et contemplationes.

CAPUT IX.

De sensu intellectuali, quo solo possunt invisibilia videri.

Intelligentiæ siquidem oculus est sensus ille, quo

Digitized by Google

invisibilia videmus, non sicut oculo rationis, quo occulta, et absentia per investigationem quærimus et invenimus, sicut sæpe causas per effectus, vel effectus per causas, et alia atque alia quocunque ratiocinandi modo comprehendimus. Sed, sicut corporalia corporeo sensu videre solemus invisibiliter, præsentialiter atque corporaliter, sic utique intellectualis ille sensus invisibilia capit, invisibiliter quidem, sed præsentialiter, sed essentialiter. Sed habet sane oculus hic intellectualis, ante se velum magnum expansum ex peccati delectatione fuscatum, et tot desideriorum carnalium varia multiplicitate contextum, quod contemplantis intuitum a divinorum secretorum arcanis arceat, nisi quantum divina dignatio quemlibet pro sua, aliorumve utilitate admiserit. Testatur hoc Propheta qui Domino proclamabat: *Revela oculos meos* (*Psal.* cxviii). Profecto velatos oculos habere se probat, qui eos a Domino revelari postulat; videt tamen anima isto oculo, quæ citra velum sunt, hoc est invisibilia sua, ea videlicet quæ in ipsa sunt, non tamen omnia, quia non omnia circa velum sunt. Et oculo quidem quo sua quædam videt, seipsam (id est animæ ipsius essentiam) videre non valet. Sed dubitari potest utrumnam eodem hoc intelligentiæ oculo visuri sumus ea quæ ultra velum esse significavimus, an alius sensus sit quo utemur ad videnda invisibilia divina, et aliis quomodo utimur ad videnda invisibilia nostra? Sed qui alium sensum intuitum superiorum, et alium intuitum inferiorum esse contendunt, videant unde hoc probare possint. Hinc tamen esse credo quod hujus vocabuli, hoc est intelligentiæ significationem, toties confundunt: nam nunc circa superiorem tantum, nunc solum circa inferiorem speculationem ejus significationem restringunt, nunc utrumque sensum sub unius hujus vocabuli significatione comprehendunt. Verumtamen hunc geminum superiorum et inferiorum intuitum, sive dicamus geminum quasi in uno capite sensum, sive duplex; ejusdem tamen sensus instrumentum, sive ejusdem instrumenti geminum effectum, quidquid horum velimus eligere, nihil tamen impedit dicere, utrumque horum ad intellectuale cœlum pertinere. Cur etenim hoc etiam cœlum duo magna luminaria non dicatur habere, sicut et de cæteris oportet credere, ut in hoc supremo cœlo speculatio sublimior atque subtilior sit luminare majus, et speculatio inferior atque subobscurior sit luminare minus.

CAPUT X.

De intellectuali specula, ejusque supereminentia.

Habet autem hoc ultimum et summum cœlum diem suam, habet nimirum et noctem suam, et si hoc cœlum attendimus, quandiu in hac vita sumus, quid aliud quam noctem habemus vel habere possumus, donec nox in suo cursu iter peregerit, et aurora lucis rutilans noctis tenebras deterserit. Verumtamen hæc nox sicut dies illuminabitur, eo quod quilibet inferiorum cœlorum dies ab hujus noctis claritate superetur. Siquidem fecit Deus lunam et stellas in potestatem noctis, et idcirco hæc nox illuminatio mea in deliciis meis. Habet enim lunam suam, luminare illud minus, quod superius assignavimus, habet et stellas expandentes lumen suum multiformes utique modos divinarum revelationum. Sed qui dormiunt, nocte dormiunt, nec possunt videre cœli hujus luminaria, nec coram Domino psallere cum Propheta: *Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam et stellas quæ tu fundasti* (*Psal.* viii). Sicut nec illud: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (*Psal.* cxviii). Quid dicam de homine ejusmodi eo quod frustra exspectet diem et non videat, nec lucem surgentis auroræ. Profecto, qui ejusmodi sunt, sicut cera quæ fluit auferentur, supercecidit ignis et non viderunt solem. Felices qui fiducialiter de hujus diei mane psallere audent: *Mane astabo tibi et videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es* (*Psal.* v). Puto hujus meridiem significasse qui dilecto suo dicebat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (*Cant.* v). Puto hujus diei mane significare voluisse ejusque desiderio diu æstuasse qui dicebat: *Sperabam usque ad mane* (*Isa.* xxxviii). Quis ex omnibus vobis exsultavit ut videret diem istum, vidit et gavisus est? Profecto magnus est quicunque ille est. Neminem tamen credo ad hujus diei meridiem in hac duntaxat carne corruptibili posse pertingere, quamvis negare non audeam de mane. Profecto quisquis vestrum ad hujus diei claritatem poterit pervenire, dum ortus fuerit sol de cœlo, videbit sententiæ illius veritatem, quam absque dubio dulce lumen et delectabile oculis videri solem. Sol hujus diei habet ortum; sed nescit occasum, sicut et ipse dies caret vespera quamvis incipiat ab aurora. Non novit illud cœlum cœlorum nisi una diem tantum. Sed melior est dies una in atriis ejus super millia dierum inferiorum cœlorum. Nam secundum profecto cœlum habet dies multas et noctes etiam innumeras, secundum quod sol ejus oritur, et occidit, et ad locum suum revertitur. Sic et primum cœlum accepit lunam in tempora, et sol ejus cognovit occasum suum. Sed supremi cœli sol et luna steterunt in habitaculo suo. Cum enim cœli hujus luminaria ad summum pervenerint, figunt cursum suum, nec de cætero unquam inclinantur ad occasum. Si omnino et absque dubio regnum cœlorum intra nos est, si nobis ipsis illud inveniri potest, ubi, quæso, quam in hoc cœlorum summo rectius quæritur, citius invenitur, tutius possidetur? Puto quia omnes illius regni regiones abundant auro, eo quod simile sit regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Nam, si scientiæ aurum, si sapientiæ thesaurum quæris et diligis, ubi, quæso, abundantiorem copiam quam in hoc cœlorum summo invenire poteris? Ubi, obsecro, summæ sapientiæ claritas poterit tibi melius elucescere, quam in expressa illius imagine, quam in excellentissimo ejus opere, animæ videlicet creatione, reparatione, glorificatio-

Digitized by Google

ne? Ex hac sane specula quasi e vicino valet et solet videri qualis sit illa sublimitas spiritus angelici, quæ illa supereminens magnitudo Spiritus divini. Nusquam locorum apparet vicinius, cernitur limpidius quam e sublimi solii hujus fastigio quæ sit illa supernorum civium summa et sempiterna beatitudo. Nusquam locorum quam ex hoc excellentissimo colorum spiritus ille qui scrutatur omnia etiam profunda Dei serenius contemplatur invisibilia illa Dei, quæ per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Nusquam in omni ejus opere quam in animæ creatione, reparatione, glorificatione apparet ejus, vel potentia sublimior vel sapientia mirabilior, vel misericordia jucundior. Certe vides, ut arbitror, unde tibi illa copia auri quam tibi superius promisi, quomodo videlicet ex multa consideratione et agnitione spiritus tui subleveris ad cognitionem et contemplationem spiritus angelici et Spiritus divini.

CAPUT XI.

De triplici distinctione quartæ speculationis.

Sed, quia jam per expositionem tenemus unde in tale, tantumque opus auro abundemus, videamus quid Dominus de propitiatorii nostri longitudine vel latitudine præcipiat, vel cur de ejus altitudine omnino taceat. Si rerum naturam consulimus, in ipsis profecto corporibus discere poterimus, quomodo investigationis pedem in spirituales theorias ponere debeamus. Videmus sane in rebus exterioribus quod omnis corporea crassitudo a longitudine incipit, ex latitudine crescit, in altitudine desinit. Longitudo itaque propitiatorii, ni fallor, designat ea quæ in spiritali natura sunt ad inchoationem. Latitudo vero illa quæ sunt ad promotionem, altitudo autem illa quæ videntur esse ad consummationem. Secundum hæc itaque tria quæ diximus, triplicem in spiritalibus essentiis divinorum donorum distinctionem facimus. Primo spiritalis natura creatur ut sit. Secundo justificatur ut bona sit. Tertio glorificatur ut beata sit. Per creationem itaque ad bonum initiatur, per justificationem in bono dilatatur, per glorificationem in bono consummatur. Bona creationis sunt ad inchoationem, bona justificationis ad promotionem, bona glorificationis ad consummationem. Prima bona sunt Creatoris dona ; secunda bona sunt Creatoris dona et creaturæ merita; tertia bona sunt Creatoris dona et creaturæ præmia, consummatio donorum et retributio meritorum. Prima itaque bona pertinent ad longitudinem. Secunda ad latitudinem. Ultima ad altitudinem. Nam in primis, ut dictum est, rationalis creatura ad futuræ plenitudinis perfectionem initiatur. Ex secundis proficit, crescit et dilatatur. In ultimis autem sublimatur ad gloriam, et in gloria consummatur.

CAPUT XII.

De subdistinctione primi gradus hujus contemplationis.

Videamus ergo primo de propitiatorii nostri longitudine quam jubemur in duos cubitos et dimidium extendere. Quoties itaque creationis nostræ bona illa spiritualia, quæ superius assignavimus, corde versamus, diligenter investigamus, convenienter distinguimus, sufficienter discutimus, toties propitiatorii nostri opus in longitudinem producimus et ad certam mensuram extendimus. In hac itaque fabricandi propitiatorii productione triplex nobis occurrit divinarum donationum distinctio, circa quas solum, vel maxime versari debet nostræ considerationis frequens diligensque retractatio. Ex ipsa creationis suæ conditione, naturale est omni rationali creaturæ esse, scire et velle. Cogita itaque quam necessarium, quam justum et divinæ bonitati quam congruum, tam dignæ creaturæ, tam excellenti naturæ boni ac mali discretionem dare, simul et arbitrii libertatem concedere ut esset bonum ejus tam acceptum quam voluntarium, tam gratum quam gratuitum. Quoties in hujusmodi discussione desudas, in propitiatorii tui productione laboras. Scrutare, contemplare, mirare arbitrii libertatem, judicii discretionem, essentiæ sublimitatem, et propitiatorium tuum cum hoc facis secundum congruentiam ordinis, et modum quantitatis in longum producis. Miror si per teipsum non advertis, quam sit utilis, quamve necessaria horum omnium assidua consideratio. Ex hoc enim mens illuminatur, inflammatur et solidatur in bono.

CAPUT XIII.

Quomodo in primo hujus contemplationis gradu mens exercere se debeat, vel quantum ejusmodi exercitatio valeat.

Cogita ergo frequenter, considera vehementer, investiga diligenter voluntatem, non solum tuam, sed et alienam, seu bonam, seu malam. Cognosce tuam, ut scias quid corrigere, seu etiam unde debeas gratias agere. Cogita etiam animos perfectorum, nec non et perversorum, animos spirituum bonorum, et spirituum malignorum, ut ex contrariorum consideratione elucescat quid imitari, quid vitare expediat. Attende quid scias, attende quantum nescias. Agnosce quantum emineas per ingenium spiritibus brutis, agnosce quantum subjaceas per intellectum spiritibus angelicis. Si attendis quantum præcedas sensu spiritum brutum, cantabis præcordialiter : *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum* (*Psal.* XV). Si cogites intelligentiam angelicam, clamabis profecto : *Deus, tu scis insipientiam meam* (*Psal.* LXVIII). Discutere ergo ignorantiam meam utile valde et pernecessarium mihi, ut sciam quid desit mihi, et cum beato Job dicere possim : *Si quid ignoravi, ignorantia mea mecum est* (*Job* VI). Sed, quoties in memetipso attendo quonam modo, vel quam sæpe incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit mihi, profecto magnificat anima mea Dominum, qui erudit nos super scientiam volucrum et jumentorum, eo quod ipse sit qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vides certe quanta sit utilitas hujus geminæ considerationis, attendere videlicet affectum rationalis voluntatis, seu etiam sensum rationis. Sed de

Digitized by Google

tertia assignatarum considerationum quid dicam, in admirando contemplamur, et contemplando miramur animæ essentiam, essentiæ naturam, naturæ excellentiam? Facile, ut arbitror, potest unumquemque propria experientia docere, quantum valeat hæc speculatio animum vel contra vitium erigere, vel ad bonum animare. Cognosce, quæso, homo, dignitatem tuam; cogita excellentem illam animæ tuæ naturam, quomodo fecerit eam Deus ad imaginem et similitudinem suam, quomodo sublimavit eam super omnem corpoream creaturam, et statim mirari incipies, quomodo inclyta virgo filia Sion projecta sit de cœlo in terram, et pariter Domino clamare incipies : *Quid mihi est in cœlo et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXVIII.) Quid mirum, quæso, si in recordatione conditionis meæ, si ad conspectum animæ meæ subito et absque mora confusio faciei meæ cooperuit me? Quem enim non pudeat dominam mundi, civem cœli, dilectam Dei, addixisse servituti corporis, prostituisse spiritibus immundis, diu tenuisse sub jugo servitutis, ad faciendam carnis curam in desideriis? Mirabitur sane quisque, cum animæ suæ cogitaverit, cum bene attenderit quid sit, vel esse debuerit. Unde, vel quo projecta sit, mirabitur, inquam, quomodo facta sit, quasi vidua domina gentium, princeps provinciarum, facta sit sub tributo. Ad hanc, ut arbitror, considerationem revocare nos voluit, qui dixit : *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es, inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum his qui in inferno sunt* (*Baruch.* III). In hac itaque triplici consideratione debemus, ut jam diximus, propitiatorii nostri longitudinem consummare.

CAPUT XIV.

Designatio eorum, quæ in hoc speculationis gradu comprehendi non possunt.

Sed in prima et secunda consideratione scientiam tuam, usque ad cubitum extendere potes, nam in tertia omnino non potes. Ubi enim ad id quod sciri oportet instrumentum idoneum habes, ibi procul dubio, quasi raræ certitudinis cubitum tenes, eo quod rei cognoscendæ notitiam, per experientiam capere valeas. Quasi enim ad plenum cubitum scientia tua excrescit, cum ad certitudinis firmitatem, per experimentum attingit. Sed quem, quæso, non doceat propria experientia quid sit velle, vel quid sit scire? Nonne legit hoc unusquisque, quoties voluerit in proprio corde? Nunquidnam ignoras quam infinita velis, quam infinita nolis, quam innumera scias, quam innumera nescias? Sed nunquid quomodo vides voluntatem tuam, quomodo nosti cogitationem tuam, potes æque videre, vel nosse animæ tuæ substantiam? Quis, inquam, in hac adhuc carne positus, animam suam, vel quamlibet spiritualem substantiam in sua puritate vidit, vel etiam videre potuit? Procul dubio in hac parte humanus intellectus cæcus est a nativitate, et necesse habet quotidie Domino clamare : *Illumina oculos meos* (*Psal.* XII). Profecto, si quis quæ hujusmodi sunt in hac corruptibili carne videre potuit, per mentis excessum supra semetipsum ductus fuit, et in eo quod vidit intellectus humani metas, non propria industria, sed ex revelatione divina transcendit. Sed quidquid in hunc modum humana experientia potuit attingere, constat nimirum illud non ad hoc, sed ad aliud contemplantis genus pertinere. Quantumcunque ergo in hac consideratione ingenium tuum exercueris, quantumcunque studium tuum continuaveris, quantumcunque in hac parte sensum tuum dilataveris, scientiam tuam ad plenum cubitum extendere non poteris.

CAPUT XV.

Quod nec illa negligere debemus, quæ nonnisi ex parte comprehendimus.

Multa tamen sunt, minimeque spernenda, quæ de spiritalis essentiæ possumus proprietate, vel ex divinarum Scripturarum auctoritate colligere, vel rationis attestatione probare. Studeamus ergo scire quomodo vel quantum possumus, quamvis nos usque ad experientia cubitum extendere non possimus. Modicum quidem, sed multum est quod in hac consideratione sciri potest. Modicum sane ad plenitudinem, sed multum per omnem modum ad utilitatem. Noli ergo negligere quod potes de hoc cubito habere, quamvis ipsum minime possis explere. Ut enim de cæteris taceam, quæ pertinere videntur ad speculationem istam, quantum putamus detrimentum incurris, si animæ immortalitatem nescis, et omnino non credis? Si enim de animæ immortalitate non constet, quis, quæso, ad futuram retributionem se præparet? Quis, obsecro, vitam suam restringat, ne post concupiscentias suas eat? quis de perpetratis malis satisfaciat? quis se ad fortia opera accingat? quis inter tot divinorum flagellorum tam acerba patientiam habeat, si de futura vita penitus diffidat? Totum quod de humani generis redemptione asseritur, totum quod de divinis sacramentis creditur, quidquid de divinis institutionibus præcipitur, quidquid de divinis promissionibus exspectatur, penitus destruitur, si de animæ perpetuitate desperatur. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores omnibus hominibus sumus. Ecce reliquimus omnia, et secuti sumus ipsum, quid ergo erit nobis, si omnino mortui non resurgunt. Utquid propter ipsum mortificamur tota die, si nulla ab ipso speranda est corona justitiæ, si omnino unus est interitus hominis, atque jumentorum et æqua utriusque conditio? Quid mihi proderit, si majorem sapientiæ atque justitiæ operam dedero? Nonne multo melius faciunt qui comedunt, et bibunt, et ducunt in bono dies suos, qui epulantur quotidie splendide quam qui mortificantur tota die? Nonne multo melius erit ire ad domum convivii, quam ad domum luctus, si post hanc vitam nihil habet homo jumento amplius? Cur non vadam et affluam deliciis, et fruar bonis quæ sunt, si omnino mortui non resurgunt? Cur illam vocem libenter non audiamus, qua dicitur : *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur?* (*I Cor.* XV.) Vides certe

Digitized by Google

quanta mala sequantur, si de animæ immortalitate dubitetur. Minime itaque contemnere debemus, quæ de hoc cubito efficere possumus, quamvis ad ejus expletionem minime sufficiamus. Ab hac ergo triplici consideratione essentiæ, videlicet spiritalis, ejusque discretionis ac voluntatis propitiatorii nostri opus inchoatur, et ad diffinitam mensuram producitur. Qui igitur animum suum in horum speculatione plene exercuit, propitiatorii sui longitudinem explevit. Hæc de propitiatorii longitudine jam diximus, nunc ad ejus latitudinem investigationis manum vertamus.

CAPUT XVI.

De subdistinctione secundi gradus contemplationis.

Ad latitudinem spectant, ut diximus, ea quæ sunt ad inchoationem. Bonum autem nostrum, quod ab opere creationis inchoat, justificatio dilatat, et se ex hoc ad latitudinem pertinere demonstrat. Hoc autem opus sine duobus non consummatur. Nunquam enim perficitur, si creaturæ suæ Creator non cooperetur. Et posset quidem, si vellet, sine creaturæ opera totum Creator per seipsum explere, sicut potuit cum voluit tot et tanta de nihilo creare. Nos, si sine ejus adjutorio nitentes de nostris viribus præsumimus, frustra laboramus. Testatur hoc qui in Evangelio suo loquitur : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv), eo quod ipse sit *qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate* (*Philipp.* ii). *Non* est enim *volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* ix). Quid enim sine ipso per memetipsum potero, qui nec saltem dicere possum, Domine Jesu, nisi in Spiritu sancto? (*I Cor.* xii.) Ipse utique est, qui operetur omnia in omnibus dividens singulis prout vult (*ibid.*). Verumtamen in justificationis nostræ opus, voluntarium consensum requirit, qui dicit : *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis* (*Isai.* i). Libero arbitrio ascribitur, cum hoc opus præpeditur, ubi dicitur : *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, et super tribulantes eos misissem manum meam* (*Psal.* lxxx). Si enim nos in hujusmodi opere omnino nihil facimus, frustra ejus adjutorium imploramus, falsoque eum adjutorem vocamus. Aliud est enim facere, atque aliud adjuvare. Quid enim est auxiliari, nisi operanti cooperari? Adjutorem eum habere, et in bono cooperatorem intellexit, qui dixit : *Adjutor meus, et liberator meus es tu, Domine, ne moreris* (*Psal.* lxix). Quotidie ejus adjutorium quærimus, cum ei in quotidianis orationibus proclamamus : *Adjuva nos, Deus, salutaris noster* (*Psal.* lxxviii). Patet ergo quia hoc opus a duobus perficitur, in quo creaturæ suæ Creator cooperatur. Opus itaque est in hoc opere propria industria, et divina gratia. Frustra enim quispiam libero arbitrio inniti tur, nisi divino adjutorio fulciatur. Perficitur autem justificatio nostra ex deliberatione propria, et inspiratione divina. Sola enim justa velle, est jam justum esse. Ex sola siquidem voluntate recte justi, vel injusti dicimur, quamvis ex opere in utrumque adjuvemur. Duobus autem modis nobis cooperatur Deus interius videlicet et exterius. Interius per occultam aspirationem, exterius per manifestam operum suorum administrationem. Sed nil ad hoc contemplationis genus illa cooperatio, quæ exterius fit, eo quod propitiatorium nostrum de auro puro fieri oporteat, et hæc speculatio in pura intelligentia subsistere debeat. Hæc itaque duo sunt, ex quibus perficitur propitiatorii nostri latitudo, propria videlicet deliberatio, et divina inspiratio.

CAPUT XVII.

Quod quædam similiter in secundo hujus contemplationis gradu sunt, quæ comprehendi non possunt.

Quid sit autem deliberatio quotidiano usu didicimus, et ejus certitudine post tot experimenta hæsitare non possumus, et idcireo scientiam nostram in hac parte, usque ad plenum cubitum extendere possumus. Sed quis, quæso, in hac duntaxat vita comprehendere sufficiat, quonam modo divina gratia cor visitare, et sua inspiratione ad omnem suam voluntatem inclinare soleat? Quantumcunque in hac consideratione laboremus, opus nostrum in hac parte ad plenum cubitum non extendimus. Quomodo enim divinæ inspirationis modum, humana intelligentia comprehendat, cum Dominus in Evangelio suo de ejusdem rei incomprehensibilitate admoneat? *Spiritus*, inquit, *ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, aut quo vadat* (*Joan.* iii). Docemur itaque de gratiæ divinæ adjutorio per auctoritatem Scripturarum, quod et ipsi probamus per quotidianum infirmitatis nostræ defectum, et per manifestum cooperationis ipsius effectum. Ad hoc siquidem toties ejus nobis gratia subtrahitur, ut quam per se nihil boni humana infirmitas possit, ex proprio defectu doceatur. Ad hoc iterum eadem quæ fuerit subtracta gratia restituitur, ut per ejus effectum, quid ex Dei munere sumus, experiamur. Utquid unum idemque modo possumus, modo non possumus, nisi gratiam adjutricem modo habemus, modo non habemus? Patet itaque quod de divinæ gratiæ adjutorio minime nos liceat dubitare quamvis cooperationis ejus modos minime possimus comprehendere. Cubitum itaque in hujus nostræ considerationis opere explere non possumus, quia ingenium nostrum in hujus investigationis latitudine, usque ad comprehensionis terminum non extendimus. Patet itaque ratio cur propitiatorii nostri latitudo, usque ad duos cubitos se extendere non valeat, vel cur cubitum et dimidium, juxta documentum divinum, habere oporteat. Si igitur animum tuum in hac gemina consideratione ad plenum exercuisti, propitiatorii tui latitudinem, juxta modum congruum explesti.

CAPUT XVIII.

De prima et secunda distinctione hujus contemplationis, earumque differentia.

Nemo putet eamdem esse considerationem illam, quam superius posuimus voluntatis, et hanc quam

Digitized by Google

modo latitudini assignavimus deliberationis. Nam ad illam pertinet quod in mente agitur ex sola operatione naturæ, ad istam autem quod in ipsa actitatur ex opera industriæ. Ad illam spectat quælibet animæ vis ipsi naturaliter insita, ad istam quælibet animæ virtus per industriam comparata. Ad illam denique quilibet animi motus, qui naturali quodam impulsu agitur, ad istam quilibet animi nutus, qui rationali quodam dispositionis moderamine ducitur. Et quidem solemus vim illam animæ, quæ se valet, et solet in tot affectus formare, et per eam multiplices modos variare, vim illam inquam animæ, solemus voluntatem nominare. Similiter ejus motum et ejusmodi, ut ita dicam, instrumenti actum voluntatem dicimus, et ipsum velle voluntatem vocamus. Nec solum illud velle quod solo naturali motu fertur, voluntas nuncupatur, verum etiam illud quodlibet animi consensus ex deliberatione comitatur. Sed cogit nos utique verborum inopia, verborum significatione modo extendere, modo restringere, et pro necessitatis ingruentia, congruenter variare. Sed, ut sufficienter distinguamus, quid huic considerationi ascribere debeamus, omnis animæ consensus, et quidquid ex consensu in animo agitur ad hanc considerationem pertinere videtur quemadmodum sensus, vel quilibet animæ motus qui contra consensum, vel præter consensum agitur longitudinis considerationi recte ascribitur. Bona namque creationis, ut superius jam dictum est, assignanda sunt propitiatorii nostri longitudini, bona vero justificationis ascribenda sunt ejus latitudini. Et scimus quia quidquid in anima præter consensum est, hominem utique justificare non potest. Ad primam itaque considerationem pertinet diligenter attendere quibus bonis naturaliter mens polleat, vel careat. Ad secundam vero spectat nosse quæ bona mens ex virtute jam habeat, vel quæ necdum habere valeat. Facile est, ut arbitror, videre, vel nosse quam sit necessarium, vel utile utramque harum considerationum familiarem habere, et frequenter quidem in contemplationem adducere. Ex prima enim consideratione agnoscit homo ad quæ bona sit naturaliter promptior, vel ad quæ mala proclivior, quibus studiis debeat vehementius insistere, contra quæ mala debeat instantius vigilare, quibus exercitiis valeat melius promoveri, quibus vitiis valeat facilius corrumpi. Ex secunda autem consideratione intelligit homo quibus culpis subjaceat, vel quibus meritis emineat, et quid pro his pœnæ vel præmii exspectare debeat, quantum quotidie proficiat vel deficiat, cum quanta animi industria satagat præterita mala delere, præsentia declinare, futura prævenire, cum quanta animi constantia studeat recuperare bona amissa, custodire vel multiplicare bona possessa. Quod gratum, quod commodum, quamve jucundum spectaculum secundum considerationem primam tot animæ qualitates, tot ejus cogitationes, tot ipsius affectiones in speculationem adducere, et in eorum admiratione animum suspendere? O quam miranda speculatio, o quam stupenda delectatio juxta considerationem secundam tot animi virtutes, tot ejus exercitationes, tot ejus studia, vel merita præ oculis habere, et ejusmodi contemplationi diutius inhærere!

CAPUT XIX.

Quod nullo sensu nostro comprehendi valeant quæ ad tertiam diffinitionem spectant.

Sed illud nunc sane dignum videtur consideratione, cur de propitiatorii nostri altitudine omnino tacuit, qui ejus tam longitudinem, quam latitudinem adeo diligenter expressit. Sed demonstratum est superius ad hanc pertinere considerationem illa procul dubio quæ sunt ad glorificationem, sicut ad ejus latitudinem ea quæ sunt ad justificationem. Sed glorificationis nostræ modum quis sensus hominum capere, quæ ratio potest comprehendere? Quis hujus rei experimentum, quis ejusmodi evidentiæ documentum vel in alio vidit, vel in seipso experiri meruit? Hujus rei sane homo in hac vita nec sufficiens habere argumentum, nec ullum valet capere experimentum. Recte ergo dicti operis altitudini nulla mensura præscribitur, quia glorificationis nostræ modus, ut dictum est, nullo nostro sensu comprehenditur. Et quidem propitiatorium nonnihil crassitudinis habere creditur, sed in cæterarum dimensionem comparatione non reputatur. Sic utique sic glorificationis nostræ certitudinem fidei attestatione tenemus, quamvis qualitatis vel quantitatis ejus modum per intelligentiam necdum capere possimus. Sed pro modico et pene pro nihilo reputat quidquid humana aviditas experimento non probat. Scimus autem quia post plenam emundationem conscientiæ, post multa exercitia justitiæ, incipit tandem aliquando mens humana sperare, quod prius vix poterat credere, et in hunc modum propitiatorii nostri mensura in altum surgit et ad soliditatem crescit. Credo sane pertinere ad soliditatem ejusmodi propitiatorii, quando mens incipit in Domino gloriari, et pro bono conscientiæ testimonio non modicum gratulari, intantum ut veraciter audeat profiteri, quia *gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ* (*II Cor.* I). Tu vero, si vis ut propitiatorium tuum in altum proficiat, et congruam prout in hac vita fieri valet soliditatem accipiat, nunquam desistas, nunquam quiescas, donec futuræ illius plenitudinis aliquas, ut ita dicam, arrhas obtineas, donec æternæ felicitatis quantulascunque primitias accipias, donec divinæ suavitatis dulcedinem prægustare incipias. Ad hujus sane desiderium animare nos voluit, qui dixit: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII). Propitiatorium ergo tuum nonnihil spissitudinis habere jam credimus, si jam gustasti quoniam dulcis est Dominus. Sed quantumcunque ad hanc gratiam creveris, quantumcunque in ipsa profeceris debes semper modicum reputare, et pro futuræ felicitatis magnitudine quasi pro nihilo ducere. Hoc est sane quod Scriptura sancta tacite innuit, quæ de propitiatorii nostri

Digitized by Google

altitudine omnino nihil dixit, ac si per taciturnitatem ipsam altius clamet, longeque melius insinuet, quia quidquid mens humana in hac vita duntaxat de internæ suavitatis abundantia capere valet, quasi pro nihilo reputari debeat. Tacendo clamat quod omnino indignum ducat de ejus operis nos mensura instruere, ad cujus inchoationem humana infirmitas in hac vita vix potest assurgere.

CAPUT XX.

Quomodo hoc contemplationis genus possit in quinque gradus dividi, et quæ pertineant ad primum gradum.

Sed quoniam primam illam considerationem quæ ad longitudinem pertinet in tria distinximus, secundam autem quæ ad latitudinem spectat in duo divisimus, possumus totum hoc contemplationis genus in quinque partitiones secare, et per totidem gradus dividere. In primo itaque gradu hujus contemplationis consideramus ea quæ pertinent ad animæ qualitatem, vel essentiæ ipsius proprietatem, quod vita quædam et perpetua sit, quæ nullis pœnis, nullis unquam tormentis exstingui possit, quod non solum possit ipsa in perpetuum vivere, sed corpus etiam ad vitam et ad sensum animare, quod nullo sustentamento egeat, quod sine subsidio sempiterne subsistat, quomodo sit per tot corporis membra diffusa, cum sit ipsa simplex, partibusque carens individua essentia, quomodo in toto corpore suo quasi in suo quodam mundo sit, utique ubique tota, quemadmodum Deus invenitur ubique totus in omni creatura sua, quomodo in illo suo mundo sola voluntate omnia movet atque disponit, sicut in hoc mundo Deus solo voluntatis nutu omnia regit, qui eodem voluntatis nutu omnia creavit. Invenies in hoc spectaculo et alia multa consideratione digna, quæ nec sine admiratione speculari, nec sine jucunditate possis admirari. Quid tamen mirum si invenimus in spiritu rationali miranda multa atque stupenda, cum sit præcipua Dei creatura, et ad imaginem et similitudinem ipsius facta? Cum enim sit mirabilis Deus in operibus suis, magnus atque laudabilis nimis in omnibus magnaliis suis, ubi tamen, obsecro, apparebunt mirabilia virtutum ejus insignia, quam in imagine sua, quam in similitudine sua? Absque dubio omnipotentis artificis industria quæ ubique mirabilis apparet in ejusmodi opere singulariter eminet.

CAPUT XXI.

De consideratione eorum quæ pertinent ad secundum gradum.

In secundo hujus contemplationis gradu considerantur illa quæ ad cognitionem sunt, vel veritatis studio deservire possunt, et quæcunque in augmenta scientiæ concurrunt atque conducunt. In hac sane consideratione recte miramur volubilitatem cogitationis, agilitatem imaginationis, ingenii acumen, discretionis examen, capacitatem memoriæ, vivacitatem intelligentiæ, et circa hæc alia quælibet stupenda et admiratione digna. Quis enim digne pensare, quis sufficienter æstimare valeat, quis in ejus considerationis admiratione non expavescat, si diligenter attendat quæ sit illa tam multiplex cogitationis humanæ volubilitas, quæ sit ejus tam inquieta et infatigabilis velocitas, quæ per tam multa, tam varia, et tam infinita discurrit, quæ nulla hora, nullo temporis momento quiescit, quæ tot spatia locorum, quæ tot volumina temporum in tanta festinatione pertransit, qui undique patet tam facilis transitus, tam agilis discursus de summis ad ima, de imis ad summa, de primis ad novissima, de novissimis ad prima. Sed de imaginationis agilitate facultatisque ejus facilitate, quid nos dicturi sumus, vel quid inde digne dicere possumus, quæ omnium eorum quæ animus suggerit, in tanta velocitate imaginem depingit? Quidquid a foris animus per auditum haurit, quidquid ab intus ex sola cogitatione concipit, totum imaginatio absque mora et omni difficultate seposita per repræsentationem format, et quarumlibet rerum formas sub mira festinatione repræsentat. Quale, quæso, est tot rerum atque tantarum in momento, in ictu oculi picturas efficere, et iterum easdem eadem facilitate delere, vel alio atque alio modo multiformiter variare? Nonne per imaginationem animus quotidie novum cœlum, novam terram cum voluerit creat, et in illo phantastico mundo quasi alius quidam creator quantaslibet ejusmodi generis creaturas omni hora actitat, et pro arbitrio format? Nihilominus autem si ingenii acumen attendimus, quod in illo mirari debeamus, citius invenimus. Vide quam multa, imo pene infinita humano ingenio pervia sunt, quæ nullo unquam corporeo sensu attingi possunt. Vide quomodo illud humani ingenii acumen soleat profunda investigare, intima quæque penetrare, involuta, perplexa, obscura et in tenebris posita, evolvere, enodare, illustrare, et in lucem evocare. Intimos, ut ita dicam, latitantis naturæ sinus abditosque recessus vivacitatis suæ subtilitate quotidie adit, irrumpit atque pertransit, festinans et anhelans semper in ulteriora penetrare, et altiora conscendere. Attende quot scientiæ disciplinas invenerit, quomodo tot artes excuderit, et tunc incipies obstupescere, et ex nimia admiratione deficere. Sic sane si memoriæ capacitatem ejusque amplitudinem attendas, invenies absque dubio quod digne mirari debeas. Quantus, quæso, est ille tam immensæ amplitudinis sinus qui tot rerum substantias, tot substantiarum formas, tot genera rerum, tot species generum, tot individua specierum, individuorum vero tot proprietates, tot qualitates, tot quantitates, actiones et passiones, habitus, situs, loca et temporis latitudinis suæ ambitu comprehendit, abscondit atque custodit, diuque custodita iterum in medium producit? Cogita, si potes, quæ sint illa gazophylacia, quam multa, quam lata, quam ampla, quam profunda, vel alta, quæ tot scientiæ thesauros et sapientiæ gemmas possunt undecunque colligere et inconfuse custodire. Miranda procul

Digitized by Google

dubio memoriæ capacitas, sed non minus mirabilis intelligentiæ vivacitas. Quam sit autem magna, vel miranda, facile est perpendere et ex prædictis colligere. Quidquid enim sensus attingit, cogitatio parit; quidquid imaginatio format, ingenium investigat, memoria conservat. Horum omnium notitiam intelligentia capit, et cum libuerit in considerationem admittit, vel in contemplationem adducit.

CAPUT XXII.

De consideratione eorum quæ pertinent ad gradum tertium.

In tertio hujus contemplationis gradu consideramus rationalis animi voluntatem, multiplicemque ejus affectionem. Quis enim digne explicare possit quot alternationis modos momentaneis permutationibus induit, quam multiformiter se alternantium vicissitudinum motibus variare consuevit? Cogitet quisque quibus perturbationibus quotidie animus suus afficitur. Indeque colligat quam multiformiter variatur. Modo se in fiduciam erigit, modo in diffidentiam cadit, nunc per constantiam figitur, nunc subitaneo timore concutitur? Modo eum ira perturbat, modo ingens ira exagitat. Nec illud adeo mirum quod variis qualitatibus diversisque perturbationibus per singula momenta afficitur, sed illud supra modum stupendum quod sub eodem pene momento sæpe contrariis affectionibus tangitur. Nunc odio, nunc amore ducitur, modo gaudio, modo mœrore distrahitur. Quam sæpe videmus inter mira gratulationis nostræ tripudia, quomodo superveniens subitoque emergens tristitiæ causa animum vehementer concutit ac dejicit, et omnem illam exsultantis animi solemnitatem subito in mœrorem vertit. Nec tamen adeo mirum quod pro diversis rebus animus sæpe et subito contrariis se qualitatibus induit, sed illud multo mirabilius quod propter unam eamdemque rem contrariis affectibus contrarios affectus superducit. Nam diu multumque dilecta nimio postmodum odio sæpe persequimur, et vehementer approbata atque desiderata subito detestamur. Sed ut adhuc amplius mireris, unum eumdemque hominis affectum si diligenter attendere velis, circa unam atque eamdem rem multiformiter variare videbis. Nam modo de magno fit parvus, modo de parvo fit magnus. Quandoque autem de magno fit major, quandoque de modico fit et adhuc minor. Idem itaque animi affectus circa eamdem rem crescit atque decrescit, et modo vehementer intumescit, et modo pene, modo penitus deficit, et post plenum sæpe defectum penitus reviviscit. Attende et illud in humano affectu quam sit magnus in magnis, et in sublimibus sublimis, quam sit parvus in parvis, et in vilibus vilis : quam sit, inquam, magnus et sublimis, cum se in altum erexerit; quam sit parvus et vilis cum se in ima dejecerit. Cum se in audaciam erexerit, videbis eum sæpe etiam mortem contemnere, et inter summa pericula nil trepidationis habere. Eumdem autem ipsum videbis postmodum inter nocturna silentia ad tenuem flatum, ad unius ramusculi motum, seu etiam foliorum lapsum subito trepidare, et animi constantiam perdere. Sed quis omnes humanæ affectionis qualitates enumerare? quis omnes variationis ejus modos explicare sufficiat? Pene quot sunt diversitates rerum, tot sunt varietates affectionum. Sicut enim in approbatione rerum diversis diversa sentimus, sic in affectione rerum circa diversa diverso modo afficimur. Secundum judicium enim approbationis variari solet desiderium affectionis.

CAPUT XXIII.

De consideratione eorum quæ pertinent ad gradum quartum.

In quarto hujus contemplationis gradu virtutem deliberationis contemplamur pariter et admiramur, quomodo tot animi affectiones quotidie in virtutes redigit, in quantum eas et per discretionem disponit, et in bona intentione figit. Cum enim nihil aliud sit virtus quam affectio ordinata, et moderata ex intentione bona, agitur ut sit affectio ordinata, et per discretionem efficitur ut fiat moderata. Debemus autem semper omne deliberationis nostræ studium circa hoc negotium vehementer impendere, et huic exercitationi tam fortiter quam frequenter insistere, ut omnis nostra affectio ab illicitis transiens per licita discurrat, et ut in licitis etiam desideriis æquitatis modestiam ubique custodiat. Nonne ex virtute deliberationis quotidie agitur, ut affectus mali cohibeantur, minuantur, destruantur? Nonne ex virtute deliberationis assidue efficitur, ut affectus boni nutriantur, promoveantur, solidentur? Vide quomodo quosdam affectus in perpetuum damnat, alios vero in æternum exaltat, secundum quod ejus officium est deponere potentes de sede, et exaltare humiles. Itaque hunc humiliat, et hunc exaltat suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem. Nonne illius officium est totam illam internæ familiæ turbam tot cogitationum, tot affectionum pro arbitrio disponere, et imperantis more suis legibus subjugare, quotidie judicium et justitiam facere, dominari a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum? Nonne ipsius est carnalia desideria forti castigatione percutere, fluctuantium cogitationum tumultus violenter reprimere, seque quotidie ad spiritalem pugnam accingere, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis? Nonne ipsius est omnes rebelles animi motus, elationumque fastus fortiter premere, hostilemque illum vitiorum exercitum viriliter opprimere, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis. Debet autem non solum vitia reprimere, verum etiam virtutes excolere, familiam Nabuchodonosor forti animadversione ferire : domum autem David sagaciter disponere et diligenter enutrire. Judicabit itaque in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. Sed et super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud et corroboret in judicio et justitia. Quis autem digne de

Digitized by Google

scribat quæ vel quanta sit illa virtutum turba terribilis ut castrorum acies ordinata, ipsius disciplinis instruenda, ipsius ordinatione disponenda? Quales, quæso, vel quantæ credendæ sunt illæ virtutum phalanges quæ currus Pharaonis et exercitum ejus everterunt, quæ Salomonis nostri currum undique cingunt et muniunt? Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis in Sina in sancto. Sed si tantis virtutibus pollet in hac etiam vita quælibet anima perfecta, quanta, quæso, erit illa virtutum consummatio quam habebit in illa summa futuræ plenitudinis gloria? Cogita, si potes, quanta sit illa futurorum bonorum tam corporalium quam spiritualium copia, quæve sit eorum et quam multiplex differentia, profecto secundum differentiam bonorum erit et differentia affectionum. Neque enim eodem modo afficiemur circa minora, vel majora bona, ubi omnis nostra affectio sicut in omnibus erit ordinata, sic in omnibus absque dubio erit pariter et moderata. Quis tibi, obsecro, erit ille virtutum numerus in tot ordinatis et moderatis animæ affectionibus? Si te in hujus considerationis speculam attollere valeas, miror si non credas millia millium ministrare ei, et decies millies centena millium assistere ei. Perpende ergo quale spectaculum sit, quamve jucundum tot animarum sanctarum virtutes quibus interim pollent, vel in futuro pollere habent, in contemplationem adducere, et in ejusmodi admiratione animum suspendere.

CAPUT XXIV.

De consideratione eorum quæ pertinent ad gradum quintum.

In quinto hujus contemplationis gradu, sicut superius jam diximus, aspirantis gratiæ qualitatem vel modos cum attentione miramur, et cum admiratione attendimus. Absque dubio quidquid boni in bonorum cordibus agitur, septiformis ille Spiritus per inspirantem gratiam operatur. Ecce unus atque idem Spiritus tot mentibus semper et ubique præsidet, et gratiæ suæ munera multipliciter impendit. Ecce tot hominum mentes tot modis informat, et omnium voluntates ad voluntatis suæ arbitrium sine aliqua coactione inclinat, ipso revelante, veritas agnoscitur, ipso inspirante, bonitas amatur. Nam sine cooperante gratia omnino non sufficimus vel ad cognitionem veritatis, vel ad amorem virtutis. Verumtamen quam magnum, quam mirabile illud esse creditur quod quidquid virtutis in nobis operatur, nobis ad meritum imputatur. Et miro quodam incomprehensibilique modo sic nobis suæ voluntatis beneplacitum inspirat, ut juste nobis ad meritum reputari debeat quidquid bonitatis ejus in nobis gratia imprimit, vel reformat. Salvo enim humanæ voluntatis arbitrio, et omnino absque ulla coactione, quælibet bona voluntas per inspirantem gratiam in divinæ bonitatis complacitum conflatur, et idcirco homini ad retributionum gloriam cumulatur quidquid ex libero mentis consensu in ipsa divinitus agitur. Operatur autem illa studiorum bonorum cooperatrix gratia quædam in nobis quæ sunt ad augmentum debiti, quædam vero quæ sunt ad incrementum meriti, quædam autem quæ videntur esse ad inchoationem præmii. Toties namque servitutis nostræ debitum divina benignitas augescit, et sibi nos magis obnoxios reddit, quoties in nobis scientiæ et sapientiæ dona accrescit. Hæc itaque et quælibet ejusmodi in augmentum sunt debiti potius quam meriti. Sed quidquid virtutis divina nobis bonitas inspirat, ad merita retributionum accumulat. Quidquid vero intimæ suavitatis, quidquid divinæ dulcedinis mentibus nostris divinitus infunditur, ad præmii inchoationem quodammodo spectare videtur. Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus. Nam et unctio ejus docet nos de omnibus, et charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, et nihilominus constat esse ab ipso quodlibet gaudium in Spiritu sancto. Vultis autem apertius nosse ad quem fructum soleat Spiritus iste spiritum nostrum fecundare? *Fructus autem spiritus est*, ait Apostolus, *charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas* (*Galat.* v). O quam multa, o quam magna sunt quæ Spiritus iste operatur in nobis, dividens singulis prout vult! *Divisiones* enim *gratiarum sunt, idem autem Spirius. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum* (*I Cor.* XII), et cætera innumera in hunc modum. Perpende, obsecro, quam sit spectabile, quamve salubre has et hujusmodi divini Spiritus operationes in speculationem adducere, et in earum contemplatione animum suum ad humilitatem et charitatem roborare. Multum enim per omnem modum animus tam ad dilectionem Dei, quam ad despectum sui proficit, cum sæpe attendit, cum plene agnoscit, quam per se nihil possit. Quam admiranda, quam amplectenda illius gratia per quam ita operatur in nobis omnia opera nostra, ut sint tam sua quam nostra, dona sua et merita nostra. Superius jam assignavimus quam sint multiplices, vel multiformes, humani cordis affectus. Hos utique ille Domini Spiritus quotidie in electis suis paulatim contemperat, et in unam harmoniam conformat, et gratiæ suæ plectro quasi citharœdo doctissimus hos extendendo, illos relaxando ad concordem quamdam consonantiam coaptat, donec reboet ex his in auribus Domini Sabaoth melodia quædam melliflua et supra modum dulcis, tanquam citharœdorum multorum citharizantium in citharis suis. Sed si tam mira harmonia et tam multiplex consonantia surgit de corde uno in tanta pluralitate tam multiplicium affectionum, quæ, quæso, vel quanta erit illa supercœlestium animorum consona concordia, concorsque consonantia in tanta multitudine tot millium angelorum, tot animarum sanctarum exsultantium et laudantium viventem in sæcula sæculorum. Hæc omnia utique agit atque disponit multiformis illa

Digitized by Google

divini gratia Spiritus, qui, ut superius jam dictum est, operatur omnia in omnibus. Si in his ergo quinque hujus contemplationis gradibus exercitatos sensus habemus, si ad ejusmodi speculationes prompti et proni sumus, profecto propitiatorium nostrum juxta propositum divini documenti modum explevimus.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

De quinto et sexto contemplationum generibus.

Restat adhuc de quinto vel sexto contemplationis genere tractare, quæ Moyses in his verbis videtur ex mystica descriptione designare : *Duos quoque cherubin*, inquit, *aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherubin unus sit in latere uno, et alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas et operientes oraculum. Respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium* (*Exod.* xxv). Libet sane huic descriptioni vehementer intendere, et doctrinæ nostræ regulam ex proposita similitudine sumere, et juxta descriptionis hujus formulam operis nostri formam, vel modum excudere. Puto enim quia aliquid magnum, aliquid præclarum in hoc nobis opere proponitur, quod nobis sub tali forma exprimitur, quod tali nomine censetur, quod angelorum formam imitatur : *Duos*, inquit, *cherubin aureos et productiles facies*. Vere aliquid magnum, vere aliquid præclarum, aliquid utique supermundanum, et omnino aliquid plus quam humanum esse debuit, quod sub angelica nobis forma repræsentari oportuit. Certe cherubin *plenitudo scientiæ* dicitur, et sub talis vocabuli præsagio magnum quiddam secretioris scientiæ proponere, vel polliceri videtur. Sed et illud adhuc advertere debemus, quod non quoslibet angelos, sed summos et Deo immediate conjunctos, cherubin vocare solemus. Ad supermundana itaque, imo ad supercœlestia hujusmodi operis forma nos provocat, et ad summorum et divinorum speculationem intelligentiam nostram sub hac propositione invitat.

Constat itaque supra hominem esse, et humanæ rationis modum, vel capacitatem excedere, quæ ad hæc duo novissima contemplationum genera videntur pertinere. Unde oportuit ea ad similitudinis expressionem non tam humana quam angelica effigie repræsentare. Nisi enim humanæ ratiocinationis angustias harum speculationum materia excederet, humanæ potius quam angelicæ similitudinis formam formandi operis exemplum habere oporteret. Oportet ergo nos supra nosmetipsos levare, et ad ea quæ supra rationem sunt contemplatione ascendere, si ad angelicæ similitudinis instar cupimus intelligentiæ nostræ volatum formare. Quæramus itaque quæ sint illa quæ supra rationem sunt, quæ humanæ rationis vim ratiocinationisque nostræ modum transcendunt.

CAPUT II.

Quod rationem humanam excedant, quæ ad has novissimas speculationes spectant.

Sicut quædam esse constat, quæ sunt infra rationem, sic sunt quædam absque dubio quæ constat esse supra rationem. Et inter hæc sunt alia quædam media, quæ utique rationi sunt pervia, infra rationem sunt, quæ sensu corporeo percipimus. Secundum solam rationem sunt quæ ratione investigamus. Supra rationem sunt quæ per revelationem discimus, vel sola auctoritate probamus. Candida et nigra, calida et frigida, dulcia et amara sensu corporeo discimus, non ratiocinando probamus. Vera et falsa, justa et injusta, utilia et inutilia discernimus ratiocinando, non aliquo sensu corporeo. Deum autem in una substantia personaliter trinum, et in tribus personis substantialiter unum, nec ullus sensus corporeus docet, nec aliqua humana ratio plene persuadet. Sed hoc utique alii per revelationem discunt, alii autem sola auctoritate convincunt et credunt. Infra rationem itaque sunt corporea, supra rationem vero divina. Supra rationem utique est, quod nullus corporeus sensus attingere, nec ulla humana ratio potest penetrare. Supra rationem dicimus, quod veraciter esse credimus, cum tamen illud nec experimento probare, nec intellectu comprehendere possimus. Et quidem circa divina ejusmodi sunt multa, quibus humana ratio facile acquiescit, quibus contradicere nolit, sed pro veris recipit, et rata esse consentit, cum tamen ea nec per experimentum probare, nec per intellectum plene comprehendere possit. Merito ergo ejusmodi quæque supra rationem esse dicenda sunt, quæ capacitatis nostræ exiguitatem incomprehensibilitatis suæ magnitudine transcendunt. In his tamen, quæ nostra exiguitas comprehendere non valet, angelica celsitudo liberos contemplationis volatus exercet. Ut ergo in nobis angelicæ similitudinis formam qualicunque modo possimus excudere, oportet in ejusmodi rerum admiratione animum nostrum jugi celeritate suspendere, et ad sublimes et vere angelicos volatus contemplationis nostræ pennas assuescere.

CAPUT III.

Quod ea quæ supra rationem sunt, gemina distributione distingui possunt, et quæ cui generi subsunt.

Duos autem cherubin facere divinitus jubemur, unde in his quæ supra rationem sunt, duo contemplationum genera quærere admonemur. Intendamus itaque in ea quæ supra rationem sunt, et inveniemus

Digitized by Google

quia gemina distributione distingui possunt. Ex his enim alia sunt supra rationem, sed non præter rationem, alia autem sunt et supra rationem et præter rationem. Præmonere in primis volumus quia in summis et divinis cum aliquid præter rationem, vel contra rationem esse asserimus, de ratione humana, non de ratione divina, hoc intelligi volumus. Quidquid enim in illa summa et divina essentia esse constiterit, summa et incommutabili ratione subsistit. Quod multa tamen de divina natura indubitanter credimus, de quibus, si rationem consulimus, omnis nostra ratiocinatio repugnat, et omnis humana ratio reclamat. Quæ enim humana ratio habet Filium Patri coæternum esse, eique per omnia æqualem a quo habet esse, vivere et intelligere? In his ergo quæ supra rationem sunt multa in hunc modum inveniri possunt, quæ si humana æstimatione pensentur, contra rationem omnino esse videntur. Supra rationem illa esse dicimus quæ nullo experimento probare, nulla ratiocinatione ad plenum investigare sufficimus. Præter rationem autem ea videntur esse quibus et exempla contraire, et argumenta solent contradicere. In illis siquidem et experimenta desunt, et argumenta succumbunt. In istis vero tam exempla quam argumenta contradicunt. Illa sæpe et auctoritatibus probamus, et argumentis confirmamus, et similitudinibus persuademus, probata tamen et persuasa nulla nostra intelligentia plene comprehendimus, quia nullo, ut dictum est, experimento, nullo evidenti exemplo ex his quæ per experientiam novimus probare sufficienter valemus. Ista autem modo miraculis, modo auctoritatibus persuadentur, modo revelationibus discuntur. Infidelibus etenim sæpe persuasa sunt multitudine miraculorum, fidelibus autem quotidie persuadentur auctoritatibus Scripturarum, propheticis vero viris sæpe ostensa sunt multiplici varietate divinarum revelationum. Verumtamen ejusmodi sunt ut aliis omnino (nisi fide mediante) probari non possunt etiam ab his qui ea revelatione didicerint. Ad horum itaque attestationem opus est potius miraculis quam exemplis, auctoritatibus quam argumentationibus, revelatione quam ratiocinatione. Illa autem superiora ejusmodi sunt, ut ad eorum investigationem nulla humana ratio sufficere possit, nisi divinis revelationibus vel authenticis attestationibus adjuta fuerit. Sed fideli menti cum fuerit ejusmodi auxilio subnixa multæ undique rationes occurrunt, multa denique argumenta emergunt quæ eam in sua investigatione adjuvant, vel in sua inventione confirmant, vel in sua etiam assertione sententiam prolatam defendant. Recte itaque, ut arbitror, ejusmodi dicta sunt esse supra rationem, non tamen præter rationem. Ista vero posteriora ejusmodi sunt, ut cum fuerint miraculis vel auctoritatibus probata et credita, si super his humanam rationem consulimus ejusque consiliis acquiescere disponimus, totum statim labefactari incipiet quidquid fidei ratio in his prius ratum tenebat. Et omnino in eorum investigatione, discussione, assertione nihil facit ratio humana nisi fuerit fidei admistione subnixa. Recte ergo quæ ejusmodi sunt, ut secundum hominem loquamur, non solum supra rationem, sed etiam præter rationem esse dicuntur. Prima autem quinto contemplationis generi recte ascribuntur, posteriora vero ad sextum contemplationis genus pertinere videntur.

CAPUT IV.

Quod sint aliena ab omni imaginatione quæ pertinent ad hæc contemplationum genera.

Puto autem quia jam nostra expositione non egeat cui hujus operis angelica factura aurea esse debeat. Si aurea et illa proponuntur quæ in ratione versantur, et a ratione comprehenduntur, quanto magis illa quæ rationem supergrediuntur? Si aurea sunt quæ excedunt imaginationem, quanto magis illa quæ excedunt rationem? In hac gemina speculatione nihil imaginarium, nihil phantasticum debet occurrere, longe enim omnem corporeæ similitudinis proprietatem excedit quidquid spectaculi tibi hæc gemina novissimi operis specula proponit. Si enim quartum illud contemplationis genus quælibet corporea phantasmata soleant semper obnubilare potius quam adjuvare, quanto magis ab his dignioribus, et multo sublimioribus debent longius abesse et penitus non comparere? Cedat itaque imaginatio interim, cedat, penitusque recedat, non est utique in quo hoc opus adjuvare valeat. Quid enim imaginatio possit ubi ratio succumbit? Quid ibi faciat imaginatio ubi nulla est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio? Ubi pars non est minor suo toto, nec totum universalius suo individuo, imo ubi pars toto non minuitur, et totum ex partibus non constituitur, quia simplex est quod universaliter proponitur, et universale quod quasi particulare profertur, ubi totum singula, ubi omnia unum et unum omnia. In his utique et absque dubio succumbit humana ratio, et quid faciat ibi imaginatio? Absque dubio in ejusmodi spectaculo officere potest, adjuvare omnino non potest.

CAPUT V.

Quæ sit supereminentia harum novissimarum contemplationum.

Quanta autem sit harum novissimarum speculationum supereminentia inde facile colligitur, quod omnis earum consideratio atque perspectio circa summa et divina usquequaque versatur. Cogitet ergo qui valet, quantum humana scientia ascenderit, cum ad hos contemplationis gradus sublevari meruerit. Quæ enim in primis contemplationis gradibus ad perfectionem inchoatur, in his duobus novissimis ad plenitudinem consummatur. In duobus namque primis erudimur ad scientiam rerum exteriorum et corporalium. In duobus autem mediis promovemur ad notitiam rerum invisibilium et spiritalium creaturarum. In duobus novissimis sublevamur ad intelligentiam supercœlestium et divinorum. Debemus ergo a novissimis et notissimis incipere; et scientiæ nostræ promotionem paulatim sub-

Digitized by Google

levare, et per exteriorum notitiam ad invisibilium cognitionem ascendere. Cum enim exteriorum scientiam apprehenderis, et in eorum doctrina exercitatos sensus habueris, debes ad altiora ascendere, et spiritalium creaturarum scientiam comparere. Sed cum in ejusmodi iterum plene pro posse exercitatus fueris, habes adhuc quo altius ascendere possis. Restant adhuc longe supra ista summa atque divina; nitere quantum potes et conare ad illa. Profecto si ad horum speculationem sublevatus fueris ultra hæc alia ad quæ adhuc ascendere habeas ulterius omnino invenire non poteris. Profecto ultra Deum nihil est, et idcirco scientia altius vel ulterius ascendere non potest. Si ergo cherubin plenitudo scientiæ dicitur, vide quam recte illa extrema operis nostri factura cherubin nominatur in qua scientiæ omnis summi gradus figuraliter exprimuntur. Certe in Dei notitia quotidie crescere potes, et in hoc sublimitatis volatu quotidie altius altiusque sublimari potes. Sed supra hanc contemplationis speculam aliam adhuc excelsiorem omnino invenire non potes. Aliud namque est in hoc spectaculorum genere huc illucque discurrere scientiamque suam in Dei cognitione dilatare, et aliud est supra hæc alia et altiora quærere velle, cum nullo modo possis invenire. Supra Deum nihil est sed nec esse, vel esse posse, vel cogitari potest. Non est quo scientia altius ascendat, vel altius ascendere valeat. Plenitudo itaque scientiæ Deum cognoscere; plenitudo autem hujus scientiæ, plenitudo est gloriæ, consummatio gratiæ, perpetuitas vitæ : *Hæc est*, inquit, *vita æterna ; ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII). Cognoscere itaque eum qui verus est Deus, omnis consummationis est terminus. Ad hujus scientiæ plenitudinem hæ novissimæ speculationes paulatim nos promovent et quandoque sane perducere habent. Hujus plenitudinis perfectio in hac vita inchoatur, sed in futura consummatur. Recte igitur hujus operis figura cherubin dicitur in qua ad omnis scientiæ plenitudinem initiamur.

CAPUT VI.

Quod sit arduum, vel difficile in hæc novissima contemplationum genera gratiam sibi comparare.

Sed nunc illud consideremus, quid sibi velit quod hæc novissima opera ductilia quidem facere jubemur. Ductile sane feriendo producitur, et crebris ictibus, multaque tunsione, ad destinatam formam, paulatim promovetur. Puto ergo quia opus est in hoc opere intima potius compunctione, quam profunda investigatione, suspiriis quam argumentis, crebris potius gemitibus quam copiosis argumentationibus. Scimus autem quia cordis intima nil adeo purgat, mentisque munditiam nil adeo reparat; nihil sic ambiguitatis nebulas detergit, cordisque serenitatem nil melius, nil citius adducit, quam vera animi contritio, quam profunda et intima animæ compunctio. Sed quid ait Scriptura? *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v). Studeat ergo cordis munditiæ, qui cupit Deum videre, qui in divinorum contemplationem festinat assurgere. O quanta instantia, o quanta diligentia opus est in ejusmodi artificioso studio, studiosoque artificio, antequam terreni amoris scoriam animus plene detergat, verique amoris incendio consumat, antequam intelligentiæ suæ aurum ad eam puritatem decoquat, quo ad hujus operis dignitatem, dignum idoneumque reddat! Absque dubio et sine omni contradictione non est leve vel facile humanum animum, angelicam formam induere, et insuper mundanum quemdam et vere plusquam humanum habitum transire, spiritales pennas accipere, et se ad summa levare. O quoties necesse est aurum suum in ignem mittere et iterum extrahere, et nunc in hoc, nunc in illud latus vertere crebrisque ictibus undique tundere, antequam angelicam formam excudat cherubinque producat! O quanta prudentia, o quanta providentia in formanda illa operis nostri materia! Hinc divini amoris, hinc divini timoris respectu est temperanda, ne nimio divinæ propitiationis respectu animus resolutus in nimiam sui confidentiam liquescat, vel immoderato divinæ severitatis intuitu obduratus usque in desperationem paulatim tepescat et de præsumpti operis consummatione penitus diffidat. O quam prudenti circumspectione, o quam frequenti increpatione oportet invigilare, vel insistere, ne ullus mentis excessus vel cogitationis evagatio, discretionis perspicaciam lateat, nec sine redargutione fortique castigatione pertranseat! Sed quis digne describat qua arte, quave sollicitudine opus sit, donec in se cœlestium et pennatorum animalium figuram transformet, et humanus animus in eorum se imaginem transfiguret? Certe prius necesse est assuescat in cœlestibus cum cœlicolis ambulare, et ad terrena negotia exteriorumque curam (nisi pro solo obedientiæ debito charitatisve officio) nunquam descendere antequam angelicos illos excessus in ardua divinæ incomprehensibilitatis arcana audeat attentare.

CAPUT VII.

Quod frustra homo ad hos theoricos excessus nititur, nisi divinis revelationibus adjuvetur.

Hinc ergo, ut arbitror, facile perpenditur quanta superexcellentiæ prærogativa hujus novissimi operis dignitas prædicta cætera supergreditur, quæ supremæ illius hierarchiæ in angelis archangelicam sublimitatem ex quadam industriæ suæ æmulatione imitatur. Cogita, obsecro, cujus sit excellentiæ illius ordinis in se similitudinem per imitationem trahere, qui summæ claritati immediate adhæret, qui facie ad faciem, et sine speculo, et sine ænigmate videt. Quale, quæso, est quod intelligentia humana quotidie ad illos supercœlestium animorum theoricos excessus nititur, et quandoque etiam pro divinæ dignationis beneplacito ad illa summæ majestatis magnalia contemplanda sublevatur? Ad hæc ergo quis idoneus? Quis ad hæc

Digitized by Google

opera dignus artifex invenitur, nisi eum divina gratia præveniat, et subsequatur ? Denique aliud est arcam facere atque aliud est cherubin formare. Quid sit arcam compingere, auroque vestire, corona cingere, operculum superducere, et nosse possumus, et quotidiano experimento probamus, nec peregrina sunt a nostris sensibus. Sed cherubin quis vidit, quisve videre possit ? Et quomodo illam formam exprimere valeam quam videre non valeo? Puto quia nec Moyses ad illam exprimendam sufficeret, nisi antea et ipse per revelationem didicisset. Unde est illud quod ei dicitur : Vide ut omnia facias sicut tibi in monte monstratum est (*Exod.* xxvii). Prius itaque Moyses in montem ducitur, prius ei per revelationem ostenditur, antequam nosse valeat quid de ejusmodi operationem percipere debeat. Necesse est itaque ad cor altum ascendere, et per mentis excessum ex Dominica revelatione addiscere quid sit illud ad quod suspirare, vel studere oporteat, et ad qualem sublimitatis habitum animum suum componere, et assuescere debeat. Nam si semel ad lucifluam illam angelicæ sublimationis gloriam admissus fuerit, et ad illud divinorum radiorum spectaculum intrare meruerit, quam intimis desideriis, quam profundis suspiriis, quam inenarrabilibus gemitibus eum qui ejusmodi est putamus insistere, quam assidua recordatione, quam jucunda admiratione, inspectam claritatem credimus eum retractare, menteque revolvere illam desiderando, illam suspirando, illam contemplando, donec tandem aliquando *in eamdem imaginem* transformetur *a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor.* iii). A Domini, inquit, Spiritu, non a suo. Optimus itaque in hoc negotio artificii modus, uti superius jam diximus, suspiriis, gemitibusque insistere, si vult productile facere cherubinque formare. Quid namque aliud est opus suum feriendo producere quam multa cordis contritione de Domini pietate obtinere ad quod quisque non potest per seipsum sufficere ? Nemo tamen hæc de quibus modo loquimur et prædicta opera idcirco æquipendat, vel parum a se invicem differre credat quod communem materiam habeant et ex auro utraque fiant. Sane si auro pretiosius aliquod metallum inveniri potuisset ex eo nimirum hæc angelica forma fieri debuisset. Dignitatis itaque ejus supereminentia quæ minus potuit ex materia, plenius commendatur ex forma. Jubemur itaque cherubin producere, et non modo hominum non demum quorumlibet angelorum, sed superexcellentium spirituum imagines figurare, ut harum novissimarum speculationum dignitas melius elucescat ex ejusmodi figurativa adumbratione.

CAPUT VIII.

Quod quintum contemplationis genus similitudinum rationem admittit, sextum vero totius similitudinis proprietatem excedit.

Puto autem illud non esse negligendum, nec sine diligenti consideratione prætereundum, quod de his duobus cherubin Dominica voce præcipitur, cum dicitur : *Cherubin unus sit in latere uno, et alter in altero* (*Exod.* xxv). Statuendi itaque sunt ex utraque parte oraculi tegentes utrumque latus propitiatorii. Idem autem intelligimus per oraculum quod per propitiatorium.

Quæramus igitur quæ sint ista duo propitiatorii nostri latera, ut consequenter inveniamus quo unus ex cherubin stare habeat ex parte una, et alter ex altera. Sicut superius jam satis ostendimus, per propitiatorium illud contemplationis genus intelligimus quod habetur de spiritibus rationalibus. Credimus autem rationalem creaturam tam angelicam quam humanam ad imaginem et similitudinem Dei creatam, et de homine quidem scriptum est : *Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum* (*Gen.* i), et pro angelica natura dictum putamus quod alias legimus : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia et decore in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* xxviii). Ecce quod angelica natura signaculum similitudinis dicta sit etiam pro ea parte quæ in veritate non stetit. Propheta tamen David manifeste proclamat, et dicit : *Non est similis tui in diis, Domine* (*Psal.* lxxxv), et Isaias aperte denuntiat : *Quoniam omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt* (*Isa.* xl). Quomodo ergo quasi nihilum et inane, si divinum habent aliquid simile? An forte quod unus dicit, alius contradicit ? Absit ! Nam ecce apud David lego : *Deus, quis similis erit tibi ?* (*Psal.* lxxxii.) Sed item apud eumdem invenio : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* iv). Quid igitur aliud ex tam diversis sententiis colligimus, nisi quod veraciter, et absque dubio Auctori nostro, ex aliquo similes, et ex aliquo dissimiles existimus? Imo quomodo ei in multis homo dissimilis non est, de quo veraciter scriptum est : *Quoniam universa vanitas omnis homo vivens* (*Psal.* xxxviii) : ecce quomodo dissimilis. *Verumtamen in imagine pertransit homo* (*ibid.*) : ecce quomodo similis. Quis enim est homo ut possit sequi regem factorem suum? Sed nec angelus utique in cœlo illam Creatoris sui similitudinem perfecte æmulatur. *Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, et faciens mirabilia ?* (*Exod.* xv.) Vide ergo ne forte illa in quibus similes sumus, pertineant ad latus unum, et illa in quibus dissimiles sumus, pertineant æque ad latus alterum. Dicatur itaque propitiatorii nostri, si placet, latus unum, divina in rationabilibus substantiis similitudo, dicatur et alterum in eisdem essentiis Divinitatis summæ multiplex dissimilitudo. Videamus ergo quomodo unus de cherubin stet in uno, et alter in altero latere, vel quis in quo debeat stare. Superius jam diximus quod ad unum cherubin pertineat contemplatio eorum quæ sunt supra rationem, non tamen præter rationem. Ad alterum autem eorum contemplatio, quæ sunt supra ratio-

Digitized by Google

nem, et videntur esse præter rationem. Constat autem quod illa prius dicta, reliqua multo sit facilior, et idcirco in usu nostro debet, et solet esse prior. Alia vero quanto est difficilior, tanto utique debet esse posterior. Prior itaque dicatur cherubin primus. Secunda harum contemplationum dicatur cherubin secundus. Hujusmodi ergo cherubin stare debet in latere uno, et alter in altero. Ab uno sane latere cherubin stare videtur, quando in his contemplationis radius figitur, ad quæ investiganda, vel confirmanda, qualiscunque similitudinis adaptatio facile accommodatur. Quasi ab altero latere cherubin stat, quando ad illa contemplanda humana intelligentia se elevat, ad quæ nulla similitudinis adumbratio se plene coaptat. Ad unum namque latus, ut dictum est, pertinet consideratio similitudinis, quemadmodum et ad alterum consideratio dissimilitudinis. Constat autem illa facilius posse comprehendi, et viciniora, magisque propinqua atque consentanea esse rationi, quæ se sinunt ad aliquam similitudinem applicari. Namque cætera quidem tanto ab humana ratione longius recedunt, quanto cujuslibet adjunctæ similitudinis rationem transcendunt. Primus itaque cherubin stat in latere similitudinis, secundus autem in latere dissimilitudinis, ut ea quæ præter rationem non sunt, et aliquam similitudinem admittunt, similitudinis latus quasi e vicino tangant, eique per considerationem inhæreant. Similiter et illa quæ præter, vel contra rationem esse videntur, omnemque adhibitæ similitudinis proprietatem supergrediuntur, dissimilitudinis latus quasi juxta se habeant, ipsumque e vicino respiciant. Si autem quod dicitur latus unum, et alterum ad dexteram, et sinistram quis referre velit, profecto hujusmodi considerationis similitudo in eamdem nos sententiam conducit. Dextra namque nostra operandi gratia sæpius solet proferri, et idcirco constat eam frequentius videri. Sinistra vero sæpius quam dextera sub vestimentis tegitur, et eo ipso utique rarius videtur. Recte ergo per sinistram occultiora, sicut per dextram congrue satis designantur manifestiora. Primus itaque cherubin quasi a dextris assistit, quia in ea quæ rationi omnino aliena non sunt, oculum contemplationis infigit. Secundus autem cherubin quasi a sinistris figitur, qui illa sola maxime contemplatur, quibus omnis humana ratio contraire videtur.

CAPUT IX.

Quomodo per hæc duo contemplationum genera temperatur cuique amor, et approbatio sui.

Multum est autem per omnem modum, quod hæc duo contemplationum genera nos vel contra mala roborant, vel ad virtutem adjuvant. Unde est quod de eisdem additur, cum subjungitur : *Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, et operientes oraculum* (*Exod.* xxv). Quando autem aliquid tegimus, duobus id modis maxime facere solemus. A Nam modo in absconsionem, modo ad protectionem, et sæpe cum aliquod nobis umbraculum contra solem superponimus, ejus nobis tam calorem quam claritatem temperamus. Si igitur in hæc duo contemplationum genera gratiam divinitus accipimus, si secundum acceptam gratiam eis diligenter insistimus, credo quod et ipsa nobis erunt in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et absconsionem a turbine, et a pluvia. Utinam cum tanto studio et desiderio, in eorum aspectum raperemur, et in eorum admiratione, cum tanta animi abalienatione, supra nosmetipsos duceremur, ut interim mens nostra scipsam nesciret, dum in ejusmodi cherubin aspectum suspensa stuperet, in tantum ut cum Apostolo dicere auderet : *Sive in corB pore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (*II Cor.* xii). Vide quam profunde sub dictorum cherubin alis lateat, qui scipsum interim ignorat. Sed si non potest hæc alarum adumbratio mentis respectum in ejusmodi excessus abalienare, debet tamen, quod et semper solet, aureum illum propitiatorii fulgorem obnubilare, et nostris aspectibus temperare. Propitiatorii nostri fulgor absque dubio superducta obumbratione obnubilatur, quando quidquid in nobis lucere videtur, majoris et supereminentioris claritatis comparatione despicitur. Propitiatorii nostri claritas dignitatem quidem designat spiritalis naturæ, superposita autem alarum expansio celsitudinem divinæ supereminentiæ. Quid ergo mirum, si hujusmodi obumbratione propitiatorii nostri utrumque C latus obducitur? Nam quidquid divinum simile, vel divinis dissimile in nobis cernitur, divinorum, uti jam dictum est, comparatione fuscatur. Solet autem, ut diximus, obnubilatio non solum claritatem, verum etiam calorem temperare, et utrumque tolerabiliorem reddere. Et fit sæpe (quod omnes novimus) ut in nostra gratia nosmetipsos æstimatione, vel dilectione modum tenere nesciamus. Sed ex divinarum utique rerum assidua contemplatione, profundaque admiratione, in nobis agitur ut utriusque in nobis nimietas vel superfluitas reprimatur. Nullum omnino, nullum, inquam, omnium rationalium spirituum, credo privatum illum propriæ excellentiæ amorem, vel opinionem ad veram et legitimam D æquitatis mensuram posse restringere, nisi qui veraciter scipsum novit in eorum quæ diximus comparatione despicere. Recte ergo dicti cherubin utrumque propitiatorii nostri latus tegere dicuntur, quia in nobis nihil omnino reperitur, quod summis et divinis non sit vel peregrinum in qualitate, vel incomparabile ex quantitate.

Et nota quod quemadmodum arca propitiatorio tegitur, sic et ipsum propitiatorium dictarum alarum expansione tegi jubetur. Absque dubio sicut ex contemplatione spiritalis creaturæ ejusque eminentiæ obducitur amor et approbatio mundi, sic ex contemplatione creatricis essentiæ ejusque supereminentiæ temperatur apud unumquemque amor et approbatio sui.

Digitized by Google

CAPUT X.

Cum quanta animi aviditate debeant, vel soleant spirituales viri his novissimis contemplationum generibus inhiare.

Sed tunc procul dubio designati cherubin propitiatorii latera sufficienter tegunt, si alas suas sufficienter et indesinenter expandunt. Quid est alas suas continua expansione distendere, nisi omni in loco, omni in tempore, divinæ contemplationi inhiare, et ejusmodi studio vel desiderio ubique insistere? Certe aves, cum volare volunt, alas suas expandunt. Sic sane debemus et nos cordis nostri alas per desiderium extendere, et divinæ revelationis horam, sub omni hora, imo sub omni momento exspectare, ut quacunque hora divinæ inspirationis aura mentis nostræ nubila deterserit, verique solis radios, remota omni caliginis nube detexerit, excussis statim contemplationis suæ alis, mens se ad alta elevet, et avolet, et fixis obtutibus in illud æternitatis lumen, quod desuper radiat in aquilæ volantis impetu, omnia mundanæ volubilitatis nubila transvolet atque transcendat. Illum sane dixerim hoc Dominicum præceptum vel documentum implere, et quasi expansis alis erectum stare, qui post acceptam gratiam in hæc novissima contemplationum genera semper studet se quantum in ipso est ad hujusmodi volatus promptum et paratum exhibere, ut cum tempus beneplaciti divini advenerit, et aura aspirantis gratiæ afflaverit, idoneus possit inveniri, qui ad illud divinorum secretorum spectaculum debeat admitti. Debemus autem non solum ad hoc quod in hac vita habere possumus, verum etiam ad illud divinæ contemplationis spectaculum, quod in futura vita speramus, animos nostros suspendere, et in ejusmodi exspectatione vehementi desiderio anhelare. Ad hoc siquidem nobis datur hujuscemodi gratia, ad hoc, inquam, infunditur æternorum intelligentia, ut sciamus quid indefessi debeamus per studium quærere, vel per desiderium suspirare. Alioquin frustra in nobis divinæ cognitionis abundantia crescit, nisi divinæ in nobis dilectionis flammam augescat. Debet itaque in nobis crescere semper, et ex cognitione dilectio, et nihilominus ex dilectione cognitio, et mutuis incrementis, mutua incrementa ministrare debent, et alternis augmentis alterna augmenta accrescere habent. Debet ergo anima perfecta et assidue summorum contemplationi dedita omni hora peregrinationis suæ terminum ergastulique hujus egressum cum summo desiderio exspectare, quod id, quod interim videt per speculum et in ænigmate, mereatur facie ad faciem videre. Hinc est quod Abraham in ostio tabernaculi sui sedebat (*Gen.* XVIII). Hinc est quod Elias in speluncæ suæ ostio stabat (*III Reg.* XIX), uterque ad egressum paratus, uterque in Domini adventum suspensus. Unum utique uterque præstolabatur, unus in spelunca, alter in tabernaculo, uterque tamen in ostio, sed unus stando, alter vero sedendo. Animadvertis, ut arbitror, quia vitæ hujus molestiam unus miseriam, alter militiam reputat, et eamdem temporis peregrinationem, hic carcerem, ille expeditionem judicat. Sunt qui seipsos quasi in spelunca vident, et carnem suam pro ergastulo habent, dum vitæ hujus molestiam moleste sustinent. Alii de corpore suo quasi tabernaculum faciunt, et ad Domini sui militiam accingunt, et patienter tolerant quod vivunt, ut Domini lucris deserviant. Alius itaque impatienter, alius patienter vivit, dum unus sibi metuit, alter Dominicis lucris intendit. Alius ergo stans multumque laborans, alius autem sedens, laboremque pene non sentiens, penitusque non reputans, Dominicum adventum præstolatur, et uterque in ostio et quasi in ipso exitu invenitur. Ut ergo de his interim taceamus qui libenter vivunt et in tabernaculi, ne dicam palatii, sui intimis delectabiliter jacentes requiescunt, uterque illorum Domini adventum metuit, et is qui in ostio sedens, militiæque suæ molestiam patienter sustinens ad Domini occursum suspensus anhelebat, et ille qui in ostio stans visitationisque suæ horam præstolans sub exspectationis suæ desiderio pene impatienter laborabat. Vultis audire quam invitus vivebat qui in speluncæ suæ ostio stabat? *Tolle a me*, inquit, *Domine, animam meam, neque enim melior sum quam patres mei* (*III Reg.* XIX). Quid autem, quæso, est quod vultum suum operuit quando Dominum transeuntem habuit qui in idipsum sic suspensus stetit? An forte sub Dominica præsentia imperfectum suum perfectius agnovit et imperfectionem suam videri erubuit? Videre tamen voluisti qui videri timuisti. O quam multi sunt qui jam se paratos credunt, et tamen sub ipso visitationis suæ articulo illic trepidant timore, ubi antea non erat timor, et exitum quem prius anxie requirebant jam fieri formidant!

CAPUT XI.

Quomodo post multam desiderii sui fatigationem alii soleant, alii non soleant ex visitante gratia super semetipsos levari.

Ecce qui stando præstolatur, nec ostium exisse, nec Domino occurrisse legitur. De spelunca tamen, sed velata facie, prospexit, vocemque transeuntis in transitu audivit, et qui jam ad requiem suspiraverat quid adhuc cum facere oporteat ex Domini revelatione cognovit. Alius autem ad Domini adventum de tabernaculo prosilivit, et revelata facie advenienti occurrit, introducit, pascit et pro desiderii voto Dominicam promissionem accipit; Sabaoth quæstionibus pulsat, futurorumque præscientiam accipiens, in illud divinorum judiciorum secretarium intrat. Quid autem est de habitaculo suo in Domini transitum attendere, nisi ex his quæ circa se divinitus geruntur, divinæ dispositionis moderamen cooperationisque ejus gratiam subtiliter intelligere? Dum cum spiritum vehementem commotio, commotionem ignis, ignem sibilus auræ levis sequitur, transeuntis Domini præsentia deprehenditur, quia dum mens magnis mirisque qui-

Digitized by Google

busdam perturbationibus subito sæpe sentit se totam concuti, et modo nimio tremore dejici, modo nimio dolore excoqui, vel pudore confundi, et iterum præter spem et æstimationem ad magnam animi tranquillitatem seu etiam securitatem componi, velit nolit, visitantis gratiæ operationem perpendit et divinitus hæc actitari luce clarius agnoscit. Deum autem præsentem sed quasi transeuntem habemus, dum luminis illius contemplationi diutius inhærere necdum sufficimus. Admonentis autem Domini, seu etiam instrumenti vocem audire est, quæ sit voluntas ejus bona beneplacens atque perfecta ex ejus inspiratione cognoscere. Sed ille quasi de tabernaculo in advenientis Domini occursum egreditur, egressus autem quasi facie ad faciem intuetur, qui per mentis excessum extra semetipsum ductus, summæ sapientiæ lumen sine aliquo involucro, figurarumve adumbratione, denique non per speculum et in ænigmate, sed in simplici, ut sic dicam, veritate contemplatur. Exterius visum introrsum trahit quando in quod per excessum vidit multa retractatione, vehementique discussione, capabile, seu etiam comprehensibile sibi efficit, et tum rationum attestatione, tum similitudinum adaptatione, ad communem intelligentiam deducit. Tunc vero vitulus mactatur, unde Dominus pascatur, quando mens hominis his promotionis gradibus roborata, aliquid de propriæ voluntatis beneplacito abscindit, quod prius libenter fovit atque custodivit, quando id de propriis studiis, vel usibus amputat, unde divinæ contemplationi perfectius inhærere, vel divinæ propitiationi altius placere se sperat. Dominum pascimus quando virtutum nostrarum victimis, ampliatoque arctioris vitæ proposito, charitatis ejus in nos benevolentiam nutrimus, et accrescimus : *Ecce*, inquit, *pulso ad ostium; si quis aperuerit mihi, intrabo ad ipsum, et cœnabo cum illo* (*Apoc.* III). Cum Domino sane apud nosmetipsos comedimus, quando id ejus obsequio libenter impendimus, et in eo ejus beneplacito deservimus, unde illius in nos benevolentiam, unde nostram in ipsum fiduciam augeamus. Ex hac fiduciæ accumulatione agitur, ut ad diu cupitam, multumque desideratam gratiam mens præter spem, et supra æstimationem subito animetur. Egredientem vero Dominum prosequimur, quando præceptæ divinitus intelligentiæ diligenter insistentes, per id, quo de cognita divinitatis luce miramur, ad altiora contemplanda supra nosmetipsos levamur, et revelantis gratiæ vestigiis inhærentes pereuntem Dominum comitamur. Post egressum autem cum stante Domino stare, est in illo celsitudinis statu revelatæ luci per contemplationem diutius inhærere. Stanti Domino assistit, qui totum humanæ mutabilitatis lubricum, ambiguitatisque incertum, alta mentis sublevatione transcendit, et in illo æternitatis lumine defixus, inspectæ imaginis in se similitudinem trahit : *Nos*, inquit Apostolus, *omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (*I Cor.* III). In hac mentis sublevatione humana intelligentia, sæpe illam divinorum judiciorum abyssum ingreditur, et ad futurorum etiam, uti jam dictum est, præscientiam eruditur.

CAPUT XII.

Quod ea quæ per excessum mentis solent videri, alia possunt, alia omnino non possunt ad communem intelligentiam inclinari.

Notandum itaque quod modo extra positi visum Dominum introrsum trahimus, modo intus positi cum exeunte eximus. Nam hoc quod de Domini claritate per mentis excessum cognoscitur, quandoque etiam post modum a sobria mente comprehenditur, et sæpe ex eo quod apud nosmetipsos sobrii rimamur, præ admirationis magnitudine in mentis alienationem abducimur. Item et illud notandum quia extra positi visum Dominum modo introducimus, modo non introducimus. Nam et Abraham ad secundam egressionem Dominum reduxisse non legimus. Quædam namque ejusmodi sunt, quæ humanam intelligentiam excedunt, et humana ratione investigari non possunt, et tamen, uti superius jam dictum est, præter rationem non sunt. Cum igitur ejusmodi quælibet per mentis excessum discimus, cognitam exterius visionem quasi nobiscum reportamus, si consona ratione ea ipsa postmodum deprehendimus, quæ prius per revelationem dicimus. Sed illa quæ et supra rationem et præter rationem esse videntur, quando per revelationem et quasi in extasi discuntur, quia eorum rationem postmodum ad nos reversi nulla humana æstimatione comprehendere, vel assignare sufficimus, cognitam visionem quasi extrinsecus relinquimus cujus tantummodo velut memoriam quamdam retinemus. Quid enim ait Scriptura ? *Abiit*, inquit, *Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham, et ille reversus est in locum suum* (*Gen.* XVIII). Dominus recedit, et Abraham revertitur, quando subtracta revelationis gratia, intellectualis sensus ad communem statum revocatur. Ad primam itaque egressionem Abraham illum quem vidit multa fatigatione ad se intrare compulit. Ad secundam autem egressionem post diutinam visionem, longamque confabulationem omnino non reduxit. Exterius visum nobiscum introducimus cum theophaniam raptim perceptam ad communem intelligentiam ratiocinando postmodum paululum inclinamus. Exterius visus minime introducitur, quando theorica revelatio quanto magis juxta humanam rationem discutitur, eo amplius omni humanæ opinioni adversari videtur. In ejusmodi enim speculatione antequam animus ad consueta redeat, Dominus abit, longiusque recedit, et incomprehensibilitatis suæ magnitudinem visionis elongatione ostendit. Hæc itaque duo rerum genera quæ in hac gemina visione ex Dominica revelatione cognoscuntur, ad prædictos illos duos cherubin spectare vi-

Digitized by Google

dentur. Hæc sane illa et digna satis materia unde excudenda est angelica forma, pennataque animalia. Ex hac nobis materia cherubin formamus, quando fidei nostræ arcana quæ vel ipsi per revelationem didicimus, vel a theologicis viris accepimus, assuescimus in contemplationem adducere, et in eorum admiratione animum nostrum suspendere, et pascere, humiliare, et in divinorum desiderium acriter inflammare. Debemus itaque, juxta Abrahæ et Eliæ exemplum, in ipso habitationis nostræ exitu et velut in ostio Dominicum adventum exspectare. Debemus, juxta divinum documentum, cherubin nostrorum alas expandere, et in revelantis gratiæ occursum rapidis desideriorum passibus festinare.

CAPUT XIII.

Quod omni hora anima sancta et contemplativa ad susceptionem gratiæ debeat esse parata.

Semper debet anima sancta et veri sponsi amica ad dilecti sui adventum summo cum desiderio inhiare, parata semper et vocanti occurrere, et pulsanti aperire. Debet, inquam, semper in hoc sollicita esse et parata inveniri, ne subito et inopinate adveniens eam minus comptam, minus ornatam inveniat vel diu exclausus diutinæ præstolationis ullam molestiam sustineat. Molesta satis verba æstuantique desiderio multum onerosa. *Manda, remanda, manda, remanda; exspecta, reexspecta, exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi* (*Isa.* XXVIII), verba sunt sane animæ pigræ, animæ tepidæ, minus circumspectæ et nimis ingratæ. Quid enim dicit hujusmodi anima et in suis sordibus inventa, cum se dolet inopinato diligentis adventu præveniri, et erubescit se minus compositam, minus ornatam inveniri? Certe, inquit, adventum tuum præscire debuissem ut te solemniter susciperem, et ea qua deberem alacritate tibi occurrerem. De cætero ergo mihi adventum tuum prænuntia, et nuntio præeunte adventus tui horam præmanda. Nuntius itaque intercurrat, qui me quid me facere velis edoceat. Nuntius, inquam, inter nos medius discurrat qui me de singulis instruat, doceat me non solum super statu meo, sed etiam de statu tuo. Doceat quomodo apud te sit, vel quid tibi de me placuerit. Manda itaque atque remanda, nuntia atque renuntia. Non decet amantes mutua studia, mutua in alterutrum desideria nescire, nec sufficit æstuanti animo ardenti desiderio semel audire. Obsecro ergo, manda, remanda, manda, remanda. Forte multum amat, multum æstuat quæ sic instat, quæ tam importune internuntia quæritat. Videamus ergo quid faciat. Ecce juxta verbum suum nuntiis sæpe missis, sæpe remissis, tandem aliquando nuntios suos subsequitur, ut cupitis amplexibus perfruatur, et mutua dilectione foveatur. Ecce jam præ foribus stat, ecce jam ad ostium pulsat. Ecce vox dilecti tui pulsantis : *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, cincinni mei guttis noctium* (*Cant.* v). Quid, obsecro; quid, inquam, profuit, quod nuntios præmisit, qui ostium clausum reperit? Ad vocem vero dilecti, cur saltem non statim prosilis, aperis, introducis, et in amplexus ruis? *Exspoliavi me*, inquit, *tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* (*Ibid.*) Exspectet tamen modicum, si vult, ut suscipiam illum; pulsat et introitum postulat, et dicis : Exspecta; ecce iterum pulsat, et dicis : Reexspecta. Et quid, inquis, est magnum, si exspectat modicum? O quantum timeo ne istud modicum protrahas in longum, donec transeat et declinet, diu multumque fatigatus discedat. Ostendit hoc illa vox tua, et nimis sera querela : *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat, atque transierat* (*ibid.*). Sed ecce iterum rediens, priorisque contemptus injuriam non reputans, stat post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Audi vocantem, quæ volnisti suscipere pulsantem. En dilectus tuus loquitur tibi : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni* (*Cant.* II). Cur non statim exsilis, occurris, apprehendis et oscula jungis? Quid adhuc dicis : Exspecta? Ecce adhuc exspectat, ecce iterum vocat : *Surge, amica mea, sponsa mea, et veni in foraminibus petræ, et in cavernis maceriæ* (*ibid.*). Quid tu? Reexspecta adhuc modicum. O anima ingrata, o viscera dura, usquequo affligis amicum tuum, usquequo fatigas dilectum tuum? Pulsat, et non vis aperire; vocat, et non vis exire. Pulsat semel et iterum, et tu eum exspectare, tu eum reexspectare jubes modicum, et modicum. Vocat semel, vocat iterum, tu nihilominus eum exspectare et reexspectare cogis, modicum et modicum. Modicum in uno loco, et modicum in alio, modicum ibi. Cogitur itaque dilectus tuus facere sæpe, et multum, quod tu dicis modicum et modicum. Nam modicum et modicum protrahis in longum, et longum, et in hunc modum fraudas amicum tuum, et fatigas dilectum tuum. O quanto satius, o quanto rectius foret, ut præ foribus observares, ut cum Abraham vel Elia dilectoris tui adventum exspectares, advenienti occurreres, et cum exsultatione susciperes. Deberes sane sicuti dilecti tui columba in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ suspensis alis, colloque protenso foras prospicere, et unici tui adventum cum columbino quodam cantu et gemitu quærere et exspectare. Sed forte adhuc nostri cherubin alas non habent, vel si habent, expansas nondum habent. Nondum fortassis opus nostrum ad plenum formavimus, necdum formam illam angelicam ex integro, juxta Dominicam sententiam, consummavimus.

CAPUT XIV.

Quam sit paucorum, ad susceptionem gratiæ animum semper habere paratum.

Taceo de illis qui foris sunt, qui spiritualem dilectionem, necdum scire potuerunt, qui Domini mandata ex doctorum quotidie dictis, vel scriptis audiunt, nec tamen acquiescunt, quotidie peccantes,

Digitized by Google

quotidie pœnitentiæ tempora dari sibi postulantes. Ex quibus dum quidam verba vitæ libenter audiunt, quid aliud per studium, quam manda, remanda dicunt? Et dum quotidie peccatis peccata accumulant, quid aliud, quam exspecta, reexspecta per desiderium clamant, quotidie spatium pœnitentiæ postulantes, et resipiscendi tempus quotidie proponentes, quotidie prolongantes? Certe ad satiandum desiderium suum totum hujus vitæ spatium carnali menti videtur permodicum. Et dum ejusmodi anima modo in altera, multa tempora expendit, totumque tamen velut momentaneum reputat, quid, quæso, aliud in divinæ patientiæ aure, quam modicum ibi, modicum ibi resonat? Sed de his interim tacentes, quid de nobis, obsecro, dicturi sumus, qui habitum religionis suscepimus, qui spiritualibus exercitiis mancipati sumus, qui divinæ dilectionis assidue quasdam velut arrhas accipimus? Maxime tamen nos quid, quæso, dicemus, qui nil aliud injuncti officii habemus nisi legere, psallere et orare, meditari, speculari et contemplari, vacare et videre quam suavis est Dominus? Nunquidnam nos non pudebit eadem dicere, et dilectum nostrum in hujusmodi verbis fatigare? *Manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta, exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi* (*Isa.* xxviii). Quotidie, ni fallor, vos qui lectioni vel meditationi insistitis ejus nuntios suscipitis, mandata cognoscitis. Quoties ex abditis Scripturarum recessibus novos intellectus eruimus, quid aliud quam quosdam dilecti nostri nuntios excipimus? Huic sane negotio subservit omnis sacra lectio, sagaxque meditatio. Alii itaque legentibus, alii meditantibus divinorum secretorum internuntii occurrunt, qui dilecti nostri ad nos mandata perferant, et de singulis instruant. Et sæpe fit ut una eademque Scriptura, dum multipliciter exponitur, multa nobis in unum loquatur, moraliter nos docens quid dilectus noster facere nos velit, allegoriter admonens quid pro nobis per semetipsum fecerit, anagogice proponens quid adhuc de nobis facere disponit. In hunc itaque modum nobis sæpe mandat et remandat, et quasi per unum nuntium multa nobis denuntiat. Sæpe unum idemque mandatum sub variis ænigmatibus et figuris proponitur, ut mentibus altius imprimatur. Et dum idem nobis multis modis et multoties dicitur, quid aliud quam idem sæpe mandari et remandari videtur, et quam multi sunt qui hujusmodi nuntios quotidie accipiunt. De pristino tamen tepore vel negligentia parum, aut penitus nihil corrigere volunt. Sitiunt sane unde possint gloriari, non autem ædificari. Scientiam quidem non sanctitatem affectant, et non tam sancti quam scioli esse desiderant. Dum igitur quotidianis usibus novos sensus, novos intellectus quæritant, quid aliud quam manda, remanda; manda, remanda, per affectum vel studium clamitant? Hujusmodi nuntios quotidie excipimus, et aliis aliisque sæpe supervenientibus, alios aliosque adhuc quotidie importune exigimus, et in auribus Domini Sabaoth fortiter inclamamus : *Manda, remanda; manda, remanda.* Sed quanto magis copia dictorum nuntiorum abundat, tanto sane acerbius, tanto molestius propria nos conscientia accusat et cruciat. Hinc fit sæpe ut vitam nostram corrigere disponamus, semper tamen differamus. Et dum hoc fieri in futuro proponimus, fit ut illud futurum semper sit futurum, imo fortassis nunquam futurum. Sæpe autem aliquod certum futurum determinatur quo corrigatur vita nostra, et dicitur interim dilecto nostro exspecta, et cum futurum illud in præsens vertitur, item in aliud futurum transfertur, et dicitur reexspecta. Quam multi sæpe proponunt fortiterque apud se statuunt, ut si ex alienis affectibus, quibus interim implicantur, semel detur se posse explicare, nunquam amplius in eadem velle recidere, et interim, modicum illud se postulant exspectari, et cum eosdem forte affectus amiserint, potius quam absciderint, vehementer satagunt resarcire quod perdiderunt, et item adhuc modicum se volunt, et petunt reexspectari. Sane hoc dicunt, modicum et modicum. Quidquid namque non satiat desiderium, quantumcunque sit, affectui videtur parum. Modicum itaque et modicum se exspectari et reexspectari petunt qui ejusmodi sunt. Modicum ibi, et modicum ibi, modicum et modicum sæpe sub affectu uno, tempore tamen alio et alio, ibi et ibi sub affectu uno, et altero, et tempore tamen uno. Et in his omnibus dilecto nostro cantamus canticum odiosum : *Exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi.* Quando putas ejusmodi anima pigra et tepida poterit ductile illud opus formare et angelicam formam excudere, præsertim cum opus sit in hoc opere alarum expansione, urgente in idipsum Dominica utique jussione, in tantum ut numquam in hujusmodi studio liceat desideriorum nostrorum pennas ab intentionis elevatione deponere?

CAPUT XV.

Quod sit arduum, vel difficile, cuivis perfectæ animæ seipsam ad semetipsam totam colligere, et in solo Divinitatis desiderio requiescere.

Non dicam annua, non dicam menstrua vel diurna, sed permodica admodum morula impatienti desiderio satis est molesta. Spes siquidem quæ differtur, affligit animum. Debent itaque veri amici dilecta, et veri dilecti amica, ut superius jam dictum est, prompta semper, et parata esse, et pulsantem amicum absque ulla dilationis injuria suscipere, et vocanti cum omni alacritate occurrere. Scimus autem quia singularis amor consortem non recipit, socium non admittit. Vide ergo ne tunc primum incipias perstrepentium turbas ejicere velle, cum jam ipse cœperit ad ostium pulsare. Alioquin quid jam eris dictura, cum apud te tunc temporis fuerit ejusmodi turba inventa; quid, inquam, eris dictura, nisi exspecta, reexspecta? Exspectandum sane, itemque reexspectandum ad ejiciendum turbam extraneorum, ad ejiciendum familiam tuo-

Digitized by Google

rum. Omnes cogitatus, tam vani quam noxii, extranei judicandi sunt, qui nulli nostræ utilitati deserviunt. Illos vero quasi domesticos, vel famulantes habemus, quos nostris usibus, vel utilitatibus implicamus. Quoniam vero singularis amor solitudinem amat, solitarium locum requirit, totam hujusmodi turbam nec solummodo cogitationum, verum etiam affectionum, oportet ejicere, ut dilecti nostri amplexibus, quanto liberius, tanto jucundius liceat inhærere. Quanta, quæso, in hujusmodi exspectatione mora, quotiesve repetendum, exspecta, reexspecta, modicum ibi, modicum ibi? Modicum in uno loco, modicum in alio. Modicum in horto, modicum in vestibulo, modicum in thalamo, donec tandem aliquando post multam exspectationem, post multam fatigationem cubiculum introeat, et intimum atque secretissimum locum obtineat. Modicum in horto, dum tumultuantium turba digeritur; modicum in vestibulo, dum thalamus adornatur; modicum in thalamo, dum lectulus sternitur. Et cogitur dilectus omnibus his locis exspectare modicum et modicum, modicum ibi et modicum ibi. Ex hortulo auditur, in vestibulo videtur, in thalamo deosculatur, in cubiculo amplexatur. Auditur per memoriam, videtur per intelligentiam, deosculatur per affectum, amplectitur per applausum. Auditur per recordationem, videtur per admirationem, deosculatur per dilectionem, amplexatur per delectationem. Vel si hoc melius placet, auditur per revelationem, videtur per contemplationem, deosculatur per devotionem, astringitur ad dulcedinis suæ infusionem. Auditur per revelationem, donec voce ejus paulatim invalescente, tota perstrepentium *tumultuatio* sopiatur, solaque ipsius vox audiatur, donec omnis illa tandem tumultuantium turba dispareat solusque cum sola remaneat, et solum sola per contemplationem aspiciat. Videtur per contemplationem, donec ad insolitæ visionis aspectum pulchritudinisque admirationem paulatim anima incalescat, magis magisque inardescat, et tandem aliquando tota incandescat donec ad veram puritatem, internamque pulchritudinem tota reformetur, et ille internæ habitationis thalamus purpura, et bysso hyacintho coccoque bis tincto undique perornetur, donec tandem aliquando thalamo ornato, et introducto dilecto, fiducia jam invalescente desideriique perurgente, cum se ulterius jam cohibere non valeat, subito in oscula ruat, et impressis labiis intimæ devotionis oscula figat. Per devotionem sæpe et multiformiter deosculatur, dum interim cubiculum sternitur donec intimus animæ sinus ad summam pacem et tranquillitatem componatur, donec tandem, dilecto inter ubera collocato, ad ineffabilem quamdam divinæ dulcedinis infusionem tota in illius desiderium liquescat, et spiritus ille qui Domino adhæret unus spiritus fiat. Puto quia experta tanta dulcedine, et tam intima suavitate, de cætero jam non possit anima illa pulsante dilecto aliquas moras innectere, vel ulla exspectatione fatigare, nec ulterius pro hac parte dictura sit exspecta, reexspecta, præsertim cum sibi ipsi omnis mora nimis longa et exspectatio videatur onerosa. Deinceps, ut arbitror, cum Abraham patriarcha, seu etiam Elia propheta, ad habitationis suæ introitum libenter observabit, ut ad dilecti sui susceptionem semper parata sit. Sub hoc tempore, ut arbitror, illud opus nostrum ductile incipit non mediocriter proficere et consummationi appropinquare, eo quod illi nostri cherubin incipiant alas suas jam latius extendere, et sese jam quasi ad volatum omni hora suspendere.

CAPUT XVI.

Quam sit pene impossibile cuivis animæ seipsam extra semetipsam totam effundere, et supra semetipsam ire.

Sed quamvis jam prompta sit tunc temporis ejusmodi anima advenientem suscipere, nescio si et æque parata et expedita sit vocanti occurrere. Timeo ne adhuc pro hac parte dilecto suo omnino sit dictura: Exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta; modicum ibi, et modicum ibi. Puto enim non esse ejusdem facilitatis suscipere venientem et sequi vocantem. Aliud est cum ipso introire, atque aliud est ad ipsum exire. Ibi anima ad seipsam revertitur et cum dilecto suo usque ad intima cordis sui penetralia ingreditur. Hic extra semetipsam ducitur, et ad sublimia contemplanda sublevatur. Quid namque est ejus introire, nisi se totam in seipsam colligere? Quid vero est ejus exire, nisi seipsam extra semetipsam totam effundere? Nihil itaque aliud est animam cum dilecto suo in cubiculum ingredi, et solam cum solo morari, dulcedineque profrui, nisi exteriorum omnium oblivisci, et in ejus dilectione summe et intime delectari. Se solam cum dilecto videt, quando exteriorum omnium oblita ex propria consideratione in dilecti sui dilectionem desiderium suum perurget, et ex his quæ in intimis suis considerat animum suum in ejusmodi affectum inflammat, et tam ex bonorum quam ex malorum suorum consideratione in gratiarum actionem assurgit, et hinc pro impensa gratia, hinc pro indulta venia intimæ devotionis victimas persolvit. Usque in intimum dilectus perducitur et in optimo collocatur quando ex intimo affectu et super omnia diligitur. Cogita quid sit quod in vita tua ardentius dilexisti, anxius concupisti, quod te jucundius afficiebat cæterisque omnibus profundius delectabat. Considera ergo si eamdem affectionis violentiam, delectationisque abundantiam sentis, quando in summi dilectoris desiderium inardescis, quando in ejus dilectione requiescis. Cui dubium sit quod intimum illum affectionis tuæ sinum necdum teneat, si intimæ dilectionis aculeus animam tuam in divinis affectibus minus penetrat, tepidius exagitat quam in alienis affectibus aliquando penetrare vel exagitare solebat? Sed si tantam prorsus vel forte validiorem dilectionis, vel delectationis violentiam in intimis tuis circa divina perspexeris, quam alias unquam expertus fueris, vide adhuc si forte aliud aliquid

Digitized by Google

in quo delectari vel consolari possis. Certe quandiu possumus ex aliena qualicunque re consolationem, vel jucunditatem concipere, nondum audeo dicere dilectum nostrum intimum ardentissimi amoris sinum tenere. Satage, festina trahere eum adhuc ad interiora et secretiora cordis tui penetralia, quæcunque es adhuc ejusmodi anima. Quis enim neget intimum illud cordis humani penetrale tales recessus habere, seu etiam obtinere posse, in quibus summi et singularis amoris violentia cum aliquid per affectum infixerit, aliena omnino delectatione avelli non possit? Certe si alienam aliquam consolationem quæris vel recipis, Deum tuum quamvis fortassis summe, nondum tamen singulariter diligis. Nondum ergo in intimum perducitur, nondum in optimo collocatur. Si ergo non satagis introducere eum ad intima tua, quomodo te credam velle, vel posse sequi eum ad sublimia sua? Certum ergo signum tibi sit, quæcunque es, anima, quod dilectum tuum minus diligis, vel ab illo minus diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocari, vel vocantem sequi nondum merueris. Quomodo enim perfecte diligis vel diligeris, si in summorum desiderio ad superna non raperis et in anagogicos illos conatus mentis alienatione non transis? Vis nosse quia sublimitas divinarum revelationum sit manifestum divinæ dilectionis indicium? *Jam non dicam*, inquit, *vos servos, sed amicos; quia omnia nota feci vobis quæ audivi a Patre meo* (*Joan.* xv) Attende et illud quia ex magnitudine divinæ dilectionis pendet modus divinæ revelationis : *Comedite*, inquit, *amici, et bibite, et inebriamini, charissimi* (*Cant.* v). Ecce qui amici et chari sunt comedunt, qui vero charissimi bibunt imo non solum potantur, sed etiam inebriantur. Certe qui comedunt dum sumptum cibum masticant, non sine mora, vel qualicunque labore, illud in quo delectantur trajiciunt. Qui vero bibunt, cum summa velocitate vel facilitate illud quod sitiunt traducunt. Nunquid ergo non illi tibi videntur comedere qui cum multo studio et longa meditatione vix possunt ad veritatis delicias pertingere? Bibunt autem quodammodo qui ex divinis revelationibus summa cum facilitate et jucunditate hauriunt quod de intima veritatis suavitate ardenter concupiscunt. Chari ergo comedunt, sed charissimi bibunt, quia secundum mensuram dilectionis dispensatur et modus manifestationis. Ebrietas autem mentis alienationem efficit, et supernæ quidem revelationis infusio eos duntaxat qui charissimi sunt in mentis excessum abducit. Talem Propheta ebrietatem designare voluit, cum dixit : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* xxxv). Si igitur concupiscimus hac ebrietate madere, et hoc mentis theoricos excessus frequentare, satagamus Deum nostrum intime et summe diligere, et omni hora in divinæ contemplationis gaudium summo desiderio anhelare, et hoc erit nostros cherubin expansas alas habere. Ecce jam quanto labore sudavimus, ecce quam multa in id- A ipsum circumlocutione usi sumus, ut cherubin nostri alas suas sufficienter expanderent, et propitiatorio nostro quale oportet obumbraculum obtenderent.

CAPUT XVII.

De his quæ specialiter pertinent ad quintum genus contemplationis.

Restat modo et illud quærere, cur se debeant dicti cherubin mutuo respicere, et in respiciendo vultum in propitiatorium vertere : *Respiciant se*, inquit, *mutuo versis vultibus in propitiatorium* (*Exod.* xxv). Diximus autem superius quia ad primum cherubin pertinent ea quæ sunt supra rationem, nec tamen præter rationem; ad secundum autem cherubin ea quæ sunt B supra rationem, et videntur esse præter rationem. Secundum hanc itaque distinctionem videte ne forte ad primum cherubin specialiter pertineant ea quæ considerantur circa divinæ illius summæ et simplicis essentiæ unitatem; ad secundum autem cherubin ea quæ considerantur circa personarum Trinitatem: quam multa enim sunt quæ de personarum Trinitate creduntur, asseruntur, et Scripturarum auctoritate probantur, quæ omnino videntur naturæ repugnare, et omni humanæ rationi contraire. Recte itaque ejusmodi omnia ad secundum cherubin pertinere dicuntur, in qua illa quæ humanæ rationi repugnant, in contemplationem adducuntur. Quæ autem circa Divinitatis unitatem considerantur in una et simplici natura, videamus quam sint humanæ C intelligentiæ modum excedentia, cum tamen nihilominus sint rationi consentanea, et idcirco maxime ad primum cherubin, hoc est ad primum contemplationis genus pertinentia. Certe principale illud, et summum omnium credimus vere simplex et summe unum, et in illo uno et simplici bono esse omne bonum. Quantum ad essentiam nihil illo simplicius, quantum ad efficaciam nihil illo multiplicius. Quantum ad essentiam, quid illo simplicius quod vere et summe unum est; quantum ad efficaciam quid illo multiplicius quod vere et absque ulla dubitatione omnia potest? Vide quam sit difficile humana ratione comprehendere omne quod est, et tunc intelliges quam sit incomprehensibile illud bonum in quo D omne bonum est. Supra rationem est comprehendere quomodo bonum illud vere simplex et summe unum, omne bonum bonum sit. Verumtamen huic assertioni ratio humana facile acquiescit et sua attestatione alludit, considerans et affirmans et veraciter contestans quia plenum atque perfectum et omnino sufficiens non esset si in illo summo et sempiterno bono boni aliquid defuisset. Quomodo ergo comprehendi potest quod immensum et infinitum est? *Magnus*, inquit, *Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis* (*Psal.* cxliv). Sed quis sensus potest capere, quæ ratio comprehendere, quomodo possit simul utrumque esse et vere simplex si est immensum, et summe unum si est infinitum, et tamen ratio cum ratiocinatione ab

Digitized by Google

testatur quia vere simplex est quod veraciter compositum non est, quia omne quod compositum est naturaliter dividi potest, et quod naturaliter est divisibile secundum aliquid est et commutabile. Consentit ergo ratio vere simplex esse, quoniam oportet incommutabile esse, quod constat optimum et summum omnium esse : *Apud quem*, inquit, *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* v). Si igitur bonum est incommutabile esse, bonum et æque erit simplex esse. Consequens ergo est quia summe simplex est quod summe bonum est. Si ergo illo nihil simplicius, nihil est illo subtilius, et quo nihil subtilius, nihil illo profundius et profundissimo nihil inscrutabilius, et consequenter nihil incomprehensibilius. Videamus adhuc quid ex mutua collatione proveniat simplicitatis et immensitatis, unitatis et universitatis. Si omne bonum ibi est, et quidquid ibi est, summe bonum est ; ergo summa potentia, ergo summa sapientia, summa bonitas, summa felicitas. Illi vero summa simplicitas est, totum quod est unum idemque ipsum est. Unum itaque idemque est ei esse, et vivere, intelligere, et posse bonum et beatum esse, et vide quam hoc sit incomprehensibile. Non ergo est aliunde potens, aliunde sapiens, aliunde bonus et aliunde beatus. Cogita ergo quæ sit illa potentia cui est idem facere quod fieri velle. Attende quæ sit illa sapientia, cui idem est posse quod scire. Pensa quæ sit illa bonitas, cui quidquid placet eo ipso decet quod placet, cui quidquid displicet eo ipso dedecet quod displicet. Considera quæ sit illa vita cui idem est esse, quod beatum esse. Item et illud attende, quia si vere omnipotens est, et ubique potest. Potentialiter ergo ubique est, et ubi locus est, et ubi locus non est. Si vero potentialiter et essentialiter, quia non est alia ejus potentia et alia ejus essentia. Essentialiter ergo est intra omnia et extra omnia ; infra omnia et supra omnia. Si intra omnia, nihil illo secretius ; si extra omnia, nihil illo remotius : si infra omnia, nihil illo occultius ; si supra omnia, nihil illo sublimius. Quid ergo illo incomprehensibilius quo nihil secretius, nihil remotius, nihil occultius, nihil sublimius? Item si in omni loco est, nihil illo præsentius. Si extra omnem locum est, nihil illo absentius. Sed nunquid eo ipso absentius quo omnium præsentius, et eo ipso præsentius quo omnium absentius cui aliunde et aliunde non est esse omne quod est? Sed si absentissimo nihil est præsentius, si præsentissimo nihil est absentius, quid illo mirabilius, quid illo incomprehensibilius? Item si non est aliud ejus potestas, et aliud ejus felicitas, ubicunque summa potestas ibi et summa felicitas. Summa ergo felicitas ubique est. Quomodo ergo vel in inferno summæ miseriæ locus esse potest, vel potest quisquam miser esse, cui summa felicitas nusquam potest abesse, nunquam deesse? Hæc omnia mira et vere incomprehensibilia. Multa, imo pene infinita circa Divinitatis unitatem, et veræ unitatis considerationem ratio approbat, cum tamen non comprehendat. Ejusmodi itaque omnia supra rationem sunt, nec tamen præter rationem sunt, et eo ipso, secundum superius dictam determinationem, ad primum cherubin se pertinere ostendunt.

CAPUT XVIII.

De his quæ specialiter pertinent ad sextum genus contemplationis.

Circa personarum autem Trinitatem, Trinitatisque speculationem, quam multa firmiter creduntur, veraciter asseruntur, quæ tamen non solum supra rationem, sed etiam contra rationem esse videntur. Credimus unum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, Patrem a nullo, Filium a Patre solo, Spiritum sanctum a Patre et Filio, Filium nascendo, Spiritum sanctum procedendo. Credimus itaque unum eumdemque in personis trinum, et in substantia unum. Unde alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, nec tamen aliud est Pater quam Filius, nec aliud Pater vel Filius quam amborum Spiritus. Nam alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti, cum sit omnibus una substantia, eadem essentia, et sola natura. Hæc omnia credimus, hæc omnia profitemur, et constant veraciter esse, et tamen in his omnibus, si juxta humanam æstimationem pensentur, videtur humana ratio fortiter repugnare. Si Pater est ingenitus, Filius unigenitus, eritne substantia Patris ingenita, Filii genita? Et cum utriusque sit una eademque substantia, eritne eadem ipsa genita et ingenita, hoc est genita et non genita? Nunquid eadem ipsa gignit seipsam, et gignitur a seipsa? Nunquid ergo eadem ipsa gignitur et non gignitur ; nascitur et non nascitur? Si Filium nasci dicimus, quid de ejus nativitate dicemus. Nunquid ejus nativitas æterna non erit, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio* (*Jac.* v).

Si ejus nativitas aliquando non fuit, quomodo Patri coæternus, vel coæqualis? Et si aliquando non erit, quomodo illa natura incommutabilis erit in qua aliquid transit? Si semper fuit, quomodo ab alio esse accepit, qui nunquam esse incœpit, sine quo Pater nunquam esse potuit? Et quomodo ejus nativitas perfecta est, si adhuc futura est? An forte iteratur semper, ut possit esse semper? Nunquid ergo jam non una, sed multiplex et infinita erit, quam in infinitum iterare oportebit? Quidquid vero de Filii nativitate dicitur, vide ne forte et circa Spiritus sancti processionem eadem ratiocinatione quærere possimus. Ecce et ista si juxta humanam æstimationem pensentur, humanæ rationi repugnare videntur. Si Spiritus sanctus cum Patre ejusdem potentiæ est, nunquid et ipse potest quidquid et Pater potest? Nunquid ergo talem Filium qualem et Pater gignere potest? An forte Filium gignere potentia non est, et talem Filium qui omnipotens est? An forte non vult, cum possit? Quomodo ergo eamdem cum Patre voluntatis similitudinem, similitudinisque plenitudinem possidebit? Multa in hunc

Digitized by Google

modum, et pene innumera circa personarum Trinitatem invenies, quæ humanæ rationi non solum incomprehensibilia, sed etiam dissona reperies. Multa, inquam, ejusmodi invenies circa personarum Trinitatem, multa ejusmodi in Verbi incarnatione circa substantiarum unionem.

Quid, quæso, est in quo humanitas et Divinitas unitæ sunt, ut una persona esse possint? Nunquid aliquid quod hominis est, vel aliquid quod Dei est, vel aliquid quod utriusque est? Sed si utriusque non est, quomodo in eo uniri possunt quod ab alterutro alienum est? Si aliquid quod hominis est, ergo creatura est. Si aliquid quod Dei est, supra creaturam est, et jam creatura non est. Si aliquid quod Dei et hominis est, nunquid ipsum utrumque erit, et utrumque non erit, creatura scilicet et non creatura? Sed quæstio ista valde est intima, et hucusque, quantum arbitror, non mota, et idcirco fortassis rectius supprimenda. Sed de anima Christi quid dicimus, quam omnem gratiæ plenitudinem accepisse negare non audemus? Nam quidquid Pater habet ex natura, ipsa accepit ex gratia. Nam in ipsa habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss.* II). Si accepit omnem plenitudinem gratiæ, ergo et plenitudinem sapientiæ, ergo et plenitudinem potentiæ. Si ergo æqualem sapientiam, æqualem potentiam habet cum Patre (quod negari non potest), nunquid Patri æqualis erit, et creatura Creatori coæquari poterit, quod omnino fatendum non est? Sed si æqualem potentiam, æqualem sapientiam absque dubitatione habet, quomodo ei omnino coæquari non valet? Sed quid hoc de anima Christi dicimus, quando circa corpus ejus, juxta fidei assertionem, multa credimus atque tenemus quæ humana ratio impugnat et impossibilia judicat? Quando corpus suum Christus discipulis suis distribuebat, nunquid seipsum suis manibus portabat? Nunquid idem ipse erat qui portabat, et qui portabatur. Idem ipse qui dabatur? Quando a discipulis sumebatur, dentibusque terebatur, nunquid lædebatur? An forte in eo quod dabatur impassibilis erat, sicut et invisibilis erat, quamvis secundum id quod dabat sicut visibilis sic et passibilis erat? Nunquid ergo unum idemque corpus uno eodemque tempore erat visibile et invisibile, passibile et impassibile? Et vide hoc quam sit incomprehensibile, et videatur esse impossibile? Vide quam multis in locis idem Christi corpus quotidie consecratur et habetur. Nunquid ergo per partes dividitur, ut in tam multis locis habeatur? Quomodo ergo ipsum erit vere impassibile, et vere incorruptibile? An vero cum sit per tot loca dispersum, ubique manet integrum et incorruptum et omnino indivisum? Si igitur attendas in quam multis locis sit, in quam multis locis per eamdem sanctificationis virtutem esse possit, quo te, quæso, tua ducet cogitatio, nisi ut unum idemque corpus videatur tibi in infinitis locis esse posse, et hoc sub tempore uno? Sed vide idipsum quam sit non solum contra proprietatem corporum, verum etiam supra omnem proprietatem spirituum. Si igitur tam incomprehensibilia sunt, tam incredibilia videntur quæ de corpore Christi veraciter creduntur, quanto magis illa quæ circa animam Christi considerantur omnem humanam rationem longe excellentius supergrediuntur? Incomparabiliter tamen sublimiora sunt quæ circa personarum Trinitatem consideranda occurrunt. Ejusmodi itaque omnia quæ videntur humanæ ratiocinationis angustias non solum excedere, sed infatuare, recte quidem dicuntur ad secundum cherubin pertinere. Recte itaque dictum est, quia ea maxime quæ considerantur circa divinæ substantiæ unitatem pertinent ad cherubin primum, quæ vero considerantur circa personarum Trinitatem, maxime pertinent ad cherubin secundum. Ad quintum itaque genus contemplationis pertinet consideratio prior : ad sextum vero et ipsum ultimum consideratio posterior.

CAPUT XIX.

De mutua collatione duarum novissimarum speculationum.

Hoc autem de hac gemina consideratione, de quinto videlicet et sexto contemplationis genere, caute observandum, et diligenti observatione præcavendum ut sic asseremus ea quæ pertinent ad unum, ut non illa destruamus quæ pertinent ad alterum. Sic in summis illis et divinis astruamus substantiæ unitatem, ut tamen non evacuemus personarum Trinitatem, et sic confirmemus personarum Trinitatem, ut tamen non dissipemus substantiæ unitatem. Debent itaque dicti illi cherubim seipsos mutuo respicere, nec ulla intelligentiæ suæ considerationc a mutuo concordiæ consensu speculationis suæ oculos in contraria divertere. Quod multi in eo quod de summæ divinitatis unitate sentiunt, veram Trinitatis fidem evacuare contendunt, et item quam multi in eo quod de Trinitate asserunt divinæ essentiæ unitatem dissipare volunt. Arius dicit : Aliud est Pater, aliud est Filius, atque aliud est Spiritus sanctus. Recte quidem diceret si alius diceret, non aliud. Is utique in eo quod dicit, divinitatis unitatem dissolvit. Sabellius dicit : Idem Deus quando vult Pater est, quando vult Filius est, quando vult Spiritus sanctus est, ipse tamen unus est. Iste autem in eo quod loquitur vere Trinitatis fidem evacuare conatur. In hujusmodi sane cherubin nostri ab alterutro aspectu faciem avertunt, quia contraria assertione multum diversis sententiis, et sibi ipsis oppositis intendunt et acquiescunt. Secundum primum cherubin dicimus, quia unus et solus Deus est qui cuncta ex nihilo creavit. Juxta secundum cherubin affirmamus, quia alius est qui genuit, et alius est qui ad utroque procedit. Sed cherubin isti duo respiciant se mutuo et dicamus, quia unus idemque Deus est substantialiter unus et personaliter trinus. Dicimus secundum primum cherubin quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus unum sunt in substantia una, in essentia una, in natura una. Dicimus juxta cherubin secundum, quia alius est

Digitized by Google

Pater in persona, et alius Filius in persona et alius est Spiritus sanctus in persona. Respiciant se cherubin mutuo, et profitemur absque dubio, quia non sunt aliud et aliud, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, quamvis veraciter sint alius atque alius. Alius itaque est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus juxta cherubin secundum; nec tamen, aliud est Pater, aliud est Filius, aliud est Spiritus sanctus juxta cherubin primum, cum secundum mutuum respectum veraciter affirmemus, quia Pater, et Filius, et Spiritus sanctus non tres dii, sed unus Deus. Juxta secundum cherubin confitemur quia Filii substantia nostræ substantiæ in unam personam unita est. Juxta cherubin primum indubitanter affirmamus quia Patris, et Filii, et Spiritus sancti substantia una et individua est. Verumtamen juxta mutuum respectum profitemur, quia solus Filius veraciter incarnatus est. Cherubin itaque cherubin respicit, quando quod unus dicit, alius non contradicit. Cherubin cherubin respicit, quando quintum contemplationis genus illa, quæ suæ considerationis sunt, sic asserit, ut tamen quæ alterius sunt, omnino evacuare nolit. Cherubin se mutuo respiciunt, quando novissima duo contemplationum genera invicem sibi occurrunt, et mutua sibi, et veritatis concordia alludunt. Item unus cherubin alium respicit, quando (quod fieri consuevit) nostra speculatio a penultimo genere incipit, et in novissimum desinit. Vel econtrario ab ultimo incipit, et in penultimum descendit.

CAPUT XX.

De mutua collatione trium novissimarum speculationum.

Debent autem duo cherubin non solum se invicem respicere, verum etiam in ipso alterutro respectu vultum in propitiatorium vertere. Vultum suum cherubin designati in propitiatorium vertunt, quando novissima duo contemplationum genera in eo quod de sublimibus et divinis concorditer sentiunt, ab illo quæ quarto contemplationis generi subjacent, in assertionis suæ testimonium rationis similitudinem trahunt. Quartum siquidem contemplationis genus intelligimus per propitiatorium, sicut in duobus cherubin, intelligimus quintum et sextum. Sicut autem superius dictum est, quartum contemplationis genus versatur in illis maxime quæ considerari solent circa spiritum rationalem, sed creatum. Quintum vero et sextum versantur in illis præcipue quæ considerari oportet circa Spiritum divinum et increatum. Quia igitur rationalem creaturam ad Creatoris imaginem factam agnovimus, recte ab illa natura similitudinis rationem familiarius quærimus, modumque investigationis nostræ formamus. Ab illa, inquam, natura in cujus conditione divinæ imaginis vestigia vehementius impressa, et evidentius expressa, non dubitamus. Quid itaque aliud est cherubin vultus suos in propitiatorium vertere, quam in divinarum rerum speculatione, et investigatione rationalem creaturam attendere, et ex inspecta similitudine ad Divinitatis intelligentiam, altius proficere? Si miraris quomodo ille omnium opifex Deus tot et tam varias rerum species, prout voluit, in ipso mundi exordio ex nihilo in actum produxit, cogita quam sit humanæ animæ facile omni hora quaslibet rerum figuras per imaginationem fingere, et quasdam quasi sui generis creaturas quoties voluerit sine præjacenti materia, et velut ex nihilo formare, et incipiet minus esse mirabile, quod prius forte videbatur incredibile. In quo et illud invenies valde notabile, quod rerum veritatem, quæ summa veritas est, reservavit sibi, rerum vero imagines qualibet hora formandas suæ concessit imagini. Si miraris quomodo unus idemque Deus possit esse omnibus in locis non per partes divisus, sed ubique totus, attende quod una eademque anima sit per omnia corporis membra diffusa, nec tamen et ipsa per partes divisa, sed in singulis tota et individua. Quomodo igitur se habet anima pro modulo suo in corpore suo, hoc est in sui juris mundo, quem et ipsa regendum accepit. Si miraris quomodo Deus omnia, quæ in mundo geruntur, absque ulla contradictione solo voluntatis nutu, ad omne suum beneplacitum inclinat, considera quia et anima, quælibet corporis sui membra pro solo voluntatis arbitrio movet, moderatur et ordinat. Unus itaque utrobique quantum ad similitudinem, agendi modus, quamvis in æqualitatis comparatione diversus. In his omnibus primis cherubin in propitiatorium intendit dum ex rationali creatura ad Creatoris contemplationem similitudinis rationalem trahit. In hac ipsa rationali creatura, si diligenter attendimus, aliquod, ut credimus, summæ Trinitatis vestigium invenimus. Est enim ibi aliquid ex mente ipsa, hoc est ejus sapientia, et est ibi aliquid tam de mente ipsa quam de ejus sapientia, scilicet dilectio sua. Omnis enim mens sapientiam suam diligit, et idcirco sapientiæ suæ amor ex utraque procedit. Est enim sapientia a mente sola, amor vero ex mente pariter et sapientia. Sic Filius (hoc est Patris sapientia) a Patre solo, Spiritus sanctus autem (hoc est utriusque amor) a Patre et Filio. In hunc modum secundus cherubin invenit quomodo in propitiatorium considerationis suæ vultum utiliter vertere possit, si in divinarum rerum speculatione similitudinis attestationem quærit.

Notandum sane quod tria illa quæ in rationali anima consideranda occurrunt, personarum Trinitatem non faciunt, quemadmodum tria illa in Deo secundum proprietatum differentiam in tres personas dividunt. Vide ergo quia in his quæ pro similitudine adducta sunt in rationali animo ad illam summam Trinitatem major est dissimilitudo quam simili udo. Nec mirum tamen quia secundus cherubin dissimilitudinis latus in propitiatorio nostro vicinius tangit. Latus autem similitudinis quasi e longinquo respicit. Si tibi mirum sit quomodo solus Flius (Patris videlicet sapientia) incarnatus sit, quomodo in carne ad nos venit, et tamen a Patre non recessit, perpende quod et in imaginaria Trinitate sola mentis sapientia

Digitized by Google

voci humanæ incorporatur, et per vocem corporalem egreditur, egressa agnoscitur, agnita retinetur, et tamen ab illa de qua nata est mente penitus non separatur. Multa sunt ejusmodi in rationali mente propter quod secundus cherubin debeat in propitiatorium intendere. Ecce jam per expositionem tenemus quomodo duo cherubin juxta Dominicum documentum se invicem respicere habeant, tenemus nihilominus qua ratione, vel utilitate vultus suos in propitiatorium vertere debeant.

CAPUT XXI.

Quod frequentationem trium novissimarum speculationum semper comitetur frequentia divinarum revelationum.

Illud quoque non negligendum, nec sine diligenti consideratione prætereundum, quod Dominica voce promittitur, cum ad Moysen dicitur : *Inde loquar ad te desuper propitiatorio* videlicet, *et de medio duorum cherubin* (*Exod.* xxv). Cogita quam magnum sit, vel quale omni hora cum opus fuerit Deum consideret, et in qualibet necessitate, cum oportuerit divinum consilium quærere et accipere, et tunc animadvertere poteris quam sit necessarium vel utile hos tres novissimos speculationum modos familiares habere : *Inde*, inquit, *loquar ad te* (*ibid.*). De quo, quæso, loco, vel unde? *Desuper propitiatorio*, inquit, *et de medio duorum cherubin*. Si vult ergo familiare habere divinum oraculum, ascendat homo ad cor altum, et mente transcendens dictum illud propitiatorium teneat duorum illorum cherubin medium, ut per tertium contemplationis genus ascendat ad quintum et sextum. Quasi supra propitiatorium elevata mens in medio duorum cherubin versatur, quando contemplativa anima non modo corporalem, verum etiam spiritualem creaturam sublimi consideratione transcendens in summæ unitatis et Trinitatis admiratione suspenditur. Quasi per desuper propitiatorium in hujus admirationis speculum erigimur, quando ex rationalis creaturæ inspectione, divinæque imaginis consideratione ad Divinitatis agnitionem altius promovemur. Quasi inter propitiatorium et duos cherubin medii discurrimus, quando ex mutua trium novissimarum speculationum collatione ad singularum perfectionem plenius proficimus. Debemus itaque inter hæc tria spectaculorum genera libenter discurrere, et per summæ Trinitatis et unitatis speculum et imaginem ad ejusdem Trinitatis et unitatis gloriam speculandam profundius penetrare. Si illud quod de rationalis creaturæ dignitate, si et illud quod de Creatoris dignatione, vel claritate agnovimus, libenter retractamus, frequenter in considerationem et admirationem adducimus, merebimur et illa circa eadem spectaculorum genera ex divina revelatione agnoscere, quæ antea nullatenus potuimus intelligere. Hoc est quod tibi promittitur, cum dicitur : *Inde loquar ad te.* Pensa ergo quam sit utile fidei nostræ sacramenta sæpe retractare, et in frequenti memoria habere, quandoquidem ex ejusmodi studio divinarum revelationum frequentiam poterimus obtinere. Si *igitur* illa quæ de personarum Trinitate, et substantiæ unitate in Deo credimus per mentis excessum videre, et pura perspicuaque intelligentia capere nequimus, nihilominus tamen ea quæ inde catholica traditione accepimus, fide tenemus, prout nobis possibile est, in frequentem considerationem adducamus, ut ex ejusmodi studio divinarum revelationum copiam promereri possimus. Puto siquidem quia divinarum revelationum consolatio non omnino peregrina erit eis qui divinorum sacramentorum arcana fidei oculo tam frequenter quam libenter aspiciunt, quanto magis illis maxime familiaris erit, qui ea intelligentiæ oculo assidue contemplando et per mentis excessum sæpe videndo, desiderio suo satisfacere non possunt? Qui igitur Moysi officium gerit, qui curam pastoralem suscepit, cui denique ex Dominico præcepto incumbit populum Domini de domo servitutis educere, per loca solitudinis traducere, in terram promissionis introducere, debet utique inter prædicta illa tria contemplationum genera libero volatu circumferri, ut possit semper dignius inveniri qui digne debeat tam de sua quam de populi sui ignorantia quoties opus fuerit ex Domini oraculo instrui, et super quolibet incerto certificari. Si igitur agnoscere cupis ex inspiratione divina, quæ sit voluntas Dei beneplacens, atque perfecta, esto semper promptus et pronus ad novissima ista tria spectaculorum genera. Hujus exercitii merito mereberis fortasse promissionis illius veritatem probare, inde loquar ad te.

CAPUT XXII.

Quod in omni contemplationis genere contingit contemplantem mente excedere.

Quamvis autem familiare sit, et quasi proprium videatur duobus novissimis contemplationum generibus per mentis excessum videre, econtra autem quatuor primis quasi domesticum est et pene velut singulare, sine ulla animi alienatione in contemplationem assurgere, possunt tamen omnia atque solent modo utroque contingere. Nam ex illis quæ primis contemplationum generibus subjacent, possumus quædam ex divina revelatione cognoscere, et per mentis excessum contemplationis oculo cernere, et ea item quæ ad duo novissima contemplationum genera pertinent, solemus, prout novimus, et valemus secundum communem animi statum in considerationem adducere et per contemplationem videre. Sed quia illa semper quæ ad novissima duo pertinent, humanæ mentis perspicaciam excedunt, cum ea juxta consuetum omnibus animi statum in considerationem adducit, seu econtra, ut aliquid in his perspicacius et limpidius cernere possit, ipsa mens humana semetipsam excedit, et in abalienationem transit apte quidem eadem ipsa non tam humana effigie quam angelica forma mystice exprimere oportuit. Quod autem hæc omnia contemplationum genera possint per extasin cerni, mystico Moysi exemplo tenemus. Quod vero sine ullo mentis

Digitized by Google

excessu possint in contemplationem adduci, ex typico illo Beseleel opere habemus. Ut enim Moyses arcam et utrumque cherubin ex divina revelatione videre potuisset, montem ascendit, nebulam subintravit. Ut autem Beseleel mysticum illud opus operaretur et intueretur, nec montem, nec nebulam quæsisse vel subiisse legitur. Quid est autem montem subire, nisi secundum propheticam sententiam ad cor altum ascendere? Ejusmodi vero montem nubes tunc tegit, quando exteriorum omnium memoria menti excidit. In hoc monte Moyses sex diebus moratur, et in septimo de medio nubis ad Domini colloquium vocatur. Sex diebus, ut notum est, opera nostra peraginus, et in septimo requiescimus. Quasi sex ergo dies transigimus in hoc monte, quando cum multo labore, magnaque animi industria in ejusmodi sublimitatis statu assuescimus diutius permanere. Tunc autem quasi ad septimum diem venitur, quando tanta mentis sublevatio, menti in oblectamentum vertitur, et sine ullo labore subitur. Quasi ad septimum jam diem pertingitur, quando in illo sublimitatis statu, tandem aliquando, ad summam animus tranquillitatem componitur, ut non solum omnem curam et sollicitudinem deponat, imo universas pene humanæ passibilitatis metas excedat. Ad colloquium Domini, Domino vocante, admittitur, quando ex divina inspiratione et revelatione, in illam divinorum judiciorum abyssum intromittitur. In medium nebulæ Moyses ingreditur, quando humana mens ab illa divini luminis immensitate absorpta, summa sui oblivione sopitur; ita ut mirari valeas, et juste mirari debeas quomodo concordet ibi nubes cum igne, et ignis cum nube: nubes ignorantiæ, cum nube illuminatæ intelligentiæ. Ignorantia et oblivio notorum et expertorum, cum revelatione et intelligentia, prius ignotorum et eousque inexpertorum. Nam uno eodemque tempore humana intelligentia, et ad divina illuminatur, et ad humana obnubilatur. Hanc sublevati animi pacem, obnubilationem et illuminationem Psalmista paucis verbis comprehendit, cum dicit: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* IV). Veraciter anima pacem tunc invenit, quando supra semetipsam ducta humanæ passibilitatis molestias omnino non sentit. In hac pace obdormit, quando ad summam tranquillitatem consopita, quidquid sobria cogitare consueverat, ei in oblivionem venit. Qui enim dormit, quæ circa ipsum sunt, imo et semetipsum omnino non novit. Recte ergo per soporem, mentis alienatio exprimitur; per quam ab assuetis absentatur, et quasi per somnum occupata, a rebus humanis, divinarum rerum contemplatione peregrinatur. Et tunc quidem in idipsum obdormit, quando in eo per contemplationem et admirationem requiescit, qui unum idemque est esse omne quod est, cui solus veraciter dicere potest: *Ego sum qui sum* (*Exod.* III). Quod igitur Moyses designat per septimum diem, hoc David apertius nominat pacem. Et quod apud illum est ingredi medium nebulæ, hoc apud istum est obdormire. Et quod unus requiescit in idipsum, hoc est quod alius vocatus accedit, et moratur apud Dominum. Quasi ad Moysi itaque similitudinem montis verticem ascendens, medium nebulæ ingreditur, et arcam jam dictam designatosque cherubin, Domino revelante, videt et contemplatur, quando per mentis sublevationem et alienationem quis in sublimia raptus, ad illa sex quæ descripsimus contemplationum genera ex divina inspiratione promovetur. Moysi utique dictum est: *Vide ut omnia facias, sicut tibi in monte monstrata sunt* (*Exod.* XXV). Si ei in monte a Domino monstrata sunt omnia, ergo non solum cherubin, sed etiam arca. Hoc est quod superius jam dixi, quia ad quodlibet contemplationum genus pertinentia possunt, Domino revelante, per mentis excessum videri. Sed ex Beseleel opere nihilominus potest perpendi, quia quælibet horum absque ullo mentis excessu possunt et solent in contemplationem adduci. Quid enim, quæso, est arcam fabricare, auro vestire, coronaque cingere, propitiatorio tegere, cherubin adjungere, nisi gradatim quidem in dicta contemplationum genera artem comparare, et multo studio atque labore alia post alia addiscere et in usum adducere, et tandem aliquando opus consummare, et ad ultimum in omnibus perfectum esse? Sed ut de arca taceam, quid vel de ipsis cherubin dicam? Nunquid ut eos formaret, vel formatos videret legitur vel montem ascendisse, vel nubem intrasse? Unde et manifeste datur intelligi, quia et illa novissima duo contemplationum genera quibus quasi proprium esse videtur per mentis excessum exerceri, solent tamen quandoque infra humanæ comprehensibilitatis metas cohiberi. Omnia contemplationum genera possunt modo utroque fieri, et modo per mentis excessum, modo sine aliquo mentis excessu solent exerceri.

CAPUT XXIII.

Quod excedendi donum alii fortuitum habent, alii tam quasi ex virtute possident.

Eorum autem qui in suis contemplationibus supra semetipsos ducuntur et usque ad mentis excessum rapiuntur, alii hoc exspectant et accipiunt usque adhuc ex sola vocante gratia, alii vero ut hoc possunt sibi comparant (cum gratiæ tamen cooperatione) ex magna animi industria. Et illi quidem hoc donum quasi fortuitum habent, isti vero jam velut ex virtute possident. Quasi fortuitum cuique est illud, quod quando vult vel prout vult nullo modo potest. Velut fortuitum igitur hoc habent qui in hoc nihil ex propria industria valent, sed solam vocantis gratiæ horam exspectant. Jam velut ex virtute ejusmodi gratiæ efficaciam habere dicendi sunt, qui ex magna jam parte id possunt cum volunt. Unius rei figuram habemus in Moyse, alterius autem in Aaron sacerdote. Quod enim Moyses in monte per nubem arcam videre meruit, sola revelantis Domini gratia, fuit: nam ut eam pro arbitrio videret, in sua omnino potestate non habuit. Aaron autem jam ex magna parte in pote-

Digitized by Google

state habebat quoties idipsum ordo, vel ratio poscebat in sancta sanctorum intrare, et intra ipsum velum arcam Domini videre. Satis utique constat quia sancta sanctorum in tabernaculo fœderis tenebat intimum et secretissimum locum. Sicut ergo per verticem montis intelligimus mentis summum, sic per sancta sanctorum intelligimus humanæ mentis intimum. Sed in humano procul dubio animo idem est summum quod intimum, et intimum quod summum. Idem itaque intelligimus per verticem montis et per oraculum tabernaculi fœderis.

Quid igitur est montis verticem, vel interius tabernaculum subire quam summum et intimum mentis sinum ascendere, apprehendere et tenere? Per primum namque tabernaculum illum quem omnes novimus intelligimus communem animi statum; per secundum vero intelligimus illum quem pauci admodum noverunt qui fit per mentis excessum. Ad illum maxime pertinet sensus rationalis, ad istum vero sensus intellectualis. In illo sane speculamur invisibilia nostra, in isto contemplamur invisibilia divina. Sed hunc utrumque statum (unum videlicet omnibus notum, alterum autem paucis expertum) dividit, et secludit densum oblivionis velum. Cum enim per mentis excessum supra sive intra nosmetipsos in divinorum contemplationem rapimur, exteriorum omnium statim imo non solum eorum quæ extra nos, verum etiam eorum quæ in nobis sunt omnium obliviscimur. Et item cum ab illo sublimitatis statu ad nosmetipsos redimus, illa quæ prius supra nosmetipsos vidimus in ea veritate vel claritate qua prius perspeximus ad nostram memoriam revocare omnino non possumus. Et quamvis inde aliquid in memoria teneamus, et quasi per medium velum et velut in medio nebulæ videamus, nec modum quidem videndi, nec qualitatem visionis comprehendere, vel recordari sufficimus. Et mirum in modum reminiscentes non reminiscimur, et non reminiscentes reminiscimur, dum videntes non pervidemus, et aspicientes non perspicimus, et intendentes non penetramus. Vides certe quia humana mens, sive in illud intimum arcanorum secretarium introeat, sive de illo ad exteriora exeat, vides, inquam, quia utrobique eam velum oblivionis excipiat. Idem itaque est nubem intrare, et se intra velum ingerere. Sed quamvis ad unum respiciat et illud quod Moyses gerebat, et illud quod Aaron actitabat, differt tamen in hoc maxime quod uterque agebat, quia ille ad alieni solummodo beneplaciti in hoc horam respiciebat, iste quasi pro officio susceperat, et magna ex parte pro voluntate gerebat. Sed ut Aaron idoneum posset et promptum habere intra velum intrare cum vellet et oporteret, pontificalem sibi ornatum et habitum in id officii idoneum comparaverat atque possidebat. Quid autem est habitum in id officii idoneum habere, nisi illa virtutum merita comparare, per quæ possit ejusmodi gratiæ officium in usu habere? Oportet autem non in solo pontificali habitu, verum etiam cum aromatici fumi obnubilatione, juxta Dominicum præceptum, incedere, qui vult ad interiora velaminis penetrare, ut introgressionis suæ hora tanta cœlestium desideriorum exhalatione et quasi aromatici fumi exæstuatione efferbeat, quatenus ei in despectum veniat, et omnino quasi pro nihilo reputet quidquid de interioris hominis ornatu placere poterat. Forte autem idem est Moysen turbam ad pedem montis relinquere, et Aaron ante ingressum tabernaculi communem habitum deponere: idem autem Moysen cum senioribus Israel montem ascendere, et Aaron cum pontificali ornatu in interiora tabernaculi intrare, nec forte aliud et aliud est illum, senioribus in ascensu montis relictis, cum solo Josue verticem montis apprehendere, et istum cum aromatico incenso in Sancta sanctorum properare, et idem nihilominus sit illum se in nebulam, istum se intra velum ingerere ut hoc solum inter utriusque actum quantum ad mysticam traditionem differat quod unus ex sola Domini vocatione, alter ex propria deliberatione ad secretum illud divinæ revelationis alloquium subintrabat.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod tribus modis in gratiam contemplationis proficimus.

Modis autem tribus in gratiam contemplationis proficimus, aliquando ex sola gratia, aliquando ex adjuncta industria, aliquando ex aliena doctrina. Horum trium in tribus, Moyse videlicet, Beseleel et Aaron typum et exemplum habemus, si eorum gesta consulimus. Moyses primo arcam in monte et nube sine ullo industriæ labore ex sola Domini revelatione vidit, Beselcel quam videre potuisset proprio labore formavit. Aaron autem arcam aliena jam operatione formatam videre consuevit. In morem Moysi arcam Domini sine aliqua humana industria videmus cum ex sola Domini revelatione radium contemplationis accipimus. Sed tunc quasi juxta Beseleel exemplum in idipsum ex proprio opere proficimus, cum in eamdem gratiam nostro studio et labore artem comparamus. Tunc autem ut arcam Domini videre possimus quasi ex aliena operatione accipimus quando ex aliena traditione ejusmodi gratiæ usum assuescimus. Sed quod de industriæ operatione dicimus non sic accipi volumus quasi sine gratiæ cooperatione aliquid omnino

Digitized by Google

possimus, cum quælibet nostra industria non sit nisi ex gratia. Sed aliud est contemplationis gratiam divinitus percipere, atque aliud est ejusmodi domum Dei quidem cooperatione proprio exercitio comparare. Modis itaque tribus hanc gratiam obtinemus, et modo quidem ex divina inspiratione, modo ex propria exercitatione, modo autem ex aliena traditione.

Illud vero notandum quod quidam ad hanc gratiam propria industria et sine alicujus doctrinæ magisterio promoventur, qui tamen in suis contemplationibus usque ad mentis excessum nullo modo rapiuntur. Quidam autem ad eamdem gratiam ex aliena traditione magis quam proprio mentis acumine proficiunt qui tamen in suis contemplationibus sæpe usque ad mentis excessum assurgunt. Hinc est quod Beseleel arcam quidem fabricasse, non tamen ad illam intrasse legitur. Aaron vero ad arcam aliena jam operatione fabricatam et intra velum collocatam ex more intrasse non dubitatur. Ecce nos in hoc opere quasi Beseleel officium suscepimus qui te ad contemplationis studium instructionem reddere et quasi in arcæ operatione desudare curavimus. Longe tamen meipsum in hac gratia præcedis, si ex his quæ audis adjutus intrare prævalcas usque ad interiora velaminis, si illud quod quasi in propatulo laboramus et juxta communem usum comprehendimus et assignamus, tu prævalueris per mentis excessum perspicere, et quasi intra velum videre.

Notandum quoque quod quidam ea quæ per mentis alienationem conspiciunt ad semetipsos reversi juxta communem animi statum nullo modo capere vel recolligere possunt. Hinc est quod rex Nabuchodonosor somnium vidit, sed excussus a somno visum somnium ad memoriam revocare non potuit (*Dan.* VIII). Alii quod per excessum considerant postmodum facile retractant. Alii ut hoc possint, multo labore desudant. Hinc est quod rex Pharao somnium vidit visumque retinuit (*Gen.* XLIII). Econtra autem rex Nabuchodonosor amissum somnium multa instantia recuperavit et Moysi quidem arca Domini ex Dominica revelatione est in monte ostensa, postmodum autem in valle familiariter nota et frequenter visa. Alii item quod rarum, et velut fortuitum habent (in suis videlicet contemplationibus mente excedere) incipiunt aliquando familiare habere. Hinc est quod Moyses ad arcam Domini intra velum familiariter tandem intravit, quam ad solam Domini vocationem et revelationem prius per nubem videre accepit. Multa sunt in his omnibus sacramenta quæ modo nec possunt nec debent tractari per singula.

CAPUT II.

Quibus modis soleat omnis contemplatio contingere, mentis videlicet dilatatione, mentis sublevatione, mentis alienatione.

Tribus autem modis, ut mihi videtur, contemplationis qualitas variatur. Modo enim agitur mentis dilatatione, modo mentis sublevatione, aliquando autem mentis alienatione. Mentis dilatatio est quando animi acies latius expanditur et vehementius acuitur, modum tamen humanæ industriæ nullatenus supergreditur. Mentis sublevatio est quando intelligentiæ vivacitas divinitus irradiata humanæ industriæ metas transcendit, nec tamen in mentis alienationem transit, ita ut et supra se sit quod videat, et tamen ab assuetis penitus non recedat. Mentis alienatio est quando præsentium memoria menti excidit, et in peregrinum quemdam et humanæ industriæ invium animi statum divinæ operationis transfiguratione transit. Hos tres contemplationis modos experiuntur, qui usque ad summam ejusmodi gratiæ arcem sublevari merentur. Primus surgit ex industria humana, tertius ex sola gratia divina, medius autem ex utriusque permistione, humanæ videlicet industriæ et gratiæ divinæ. In primo gradu quasi arcam nostro labore fabricamus, quando contemplandi artem nostro studio et industria comparamus. In secundo gradu arca supportantium humeris sublevatur, et quasi præcedentis, nubis vestigia sequitur, cum, industria satagente et revelationis gratia cooperante et quasi præeunte, contemplationis radius dilatatur. In tertio gradu arca in Sancta sanctorum infertur, et quasi intra velum collocatur, quando contemplantis acumen ad intimum mentis sinum colligitur, et ab exteriorum memoria oblivionis et alienationis velo secluditur. Primus itaque gradus pertinet ad arcæ fabricationem; secundus ad arcæ evectionem; tertius ad ejusdem introductionem velique obductionem. De primo illud recte intelligitur quod ad Abraham a Domino dicitur: *Leva oculos tuos et vide a loco in quo nunc es ad Aquilonem et ad Meridiem, ad Orientem et Occidentem. Omnem terram quam conspicis tibi dabo* (*Gen.* XIII). De secundo illud recte intelligitur quod de Moyse scribitur: *Ascendit Moyses de campestribus Moab super montem Nebo in verticem Phasga contra Jericho. Ostenditque Dominus omnem terram Galaad usque ad Dan* (*Deut.* XXXIV). Ad tertium autem respicit quod Dominus transfigurationis suæ testes in montem excelsum ductos nube lucida obumbravit et, sicut superius jam dictum est, quod Moyses per medium nebulæ ad Dominum accessit (*Matth.* XVII), et in primo quidem Abraham nec jubetur montem ascendere, nec ei legitur ibi Dominus aliquid ostendisse, sed a loco in quo erat jubetur oculos suos levare, et terram quam accepturus erat circumspicere. Nulla mentio ascensionis, vel ostensionis ibi legitur in quibus vel sublevatæ mentis exaltatio, vel divinæ revelationis demonstratio designetur. A loco in quo sumus, vel esse consuevimus oculos nostros levamus, quando in contemplationis nostræ spectaculis communem et consuetum animi statum non deserimus. Comprehensibilitatis nostræ modus locus est in quo interim per intelligentiam sumus. Hæreditatis accipiendæ amplitudinem consideramus, quando ad quantam perfectionis latitudinem devotionis nostræ profectibus tandem aliquando pertingere possimus

Digitized by Google

contemplationis nostræ oculis longe ante prævidemus. Nihil in his Scripturæ verbis innuitur quod humanam industriam excedere videatur, unde et recte ad primum illum contemplandi gradum accommodatur. Sed quod Moyses jubetur montem ascendere, quod Dominus dicitur illi terram promissionis ostendisse, attende quam expresse videatur secundum contemplandi gradum designare. Quid est illa Moysi montana ascensio, nisi humanæ mentis supra humanæ possibilitatis planum quædam in superna elevatio? Quid autem est Dominica illa ostensio, nisi intimæ aspirationis infusa illuminatio? Terram autem promissionis ad divinam demonstrationem prospicere, est futuræ retributionis plenitudinem ex divinæ illustrationis revelatione cognoscere, et ejusmodi contemplationi insistere. Humanæ videtur industriæ quod Moyses in montana ascendit, gratiæ divinæ quod Dominus ei terram promissionis ostendit unde et hoc Scripturæ testimonium ad secundum quem diximus gradum respicere se innuit. Quod autem Moyses in montem ascendens ad Dominum per medium nebulæ legitur accessisse, quomodo ad tertium contemplandi modum, vel gradum respiciat ex superius dictis satis possumus colligere. Quid enim est ad divinæ vocationis accessum nebulam intrare nisi mente excedere, et per oblivionis nebulam quasi adjacentium memoria mente caligare? Ad idem respicit quod discipulos Christi nubes lucida obumbravit. Una itaque et eadem nubes et lucendo obumbravit, et obumbrando illuminavit, quia et illuminavit ad divina et obnubilavit ad humana. His itaque tribus modis omnis contemplatio solet contingere, mentis dilatatione, mentis sublevatione, mentis alienatione: *Leva in circuitu oculos tuos, et vide* (*Gen.* XIII). Ecce de illo contemplationis genere qui fit mentis dilatatione: *Qui sunt isti qui ut nubes volant?* (*Isai.* LX.) Ecce de mentis sublevatione: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax* (*Psal.* CXV). Ecce de mentis alienatione.

CAPUT III.

De mentis dilatatione, quibus modis soleat accrescere.

Ille autem contemplationis modus qui fit mentis dilatatione tribus solet gradibus excrescere, arte, exercitatione, attentione. Artem nobis ad aliquid veraciter comparamus, quando quomodo aliquid agendum sit veraci traditione seu etiam sagaci investigatione addiscimus. Exercitatio est, quando id quidem quod arte percipimus in usum adducimus, et in ejusmodi officii executionem nosipsos promptos et expeditos efficimus. Attentio est, quando studio quod exsequimur summa diligentia insistimus. Primum itaque est cujuscunque disciplinæ artem comparare, secundum in usum adducere, tertium in id ad quod eruditi et exercitati sumus cum summa vivacitate insistere. His itaque tribus, ut dictum est, gradibus, sinus mentis dilatatur, et ad omnem eruditionem vel disciplinam capacior efficitur. Certe quanto amplius, quanto firmius aliqua didiceris, tanto ad ampliora et profundiora capienda A copiosius dilataris. Sed et illud quidem nihilominus constare videtur, quia quælibet disciplina eruditione percepta, usu et exercitatione roboratur, dilatatur atque perficitur. Item quid est quod in uno eodemque studio in quo eruditi et exercitati sumus, modo tenuius, modo perspicacius videmus, nisi quod secundum modum attentionis crescit dilatatio et perspicacia mentis? Primus ergo gradus est artis ipsius perceptio, secundus ejusdem frequens exercitatio, tertius ipsius exercitii diligens et studiosa intentio. Ad primum itaque dilatationis suæ gradum mens humana admonetur, cum ei per prophetam dicitur: *Statue tibi in speculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam directam in qua ambulasti* (*Jer.* XXXI). De secundo audis, cum legis: B *Super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor quid dicatur mihi* (*Habac.* II). De tertio est illud: *Transite ad insulas Cethim et videte, et in Cedar mittite et considerate vehementer* (*Jer.* II). Quid est autem speculam statuere nisi contemplandi scientiam comparare? Ad hoc enim speculam erigimus, ut in hoc longinquum videre, et visum nostrum in omnem partem dilatare possimus. Recte itaque illa mentis dilatatio in his verbis designatur in qua contemplationis specula erigitur, et ejusmodi studii scientia comparatur. Quid est autem super custodiam stare et gradum figere, nisi speculandi scientiam usu firmare? Quod enim unus vocat speculam, hoc alius dicit custo- C diam. Ob publicam enim seu privatam custodiam, speculas solemus erigere, ut inde prospicientes possimus imminentia pericula longe ante prævidere. Sic et nos contemplationis gratiam quasi spiritualem speculam erigimus, ut tentatoris insidias prævenire possimus. Aliud est autem speculam statuere vel ascendere, atque aliud est in ipsa stare seu etiam gradum figere. Illud est disciplinæ comparandæ, istud disciplinæ exercendæ. Quod autem vehementer considerare jubemur, quis, quæso, non videat quomodo ad tertium illum dilatationis nostræ modum pertineat: *In Cedar*, inquit, *mittite, et considerate vehementer.* Et recte quidem hoc dicitur atque præcipitur, quia ex vehementia consideratio- D nis et attentionis crescit et dilatatur capacitas mentis. Si his itaque tribus proficiendi gradibus diligenter insistis, ad magnam perspicaciæ perfectionem, magis magisque dilataberis. Magna in his mentis dilatatio, sed non minor delectatio.

CAPUT IV.

De mentis sublevatione, quibus soleat gradibus assurgere.

Nihilominus autem ille contemplandi modus, qui mentis sublevatione accidit, tribus gradibus accrescit: intelligentia namque humana divinitus inspirata, illo cœlesti lumine irradiata, aliquando sublevatur, supra scientiam, aliquando etiam supra industriam, aliquando autem etiam supra naturam. Supra scientiam mentis sublevatio ascendit, quando quilibet nostrum tale aliquid ex divina revelatione

Digitized by Google

cognoscit, quod modum propriæ scientiæ vel intelligentiæ excedit. Supra industriam mentis sublevatio erigitur, quando ad illud humana intelligentia divinitus illuminatur, ad quod nulla sua scientia sufficit, nec illa, quam interim habet, nec ulla sua industria comparare valet. Supra naturam mentis sinus dilatatur, quando humana intelligentia, divina inspiratione afflata, non cujusque bonis, sed generaliter totius humanæ naturæ modum industriæque metas transgreditur. Supra scientiam speculantis animus elevatur, cum experitur quod dicitur : *Accedat homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* LXIII). Tunc quidem Deus in conspectu sublevatæ mentis exaltatur, quando, Deo revelante, ei aliquid de divinæ majestatis celsitudine ostenditur, quod eatenus habitæ scientiæ modum excedere videatur. Divinitatis namque illa celsitudo, quæ in seipsa, quomodo crescere vel exaltari valeat, non habet quotidie in nostra cognitione crescere, et contemplationis nostræ aspectibus sublimior apparere valet. Supra mentis autem industriam mens sublevata attollitur, quando in ipsa impletur, quod dicitur : *Expandit alas suas, et assumpsit eas, atque portavit in humeris suis* (*Deut.* XXXI). Certe non est industriæ humanæ per aera iter legere. Sed quod ire non possumus supportantium alis, ferri possumus. Supra industriam itaque, non autem supra naturam videtur esse, per aera iter habere. Supra industriæ itaque suæ metas contemplativa anima ascendit, quando divina dignatio arcanorum suorum manifestatione et quasi alarum suarum expansione vel sublevatione, in illud supereminentis scientiæ fastigium eam attollit, quo nulla unquam sua industria ire possit. Sed illa mentis sublevatio humanæ prorsus naturæ, ut videtur, modum transcendit, ad quam Propheta suspiravit, cum dixit : *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (*Psal.* LIV.) In idem respicit, quod Dominus per Isaiam promittit : *Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ* (*Isa.* XL). Supra humanam naturam est, procul dubio pennas habere, et pro voluntatis arbitrio, ad alta volare. Quid est autem pennas quasi contra naturam accipere, nisi miram quamdam contemplandi efficaciam ex virtute possidere, quo possis cum volueris in secretioris scientiæ ardua, et omni humanæ industriæ invia, perspicaciæ tuæ penna penetrare? Pennata itaque animalia veraciter tunc esse incipimus, quando gratiæ munere in idipsum divinitus accepto, humanæ conditionis metas contemplationis nostræ volatu transcendimus. Omne autem genus prophetiæ, si tamen fuerit sine mentis alienatione, videtur ad hunc tertium sublevationis gradum pertinere. Nonne enim supra humanam naturam est, videre de præteritis, quod jam non est; videre de futuris, quod nondum est; videre de præsentibus, quod sensibus absens est; videre de alieni cordis secretis, quod nulli sensui subjectum est; videre de divinis, quod supra sensum est. Restat adhuc illud quærere, quibus videlicet causis soleat humanæ mentis excessus accidere, vel quibus etiam solet gradibus excrescere.

CAPUT V.

Quod triplici ex causa fieri soleat humanæ mentis excessus.

Tribus autem de causis, ut mihi videtur, in mentis alienationem abducimur. Nam modo, præ magnitudine devotionis, modo præ magnitudine admirationis, modo vero præ magnitudine exsultationis fit, ut semetipsam mens omnino non capiat, et supra semetipsam elevata in abalienationem transeat. Magnitudine devotionis, mens humana supra semetipsam elevatur, quando tanto cœlestis desiderii igne succenditur, ut amoris intimi flamma ultra humanum modum excrescat, quæ animam humanam, ad ceræ similitudinem liquefactam, a pristino statu penitus resolvat, et ad instar fumi attenuatam, in superna elevet, et ad summa emittat. Magnitudine admirationis anima humana supra semetipsam ducitur, quando divino lumine irradiata, et in summæ pulchritudinis admiratione suspensa, tam vehementi stupore concutitur, ut a suo statu funditus excutiatur, et in modum fulguris coruscantis, quanto profundius per despectum sui invisæ pulchritudinis respectu, in ima dejicitur, tanto sublimius, tanto celerius per summorum desiderium reverberata, et super semetipsam rapta, in sublimia elevatur. Magnitudine jucunditatis, et exsultationis mens hominis a seipsa alienatur, quando intima illa internæ suavitatis abundantia potata, imo plene inebriata, quid sit, quid fuerit, penitus obliviscitur, et in abalienationis excessum, tripudii sui nimietate traducitur, et in supermundanum quemdam affectum, sub quodam miræ felicitatis statu raptim transformatur. Quandiu igitur hujusmodi excessus in nobismetipsis minime sentimus, quid aliud quam quod superius prælocuti sumus, de nobis sentire debemus, nisi quia minus diligimur, nisi quod minus diligimus? Si enim quisquis es, plene perfecteque diligeris, forte dilectionis tuæ nimietas, æstuantisque desiderii anxietas, in ejusmodi te raperet excessus, quales tibi superius ex parte descripsimus. Item sane si divina dilectione plene dignus exstitisses, si tanta dignatione te idoneum exhiberes, forte tanta luminis sui claritate intelligentiæ tuæ oculos irradiaret, tanta intimæ dulcedinis suæ suavitate, cordis tui desiderium inebriaret, qua teipsum supra temetipsum raperet, et per mentis excessum in superna elevaret. Hoc autem tres anagogicos excessionis modos eodem quo hic illos ordine posuimus, mystice quidem descriptos, in Canticis canticorum, ut arbitror, inveniemus. De primo quidem, recte illud intelligitur, quo dicitur : *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, et thuris, et universi pulveris pigmentarii?* (*Cant.* III.) De secundo autem, recte illud intelligimus, quod longe post in eisdem Canticis legimus : *Quæ est illa quæ progreditur quasi aurora consurgens?* (*Cant.* VI.) Ad tertium autem, recte illud accommodatur, quod in novissi-

Digitized by Google

nis legitur : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens innixa super dilectum suum ?* (*Cant.* VIII.)

CAPUT VI.

Quod primus excedendi modus surgat ex magnitudine devotionis.

Vultis autem melius nosse quam convenienter primum illud, ad primum excedendi modum possimus accommodare? Primus itaque mentis excessus fit, ut superius audistis, ex desiderii anxietate et magnitudine devotionis. Fumus autem semper surgit ab igne. Quis autem neget amorem spiritalem ignem esse? recte itaque illa mentis in superna elevatio, quæ ex fervore dilectionis oritur, fumo, ni fallor, comparatur. Quid autem intelligimus per ejusmodi fumum, nisi devotæ mentis desiderium? Quasi ergo fumus anima in superna ascendit, quando, dilectione fervente et in hoc ipsum urgente, suum eam desiderium super semetipsam rapit. Est autem virgula, ut omnes novimus, et gracilis, et recta. Ut ergo virgulæ similitudinem in se trahat, ascensio tua, sit anxium, sit unicum desiderium tuum, et surgens ex intentione recta. Si autem per myrrham, carnis contritionem; per thus vero, cordis devotionem, per universam autem pigmentarii pulverem, virtutum omnium intelligimus consummationem : attende quomodo hæc omnia in eamdem sententiam concurrunt, quæ omnia per se facile intelligi possunt. Nam hoc satis constat, quia quisquis charitate plenus est, cætera virtutum insignia non habere non potest. Si enim Apostolo creditur, consummatio virtutum est charitas.

Illud sane notandum, quod anima sancta tunc veraciter, quasi fumus et per desertum ascendit, quando ex his quæ in semetipsam invenit, seu bonis, seu malis affectum suum, in cœlestis sponsi desiderium accendit. Major autem (sed quantum ad meritum) mihi esse videtur mentis elevatio illa, quæ, fervente quidem gratia, surgit ex intentione, et intentione propria, quam illa quæ surgit ex sola revelatione, vel aliqua inspiratione divina. Ut ergo cæteris digna inveniatur, oportet animam ab ejusmodi ascensione incipere et primo quasi per desertum ascendere. Verumtamen ut eadem ipsa, velut virgula fumi fiat (quamvis per desertum fieri incipiat), oportet ut supra ipsum desertum assurgat. Alioquin mens ipsa in mentis excessum non rapitur, nisi supra semetipsam elevetur, nisi semetipsam in imo deserat, et seipsam deserendo desertum faciat, quo deserto in morem fumi, magis magisque in sublimia transcendat.

CAPUT VII.

Quod primus excedendi modus, quandoque fiat ex sola ferventis desiderii exæstuatione.

Solet tamen ejusmodi mentis excessus modo fieri ex sola desiderii ferventis exæstuatione, modo tam ex ejusmodi exæstuatione, quam ex adjuncta sibi divina revelatione. Cur enim spiritualis ille, et incorporeus divinæ dilectionis ignis, eamdem vim in spiritalibus non obtineat, quam ignis iste corporeus in rebus corporalibus habere consuevit? Satis novimus quid ignis iste corporeus in vasis, quamvis modico liquore perfusis, operari soleat. Et primo quidem, incipit liquorem ipsum ab imo exercere, postea vero, nunc in hanc, nunc in illam partem, nunc sursum, nunc deorsum jactare, et paulatim quidem ad superiora attollere, totumque vas, ex quovis modico, usque ad summum replere; tandem autem supra ipsum attollere, et cum violentia quadam interiora evacuare, et foras effundere, fortiterque ejicere. Sic sane animus humanus divino igne succensus, it sæpe in seipso contra semetipsum fervens et fremens, æstuans et spumans, sibiipsi irascens, seipsum despiciens, sibi ipsi vehementer indignans, semetipsum vehementer conculcans, summis inhians, in supermundana gestiens, et dum ejusmodi æstu diutius uritur, multumque jactatur, dum per inferiorum contemptum ab infimis repellitur, et per supernorum desideriorum, ad superiora trahitur, fit sæpe ut impetu spiritus, impellente desiderio extra semetipsum, et supra semetipsum ejectus suique penitus oblitus, et in extasi sublevatus, totus in superiora rapiatur. In hunc modum cœlestis desiderii ardor, cum vehementer exæstuat animam humanam divino amore, fervidam supra semetipsam levat. Et sicut superiori exemplo probare possumus, quilibet pigmentarii pulvis aromaticus, igni injectus, inquantum a voraci flamma non consumitur, per tenuem quidem utpote fumigabundam exhalationem, per violentiam ardoris in superna emittitur. Vides, obsecro, quomodo natura interrogata, vel Scriptura consulta, unum eumdemque sensum pari loquuntur concordia? Ex solo itaque ferventis desiderii æstu fieri valet et solet divinitus inflammatæ mentis excessus, quemadmodum superius prælocuti sumus.

CAPUT VIII.

Quod primus excedendi modus, quandoque fiat, tam exæstuanti devotione, quam ex adjuncta sibi divina revelatione.

Fit etiam aliquando ejusmodi mentis alienatio, occurrentibus sibi invicem hinc æstuantis animæ desiderio, illinc mirando aliquo divinæ revelationis speculo, quod ex illo Abrahæ primo egressu colligere possumus, de quo superius aliqua locuti sumus. Quid enim de eo ait Scriptura? *Apparuit autem ei Dominus sedenti in convalle Mambræ, sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei viri stantes prope eum. Quos cum vidisset, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui* (*Gen.* XVIII). Si per tabernaculum humanæ mentis habitaculum intelligimus, quid erit ejusmodi egressus, nisi mentis humanæ excessus? Duobus namque modis extra nosmetipsos ducimur. Nam modo extra nosmetipsos, sed infra nosmetipsos descendimus; modo extra nosmetipsos, sed supra nosmetipsos levamur. In illo ad mundana captivamur, in isto ad supermundana reducimur.

Digitized by Google

Sed, sicut est gemina digressio, sic utique est gemina reversio. Ab utroque egressu quasi ad conversationis nostræ habitaculum revertimur, quando post mundana negotia, vel potius cœlestium contemplationum spectacula, ad circumspectionem morum nostrorum mentis nostræ oculos reducimus, et intima nostra discutientes, quales ipsi sumus studiosa retractatione perscrutamur. De prima reversione illud recte intelligitur, quod de prodigo filio in Evangelio legitur, quia, in se reversus, dixit: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo?* (*Luc.* XV.) De secunda vero reversione nihilominus recte intelligimus, quod de apostolo Petro alio loco legimus: *Petrus ad se reversus dixit: Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum*, etc. (*Act.* XII). Ecce uterque ad se reversus legitur. Sed cur hoc, nisi quia a seipsis prius exisse videbantur? Nam unus longe a se in longinquam regionem ducitur, alter angelico ducatu supra communem humanæ possibilitatis statum, mentis alienatione levatur. In primo itaque egressu descenditur ad ima, in secundo levatur ad summa. In primo a Domino elongamur, in secundo ad Dominum appropinquamus. Quid igitur est ille egressus per quem Domino occurritur, nisi humanæ mentis excessus, per quem supra semetipsam rapta in divinæ contemplationis arcana sustollitur? Si ergo egressionis ejus causam quærimus, citius invenimus. Nam visio quæ exterius apparuit, procul dubio eum ad exteriora traxit. Apparitionis autem divinæ causa latenter innuitur in eo quod ei Dominus apparuisse dicitur, in ipso fervore diei sedenti quidem in ostio tabernaculi sui. Vides certe, quia calor diei fervebat, quando ei Dominus apparebat. Quis, quæso, est iste fervor diei, nisi æstuatio ardentis desiderii? Amor itaque ille qui tenebras diligit, amor, inquam, qui lucem odit, diei fervor dici non debet. Scimus autem quia *qui male agit, odit lucem, qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt* (*Joan.* III). Quid itaque aliud est fervor diei, nisi fervidus amor veri, desiderium veri et summi boni, sub quasi fervore patriarcha tunc temporis æstuabat, qualis denique eum a domesticis suis repellebat, et eum in ostio, et in otio sedere, tantummodo vacare et videre cogebat ambientem et optantem absque dubio divinæ aspirationis auram percipere, desideriique sui æstus illius afflatu temperare. Perpendis, ut arbitror, quomodo ille sub quo tunc æstuabat fervor, illuc eum trahebat, unde illos tres prospicere potuisset, quos jure adorandos non dubitaret. Forte si tunc domesticis suis intenderet, et tabernaculi sui intima teneret, adorandas illas personas minime vidisset, et si non vidisset, tunc temporis fortassis non exisset. Duo igitur in unum occurrunt, quæ egressionis illius occasionem præbuerunt, nimietas fervoris et novitas visionis. Juxta hujus rei similitudinem sæpe in mente humana agitur, ut dum nimio cœlestis desiderii incendio uritur, aliquid ex divina revelatione videre mereatur, unde ad illos theoricos excessus adjuvetur.

CAPUT IX.

Quod secundus excedendi modus fieri soleat ex magnitudine admirationis.

Hæc interim de illo mentis excessu dicta sunt, qui surgit ex magnitudine devotionis, nunc de illo dicendum videtur, qui surgere solet ex magnitudine admirationis. Quis autem nesciat inde fieri admirationem, cum aliquid cernimus præter spem, et supra æstimationem? Novitas itaque visionis et rei vix credibilis adducere solet admirationem mentis, quando aliquid incipit videri quod vix possit credi. Ille igitur mentis excessus, qui ex admiratione oritur, attende quam convenienter describatur in eo, quod dicitur: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* (*Cant.* VI.) Quid est aurora, nisi lux nova tenebrisque permista? Et unde, quæso, admiratio nisi ex inopinato incredibilique spectaculo? Habet itaque ipsa admiratio lucem subitam tenebrisque permistam, lucem visionis, cum quibusdam reliquiis incredulitatis, ambiguitatisque tenebris, ita ut modo mirabili mens absque dubio videat, quod credere vix valeat. Sed rei novitatem quanto magis miramur, tanto diligentius attendimus; et quanto attentius perspicimus, tanto plenius cognoscimus. Crescit itaque ex admiratione attentio, et ex attentione cognitio. Mens itaque velut aurora consurgit, quæ ex visionis admiratione paulatim ad incrementa cognitionis proficit. Aurora siquidem paulatim elevatur, elevando dilatatur, dilatando clarificatur, sed miro modo dum tandem in diem desinit, per promotionis suæ incrementa, ad defectum venit et unde accipit ut major sit, inde ei accedit, tandemque accidit ut omnino non sit. Sic utique sic humana intelligentia divino lumine irradiata, dum in intellectibilium contemplatione suspenditur, dum in eorum admiratione distenditur, quanto semper ad altiora vel mirabiliora ducitur, tanto amplius, tanto copiosius dilatatur, et unde ab infimis remotior, inde in semetipsa purior et ad sublimia sublimior invenitur. Sed in ejusmodi sublevatione, dum mens humana semper ad altiora crescit, dum diu crescendo tandem aliquando humanæ capacitatis metas transcendit, fit demum ut a semetipa penitus deficiat, et in supermundanum quemdam transformata affectum, tota supra semetipsam erat. Et sicut matutina lux crescendo desinit, non quidem esse lux, sed esse lux matutina, ut ipsa aurora jam non sit aurora, ita humana intelligentia ex dilatationis suæ magnitudine quandoque accipit, ut ipsa jam non sit ipsa, non quidem ut non sit intelligentia, sed ut jam non sit humana, dum modo mirabili mutationeque incomprehensibili efficitur plus quam humana, dum gloriam Domini speculando, in eamdem imaginem transformatur a claritate in claritatem, tanquam

Digitized by Google

a Domini Spiritu (*II Cor.* III). Ex his igitur perpendis, ut arbitror, quam proprie, ille mentis excessus qui ex admirationis magnitudine oritur ex mystica descriptione designatur, in eo quod dicitur : *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* (*Cant.* VI.)

CAPUT X.

Quod secundus excedendi modus quandoque a sola admiratione incipit, et in ferventissimum devotionis desiderium desinit.

Notandum sane quod sicut ille superior excessionis modus, de quo superius locuti sumus, ex devotione surgit, sic econtrario iste secundus, de quo nunc loquimur, non tam a devotione incipit quam in ipsam desinit. Ibi ex nimio veritatis desiderio ad veritatis contemplationem assurgitur, hic ex veritatis revelatione ejusque contemplatione ad devotionem animus inflammatur. Videte ne forte hoc nobis Scriptura mystice innuat, cum eis quæ superius posuimus verbis subsequenter adjungat. Dicto enim quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, statim adjungit : *Pulchra ut luna, electa ut sol* (*Cant.* VI). Nemo hoc loco a me horum, vel aliorum quæ posuimus, vel posituri sumus, verborum plenam expositionem exspectet vel expetat, nisi quantum præsentis materiæ ratio pro veritatis testimonio expostulat. Aurora itaque et luna lucem habent, sed calorem non habent; sol autem utroque præpollet. Quid enim sole lucidius, quid sole ferventius? Videtis ergo quia illa mentis ascensio, quæ hoc loco designatur, cujus extrema soli comparantur; videtis, inquam, quia non in qualemcunque, sed in summam quandocunque devotionem desinat, quamvis a sola claritate veritatisque illustratione incipiat. Sicut enim in illa superiore ex nimio devotionis suæ fervore, meretur sæpe sublevari ad summæ veritatis contemplationem, sic in ista ex miranda quadam atque stupenda veritatis contemplatione paulatim promovetur, tandemque inflammatur ad summam devotionem. Consideremus ergo in orbe solis magnitudinem claritatis atque caloris, indeque colligamus in hujusmodi mentis sublevatione ascensionis promotionem, promotionisque consummationem, quæ quidem quasi ab aurora incipit, et tandem aliquando in se solis similitudinem trahit.

CAPUT XI.

Quod secundus excedendi modus, quandoque a sola admiratione inchoat, et in eodem tenore perseverat.

Neque tamen dicimus in hac secunda mentis excessione, humanæ promotionis modum semper, et ubique eumdem consummationis exitum habere. Videmus in rebus exterioribus quid de rebus interioribus æstimare debeamus. Si enim vas aquæ solis radio supponas, ipsam mox aquam videbis luminis splendorem ex se in superiora refundere, et claritatem quidem absque calore tamen in summa levare. Sic multi sane divinæ revelationis radios suscipiunt, sed non inde æque omnes ad eamdem vim dilectionis proficiunt. Ut enim bonorum omnium auctor gratiæ suæ in nobis dona commendet, ex eadem re diversos in diversis modo temporibus, modo personis effectus exhibet, Perpende, obsecro, ex proposito exemplo, quisquis hæc legis vel audis, quid ille in nobis divinæ revelationis æternique luminis radius efficiat? Quomodo humanam intelligentiam ex infusionis suæ illustratione, supra semetipsam levat, attende qualiter hæc propositi tibi exempli formula hunc de quo modo loquimur humanæ mentis excessum, ex qualitatis suæ similitudine proponat. Quid est aqua, nisi cogitatio humana, quæ semper ad inferiora labitur, nisi sub districtionis magnæ moderamine cohibeatur? Aqua in vase collecta, cogitatio meditationi intenta, et per intentionem defixa. Aquæ collectio, cordis meditatio. Ejusmodi aquæ solis radius se infundit, quando divina revelatio meditationi occurrit. Sed cum aqua radium in se superni luminis accipit, fulgorem quoque luminis et ipsa, ut dictum est, ad superiora emittit, et mirum in modum illuc utique radium luminis ex se levat, quo ipsa per se nullo modo ascendere valet. Et cum tanta sit differentia aquæ, et luminis, ei tamen quem de se luminis radio emittit, nonnihil suæ similitudinis imprimit, ita ut tremula tremulum, quieta quietum, purior puriorem, diffusior diffusiorem efficiat. Juxta hanc sane similitudinem cum inaccessibilis illius, et æterni luminis revelatio cor humanum irradiat, humanam intelligentiam supra semetipsam, imo supra omnem humanum modum levat, et illuc intelligentiæ radius divini luminis infusione admirationisque reverberatione de imis ad summa resilit, ubi nulla ingenii perspicacia, ubi nulla artis industria, humana ratiocinatio ascendere sufficit, et quo mentem hominis divinæ claritatis splendor profundius penetrat, eo altius stuporis sui magnitudine excussa, et per extasim sublevata, in divinorum arcanorum sublimius resultat. Illud autem omnino constare debet, quia quanto plenius atque perfectius ad intimam animus pacem et tranquillitatem componere se prævaluerit, tanto firmius, tanto tenacius in hac sublevatione summæ luci per contemplationem inhærebit, et procul dubio quanto purior ad integritatem, quanto diffusior ad charitatem, quanto perspicacior, tanto capacior invenitur ad supermundanorum et supercœlestium contemplationem.

CAPUT XII.

Quod in secundo excedendi modo, quandoque divina revelatio nostræ meditationi occurrit.

Notandum sane quod ille divinæ revelationis splendor, quandoque prævenienti meditationi occurrit, quandoque ipsam humanam meditationem prævenit, et modo quærentem adjuvat, modo excitat torpentem, vel dormientem evigilat. Hinc est quod regina austri regem Salomonem quæstionibus pulsat, et propositis ænigmatibus universa ab eo didicit quæ illi proponebat (*III Reg.* X). Hinc est quod vin-

Digitized by Google

etum Petrum angelus cum luce visitans a torporis sui somno excutit (*Act.* XII). Quid enim loquitur Scriptura de regina austri, quæ venit audire sapientiam Salomonis, nisi quod docuit eam Salomon omnia verba quæ proposuerat? Quæ est ista regina austri, et illius calidæ regionis inhabitatrix et domina, et videndi Salomonis desiderio succensa? Quæ, inquam, est ista regina, nisi quælibet anima sancta, sensibus et appetitibus carnis, cogitationibus et affectibus mentis fortiter præsidens, et summi regis verique prorsus Salomonis dilectione fervens, videndique desiderio ardens? Ejusmodi regina, summæ sapientiæ regem propositis ænigmatibus et frequentibus interrogationibus impetit, quando quælibet anima devota de divino adjutorio præsumens, investigandæ veritatis studio vehementer insistit. Audit quod quærit, quando illa ad quæ ex propria industria non sufficit, sæpe inter orationum suspiria ex divina revelatione cognoscit. Videamus adhuc quid de eadem regina divinus adhuc sermo proponat, cum item subjungens, dicat: *Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, et domum quam ædificaverat, et cibos mensæ ejus, et habitacula servorum, et ordinem ministrantium, vestes quoque eorum, et holocausta quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum* (*III Reg.* X). Videns, inquit, regina Saba. Ecce modo videns describitur, quæ prius proponens et quærens proponebatur. Vide tamen quid viderit, et intellige quanta intellexerit. Videns, ait, regina Saba omnem sapientiam Salomonis, etc. Ecce quanta, ecce qualia animæ devotæ, animæ studiosæ datur ex divina revelatione cognoscere. Perpende quam magna, attende quam miranda videndo divinitus cognoverit, quæ diu videndo, multumque mirando, tandem præ admirationis magnitudine, ad spiritus sui defectum venit. Ecce quo ordine processit, vel ad quem tandem exitum venit. Prius quærit et audit; postea videt et intelligit; tandem autem obstupescit et deficit. Interrogat quod discat, contemplatur quod miretur, stupet ut mente excidat mentemque excedat. Primum est meditationis, secundum contemplationis, tertium extasis. Ecce quibus promotionis gradibus sublevatur animus humanus. Meditatione profecto assurgitur in contemplationem, contemplatione in admirationem, admiratione in mentis alienationem. Manifesto, ut arbitror, exemplo jam tenetis quod ex magnitudine admirationis incidat homo in excessum mentis. Quid enim aliud illi fuit spiritum non habere, nisi mente excedere, vel unde ei hoc accidit, nisi ex multa admiratione? Quoniam modo, quæso, regina ista sine spiritu fuit, nisi spiritus ipsius a semetipso alienatus fuit? Sed illud hoc loco in memoriam redit quod de semetipso alius quidam dicat: *Ego*, inquit, *Joannes fui in spiritu* (*Apoc.* I). Ecce Joannes esse se in spiritu attestatur, ecce regina austri spiritum non habere asseritur. Quid ergo? Ille in spiritu fuit, ista sine spiritu fuit? Et quis ad hæc idoneus? Si Joannes in spiritu fuit, quis mihi exponat utrum secundum carnem, utrum secundum spiritum ibi fuerit? Sed quomodo secundum carnem in spiritu esse potuit, cum corpus omnino nisi in corporali loco esse non possit? Si ergo secundum spiritum ibi esse creditur, quis edisserat quomodo spiritus in spiritu esse dicatur? Quid autem de regina austri dicturi sumus? Nunquidnam corpus examine remansit, quando spiritum non habere jam cœpit? Quis hoc dicat? Quis nisi amens hoc astruere audeat? Caro ergo reginæ, nec tunc temporis sine spiritu fuit, quia sine spiritu omnino vivere non potuit. Quid ergo? Nunquidnam spiritus sine spiritu fuit? Edisserat ergo qui potest, et quomodo potest, quonam modo spiritus sit in spiritu, vel spiritus sine spiritu, si jure unum de Joanne creditur, alterum de regina putatur. An forte hoc est spiritum in spiritu esse, semetipsum intra semetipsum totum colligere, et ea quæ circa carnem, seu etiam in carne geruntur, interim penitus ignorare? An et spiritum sine spiritu esse, est semetipsum extra semetipsum, et supra semetipsum totum effundere, et quæ sub ipso vel in ipso fiunt, omnino interim ignorare, et in illud Divinitatis arcanum totum intrare? Nonne in spiritu spiritus esse tunc recte asseritur, quando exteriorum omnium obliviscetur, pariter et ignarus eorum omnium quæ in corpore corporaliter aguntur, et illis solis interest per memoriam vel intellectum, quæ in spiritu vel circa spiritum actitantur? Cur non et recte dicatur spiritus semetipsum non habere, quando incipit a semetipso deficere, et a suo esse in supermundanum quemdam, et vere plus quam humanum statum transire, et mirabili transfiguratione spiritus ille ab humano videatur in divinum deficere, ita ut ipse jam non sit ipse, eo duntaxat tempore quo Domino incipit altius inhærere. *Qui* enim *adhæret Domino unus spiritus est* (*I Cor.* VI). Et psallere potest, qui ejusmodi est: *Defecit in salutare tuum anima mea* (*Psal.* CXVIII). In spiritu itaque est, qui summum mentis ascendit, et quasi a spiritu deficit, qui summum mentis transcendit. Sed hæc melius eruditioribus animis plenius discutienda relinquamus.

CAPUT XIII.

Quod in secundo excedendi modo, divina revelatio quandoque etiam nostram meditationem prævenit.

Illud modo consideremus, quomodo divina revelatio soleat quandoque etiam meditationis nostræ studia prævenire, et humanum animum infra communem etiam humanæ libertatis statum subita tentationum violentia dejectum, non solum ad solitum soliditatis statum erigere, verum etiam ultra humanæ possibilitatis metas levare. Sæpe namque humana mens, post multa exercitiorum suorum insignia, importuna tentationum instantia pulsatur, vehementerque concussa de illa sublimi securitatis et tranquillitatis suæ arce dejicitur, ne quasi de propria fortitudine inter continuos virtutum successus tam miserabiliter quam inaniter glorietur. Hinc est quod beatus Petrus apostolorum præcipuus post

Digitized by Google

innumera meritorum, miraculorumque sublimia, A tenetur, ligatur, includitur. Sed, angelo visitante, non minus mirabiliter eripitur quam crudeliter prius a crudelitatis ministris cruciabatur (*Act.* XII). Vultis autem hujusmodi vincula scire, quæ solent mentes meritis etiam sublimes quandoque graviter irretire? Quis nesciat irritamenta voluptatum, modo a foris, modo ab intus surgere, a foris ex delectatione, ab intus ex suggestione, per delectationem in carne, per suggestionem in mente? Modo namque sordida titillatione caro inflammatur, modo vero fœda cogitatione animus sordidatur. Quasi ergo carcerales tenebras incurrimus, quando his concupiscentiæ nexibus irretiti, confusionis nostræ caliginem declinare volumus, nec valemus. Sed illa sane mens divinæ consolationis revelationem meretur, quæ non B tam propria torporis sui ignavia, quam alienæ malignitatis protervia has confusionis suæ tenebras patitur. Ejusmodi autem sancta anima ad divinæ legationis adventum eripitur, quando ex divinæ inspirationis gratia, et revelationis luce ab oppressionis suæ pondere relevatur. Angelus sane nuntius dicitur. Et procul dubio angelus est nuntius, nec quilibet, sed divinus nuntius per quem divinæ voluntatis beneplacitum cognoscimus, nuntius per quem ad æternorum cognitionem illuminamur, per quem ad eorum desiderium inflammamur. Sed nunquid novit nuntius iste cœlestia sola? Annon et terrena? Sed qui majora novit, quomodo minora ignorare possit? Bona sane legatio ista quæ sufficit C ad omnia non solum docenda, verum etiam persuadenda, inquantum tamen voluerit ille qui mittit. Vultis audire qualem legationem apostolus nobis Joannes promittat cum dicat: *Unctio*, inquit, *ejus docebit vos de omnibus* (*Joan.* II), sed quæ est unctio ista nisi inspiratio divina? Hic est ille nuntius quem diu quærebamus, hæc est legatio vere potens, vere sufficiens animum humanum ad omnem veritatem inducere, ad omne divinæ voluntatis beneplacitum inclinare. Quid ergo mirum si talis nuntius oppressam animam a concupiscentiæ suæ nexibus absolvit, ab ignorantiæ suæ tenebris evolvit, qui cœlestium et æternorum cognitionem pariter et amorem quando voluerit et quantum placuerit statim infundit? Tales nuntios in sua ereptione expertus fuerat qui dice- D bat: *Misit de cœlo, et liberavit me* (*Psal.* XLVI). Sed forte adhuc quæris scire qualis illa legatio fuit per quem de animæ suæ captivitate evasit: *Misit Deus*, inquit, *misericordiam suam, et veritatem suam, et eripuit animam meam* (*ibid.*). Angelus cum luce veniens divinæ miserationis, operatio veritatem infundens. Misericordia veritatem adducens, unctio docens. Quid est autem Deo misericordiam et veritatem mittere, et hominem a sua captivitate eripere, nisi misericordiæ suæ operatione veritatem inspirare, veritatisque inspiratione ad robur virtutis solidare? Et quis unquam animæ suæ pericula plene evasit, si hujus legationis beneficia experiri non meruit? Felix Petrus qui non solum meruit ab angelo eripi, verum ereptus etiam angelum sequi. Puto quia non omnes qui ab angelo eripiuntur angelica etiam vestigia comitantur. Lego in carcere positos apostolos ab angelo eductos, non tamen secutos. Petro ab ipso suo ereptore angelo præcipitur ut ipsum sequatur. Quid hoc esse dicimus? Quantum hoc esse putamus angelica vestigia legere, post cœlestia pennataque animalia ire? Cogita, si potes, quæ illa præcedentis angeli, vel subsequentis profectio seu promotio fuerit, quorum transitum nec carceralis custodia, nec ferrea porta cohibere vel retardare potuit. Quid horum non novum, quid horum non mirum? Vere angelicum, et vere plus quam humanum humanæ passibilitatis tenebrosum et horridum exire, et per communis impossibilitatis arduum et arctum transire. Cogita illum exitum quem primus homo habuit antequam peccavit, vel quem homo adhuc haberet si omnino non peccasset, per quem sane exitum quoties oporteret facilem transitum habere potuisset de mundanis ad supermundana, de visibilibus ad invisibilia, de transitoriis ad æterna, cum haberet promptum quotidie cœli civibus per contemplationem interesse, divinis illis secretis licenter ingerere, et istud internum Domini sui gaudium dignanter intrare. Cogita consequenter quomodo et istum pervium prius commeandi transitum divina post peccatum severitas diræ necessitatis valvis impossibilitatisque repagulis obstruxit et observavit; cogita hoc, inquam, et forte hoc cogitando invenies quid de illa ferrea porta sentire debeas, vel affirmare audeas. Quære tamen si minus sufficis ad ista, non quidem a nobis quin potius ab illis quibus forte hæc porta ferrea per frequentem transitum familiariter est nota, et quibus forte juxta similitudinem Petri angelo præeunte ducatumque præbente sæpe ultro est aperta. Illud sane, ut arbitror, non impudenter dixerim, quia longe supra hominem fuit; quia longe a semetipso et supra semetipsum recessit, quia hæc omnia per experientiam didicit. Alioquin non erat unde postea in se reverteretur, vel unde de eo recte scriberetur: *Et Petrus in se reversus dixit: Nunc scio vere*, etc. (*Act.* XII.) Multa sunt quæ super præsenti capitulo dici potuissent si hoc loco dici debuissent. Sed sufficit nobis quod proposuimus ex ejus testimonio sufficienter probasse quomodo divina quandoque revelatio soleat meditationis nostræ studia prævenire torpentemque animum excitare, et sub semetipso dejectum, etiam supra semetipsum quandoque levare.

CAPUT XIV.

Quod tertius excedendi modus fieri soleat ex magnitudine jucunditatis.

Restat adhuc tertio loco ostendere quomodo ex jucunditatis, exsultationisque magnitudine humana mens soleat in extasim cadere, et semetipsam excedere. Hic sane excessionis modus mihi videtur satis convenienter expressus in illis quidem verbis quæ de Canticis canticorum tertio loco posuimus: *Quæ est ista*, ait Scriptura, *quæ ascendit de deserto*

Digitized by Google

deliciis affluens, innixa super dilectum suum? (*Cant.* VIII.) Si per desertum recte intelligitur cor humanum, quid erit iste de deserto ascensus nisi mentis humanæ excessus? Quasi de deserto humanus animus ascendit, quando supra semetipsum mentis alienatione transit, quando semetipsum in imo deserens et ad cœlum usque pertransiens solis divinis se totum per contemplationem et devotionem immergit. Sed hujusmodi ascensionis causa consequenter adnectitur in eo quod hæc quæ ascendit deliciis affluere describitur. Quid est deliciis affluere nisi spiritualium gaudiorum plenitudine abundare? Quid, inquam, est hæc deliciarum affluentia, nisi veræ suavitatis abundantia cœlitusque data, ubertimque infusa lætitia? Harum deliciarum copiam sicut nec verum gaudium fallaces divitiæ nunquam exhibere possunt. Alioquin fallaces non essent si veras delicias imo et earum affluentiam veraciter exhiberent. Nunquidnam delicias habere (ne dicam affluere) veraciter dici possunt qui secundum beati Job sententiam : *Sub sentibus esse delicias computant?* (*Job* XXX.) Has sane exteriores fallacesque divitias etiam impii habere possunt qui verumtamen gaudium omnino habere non possunt, nisi forte mendacem eum facimus quem in propheta veraciter contestantem audimus : *Non est impiis gaudere, dicit Dominus* (*Isai.* XLVIII). Quoties itaque internis verisque deliciis cares, etiamsi exterioribus divitiis abundes, cum Propheta veraciter psallere potes : *Quoniam inops, et pauper sum ego* (*Psal.* LXXXV). Nunquid non rex potens et dives princepsque populorum erat qui ista dicebat? Quales ergo erunt illæ divitiæ, vel quales poterunt conferre delicias inter quarum copiam oportet inopem fore, verumque gaudium aliorsum mendicare? *Ego autem*, ait, *mendicus sum et pauper; Dominus sollicitus est mei* (*Psal.* XXXIX). Hanc itaque deliciarum affluentiam veroramque gaudiorum abundantiam non est unde sperare debeas, non est unde habere valeas nisi ex intima illa animi jucunditate divinitusque infusa dulcedine : *Quæ est ista*, inquit, *quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* (*Cant.* VIII.) Non dicit delicias habens, sed deliciis affluens, eo quod non quælibet harum deliciarum experientia, sed earum affluentia hujusmodi ascensum qui de deserto fit gignat atque perficiat. Constat autem quia quantumcunque proficimus, has delicias in hac duntaxat vita continuas habere non possumus. Eo itaque tempore quo ejusmodi affluentia anima caret, ad hunc de quo modo loquimur ascensum assurgere non valet, quam in suo ascensu deliciis affluere oportet. Puto autem quia aliud et aliud sit affluentem ascendere et ascendentem affluere, sicut aliud est affluentiam esse causam affluendi. Deliciarum itaque affluentia ascensionis tunc causa existit, quando ex illa divinæ dulcedinis infusione quam in intimis sentit seipsam anima sancta præ gaudio et exsultatione non capit, intantum, ut exsultationis et jucunditatis suæ magnitudo eam extra semetipsam effundat, et supra semetipsam rapiat. Sic sane vehemens immensaque lætitia dum supra humanum modum excrescit, hominem supra hominem attollit, et supra humana sublevatum in sublimibus suspendit. Hujus sane rei formam etiam in animalibus quotidie possumus percipere. Solent namque in suis lusibus saltus quosdam dare, et sua corpora quantulumcunque in aera suspendere. Sic sæpe et pisces dum in aquis ludunt, supra aquas exsiliunt, et nativæ illius habitationis suæ terminos excedunt, dum scipsos vel ad modicum per inane suspendunt. Sic procul dubio anima sancta dum interno quodam tripudii sui applausu a semetipsa excutitur, dum supra semetipsam ire mentis alienatione urgetur, dum in cœlestibus tota suspenditur, dum angelicis spectaculis tota immergitur, nativæ possibilitatis terminos supergressa videtur. Hinc est illud quod per Prophetam dicitur : *Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium* (*Psal.* CXIII). Quis non videat supra naturam vel potius contra naturam esse, montes vel colles juxta arietum vel agnorum ludentium similitudinem saltus quosdam in superiora dare, et terram resilire, et seipsam per inane librare? Nonne velut terra a terra suspenditur, quando homo super hominem ducitur, cui per exprobrationem voce Dominica dicitur : *Terra es, et in terram ibis?* (*Gen.* III.) Quantumcunque ergo virtutis magnitudine excrescat, quamvis ad collium, seu ut multum ad montium similitudinem in alta assurgat, terra utique est, et terra recte dici potest quandiu luteas inhabitat domos, et terrenum habeat fundamentum. Unde illud Sapientis : *Ut quid superbit terra, et cinis?* (*Eccli.* X.) Si igitur simplici expositione contenti sumus, sufficit fortassis illud dicere, quia hoc est montes et colles ad arietum et agnorum similitudinem exsultare, in summis et sanctissimis viris humanam naturam ultra humanam naturam ascendere, et præ nimia jucunditatis et exsultationis abundantia supra semetipsam mentis alienatione transire. Ecce, ut arbitror, aperto jam exemplo docuimus; quod præ magnitudine exsultationis quandoque contingat humanæ mentis excessus. Sed si cui fortassis hoc quod de adjuncta ovium similitudine diximus minus sufficiat, et circa singulorum expressionem curiosius insistat, illas nonaginta novem oves ad memoriam reducat, quas summus Pastor in summis relinquit, quando illam quæ perierat in terris quæsivit. Cogitet ergo qui potest quantum sit, vel quale, hujus nostræ terræ montana ad earum similitudinem in impetu jucunditatis suæ in alta exsilire, et hanc nostram naturam exsultationis suæ applausum juxta angelicæ similitudinis tripudia formare. Si autem in arietibus supremos illos angelorum ordines, in agnis vero inferiores quoque intelligimus, nihilominus quoque et agnovimus, quoniam ejusmodi arietes (dicti videlicet summi angelorum ordines) cum miris illis jucunditatis suæ lusibus, contemplationisque excessibus, supra semetipsos eunt, cum se in suis superioribus suspendunt,

Digitized by Google

nil aliud quam creatricem omnium substantiam supra seipsos aspiciunt, nec in quo ejus potentiam vel sapientiam quam in seipso contemplari vel mirari valeant, inveniunt. Sed minores illi angelorum ordines, qui in agnis designati videntur, cum supra semetipsos feruntur, illos utique spiritus quos sibi mira dignitatis prærogativa præeminere conspiciunt, quoddam quasi adhuc speculum in hac sua sublevatione inveniunt, in quo summam majestatem mirabilem cernere, et adhuc quasi per speculum videre prævaleant. Si igitur per montes viri contemplativi, per colles speculativi recte intelliguntur, vide quam recte montes ad similitudinem arietum, et colles ad similitudinem agnorum exsultare dicantur. Quamvis enim contemplatio et speculatio per invicem poni soleant, et in hoc ipso sæpe Scripturæ sententiæ proprietatem obnubilent et involvant, aptius tamen et expressius speculationem dicimus, quando per speculum cernimus; contemplationem vero, quando veritatem sine aliquo involucro umbrarumque velamine in sui puritate videmus. Colles itaque ad agnorum similitudinem exsultant, quando immensa illa intimæ solemnitatis tripudia eos eousque supra semetipsos levant, ut cœlestium secretorum arcana saltem per speculum et in ænigmate videre valeant (*I Cor.* XIII). Montes vero quasi ad instar arietum exsultant, quando majores in jucunditatis suæ excessibus in pura et simplici veritate vident, quod minores, ut jam dictum est, vix per speculum et in ænigmate videre valent.

CAPUT XV.

Quod quilibet mentis excessus humanæ industriæ vel meriti modum excedit.

Nemo autem tantam cordis exsultationem vel sublevationem de suis viribus præsumat, vel suis meritis ascribat. Constat hoc sane non meriti humani, sed muneris esse divini. Unde et illa quæcunque est animi quæ de deserto ascendisse describitur, dilecto suo innixa perhibetur. Quid est ei dilecto suo inniti, nisi virtute illius, et non propriis viribus promoveri? Quid, inquam, est illi dilecto suo incumbere, quam de propria virtute pro hac parte nihil omnino præsumere? Quantum mihi videtur, nihil de propria industria, nihil de propria prudentia recte præsumitur, præsertim in eo loco ubi de deserto ascenditur, sed nec in deserto quidem quando per desertum itur. Scit hoc sane ipse dilectus hujus, et idcirco deducit eam in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis. Quo enim modo sustineret pondus diei et æstus, nisi in umbra illius quem diligit anima sua? vel quis ei locus tutus a timore nocturno, præsertim in loco horroris et vastæ solitudinis, nisi ipse emittat lucem suam, et veritatem suam? Denique non haberet quomodo æstus concupiscentiæ temperaret sibi, nisi virtus Altissimi obumbraret illi. Nihilominus deesset unde ignorantiæ suæ tenebras illuminaret, nisi in lumine illius videret lumen. Unde est quod illi dicit: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* XVII). Accipit itaque dilecta ex munere dilecti sui et beneficio sponsi sui duo remedia contra duo principalia mala, refrigerii nubem contra concupiscentiam carnis, et revelationis lucem contra ignorantiam mentis. Quam sæpe homo viam veritatis agnoscit, nec tamen carpit, utpote a concupiscentia sua abstractus et illectus, et hic quidem interim diem cognitionis habet, sed refrigerantis gratiæ nubem non habet. Et quam multi sæpe zelum quidem habent, qui tamen secundum scientiam non habent, et hi forte nullos interim concupiscentiæ æstus sentiunt, sed quasi sub noctis refrigerio quiescendo respirant. Et videntur quidem qui ejusmodi sunt noctem habere, sed ignem illuminantis gratiæ non habere. Bonum est ergo sperare in Domino, et non præsumere de seipso. Quam beati illi quibus fuit in velamento diei, et in lucem stellarum in nocte, expandens nubem in protectionem eorum, et ignem ut luceret eis per noctem. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Scit hoc dilecta, et idcirco dilecto suo innititur, unde et recte de ea scribitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, et innixa super dilectum suum?* (*Cant.* VIII.)

CAPUT XVI.

Quod in tertio maxime excedendi modo totum pendet ex divino beneficio.

Sane cum hæc sponsi sui dilecta semper et ubique dilecti sui adjutorio egeat, ita ut sine ipso nihil facere valeat, nusquam tamen cooperatrici animæ vehementius incumbit, vel incumbere oportet, quam eo locorum, ubi de deserto ascendit, nunc temporis maxime, cum deliciis affluit. Si enim per desertum recte intelligitur cor humanum, quid erit de deserto ascendere, nisi supra semetipsum ire? Quid igitur homo ibi possit ubi homo supra hominem ascendit? Ubi humana natura humanæ possibilitatis metas transcendit? Nullo tamen tempore dilecto suo vehementius innititur, quam cum spiritalibus deliciis anima sancta effluere videtur. Cogitemus modo puellam quamdam teneram et delicatam, utpote in multa deliciarum affluentia educatam, sed et multo vino jam madidam utpote in cellam vinariam introductam, et torrente voluptatis potatam, et quasi præ nimia teneritudine vix posse incedere, et præ nimia ebrietate viam quam tenere debeat nullo modo posse discernere. Nonne sub tali tibi schemate consideranda proponitur hæc quæ deliciis affluere, et dilecto suo innixa describitur? Quid vero mirum, si deliciarum affluentia delicatam reddit? Vultis autem audire quam delicatam efficere consuevit? Pene supra id quod credi possit, intantum denique ut nulla exterior delectatio possit ei aliquatenus sapere, nec aliqua hujus mundi gloria aliquid consolationis afferre, ita ut veraciter audeat profiteri et dicere: *Renuit consolari anima mea* (*Psal.* LXVII), eo quod veraciter sentiat, et pro certo diffiniat: *Quia omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni* (*Isai.* XL). Denique tædet animam suam vitæ suæ, quoties non datur consuetas delicias

Digitized by Google

pro voto habere. Vita itaque ipsa ei in tædium, imo in odium vertitur, quoties ei illa suæ internæ solemnitatis gaudia aliquandiu subtrahuntur. Cogita ergo quale sit ejusmodi deliciis assuetam eorum quæ delectant nihil in propria potestate habere, et sine quibus nullam possit omnino consolationem recipere, et quæ nulla sua industria, nulla sua prudentia possit acquirere. Quidquid ad ejus consolationem, quidquid ad ejus jucunditatem valet, ex alieno arbitrio, ex alieno beneficio pendet. Recte ergo illius viribus innititur, de cujus munificentia totum recte præsumitur quod speratur, desideratur, amatur. O quoties sub hoc statu dicitur illi, et juxta prophetæ comminationem vertitur ei in verbum Domini: *Manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta; modicum ibi, modicum ibi* (*Isai.* XXVIII). Exspectare itaque et reexspectare cogitur, dum ejus desiderium sæpe, diu multumque differtur, dum delicias suas nec pro voto habere, nec ab ejusmodi concupiscentiis animum suum possit temperare. Ex his, ut arbitror, apparet, quam longe supra hominem sit modumque humanum excedit quidquid in hoc mentis excessu agitur vel sentitur.

CAPUT XVII.

Qui ad hunc tertium ejusmodi gratiæ gradum profecerit, unde iniidi, sum adjuvari possit.

Verumtamen qui ad hanc gratiam profecit, cum eam sibi ultra solitum subtrahi jam sentit, est quod facere debeat, unde ad eam reparandam multum per omnem modum adjuvari valeat, et unde animum suum in id negotii quantum in se est idoneum efficiat. Debet itaque animus qui ejusmodi est, propriis meditationibus cordis in se exsultationem reparare, et impensa sibi divinorum beneficiorum munera ante recordationis suæ oculos revocare, et ex ejusmodi recordatione seipsum ad profundam, et devotam gratiarum actionem instigare, et tandem aliquando internum illud spiritalis harmoniæ organum ex intimo affectu in divinas laudes laxare. Dum itaque hujusmodi studiis intima cordis affectio in divinæ confessionis magnificentiam plena devotione resolvitur, quid aliud quam quoddam, ut ita dicam, spiraculum aperitur, per quod in illud cordis nostri vasculum cœlestis dulcedinis emanatio divinæque suavitatis abundantia infundatur? Hinc est quod Eliseus propheta verbum Domini requisitus, cum se præsensisset spiritum prophetiæ tunc temporis non habere, fecit sibi psaltem adducere, quo præsente atque psallente, statim spiritum propheticum hausit, osque suum e vicino in verba prophetiæ relaxavit (*IV Reg.* III). Forte aliquis juxta historiam quærat quid sibi velit quod propheta Domini psaltem quæsivit, vel quod ipso psallente spiritum prophetiæ recepit. Illud autem in commune novimus quod dulcis harmonia soleat cor exhilarare, et ei gaudia sua ad memoriam revocare, et absque dubio quo uniuscujusque animum suus amor vehementius afficit, eo profundius audita harmonia affectum tangit, et quo profundius per affectum tangitur, tanto efficacius ad sua desideria renovatur. Quid igitur aliud de prophetico viro sentiri oportet, nisi quod exterior harmonia interiorem illam et spiritalem harmoniam ei ad memoriam reduxit, et audita melodia audientis animum ad assueta gaudia revocavit atque levavit. Cur autem de spiritali, et vera delectatione non sentiamus quod de corporali, et vana delectatione quotidiano experimento probamus? Quis enim nesciat quomodo sola carnalis delectationis memoria carnalem mentem in delectationem rapiat? Cur non eamdem, quin potius majorem efficaciam in summis viris spiritalis delectatio habeat? Audita itaque melodia, prophetæ sancto quid aliud quam quædam scala fuit, quæ eum ad assueta gaudia levavit, et quæ carnalibus causa ruinæ esse solet, huic occasio ascensionis exstitit? Cogitet qui potest quam profunde, quam intime eum sæpius ex illius supercœlestis dulcedinis memoria ad vocem psallentis tetigit, quæ ipsum supra semetipsum rapuit, et propheticum spiritum vel sensum in prophetæ animo reparavit.

CAPUT XVIII.

Quid maxime soleat valere ad innovationem ejusmodi gratiæ.

Sed et tu quæcunque es, anima, quæ soles hujusmodi spiritalibus deliciis affluere, et dilecto tuo innixa sæp de deserto ascendere, et ad theoricos quosdam excessus subitaneo quodam et inopinato, imo inopinabili gaudiorum tripudio sublevari, et quasi quibusdam propheticis intellectibus vel revelationibus divinitus sublimari, prophetico disce exemplo quid tu facere debeas, ut sub necessitatis articulo quasi ad manum habeas quomodo animum tuum ad assuetas delicias reparare valeas. Forte non erit inutile et te sub simili necessitate psaltem adducere, et psallentem audire. Sed ut de hac re quod sentimus breviter absolvamus, quid aliud dicimus psaltem istum, quam exsultationem cordis in Deum? Ejusmodi psaltem præsentem habere nos voluit qui dixit: *Lætamini in Domino, et exsultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde* (*Psal.* XXXI). Quid est autem ejusmodi psaltem adducere, nisi provida meditatione cordis exsultationem reparare, et ex divinorum beneficiorum vel promissionum recordatione, cordis devotionem excitare? Hunc tunc procul dubio psaltem psallere facimus, quando ex magno cordis tripudio in divina præconia jubilamus, et in gratiarum actionem assurgentes, ex intimis visceribus in divinas laudes cum magno cordis clamore reboamus. Hæc itaque agentes quid aliud quam viam sternimus per quam venientem, visitantemque nos Dominum excipiamus? *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam illi salutare Dei* (*Psal.* XLIX). Psallendo itaque atque laudando iter Domino paratur, per quod ad nos venire, et miris quibusdam mysteriorum suorum revelationibus revelare dignetur. Hinc idem alio loco dicitur: *Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei qui ascendit super occasum* (*Psal.* LXVII). Quæris forsitan scire quid sit super occasum ascen-

Digitized by Google

dere. Eam sane mundi regionem qua sol occidit A luxque diurna deficit, usus occasum dicere consuevit. Quid ergo rectius intelligimus per occasum, quam humanæ intelligentiæ defectum? Ibi enim intelligentiæ sol quasi occasum incurrit, et cognitionis suæ radios abscondit, et diei lumen quodammodo in terræ noctis caliginem vertit, et humanis aspectibus omnia subducit, quando spiritus humanus in mentis alienationem cadit et a communi sensu deficiens, et extra semetipsum raptus quid in se vel circa se agatur, penitus nescit. Quid est autem Dominum in considerationis nostræ oculis ascendere, nisi magnitudinis suæ revelatione cognitionis nostræ augmenta multiplicare? Quanto enim sublimiora nobis de magnitudinis suæ altitudine revelat, tanto ad celsiora in intelligentiæ B nostræ obtutu se levat. Supra occasum vero tunc veraciter ascendit, quando hominem supra semetipsum rapit, quando ei eorum omnium quæ juxta communem sensum novit, memoriam subducit, et ei hoc de majestatis suæ celsitudine per mentis excessum ostendit, quæ juxta communem hujus vitæ statum, et humanæ capacitatis modum nullo unquam modo comprehendere possit. Studeamus ergo cum magna mentis alacritate in Domino gaudere, satagamus coram ipso cum intima devotione psallere, ut sit quibus dignetur super occasum ascendere. Hoc agentes qualem oportet psaltem adducimus, et qualiter expedit psallentem audimus. Ad ejusmodi psaltis vocem, spiritalis animus me- C dullitus tangitur, et irruente in eo spiritu spiritualiter afficitur, et dum ad divinam inspirationem intellectualis sensus aperitur, prophetalis quodammodo in eo gratia reparatur. Ad ejusmodi itaque psalmodiam, spiritalemque harmoniam anima contemplativa spiritalibus theoriis assueta incipit tripudiare, et præ gaudii nimietate suo quodam modo gestire, et ad spiritales quosdam et sui generis saltus dare, et se a terra, terrenisque omnibus suspendere, et ad cœlestium contemplationem tota mentis alienatione transire. Hoc igitur est, ut diximus, quod ad mentis innovationem valet, hoc est quod ad amissæ gratiæ reparationem maxime valere solet.

CAPUT XIX.

Quibus gradibus excrescat humanæ mentis excessus.

Dictum est quibus de causis mentis alienatio accidere soleat, nunc illud adjiciendum videtur quibus etiam gradibus ascendat. Ascendit autem aliquando supra sensum corporalem, aliquando etiam supra imaginationem, aliquando vero supra rationem. Quis autem illam quæ supra sensum corporeum, seu illam quæ supra imaginationem est negare audeat, cum illam etiam quæ supra rationem est, apostolica illa auctoritas convincat? *Scio*, inquit, *hominem sive in corpore, sive extra corpus, Deus scit, raptum ejusmodi usque ad tertium cœlum* (*II Cor.* XII). Ecce quia humanam rationem mentis alienatione transierat, qui quid circa se plenius ageretur penitus discernere nequibat. Sed hunc locum plenius explanandum melius est eruditioribus ingeniis relinquere, quam de tanta materia supra vires nostras temere aliquid præsumere. Melius in hoc nos illorum peritia instruit, quos ad scientiæ hujus plenitudinem non tam aliena doctrina quam propria experientia provexit. Ad illam itaque materiæ nostræ summam quam in primo libro succincta brevitate perstrinximus, ista in subsequenti opere largiori executione adjecimus, ubi, ut superius præmisimus, otiosi otiosis locuti sumus.

NONNULLÆ ALLEGORIÆ TABERNACULI FOEDERIS

Cum recapitulatione brevissima contentorum in præfato opere de gratia contemplationis.

Per tabernaculum fœderis intellige statum perfectionis. Ubi perfectio animi, ibi et inhabitatio Dei. Quanto ad perfectionem appropinquatur, tanto mens arctius Deo fœderatur. Ipsum autem tabernaculum debet habere circumadjacens atrium. Per D atrium intellige disciplinam corporis, per tabernaculum disciplinam mentis. Ubi exterior disciplina deest, interior pro certo observari non potest. Disciplina vero corporis inutilis certe sine disciplina mentis. Atrium sub divo et aperto jacet et disciplina corporis omnibus patet. Quæ in tabernaculo erant forinsecus non patebant. Et nemo novit quod interioris hominis est, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Habitus interioris hominis dividitur in rationalem et intellectualem. Rationalis habitus intelligitur per tabernaculum exterius, intellectualis vero habitus per tabernaculum interius. Sensum rationalem dicimus, quo nostra discernimus; intellectualem hoc loco dicimus, quo ad divinorum speculationem sublevamur. Exit homo de tabernaculo in atrium per operis exercitium. Intrat homo tabernaculum primum, cum redit ad seipsum. Intrat in secundum, cum transcendit seipsum. Transcendendo sane seipsum elevatur in Deum. In primo moratur homo per considerationem sui, in secundo vero per contemplationem Dei. Ecce de atrio, ecce de tabernaculo primo, vel secundo. Dicta autem atria habebant quinque sanctificia. Atrium habebat solum unum, sicut et secundum tabernaculum. Reliqua horum duorum habebat tabernaculum primum. In atrio tabernaculi erat altare holocausti. In tabernaculo priori candelabrum, mensa, altare incensi. In tabernaculo interiori arca testamenti. Altare exterius, afflictio corporis; altare interius, contritio mentis. Candelabrum, gratia discretionis, mensa, doctrina sacræ lectionis. Per arcam fœderis intellige gratiam contemplationis. In altari exteriori animalium carnes concremabantur, et per afflictio-

Digitized by Google

nem corporis carnalia desideria annullantur. In altari inferiori fumus aromatum Domino adolebatur, et per cordis contritionem cœlestium desideriorum flagrantia inflammatur. Candelabrum est gestatorium luminis, et discretio est lucerna interioris hominis. In mensa cibi apponuntur unde esurientes reficiantur. Sacra autem lectio est pro certo animarum refectio. Arca est auri argentique reconditorium, et contemplationis gratia apprehendit cœlestis sapientiæ thesaurum. Pertinet itaque ad altare exterius bona operatio. Ad candelabrum studiosa meditatio. Ad mensam vero sacra lectio. Ad altare interius devota oratio. Ad arcam divinorum operum contemplatio. Hæc sunt quinque exercitia in quibus agitur atque completur justificatio nostra. Merito arca sanctificationis dicitur, in qua justificationis nostræ consummatio figuratur. Habes quæ sit quintipartita occupatio in quibus exercetur religio omnis. Exercitium boni operis pertinet ad disciplinam hominis exterioris. Constat de reliquis pertinere ad disciplinam hominis interioris. Altare holocausti formam gerit corporalis exercitii. Merito ergo stat in atrio et videtur in aperto. Cætera sunt in tabernaculo, et latitant in secreto. Per arcam fœderis gratia contemplationis intelligitur, quæ quasi quoddam dilectionis pignus suis amatoribus a Domino confertur. Contemplatio autem est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. Sex vero sunt contemplationum genera singula singulari proprietate distincta. Duo versantur circa creaturas visibiles, duo circa creaturas invisibiles, duo vero ultima versantur circa divina. Quibus datur ad sola duo proficere, videntur accepisse pennas ut aquilæ. Quibus contingit quatuor dari, de ejusmoni putes dici quatuor pennæ uni, et quatuor pennæ alteri. Qui ad omnia contemplationum genera profecerunt quasi sex alas acceperunt. Putes ergo de his dici, sex alæ uni, et sex alæ alteri. Quatuor autem prima versantur circa creata visibilia, vel invisibilia, duo reliqua circa *divina*. Prima quatuor figurantur in arca, cætera *duo* in forma angelica. Attende quam recte prima figurantur in humana fabrica, ultima duo in angelica figura. Ad primum contemplationis genus videtur pertinere, res visibiles in considerationem et admirationem adducere. Secundi generis est latentes rerum causas in lucem producere, et in earum admirationem animum suspendere. In illo rerum visibilium multitudinem, magnitudinem, utilitatem cum exsultatione miramur, in isto rerum visibilium rationem cum admiratione rimamur. Primum designatur in lignorum compositione. Secundum in lignorum deauratione. Quid est enim in rebus visibilibus rationis assignatio, nisi quædam quasi lignorum deauratio? Attende quantum sit inter lignum et aurum, hoc est inter ea quæ subjacent rationi. Rerum visibilium speciem speculamur imaginando, rerum visibilium causas rimamur ratiocinando. De lignis setim autem facienda est arca, quæ sunt valde imputribilia, pertinent ad ligna imputribilia de rebus corporeis quædam sententia vera.

Primum vero contemplationis genus tribus distinguitur gradibus : primus est in rebus, secundus in operibus, tertius in moribus. Consideratio illa quæ est in rebus, pertinet ad arcæ longitudinem. Consideratio quæ est de operibus, ad arcæ latitudinem. Consideratio quæ est de moribus, ad arcæ altitudinem. Naturaliter autem est longitudo latitudine prior. Altitudo vero naturaliter est utraque posterior. Sic sane res ipsæ naturaliter sunt priores quam quælibet earum operationes. Si vero res et earum operationes deessent, mores locum non haberent. Constat ergo primam considerationem pertinere ad arcæ longitudinem, secundam ad ejus latitudinem, tertiam vero ad ipsius altitudinem. Tripartitur autem consideratio illa quæ est de rerum speculatione, et pertinere dicta est ad longitudinem arcæ. Constat namque in consideranda rerum materia, rerum forma, rerum natura. In consideratione materiæ et formæ scientia nostra plenum cubitum valet, et solet habere. In consideratione autem naturæ nullatenus valet se ad plenum cubitum extendere. Ibi scientia nostra habet quasi integrum cubitum, ubi certificatur ad plenum. Rerum materiam et formam facile deprehendimus, et utrobique certitudinis cubitum tenemus. Cognitio autem naturæ nemini patet nisi ex parte. Non ergo potest pro hac parte nisi semis cubitum habere. Patet de arcæ nostræ longitudine quam merito dicatur duos cubitos et semissem tenere. Bipartitur autem consideratio illa quæ est in operationibus, quam et ad arcæ latitudinem pertinere jam diximus. Alia siquidem est operatio industriæ, et alia operatio naturæ. Industriæ est opus quod in picturis, cælaturis, scripturis, et similibus videmus ; operationes vero naturæ sunt quod herbæ et arbores crescunt, quod flores, folia, fructus producunt. In operatione industriæ valet et solet scientia humana plenum comprehensionis cubitum habere, alioqui quomodo inveniret quod comprehendere non valeret? Latentium itaque causarum manifestus patet effectus, sed latentes effectuum causas ad plenum comprehendere nullo modo sufficimus. Patet ergo cur latitudo arcæ dicatur cubitum, et semissem habere. Bipartitur vero et illa consideratio quæ est in moribus quam ad arcæ altitudinem spectare jam diximus. Una versatur circa institutiones humanas, altera autem circa institutiones divinas. Pro certo ubi humana institutio divinæ subservit, ex utraque et animus et arcæ nostræ fabrica in altum assurgit. Humanas institutiones quas homo potuit invenire, pro certo potest et comprehendere. In divinis autem sacramentis aliud est forma exterior quæ foris patet, et aliud vis illa intrinseca quæ interius latet. In divinis itaque institutionibus ad plenum scientiæ cubitum omnium non assurgimus. Altitudo itaque arcæ nostræ constat in cubito et semisse. Debemus autem arcam nostram deaurare, et in quantum datur

Digitized by Google

rerum imaginabilium rationi insistere. Deaurare vero eam debemus non tantum extrinsecus, sed etiam intrinsecus.

Aliud est physicas rerum causas perspicere, et aliud justitiæ rationem in rerum dispositione perpendere. Illud pertinet ad deaurationem extrinsecam, istud ad deaurationem intrinsecam. Fieri autem debet nostra deauratio ex auro purissimo. In sententiæ tuæ assertione nihil sit falsum vel frivolum, et habes aurum purissimum. Facta deauratione, facienda est corona arcæ. Per coronam, ut diximus, tertium contemplationis genus intelligimus, sicut et per propitiatorium intelligi datur et quartum. In illo agitur de invisibilibus bonis, in isto de invisibilibus substantiis : pertinet itaque ad coronam arcæ quærere quæ sit corona justitiæ, quærere quæ sint illa bona quæ sunt sanctis reposita.

Notandum quod arcæ corona ipsius erat lignis affixa. Sic sane ex similitudine rerum visibilium assurgitur ad speculationem rerum invisibilium. In quarto genere contemplationis quæritur de summis creaturis. In omni autem creatura nihil dignius invisibili et rationali substantia. Recte hoc genus contemplationis per propitiatorium intelligitur quod arcæ superponebatur. Sed antequam plenius exsequamur quæ de propitiatorio dicuntur, quæ de circulis dicenda sunt hoc loco interserenda videntur. Arcam siquidem speculationis nostræ oportet quatuor aureos circulos habere, duos in utroque latere. Per arcam, ut diximus, gratiam contemplationis intelligimus. Omnino quæ quoquo modo fieri novimus in contemplationem adducere possumus, dum volumus. Eorum quæ solent accidere alia fiunt bene, alia male. Illa Dei operatione, ista Dei permissione : pertinent ad unum latus arcæ quæ fiunt Dei operatione, ad alterum vero æque quæ fiunt Dei permissione. Ecce de arcæ lateribus, nunc de circulis aureis videamus. Inter omnia metalla nihil auro lucidius, nihil auro pretiosius, et Dei sapientia clarescit præ omnibus. Dei autem sapientia pro certo est simplex et una. Diversis tamen vocabulis distinguitur, ut a nobis facilius capiatur. Nunc præscientia, nunc scientia dicitur ; nunc prædestinatio, nunc dispositio nominatur. Hi, ni fallor, sunt circuli quos oportet in arcæ lateribus poni. Circulus in seipsum reflectitur, unde et in ipso nec initium, nec finis invenitur. In omni autem æternæ sapientiæ ordinatione concordat initium cum fine. In hac ergo quadripartita sapientiæ distinctione convenienter satis dictos aureos circulos possumus intelligere. In his circulis scientiæ nostræ arca ad veritatem dirigitur, et ad ulteriora, et altiora promovetur. Ex his circulis duo ordinentur in latere uno, reliqui in reliquo. Ibi sane quique quasi sedem habent, et velut vicinius hærent ubi mirabiliores, vel jucundiores apparent. Dictum est ad unum latus pertinere quæ fiunt Dei permissione. Circuli scientiæ et præscientiæ huic lateri vicinius inhærent, ubi pro certo mirabiliores apparent. Non adeo mirum quod ab æterno prævidit quæ aliquando facturus fuit. Sed illud quale est quod ab æterno prævidit quod alienæ voluntati exposuit ? Quod omni hora intuetur quid in latebrosis cordibus agitur ? Ad alterum vero latus pertinere jam dicta sunt quæ Dei operatione fiunt. Hoc latus circuli prædestinationis et dispositionis tenent, ubi pro certo jucundiores apparent. Quid cordi bono jucundius sapiat, quam quod omnis divina dispositio prædestinatorum saluti militat ? Illud adhuc ad inquirendum restat, quis circulus quo angulo poni debeat. Dictum est ad unum arcæ latus pertinere quæ fiunt Dei permissione, pertinent ad aliud æque quæ fiunt Dei operatione. Ad istud quæ sunt æquitatis, ad illud quæ sunt iniquitatis. Tam ista autem, quam illa variantur per prospera et adversa. Ubi iniquitas et adversitas occurrunt, quasi angulum faciunt. In hoc angulo a Deo reprobi flagellantur, nec tamen corriguntur. Sed quid, quæso, eis paternitatis verbera adhibet, si eos incorrigibiles prævidet ? Præscientiæ itaque circulus huic angulo præsidet ubi mirabilior apparet. Ubi iniquitas et prosperitas concurrunt, alterum angulum efficiunt. In hoc angulo reprobi dona Dei percipiunt, et semper ingrati fiunt. Sed hoc sane Dei scientiam non potest latere, nec tamen eos desinit ad gratitudinis bonum prosperis provocare. Huic angulo scientiæ circulus arctius inhæret, ubi se tam mirabilem exhibet. In æquitatis et prosperitatis occasione tertium angulum intellige. Hic sane salvandi transitoriis prosperantur, ut ad æternorum desiderium inflamentur. Quid, quæso, hac speculatione benignius, quidve jucundius ? Quale, quæso, est quod temporalibus etiam bonis fovet, et provehit quos ad æterna prædestinavit ? Hic itaque prædestinationis circulus sedem tenet ubi præ cæteris jucundior apparet. Quartum angulum tenet circulus divinæ dispositionis, ubi est quædam occursio æquitatis et adversitatis. Hic boni bona operantur et adversis urgentur. Hinc tamen, disponente Deo, hoc in eis agitur, ut ad amorem Dei acrius inflammentur. Et quale, quæso, est quod inde in ejus amorem acrius inflammatur unde exstingui debere videbatur. Recte ergo divinæ dispositionis circulus eo loci sedem tenet quo magnificentior apparet.

Est autem contemplationis tertiæ per visibilia ad invisibilium speculationem ascendere. Hic est opus sane divinæ sapientiæ circulis incumbere si nolumus errare. Si intelligentiæ arca his circulis suspenditur quaquaversum sine erroris devio circumfertur. Dicti circuli debent insertos vectes habere quos nec licet inde extrahere, in scientiæ et præscientiæ circulis sit multitudo admirationis, in duobus reliquis sit magnitudo exsultationis. In scientia et præscientia divina semper invenies multa admiratione digna, in prædestinatione et Dei dispensatione semper invenit cor justum quod sit magna exsultatione dignum. In illis semper sit admiratio tua, in istis exsultatio tua. Nusquam alibi reperies quod dignius mireris, nusquam alibi quo rectius

Digitized by Google

delecteris. In neutra sit aliquid frivolum, in neutra aliquid falsum. Deauretur vectis uterque, ut veritatis nitore clarescant circumquaque. In his vectibus intelligentiæ arca modo in anteriora profertur, modo in altiora levatur. Quo enim cor hominis familiarius Dei sapentiam mirando delectatur, eo ad plura et majora capienda dilatatur. Per propitiatorium, ut diximus, quartum genus contemplationis intelligimus, hac primo genus pura intelligentia utitur, et circa summas et intellectibiles creaturas versatur, propitiatorium fit de auro purissimo et locatur in summo. In his notamus intelligentiæ puritatem et supereminentiæ dignitatem. Hic enim utendum est instrumento rationis sine officio imaginationis. Propitiatorium in summo locatur, et dignitas rationalis creaturæ cæteris antefertur.

Notandum quod hoc opus propitiatorium dicitur, quoniam per multam cognitionem et considerationem sui, rationali creaturæ Dominus propitius redditur. Videamus nunc quid dicitur de ejus longitudine vel latitudine. Nec minus dignum consideratione cur tacetur de ejus altitudine. Scimus quod longitudo naturaliter prior est altitudine, similiter et utraque prior est altitudine. Intelligimus ergo per longitudinem quæ sunt ad rationalis creaturæ inchoationem. Intelligimus per latitudinem quæ sunt ad ejus promotionem. Ea vero quæ sunt ad ejus consummationem intelligimus per altitudinem.

Creationis suæ bona sunt ei ad inchoationem, justificationis bona ad promotionem, glorificationis bona ad consummationem. In his se mens contemplativa diligenter exerceat ut propitiatorium suum congruam mensuram accipiat. Tria multum miranda accepit ex creatione rationalis creatura : essentiæ subtilitatem, boni ac mali discretionem, arbitrii libertatem. Notissimum est homini quid sit libertas arbitrii. Quotidie ista in cordibus nostris legimus, et in utroque certitudinis cubitum tenemus. Sed substantiam ipsius animæ quis, quæso, quo sensu potest videre? Nec video tuam, nec tu meam. Sed uterque prout est potest hic videre vel suam. Pro hac parte, quandiu vivimus, scientiam nostram ad plenum cubitum non extendimus. Recte ergo longitudo propitiatorii dicitur esse duorum cubitorum et dimidii. Rationalis creaturæ justificationem pertinere jam diximus ad propitiatorii latitudinem. Perficitur autem justificatio nostra ex inspiratione divina, et deliberatione propria. Quid vero deliberatio sit unusquisque per experientiam novit. Divina vero inspiratio qualiter in nobis fiat quis, quæso, comprehendat. Spiritus enim ubi vult spirat, et nescis unde veniat, vel quo vadat. In uno ergo comprehensionis cubitum habemus, in altero habere non possumus. Vide itaque quam recte propitiatorii latitudo dicitur cubitum, et dimidium tenere. Ecce de propitiatorii longitudine, ecce de ejus latitudine. Pertinent autem ad ejus altitudinem ea quæ sunt ad nostram glorificationem. Sed quis quo sensu comprehendat in quibus nostra constat : Quod *oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* II). Hinc facile perpenditur cur propitiatorii altitudo, mensura non præscribitur; duo ultima contemplationum genera versantur, ut dictum est, circa divina. Ad unum spectant quæ sunt supra rationem, nec tamen præter rationem. Supra rationem sunt, quæ capacitatis ejus modum excedunt; consentanea tamen sunt rationi, quamvis ab ipsa non possint comprehendi. In quibus ultimum genus versatur, rationi omnino contraria videntur, et talia, quibus nunquam ratio acquiesceret, nisi fides eam in hoc ipsum dirigeret. Hæc novissima contemplationum genera exprimuntur angelica forma. Pro certo oportet nos angelicam formam induere, si volumus ad æternorum et divinorum contemplationem volare. Hæc autem angelica forma jubetur esse ductilis et aurea : ut igitur sit aurea, contemplatoris mens mundetur ab omni phantasia. Ductile ferendo producitur, et cherubin nostri ductiles esse jubentur. Hinc ergo manifeste colligimus quod ad ejusmodi gratiam melius compunctione, quam investigatione proficimus. Excellentia harum speculationum commendatur in eo quod cherubin nominatur. In hac enim gemina speculatione promovemur ad plenitudinem scientiæ. Ultra has autem aliquid ad augmentum scientiæ non est quærere vel invenire. Dictum est superius quod per visibilia ad invisibilium contemplationem ascendimus. Sic sane per cognitionem invisibilis creaturæ sublevamur ad speculationem creatricis naturæ. Hinc est quod cherubin jubentur vultum in propitiatorium vertere; hinc est quod jubetur unus ex una, alter ex altera parte stare. In illa speculatione quæ per propitiatorium intelligitur multa divinorum similitudo, multa dissimilitudo invenitur. Est enim spiritualis creatura ad imaginem et similitudinem Dei facta. Unus ergo ex cherubin ante jam dictis teneat latus similitudinis, alter vero ex eis teneat latus dissimilitudinis. Et speculatio rationi magis consentanea stet ex parte una, et quæ rationi minus est consentanea stet ex parte altera. Debent autem cherubin alas expandere et propitiatorium tegere. Quid extensio alarum nisi quædam præparatio ad volandum? Ipsa mentis præparatio in æternorum volatum vertitur et in umbraculum; in umbraculum, inquam, diei ab æstu, et in absconsione et protectione a turbine et a pluvia. Debent vero cherubin vultum in propitiatorium vertere, et ex inspecta Dei imagine certius edoceri ad sublimiora scientiæ. Debent etiam dicti cherubin se mutuo respicere, et alterutræ assertionis consonantiam per omnia conservare. Uterque caveat ut in eo quod affirmat alteri non contradicat, Sic ab uno fiat assertio unitatis, ne in eo evacuetur confessio trinitatis. Sic in altero fiat trinitatis confessio, ne evacuetur in eo unitatis assertio. Audiat prælatus quisque quam sit utile tres ultimas speculationes comparasse. Inde, inquit, loquar ad te.

Digitized by Google

His comparandis intendat qui ad divinas revelationes anhelat. Merito propitiatorium oraculum dicitur, nam inde divina responsa dabantur. Supra propitiatorium Dominus loquitur, quando spiritui inspirat quod notionis ejus modum supergreditur. Quasi de medio cherubin auditur, quod cuique pari modo concordare videtur. Alis cherubin propitiatorium, propitiatorio arca operitur, quoniam ex superioris scientiæ prærogativa, inferiorum scientia obnubilatur. Juxta Dominicum præceptum testimonium in arca est reponendum. Quod enim faciendum edocemur in summis, firmiter retinendum in intimis, conversamur in viis. Principalia Dei præcepta testimonium dicta sunt, quoniam conscientiæ cujusque testimonium reddunt. Secundum observantiæ modum reddunt cuique testimonium quantum diligat Deum suum. Hæc de gratia contemplandi summa brevitate perstrinxi : nam alias de eadem materia latius disserui.

Per mensam propositionis intelligimus doctrinam sacræ eruditionis : in mensa cibus ponitur ut ad refectionem sumatur. Refectio alia corporalis, alia spiritualis. Illa est corporum, ista spirituum ; illam procurat sæcularis scientia, istam Scriptura divina: in Scriptura sane divina refectio animarum proponitur, unde et merito mensa propositionis nominatur. Alius autem fuit status humanæ vitæ sub spe redemptionis futuræ, et alium oportuit esse sub fide Redemptionis jam factæ. De uno agitur in Veteri Testamento, de altero in Testamento Novo. Scriptura igitur sacra sufficienter agit de utroque, unde et dicitur duos cubitos longitudinis tenere. Pro certo utrumque Testamentum soli intendit procurationi animarum. Procurationem corporum tacuit, et sæculari scientiæ reliquit. In ea ergo agitur de una, non de gemina procuratione, unde et dicitur cubitum unum latitudinis habere. Quantum autem ad modum nostræ reparationis sufficienter agit de statu vitæ præsentis. Pauca autem de futuris docet : nam ejus altitudo cubitum et semis tenet. Plenum cubitum quantum ad præsentem statum; semis, quantum ad futurum. Mensa propositionis fabricatur ex ligno, superducitur auro, labio circumdatur, gemina corona decoratur. Per opus ligneum intelligimus sensum historicum ; per labium tropologicum, per geminam coronam allegoricum et anagogicum. De lignis setim fabricata est mensa, quæ dicuntur valde imputribilia. Pertinet autem ad ligna imputribilia sacra historia ab omni falsitate et fatuitate aliena. Mensæ deauratio ipsius litteræ subtilis et sapiens expositio. Pulchra deauratio sagarum divinorum judiciorum commendatio.

Notandum sane quod primum opus est ligneum, sed deauratum. Cætera vero tria non deaurata, sed aurea. Quod est inter lignum et aurum, hoc est inter historicum et mysticum sensum. In Scriptura sacra primum locum tenet historia. Mystica vero intelligentia pro certo est tripertita. Tropologica tenet locum unum, allegorica medium, anagogica summum. Cur summum non teneat quæ de summis et cœlestibus actitat ? Allegoria maxime circa fidei nostræ sacramenta versatur, et qualia creduntur magis quam intelliguntur. Tropologia de his agit quæ quisque facile capit et unde et in imo resedit. Per labium ergo aureum intelligo mysticum et moralem intellectum. Magnum aliquid innuitur quod hæc operis figura labium dicitur. Scimus quod omnis noster sermo formatur ex labio. Forte ergo datur intelligi quod communis etiam locutio debet tropologia informari. Labio corona in terrasilis superponitur, quia allegoria circa subtiliora et sublimia versatur. Opus interrasile solet artificiosas quasdam quasi celaturas habere, et quis digne miretur quod miro modo allegoria historiæ intexitur? Ea enim ibi allegorice inserta sunt quæ vix possunt credi, comprehendi non possunt. Corona interrasilis habet superficiem suam hic planam, hic concavam, illic perforatam. Planam, in his quæ sunt secundum rationem ; concavam, in his quæ sunt præter rationem; perforatam, in his quæ videntur contra rationem. Alia est enim conditio tropologiæ, et longe alia conditio allegoriæ. Quid est enim tropologia nisi moralis scientia, et quid allegoria nisi mystica mysteriorum doctrina ? Morum honesta cordi humano naturaliter sunt inscripta. Mysteriorum vero profunda pro certo nemo nisi temere præsumit de sensu proprio. Unde et altitudo coronæ quatuor tantummodo digitos dicitur tenere. Quid, quæso, sunt evangelistæ sancti nisi digiti dexteræ Excelsi? Ad horum mensuram allegorica doctrina se formal, cum eorum dictis per omnia concordat.

Notandum quod ipsi labio corona fieri præcipitur, quoniam ex sacramentorum virtute morum disciplina utilis et observabilis redditur. Per coronam, ut dictum est, aureolam intelligimus doctrinam anagogicam. Hæc doctrina de summis agit, unde et ejus figura immensa locum summum obtinuit. Quid enim dicimus anagogen nisi mysticam et sursum ductivam supercœlestium intelligentiam ? In prædictis duobus quæritur doctrina morum et mysteriorum. Ad anagogen spectat sperandorum prævidentia præmiorum. Quod corona dicitur aureola idem valet ac si diceretur modica et aurea. Est autem modicum quid, quidquid vis humana capit de eo quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Notandum quod sola Scriptura sacra allegorico et anagogico sensu mystice utitur sola inter omnes hac gemina supereminentia coronatur. Sanctis doctoribus summopere studendum est ut semper sint parati omni poscenti reddere rationem de ea fide et spe quæ in nobis est. In promptu habeant probare vera, improbare falsa, suadere justa, dissuadere injusta. Qui hæc novit, quales oportuit circulos doctrinali mensæ inseruit. O quales circuli probatio veri, improbatio falsi, persuasio justi, dissuasio injusti. Nonne ratiocinatio in idem redit et circulum facit, cum quod in initio proposuit in fine concludit?

Digitized by Google

Quod dictum est de uno ex his circulis facile intelligitur quid sentiendum sit de aliis. Videamus modo qui sunt illi anguli in quibus debent ejusmodi circuli poni. Ubi quis ambigit de eo quod sacra Scriptura proponit, quodammodo quasi angulum incurrit. Ambiguitas et hæsitatio angulum facit, ubi quid eligendum sit non facile occurrit. Sæpe dubitatur de vero utrum sit verum, similiter et de falso utrum sit falsum. Sæpe hæsitatur de faciendo justo, sæpe de faciendo vel non faciendo injusto. Quem autem circulum quo angulo debeamus ponere perfacile est videre, nec eget nostra assignatione. Consequens est modo quærere quid sentiendum de pedibus mensæ. Pedibus totum corpus nititur et ad statum erigitur. Quanto autem divinis mandatis firmius innitimur, tanto perfectius ad statum rectitudinis erigimus. Secundum numerum pedum attende quadripartitum mandatum. Pes primus præceptio, secundus prohibitio, tertius commonitio, quartus concessio. Præceptio in his quorum perpetratio est ad meritum, declinatio ad reatum. Prohibitio in his quorum perpetratio est ad reatum, declinatio ad meritum. Commonitio in his quorum perpetratio sic est ad meritum ut declinatio non sit ad reatum. Concessio A in his quorum declinatio sic est ad meritum, ut perpetratio non sit ad reatum. In præceptis maxime opus est approbatione, in prohibitis improbatione, in commonitione opus est persuasione, in concessis dissuasione. Cur autem sit diligenter inquirenti facile elucescet. In duobus constat officium veri prædicatoris, in eruditione veritatis et adhortatione virtutis. In hac gemina efficientia doctrinalis mensa circumfertur, et suis quibusdam quasi vectibus de uno corde in aliud traducitur. Unus itaque vectis dicatur sagacitas eruditionis, alter sagacitas exhortationis. Ejusmodi vectes debent ex apertis litteræ testimoniis, et velut de lignis setim fieri, et mysticorum intellectuum sententiis deaurari. Omnis sacra eruditio debet niti ad probationem veri et B improbationem falsi. Omnis exhortatio sacra ad perfusionem boni et dissuasionem mali. Hinc est facillimum perpendere qui circuli qualem vectem debent habere

Notandum quod ad vectes pertinet Scripturarum attestatio, ad circulos humana ratiocinatio. Et quoniam mysteriorum profunda humanam rationem excedunt, recte circuli sub corona sedem accipiunt.

TRACTATUS

DE MEDITANDIS PLAGIS QUÆ CIRCA FINEM MUNDI EVENIENT.

Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis et appropinquent anni de quibus dicas : Non mihi placent (*Eccle.* XII). Quantum ad litteræ superficiem spectat, prout mihi videtur, magna illa et ultima tribulatio in ultimis his hujus libri verbis describitur, et totum pene quod sparsim per multa Scripturarum loca legimus succincta hic brevitate comprehenditur. Prævidens itaque in spiritu sapientissimus hominum Salomon, quid in novissimis temporibus superventurum sit universo orbi, universum hominum genus quasi unum hominem alloquitur, et dum tempus bene operandi suppeditat ad bona agenda quæ valet provida circumspectione hortatur. Dicit ergo : *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ.* Scimus quia juventus cæteris ætatibus est fortior, et ad viriliter agendum promptior atque paratior. Suo itaque modo genus humanum quasi juventutem habet dum adhuc virtutum floribus pollet, et ad fortia agenda ex Dei adhuc munere viget. Dicat itaque, dicat : *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ*, antequam senium mundi superveniat, antequam bene operandi tempus et opportunitas penitus deficiat. Erit enim quando jam nemo poterit operari. Erunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus C usque nunc, nec fient. Hanc autem quasi tribulationem tribulationum, et afflictionem afflictionum per expressionem significare voluit cum dicit : *Antequam veniat tempus afflictionis.* Nec enim afflictio illa est sola, sed summa. *Antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni de quibus dicas : Non mihi placent.* Quandiu volumus tales quales interim annos patimur habere, magis quam omnino annis carere, constat procul dubio quod ex nonnulla parte placeant, quamvis ex meliorum comparatione displiceant. Sed inde constat illos annos veraciter et usquequaque hominibus displicere, quia in illis diebus eligent homines mori magis quam vivere. Et secundum quod scriptum est : *In illis diebus quærent homines mortem, et non invenient eam ; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis* (*Apoc.* IX). *Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ, et revertantur nubes post pluviam.* Ultimam illam tribulationem quam prius summatim perstrinxerat, jam latius explicat in his quæ subsequenter gradatim enumerat. Ostendit itaque quam multis, quam miris modis genus humanum in illa ultima tribulatione divinitus sit percutiendum. Primo in signis et prodigiis de cœlo multiplici terrore. Et quia nec sic ad pœnitentiam compungi poterunt, opprimendi sunt multiformi contritione, in peste et fame, in intole- D

Digitized by Google

rabili persecutione, non modo in sola sterilitate frugum, sed et arborum et olerum miranda vastitate, mutua seditione. Hæc omnia eo ordine quo posuimus in subsequentibus Salomonis verbis seriatim invenire poterimus. Quia igitur hæc omnia quandoque superventura sunt homini propter negligentiam et contemptum Dei, merito dicitur illi : *Memento Creatoris tui, antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ.* Nonne hoc idem sonat quod in Evangelio legis : *Erunt signa in sole, et luna, et stellis?* (*Luc.* XXI.) Et ex voce Joel audis quia *sol vertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis* (*Joel.* XII). Et vide quam merito tenebras exteriores patiuntur extrinsecus qui ad lucem veram clauserunt oculos intrinsecus. O quam merito cruciat eos subtractio luminis exterioris, quos intus excæcant tenebræ infidelitatis!

Sed in his Salomonis verbis adhuc aliquid innuitur. Nam aliud est quod in eis manifeste exprimitur, aliud quod ex eis manifesta ratione colligitur. Nam scimus quia corruptionem siderum necessario sequitur corruptio elementorum. Corruptionem autem aquæ et aeris semper comitatur pestilentia gravis. Intelligimus itaque eos qui in illis diebus futuri sunt percutiendos prius gravi terrore : et evestigio postmodum feriendos gravi admodum peste. Et quia nec sic poterunt compesci ab iniquitatibus suis, succedent vel potius accedent semper flagella flagellis. Dicitur ergo : *Antequam tenebrescat sol, et lumen, et luna, et stellæ*, et additur : *Et revertantur nubes post pluviam.* Solet sane pluvia nubes detegere, et serenitatem adducere. Quid itaque aliud notatur in reversione nubium nisi nimia et inordinata effusio aquarum? Non tamen illud negamus quin pluvia post pluviam sæpe sine dilatione descendat, et pluvia pluviæ evestigio succedat. Sed hoc faciunt nubes remanentes, non nubes revertentes. Sed si nubes impendentes in pluviam plene resolvantur, et nubibus resolutis nubes statim revertantur, et in hunc modum nubes sæpe resolvantur, sæpe revertantur, scito hoc ipsum nequaquam accidere sine magna naturæ perturbatione, et quotidiani rerum cursus exorbitatione. Magna itaque aquarum inundatio innuitur in eo quod dicitur : *Antequam revertantur nubes post pluviam.* Et certe quod magnis malis præmissis hoc ipsum in augmentum malorum adjungitur, innuit grave valde aliquid esse quod sub comminatione proponitur. Certum autem est quod sicut pestilentia sequi solet corruptionem elementorum, sic sane famem validam sequi oportet nimiam inundationem aquarum. Sic sic utrobique ex effectu causa perpenditur : dum ex uno pestis, ex alio fames futura colligitur. Nonne hoc est quod in Evangelio habes : *Erunt pestilentiæ et fames* (*Matth.* XIV).

Notandum autem quod fames cum sequi soleat modo nimiam, ut dictum est, aquarum inundationem, modo nimiam siccitatem, multo tamen pejor, multo validior esse solet illa quæ comitatur immoderatam aquarum effusionem. Dicatur itaque dicatur : *Memento Creatoris tui antequam revertantur nubes post pluviam.* Audisti de terrore, audisti de peste, audisti de fame, audi de persecutione : *Quando commovebuntur custodes domus, et nutabunt viri fortissimi.* Nam sicut loquitur Evangelium : *Exsurget gens contra gentem, et regnum adversus regnum* (*Marc.* XIII). Erit autem in illis diebus tantus terror hostium, ut in locis minus tutis manentes incipiant de suis sedibus migrare. Et primo quidem substantiam suam cum uxoribus et parvulis ad loca tutiora transmittere, tandem autem crebrescentibus malis et ipsi sequi qui videbantur ad domorum custodiam remansisse. Nonne hoc tibi esse videtur quod Scriptura innuit cum dicit : *Quando commovebuntur custodes domus. Quando commovebuntur*, inquit, *custodes* non divitiarum, sed domorum. Quando nec illæ personæ audebunt in evacuatis domibus remanere, quæ videbantur eas et posse et debere custodire. Nam nec illi qui videbuntur corpore robusti, armis instructi, auxiliis vallati poterunt esse securi : *Nutabunt enim viri fortissimi.* Quid, quæso, facient infirmi ubi nutant viri fortissimi? *Et otiosæ erunt molentes imminuto numero, et tenebrescent videntes per foramina.* Juxta morem terræ Palæstinorum videtur hoc dicere, ubi solent feminæ ad molam sedere, et fruges terere. Dicit itaque quia otiosæ erunt molentes, cum tamen sint imminuto numero. Duo ergo notat, et paucitatem molentium, et paucitatis ipsius otium. Ecce jam manifestum habemus quod superius de fame et frugum sterilitate jam diximus. Quare enim, quæso, illa molentium paucitas otiosa erit, nisi quia quod molat vix vel nullatenus invenire possit?

Quanta, quæso, putas erit multitudo pereuntium, hinc peste, hinc fame, hinc cæde quotidianis momentis de vita periclitantium? Quæ cuiquam consolatio esse possit? Quis a lacrymis et fletu temperare se possit, cum videat omni hora conjux uxorem, uxor conjugem, parens prolem, proles parentem, propinquus propinquum, amicus amicum, vitam aut miserabiliter finire, aut miserabilius protrahere? Quomodo, quæso, cruciabit hinc timor persequentium, illinc dolor ex compassione periclitantium? Tantus erit dolor, tantus dolentium mœror ex periclitantium miseratione, ut ex flendi assiduitate flentium oculi incipiant caligare. Tantus erit persecutionis timor, tantus timentium stupor, ut ad quemlibet pertranseuntium strepitum trepidi et stupidi non audeant ostium aperire, vel quid sit nonnisi per foramina, vel rimas aspicere. Nonne hoc tibi esse videtur quod his verbis innuitur : *Et tenebrescent videntes per foramina?* Quare, quæse, erunt respicientes non apertis ostiis, sed per foramina, nisi ex nimio terrore? Quare tenebrescent respicientium oculi, nisi ex nimio mœrore? *Arescentibus namque hominibus præ timore et exspectatione quæ superventura sunt universo orbi* (*Luc.*

Digitized by Google

xxi), inter tot discrimina vitæ quis poterit esse modus dolendi atque merendi : *Quando commovebuntur custodes domus, quando nutabunt viri fortissimi*, quando *otiosæ erunt molentes imminuto numero?* Vide ergo quam argute concionator iste modo ex causa effectum innuit ; modo e converso causam ex effectu ostendit. In superioribus jam diximus quomodo in quibusdam locis ex causa effectum perpendere debeamus. Hinc autem e converso ex effectu causa colligitur, ubi ex oculorum caligine mœroris magnitudo pensatur : *Et tenebrescent*, inquit, *videntes per foramina*, ubi et additur, *et claudent ostia in platea in humilitate vocis molentes.* Quod tunc temporis claudent ostia in platea inter molendum, vide ne forte magis hoc loco dictum sit, propter timorem concivium et vicinorum, quam hostium. Vide ne forte quivis inter molendum ob hoc maxime ostia claudat, ne ad strepitum molæ vicinus accurrat, et urgente fame violenter sibi auferat modicum quid illud, quod molebat.

Dolentibus autem atque lugentibus solet esse familiare lugubre aliquid canere, et idipsum in vocis humilitate. Recte itaque temporibus illis periculosis congruere videtur quod dicitur : *Et claudent ostia in platea in humilitate vocis molentes.* Sub quanto timore tabescant superius jam audivimus ; audiamus adhuc quomodo malum semper crescat in majus : *Et consurgent ad vocem volucris, et obsurdescent omnes filiæ carminis.* Quod hoc loco consurgere dicuntur ad vocem volucris, nonne tibi simile videtur quod sub vocis comminatione in Levitico legis : *Terrebit eos sonitus folii volantis, et ita fugient quasi gladium?* (*Levit.* xxvi.) Erunt itaque sub eo tempore tantæ formidinis, tantæque pusillanimitatis, ut sonitus avis volantis, seu folii decidentis possit eos deterrere, et de sua quiete excutere. Consurgent ergo ad vocem volucris, ut sit et ipsis judicium in derisum tanquam pueris insensatis, et merito quidem ut tandem aliquando ad vocem avis trepidare incipiant, qui vocem summæ Majestatis prius in suis præceptis vel nimis tumide despexerant. Sed quia Scriptura sacra in uno quod dicit multa sæpe subintelligere facit, possumus et hoc loco ex eo quod dicitur et alia pensare, et similia de similibus æstimantes, quod de Ægyptiis legimus de istis futurum exspectare. Legitur autem de Ægyptiis in Sapientiæ libro : *Quia spiritus sibilans aut inter spissos arborum ramos arium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore* (*Sap.* xvii). Si igitur trepidi et timidi consurgent et exsilient de sedibus vel cubilibus suis ad vocem volucris, cur non et ad vocem animalis seu etiam ad quemlibet illapsum sonitur perstrepentis? Et consurgent ad vocem volucris. Animadvertitis, ut arbitror, quomodo in his verbis exprimitur magnitudo timoris. Attendite adhuc quomodo in his quæ sequuntur exprimitur magnitudo doloris : *Et obsurdescent*, inquit, *omnes filiæ carminis.* Filias carminis dicit, secundum idioma illius linguæ, eas quæ carmina et dulces cantilenas solent amare et frequentare, utpote in ejusmodi oblectamentis enutritæ. Hyperbolice itaque dicit filias carminis obsurdescere, eo quod præ nimia doloris amaritudine jam desinat eis esse delectabile dulce carmen, vel quodlibet tale, et omnis voluptas aurium a quantumlibet delicata anima longe recesserit quasi quæ veraciter obsurduerit. Si filiæ carminis obsurdescunt ad carmina, quanto magis ad alia? Si ad vocem carminis obsurdescunt carminis filiæ, quanto magis quælibet aliæ?

Notandum autem in his omnibus quomodo malum semper grassatur in majus. Superius dicuntur molentes in humilitate vocis facere ; hic dicuntur filiæ carminis obsurdescere. Ibi innuuntur molentes flebile aliquid flebiliter cantare, hic innuuntur filiæ carminis quantumlibet dulce carmen nec audire velle, nec in eo delectari posse. Ecce quomodo malum semper in majus crescit et in deterius vergit. Superius significavit Scriptura homines de suis sedibus migrandos, et ad loca tutiora fugiendos : in quo et illud impletur quod in Evangelio legitur : *Tunc qui in Judea sunt fugiant in montes, et qui in medio ejus discedant, et qui in regionibus non intrent in eam* (*Matth.* xxiv). Sed cum ad tutiora loca effugerint, nunquid in securioribus locis securi erunt? Audi quid sequitur : *Excelsa quoque timebunt, et formidabunt invia.* Vides certe quia nusquam securitas. Nec in locis sublimibus, nec in locis inaccessibilibus, quia excelsa timebunt et formidabunt invia.

Notandum hic quod et in superioribus, quomodo omnia semper vertuntur in pejus : *Florebit amygdalum, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis.* Non dicit de amygdalo quia fructificabit, sed florebit, inquit. Florebit, inquit, ut homines sub tanta inopia videant quod sperent, et amplius concupiscant, et cum postmodum amiserint quod speraverant, profundius ingemiscant. Non ergo fructificabit ut sustentetur famelicorum inedia, sed florebit tantum et impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis. Sane capparis genus est oleris. Solent autem locusta, brucus, et eruca folia arborum et olerum undique perforare, modo ex parte comedere, ex parte relinquere, modo autem usque ad costas totum consumere, et in hunc modum virentia quæque dissipare atque destruere. Corrodentibus itaque erucis et ejusmodi animantibus minutis, dissipabitur capparis. Nonne videtur illis etiam temporibus congruere illud Joelis prophetæ : *Residuum erucæ comedit locusta, et residuum locustæ comedit brucus, et residuum bruci comedit erugo* (*Joel.* i). Superius audivimus de sterilitate frugum, ecce nunc adjungitur de vastitate fructuum et ole-

Digitized by Google

rum. Nam quod de uno arboris vel oleris genere dixit, de aliis etiam multis pro more suo intelligi dedit. Ecce quomodo divina severitas post subtracta majora vitæ subsidia, tandem subtrahit etiam minora. Et illud homini ad ultimum auferitur, unde ejus vita qualitercunque posse sustentari videbatur. Ecce in ultionem Creatoris homo ab omni creatura undecunque percutitur, multis et miris modis circumquaque flagellatur, prius e cœlo quasi ex supernis virtutibus. Postea in terra cæde mutua homines ex hominibus, tandem autem locustis, et erucis, et minutissimis quibusdam animantibus. Sic sic superbia humana terretur, atteritur, conculcatur. Terretur desuper ex angelicis virtutibus, atteritur mutuis persecutionibus, conculcatur a mutis et minutis animantibus. Signa namque et prodigia ad incutiendum timorem, persecutiones et cædes ad excitandum furorem, insectatio vilium animantium ad ingerendam confusionem et indignationem. Cur autem homo tunc temporis tot modis percutitur, tot flagellis atteritur, tot miseriis afficitur, causa quidem subinfertur cum dicitur : *Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ*. Ac si aperte inferat et dicat : Idcirco oportet hominem ad ultimum sub tanta tribulationum fasce laborare atque deficere, quoniam tempus instat quo auferatur homo de superficie terræ et eat in domum æternitatis suæ. Idcirco lumen solis et lumen lunæ subtrahitur, idcirco et cætera mala contingent quæ consequenter enumerantur, idcirco incipient mala de die in diem crescere, magis magisque crebrescere, ut hinc exire compulsus tandem aliquando deserat homo locum peregrinationis suæ, et eat in domum æternitatis suæ. In domum æternitatis suæ, in locum mansionis perpetuæ, ubi in æternum subsistat, ubi nullo fine deficiat, in domum æternitatis suæ. In æternitate cuncta sunt immobilia, transitoria nulla. Ibit ergo ubi in æternum permaneat, et cuncta immobilia inveniat. In domum, inquit, æternitatis suæ. Non dicit in domum æternitatis, sed cum adjectione, in domum æternitatis suæ. In eam itaque perpetuitatis suæ mansionem ibit, quam sibi quisque meritis propriis acquisivit, ubi merito retributionis inveniat sive immobilia bona, sive immobilia mala.

Constat itaque hominem hunc mundum ad ultimum eum miserando cruciatu amittere, cogitur tandem aliquando homo cum miro et miserabili dolore deserere, quem jam diu possederat cum perversa delectatione. Idcirco autem mundi finis tot modis afficitur, tot flagellis atteritur, tot et tantis malis urgetur, ut ex ejus fine homo vel sero agnoscat quid sit quod contra Deum amaverat, quid sit propter quod Deum contempserat, quid sit propter quod bona æterna amisit, quid sit propter quod se malis æternis addixit. Erunt itaque novissima illa mundi hujus mala tam multa, tam magna, tam amara, tam intolerabilia, ut quantumlibet brutis mentibus intelligant homines mundi finem adventasse, genus humanum, tot calamitatum generibus urgentibus, diu durare non posse, ita ut incipiant omnino de omni salutis remedio desperare. Hinc dolor, hinc stupor et horror, hinc gemitus, hinc luctus et planctus. Nonne hoc sensit qui consequenter adjungit : *Et circuibunt in platea plangentes?* Tantus itaque erit communis omnium dolor, tantus mœrentium stupor, ut nimia animi anxietate concussi, non valeant in una vel ad modicum sede subsistere. Sed velut amentes effecti incipiant huc illucque discurrere. Et quamvis forte communis calamitas persecutionibus finem imposuerit, nihilominus tamen priorum memores non audebunt in campos vel agros exire; sed cum non valeant præ nimia furoris exagitatione in suis se domibus continere, et disciplinate plangere, incipient, ut dictum est, per vicos et plateas civitatis cursitare, et, velut turbinis more, misero vertigine circumacti gemendo, plangendo, ululando, non desinent omnia pervagare, nunquam quiescere. Circuibunt ergo in platea plangentes. Ecce quomodo miserabilius tandem agitantur proprio furore, quam ulla prius hostium persecutione. Ecce quam misero fine deficiunt qui in contumeliam Creatoris sui vertunt totum quod vivunt. Sed in hunc modum afflictis atque flagellatis, et nec sic quidem correctis malorum incrementa intonare non cessat, cum subjungat : *Antequam rumpatur funis argenteus, et recurrat vitta aurea.* A superioribus repetendum : *Memento Creatoris tui*, saltem, inquit, post talia mala, post tanta flagella, memento Creatoris tui, ne incipiant adhuc et alia post alia sequi. In omnibus enim his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta. Memento ergo Creatoris tui antequam rumpatur funis argenteus, et recurrat vitta aurea. Quod dicit funis argenteus, non est accipiendum pro uno aliquo singulariter, sed passim pro qualicunque generaliter. Tale est illud, florebit amygdalum, tale et illud, ibit homo in domum æternitatis suæ. Nam neque illud dictum est pro una aliqua arbore, neque istud pro uno aliquo homine. Sic hic generalis sententia infertur cum dicitur : Antequam rumpatur funis argenteus. Scimus quia pretiosa quidem ornamenta quæ solent ex auro et ebore, vel lapidibus pretiosis fieri, solent argenteis funibus appendi, vel suis locis affigi, qualia sunt idola gentium, phylacteria Christianorum, ornamenta ditissimarum et regalium personarum. Hæc sunt quæ nobilissimæ personæ solent inexplebili aviditate ambire, pro hujusmodi prædia et patrimonia expendere. Hæc sunt quæ oculos stultorum capiunt, et in sui admiratione suspendunt. Penset ergo qui poterit, quid tunc in mentibus hominum sit, quando incipient pretiosa quæque ejusmodi abominari et detestari, et nec saltem posse aspicere quæ prius solebant tam ardenter amare, sed passim quasi cum furore et indignatione de suis locis quo affixa erant violenter avellere, et ruptis funibus argenteis in solum prosternere, et in sterquilinium projicere.

Digitized by Google

Quod amantissima eorum in sterquilinium projiciantur ex eo certius colligitur quod dicitur, antequam recurrat vitta aurea. Non dicit antequam atteratur, ne usu atterenda videatur : *Sed antequam recurrat*, inquit, *vitta aurea*, quod tunc fit, quando ad solem quidem et pluviam projecta nunc humore resolvitur, nunc calore restringitur, donec tandem eam ista vicissitudinum alternatio penitus dissolvat, et per semetipsam recurrere faciat.

Notandum quod recurrere de eis proprie dicimus quæ torquendo fieri videmus. Ecce quo fine concluditur, ecce quo exitu terminatur pompa sæculi, hujus gloria mundi. Sed omnis gloria mundi, quanti pendenda tunc erit, quando ipsa etiam vita omnibus in tædium, imo in odium venit ? *In illis siquidem diebus quærent homines mortem et non invenient eam, et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis* (*Apoc.* IX). Nonne hoc est quod in Evangelio habemus, ubi ab ipso Domino audimus ? *Tunc incipient*, inquit, *dicere montibus : Cadite super nos, et collibus : Operite nos* (*Luc.* XXIII). Incipient itaque homines tunc velle, quæ prius nolebant, multum desiderare quæ prius multum timebant, et qui prius plangebant et flebant desolationem et defectum mundi, jam ardenter concupiscunt eum cito posse finiri. Animadvertitis, ut arbitror, quomodo ea semper quæ posteriora ponuntur, deterius aliquid sonare videntur. Quod enim circumeunt in platea plangentes, eo quod videant hominem urgeri ire in domum æternitatis suæ, innuit nonnullum, imo magnum adhuc mundi amorem mentibus hominum inesse, pro quo videntur tam inconsolabiliter plangere. Quod autem tandem aliquando unusquisque pretiosissima quæque velut quædam stercora projicit, quid aliud quam mirabilem quemdam mundi contemptum ostendit ? Sic semper detrimentis detrimenta succrescunt, et præeuntibus malis semper deteriora succedunt. Sed quod eos ad mundi contemptum profecisse dicimus, nunquid in eo ad pœnitentiam compunctos vel correctos putamus ? Sed audiamus quod sequitur : *Et antequam conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam.* Nonne magis videntur ista impatientiæ vel malitiæ signa quam pœnitentiæ argumenta ? Quid enim, quæso, est quod ad ultimum post omnia hydria passim ubique super fontem conteritur, vel rota super cisternam ubicunque confringitur ? Nunquidnam tot flagellis exacerbati, tot miseriis amaricati, tantæ impatientiæ erunt ut se invicem sustinere non possint, adeo ut cum ad hauriendam aquam occurrerint alter alterius hydriam frangat, dum superveniens exspectare non sustinet ut prior hauriat qui ad hauriendum prius accurrerat ? An forte tunc temporis tantæ erunt malitiæ ut haustum etiam aquæ frigidæ incipiat unus alteri invidere ? Scimus autem quia ad hauriendam aquam humiliores personæ conveniunt. Quid autem sublimiores facturi sunt, si viliores quique ad tantam impatientiam vel malitiam erumpunt ? Sed qui hydriam alienam frangunt, cur saltem rotæ non parcunt ? Nam hydria cuique in proprios usus deservit, rota vero in communes usus deservire consuevit. Qui ergo non parcit damno alieno, cur non parcit vel proprio ? An forte refrigescente charitate et abundante iniquitate, tantæ tandem erunt malitiæ, ut malint omnino incurrere damnum proprium quam non impedire commodum alienum ? Dicat ergo, dicat : *Memento Creatoris tui antequam conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam.* Antequam humana malitia in tantam insaniam prorumpat ut unus alteri minima etiam bona invideat, antequam unus alterius hydriam conterens proximo suo etiam gratis noceat, antequam in commune desæviens rota super cisternam passim confringatur, ut unus alterius damnum cum proprio saltem detrimento mercetur. Audivimus quam multa, quam magna, quam metuenda sint mala quæ mundi finem comitantur. Audiamus adhuc quam horrendo exitu hæc omnia concluduntur : *Donec revertatur*, inquit, *pulvis in terram unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Certe si nil aliud mali homo in hoc mundo exspectaret, si nullum aliud experiri oporteret, si cætera omnia, dum hic vivitur, pro voto haberet, et talem exitum cum omni certitudine sub incerta hora exspectaret, omnia quæ hic delectant et pertranseunt velut stercora, cum Apostolo, arbitrari debuisset. Omni itaque hora deberet homo memorari novissima sua : nam velit nolit, quidquid agat, quantumlibet deliciis affluat, necesse est ut pulvis in terram revertatur unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Quod superius dixit, ibit homo in domum æternitatis suæ, videtur hic aliis verbis repetere. Sed ibi de obitu hominis simpliciter egit, hic vero distincte de utraque hominis substantia sententiam protulit. Est enim homo conjunctus ex gemina substantia corporea et incorporea, carne videlicet et anima. Donec revertatur pulvis unde erat, ecce de corporea hominis substantia, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum, ecce de incorporea hominis substantia. Attende ergo unde homo secundum corpus sit factus, simul et intelliges quo sit reversurus : *Formavit igitur*, inquit, *hominem de limo terræ* (*Gen.* II). Audi adhuc unde existat vel redire oporteat. Terra es, et in terram ibis. Corpus certe statim ut anima exit voluntarium motum pariter et omnem sensum amittit. Exeunte itaque anima quid est corpus nisi terra ? Videtis quod nec illi hanc severitatis sententiam evadunt, qui in fine mundi ultimi inveniendi sunt, quin post subitam mortem quantumlibet cito resurgant. Revertetur ergo pulvis in terram unde erat, et spiritus ad Deum qui dedit illum. Quem autem alium dicimus dedisse nisi qui in primi hominis faciem inspiravit spiraculum vitæ, qui quotidie creditur novos creare, creatosque corporibus humanis infundere, juxta illud Psalmistæ : *Qui finxit sigillatim corda eorum* (*Psal.* XXXII). Ecce quis dedit. Audi et qualem fecit : *Creavit autem Dominus Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.* I).

Digitized by Google

Ecce qualis factus est a Deo. Attende et illud qualis factus sit a semetipso : *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Ecce qualem se fecit, ecce unde, quo recidit de similitudine Dei in similitudinem jumenti. Et spiritus, inquit, redeat ad Deum qui dedit illum. O cum quanta confusione ad Deum redibit, qui similitudini Dei similitudinem jumenti superduxit! O cum quanta confusione coram Creatore suo apparebit, qui, cum hic viveret, confusione digna egit, qui Dei in se similitudinem conculcavit, fœdavit, oblitteravit. Certe si solam hanc prævaricator confusionem exspectaret, si nil aliud omnino retributionis pro omni erratu timeret, ad omnem ei malorum cautelam sufficere debuisset. Semper meminisse debet homo quam sit metuendum confundi in præsentia tantæ majestatis, in conspectu universitatis, quam sit horrendum incidere in manus Dei viventis. Procul dubio ad hoc habet spiritus hominis redire et assistere coram Creatore suo, ut recipiat prout gessit in corpore suo. Quis autem unquam ullo poterit explicare sermone qualia, quam multa, quam magna sint illa mala quæ oportet eos ex sententia judicantis excipere, et merito retributionis sustinere? eos, inquam, quos tot pereuntis mundi adversa, tot divinæ severitatis flagella a sua nequeunt perversitate compescere?

EXPOSITIO

DIFFICULTATUM SUBORIENTIUM IN EXPOSITIONE TABERNACULI FŒDERIS.

TRACTATUS PRIMUS.

PROLOGUS.

Rogatus ab amicis aliqua in explanationem tabernaculi scribere, timui, fateor, eorum petitioni satisfacere, ne viderer in eo ipso Patrum auctoritati derogasse. Dat tamen tentandi ausum ipse, qui vulgatam expositionem edidit, dum inter exponendum adjungit. Hæc, inquit, de re difficillima prout nobis intellexisse visi sumus, strictim explicare curavimus, parati veriora in his discere, si quis nos docere voluerit. In quibus tamen omnibus patet allegoriæ sensus perlucidus. Ecce quam fidenter de allegoriæ sensu proponit, qui tamen litteræ expositionem sub ambiguitate præmisit. Qui igitur certitudinis suæ testimonium allegoricæ expositioni tam fidenter dat, historicæ denegat, patenter innuit, quod in illa sua expositione nec sibi ipsi satisfecerit. Quid me arguis, vel cogis credere illi in quo nec ipse credit sibi? Sed, ut verum fatear, illos quos jam constat summæ veritatis contemplationi assistere, timeo magis offendere, quam propitios reddere si cognitam veritatem dubitavero quasi ob reverentiæ eorum gratiam in commune proferre. Attendamus quam multa, quam magna, quam profunda cum omni diligentia pertractaverunt, quam multa historice, quam multa allegorice, quam multa tropologice miranda ratione exposuerunt, et tunc desinet esse mirum si alicui loco minus sufficientem expositionem reliquerunt. Non est ergo magnum, vel mirum si in uno aliquo aliquid possumus addere, quod ad majorem evidentiam, vel planiorem intelligentiam possit proficere. Hæc propter illos dicta sunt, qui nil acceptant nisi quod ab antiquissimis patribus acceperunt. Sed qui assidue producit novos fructus ad recreationem hominis exterioris, nunquam credendus est nullos de cutero scientiæ profectus impertiri, ad innovandos sensus hominis interioris? Ubi ergo illud est, quæso, pertransibunt plurimi, et abundabit scientia? Nemo itaque mihi, obsecro, indignetur, si de messe Domini remanentes spicas, et quæ messorum manus effugere poterant collegero, et esurientibus atque petentibus libenter eroganero.

CAPUT PRIMUM.

De fabricatione arcæ.

Præcepturus Dominus Moysi de constructione tabernaculi, primo omnium instruxit eum de arca fabricanda, ut ex eo ipso innueret quod quædam dignitatis prærogativa longe præcederet cætera omnia, quæ in tabernaculo erant facienda. Quæ autem dicuntur de ejus materia vel mensura seu fabricandi modo satis patent, et expositione non indigent. Quatuor circulos per quatuor angulos fieri præcipit : sed quomodo hoc intelligendum sit consequenter ostendit : *Duo*, inquit, *sint in latere uno, et duo in altero* (*Exod.* XXV). Erant itaque non usquequaque in angulis, sed juxta angulos : duo in latere uno, et duo juxta angulos in latere opposito. Dubitari potest quid de propitiatorio sentire oporteat, eo quod auctor ipsum seorsum describat. Sed nihil aliud intelligo propitiatorium nisi arcæ ipsius operculum, tabulam videlicet quamdam de auro purissimo ex integro factam : unde et habebat cum arca tam in longitudine, quam in latitudine unam per omnia eamdemque mensuram. Sed, ne super hoc tibi aliquid ambiguitatis remaneat, audi quid de arca, audi quid de propitiatorio Scriptura ipsa proponat. Nam de arca scribitur : *In qua pones testimonium quod dabo tibi* (*ibid.*), et longe post de propitiatorio : *Coram*, inquit, *propitiatorio quo tegitur testimonium ubi loquar tibi* (*Exod.* XXX) Testi-

Digitized by Google

monium quod in arca ponitur quomodo, quæso, propitiatorio tegitur, nisi quia non aliud est ejus operculum, et aliud propitiatorium! Sed dignitatis ejus excellentia innuitur in eo ipso quod separatim describitur. De ipso propitiatorio Divinitatis responsa juxta divinæ propitiationis modum, modo dabantur, modo non dabantur. Merito ergo propitiatorii nomen accepit in quo Dominus propitiationis suæ prærogativam exhibere, vel ostendere consuevit. Intelligendum est autem quod corona illa aurea quæ arcæ suprema ambiebat ubi et affixa erat, totum illud propitiatorium intra se includebat, et se altius erigendo spissitudini ejus supereminebat.

CAPUT II.

De factura duorum cherubin.

De cherubin dicit quod mutuo se respiciant. Corpore quidem ad exterius tabernaculum versi erant; sed versis vultibus in eam partem intendebant qua arca de sub alis eorum in medio stabat. Illi duo cherubin qui in templo Salomonis erant, ad horum absque dubio similitudinem facti fuerant. Quod itaque de illis legimus, de istis et æque intelligimus, quod cherubin unus tangebat ala sua parietem unum, et alius ala sua tangebat parietem alium (*II Paral.* III); aliis autem alis in medio tangebant se vicissim. Sicut itaque illi de templo, sic nec isti super arcam et propitiatorium stare poterant, quia nonnisi bicubitum et semissem longitudinis arca habebat. In illis vero cherubin extensio conjunctarum alarum decem cubitos, in istis quinque cubitos tenebant. Quod igitur de istis dicitur quod essent super arcam testimonii, non sic debet intelligi quasi ipsi arcæ insisterent, sed quod ipsi arcæ toto corpore supereminerent.

CAPUT III.

De formatione mensæ.

Ut autem de forma mensæ breviter dicam quod sentio, videtur mihi esse quasi arca sine fundo; ita tamen ut superior superficies intelligatur omnino plana et inferioribus immobiliter affixa. Ejecturam vero quamdam auream suprema mensæ ambientem habebat: quam et auctor ipse propter similitudinem labium vocat: cui et corona quatuor digitorum altitudinis adhærebat. Erat autem ipsa variis cælaturis ornata; et prout cælaturæ varietas exigebat, crebris intercisionibus perforata: unde et interrasilis dicta. Hinc erat et alia superposita quasi virgula quædam rotunda et plana, sive ex pluribus velut virgulis perplexa, et primæ illi ob firmitatem et decorem conjuncta; imo ita omnino unita, ut ambæ viderentur esse una. Hæc de mensa sufficiunt: nam cætera per se satis nota sunt.

CAPUT IV.

De factura candelabri.

Nunc de candelabro videndum est; circa id maxime unde dubitari potest. Scyphi ejus in modum nucis describuntur. Scyphus autem medietatem sibi hæræ habere videtur. Habet itaque rotunditatem concavam et vacuam et a superioribus præcisam. Nux vero ab imo se dilatando in ventrem distenditur: a superioribus autem paulatim se acuendo ad unum punctum in summitate colligitur. Scyphus itaque habet rotunditatem sphæricam, sed præcisam, et concavitatem vacuam; nux autem rotunditatem oblongam, nec tamen vacuam vel præcisam. Quoniam igitur duo habebat communia cum scypho (vacuam scilicet concavitatem cum rotunditatis præcisione) scyphum, non nucem vocat: et quia solum habebat commune cum nuce (rotunditatem scilicet oblongam) non nucem nominat, nucis tamen similitudinem habere denuntiat. Habebant itaque ornatum hujusmodi tam hastile quam omnes sex calami, primo rotunditatem velut nucis oblongam, sed præcisam; postea rotunditatem sphæricam, quam vocat sphærulam; et post duo hæc adjuncta sibi habebat florem in modum lilii. Itaque hastile primo ad primum scyphum quasi in ipsum deficiebat: et iterum velut de medio floris cum duobus hinc inde calamis emergebat. Eodem modo intelligendum est loco secundo, et tertio. Similem vero ornatum excepta adjunctione calamorum habebat in summo. Habes autem ex similitudine hastilis quid intelligendum sit de calamis.

Notandum vero quod sphærula dicitur esse sub duobus calamis per tria loca hastilis. Radices namque calamorum florem lilii non tam habebant sub se quam circa se, sphærulam autem omnino habebant sub se. Ecce de candelabro; nunc videndum est de tabernaculo.

CAPUT V.

De modo et mensura cortinarum.

Notandum in primis quod quidam quasi pro auctoritate recipiunt, quidquid in Josepho de istis scripta reperiunt. Putant enim eum (utpote Judæum) tabernaculum vidisse, et eo ipso tam vera quam nota scripsisse. Mihi autem secundum testimonia Scripturarum luce clarius constat quod tabernaculum nunquam viderit. Nam quæ, quæso, Scriptura, vel saltem fingit ipsum reportatum de loco ubi illud Jeremias ex divino responso abscondit? Libenter recipiatur Josephus in his quæ per experientiam novit, vel ex authenticis scripturis colligit. Nam ubi aliter sentit, confidenter ei Exodum præfero, vel quoscunque libros in canone reperio. Verba itaque auctoris in medium proferamus: et ex ipsis inquantum Dominus dederit, quid de tabernaculi constructione vel erectione sentiendum sit eliciamus. Præcipit ergo fieri cortinas decem, viginti octo cubitorum longitudinis et quatuor cubitorum latitudinis. Ait itaque de his cortinis: *Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo, et aliæ quinque nexu simili cohærebunt* (*Exod.* XXVI). Ex quinque igitur cortinis facienda erat cortina una, et ex quinque aliis cortina alia. De his magnis cortinis intelligitur quod sequitur: *Ansulas hyacinthinas in lateribus, ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari.* Ecce dicitur quod ansulas habeant in omni parte; nec tamen dicitur quod sint in summitatibus, sed tantum quod habeant in utroque latere. Sed tacendo de uno, quod determinat, de alio dat auctor intelligere, ut

Digitized by Google

secundum modum laterum fiant et ansulæ summitatum. *Quinquagenas*, inquit, *ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas, ut ansa contra ansam veniat, et altera alteri possit aptari.* Quod dictum est ansam ansæ coaptandam, intelligendum est in conjunctis lateribus. Nam quid de reliquorum laterum ansis sentiendum sit, melius videbitur in sequentibus. Sequitur : *Facies et quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela jungenda sunt : ut unum tabernaculum fiat.* De eodem in sequentibus legitur : *Unde et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas.* Ex his intelligi datur quod circuli denticulos quosdam inhærentes haberent, qui ansulas per circulos trajectas mordiciis apprehenderent : sicque duo vela in unum constringerent. Ecce de cortinis.

CAPUT VI.

De factura sagorum.

Facies et saga cilicina undecim ad operiendum tectum tabernaculi. Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos, et latitudo quatuor. Æqua erit mensura sagorum omnium, e quibus quinque junges seorsum : et sex sibi mutuo copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices (*Exod.* XXVI). Duo hic dicunt notari : et quod debeat duplicari, et quod duplicatum debet esse in fronte tabernaculi. Duplicetur itaque non pars sagi tantum; sed ipsum sagum a summo usque ad summum, ut sic plicatum et duplicatum teneat, triginta cubitos in longitudine, et duos tantum in latitudine. Sequitur : *Facies et quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat : quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur. Quinquaginta fibulas æneas quibus jungantur ansæ, unum ex omnibus operimentum fiat.* Quod dicitur de fibulis sagorum, vel ansulis conjunctorum laterum, intelligi per omnia debet juxta similitudinem cortinarum. De ansis extremitatum tacet, quia juxta præmissam similitudinem posse intelligi prævidet. Habet itaque operimentum cortinarum cubitos viginti octo sagorum, triginta juxta dimensionem unam. Item cortinarum quadraginta, sagorum vero quadraginta duorum juxta dimensionem aliam. Ecce de factura utriusque operimenti, et statim adjungit unde intelligi possit quomodo unum superducendum sit alteri : *Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi : et cubitus ex una parte pendebit; et alter ex altera : qui plus est in sagorum longitudine utrumque latus tabernaculi protegens.* Consideremus interim hæc ac si tentandi, vel ostendendi gratia in plano alterum superponeretur alteri, ut postmodum plenius intelligatur quomodo sibi coaptari debeant in erectione tabernaculi. Copula itaque cortinarum primo sic extendatur, ut exterius latus primæ cortinæ sit ad Orientem, decimæ vero ad Occidentem. Summitates autem earum hinc inde sint, ille ad Austrum, iste ad Aquilonem. Huic ergo velo cortinarum superducatur velum sagorum ita ut unum ad alterum æquiformiter se habeat ab omni parte, et videbis superpositum circumquaque cortinas uno cubito excedere. Hæc superductio sagum duplicatum ad Orientem habeat. Nam tabernaculum ad illam partem frontem habebat. Si igitur saga cortinis conferas et singula singulis compares, videbis unum sagum numero superesse. Si vero consideres quantum utrumque velum se possit extendere, videbis in sagorum copula solam sagi medietatem superabundare : si positionem attendas, videbis illam medietatem postrema tabernaculi operire; non quod tota illa medietas extremitatem tabernaculi transeat, sed quod dicta extremitas contra medium illius medietatis jaceat, et operimenti more æquam illius partem utrinque habeat. Dicit ergo : *Quod autem superfuerit in sagis*, etc. Littera sic legatur : Ex medietate autem ejus quod superfuerit in satis quæ parantur tecto, id est sagum unum. Nam undecimum sagum ibi est supra numerum cortinarum : ex medietate, inquam, illius undecimi sagi operies posteriora tabernaculi. Cætera satis patent.

Notandum quam congruo ordine agit de omni tabernaculi parte, prius de ejus fronte, ubi jubet sagum duplicare, postea de posteriori ejus extremitate, quam jubet ex undecimi sagi medietate operire. Tertio de utroque ejus latere, ubi dicit utrinque cubitum unum ex sagorum superabundantia dependere. Si quis autem dicit quia dicta medietas intantum posteriora operit inquantum extrema cortinarum excedit, et sic intelligi debere contendit : nec sic quidem, vel juxta hunc intellectum oportet concedere totam illam medietatem in ejusmodi usum cedere, quamvis dicat ex illa medietate id fieri oportere. Nam qui dicit Evam ex costa factam, verum dicit; et qui dicit Evam ex viro factam, nihilominus verum dicit; nec tamen tota viri substantia, sicut costa in ejusmodi facturam cessit. Si cui vero quod dictum est satisfacere non potest, et contendat totam illam medietatem extrema cortinarum transire debere, et idcirco in fronte tabernaculi tam saga quam cortinas ab una linea incipere, melius censeo alieno intellectui cedere quam contentionibus deservire.

CAPUT VII.

De gemino operimento arietinarum pellium.

Sequitur : *Facies et operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, et super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus* (*Exod.* XXVI). Quod operimentum hyacinthinum sit supra operimentum rubricatum invenio, quod autem hæc duo sint supra tectum cilicinum in auctore non invenio. Sed sunt qui putant eumdem ordinem servandum in erectione qui servatur in descriptione. Sed videant ne forte ratio ista omnino sit nulla. Nam prius describuntur cortinæ, posterius tabulæ, et tamen in erigendo prior est erectio tabularum quam extensio cortinarum. Ego autem magis credo auctorem propter similitudinem facturæ descriptionem sagorum descriptioni cortinarum adnectere. Frequens est in Scriptura sacra indeterminatum relinquere, quando

Digitized by Google

facile est quid eligendum sit ex ratione colligere. Asperioris autem naturæ est sagum cilicinum; mollioris vero pelles arietum. Pellium ergo mollitie, sagorum asperitas intercluditur, ne crebra asperitatis confricatione cortinarum teneritudo attereretur. Arietinum operimentum geminatur, ut si primum per medium sagorum humectaretur, secundum siccum permaneret, ita ut nullam injuriam cortinarum teneritudo sentiret, vel sentire potuisset. Sunt qui putant arietina operimenta a summis non descendere : et hoc unde probetur vellem audire. Nam si verum est, non poterant cortinæ vel post unam nimiæ tempestatis pluviam in sua pulchritudine perdurare. Sed et illud constat quod supremum tabernaculi planam, non cristatam superficiem habebat : et quomodo (secundum quod quidam scribunt) propter sui decorem stuporem aspicientibus ingerebat, si in ea tantum parte hujusmodi decorem habebat qua videri non poterat? Sed et illud audire vellem, quomodo ejusmodi operimentum ibi in summis inhærebat.

CAPUT VIII.

De modo et mensura tabularum.

Sequitur : *Facies et tabulas stantes tabernaculi de ligno setim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, et in latitudine singulos, ac semissem* (*Exod.* xxvi). Ecce de tabularum mensura ; et adnectitur statim de earum incastratura. Duo autem sunt incastraturæ genera. Primum ubi unum tabulæ latus cavatur, alterum acuitur; et sic una tabula alteri infigitur. Sed hujusmodi incastratura in partem neutram reddit superficiem planam. Est et aliud genus incastraturæ quod sit in utroque latere. Nam hinc fit quædam præcisura lateris usque ad medietatem tabulæ ex parte interiori; illinc idemidem, sed a parte exteriori : et tabularum incisura incisuræ inseritur ut totus paries una tabula videatur, et superficies utrinque perplana reddatur. De hujusmodi incastratura intelligitur quod sequitur : *In lateribus tabulæ duæ incastraturæ fiant, quibus tabula alteri tabulæ connectatur.* Erant autem viginti tabulæ cum quadraginta basibus in latere australi : totidem vero et ejusdem mensuræ in latere aquilonari. In occidentali autem parte, octo tabulæ cum decem et sex basibus erant. Nam singulæ tabulæ duas bases argenteas suppositas habebant. Sunt qui tradunt angulares tabulas hinc inde dimidium tantummodo cubitum habere . sed unde hoc probetur, non possunt ostendere. Sed parum, ut mihi videtur, attendunt generalem sententiam quam in principio descriptionis legunt : *Facies*, inquit, *et tabulas stantes tabernaculis de lignis setim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, et in latitudine singulos ac semissem.* Si singulæ habent cubitum et semissem in latitudine, ergo et angulares tabulæ. An forte quia de eis separatim agitur, recte singularem mensuram habere dicuntur? Imo tanto magis diffitendum; quoniam cum de eis seorsum agit, in nullo earum mensuram a generali regula excipit. Cui istud quod de tabulis diximus non sufficit : audiat quid auctor longe post de basibus dicit. Fuerunt præterea centum talenta argenti e quibus conflatæ sunt bases sanctuarii, et introitus ubi velum pendet. Centum bases factæ sunt de talentis centum singulis talentis per bases singulas supputatis. Si angulares tabulæ tertiam tantummodo partem latitudinis habuerunt, quomodo cum reliquis pares bases acceperunt? Sed dicunt tabernaculum solummodo decem cubitos latitudinis tenere : et inde colligunt quod jam dictum est de angularium tabularum latitudine. Quod tabernaculum triginta cubitos longitudinis habeat, unde probetur invenio. Quod autem decem cubitos tantum latitudinis teneat, unde probetur non invenio. Dicam tamen quid inde soleat animum pulsare, unde hoc possumus magis conjicere quam probare. Credimus illud Salomonis templum juxta modum suum ad hujus tabernaculi similitudinem factum. Juxta ergo similitudinis rationem erit tabernaculi longitudo tripla ad latitudinem. Juxta similitudinis rationem erit longitudo interioris domus æqualis ad latitudinem, subdupla vero ad exterioris domus longitudinem. Possumus tamen et illud quod de tabernaculi latitudine conjicimus, et ipsum quod generaliter de tabularum mensura legimus inconcussum tenere, si dicamus angulares tabulas decimum cubitum qui sex tabulis superest ex medietate cubiti hinc inde implere, et uno cubito utrobique excedere. Nam inde procul dubio tabernaculum robustius stabat, et impulsum ventorum validius tolerabat. Talem credo dispositionem designare voluit qui dixit : *Ad occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas; et rursum, alias duas quæ in angulis erigantur post tabernaculum;* et rursus, alias de eisdem fecit sex tabulas, et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro. Respectu enim parietum hinc inde dicuntur retro, vel post tabernaculum esse. Nam si parietibus a latere tantum jungantur, non erit cujus respectu retro, vel post tergum dicantur. Erit itaque, juxta hoc quod dictum est, occidentalis frons tabernaculi decem cubitorum latitudinis interius, et duodecim cubitorum latitudinis exterius. Vide ne forte hoc sit quod Ezechiel intelligi voluit, cum in templi descriptione inter cætera adnectit (et mensus est frontes sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos latitudinis inde) latitudinem tabernaculi (*Ezech.* iv). Istud suo loco plenius exposuimus. Sed illud hic tantum attendendum quod latitudo tabernaculi dicitur duplicatus senarius.

Et notandum quod tantum habuit orientalis pars templi circa portam interius, quantum tota latitudo occidentalis partis tabernaculi exterius. Est autem indubitanter tenendum juxta lectionem Exodi, quod quinque vectes essent per omnes tres parietes tabernaculi : unus circa summum tabularum, alius circa imum, tertius circa medium, quartus inter medium et summum, quintus inter medium et imum. Nam illa quorumdam de quinque cubitorum vectibus sententia videtur tam frivola, auctoritati vero tam contraria, ut nec videatur refellenda.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De erectione tabernaculi.

Restat adhuc et illa de tabernaculo dicere quæ addenda sunt de ejusdem erectione. Prius ergo erigebantur tabulæ super bases; postea per circulos inducebantur parietum vectes. Deinde inserebatur vectis ille qui ad continendos parietes per medias tabulas secundum librum de angulo in angulum ibat, ubi in introitu tabernaculi velum dependebat. Post hæc injecti funes per transversum tabernaculi fortiter extendebantur, et ad paxillos eminus a tabernaculo fixos firmiter adnectebantur. Sicque fiebat ut et tabernaculum ipsum contra violentiam ventorum firmum et inconcussum continerent, et operimentum ipsius supportarent, ne in superioribus ventrem faceret; et inundantium pluviarum aquas colligeret, ne vicissim ex incremento collectionis ipse sinus, et ex incremento ipsius sinus collectio aquarum cresceret, donec tandem ponderis nimietas operimentum omnino disrumperet, vel avulsum ad se introrsum et deorsum traheret. In occidentali vero plaga funes ab interiori parte aduncati per parietum summitatem ad inferiora oblique descendebant, et ad paxillos firmiter annexi tabernaculum ab ea parte continebant. Similiter ab orientali plaga debemus intelligere funes a dicto vecte, et ab extremitatibus parietum descendere et a paxillis protensos ab ea parte tabernaculum continere. Qui tabernaculum quasi infantiæ pannis involvunt, ad quos usus paxillos habeat invenire non possunt, cum tamen de his in hunc modum legunt si volunt: *Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus et cæremonias; tam paxillos ejus quam atrii ex ære facies* (*Exod.* xxvii).

CAPUT X.

De superductione operimentorum.

Tabernaculo erecto et funibus distenso, juxta prædictum modum, superducendum est primo velum decem cortinarum, ita ut prima habeat latus exterius ad Orientem; ultima vero earum latus exterius habeat ad Occidentem. Juxta eam itaque dimensionem qua dictum est superius totum velum quadraginta cubitos habere, uno solummodo cubito descendat a fronte, triginta vero expandantur in tabernaculi longitudine; reliqui autem novem cubiti oblique per funes descendant a posteriori parte. Juxta eam vero dimensionem qua viginti octo cubitos habuit, decem medii cubiti expandantur in tabernaculi latitudine; novam autem hinc, et novem inde in utriusque lateris descensione. Tunc vero funibus ad primos paxillos e regione frontium hinc inde annexis; et postea per primas laterum ansas inductis, et iterum ad alium paxillum aduncatis; et sic vicissim, modo ad ansas, modo ad paxillos funibus aptatis atque constrictis, velum super distentos primitus funes distendatur, ita ut quoddam quasi appendicium per tres tabernaculi partes fecisse videatur. In illis vero ansis quas orientale latus in fronte gerebat, injectum funem habeat per quem debeat velum ab ea parte extendi, ne ulla vi ventorum possit lædi, vel aliqua distensione a debito tenore deflecti. Super hoc velum extendatur operimentum rubricatum, super quod et illud operimentum hyacintinarum pellium. In supremo debemus velum sagorum superducere, ita ut videatur in omni parte cortinarum velum cubito uno excedere, sicque ut duplicatum sagum totum habeat in fronte. Et sicut de velo cortinarum docuimus, sic et hoc velum, et juxta eamdem similitudinem ad paxillos astringere et extendere debemus. Ecce jam palam est intelligere quomodo sagum duplicetur in fronte, quomodo posteriora tabernaculi tegantur ex undecimi sagi medietate, quomodo cubitus unus pendeat ab utroque latere. Ecce quomodo dicta cortinarum distensio, velut quoddam appendicium per tres tabernaculi partes efficiat: quod quidem sacerdotibus ad induendas, vel deponendas sacras vestes, vel alios ejusmodi usus deservire poterat, in quo et illi qui tabernaculum intrare non audebant, tabernaculi decorem perpendere valebant. Ad quid enim decor dependentium cortinarum, ad quid aurum annulorum, ad quid deauratio vectium, ad quid exterior deauratio tabularum, si sic totum involvitur ut a nemine videatur, si sic totum involvitur ut ad nullos usus, ad nullam utilitatem habeatur? Ad quid aliud velum juxta cortinarum similitudinem in introitu tabernaculi fieri oportuit, si reductio cortinarum totum introitum clausit? Cum solum sextum sagum per Moysen jubeantur duplicari in fronte, cur et aliud juxta quosdam, duplicatur similiter in posteriori parte? Sed si illa eorum reductio ibi fiat, ubi in fronte sextum sagum dependet, utique ipsum sextum sagum ibi non modo duplicatur, sed ad minus triplicatur, At si contra tres cubitos infimos qui dependenti sagorum velo supersunt, reductio reductioni superducitur, ut sextum sagum duplicetur, et ipsa superductio, ut propter præceptum consistere valeat, vinculis alligatur, proculdubio jam non erit unde a sacerdotibus intretur. Quæ de duobus velis sequuntur satis per se patent et expositione non indigent.

CAPUT XI.

Descriptio altaris holocausti.

De altari holocausti sequitur, quod in hunc modum describitur: *Facies et altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine: et totidem in latitudine, id est quadrum, et tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt* (*Exod.* xxvii). Hoc altare quatuor tantummodo parietes habebat. Nam in superioribus apertum erat: et, sicut in sequentibus legitur, non solidum, sed inane et cavum intrinsecus erat. Hæc omnia satis sunt aperta. Sed quæ de craticula sequuntur, valde sunt perplexa, et eo diligentius discutienda. Dico itaque prius quid mihi videtur; inde et postea conabor idipsum litteræ ipsius auctoritate probare. Primo igitur duæ æneæ virgæ tantæ grossitudinis, ut superposita holocausta et ligna supportare valeant, ducantur ab uno latere in aliud latus altaris; ita ut capita eorum prope

Digitized by Google

angulos exterius appareant, annulosque quatuor æneos insertos habeant. Debent autem inseri ita ut una altaris medietas sit supra, alia vero infra. Ab his autem debent emergere introrsum quatuor ænei stipites quasi quatuor craticulæ pedes. Duo scilicet hinc, et juxta latus unum; duo vero inde, juxta latus oppositum. In horum utique summitate debet fieri craticula, juxta videlicet librum in modum retis ænea. Fiat autem ad eam altitudinem, ut ipsa, et altare sibi respondeant ad unam æqualitatem. Erant itaque primo dictæ illæ virgæ quasi craticulæ bases, quatuor vero stipites quasi ipsius pedes. Hæc autem omnia sibi invicem ita inseri et conjungi debent ut quasi unum corpus efficiant, et nec ab invicem nec ab altari avelli queant. Erant autem duo ostiola in posteriori pariete, in superiori videlicet altaris medietate. Unum pendebat a latere uno, et alterum ab altero, et clausa contingebant se in medio. Altaris vero arula nihil aliud erat quam tabula quædam ænea aliquantulum spissa. Nec arula per aditum dictorum ostiorum inferebatur, et super craticulæ bases, et super ostium limen imponebatur; terra tamen prius tota illa altaris inferior medietas usque ad situm craticulæ implebatur. Per hunc aditum ligna ingerebantur, unde ignis nutriebatur, per eumdem aditum cineres extrahebantur. Idcirco autem altare ipsum mediotenus terra implebatur, ut firmiter inter sacrificandum acret, et hoc ipsum ad illud Dominicum præceptum staceret: *Altare de terra facietis mihi* (*Exod.* xx). Craticula vero ipsi altari pro superiori superficie erat, ubi holocaustum imponi et igne supposito cremari consueverat. Inani itaque suspicione laborant, qui sine gradibus, vel aliqua sublevatione in altari sacrificari posse non putant. Nam tres tantummodo cubitos altitudinis habebat. Nunc autem illud considerare debemus utrum Scriptura ipsa concordet his quæ de craticula jam diximus. De craticula sic legitur: *Craticulamque in modum retis æneam*, ubi subditur facies, *per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones subter arulam altaris.*

Nota quod annuli erant in craticulæ angulis, et subter arulam altaris. Et additur: *Eritque craticula usque ad altaris medium.* Si usque ad altaris medium, ergo vel ab imo sursum, vel a summo deorsum usque ad ejus medium. Conferamus cum hoc loco, quod longe in sequentibus de eadem craticula legitur cum dicitur: *Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam; et subter eam in altaris medio arulam, fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates* (*Exod.* xxxviii). Si arula subter craticulam et in medio altaris erat, ergo craticula superiorem altaris medietatem tenebat, alioquin, ipsa subter arulam erat.

Notandum quod bases juxta aliquid de craticula erant, juxta aliquid de craticula non erant. Juxta aliquid videntur de craticula non esse; quia craticulæ non solent bases habere. Juxta aliquid tamen de ipsa erant, quia eis insidebat. Recte ergo de arula dicitur, quod subter craticulam esset, quamvis super bases jaceret: *Fusis*, inquit, *quatuor annulis per totidem retiaculi summitates.* Quandoque summitas idem sonat quod extremitas. Erant ergo aut in extremitatibus superioribus, aut inferioribus. Sed hoc ipsum determinatur ex eo quod in prima descriptione dicitur: *Per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, quos pones subter arulam altaris.* Si arula subter craticulam et annuli subter arulam erant: ergo in inferioribus summitatibus erant. Nam si in superioribus summitatibus essent, ut annulos arula sub se haberet, etiam craticulæ summum, et sic totam craticulam sub se habere oporteret. Et nota quia si annuli subter craticulam, et in angulis ejus erant, ergo aliquid craticulæ subter arulam erat ubi anguli esse, unde et annuli dependere potuissent, ut sub ipsa essent. Erant itaque ubi bases subter craticulam jacentes et stipites in altum surgentes angulos faciebant, quia de basium extremitatibus dependebant. Subter arulam ergo annuli erant, non quod super illos jaceret, sed quod situ superiorem locum teneret. Restat nunc solum illud quærere utrum iidem annuli sint et altaris et craticulæ. Audiamus itaque quid ad jam dicta addatur in prima descriptione: *Facies et vectes altaris de lignis setim duos, quos operies laminis æneis, et induces per circulos.* Erunt ex utroque latere altaris ad portandum. Si vectes sunt in utroque latere altaris, ergo et circuli per quos sunt et vectes inducendi. Habet itaque et craticula annulos, et altare circulos. Sed nunquid sunt alii, et alii istius circuli, et illius annuli? Cum his itaque quæ dicuntur in hac descriptione, conferamus illa, si placet, quæ de eodem explicantur in recapitulatione: *Fusis*, inquit, *quatuor annulis per totidem retiaculi summitates ad immittendos vectes ad portandum: quos et ipsos fecit de lignis setim, et operuit laminis æneis, induxitque in circulos qui in lateribus altaris eminebant* (*ibid.*). Certe, ut audis, vectes ad immittendum in craticulæ annulis fecit, quos, inquit, et ipsos in circulos altaris induxit. Certe craticula intra altare erat, cui arula in medio altaris subter erat. Sed nunquid annuli qui ex craticulæ summitatibus dependebant similiter intra altare erant? Quomodo ergo iidem ipsi vectes poterant immitti in annulis, qui interius latebant, et induci in circulis qui in lateribus altaris exterius eminebant? Sed quis hoc dicat? Oportet ergo esse eosdem ipsos et craticulæ annulos et altaris circulos; et in ipsis vectes eosdem ipsos, et non alios et alios. Oportet ergo ut et ipsius craticulæ summitates per medios parietes exterius appareant, ex quibus circuli dependebant, qui in altaris lateribus eminebant. Ecce quod de altari, vel ejus craticula superius diximus, litteræ ipsius auctoritate probavimus. Sed quod de ostiolorum aditu dictum est, non tam manifesta auctoritate quam manifesta ratione colligi potest, sicut superius jam ex parte monstratum est.

Digitized by Google

TRACTATUS SECUNDUS.

De templo Salomonis ad litteram.

Descriptio templi Salomonis secundum librum Regum ex magna parte satis est aperta; in quibusdam autem locis multum perplexa et nimis obscura. Compellor autem quorumdam instantia, quibus libenter deservio, ubi in his explanatione opus est, dicere quod sentio. Tempus igitur ædificationis in primis exprimitur cum dicitur: *Factum est quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto mense Zio, ipse est mensis secundus, regis Salomonis super Israel, ædificare cœpit domum Domino* (*III Reg.* VI). Ad id quod dicit in anno quarto in construendo advertendum est: *Regis Salomonis super Israel.* Nam quod dicitur *mense Zio ipse est mensis secundus*, interpositio est. Hoc ipsum in Paralipomenon planius exprimitur, ubi legitur: *Cœpit autem ædificare mense secundo anno quarto regni sui* (*II Paral.* III). Mensura templi determinatur, in eo quod sequitur. Domus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine et viginti cubitos in latitudine et triginta cubitos altitudine. Quod dicitur triginta cubitos altitudinis habere, vel debemus de prima mansione sub primo cœnaculo intelligere. Nam tota altitudo domus pro certo centum viginti cubitos habebat, sicut liber Paralipomenon in hæc verba declarat: *Porro altitudo centum viginti cubitorum erat.* Et quod cœnacula habuerit idem liber in sequentibus ostendit: *Cœnacula quoque texit auro.*

Notandum autem quod de mensura ista longitudinis et latitudinis templi quam modo describit, intra parietes sumpta, sicut ex his quæ de cherubin in sequentibus dicuntur manifesta ratio convincit. Mensuram porticus describit, cum adjungit: *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi, et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.* Sequitur: *Fecitque in templo fenestras obliquas.* Hoc est interius latiores, et exterius strictiores. Erant autem tria deambulacra forinsecus parietibus adjacentia: unum in uno contra templi inferiora, secundum priori superpositum contra cœnaculum primum, tertium secundo superpositum contra cœnaculum secundum. Tabulata autem quæ ista deambulacra tegebant, subsequenter auctor describit, cum in hæc verba subjungit: *Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum templi et oraculi.* Has templo adjacentes cœdificationes lateraliter adjacebant; imo illi quasi pro lateribus erant: *Et fecit*, inquit, *latera. Tabulatum quod subter erat quinque cubitos habebat latitudinis. Et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis. Et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis* Ecce de mensura. Additur adhuc et de modo: *Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus ut non hærerent muris templi.* Quod dicit ut non hærerent muris templi de tabulatis, non de trabibus debet intelligi. Trabes namque contra pavimentum primi cœnaculi muris appositæ erant, quarum extremitates ex alia parte columnæ excipiebant. Super has trabes stratum ligneum erat, quod primum deambulacrum quinque cubitorum latitudinis tegebat; ipsum tamen ligneum stratum seu tabulatum non usquequaque ad murum pertingebat. Juxta quod dixi de primo potest intelligi quid sentiendum sit de secundo et tertio, nisi quod singulorum mensura ab invicem differebat, secundum quod liber determinat. Tabulatum quod supremum septem cubitorum latitudinis deambulacrum tegebat, tecto ipsius templi respondebat. Quoniam ergo paries templi trabes cum superpositis tabulatis portabat, idcirco dicit quod super parietem templi tabulata ædificavit.

Notandum autem quam convenienter unaquæque mansio templi circa se deambulatoria habebat, ubi etiam tempore pluviæ deambulandi, vel potius orandi gratia convenire poterant qui templum intrare non audebant. Quomodo autem, vel unde ab imo in medium, vel a medio latere in supremum ascenderetur, paucis interpositis satis aperte determinatur.

Sequitur: *Domus autem cum ædificaretur, lapidibus dedolatis atque perfectis ædificata est.* Quando aliquid satis pro modo consuetudinis dolatum subtilius adhuc supra consuetudinem dolatur, quasi de eo quod dolatum est, dedolatum efficitur. Vel dedolatum, quasi de omni parte dolatum. Nam omnes lapides illius templi per omnes sex superficies erant dolati. Attende quam ordinate in sua descriptione procedit: nam ab exterioribus incipiens, post descriptionem laterum, de templi muro agit qui postea primo occurrit. Sed mirandum valde quod dicit, cum postea subjungit: *Et malleus, et securis, et omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur.* Et quidem de lapideo opere, hoc satis possumus intelligere. Nam omnes lapides simul, et omnia ligna erant alias dolata et cum summa diligentia perpolita. Sed sunt qui putant sine ejusmodi instrumentis talem fabricam nullo modo posse erigi et ex tam multiplici materia in unum conjungi. Nam, ut de cæteris taceatur, quomodo sine alicujus generis malleo, aureo, argenteo, vel ligneo, vel alio aliquo clavi illi fortiter affigerentur, de quibus Scriptura in sequentibus loquitur. An forte cujusmodi mallei excipiuntur, determinatur in eo quod dicitur: *Et omne ferramentum non sunt audita in*

Digitized by Google

domo cum ædificaretur? Sed ut dicam quod sentio, non est mirum si in Salomonis operibus invenimus quod rectius mirari quam perscrutari possimus.

Sequitur : *Ostium lateris medii in pariete erat domus dexteræ : et per cocleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium.* Ecce hic habemus quod superius jam diximus. Nam in his verbis describitur quomodo, vel qua de infimo latere in medium latus ascenderetur et intraretur. *Ostium*, inquit, *lateris medii*, quod latus sex cubitorum erat, et inter infimum et supremum medium locum tenebat; *in pariete erat dexteræ ipsius domus.* Quod dicit dexteræ, legatur substantive; quantum ad id quod addit domus, transitive. Ecce qua et ubi intrabatur, sed quomodo illuc ascendebatur : *Et per cocleam ascendebant in medium cœnaculum.* Nota quam artificiose unum aperte dicit et alterum tacite innuit. Ostium medii lateris determinavit, et de ostio medii cœnaculi tacuit. E converso autem de via ascensionis in medium cœnaculum loquitur; de via ascensionis in medium latus tacite præterisse videtur. Sed utrobique quod tacet de uno, dat idem intelligi ex eo quod dicit de altero. Una via ascensionis ad utrumque serviebat, et ad tringinta ascensionis cubitum introitus ad utrumque patebat. Hæc via in pariete, id est in ipso muro in dextera quidem, hoc est australi parte erat, quæ in girum gradatim ducta ad superiora ferebat : unde eam Scriptura cocleam, qualem etiam usus vitem vocat. Juxta id autem quod dictum enim de via et ostio medii lateris, intelligere possumus quid de tertio sentire debeamus. Quod autem dicitur cœnaculum medium, et tertium, non sic est intelligendum quasi ibi fuerit triplex cœnaculum, sed quod illud de quo prius agit sit medium trium mansionum, et quod id de quo secundo loco agitur, locum teneat supremum, et tertium. In duobus cœnaculis erat triplex tabulatum, utriusque videlicet pavimentum, et totius domus tectum, quæ quidam putant in hoc loco dici triplex cœnaculum. Sed si sic auctor sensisset, non utique dixisset : *Et per cocleam ascendebant in medium cœnaculum et a medio in tertium.* Quin potius diceret : Et per cocleam ascendebant in primum cœnaculum et a primo in medium, et a medio in tertium. Sed nec recte dicitur ascendi in tabulatum, sed ad tabulatum.

Sequitur : *Et ædificavit domum, et consummavit eam.* Quamvis, inquit, esset fabrica grandis, et modus fabricandi mirabilis, ubi non est auditus malleus et securis; nihilominus tamen ædificavit et consummavit. Ab exterioribus incipiens, postquam egit de lateralibus extremis, adnectit statim et de extremitatibus supremis : *Texit quoque domum laquearibus cedrinis.* Quod de supremis laquearibus hoc dictum sit, ostenditur in eo quod dictum est : *Texit.* Additur adhuc de his quæ erant in superiorum extremis : *Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis.* Tectum domus, juxta morem Palæstinorum, credi-

A tur fuisse planum. Quantum videtur ad hoc, hæc tabulata quinque cubitorum altitudinis in supremorum extremitatibus per circuitum fabricata erant, ut a fortuito casu defenderent eos qui in superioribus deambularent. De tecto autem ipsius domus intelligitur, quod statim adjungitur : *Et operuit domum lignis cedrinis.* Descriptis templi exterioribus antequam de interioribus agat, ipsum opus ex divino responso mirabiliter commendat atque magnificat. In quo quidem lectores suos multum per omnem modum attentos et benevolos reddit, ne cui forte otiosum videatur quod singula quæque tam diligenter describit.

Adjungit ergo auctor, et dicit : *Et factus est sermo Domini ad Salomonem dicens : Domus hæc quam*
B *ædificas si ambulaveris in præceptis meis, et judicia mea feceris, et custodieris omnia mandata mea gradiens per ea, firmabo sermonem meum tibi quem locutus sum ad David patrem tuum, et habitabo in medio filiorum Israel, et non derelinquam populum meum Israel.* Hæc omnia per se satis patent, et nostra expositione non indigent. Addo tamen et illud quod forte Salomon hoc Divinitatis responsum inter operandum accepit, et bono incœpto divina benevolentia benigno favore occurrit : et quo ordine sunt inpleta, eodem et scripta.

Sequitur : *Igitur ædificavit Salomon domum et consummavit eam.* Hoc superius jam dixerat : sed ecce idem repetit, postquam ex divino responso
C ostendit cujus dignitatis et auctoritatis domus merito fuerit, quam Dominus se velle inhabitare prædixit, ac si apertius dixisset : Opus quod tantæ dignitatis fuit ædificavit et consummavit. Forte ista templi commendatio, et ad hoc poterit valere, ut legentium quilibet non me audeat arguere, ex eo quod viderit me obscuriora quæque cum tanta diligentia discutere et explanare. Superius descripsit templi exteriora, nunc incipit describere ejus interiora : *Et ædificavit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis.* Unus idemque paries marmoreus erat extrinsecus, et tabulis coopertus intrinsecus; nec in parte tantum, sed totus. Hoc est quod aperte determinatur, in eo quod subjungitur : *A pavimento domus usque ad summitatem parietum, et usque ad*
D *laquearia operuit lignis intrinsecus.* Operuit itaque lignis parietes per omnia usque ad summa laquearia. Et texit pavimentum domus tabulis abiegnis. Ecce differentiam pavimenti atque parietis : illud tegitur tabulis abiegnis, iste cedrinis. Post ista describit tabulatum quod dividebat exterius templum a Sanctis sanctorum : *Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina a pavimento usque ad superiora et fecit interiorem domum oraculi in sanctum sanctorum.*

Notandum quod ista tabulata dicuntur erecta a pavimento usque ad superiora, non autem usque ad laquearia. Nam usque ad laquearia plusquam viginti cubiti altitudinis erant : infima siquidem mansio templi, ut superius dictum est, triginta cubitos al-

Digitized by Google

titudinis tenebat : *Et fecit*, inquit, *interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum.* Proprie dicitur oraculum, divinum responsum homini a Deo per semetipsum, seu per angelum, seu per hominem factum : unde et dicimus oracula prophetarum. Oraculum etiam dicitur propitiatorium, vel locus ille templi ubi responsa dabantur, et unde audiebantur, juxta quod in Exodo legitur : *Duos quoque cherubin aureos, et productiles facies ex utraque parte oraculi* (*Exod.* xxv). De hoc sane loco Moysi a Domino dicitur : *Inde præcipiam, et loquar ad te : Super propitiatorio scilicet, ac medio duorum Cherubin* (*ibid.*). Aliquando per oraculum tota domus illa interior intelligitur, in qua locus ille continebatur. Hoc autem loco nomen oraculi secundum primam acceptionem debet intelligi. Nam eo quod maxime dedicata fuerat in id genus officii, recte dicitur domus oraculi.

Sequitur, in quo utriusque domus longitudo determinatur : *Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.* Si templum exterius quadraginta cubitos habuit, ergo interiori domui viginti cubitorum longitudo remansit : nam templum sexaginta cubitos longitudinis tenuit. Hic oraculi nomine, domum interiorem oportet intelligere. Quod pro foribus dicitur, idem est ac si ante fores dicatur. Sententiam quam superius posuerat repetit, ut addat : *Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas, et juncturas suas fabrefactas, et cælaturas eminentes. Omnia cedrinis tabulis vestiebantur : nec omnino lapis apparere poterat in pariete.* De his quæ hic proponuntur, dicam quod mihi videtur. Quod in sequentibus legitur de laminis aureis, idem intelligo de tabulis istis : quod istæ sicut illæ erant æquilateræ, opere quadro ad regulam factæ, in quibus secundum librum erant tornaturæ in modum circuli torno circumductæ, et intra circulos cælata cherubin et palmæ. Hæc autem tabulata erant in hunc modum conjuncta. Inter postes muro intrinsecus adhærentes, et ab invicem æqua mensura distantes, trabeculæ quædam hinc inde postibus affixæ, a pavimento usque ad laquearia ordinatæ erant, quæ descriptas tabulas a superiori et inferiori parte excipiebant : nam earum incastraturis ipsæ tabulæ insertæ et clavis affixæ erant. Hæ ergo trabeculæ junctæ vocantur; quoniam tabulata parietum ex ipsis in unam compagem jungebantur. Juxta eamdem formam et similibus lignis quibus tabulæ erant compactæ a superiori et inferiori parte, intellige etiam junctas in utroque latere. In istis autem juncturis artificiosa quædam concatenatio, nodosaque plectarum perplexio cælata erat, sicut liber Paralipomenon, si bene recolo, in his verbis commemorat : *Sculpsitque in ea* (hoc est in domo) *palmas : et quasi catenulas se invicem complectentes* (*II Paral.* III).

Sequitur : *Oraculum autem in medio domus in interiori parte fecerat, ut poneretur ibi arca fœderis Domini.* Per oraculum hoc loco locum illum in quo arca inter cherubin media stabat intelligere debemus : nam domus interior non fuit in medio exterioris domus, nec esse potuit in medio sui ipsius. In eo autem quod dicit in medio domus, per domum hoc loco totum templum oportet intelligere, et in eo quod addit, in interiori parte, per interiorem partem, interiorem domum debemus accipere. Subsequenter autem oraculum, pro tota domo interiori ponitur, in eo quod statim adjungitur : *Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis et viginti cubitos latitudinis, et viginti cubitos altitudinis : et operuit illud, atque vestivit auro purissimo.* Quod viginti cubitos altitudinis dixit, de illo pariete intelligi voluit, qui specialiter pro oraculo factus fuit : de quo et superius mentionem fecit. Forte aliquis æstimabit, quod primum cœnaculum eo loci demissius fuerit. Sed in medium ducimus quod in Paralipomenon legimus citius fortassis elucesceet quod quærimus. Nam postquam de interiori domo, et duobus cherubin egit, statim adjungit : *Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, coccino et bisso ; et intexuit ei cherubin.* Quis dubitet intelligendum esse de hoc velo quod legitur in Evangelio : *Et scissum est velum templi a summo usque deorsum ?* (*Marc.* v.) In hoc autem omnes doctores, et Scripturarum expositores consentiunt, quoniam ad hoc scissum est velum, ut paterent ea quæ erant intra Sancta sanctorum. Ubi ergo, obsecro, hoc velum pendebat, quod sancta et Sancta sanctorum ab invicem dividebat. Si dicimus quia ante parietem appensum fuerit, quid ejus scissio profuit si ipso scisso paries integer remansit? Tenenda itaque est absque ambiguo quod dictum velum contra illos decem cubitos in superioribus pendebat, qui parietem viginti cubitorum altitudinis excedebat, et in ea parte sanctum a Sanctis sanctorum dividebat. Ut autem melius intelligatur quod de situ arcæ, seu duorum cherubin dicere volumus, veniat in medium quod de his in Paralipomenon in hunc modum legimus : *Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, in Sancta sanctorum subter alas cherubin, ita ut cherubin expanderent alas suas super locum in quo posita erat arca, et ipsam arcam tegerent cum vectibus suis.* Vectium autem quibus portabatur arca, quia paululum longiores erant, capita patebant ante oraculum. Si vero quis paululum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat.

Notandum itaque quid de arcæ vectibus hoc in loco legis, qui secundum lectionem Exodi semper erant in arcæ circulis, et nunquam extrahebantur ab eis. Dicitur itaque de his vectibus qui arcæ circulis inserti erant, quod eorum capita extra oraculum propius existentibus parebant : nam a paululum remotis videri non poterant. Ex his itaque datur intelligi quod vectes, qui arcam portabant, ex una parte super summitatem parietis viginti cubitorum altitudinis jacebant; ita ut eorum capita extrinsecus apparerent : quæ quidem capita dictum

Digitized by Google

velum in id loci descendens ab exteriore parte velabat. Qui igitur juxta parietem stabant, inter summitatem parietis et extremitatem veli apparentia videre poterant; remotiores vero propter interpositionem veli videre non poterant. In hanc sententiam concurrere videtur quod de eisdem vectibus in hoc eodem libro in sequentibus legitur : *Cumque eminerent vectes, et apparerent summitates eorum foris sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus.* Et hoc item loco habemus, quod summitates vectium ex eminenti loco apparebant foris sanctuarium et ante oraculum. Nota quod dicitur cum additur : Non apparebant ultra extrinsecus. Prius ostenditur quod extrinsecus apparebant; postea dicitur quod ultra extrinsecus non apparebant. Novus et inusitatus dicendi modus, ultra extrinsecus. Locus qui ante oraculum parieti adhærebat extrinsecus quidem erat : cujus operatione quælibet remotior ultra extrinsecus dici poterat. Quantum ergo summitates vectium de solum adjacenti loco videri poterant, dicitur quod ultra extrinsecus non apparebant. Ex his facile est perpendere, quod oportuit esse, quod vectes exciperet ab interiori parte. Sed quantum quomodo id fieri potuit facile perpenditur, legentium conjecturæ relinquitur. In eo quod dicitur, quod altare de cedro vestivit, notatur quod prima ejus factura de lapide fuerit. Ea vero quæ de duobus cherubin sequuntur, tam sunt aperta, ut non egeant expositione aliqua: *Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque, et duo ostia de lignis olivarum.* Contra usum nostræ consuetudinis tam in ingressu oraculi quam in ingressu templi duo ostia erant : et utrobique unum ab interiori, alterum ab exteriori parte altrinsecus pendebat, et utrumque ex duobus ostiolis, hoc est ex duabus valvis conjunctum erat. Non enim valvarum more unum ostiolum pendebat ex parte una, et aliud ex parte altera; sed duo ostiola aurea quadam concatenatione in unum ostium ita erant conjuncta, ut invicem complicata medietatem introitus tenerent, explicata vero totum ostium clauderent.

Notandum quod postes ita dolantur quandoque, ut habeant angulos quatuor, aliquando ut habeant angulos quinque, aliquando autem habent senos, vel septenos, seu etiam octonos. Factura igitur operis exprimitur, in eo quod dicitur: *Postesque angulorum quinque.* Est autem intelligendum hos postes ante oraculi introitum erectos tantum a pariete distare quantum ostium plicatum se poterat extendere, tantum vero inter unum et alterum spatii interesse quantum ostium explicatum poterat claudere. Interstitium vero quod inter postes et parietes erat, tam a superiori parte quam ab utroque latere tabulatum texebat. Unum ex ostiis pendebat de poste ex parte ista; alterum autem de pariete, sed ex parte alia. Bene autem prius dicitur, quod fecerit ostiola, postea quod fecerit ostia, quantum ex quatuor ostiolis duo ostia sunt facta.

A Superfluum vero videtur quod expressio materiæ repcritur. Ecce habemus de ingressu oraculi · videamus nunc quid dicatur de introitu templi: *Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulos, et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus.* In superioribus habuimus postes quinqueangulos, hic habemus postes quadrangulos. Ibi describuntur ostia de lignis olivarum, hic vero de lignis abiegnis; quod vero dicit altrinsecus, intelligendum est tam de istis, quam de illis. Nam utrobique duo ostia erant, et utrobique unum ex parte australi, et alterum eorum ex parte aquilonari pendebat, ita ut unum eorum affigeretur ex parte interiori; alterum vero ex parte exteriori. Tam illis quam istis convenit quod de istis adjungit : *Et* B *utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur.* Utrobique utrumque ostium duplex erat; quoniam utrumque ex duobus ostiolis, hoc est, duabus valvis, sicut de interioribus jam docui, compositum fuerat. Valvæ autem non hinc inde pendentes, sed se invicem tenentes aperiebantur, et in aperiendo vel claudendo modo invicem plicabantur, modo explicabantur.

Nota quod in introitu portæ hinc inde solent in ipso muro fieri quædam ejecturæ, ad quas ostium utrobique reverberatur cum introitus clauditur. Sed quantum in hoc templo omnia intrinsecus operiebantur ligno, in loco hujusmodi ejecturarum erant duo postes ex parte interiori et duo alii ex parte C exteriori. Unusquisque autem, ut dicitur, quadrangulus erat, prout ratio operis in eo loci, seu etiam ratio mysterii exigebat. His quæ hoc loco de ostiis legimus, simile est quod in descriptione templi apud Ezechielem invenimus : *Et duo ostia*, inquit, *erant in templo, et in sanctuario; et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola, quæ in se invicem plicabantur. Bina enim ostiola erant ex utraque parte ostiorum.* Quod in sequentibus dicit de muro interiori atrii, intelligendum est et de muro templi: sed de eo dicitur, de quo minus videretur : *Et ædificavit*, inquit, *atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri.* In præcipuis ædificiis temporis nostri superficiales tantum lapides tam interiores quam exteriores solent poliri: D sed media inter hos minoribus lapidibus et minime politis solent repleri. Sed in operibus Salomonis tam illi qui medium tenebant, quam illi qui interius exteriusque apparebant, perpoliti erant, ita ut essent ibi tres ordines lapidum politorum quo quidem superficialium, tertius interjacentium; quartus vero ordo erat de ligno, quoniam omnia intus vestiebantur cedro. Expletis quæ de templi ædificatione dicturus erat, repetit quæ in descriptionis exordio præmiserat. Repetit namque, et dicit quo tempore ædificatio fuerit inchoata, ut addat quo tempore fuerit consummata, et inferat quanto tempore fuerit perfecta : *Anno quarto fundata est domus Domini : in mense zio, et in anno undecimo mense bul, ipse est octavus, perfecta est domus in omni opere suo, et in*

Digitized by Google

universis utensilibus. Ædificavitque eam annis septem. Expleta descriptione templi, addit de domo quam Salomon fecit sibi, adjungens et de domo saltus Libani. De domo regia latius agit; de domo saltus Libani solummodo mentionem facit : *Domum autem suam ædificavit Salomon, decem et tribus annis et ad perfectum usque perduxit.* Ecce de tempore, et facta de domo saltus Libani interpositione : adjungit de regiæ domus modo et magnitudine. Nam quod ad ea quæ de domo regia præmiserat, adjunxit: ædificavit quoque domum saltus Libani, interpositio fuit : non enim de domo saltus Libani intelligi debet, quod de domus mensura adnectit, cum dicit: *Centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis, et triginta cubitorum altitudinis, et quatuor deambulacra inter columnas cedrinas.* In domo autem saltus Libani arma reponebantur, sicut in sequentibus legitur : *Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro, et trecentas peltas ex auro probato. Posuitque ea rex in domo saltus Libani* (*III Reg.* x). Unde et idem locus armamentarium dicebatur. Hinc est quod de dictis armis in Paralipomenon scribitur : *Posuitque ea rex in armamentario, quod erat consitum nemore* (*II Paralip.* ix).

Nota quod locus ille nemore consitus dicitur, unde et pro nonnulla similitudine saltus Libani vocabatur. Ecce de armamentario : nunc consideremus ea quæ dicuntur de regia domo. Patet de mensura, videamus quæ dicuntur de ipsius factura. Sicut ex sequentibus colligitur : triplex ordo columnarum ibi erat, quorum unusquisque quindecim columnas habebat. Unus ordo totam domum a fronte in frontem in duas medietates dividebat. Alius autem ordo in gemina distinguebat medietatem unam; tertius vero in totidem medietatem aliam. In hunc igitur modum erant ibi quatuor deambulacra triplici columnarum ordine distincta. Unde adhuc addit: *Ligna quippe cedrina exciderat in columnas : et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram.* Dicendo cameram, satis compendiose exprimit facturam operis a superiori parte. Ex eo namque notatur quod inter columnas ipsas laquearia non erant plana, sed arcuata. Nam cameron idem sonat Græce quod curvum, vel convexum Latine. Tota itaque superincumbens devexitas cedrinis tabulis vestiebatur, quæ quadraginta et quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas decem et quinque contra se invicem positas. Ex hoc loco habemus quod superius de ordinibus columnarum et deambulacris jam diximus. Attende quam argute factura porticus exprimitur, in eo quod porticus columnarum nominatur, ex eo videlicet quod ab exteriori parte muro carens columnis distinguebatur. Quod post majorem porticum, de cæteris duabus subsequenter adjungitur, sic intelligendum videtur, quod una earum erat in fronte majoris porticus ex parte una, et alia simili modo ex parte altera, in qua erat tribunal, hoc est sedes judiciaria. De domo filiæ Pharaonis breviter mentionem facit, ubi et de præmissis ædificiis tam reginæ quam regis generalem sententiam subjungit, cum dicit : *Omnia lapidibus pretiosis, qui ad normam quamdam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant, a fundamento usque summitatem parietum* (*III Reg.* vii). Lapides ædificiis tam intrinsecus, quam extrinsecus serrati dicuntur, quando superficiales lapides tam ex parte interiori quam ex parte exteriori ita ordinantur ut junctura superpositorum non concurrant cum junctura suppositorum.

Sed nota quod dicitur : Ad normam quamdam atque mensuram. Serrantur autem ad unam mensuram, quando junctura superiorum semper, occurrerit contra medium inferiorum. Sed qui prius dixerat quod serrati erant tam intrinsecus, quam extrinsecus quid est quod adhuc adjungit, et intrinsecus usque ad atrium majus. Sed quod prius dicitur intrinsecus, intelligendum est pro superficie interiori, quod secundo repetitur intrinsecus, intelligendum est pro intimo ipsius muri : nam lapides qui latebant intrinsecus serrati erant cum lapidibus qui hinc inde apparebant extrinsecus : *Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, de lapidibus magnis, decem, sive octo cubitorum : et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant.* Sicut in fundamento, licet in superioribus, non potuerit omnes usquequaque esse ejusdem mensuræ, alioquin scriptor invenitur sibi ipsi contrarius esse. Sed qui erant ejusdem facturæ et formæ, erant et ejusdem mensuræ : et qui habebant positionem consimilem, etiam habebant mensuram æqualem.

Sequitur : *Similiterque cedro.* Similiter, inquit, erat de cedro : nam ad modum lapidum de cedro, etiam fiebat conformis operatio. In eo quod superius dixerat : atque ad Urium, scilicet majus, non satis intelligitur utrum ipsum atrium a præmissa generali sententia excludatur, aut includatur; sed determinatur in eo quod hic adjungitur : *Et atrium majus rotundum trium ordinum de lapidibus sectis, ut unius ordinis de dolata cedro.* Idem dixerat longe superius de interiori atrio domus Domini : quod hic dicitur de his ædificiis, sed hoc loco repetitur pro similitudine operis. Inde est quod sequitur : *Nec non et in atrio domus Domini.* Non in quolibet : *Sed interiori, et porticu domus Domini.* Ea quæ de columnis æreis dicuntur videntur multum obscura; et nisi subtiliter discernantur, ex ipsa nominum æquivocatione valde confusa. Dicitur itaque de his columnis : *Et fixit duas columnas æris, decem et octavo cubitorum altitudinis; et linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque.* Ecce hic, decimo octavo cubitos altitudinis dicuntur habere columnæ, in Paralipomenon autem leguntur habere cubitos trigesimo quinto (*II Paral.* iii). Sed quod hoc loco de columnæ altitudine dicitur, de solo stylo intelligitur quod inter basim et capitellum erigitur. Columnæ autem nomen quandoque strictius, quandoque vero largius accipitur. Secundum id autem quod largius accipitur, quatuor membra habere videtur. Primo basim,

Digitized by Google

secundo stylum quod super basim in altum erigitur, tertio epistylium quod supra stylum ponitur, quarto capitellum quod super epistylium in summis locatur. *Columnæ* itaque nomine quandoque totum hoc intelligimus; quandoque solum stylum, sicut et hoc loco uti jam diximus. Nomen etiam capitelli, modis solet pluribus accipi. Nam modo ponitur pro epistylio, modo pro eo quod superponitur ipsi epistylio, modo pro utroque pariter accepto. Sed epistylium dici non solet nisi quod stylo inhæret, unde et nomen accepit. Nam epistylium idem sonat quod super. Inde epistylium, quod ponatur supra stylum. In hac autem descriptione, cum legitur caput columnæ, oportet diversis in locis diverso modo accipere. Nam modo ponitur pro capitello, modo pro epistylio modo pro ipsius styli supremo. Hujusmodi æquivocationes solent sensum legentium confundere, eorum videlicet qui nesciunt, vel negligunt ea quæ legunt subtili examinatione discutere. Quoniam quæ de capitellis dicuntur, valde perplexa videntur, dicam prius quid mihi videtur inter secundum quod potui de hoc libro, vel libro Paralipomenon, colligere, et sic revertar ad expositionem litteræ. Epistylium in imo quatuor cubitos latitudinis, tres autem cubitos altitudinis habebat, et in modum lilii fabricatum erat. Flos lilii a rotunditate inchoatur, et paulatim ad superiora dilatatur; in summis autem tot latera quot folia habere videtur. Ecce de eius mensura, ejusdemque factura.

Secundum capitellum quinque cubitorum altitudinis esse describitur, et tot laterum quot epistylium esse videtur, ut ex eo ipso epistylio melius congrueret, et ipsa congruentia compositionem ornaret. Ab eadem autem quantitate, in quam desinit primum, solet inchoari capitellum secundum et per omne latus oblique ascendendo sæpe usque ad ejus medium dilatari, superior autem ejus medietas solet sursum directe et perpendiculariter erigi. Ex aliis itaque perpendimus quid de his sentire debeamus. *In hujus* autem secundi capitelli medio ubi operis *factura* variabatur, quædam ejectura in modum circuli insculpta erat, quæ totum capitellum, usquequaque cingebat, qualis in epistylio fieri solet in ea parte qua stylo adhæret. Unum autem hujusmodi circulum, ut dictum est habebat in medio, et juxta eamdem similitudinem alium habebat in imo ubi adhærebat ipsi epistylio. Sed quoniam hos circulos Scriptura vocat funiculos, intelligimus quod ita essent cœlati, ut velut in modum triplicis funiculi viderentur esse contorti. Erat etiam contra superiorem ejusdem capitelli medietatem quædam operis factura in modum retis ex ære concatenata: quæ eam undique ambiebat, et ab ejus summitate usque contra primum funiculum dependebat; ubi et centum malogranata appensa, et circa eumdem funiculum per gyrum ordinata erant. Erant autem et huic retiaculo alia centum interposita, et in medio ipsius per gyrum ordinata, ita ut eorum ambitus totum retiaculum in septena versuum distingueret, et velut in æqua divideret. Nihil aliud hoc loco dicimus unum retiaculi versiculum, nisi unum ordinem connexionum vel concatenationum unius ordinis foramina distinguentium. Quale retiaculum in capitello ordinavimus contra medietatem superiorem, tale cum tot malogranatis taliter ordinatis intellige et ipsum habere contra medietatem inferiorem. Ecce super istis jam dixi secundum quod potui de ipsa Scriptura colligere; sed nunc redeamus ad expositionem litteræ: *Duo quoque capitella fecit: quæ ponerentur super capita columnarum fusilia ex ære.* Nota quod descriptionem suam ab illo capitello, incipit, quod in hoc opere supremum locum tenuit: *Quinque cubitorum altitudinis capitellum unum, et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum.* Ecce de mensura.

Sequitur: *Et quasi in modum retis, et catenarum invicem miro opere contextarum.* Hæc capitella quæ catenulas habebant, epistyliis secundum Paralipomenon, superposita erant. Legitur namque ibi: *Fecit columnas duas, et epistylia, et capita, et quasi quædam retiacula quæ capita regerent super epistylia* (II Paral. III). Ecce de retiaculis dicit, quod tegerent capita quæ erant super epistylia. Et nota quod quæ ibi capita, hinc dicuntur capitella. Hic autem auctor capita pro epistyliis posuit, cum dicit: *Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita*, id est *super epistylia columnarum.* Non autem intelligendum est de his capitellis, quod ea sculpserit in modum retis. Paralipomenon autem liber scribit dictas catenulas capitellis superpositas, non insculptas: *Et fecit*, inquit, *quasi catenulas in oraculo, et superposuit eas capitibus columnarum.* Paulo post vero dicitur in descriptione ista, quod hæc capitella fuerint contra retiacula. Sed quod ibi catenulæ, vel retiacula dicuntur superposita, hic expressius, et magis proprie notantur contraposita. Additur adhuc de his capitellis, vel retiaculis: *Utrumque capitellum columnarum fusile erat. Septena versuum retiacula in capitello uno, et septena retiacula in capitello altero.* Ecce secundum quod superius jam diximus ex his verbis manifeste colligitur, quod retiacula in utroque capitello septenis versibus distinguebantur. Planius forsitan esset, si septenorum versuum, non septena versuum retiacula dixisset. Sed nota quod solum unum ordinem concatenationum capitello circumductum dici velit retiaculum, sicuti quantulamcunque panni abscissuram dicimus pannum. Sed non multum curandum quid, quibus verbis dicatur, dummodo sensus auctoris veraciter intelligatur

Sequitur: *Et perfecit columnas, et duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella quæ erant super summitatem malogranatorum.* Sicut superius jam diximus in utroque capitello erant retiacula duo, et bis septem versus in utroque retiaculo, ita ut unus ordo septem versuum esset supra centum malogranata interposita; alius autem ordo, septem similiter versuum esset supra

Digitized by Google

centum malogranata, in uno appensa. Bene ergo dicitur : *Perfecte duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum.* Quoniam unumquodque habebat duos ordines septenorum versuum. Erant autem ista retiacula septenorum versuum ita ordinata, ut tegerent capitella : nam ante ipsa capitella pendebant, et ea per circuitum ambiebant. Quod autem adjungitur : *Quæ erant super summitatem malogranatorum*, referendum est non tam ad capitella quam ad retiacula. Quæ, inquit, retiacula singula erant super summitatem malogranatorum, quoniam utriusque retiaculi superior medietas erat super summitatem malogranatorum interpositorum, inferior autem medietas erat super summitatem mologranatorum appensorum.

Sequitur : *Eodem modo fecit capitello secundo.* Quomodo, inquit, fecit capitello quod operatus est primo, eo modo fecit et capitello quod operatus est secundo. Respectu enim operationis, sive descriptionis, vult illud dici primum; istud secundum. Ecce de capitellis, nunc addit de epistyliis : *Capitella autem quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant in porticu, quatuor cubitorum* (*III Reg.* VI). Compendiose satis eorum tam facturam, quam mensuram describit. Capitella autem, inquit, id est, epistylia quæ erant super capita columnarum, id est, super summitatem utriusque styli, quasi opere lilii fabricata erant, ecce de factura ; in porticu, ecce de loco; quatuor cubitorum, ecce de mensura. Nota quod epistylia vocat hic capitella. Item notandum, quod superius per capita columnarum voluit intelligi epistylia; hic autem per capita columnarum vult intelligi stylorum suprema. In fine autem hujus libri hoc capitellum, vel potius epistylium tres cubitos altitudinis habere describitur, unde et illud quod hoc loco de ejus mensura legitur, de ejus latitudine recte intelligitur. Erat itaque quatuor cubitorum latitudinis circa inferiora, hoc est, paulo largior quam columna, in modum vero lilii dilatabatur erga superiora.

Sequitur : *Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper, juxta mensuram columnæ contra retiacula.* In hoc quod modo dicit, redit ad capitella quæ prius descripsit. Quod enim dicit, et rursum alia, intelligendum est esse alia, non a quatuor prædictis, sed duobus novissime descriptis. Sed, ne modo fiat dubitatio aliqua, determinatur ex eo quod dicitur, contra retiacula. Nam quod dicitur in summitate columnarum desuper, si quis de tertio pari capitellorum intelligere voluerit, profecto ordinatio eorum contra dicta retiacula non erit. Quod vero dicit capita facta juxta mensuram columnæ, non sic oportet intelligere, quasi utrorumque grossitudo esset ejusdem mensuræ. Ista assignatio non est æqualitatis, sed proportionalitatis. Quod enim capitellorum mensuram, juxta mensuram columnæ assignat, idem est ac si dicat : Talis erat mensura capitellorum, qualem exigebat magnitudo columnarum. De capitellis igitur et retiaculis breviter repetit, ut de malogranatis competentius adjungat, de quibus hucusque nil dixerat : *Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi* (*III Reg.* VII). Si ordinem positionis attendas, primo supra stillim [stylum?] ponebatur epistylium, secundo loco illud capitellum quod habebat in duobus retiaculis ducentos ordines malogranatorum. Juxta hanc considerationem epistylium recte dicitur capitellum primum; illud vero de quo modo loquitur, secundum : *Malogranatorum*, inquit, *ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.* Ubi nulla pluralitas est, ordo esse non potest. Ubicunque itaque est ordo, non possunt esse minus quam duo. Ubi ergo ducenti ordines malogranatorum fuerunt, non minus quam quadringenta esse potuerunt. Longe inferius de his malogranatis iterum legimus : *Duo versus malogranatorum in retiaculis singulis.* Hic dicuntur esse in circuitu capitelli sed modus determinatur ibi; quoniam in retiaculis erat, quæ capitellum ambiebant. Sed non video quomodo in retiaculis esse potuissent, nisi interposita vel appensa fuissent. Sed ex Paralipomenon habemus quod centum fuissent interposita : unde et constat quod reliqua fuissent appensa : *Fecit*, inquit, *malogranata centum quæ catenulis interposuit* (*II Paralip.* III). Si ergo centum malogranata uni retiaculo interposita ita fuerunt circa capitellum ordinata, ut quodlibet unum haberet e regione subter se aliud appensum, profecto unum retiaculum continuit ordines centum. Unum autem capitellum habebat ut diximus, retiacula duo : et juxta dictum modum erant centum ordines in uno, et centum in alio, et impletur quod dicitur. Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi. Quod autem paucis interpositis subjungit, et super capita columnarum opus in modum lilii posuit, repetitio est sententiæ quam superius in his verbis præmisit : *Capitella autem quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant.*

Et notandum quidem quam sit auctori familiare eamdem sententiam repetere. Post ista vas quoddam describit, quod et mare vocat, in quo sacerdotes manus et pedes lavabant, quando in templo ministraturi erant : *Fecit quoque mare fusile, decem cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu : quinque cubitorum altitudo ejus.* Hæc omnia satis sunt aperta. Sed quod statim adnectitur, omnino impossibile videtur. Et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum, Si enim vas aliquod rotundum habeat decem cubitos de uno latere in latus oppositum, impossibile est ut illud cingat resticula triginta cubitorum. Sed hæc quæstio melius in sequentibus solvitur, sicut suo loco dicetur. Circa superiora ut dicitur, resticula triginta cubitorum ipsum cingebat; inferius autem ubi resticula decem cubitorum ambiri poterat, delectabiles quasdam et jocosas cælaturas habebat, hoc est quod statim adjungit cum dicit : *Et sculptura subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare. Duo ordi-*

Digitized by Google

nes sculpturarum striaturum erant fusiles. Quæ dicuntur satis patent, et expositione non indigent : *Grossitudo autem luteris trium unciarum erat.* Per grossitudinem spissitudinem debemus intelligere; per luterem, hic idem quod mare.

Sequitur : *Labium ejus quasi labium calicis, et folium repandi lilii.* Ex hac descriptione intelligitur quod ejus labium ad exteriora reflectebatur : unde et illa mensura subter labium sumpta intelligitur quæ superius in his verbis describitur : *Et resticula, tringinta cubitorum cingebat illud per circuitum.* Nam et illa mensura, decem cubitorum, non est sumpta subter labium : sed ubi ibi legitur a labio usque ad labium : *Duo millia batos capiebat, et tria millia metretas.* De his mensuris melius videtur supersederi quam aliquid dicere; quoniam sub eisdem nominibus apud diversos diversæ intelliguntur mensuræ. In sequentibus quædam vasa describuntur, in quibus holocausta lavabantur quæ liber iste luteres vocat, Paralipomenon conchas nominat. De his conchis ibi in hunc modum legimus : *Fecit quoque conchas decem et posuit quinque a dextris, et quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia quæ in holocausto oblaturi erant* (*II Paral.* IV). In hoc libro prius luterum bases quam luteres describit, cum dicit : *Et fecit bases decem æreas quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, et quatuor cubitorum latitudinis, et trium cubitorum altitudinis.* Quoniam obscurum est quod de basium mensura dicitur, dico prius quod mihi inde videtur; postea littera explanabitur. Sed, ut melius intelligatur quid inde sentimus, singula quasi membratim tractemus. Primo itaque ponantur duæ tabulæ æreæ ex majore sui parte perforatæ quatuor cubitorum, tam in longitudine quam in latitudine. Una habeat foramen quadratum æquilaterum, altera rotundum, ita ut quadrati latus non excedat diametrum alterius. Tabula vero cum foramine quadro jaceat in imo. Supra hanc autem circa ejus foramen erigantur quatuor tabulæ, tam primæ tabulæ quam sibi invicem per quatuor angulos foraminis firmiter conjunctæ : et teneant tres cubitos in altitudine. Per quatuor autem angulos jacentis tabulæ juxta erectarum juncturam erigantur columnæ æreæ habentes tres cubitos in altitudine. Tabula autem cum rotundo foramine tam tabulis erectis, quam columnis debet ita superjacere, ut omnia jungat superius, sicut prima tabula omnia in unum conjungit inferius. Super foramen autem supremæ tabulæ, quædam quasi hemisphærii concavitas debet collocari : formam habens per omnia quasi pelvis inversæ. Summitas namque hujus hemisphærii in planam quamdam rotunditatem deficiebat, quæ cubitum et dimidium quaquaversum tenebat, cui luter insidebat. Circa vero basium superiora, per quatuor partes sustentacula quædam, quæ Scriptura humerulos vocat, exibant : quæ ventres luteris ab omni parte excipiebant et sustinebant. Quod de rotis et earum axi dicitur satis apertum videtur, sed nunc ad litteræ expositionem revertamur. Dicitur itaque de his basibus : *Et ipsum opus basium interrasile erat.* Hoc dicitur pro ea parte in qua erant cælaturæ. Unum est genus cælaturæ in quo cujuslibet corporis lineamenta superficietenus circumscribuntur; aliud in quo tota corporis imago membratim formatur, et campus qui cælaturis interjacet cavatur, et in parte vel funditus abraditur. Itaque ad distinctionem alterius generis cælaturæ, dictum est opus basium interrasile.

Sequitur : *Et sculpturæ inter juncturas, et inter coronulas et plectas, et leones, et boves, et cherubin ; et in juncturis similiter desuper.* Quatuor latera tabulæ in imo suppositæ juncturas vocat : quorum unumquodque duas hinc inde columnas, et adhærentem tabulam erectam in unum conjungebant; juncturæ autem desuper, latera supremæ tabulæ dicuntur : quibus a superioribus similiter in unum jungebantur, quibus singulis sculpturæ inesse describuntur. In basibus autem columnare per latera, in tabulis illis quæ per quadrum stabant erectæ, coronulæ erant insculptæ, similiter et plectæ velut vimina quædam, invicem artificiose perplexæ. Inter has itaque plectas ubi in se invicem in modum circuli replicabantur similiter et inter coronulas et plectas insculpti perhibentur et leones, et boves, et cherubin : *Et subter leones et boves quasi lora ex ære dependentia, et quatuor rotæ per bases singulas, et axes ærei.* Omnia ista satis aperta. Et quod adjungitur de humerulis patet ex ante jam dictis : *Et per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles contra se invicem respectantes.* Plana sunt ista, sed quæ de luteris factura adjunguntur, subobscura videntur : *Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate, et quod foris apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum et dimidium.* Cogita facturam ipsius luteris quasi formam rotundam pixidis operculum non habentis. Caput ejus, superiora ipsius; summitas capitis ambitus foraminis. Summitas autem capitis, id est, margo ipsius foraminis, adhærentem sibi teretem quamdam concavitatem in modum fistulæ factam cingebat atque conglutinabat : quam liberos luteris vocat, quia per ipsum sibi infusa transigebat. Hujus autem proceritas semis cubitum tenebat, dimidius vero cubitus in ventrem descendebat, unus autem cubitus exterius apparebat. Dicitur itaque quia os luteris in capitis ejus summitate intrinsecus erat quoniam ejusmodi, quam diximus fistulam, marginis supremum intra se concludebat. His de luteris factura interpositis ad basium descriptionem redit, cum adjungit : *In angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant ; et media inter columna quadrata, non rotunda.* Erant itaque cælaturæ non solum in coronulis basium, sed etiam in angulis earum qui jacebant extra circulum. Intercolumna vocat tabulas superius dictas, inter quatuor columnas per quadrum erectas. Si autem subjecta tabula rotundum foramen

Digitized by Google

haberet, et circa ipsum rotunda concavitas in altum ascenderet, profecto intercolumnia non fuissent quadrata sed rotunda.

Sequitur : *Quatuor quoque rotæ quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant subter basim.* Nam axes quibus superpositæ bases incumbebant, ab uno basium latere transeuntes, et utrinque excedentes, et rotis injecti, rotas ad invicem copulabant. Ea quæ de basibus, vel luteribus in sequentibus adjunguntur, ex ante jam dictis perspicua videntur. In fine descriptionis columnarum superius descriptarum iterum mentionem facit, ubi et aliquid interserit quod prius non dixit : *Et perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini : columnas duas et funiculos capitellorum super capita columnarum duos, et retiacula duo, ut operirent duos funiculos qui erant super capita columnarum.* Usque modo de funiculis capitellorum nullam mentionem fecit, nunc duos super capita columnarum esse definit. Funiculos capitellorum eos vocat, quoniam capitellis inerant. Sed quod dicitur fecisse super capita columnarum funiculos duos, potest in dubium venire, an fecerit in singulis singulos, an potius in singulis duos. Sed hoc ipsum determinatur ex eo quod de retiaculis adjungitur : *Et retiacula duo, ut operirent duos funiculos qui erant super capita columnarum.* Habemus ex superius positis atque expositis, quod duo retiacula erant in singulis capitellis. Quod ergo dicit duo retiacula, referendum est ad singula capitella. Singulorum capitellorum vero retiacula, duos funiculos operire non possent, si duo in singulis non fuissent. Quid adhuc fecerit, adjungit cum dicit : *Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis.* Sciendum pro certo quod hoc loco legendum sit, quadringenta non quadraginta, secundum quod habent codices multi vitio scriptorum depravati. Quod facile convincitur ex eo quod superius legitur ubi dicitur : *Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.* Cui ista attestatio non sufficit, per Hebræos, Hebraicam veritatem consulat, et quod dicimus verum esse inveniet. Adhuc autem additur de his malogranatis, quomodo ordinata erant in retiaculis singulis : *Duo versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum.* Concinit huic lectioni quod in Paralipomenon legitur, ubi de malogranatis, vel retiaculis scribitur : *Malogranata quoque quadringenta ; et retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epistylia et capita columnarum.*

Nota quod unus dicit versus, alius ordines vocat. Secundum quod superius legimus, et exposuimus, ducenti ordines malogranatorum erant in retiaculis duobus, centum videlicet in retiaculo uno, et centum in alio. Centum itaque ordines erant in singulis secundum lectionem illam ; duo in singulis secundum lectionem istam. Absque dubio centum A erant secundum considerationem unam; et duo secundum considerationem aliam. Si secundum unam dimensionem attendas, invenies ibi duos centenarios ; si secundum aliam cogites, invenies ibi centum binarios. Quod superius dixerat de retiaculis, idem repetit de malogranatis. De utrisque namque dicit quod funiculos operirent : unde intelligitur usquequo retiacula descenderent, quæ malogranata de suis extremitatibus dependentia contra funiculos haberent. Ex superioribus, ut jam ostendimus, datur intelligi quod in uno capitello fuerunt duo retiacula, et duo tantum funiculi. Potuit ergo unus ordo malogranatorum unius retiaculi operire unum funiculum, et unus similiter ordo alterius retiaculi operire alterum. Quid est ergo quod dicitur quod B in retiaculis singulis erant duo versus vel ordines malogranatorum ad operiendos funiculos capitellorum ? Sed in hoc notatur quod decor operis, vel ratio significationis non sinebat ut primus ordo haberet contra se funiculum : et idcirco in singulis retiaculis est additus ordo secundus ut posset anteponi eo loci, quo ratio poscebat poni funiculum. Primus itaque ordo malogranatorum in singulis retiaculis septena, ut superius diximus, versuum retiacula distinguebat ; secundus autem antepositus funiculis illos intuentium aspectibus obnubilabat. Hæc de rebus obscurioribus prout potui digessi. Si quis me non tam falsitatis, quam prolixitatis arguat, sciat me malle videri sciolis prolixior quam simplici- C cioribus obscurior. Sed quod dictum est a me forsitan nimis prolixe, quilibet peritior habet in potestate ad compendium revocare.

Notandum quod de mensura basium nihil dicitur : sed de eo quod in hoc libro, vel in Paralipomenon legitur, quam sit facile deprehenditur. Secundum hunc enim librum stylus ipse decem et octo cubitos habebat ; duo autem capitella octo cubitos tenebant. Secundum Paralipomenon vero tota columna habebat cubitos triginta quinque, unde et constat ipsius basim novem cubitos habere. In principio descriptionis hujus legitur quod templum triginta cubitos altitudinis habebat. Si ergo altitudo porticus, altitudini templi respondebat, quomodo columnas triginta quinque cubitorum altitudinis D capere poterat ? Ex mutua igitur dictorum collatione manifeste colligitur, quod in porticum gradibus ascendebatur, et quod eo loci quo columnæ stabant, terra quidem porticus ipsius pavimento quinque cubitis demissior erat. Nunc ea quæ de dictis retiaculis, vel malogranatis in fine Jeremiæ leguntur, in medium ducantur, ne forte alicui his quæ superius dicta sunt dissonare videantur : *Et retiacula*, inquit, *et malogranata centum retiaculis circumdabantur. Et retiacula, et malogranata nonaginta et sex dependentia. Et omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur* (*Jer.* LII). Sicut superius dictum est, in uno retiaculo erant centum malogranata in medio ipsius interposita, et centum in uno dependentia. Ex qua autem factum sit occasione, ut non

Digitized by Google

fuerint ibi plus quam nonaginta sex dependentia tempore Jeremiæ, fateor me nescire. Secundum quod hic intelligi dedit, unum retiaculum ex centum retiaculis compositum fuit, unum ordinem concatenationum circumtexentium unum ordinem foraminum, vult intelligi unum retiaculum. Si a summo deorsum numeres, quatuordecim foramina in uno ordine invenies. Si numeres per circuitum, invenies in ordine uno foramina centum. Erant ergo ibi quatuordecim retiacula secundum considerationem unam : et centum secundum considerationem aliam. Septem versuum retiacula erant usque ad malogranata in medio interposita. Unde et dicit : *Et retiacula, et malogranata centum retiaculis circumdabantur.* Et erant alia septem versuum retiacula usque ad malogranata in imis dependentia. Unde et adjungit : *Et retiacula, et malogranata nonaginta sex dependentia.* Utrum autem in inferiora malogranata in extremis foraminibus, an sub ipsis dependerent, dubitari potuit ; sed determinatur in eo quod generalem sententiam subjungit, cum dicit : *Et omnia malogranata centum retiaculis circumdabantur.*

TRACTATUS TERTIUS.

De concordia temporum regum conregnantium super Judam et super Israel. Ad beatum Bernardum abbatem Claræ-vallensem.

In his, quæ in libro Regum de diuturnitate varia successione regnantium dicuntur, multa, ut dicis, contrarietas inesse videtur : unde et numerorum computatio vitio scriptorum corrupta putatur. Unde et antequam de his juxta petitionem tuam aliquid scriberem, per Judæos Judæorum scripta consului, et tam eorum scripta quam nostra in unam sententiam concurrere didici. Constat itaque apud me quod in his nulla contrarietas sit quamvis et ipsis hucusque veritas ipsa latuerit. Absit ut credam quod in divinis Scripturis veritas uspiam adeo oberraverit, ut omnino recuperari non possit ! In primis itaque sciendum quod, cum legitur rex aliquis tot vel tot annos regnasse, non sic semper oportet intelligere, quasi ultimum regni sui annum quisque ita compleverit, ut ad ejus completionem nulla diminutio superfuerit. Sed si ille annus qui inter successorem et prædecessorem dividebatur neutri illorum ascriberetur, de collectionis summa pars magna veritati detraheretur. Satis itaque congrue et compendiose ad devitandas minutias annum duobus communem Scriptura illi attribuit, qui majorem illius anni partem obtinuit. Item, si diligenter attendimus, inveniemus pro certo frequens fuisse illis temporibus, quod in nostris sæpe actitari videmus. Videmus sæpe quod reges filios suos, dum adhuc vivunt, coronant, ut subditorum contradictionem et rebellionem præveniant. Hoc apud reges Israel frequens erat, timentes ne per aliquam rebellionem regnum eorum ad domum David rediret. Ex hoc quidem in Scriptura, quamvis ubique aperte non dicatur, invenitur tamen in ea unde suis in locis facile convincatur.

Et notandum quod tempora congregantium quandoque attribuuntur soli patri, quandoque filio soli, quandoque tam filio quam patri. Sunt enim qui quamvis filios suos jam coronaverint, nullo modo dum vivunt regiam potestatem eos exercere velint. Merito ergo ejusmodi tempus regnandi attribuitur soli patri. Sunt qui post filiorum coronationem modo propter corporis, modo propter mentis infirmitatem otio vacant, luxui deserviunt, et negotia regni per omnia filiis committunt. Nonne hæc tempora regnandi rectius ascribuntur filio quam patri? Sed quando regni negotia communiter tractabant, et contra rebelles modo simul, modo separatim regnum defensabant (sicut et Romani imperatores suis temporibus fecisse leguntur), nonne hæc regnandi tempora utrisque merito ascribuntur? Ecce Hieroboam rex Israel dicitur regnasse viginti duos annos, et filius ejus Nadab annos duos. Si vero duo isti dicantur viginti sex annos regnando implevisse, quod de duorum regnorum collatione dicitur nullo modo poterit stare. Nam si Asa, rex Juda, regnavit regis Hieroboam anno vigesimo, quomodo potuit Nadab, ut legitur regnare regni Asa anno secundo, et Baasa tertio ? Sed si intelligamus Asa regnum inchoasse, in vicesimi anni fine, ita ut annus qui est Hieroboam vigesimus primus, sit regi Asa primus, et qui est Hieroboam vigesimus secundus, et regi Asa secundus, idem sit Nadab regnandi initium, et annus primus, ita ut annum unum regnet cum patre, majorem vero partem anni sequentis sine patre ; si, inquam, sic velis accipere, videbis in omnibus nil contrarietatis inesse.

Item dicitur quod Baasa qui Nadab occidit, tertio anno regni Asa regnare incipiens, viginti quatuor annis regnavit. Intelligitur igitur quod Baasa usque ad vigesimum septimum annum regis Asa duraverit, quamvis eum nonnisi ex majori parte compleverit. Quomodo ergo dicitur Hela filius Baasa vigesimo sexto anno regni regis Asa regnare cœpisse, et duobus annis regnasse, nisi quia vigesimum sextum regis Asa, et primam vigesimi septimi anni partem cum patre, et posteriorem ejusdem anni partem regnavit sine patre. Nam in fine ipsius anni vigesimi septimi Zamri eum occidit, et pro ipso septem diebus regnavit. Legitur autem quod cum

Digitized by Google

exercitus audisset rebellasse Zamri et occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Zamri. Constat ergo quod idem annus fuerit Zamri regnandi primus, qui fuit regi Asa vigesimus octavus. Quid ergo est quod legitur de ipso, quod regnaverit regni Asa anno trigesimo primo? Sed scimus quod rebellante Thebni media pars populi sequebatur unum, et media pars alium. Quod ergo dicitur regnasse anno Asa trigesimo primo intelligitur de eo tempore dictum, quando mortuo jam Thebni cœpit regnare in toto. Scriptura autem dicit quod duodecim annis regnavit. Si igitur annus Asa vigesimus octavus fuit Zamri regnandi primus, constat quod annus Asa trigesimus nonus fuit isti in regno duodecimus. Quomodo ergo constat, quod Achab filius ipsius Zamri regnaverit, ut legitur, anno Asa trigesimo octavo, nisi quod absque dubio duobus annis regnavit Achab cum patre suo? Concinit autem huic sententiæ, quod Josaphat filius regis Asa quarto anno regni Achab dicitur regnasse. Idem siquidem annus qui fuit Asa quadragesimus primus exstitit Achab in regno quartus. Refert autem Scriptura quod rex Asa mortuus sit regni sui anno quadragesimo primo, et regnaverit Josaphat filius ejus pro eo. Regnavit vero Achab annis viginti duobus, unde et idem annus in regno fuit Josaphat decimus octavus, qui Achab exstitit vigesimus secundus, et ultimus. Sed Ochozias filius Achab regnavit anno, ut legitur, regni Josaphat decimo septimo, et frater Ochoziæ Joram anno ejusdem decimo octavo, prior videlicet anno patris sui penultimo, alter autem ejusdem ultimo anno. Quomodo ergo verum fuit quod Ochozias duobus annis, vel pro patre quomodo regnavit, si frater ejus ultimo patris eorum anno regnare cœpit? Sed hinc intelligi datur, quod unum annum in regno egit cum patre, alium vero cum fratre. Intelligitur quod idem Ochozias in fine penultimi anni patris sui regnum a patre accepit, et majorem sequentis anni partem, cum patre exegit. Idem autem annus, ut diximus, qui fuit Achab ultimus, fuit regi Judæ Josaphat decimus octavus. Perpenditur ergo quod in fine ejusdem decimi octavi anni, post mortem patris Ochozias per lapsum confractus, et, Elia prophetante, de vita desperatus, fratrem in regnum ascierit, et cum eo alium annum languendo exegit. Sed si Joram filius Achab et frater Ochoziæ, ut de eo legitur, regnavit anno decimo nono Josaphat regis Judæ, quid est quod paulo post dictus est regnasse, secundo anno Joram filii ejusdem Josaphat regis Judæ? An forte idem annus erat filio secundus, qui erat patri decimus octavus. Et potuit quidem esse, quod pro aliqua infirmitate seu alia aliqua causa instigante, pater tunc temporis filium coronasset, quamvis exercendi regiam potestatem per aliqua tempora omnino non permisit.

Notandum namque quod, cum Joram filius Achab dicitur regnasse secundo anno alterius Joram, non dicitur regis Joram, nec dicitur anno secundo regni ejus, nihil tale Scriptura dicit, sicut superius per cæteros dicere consuevit, sed de morte Ochoziæ mentionem faciens adjecit. Et regnavit Joram frater ejus pro eo anno secundo Joram filii Josaphat regis Judæ. Si filius Achab secundo anno filii Josaphat regnavit, quomodo verum est quod e converso dicitur, filius Josaphat quinto anno Joram filii Achab regnaverit, nisi quod datur intelligi quod ab eo tempore patre concedente et ordinante regia potestate pro parte usus sit, et regni negotia simul cum patre tractaverit? Hinc est quod conregnantium tempora ab eodem anno quinto ascribuntur tam filio quam patri : nam retroacta attribuuntur patri soli. Annus autem ille qui fuit filio Achab quintus, fuit Josaphat qui viginti quinque annis regnavit vigesimus tertius. Vis autem ex ipsa Scriptura apertius nosse quod ille annus fuerit tribus communis? Anno quinto, inquit, Joram filii Achab regis Israel, et Josaphat regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat regis Juda. Ecce idem annus dicitur esse Josaphat regis, qui ejus filio fuit primus, et filio Achab quintus, non quod fuerit quintus Josaphat regis, sed quod fuerit ei cum cæteris communis. Annis itaque tribus regnaverunt simul pater et filius. In eamdem sententiam videtur concurrere quod filius Josaphat dicitur octo annis regnasse. Nam post mortem patris non potuit regnare tot annis, quinto siquidem anno post mortem Josaphat, Jehu tam Ahaziam filium filii Josaphat, quam Joram filium Achab occidit. In regno autem Judæ, iste filius Josaphat invenitur primus patri conregnasse.

Notandum quod idem annus Joram regi Judæ fuit octavus, qui fuit Joram regi Israel duodecimus. Quomodo ergo dicitur quod Ahazias filius Joram regis Judæ pro patre, et uno anno regnaverit, si idem annus patri et filio, et regi Israel ultimus fuit? Sub eodem namque tempore, sicut jam dictum est, Ahazias et rex Israel ab Jehu interfectus est. Sed potuit filius majori anni parte regnasse cum patre, reliqua sine patre. Et quoniam in regno supervixit patri suo, dicitur regnasse pro eo. Ex his itaque quæ dicta sunt manifestum erit, ut credo, quam falsa sit quorumdam opinio (ne dicam assertio) qui mota falsa quæstione solutionis gratia dicunt filium Josaphat viginti annis regnasse. Non enim viginti annis pater regnare potuit, si filius ejus qui regnavit pro eo octavo patris sui anno, vel modico post, ab Jehu occisus fuit. Constat quod Jehu, ut dictum est, Joram filium Achab occiderit, qui duodecim annis regnavit, et postea de eodem Jehu dicitur quod undecimo anno Joram filii Achab, et regis Ahaziæ super Judam, in Jezrael venerit, et Jezabel interfecerit. Quid igitur est quod illud quidem quod Jehu prius fecit, dicitur fecisse anno Joram regis Israel duodecimo, et quod posterius fecit, dicitur fecisse anno ejusdem regis undecimo. Sed miranda ratione innuit quod diversis respectibus unus et idem annus fuerit illi undecimus et duodecimus. Nam undecim annis per se solus

Digitized by Google

regnavit, unum vero in regno cum fratre exegit.

Notandum vero quod similem positionem hoc loco invenimus, qualem superius denotavimus. Ibi legitur : Anno quinto Joram filii Achab regis Israel, et Josaphat regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat regis Juda. Hic autem dicitur : Anno undecimo Joram filii Achab, et regis Ahaziæ super Judam, venit Jehu in Jezrael. Ibi quintus annus Joram filii Achab dicitur esse tam Josaphat quam ipsius, cum tamen fuerit soli Joram in regno quintus. Hic annus undecimus ejusdem Joram dicitur esse tam Ahaziæ quam ipsius, cum tamen fuerit soli Joram in regno undecimus. Jehu super Israel decem octo annis regnavit, cujus septimus Joas filius Ahaziæ super Judam regnare incœpit, et quadraginta annis regnavit. Idem autem annus fuit Joas vigesimus secundus, qui et Jehu ultimus. Joas vero filius Jehu vigesimo tertio anno Joas regnare incœpit, et decem septem annis regnavit. Idem ergo annus fuit Joas ultimus, qui et Joas regis Judæ trigesimus nonus. Quomodo ergo scribitur quod Joas filius Joachas trigesimo septimo Joas regis Judæ anno regnavit, nisi quod Joachas filium suum triennio ante mortem suam regem constituit? Mortuo autem Joachas filius ejus Joas anno quadragesimo, et ultimo Joas regis Judæ regnavit solus, unde et Amasiæ filio ejusdem regis Judæ invenitur esse annus regnandi primus, qui filio Joas dicitur esse secundus. In anno, ait Scriptura, secundo Joas filii Joachas regis Israel regnavit Amasias filius Joas regis Judæ.

Notandum quod conregnandi tempora soli patri attribuuntur, unde et regiam potestatem ante mortem patris filius minime exercuisse colligitur. Joas rex Israel sexdecim annis dicitur regnasse, cujus anno secundo regnavit Amasias rex Judæ. Annus igitur qui fuit Joas decimus sextus, et ultimus, fuit Amasiæ decimus quintus. Quomodo ergo Jeroboam filius Joas regis Israel decimo quinto anno Amasiæ regnavit, ut Scriptura dicit, nisi quod ultimo patris sui anno patri conregnavit? Idem annus, ut diximus, fuit Joas regi decimus sextus, et ultimus qui et Amasiæ regi Judæ decimus quintus. Annis igitur quatuordecim post mortem Joas, Amasias regnavit, de quo legitur, quod annis viginti novem regnaverit. Quid est ergo quod Amasias post mortem Joas dicitur viginti quinque annos vixisse, qui tamen post ejusdem mortem non invenitur secundum Scripturam nisi quatuordecim annis regnasse? Sed intelligi datur quod post vigesimum nonum regni sui annum seu propter infirmitatem, seu alia aliqua de causa vacaret sibi, et filio coronato committeret negotia regni. Hinc est quod Azarias qui Zozias filius Amasiæ vigesimo septimo anno Jerobam regis Israel regnasse dicitur, sicut in sequentibus legitur : Anno vigesimo, inquit, Jeroboam regis Israel, regnavit Azarias filius Amasiæ regis Judæ, ut superius jam diximus, idem annus fuit regi Jeroboam in regno primus, qui patri ipsius fuit in regno, et A vita ultimus. Inter primum autem et vigesimum septimum annum invenies annos viginti quinque, quibus Amasias regi Joas dicitur supervixisse. Ab eo ergo tempore cœpit Azarias filius Amasiæ non sola sicut ipsius patris permissione, sed jure hæreditario regiam potestatem exercere. Sicut superius dictum est decimo quinto anno Amasiæ, regis Judæ, cœpit Jeroboam super Israel regnare. Idem ergo annus fuit Jeroboam in regno decimus quintus qui Amasiæ exstitit vigesimus nonus. Et si Azarias filius Amasiæ statim post vigesimum nonum patris annum a patre regnum suscepit, profecto idem annus et Azariæ vigesimus sextus, et Jeroboam in regno quadragesimus primus et ultimus fuit. Nam idem Jeroboam quadraginta et uno, et Azarias quinquagesimis duobus annis regnavit. Quid est ergo quod B Zacharias filius Jeroboam trigesimo octavo anno Azariæ ut legitur regnare incœpit? Nunquid a vigesimo septimo anno Azariæ usque ad trigesimum octavum ejus annum regnum Israel sine rege permansit? Potest utique in dubium venire, an propter ætatem, an propter rebellionem vel ob aliam causam non potuerit eatenus in regno patris prævalere. Quod anno trigesimo octavo Azariæ regis Judæ dicitur Zacharias filius Jeroboam regnasse, sic oportet intelligere quod trigesimo octavo quidem anno regnare cœpit, et sex mensibus, non tam ejusdem quam sequentis anni regnavit, et post eum Sellum mense uno qui eum occidit. Post hos Manahen codem trigesimo nono regnare incipiens, minorem C ejusdem anni partem in regno transegit. Nam, si majorem anni illius partem transegisset, Scriptura ei pro more non tantum decem, sed undecim annos ascriberet. Quæ de Phaceia, vel Phacee dicuntur, satis aperta videntur. Joathan filius Oziæ decimus sextus (*sic*) annos regnasse describitur, et tamen Osee rex Israel vigesimo ejus anno regnare perhibetur : unde intelligi datur eum in regno viginti annis vixisse, sed a decimo sexto anno filium suum regem constituisse, et quod qualicunque de causa in regno adeo meruit exaltari, ut tempora conregnandi potius ascriberentur filio quam patri. Anno secundo Phacee qui viginti annis regnavit, Joathan rex Judæ regnare cœpit. Idem ergo annus fuit Joathan decimus D sextus, qui et Phacee decimus septimus. Anno autem decimo septimo Phacee cœpit Achab filius Joathan regnare, sed ut intelligi datur in ejusdem anni fine : nam si toto anni illius tempore vel majore ejusdem anni parte regnasset, non video cur annus ille Achab non ascriberetur, sicut et cæteri qui sequuntur. Idem ergo annus fuit Achab tertius, qui Phacee quem Osee occidit fuit vigesimus. Idem nihilominus fuit Achab quartus, qui patris ejus dicitur esse vigesimus. Regnavit itaque Osee anno Achab quarto. Quid ergo est quod in sequentibus dicitur regnare ejusdem Achab anno duodecimo? An forte sicut Zamri contigit, ab eo tempore quo Phacee interfecto regnum sibi præripuit usque ad duodeci-

Digitized by Google

mum regis Achab annum multis rebellantibus prævalere non potuit? Unde contigisse videtur, quod ei subsequentia non autem præcedentia tempora in regno ascriberentur, alioquin decimus octavus (sic) annis potius quam novem regnasse diceretur.

Summaria declaratio duarum tabularum sequentium ad agnoscendam contradictionem, et concordiam temporum regum conregnantium super Judam et Israel.

In sequentibus duas tabulas adjeci, in quibus continentur ea quæ superius digessi. In prima continentur ea quæ quæstionem movere, vel contrarietatem inferre videntur. In secunda tabula eadem ipsa disposita sunt eo ordine, ut singula quæ quæstionem movebant videantur ex ea posse intelligi sine expositione. In prima tabula, et in primo ipsius ordine habes ordinata a summo usque deorsum nomina regum in Juda regnantium. Et in secundo ordine, quot annis regnaverit unusquisque eorum. In tertio ordine habes reges Israelitici regni. Et in quarto tempora regnandi. In numeris, qui quibusdam regibus subscribuntur, notatur quoto anno regni ipsius, qui superscribitur, regnare cœperunt qui econtra de regione scribuntur. In secunda tabula, in prima ejus fronte ordinatur series temporum ab exordio schismatis usque ad tempora primæ captivitatis. In secundo ordine continetur series temporum regum Juda ordine sibi succedentium. In tertio ordine est palam videre, quando contigit filios patribus conregnasse. Quod de regibus Juda eorumque filiis docet ordo secundus et tertius, hoc de regibus Israel docet ordo quartus et quintus. In quibus et illud perpendi potest, quod quædam conregnandi tempora attribuuntur solis filiis, quædam solis patribus, quædam vero tam filiis quam patribus.

Ex hac prima tabula habes ea quæ faciunt et inferunt contrarietatem temporum regum super conregnantium Judam et Israel.

Nomina regum Juda.	Numerus temporum regnantium in Juda	Nomina regum Israel.	Numerus temporum regnorum regum in Israel.
Roboam.	xvii	Jeroboam.	xxii
Abia.	iii	xviii	
Asa.	xli	xx	
Anno ii		Nadab.	ii
Tertio.		Baasa.	xxiv
xxvi		Hela.	ii
xxvii		Zambri.	diebus vii
xxxi		Ambri.	xii
xxxviii		Achab.	xxii
Josaphat.	xxv	iv	
xvii		Ochozias.	ii
xviii		Joram.	xii
Joram.	viii	v	
ii		Joram.	
Ahazias.	i	xii	
Athalia.	vi	Jehu.	xxviii
Joas.	xl	vii	
xxiii		Joaz.	xvii
xxxvii		Joas.	xvi
Amasias.	xxix	ii	
xv		Jeroboam.	xli
Ozias.	lii	xxvii	
xxxviii		Zacharias.	vi mensibus
xxxix		Sellum.	i mense
xxxix		Manahen.	x
l		Phaceia.	ii
lii		Phacee.	xx
Joathan.	xvi	ii	
Achaz.	xvi	xvii	
xii		Osee.	ix
Ezechias.		iii	
iv		vii	
vi		ix	

Digitized by Google

Ex hac secunda tabula habetur concordia temporum regum conregnantium super Judam et super Israel.

Primus ordo, temporum ab exordio schismatis usque ad tempora primæ captivitatis	Secundus ordo, temporum regum Juda ordine sibi succedentium.	Tertius ordo, temporis in quo contigit filios regum Juda patribus conregnasse.	Quartus ordo, temporum regum Israel juxta ordinem sibi succedentium.	Quintus ordo, in quo contingit filios regum Israel patribus conregnasse
i	i Roboam.		i. Jeroboam	
ii	ii		ii	
iii	iii		iii	
iv	iv		iv	
v	v		v	
vi	vi		vi	
vii	vii		vii	
viii	viii		viii	
ix	ix		ix	
x	x		x	
xi	xi		xi	
xii	xii		xii	
xiii	xiii		xi..	
xiv	xiv		xiv	
xv	xv		xv	
xvi	xvi		xvi	
xvii	xvii		xvii	
viii	i. Abia.		xviii	
xix	ii		xix	
xx	iii. Asa.		xx	
xxi	i		xxi	
xxii	ii		xxii	
xxiii	iii		ii. Idem solus	i Nadab cum patre
xxiv	iv		i	{Baasa
xxv	v		ii	
xxvi	vi		iii	
xxvii	vii		iv	
xxviii	viii		v	
xxix	ix		vi	
xxx	x		vii	
xxxi	xi		viii	
xxxii	xii		ix	
xxxiii	xiii		x	
xxxiv	xiv		xi	
xxxv	xv		xii	
xxxvi	xvi		xiii	
xxxvii	xvii		xiv	
xxxviii	xviii		xv	
xxxix	xix		xvi	
xl	xx		xvii	
xli	xxi		xviii	
xlii	xxii		xix	
xliii	xxiii		xx	
xliv	xxiv		xxi	
xlv	xxv		xxii	
xlvi	xxvi		xxiii	
xlvii	xxvii		xxiii S.	i Hela
xlviii	xxviii		i Ambri, in parte.	i Zambrid. vii.
xlix	xxix		ii	
l	xxx		iii	
li	xxxi		iv Ambri in toto.	
lii	xxxii		v	
liii	xxxiii		vi	
liv	xxxiv		vii	
lv	xxxv		viii	
lvi	xxxvi		ix	
lvii	xxxvii		x	
lviii	xxxviii		xi	
lix	xxxix		xii	
lx	xl		iii	i. Achas cum patre.
lxi	xli Josaphat.		iv. Solus.	ii
lxii	i		v	
lxiii	ii		vi	
lxiv	iii		vii	
lxv	iv		viii	
lxvi	v		ix	
lxvii	vi		x	
lxviii	vii		xi	

Digitized by Google

Primus ordo, temporum ab exordio schismatis usque ad tempora primæ captivitatis.	Secundus ordo, temporum regum Juda ordine sibi succedentium	Tertius ordo, temporis in quo contigit filios regum Juda patribus conregnasse.	Quartus ordo, temporum regum Israel juxta ordinem sibi succedentium.	Quintus ordo, in quo contingit filios regum Israel patribus conregnasse.
lxix	viii		xii	
lxx	ix		xiii	
lxxi	x		xiv	
lxxii	xi		xv	
lxxiii	xii		xvi	
lxxiv	xii		xvii	
lxxv	xiv		xviii	
lxxvi	xv	Joram.	xix	Ochozias.
lxxvii	xvi		xx	Joram
lxxviii	xvii		xxi. S.	cum fratre.
lxxix	xviii		xxii	i. Joram solus.
lxxx	xix		i	ii
lxxxi	xx			iii
lxxxii	xxi	i Joram.	ii	iv
lxxxiii	xxii	ii	iv	v
lxxxiv	xxiii	iii	v	vi
lxxxv	xxiv		vi	vii
lxxxvi	xxv		vii	viii
lxxxvii	iv		viii	ix
lxxxviii	v		ix	x
lxxxix	vi		x	xi
xc	vii		xi	
xci	viii S.	i Ahazias.	xii	
xcii	i Athalia.		i. Hieu.	
xciii	ii		ii	
xciv	iii		iii	
xcv	iv		iv	
xcvi	v		v	
xcvii	vi		vi	
xcviii	i Joas.		vii	
xcix	ii		viii	
c.	iii		ix	
ci	iv		x	
cii	v		xi	
ciii	vi		xii	
civ	vii		xiii	
cv	viii		xiv	
cvi	ix		xv	
cvii	x		xvi	
cviii	xi		xvii	
cix	xii		xviii	
cx	xiii		xix	
cxi	xiv		xx	
cxii	xv		xxi	
cxiii	xvi		xxii	
cxiv	xvii		xxiii	
cxv	xviii		xxiv	
cxvi	xix		xxv	
cxvii	xx		xxvi	
cxviii	xxi		xxvii	
cxix	xxii		xxviii	
cxx	xxiii		i. Joas.	
cxxi	xxiv		ii	
cxxii	xxv		iii	
cxxiii	xxvi		iv	
cxxiv	xxvii		v	
cxxv	xxviii		vi	
cxxvi	xxix		vii	
cxxvii	xxx		viii	
cxxviii	xxxi		ix	
cxxix	xxxii		x	
cxxx	xxxiii		xi	
cxxxi	xxxiv		xii	
cxxxii	xxxv		xiii	
cxxxiii	xxxvi		xiv	
cxxxiv	xxxvii		xv Joas.	
cxxxv	xxxviii		xvi	
cxxxvi	xxxix		xvii	
cxxxvii	xl		i Joas. solus.	
cxxxviii	i Amasias		ii	
cxxxix	ii		iii	
cxl	iii		iv	

Digitized by Google

Primus ordo, temporum ab exordio schismatis usque ad tempora primæ captivitatis.	Secundus ordo, temporum regum Juda ordine sibi succedentium.	Tertius ordo, temporis in quo contigit filios regum Juda patribus conregnasse.	Quartus ordo, temporum regum Israel juxta ordinem sibi succedentium.	Quintus ordo, in quo contingit filios regum Israel patribus conregnasse.
cxli	iv		v	
cxlii	v		vi	
cxliii	vi		vii	
cxliv	vii		viii	
cxlv	viii		ix	
cxlvi	ix		x	
cxlvii	x		ix	
cxlviii	xi		x	
cxlix	xii		xi	
cl	xiii		xii	
cli	xiv		xiii	
clii	xv.	i	xiv	
cliii	xvi	ii	xv	Jeroboam cum patre solus.
cliv	xvii	iii	xvi	
clv	xviii	iv	ii	
clvi	xix	v	iii	
clvii	xx	vi	iv	
clviii	xxi	vii	v	
clix.	xxii	viii	vi	
clx	xxiii	ix	vii	
clxi	xxiv	x	viii	
clxii	xxv	xi	ix	
clxiii	xxvi	xii	x	
clxiv	xxvii	xiii	xi	
clxv	xxviii	xiv	xii	
clxvi	xxix	xv	xiii	
clxvii	i Ozias qui et Aza-	xvi	xiv	
clxviii	ii rias	xvii	xv	
clxix	iii	xviii	xvi	
clxx	iv	xix	xvii	
clxxi	v	xx	xviii	
clxxii	vi	xxi	xix	
clxxiii	vii	xxii	xx	
clxxiv	viii	xxiii	xxi	
clxxv	ix	xxiv	xxii	
clxxvi	x		xxiii	
clxxvii	xi		xxiv	
clxxviii	xii Ozias, mortuo		xxv	
clxxix	xiii patre		xxvi	
clxxx	xiv		xxvii	
clxxxi	xv.		xxviii	
clxxxii	xvi		xxix	
clxxxiii	xvii		xxx	
clxxxiv	xviii		xxxi	
clxxxv	xix		xxxii	
clxxxvi	xx		xxxiii	
clxxxvii	xxi		xxxiv	
clxxxviii	xxii		xxxv	
clxxxix	xxiii		xxxvi	
cxc	xxiv		xxxvii	
cxci	xxv		xxxviii	
cxcii	xxvi		xxxix	
cxciii	xxvii		xl	
cxciv	xxviii		xli	
cxcv	xxxix			
cxcvi	xxx			
cxcvii	xxxi			
cxcviii	xxxii			
cxcix	xxxiii			
cc	xxxiv			
cci	xxxv			
ccii	xxxvi			
cciii	xxxvii			
cciv	xxxviii		Zacharias	
ccv	xxxix	vi Men.	Sellum i Men.	Manahen.
ccvi	xl		i	
ccvii	xli		ii	
ccviii	xlii		iii	
ccix.	xliii		iv	
ccx	xliv		v	
ccxi	xlv		vi	
ccxii	xlvi		vii	

Digitized by Google

Primus ordo, temporum ab exordio schismatis usque ad tempora primæ captivitatis.	Secundus ordo, temporum regum Juda ordine sibi succedentium.	Tertius ordo, temporis in quo contigit filios regum Juda patribus conregnasse.	Quartus ordo. temporum regum Israel juxta ordinem sibi succedentium.	Quintus ordo, in quo contingit filios regum Israel patribus conregnasse.
ccxiii	xlvii		viii	
ccxiv	xlviii		ix	
ccxv	xlix		i Phaceia	
ccxvi	l		ii	
ccxvii	li		i Phacee	
ccxviii	lii		ii	
ccxix	i Joathan.		iii	
ccxx	ii		iv	
ccxxi	iii		v	
ccxxii	iv		vi	
ccxxiii	v		vii	
ccxxiv	vi		viii	
ccxxv	vii		ix	
ccxxvi	viii		x.	
ccxxvii	ix		xi	
ccxxviii	x		xii	
ccxxix	xi		xiii	
ccxxx	xii		xiv	
ccxxxi	xiii		xv.	
ccxxxii	xiv		xvi	
ccxxxiii	xv		xvii	
ccxxxiv	xvi	Achaz.	xviii	
ccxxxv		i	xix	
ccxxxvi		ii	xx	
ccxxxvii		iii	Osee	
ccxxxviii	xx	iv		
ccxxxix	v			
ccxl	vi			
ccxli	vii			
ccxlii	viii			
ccxliii	ix			
ccxliv	x			
ccxlv	xi			
ccxlvi	xii		Osee	
ccxlvii	xiii		i	
ccxlviii	xiv	Ezechias.	ii	
ccxlix	xv	i	iii	
ccl	xvi		iv	
ccli	ii		v	
cclii	iii		vi	
ccliii	iv		vii	
ccliv	v		viii	
cclv	vi		ix.	

DECLARATIONES

NONNULLARUM DIFFICULTATUM SCRIPTURÆ

AD B. BERNARDUM CLARÆVALLENSEM ABBATEM.

Quæ animalia munda et immunda dicantur.

Quæris cum omnia in prima creatione dicantur bona, cur introducendorum in arcam alia dicuntur munda, alia vero immunda, cum ista eo ipso quod immunda sint non videantur esse bona. Sed in rerum consideratione aliud judicium est secundum primam conditionem, aliud juxta humanam consuetudinem, atque aliud juxta divinam legem. Secundum primam conditionem omnia judicantur bona vel munda; juxta humanam consuetudinem alia munda videntur, alia immunda. Ex mundis vero consuetudinariis, quædam sanctio divina excepit, et immunda decernit. Primum judicium est juxta definitionem rationis, secundum juxta experimentum sensualitatis, tertium juxta decretum divinæ sanctionis. Ratio judicat secundum naturam et proprietatem B rebus insitam. Sensualitas juxta affectionem propriam, et placoris vel horroris sui differentiam. Sanctio divina juxta similitudinem aliquam ob significationis gratiam. Juxta rationis judicium nihil immundum præter peccatum. Sensualitas immundum reputat, quod sensus carnis horret vel nauseat. Quando divina sanctio aliquid quod naturaliter mundum est immundum decernit, gratia significationis id facit, et ad aliquid quod veraciter immundum est de moribus hominum delendum intendit. Multa igitur quæ secundum consuetudinem vel aliquam institutionem reputantur immunda, juxta proprietatis suæ rationem judicantur munda et bona.

Qui dicatur anima, et quid purgari a veteri fermento.

Quæris quomodo ab Apostolo axymi dicantur qui

Digitized by Google

tamen ab eodem vetus fermentum purgare jubentur. Nam quod azyma apud Græcos, hoc idem sonat fermentum apud nos, azyma vero idem quod absque fermento. Si ergo absque fermento non *sunt*, quomodo azyma dici possunt? Vel si omni fermento carent, quomodo purgare valent quod omnino non habent? *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi* (*I Cor.* v). In his Apostoli verbis si bene consideres, non unam tantum, ut mihi videtur, quæstionem reperies, sed plures. Sed dum unam solam proponis, in eo ipso innuis te nullam dubitationem habere in aliis. Libenter itaque conabor solvere dubitationem tuam, dum postmodum et tu solvas dubitationem meam, nec unam tantum, sed geminam, ut talentum creditum cum usura recipiam. Ecce fatemur quod idem ipsi secundum idem ipsum non possunt azymi esse et fermentum habere, possunt tamen idem ipsi secundum aliud et aliud et azymi fore et fermento non carere. Sunt qui de Deo nil nequiter sentiunt, et ab omni ejusmodi nequitiæ fermento purgati sunt, sed male vivendo malitiæ fermento purgari necdum meruerunt. Secundum regulam bonitatis vera de Deo sentiunt, sed secundum regulam bonitatis recte vivere nolunt. Carent, qui hujusmodi sunt, fermento nequitiæ, sed necdum carent fermento malitiæ: *Sentite*, inquit Scriptura, *de Domino in bonitate* (*Sap.* I). Videte Judæos quam nequiter de Christo sentiunt. Videte gentiles quia vera de Deo sentire nequeunt: nequitiæ ergo fermento utrique pleni sunt. Videte quemlibet hæreticum juxta aliquid de Deo bene sentit, juxta aliquid de Deo bene sentire jam nequit. A nequitiæ ergo fermento ad plenum purgari necdum meruit. Nequitia est cum jam quis nequit sentire quod debuit. Nequitia est cum malitia sic mentem inebriat, et eousque excæcat, ut de Deo vel proximo sentire jam nequeat secundum id quod veritatis regula dictat. Attende nunc Christianos, et videbis quam multos qui per omnia credunt veraciter, sed per omnia non vivunt sinceriter. Azyma veritatis habent, sed azyma sinceritatis non habent. Azymi sunt secundum fidem, sed azymi non sunt secundum operationem. Merito igitur dicitur illis qui ejusmodi sunt: *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi*, ut qui jam azymi sunt ex fide, cum omni studio expurgent quidquid impuritatis habent in opere. Ecce jam audisti quod ipse quæsisti. Audi et ipse modo quid mihi exponi desidero. Nova certe conspersio nisi prius coquatur, comedi non potest. Sed panis absque fermento comedi potest. Cur ergo ab Apostolo non ad id invitantur quod melius perfectiusque esse probatur? Cur non invitantur ut sint panis absque fermento potius quam nova conspersio? Ecce dubitationem meam, audi et aliam. Quid est panis azymus nisi cibus? Si ergo erant azymi, nunquid et in cibum assumendi? Sed et in azymis jubentur epulari. Nunquid idem ipsi sunt epulandi et sunt epulaturi? Nunquid idem ipsi sunt convivium et convivæ, epulantes et epulæ? Si ipsi sunt azymi, si in azymis epulaturi, nunquid ipsi a semetipsis devorandi? Has duas quæstiunculas pro fenoris debito, tertiam gratis requiro. Nam juxta abundantiam largitatis tuæ debes vel ad unam gratis respondere. Cum semper esse soleat vel debeat prius esse fides vera quam opera sincera, cur prius epulari jubentur in azymis sinceritatis, non in azymis veritatis.

Expurgate vetus fermentum ut homo efficiatur nova conspersio.

Fateor, jam non valeo exactionis tuæ importunitatem æquanimiter tolerare, qui me cogis non solum mihi a te, verum etiam tibi a me propositas quæstiones solvere. Sed si volumus illas ad plenum explicare, totam illam paschalis celebritatis apostolicam lectionem oportebit explanare. Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio sicut estis azymi. Ut hunc locum Apostoli possimus plenius intelligere, opus est, uti mihi videtur, multiplici inquisitione. Primo quid sit fermentum, quid fermentum modicum, quid fermentum vetus, quis expurgandi modus, quid sit azyma, quid conspersio nova, vel quæ sit panis et conspersionis differentia. Demum autem, quod superius jam dixi, cur ab Apostolo monemur fieri nova conspersio, et non potius panis absque fermento. Quid sit fermentum e ripo ale, vel cujus sit efficaciæ novimus, et eo ipso perpendimus quid de spirituali fermento sentire debeamus. Videtur itaque esse fermentum spirituale quod corrumpit integritatem spiritualis et rationalis substantiæ. Spirituale igitur fermentum dicimus esse omne peccatum quod eam corrumpit vel secundum sensum vel affectum. Secundum sensum corrumpitur ex falsitate, secundum affectum vero ex impuritate. Quandiu ergo veraciter dicere possumus, si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, recte nobis dicitur, et merito dicendum videtur: Expurgate vetus fermentum. Si vero fermentum merito dicitur omne peccatum, consequens est ut in fermento modico intelligatur veniale peccatum, quod et de facili committitur, et de facili remittitur. Dico autem modicum, non quod ipsum sit parvipendendum, sed quod modicum sit comparatione peccatorum criminalium. Sed dicis fortassis: Si modicum fermentum secundum Apostolum potest totam meritorum massam corrumpere, non possumus etiam in modico fermento nisi criminale aliquid intelligere. Et illud quidem, inquis, contra quod Apostolus in superioribus disputavit, quamvis magnum peccatum, modicum tamen fermentum secundum eumdem ipsum fuit, alioquin ad quid consequenter adjungit: *An nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* (*I Cor.* v.) Sic tibi forte videtur. Quid ergo? Nunquid modicum fermenti contraxit, qui patris sui uxorem habuit? Si modicum fermenti facit corruptionem modicam, et multum fermenti corruptionem magnam, nunquid dicemus quia mo-

Digitized by Google

dicum et non multum corruptus fuit, qui tale flagitium commisit ? Ego magis intelligo idcirco dictum ab Apostolo, quod modicum fermentum totam massam corrumpit, ut intelligerent qui audirent quantam corruptionem tale tamque abominabile flagitium ingereret, cum quanto studio et festinatione expurgari oporteret, quandoquidem modicum etiam fermentum totam massam corrumpere solet. Si secundum apostolum Joannem : *Omne peccatum iniquitas est* (*I Joan.* III), quid erit criminale peccatum nisi iniquitas magna? Dicemus ergo quoniam iniquitas magna sit corruptio modica ; nam hoc consequens videtur, si modicum fermentum criminale peccatum dicatur. Sed quomodo, inquis, peccatum veniale totam potest, secundum Apostolum, massam corrumpere ? Audi quid alia Scriptura dicat, et ex illa perpende quomodo hæc intelligi debeat : *Qui modica negligit, paulatim defluit* (*Eccli.* XIX). Et scimus quoniam a modica scintilla ignis exardescit. Videmus sæpe, patrefamilias dormiente, quam ex modico ignis exardescit, et sub nocte una vel hora totam possessoris substantiam, quandoque autem ipsum habitatorem cum ejus habitatione consumit. Sic sane concupiscentia in exordio tentationis modica si contemnatur incipit paulatim crescere et mentis vires pedetentim emollire, et virtute exhausta, ad crimen impellere, et juxta hunc modum meritorum nostrorum massam corrumpere. Sic utique sic, si negligatur, a modico fermento non modica sæpe massa corrumpitur : nam si minime negligamus quamlibet turpiter lapsi in expurgando cujuscunque criminis fermento fortiter insistamus, ab ejus corruptione bonorum nostrorum massam conservare poterimus. Hinc est quod post specialem admonitionem sumpta occasione ad generalem doctrinam assurgit, cum dicit : Expurgate vetus fermentum.

Putas docet nos insistere in expurgando solo modico vel solo magno fermento, et non potius in magno et modico ? *Expurgate*, inquit, *vetus fermentum.* Fermentum illud merito dicitur vetus unde animus est infectus, et in infectione corruptus. Recens namque videtur illud fermentum quod adhuc animum pulsat per solum cogitatum. Quod in sola cogitatione est, exterius quasi ad fores pulsat ; quod affectum jam tenet, interiora occupat et inquinat. Illud itaque repellendum, istud expurgandum. Modus autem expurgationis multiformiter agitur, arguendo, orando, confitendo. De primo habes in psalmo : *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV). De secundo et tertio habes in apostolo Jacobo : *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem* (*Jac.* V). De quarto est illud Joannis Baptistæ : *Facite*, inquit, *dignos fructus pœnitentiæ* (*Luc.* III). In criminalium expurgatione opus est pro certo confessione et satisfactione. Nam compunctio et oratio quandoque solent ad venialium expurgationem sufficere. Criminalia expurgare oportet ad plenum tam secundum reatum, quam secundum actum. Secundum reatum, ut de præteritis satisfacias, et de reliquo nil tale præsumas. Sed quia venialia nunquam possumus quandiu in hac corruptibili carne vivimus ad purum de vita nostra exstirpare, debemus semper eorum expurgatione insistere, et ad quotidiana puritatis incrementa studia nostra innovare. Ut sitis, inquit, nova conspersio sicut estis azymi. Videtur quidem azyma dici posse tam panis absque fermento, quam nondum fermentata conspersio. Nam idem sonat azyma quod sine fermento. Quid horum itaque debemus intelligere, in eo quod dicit eos azymos esse ? Sed si nova jam conspersio fuerant, non oportuit monere ut essent quod erant. In eo ergo quod azymos dicit, quantum videtur, panes absque fermento intelligi voluit. Quid ergo? Nunquid eos hoc monere voluit ut desinerent esse panis absque fermento, et fierent nova conspersio ? Quis hoc dicat ? Nam nec conspersio solet fieri de pane, quin potius panis de conspersione. Intelligitur ergo quod juxta aliquid azymi erant, et item juxta aliquid azymi non erant : juxta id quod absque fermento non erant, novam eos conspersionem fieri volebat. Multi enim sunt azymi secundum fidem, qui non sunt azymi secundum operationem, et multi videntur esse azymi secundum operationem : qui tamen azymi non sunt secundum intentionem, quemadmodum hypocritæ. Et sunt qui habent azyma sinceritatis in intentione, qui tamen ad plenum fermento non carent in affectione. Et idcirco absque dubio quandiu mente quidem consentientes legi Dei aliam legem videmus in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, et captivitatem in legem peccati; quandiu, inquam, hoc in nobis videmus, procul dubio fermenti purgatione opus habemus, merito dicitur nobis : *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio sicut estis azymi.* Quod dicit conspersio, non qualiscunque, sed nova, idem valere videtur ac si diceret non fermentata. Nam conspersio injecto etiam fermento non fermentatur sine mora. Postquam ergo fermentata jam fuerit recens esse jam desinit, et novitatem suam amittit. Sicut ergo juxta aliquid jam facti erant quasi panis absque fermento, sic juxta aliquid eos fieri volebat conspersionem absque fermento. Utrobique nolebat eos azyma habere, utrobique sine corruptione esse, et in eo quod jam erant, et in eo quod adhuc esse poterant. Videamus nunc quid sit inter panem et conspersionem. Panis, uti jam dictum est, fit de conspersione, non autem conspersio de pane. Conspersio est materia tenera, et mollis, et diversæ formæ susceptibilis. Panis est res jam formata, et firma, et ad ignem solidata. Panem itaque azymum efficit affectus in bono firmus atque robustus. Novam conspersionem facit recens animi propositum, sed adhuc rude et minus exercitatum. Conspersio inter manus formatur, postea ad ignem excocta solidatur, sicque panis efficitur. Sic utique sic meritorum nostrorum promotio profectuum innovatio ex deliberatione inchoatur, per discretionem moderatur, in dilectione consummatur.

Quando ergo ad augendam animi puritatem no-

Digitized by Google

vum aliquid statuimus, et ejusmodi intentioni cum multa deliberatione insistimus, quid aliud quam fermentum expurgando novam conspersionem facimus? Sed quia non omnes omnia possunt, nec omnibus omnia æque expediunt, cum mensuram nostram, et bonum agendi modum in quolibet proposito operando addiscimus, et per propriam experientiam ad discretionem erudimur, ita ut omnia cum modestia exsequamur, quid aliud quam coquendos panes formamus? Nam tunc panis quasi ad ignem excoquitur quando propositum bonum per usum quidem in oblectamentum vertitur, et per amorem solidatur. Aliud itaque est boni promotio, atque aliud boni confirmatio. Aliud denique boni inchoatio, et aliud ejusdem consummatio. Istud pertinet ad panem, illud ad novam conspersionem. Quia ergo nemo repente fit summus, nec ad omnem boni inchoationem statim in ipso confirmatus, hominibus humanum loquens propter infirmitatem eorum monet Apostolus ut fiant nova conspersio, non panis absque fermento, quamvis absque dubio ad hunc finem tenderet, ut facti nova conspersio de conspersione nova quandoque etiam panes azymi fierent. Nemo siquidem ob aliud conspersionem facit, nisi ut inde panis fiat. Merito ergo monet Apostolus ut id fiant quod interim fieri poterant, et ex eo ipso innuit ad quem finem tendere debeant, id est, ut tandem aliquando ex toto azymi fiant, et veri boni consummationem confirmationemque proficiant. Ecce jam habes cur monentur fieri nova conspersio, non panis absque fermento. Sed illud est mirum, nec minus investigandum, cur hi qui dicuntur azymi invitantur ad esum agni. Comedere namque non est azymi, conspersionis vero non est comedere vel comedi. Dicto itaque quod azymi erant, injuncto quod nova conspersio fiant, quæ consequentia, quæso, est ut consequenter adjungat : *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus ; itaque epulemur* (*I Cor.* v.)

Scimus quidem in lege præceptum ut quando agnum immolarent, paschaque celebrarent, alium panem quam azymum omnino non comederent. Si ergo dixisset Apostolus eos quidem non azymos esse, sed azyma habere, et ut abundantius adhuc haberent invitaret, consequens satis videretur ut adjungeret : Etenim pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur. Quod de illo historialiter intelligimus, de isto spiritualiter intelligere debemus. Nam quidquid de illo dicitur, propter istum dictum videtur. Quod ibi dicitur de fermento corporali, hic intelligitur de fermento spirituali. Qui ergo dicuntur non azyma habere, sed esse, mirum qua ratione invitantur azyma vel agnum comedere. Sed qui vim apostolicæ sententiæ plenius intelligere voluerit, altius ista eum perscrutari oportebit. Geminum sane pascha oportet nos celebrare, geminum absque dubio transitum facere. Pascha siquidem, ut sæpe audivimus, interpretatur *transitus*. Transeundumque primo de injustitia ad justitiam, secundo de miseria ad gloriam. Bonus transitus transire de iniquitate ad bonitatem, bonus nihilominus transire de miseria ad beatitudinem. Utrumque debemus celebriter agere; de utroque intime gaudere. Sed quantum ad primum in re, quantum ad secundum in spe. Primam itaque celebritatem debemus nos ipsi cum ejus adjutorio facere, secundam de solo ejus munere exspectare. In ista oportet nos agnum in esum sumere, in illa nosmetipsos in ejus edulium idoneos exhibere. In ista ergo oportet nos azyma habere, azyma comedere, in illa nos oportet azyma esse, et in esum Agni cedere. Nec mireris quod audis, quia oportet nos Agno cibari, et Agni cibum fieri, cum similiter legas (si recolis) : *Quia Christum induimus, qui tamen Christi indumentum sumus* (*Rom.* XIII). Et de utroque Scripturarum testimonia habemus. Oportet itaque nos interim azymos fieri, et ab omni vetustatis fermento purgari si volumus in futura illa celebritate digni et acceptabiles inveniri. Sed si volumus azymi esse, oportet nos azyma comedere. Sed nunquid, inquis, si panem azymum comedimus, idcirco panis erimus? Novimus certe panem qui comedenti solet incorporari, non autem comedentem incorporare sibi. Novimus panem qui solet carnem nutrire, carnem impinguescere, et robustiorem reddere. Quis est iste panis qui quod carnis est facit a seipso deficere, et comedentem in sui similitudinem transire? Sed, ne super hoc mireris amplius, audi qualem tibi panem, quale tibi azyma ad comedendum proponimus. *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI). Procul dubio si hunc panem comederis non ipse in te, sed tu in illum mutaberis (lib. VII *Confessionum* D. August., cap. 10). Si mihi non vis credere, audi illum cui non audeas contradicere: Cibus sum grandium; cresce, et manducabis me. Nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Sed forte adhuc quæris evidentius tibi ostendi quonam modo id possit fieri. Si ergo veritate frueris, et tali cibo delectaris, putas quia veritatem esuriendo et fruendo veritatem in falsitatem mutare possis? Si Christum in tuum cibum assumis, melius tibi est ut te faciat de mendace veracem, quam tu illum de verace mendacem. Procul dubio Christus summa veritas est, procul dubio Christus summa puritas est, azyma veritatis facit de mendace veracem, azyma sinceritatis facit de immundo mundicordem. Cum in veritate et sinceritate confirmati fueritis, procul dubio azymi eritis, et digni ut in Agni cibum assumi debeatis. Sed cum ille cedit in cibum tuum et cum te assumit in cibum suum, utrobique non ille in te, sed tu mutaris in illum. In prima mutatione facit te similem sibi in justitia, in secunda facit te similem sibi in gloria. In prima, ut dictum est, facit de mendace veracem, et de immundo mundicordem; in secunda de mortali immortalem, et de corruptibili incorruptibilem, quando configurabit corpus humilitatis nostræ corpori claritatis suæ : *Oportet enim*, teste Apostolo, *corruptibile hoc*

Digitized by Google

induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem (*II Cor.* xv). Si volumus itaque illi in gloria similes fore, oportet nos azymos esse; et si azymi fieri volumus, oportet ut azyma sinceritatis et veritatis comedamus.

Non autem sufficit hujusmodi azyma haberi, et quid sinceritatis sit, vel quid verum constet per intelligentiam capere et memoriter tenere, nisi addamus ut etiam comedamus, et operando quidem velut masticando studeamus in affectum nostrum transfigere, et intima nostra ejusmodi suavitate et satietate replere. Vides certe quia aliud est azyma habere, et aliud est azyma comedere, aliud denique azyma esse. Si igitur azymi esse non possumus nisi designatum azyma comedamus, quid mirum si eos qui jam azymi ex parte erant, et ex parte non erant, et mediante nova conspersione ex toto azymos fieri volebat; quid, inquam, mirum si eos ad azyma comedendum invitabat? Principaliter autem eos invitat ad esum Agni sine cujus gratia perseverare non poterant in eo quod jam erant azymi, vel in eo quod adhuc azyma erant, nec nova conspersio, nec ex ea azymi fieri. Nunc illud, obsecro, attende, quam sit consequens, quamve conveniens, ut qui de seipso fecit tibi cibum tuum, tu illi de te ipso facias cibum suum. Ad mensam divitis sedisti, attende quæ tibi apposita sunt, et vide quia te oportet talia præparare. Vult Apostolus: *Nos fieri nova conspersio* (*I Cor.* v), et de conspersione panis absque fermento, et merito. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Efficiamur itaque nova conspersio, ut inveniat Christus in nobis unde possint sibi epulæ fieri. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus, ut inveniamus in illo quod possimus epulari. Ex eo autem quod immolatus est Christus utrumque efficitur, ut id quod monet Apostolus et merito facere debeamus, vel etiam perficere valeamus. Ex agni enim immolatione et comestione (si tamen eum in azymis sinceritatis et veritatis comedamus) gratiam accipimus, ut monita Apostoli implere possimus. Agnum itaque cum azymis comedat, qui nova conspersio, qui purus ab omni fermento esse desiderat, qui se in Christi esum aptum et idoneum parat. Ecce jam accepisti cur illi qui dicuntur azyma, cur illi qui monentur nova conspersio fieri, præcipiuntur Agnum in azymis epulari. Sed restat adhuc illud quærere quod ultimo loco posuimus. Cum enim Salomon dicat: *Palpebræ præcedant gressus tuos* (*Prov.* iv), et prius sit prospicere quam pergere, agnoscere quam facere: cur azyma veritatis ab Apostolo postponitur in admonendo, si prius esse oportet in comedendo? Sed ut ad hunc quæstionis locum commodius accedamus, prius quæ præmittuntur diligenter inspiciamus. Docet itaque Apostolus quomodo Agnum edere liceat, et quomodo eum comedere omnino non liceat. Non licet eum comedere in fermento malitiæ et nequitiæ. Sed sicut consequenter auditis in azymis sinceritatis et veritatis.

Hinc animadvertere licet quid sit inter pascha Judæorum et pascha Christianorum. Illic certe interdicitur fermentum corporale, hic vero fermentum spirituale. Ibi indicitur azymus panis, hic autem azyma sinceritatis et veritatis. Et merito quidem, ibi namque immolatur agnus legalis, sed animalis; hic vero agnus spiritualis et supercœlestis. Ibi animal brutum, hic homo Deus Dei Verbum. Utriusque immolatio dat transire de servitute ad libertatem, sed illius de corporali ad corporalem, istius de spirituali ad spiritualem. Illa immolatio dat transire de Ægypto in desertum; ista dat redire de mundo in paradisum. Illa denique dat transire de servitute Pharaonis in regnum terrenum; ista transmittit de servitute diaboli in regnum cœlorum. Ex his intelligi datur quam incomparabiliter sit major, quam inæstimabiliter sit dignior solemnitas ista quam illa; nostrum denique quam Judæorum pascha: *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque*, ait, *epulemur* (*I Cor.* v). Audistis quis sit fructus immolationis. Vultis adhuc audire quis sit fructus epulationis? *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* vi). Sed, ne de qualicunque vita dictum putetur, audiamus adhuc quid super eodem dicatur: *Qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam* (*ibid.*). Ecce quem fructum ex esu ipsius invenit, non omnis quidem, sed qui digne accedit: *Alioquin qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*ibid.*). Epulemur itaque, sed non indigne. Hoc est quod Apostolus docere te voluit cum subjungit: Non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Comedere in fermento malitiæ et nequitiæ, procul dubio est comedere indigne. Ut autem dignus efficiaris, comede in azymis sinceritatis et veritatis. Ecce duo prohibentur, duo præcipiuntur. Ecce habes duo contra duo, azyma sinceritatis contra fermentum malitiæ, azyma veritatis contra fermentum nequitiæ. Videtur autem omnis in hominibus spiritualis corruptio, vel ex concupiscentia carnis, vel ex ignorantia mentis oriri, et omne genus spiritualis fermenti sub istis duobus comprehendi. Nomine vero malitiæ et nequitiæ non dicitur Apostolus omne genus fermenti comprehendisse. Non enim omnis concupiscentia pertinet ad malitiam, sicut nec omnis ignorantia deputatur ad nequitiam. Aliud est concupiscentiam sentire, atque aliud concupiscentiæ consentire. Infirmitati deputatur quod contra voluntatem concupiscentiam sentimus, malitiæ quod concupiscentiæ ex deliberatione consentimus. Malitia namque est ex proposito et deliberatione malo cognito prono animo consentire. Quid igitur aliud est malitia quam concupiscentia effrenata? Nam concupiscentia alia frenata, alia effrenata. Illa venialis, ista damnabilis. Utraque tamen inficit, utraque corrumpit, et utraque ex eo ipso ad fermentum se pertinere ostendit. Sic utique ignorantia alia venialis, alia autem damnabilis. Venialis quidem

Digitized by Google

quæ ex infirmitate descendit, damnabilis quæ ex malitia surgit. Illa mentem obnubilat, nam ista excæcat. Malitia namque soletadeo sæpe hominem excæcare, ut eum non sinat modo de proximo, quandoque etiam nec de Deo in simplicitate et bonitate sentire. Malitia itaque gignit et nutrit vitium, quod Apostolus hoc loco nequitiam nominat, eo quod in suo judicio veritatis et bonitatis regulam servare jam nequeat.

Non te moveat si hoc nomen invenias positum sub alia acceptione : nam verborum inopia cogit significationem dictionum modo extendere, modo restringere, vel alio quocunque modo variare. Sed debemus semper in hujusmodi ex circumstantia litteræ sensum auctoris perpendere et assignare. Si ergo sensum Apostoli sequi volumus, sic, ni fallor, interpretari debemus, ut quemadmodum ex opposito malitia sinceritati, sic et nequitia respondeat veritati. Nequitiæ proprium est semper sinistra suspicari, omnia sinistre interpretari, derogationi et detractioni deservire, divina judicia reprehendere, in fide hæsitare et in Dei flagellis murmurare. Sicut ergo sub nomine malitiæ non intelligitur qualiscunque concupiscentia, sed effrenata, sic sub nomine nequitiæ non intelligitur qualiscunque ignorantia, sed malitiosa. Itaque, si diceretur non in fermento concupiscentiæ et ignorantiæ, ubi ponitur non in fermento malitiæ et nequitiæ, videretur Apostolus aliquid perfectius præcepisse, et ei quod subjungit in azymis sinceritatis et veritatis, quasi ex opposito plenius respondere. Sed voluit Apostolus, ut jam diximus, docere quomodo ad esum Agni accedere liceat, vel quomodo accedere non liceat. Veniale autem est cum veniali concupiscentia et veniali ignorantia accedere. Damnabile vero cum damnabili concupiscentia, vel damnabili ignorantia appropinquare. Pertinet autem ad malitiam sola damnabilis concupiscentia, ad nequitiam vero sola damnabilis ignorantia. Merito ergo Apostolus noluit dicere non in fermento concupiscentiæ et ignorantiæ, sed temperantius aliquid, non in fermento malitiæ et nequitiæ, ne videretur omnem hominem ab esu Agni arcere. Quis enim fermentum concupiscentiæ et ignorantiæ in hac vita ad plenum purgare sufficiat, ubi caro concupiscit adversus spiritum quandiu quid oremus quemadmodum oportet nescimus. Attende ergo quam discrete, quam consulte Apostolus illud præcipere noluit quod supra humanam virtutem fuit : solum illud homini injungit quod homini possibile cognovit. Dicit ergo : *Non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis.* Quæramus nunc quæ sit ista conversio ordinis, ut prius ponat azyma sinceritatis quam veritatis, cum semper prior sit fides recta quam bona operatio. Impossibile est enim sine fide placere Deo. Sed constat quia fides est certitudo quædam supra opinionem et infra scientiam constituta. Alia est itaque illa cognitio veritatis quæ est per fidem solam, et alia est illa quæ est per veritatis intelligentiam. Utraque per prophetam designatur, cum dicitur : *Si non credideritis non intelligetis* (*Isa.* VII). Sed illa quæ est in fide sola, solet præcedere semper opera bona. Illa vero quæ per intelligentiam est, bona opera sequitur, quia bene operando ad veritatem illuminamur. Hinc est illud Sapientis : *Fili, concupisti sapientiam, serva mandata, et præbebit illam tibi Deus* (*Eccli.* VII). Hoc ipsum in semetipso per experientiam dicit qui dixit : *A mandatis tuis intellexi* (*Psal.* CXVIII). Ad illam itaque veritatis cognitionem quæ per intelligentiam est Apostolus nos vocat, cum nos ad epulas sinceritatis et veritatis invitat. Non nobis ergo debet sufficere fidei nostræ sacramenta veraciter et firmiter credere, nisi satagamus in quantum possumus etiam per intelligentiam capere. Ex azymis sinceritatis satiemus affectum nostrum, ex azymis veritatis reficiamus intellectum nostrum.

MYSTICÆ ADNOTATIONES IN PSALMOS.

ADNOTATIO IN PSALMUM II.

Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? (*Psal.* II.) Quid per gentes quæ Deum nesciunt, idola colunt, nisi pravas perversasque cogitationes accipimus? et quid in populis inania meditantibus, nisi vanas et ineptas cogitationes intelligimus? De illis dictum est : *Perversæ enim cogitationes separant a Deo* (*Sap.* I). De istis autem scriptum est : *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, et aufert se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*ibid.*). A cogitationibus, inquit, quæ sunt sine intellectu. Quid fiet de his cogitationibus quas admittere non possumus sine turpi et illecebroso affectu, vel de his quas libenter accipimus non sine pravo quodam consensu, si ab his se aufert Spiritus sanctus quæ sunt sine intellectu? Quod ergo ille cogitationes perversas aperte nominat, hoc iste gentes figuraliter, quasi homines perversos et a Deo vero aversos appellat. Quod ille cogitationes sine intellectu dicere voluit, hoc iste, ni fallor, populos inania meditantes nominavit. Pejores utique sunt quæ non sunt sine nequitia, quam quæ vagæ discurrunt sine intelligentia. Unde et hos gentes nominat, et illos

Digitized by Google

populos appellat. Nam gentes quidem sua persuasitas damnat, populos vero quamvis fideles sua ignobilitas humiliat. Sic utique, sic omnis cogitatio vana, sive otiosa, vilis; prava autem, atque perversa cogitatio detestabilis. Quales omnino utique Propheta increpat, vel potius qualibus insultat, cum dicat: *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania?*

Notandum sane quod fremitus est bestiarum, non hominum; gentes utique fremere, est prava desideria contra rationem exsurgere. Quoties justa Dei judicia reprehendimus; quoties contra ejus flagella murmuramus, toties vocem humanam quasi in fremitum commutamus. Quoties appetitum potius quam rationem sequimur, quasi homines nos esse pigeat bestias imitamur. Increpet ergo primum fremitum iniquitatis; postea redarguat etiam studium vanitatis. Nam in eo quod dicitur: Et populi meditati sunt inania, studium vanitatis reprehenditur. Et forte inania cogitare, veniale; meditari autem, omnino reprehensibile. Aliud est enim quod ex negligentia vel inviti patimur; et aliud quando circa inutile studium sponte occupamur.

Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum. Quæramus prius qui sint isti reges, vel qui sint illi quos nominat principes. Reges dicit, sed terræ reges asserit; peccatori autem dicitur: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III). In hujusmodi terra, dæmones quos Apostolus mundi hujus principes et rectores tenebrarum appellat (*Ephes.* VI), regnum tenent et dominatum exercent, dum eos ad immunda desideria impellunt, et per mundanas cupiditates distrahunt. Rex autem a regendo dicitur, et per terram cor terrenis desideriis inhians recte intelligitur. Illi ergo dæmones in Scriptura sacra reges dicuntur, qui in subvertendis, sibique subjugandis hominibus fraude potius quam virtute nituntur. Est enim in aliis astutia major, in aliis autem audacia vehementior. Illi occultius tentant, illi vehementius instant. Horum tentatio fraudulenta, illorum autem violenta. Illi quasi consulendo decipiunt, illi acrius instando quodammodo opprimunt. Hos itaque per reges, illos intelligamus per principes. Isti etenim quasi regendo, illi vero principando hominibus præsunt, quos vel astutia deceptos, vel instantia dejectos ad iniquitatem pertrahunt. Videamus ergo quid dicat: *Astiterunt reges terræ.* Invenio in Scripturis sanctis alium dici spiritum fornicationis, alium autem appellari spiritum elationis. Sic et in his aliis vitiis intelligi potest. Obtinet itaque alius regnum in luxuriosis, alius in gulosis, alius præsidet avaris, alius iracundis: hic principatur invidis, ille dominatur elatis. Quid igitur aliud est hujusmodi reges sibi invicem assistere, nisi unumquemque in hominum impugnatione alium adjuvare? Nam dum ab uno quolibet quispiam in aliquod vitium dejicitur, ex eo ipso sæpe ad resistendum aliis infirmior invenitur. Fieri enim solet, ut qui per crapulam gravatur, multo citius, multoque facilius per luxuriam inflammetur. Reges itaque sibi assistunt quando vicissim sibi ad nos expugnandos opem ferunt. Principes in unum conveniunt, quia quidquid (quamvis diversum) agant in nostra subversione, tamen pariter consentiunt. Recte ergo etiam hos reges vel principes non sibi invicem tantum, sed etiam gentibus vel populis assistere intelligimus; quia, dum per pravas ineptasque cogitationes vaga mente discurrimus, deceptoriis spiritibus tentandi aditum aperimus. Gentibus itaque frementibus populisque inania meditantibus, reges assistunt, principes conveniunt, quia perversis vanisque cogitationibus (quas gentes vel populi significant) perstrepentibus, maligni spiritus tentandi aditum inveniunt, tentandi licentiam justo Dei judicio, accipiunt. Possumus tamen non solum per reges et principes, sed etiam per gentes et populos dæmones intelligere, et eorum differentias in his nominibus subtiliter distinguere.

Cogita igitur nunc quasi numerosam quamdam dæmonum multitudinem, imo multiplicem innumerositatem. Ex his alios, aliis sicut natura subtiliores, sic nec dubites, et in præsumptione audaciores, et in deceptione callidiores. Unde fit ut aliis infirmioribus, licet numero amplioribus principentur, et super eos libere dominentur. Est igitur in subjectis inferioribus multitudo copiosior, sed in superioribus tam audacia quam prudentia major. Unde fit ut propter ampliorem audaciam in infirmioribus libere dominatum exerceant, et propter majorem prudentiam stolidorum studia et officia pro suo arbitrio disponant. Hoc nos fortasse Scriptura monere voluit, quando alios reges vel principes nominavit; alios autem per gentes et populos designavit. Si autem inter gentes et populos differentiam quærimus, facile quidem eos ab invicem distinguere poterimus. Nam gentem a gente consuetudinis vel linguæ diversitas distinguit, et sæpe gens quælibet multos habere populos consuevit. In uno ergo morum dissimilitudinem, in altero innuit multiplicem eorum multitudinem. Nam quidam eorum in quibusdam vitiis amplius prævalent, et alii aliis vehementius favent vel student. Quia igitur Propheta morum studiorumque diversitatem et in qualibet distinctione innumeram multitudinem esse perspexit, idcirco fortassis et gentes dixit, et populos subsequenter nominavit. Si ergo discretionem spirituum habemus, si eorum differentias diligenter attendimus, non tantum per reges et principes, sed etiam per gentes et populos dæmonum differentias intelligere poterimus. Cogitet ergo qui potest, qualis, quantusque vir iste fuerit; quali discretione quantaque virtute præditus exstiterit, contra quem gentes et populi desæviunt, contra quem reges et principes conveniunt. Nos si contra uniuscujuslibet dæmonis sævitiam vel astutiam restitisse vel resistere nos posse noverimus, multum nos profecisse putaremus; imo non homines, sed supra homines nos esse crederemus. Iste autem non tantum a gente vel rege se sentit impugnari; imo a gentibus,

Digitized by Google

et populis, et regibus, et principibus se non posse superari, et novit, et scripsit, et posteris legenda reliquit, ut vel sic confundat superbiam nostram qui nihil sumus, et tamen superbire non erubescimus. Si quis autem gentes populosque ad cogitationes, reges vero et principes referre velit ad affectiones, facile credo; quia animi affectiones cogitationibus præsidere non ambigo.

Sic tamen hunc intellectum recipiamus, ut superiorem quidem non destruamus, qui Scripturam sacram multiplicem expositionem recipere non dubitamus. Sive ergo totum ad animi vitia, sive totum referamus ad dæmonia, aut si melius partim ad vitiosos mores, partim referimus ad vitiorum incentores, multum quidem est hæc, vel illa superare, majus tamen est utrisque posse resistere. Si tamen Propheta utrumque non posset, eis cum tanta fiducia non insultaret, cum dicat : *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum.* Sed si sequentia verba diligenter attendimus, unde de tot hostibus victoriam præsumat, citius inveniemus. Ait enim : *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum.* Sed contra quem ? *Adversus Dominum*, inquit, *et adversus Christum ejus.* De illo ergo victoriam præsumat, qui in ipso contra tot hostes indefesse dimicabat. Quid enim aliud quam quædam Dei turris David anima exstitit, quem sibi Dominus quasi vir pugnator omnipotens nomen ejus, contra tot hostes defendit? Una utique ex his turribus erat pro quibus alibi ipse David proclamat : *Fiat pax in virtute tua et abundantia in turribus tuis* (*Psal.* CXXI). Hanc itaque turrem præ cæteris fortem, et inter fortes singularem primo gentes impugnant, populi obsidione vallant. Sed quia prævalere non possunt, tandem assistunt reges, conveniunt principes. Sed inexpugnabilis manebat quam Dominus sibi jugiter defensabat. Stabat itaque David inter tot hostes de Dei protectione securus, et de tot hostibus per Dei victoriam tandem triumphaturus. Insultare ergo non metuit, quos sibi non posse prævalere perspexit, et dicit : *Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt inania ? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus.* Adversus Dominum, inquit, et adversus Christum ejus. Alia sunt in nobis dona naturæ, et alia sunt dona gratiæ. Distinguamus nihilominus Dominum, et Christum ejus. Per Dominum intellige Creatorem, per Christum intellige Salvatorem. Aliunde dicitur Creator, et aliunde Salvator. Creator est pro eo quod fecit quod non erat; Salvator autem inde dicitur, quia restauravit quod perierat. Dona ergo naturæ pertinent ad Creatorem, dona vero gratiæ specialiter pertinere videntur ad Salvatorem. Dona naturæ dico quando secundum naturalem complexionem hos videmus proniores ad misericordiam, illos rigidiores ad justitiam; hos naturaliter prudentiores, illos simpliciores, et cætera hujusmodi, quæ naturaliter quisque habet, non ex industria possidet. Gratiæ autem dona dicuntur, quando quisque nititur habere per gratiam quod possidere minime potuit per naturam. Illa igitur accipimus a prima conditione ex munere Creatoris; ista tempore congruo accipimus ex beneficio Salvatoris. Quando itaque dona naturæ corrumpimus, in Creatorem peccamus, qui ejus opus destruere non timemus. Quando vero quis dona gratiæ destruit, contra Salvatorem suum specialiter agit, qui pro reparatione nostra usque ad mortem sudavit. Quia igitur vitiosi mores, sive vitiorum incentores dæmones tam dona naturæ quam dona gratiæ in nobis subvertere nituntur, recte non solum contra Dominum, sed etiam contra Christum ejus, gentes et populi, reges et principes assistere perhibentur. Quia ad Creatoris injuriam in nobis corrumpere festinant opus Creatoris, et ad contumeliam Salvatoris evacuare satagunt opus redemptionis. Recte ergo dicitur : Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum et projiciamus a nobis jugum ipsorum. Per vincula retinemur ne eamus quo ire volumus. Sub jugo cogimur inviti operari quod nolumus. Duo magna mala, impediri a bono, occupari in malo. A bono nos revocant vincula cupiditatis, ad malum nos impellit jugum timoris. Bonum utique est secundum Prophetæ consilium hujusmodi vincula dirumpere, bonum nihilominus hujusmodi jugum projicere. Sed forte modum quæris; quomodo id fieri possit audire concupiscis. Audi, sed negligere noli. Noli diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt (*1 Joan.* II), et vincula dirupisti. Noli timere eos qui occidunt corpus, animæ vero non habent quid faciant (*Matth.* X), et jugum projecisti. Dirumpamus vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum : *Qui habitat in cœlis irridebit eos : et Dominus subsannabit eos.* Mirum valde si Dominus ubique est, cur in cœlo, et non potius ubique esse dicitur? vel si in cœlo tantum est, cur ubique esse credatur? Sed usus noster habet, ut res quælibet videatur ibi ubi est, ubi vero non est, minime videri potest. Quem vero constat ubique esse, voluit tamen Scriptura in cœlo specialiter assignare, et ibi maxime inesse dicitur ubi ab omnibus inhabitatoribus incessanter videtur. Ut qui eum videre desiderat ubi videri potest, illuc per meritum ascendat : et est quidem in terra; nec tamen cum videmus, qui in terra sumus; nec in inferno deest, quamvis ab inferni habitatoribus videri posse non credimus. Eumdem tamen in cœlis esse, et in cœlis videri non dubitamus. Sciendum tamen est quod aliter videtur per fidem, aliter autem per contemplationem, aliter vero cernitur per speciem. Quod est inter cœlum et terram, hoc interest inter fidelem et infidelem, et possumus quemlibet perfectum dicere cœlum propter fidem. Huic tamen cœlo supereminet aliud cœlum,

Digitized by Google

dignitas scilicet spiritualium virorum, cui tamen superfertur tertium sublimitas, videlicet angelorum. In primo itaque videtur per solam utique fidem; in secundo autem videtur etiam per contemplationem; in tertio vero cernitur facie ad faciem.

Per fidem eum videmus, quando illa quæ de eo scripta sunt firmiter credimus. Per contemplationem autem eum cernit, qui in eo quod de illo prius credidit, ex inspiratione divina intelligentiæ oculos figit. Per speciem vero videtur, quando in propria substantia sicuti est facie ad faciem cernitur. Verumtamen quocunque modo videatur, non tamen videtur nisi in cœlo. Nam in primo, ut diximus, per fidem; in secundo cœlo per contemplationem; in tertio vero videtur per speciem. Solummodo in hujusmodi cœlis habitat per gratiam, cum tamen nusquam desit per potentiæ vel essentiæ suæ præsentiam. Quia ergo singulari quodammodo in sanctis Dominus habitat, recte Scriptura cum in cœlis specialiter locum habere designat. Sed si per terram carnem, per cœlum animam intelligimus, est adhuc aliud quod in his verbis animadvertere debemus. Sciendum namque quoniam ad illud Divinitatis arcanum nunquam sensus ingreditur carnis, nunquam ad illa intima secreta sensus corporeus admittitur. Sola anima quæ ad similitudinem ejus facta est, divinæ naturæ substantiam videre potest. Sed nec eam aliquis ibi corporaliter videre desiderabit, sicuti nec hic sapientiam suam corporaliter videre quærit. Quoniam igitur sola anima divinæ claritatis capax est, ad quod sensus corporeus nunquam penetrare potest, merito in cœlo, hoc est in anima, Deus habitare asseritur, quæ ejus in æternum et præsentia fruitur, et visione lætatur. Quid igitur mirum si Deus animam sibi contra hostes defendit, in qua in æternum habitare elegit, sicut scriptum est: *Hæc requies mea, in sæculum sæculi hic habitabo, quoniam elegi eam?* (*Psal.* CXXXI.) Fiducialiter itaque agam, et non timelio si talem habitatorem habuero, si talem protectorem invenero, tunc demum inter hostes securus in eis insultare non trepidabo, dicens: Qui habitat in cœlis, irridebit eos; et Dominus subsannabit eos. Qui in cœlis habitat, qui animas inhabitare amat, ipse sibi defendat, ipse hostes repellat, convincat, irrideat. *Qui habitat in cœlo irridebit eos, et Dominus subsannabit eos.* Aliud est irridere, aliud est subsannare. Irrisio est quando aliquem ironice laudamus, cum supra quod est, vel aliquid quod omnino non est amplificando ei ascribimus, ascribendo amplificamus. Subsannatio vero est quando in alicujus denotatione vultum nostrum simulata deformitate transfiguramus, et qualis ipse sit, vel potius quales nos esse credat, mentita deformitate depingimus. Et licet subsannatio a nasi deductione specialiter dici videatur, recte tamen quælibet labiorum, nasi, oculorum, faciei, irrisoria detorsio, subsannatio dicitur. Irridendo igitur alterius pulchritudinem simulamus, subsannando vero nostram quodammodo dissimulamus, vel potius irridendo fœditatem illius dissimulamus, subsannando nostram, quæ nulla est, simulamus. Fit vero ex hujusmodi simulatione vel dissimulatione, ut aliena deformitas deformius appareat, et nostra formositas formosior emineat. Quid igitur aliud est Dominum suos inimicos irridere, quam eos ad fortia quædam, vel etiam magna agenda relaxare, in quibus possint ad tempus sibi vel aliis gloriosi apparere? Et tunc quasdam quasi eorum laudes in eorum auribus loquitur cum eos id agere permittat unde superba mens eorum inaniter glorietur. Quales Propheta percutit cum dicit: *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam. Qui dixerunt labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?* (*Psal.* XI.) Irrisio itaque est cum inimicorum suorum fortitudinem simulat. Subsannatio vero est cum suam potentiam, vel justitiam dissimulat. Sæpe enim injustos in hac vita prosperari, justos vero affligi permittit, quasi qui malitiæ resistere non possit, vel innocentiæ compati nolit. Dum igitur perversis mentibus, vel minus potens, vel minus justus apparet, quid nisi vultus sui rectitudinem, ut ita dicam, in eorum consideratione detorquet? Quia enim, qui justus est justus esse non creditur, quasi vultus ipsius speciositas in suo decore ab ipsis non videtur.

Fit namque sæpe ut dum impii mala impune faciant, Deum res humanas minime curare credant. Quales illi describuntur, qui dixerunt: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob* (*Psal.* XCIII). Quorum quidam dixerunt in corde suo: *Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem* (*Psal.* XX). Perversi itaque irridentur, cum de seipsis tam falsa quam magna præsumunt. Subsannantur autem, cum tam profana quam vana de Domino insana mente concipiunt, suas quasi laudes, sed falsas audiunt in quantum de se magna, sed minime vera credunt. Dominum autem quasi deformem aspiciunt, quandiu de eo indigna sentiunt. Maxime autem malignis spiritibus hæc sententia convenire videtur, contra quos specialiter prolata videtur. Suis enim tentationibus David fatigabant, suis cum insidiis subvertere festinabant, sed David de Domini protectione securus fiducialiter psallebat dicens: *Qui habitat in cœlis irridebit eos et Dominus subsannabit eos.* Sæpe enim maligni spiritus electis quibusdam ad tempus prævalere permittuntur, unde fit ut illos quos Dominus sibi in æternum servat, contra Dei dispositionem perdere moliantur. Sed dum sæpe post lapsum electi quilibet tanto fortiores, quanto humiliores resurgunt, quid aliud suis impugnationibus maligni spiritus quam bonorum profectibus nolentes serviunt? Vide si potes qualiter irridentur, cognosce quomodo deridentur. Nihil est unde magis doleant, nil est quod amplius ingemiscant, quam bonum nostrum, quam profectum nostrum. Pene plus odiunt bona nostra quam tormenta sua; imo malunt quotidie tormenta sua augere, quam nostra bona, quam

Digitized by Google

merita nostra non minuere; et tamen tot conatibus, tantis discriminibus nil aliud agunt, nisi ut boni quique quotidie meliores fiant. Irridentur itaque, cum se aliquid contra electos posse gloriantur; subsannantur autem, cum contra Dei dispositionem aliquid agere arbitrantur. Saluti quippe electorum militat quidquid contra illam inimica malignitas A actitat, et inde ordinationem Dei implere cogitur, unde eam impedire frivole nititur. Recte ergo de his dicitur quia irridebit, et Dominus subsannabit eos. Nemo miretur, nemo indignetur, si ea quæ de Christo dicuntur, et intelliguntur juxta litteram, ædificationis gratia derivemus ad ejus membra juxta mysticam intelligentiam.]

ADNOTATIO IN PSALMUM XXX.

In pace in idipsum dormiam, et requiescam. Pax illa per quam, et in qua anima obdormit, per quam exteriorum omnium interim memoriam amittit, per quam ipsa sibi in oblivionem venit in qua seipsam supergressa, tota in Deum transit. Pax, inquam, illa quid aliud esse videtur, quam internum illud verum, et plenum gaudium, quædam, ut sic dicam, superefluentia spiritualium deliciarum, mira scilicet et *ineffabilis* quædam satietas cœlestium desideriorum? Pacem sane tunc tantum veram plenam obtinere videtur, quando omne ejus desiderium internæ illius dulcedinis superabundantia penitus absorbetur. Quandiu enim animus in ea quæ nondum habet ustuanti desiderio anhelat, pacem quomodo habet, quam pacem habet is quem desideriorum suorum vexatio fatigat? Gaudium ergo nostrum nisi plenum sit, desideria nostra ad veram pacem non componit. Et quidem in hac corruptibili vita humanus animus perfectum gaudium habere non potest, quia perfectum gaudium in hac exiguitatis suæ angustia capere non potest; plenum tamen gaudium habere potest, quia tantum habere potest, quantum capere potest. Pace itaque sua tunc veraciter mens humana perfruitur, quando in id quod interius de divina dulcedine sentit, tota resolvitur. Hæc autem pax ut plena sit, in duobus consistit, in contemplatione videlicet veritatis et satietate internæ suavitatis. Ab uno inchoatur, et ex alio perficitur. Primum siquidem est, ut cœlestis sponsi amica, et veri amici sponsa, dilecti sui desiderio accensa, et in ejus adventum suspensa; primum, inquam, est ut videat quem diligit anima sua; secundum est ut in amplexus ejus ruat, et oscula jungat; secundum, quod incessanter postulat, osculetur me osculo oris sui, ut ad ejus deosculationem hauriat de dulci dulcedinem, et de suavi exprimat suavitatem. Favus quippe distillans labia ejus, et spiritus ejus super mel dulcis. Ipse siquidem summa pulchritudo, ipse summa dulcedo. Pulchritudo ad visum, dulcedo ad gustum. Quasi exterius adhuc est quod videtur, interius esse incipit quod gustatur: plus est gustare quam videre. Quod enim gustamus nobis incorporamus, et cum eo quasi unum efficimur. Sic procul dubio, cum divini spiritus infusionem accipimus, ipsi quodammodo unimur: *Qui adhæret Domino*, inquit Apostolus, *unus spiritus est* (*I Cor.* VI). Hæc utique est illa vera ac plena divinæ infusionis dulcedo, hæc summa et singularis delectatio, quæ sola potest cordis desiderio satisfacere, quæ prævalet ejus ingluviem satiare. Hæc sola desideriorum nostrorum fatigationem compescit, hæc sola animum ad veram pacem componit, quia quid amplius requirat non invenit. Quid enim est quod amplius requirat, quæ hoc ipsum quod capere non potest? B

Videamus ergo nunc quibus gradibus hæc pax crescat. Primo est desiderii sui longa exspectatio, exspectationem sequitur circumspectio, circumspectionem contemplatio, contemplationem admiratio, admirationem exsultatio, exsultationem dulcedo. Exspectatio est, ex quo sponsa Christi post diuturnam fatigationem desiderii sui tandem aliquando incipit de ejus quem diligit anima sua adventu per internam aspirationem certificari, dum dicitur ei quotidie: Exspecta, reexspecta; modicum hic, modicum ibi. Qui enim venturus est, veniet, et non tardabit. In hac exspectatione incipit anima huc illucque frequenter circumspicere, et cum summa diligentia attendere qua parte occurrat qui exspectatur ut veniat, utrum ab Oriente, an ab Occidente, an a desertis montibus. Cum ecce subito ab austro veniens, Deus siquidem ab austro veniet, et sanctus de monte Pharan. Exsultat ut gigas ad currendam viam suam. Venit itaque subitus et festinus, saliens in montibus, et transiliens colles. Properatque in occursum sponsæ suæ, acclamans et dicens: *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt* (*Cant.* VI). Ecce quomodo exspectationem sequitur circumspectio, circumspectionem vero contemplatio. Contemplatio siquidem est, quando tandem anima videre incipit quæ longa exspectatione sustinuit, et frequenti circumspectione quæsivit. Sed absque dubio ex quo incipit anima contemplari, incipit pariter et admirari. Quid enim mirum si miratur speciem speciosi forma præ filiis hominum? Absque dubio quanto limpidius contemplatur, tanto vehementius miratur, et quanto amplius miratur, tanto avidius, tanto attentius contemplatur. Crescit itaque quantitas admirationis ex qualitate contemplationis, et ex vehementia admirandi crescit diligentia contemplandi. C D

Sed quale, quamve jucundum spectaculum putamus esse, summam pulchritudinem ex quantulacunque parte videre, luminosum illum divinæ claritatis vultum limpidius contemplari, et in ejus admiratione assiduc suspendi? Hujusmodi itaque mirando, ju-

Digitized by Google

cundoque spectaculo oritur illa quam præfati sumus magna et vehemens congratulatio. Nam, ut jam dictum est, contemplationem admiratio, admirationem vero sequitur exsultatio. In hac autem exsultatione perfunditur animus mira quadam et ingenti dulcedine, quam nullus sensus potest æstimare, nullus sermo valet explicare. Cum enim cœlestis ille sponsus sponsæ suæ charitatis amplexibus conjungitur, et ad ejus osculum inclinatur, ad ejus attactum subito cœlesti quadam dulcedine animus perfunditur, quam quidem sentire potest; sed, uti superius jam dictum est, nulla sermonis latitudine explicare potest. Ille enim divinorum labiorum favus distillans fixis sponsæ labiis fortiter expressus, incipit distillare dulcedinem et emanare suavitatem. Influens itaque ille cœlestis suavitatis dulcor, incipit quidem primo sponsæ interiora replere, postmodum autem usque ad os effluere, tandem vero per labia emanare, in tantum ut a sponso suo statim audire mereatur : *Mel et lac sub lingua tua, favus distillans labia tua* (*Cant.* IV), eo quod ex abundantia cordis os loquatur. Sed, sicut in superioribus, sic et in hac excrescentia suavitatis internæ quosdam possumus profectum gradus attendere. Primo enim incipit sentiri illa interna suavitas, et ex illa generatur mira quædam perfruendi aviditas ; aviditatem sequitur saturitas, saturitatem ebrietas, ebrietatem securitas, securitatem tranquillitas. Quod enim gustata suavitas aviditatem exacuet quis ignorat? Quanto enim quid cui dulcius sapit, tanto degustantis animum id ejus appetitum acrius accendit. Sed procul dubio quo avidius comedimus, eo citius ad desideratam saturitatem pertingimus. In hunc itaque modum et suavitatem aviditas, et aviditatem saturitas subsequitur. Scimus autem quia quique postquam ad saturitatem comedendo perveniunt, quælibet apposita vel oblata fastidiunt. Quid igitur hujusmodi saturitatem quam præfati sumus, quid, inquam, aliud esse dicemus, quam quoddam quarumlibet corporalium deliciarum fastidium, et ex intimo affectu exteriorum omnium rerum quemdam et spontaneum despectum? Aliud est enim blandienti delectationi resistere, et violenter repellendo ei nolle acquiescere, atque aliud spontaneo quodam intimi affectus nutu fastidire, et quaslibet interim carnis blanditias penitus sibi sapere non posse. Ad veram itaque internæ satietatis plenitudinem anima pervenit, quando præ illius suavitatis abundantia quam interius sentit, omnium quæ exterius apponi possunt quoddam necessarium potius quam voluntarium fastidium incurrit. Hanc autem veræ suavitatis satietatem sentire non possunt, qui exterioribus deliciis affluunt. Non enim invenitur hujusmodi suavitas in terra suaviter viventium, nec sapere potest sapor hujusmodi inter tot oblectamenta deliciarum, et tam varia condimenta ciborum. *Edent*, inquit, *pauperes, et saturabuntur* (*Psal.* XXI); pauperes, inquit, non divites. Hanc autem saturitatem, uti jam dictum est, ebrietas sequi solet. Scimus autem omnes quoniam qui plene ebrii sunt, irrisiones suas sæpe nec quidem avertunt, et circumstantia pericula nec declinare, nec saltem attendere norunt

Cum igitur videamus multos quotidie inter convitia et opprobria hilarescere, inter pericula et rerum damna gaudere, quid qui hujusmodi sunt nisi ebrios debemus judicare? Quid tantam dixerim mentis alienationem, nisi spiritualem quamdam ebrietatem? Prius autem est ut fastidiamus varia, sed vana mundi oblectamenta. Secundo ut despiciamus quælibet ejus adversa. Primum efficit spiritualis satietas. Secundum autem spiritualis ebrietas. Satietatem ergo ebrietas sequitur, ut ex eorum effectibus comprobatur. Ex hac autem ebrietate animus in tantam constantiam excrescit, tantamque fiduciam de Domini protectione assumit, ut cum Apostolo audiat et dicat : *Certus sum quia neque mors*, etc., usque quæ *est in Christo Jesu*, etc. (*Rom.* VIII.) Hæc est rata et firma securitas quam sequitur illa quam novissime posuimus vera plena mentis tranquillitas. Quid enim mentis illius tranquillitatem turbare valeat, quem nullus cupiditatis stimulus inquietat, quem nullus timoris aculeus exagitat? Hæc autem tranquillitas est pax illa quam diu loquendo quæsivimus, ad quam tot gradibus vix tandem ascendimus. Hæc est illa pax in qua anima obdormit; pax, quæ mentem ad interiora rapit; pax, quæ exteriorum omnium memoriam intercipit, quæ ingenii acumen exsuperat, quæ rationis lumen reverberat, quæ desiderium cordis replet, quæ omnem intellectum absorbet. Hanc quietem Joannes dicit silentium, Psalmista vocat somnum (*Psal.* CXXVI). Ab Apostolo dicitur pax Dei quæ exsuperat omnem sensum (*Philip.* IV). O quam recte silentium! O quam vere dicere possumus somnum, si excedit omnem sensum! Quid enim de eo digne dici possit quod omnem sensum excedit? Factum est, inquit, silentium in cœlo, quasi hora dimidia (*Apoc.* VIII). Quam recte silentium dicatur audivimus, sed quomodo erit et somnus? Cogita quid faciat somnus exterior circa hominem exteriorem, hoc facit somnus hujusmodi circa hominem interiorem. Somnus corporeus exsuperat sensum corporeum, aufert enim officium oculorum, officium aurium, cæterorumque sensuum atque membrorum. Sicut autem per somnum exteriorem sopiuntur omnes sensus corporis, sic per hunc de quo loquimur interioris hominis somnum exsuperantur omnes sensus mentis. Simul enim absorbet cogitationem, imaginationem, rationem, memoriam, intelligentiam, ut constet quod Apostolus scribit, quia exsuperat omnem sensum. Hujusmodi somnum anima inter veri sponsi amplexus capit cum in ejus sinu requiescit. Unde et dicit : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* VIII). Hujus quietis in hujusmodi reclinatorio jam spem firmam conceperat, qui cum tanta fiducia psallebat : *In pace in idipsum dormiam, et requiescam* (*Psal.* IV).

Digitized by Google

ADNOTATIO IN PSALMUM XXV.

Judica me, Domine. Vellem scire qualis ipse sum, sed vix de meipso vera discernere possum. Amor namque privatus quem erga meipsum habeo, aufert mihi verum judicium de meipso. Judica me ergo, Domine, qui veraciter nosti me. Tu mihi dicis de te, quia ego sum veritas; et ego scio, quia omnis homo mendax. Parum itaque mihi de meipso credo, utpote homini mendaci, timens ne, si meipsum judico, mentiatur iniquitas sibi. Tu rectius hoc facis qui verax es. Tu melius hoc potes qui veritas es. Intret ergo veritas in cor meum, verum contra me perhibeat testimonium, verum de me proferat judicium. Judica me ergo, Domine; indica mihi, obsecro, qualis sum, Domine; tu veram de me profers sententiam, ego ipse de meipso exerceo vindictam. Vel si forte in me per pœnitentiam deleta est culpa, ostende mihi quid adhuc mihi desit de perfecta justitia. Utiliter enim me coram meipso judicas, si qualis apud te sim mihi manifeste indicas. Judica me ergo, Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum. Tu intus eras, ego foris eram, et idcirco vocem tuam audire non poteram. Extra eram, dum exteriora quærebam, dum exteriora cogitabam. Sed jam unus ex his factus, qui convertuntur ad cor, festinavi implere illud præceptum quo dicitur : *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isa.* XLVI). Et ecce, Domine, jam intus sum, vide qui intus es; quoniam in innocentia mea ingressus sum, ut te audire possem, ut tecum loqui possem, idcirco ad te ingressus sum et ecce jam intus tecum sum. Loquere ergo, Domine, quia audit servus tuus. Paratus sum audire quid jam loquatur in me Dominus Deus meus. Qui enim extra sunt, qui adhuc exteriora diligunt, qui sola exteriora cogitant, vocem tuam audire nequeunt. Alii extra sunt per cogitationem et dilectionem, alii autem per solam cogitationem. Similiter quidam intus sunt sola cogitatione, alii vero pariter cogitatione et dilectione. Nam qui vanitatem cogitat et vanitatem amat, extra utique est, non solum per cogitationem, sed etiam per dilectionem. Sed qui exteriora inviti ex dispensationis officio administrant, sed tamen exteriorum curam non tam amant quam tolerant, isti quidem quamvis intus sint per dilectionem, coguntur quidem exire saltem per cogitationem. Quidam sunt qui tam curiose quam studiose veritatem quærunt, veritatem tamen non diligunt. Et isti quidem quasi intus sunt per studium veritatis, intus tamen ipsi non sunt per amorem virtutis. Sed qui veritatem quærunt et veritatem diligunt, per cogitationem pariter et amorem intus sunt. Si ergo, Domine, sola interiora cogito, si sola interiora diligo, constat ergo profecto quia amplius exterius non sum, patet quia tecum intus sum. *Judica ergo me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum.* Procul dubio si innocens non essem, ad te intrare non præsumerem, in conspectu tuo apparere non auderem. Si innocens non essem, inspirationis tuæ vocem audire non possem, vel potius non auderem. Et idcirco observabo me ab iniquitate mea, ut possim audire verba tua, ut non trepidem apparere in conspectu tuo, ut frui merear colloquio tuo. Sciens utique quia non privabis bonis eos qui ambulant in innocentia, fiducialiter ad te ingressus sum in innocentia mea. Scio quia major, scio quia pejor est corruptio mentis quam corporis; imo sæpe sanamur intus, dum percutimur exterius, et idcirco ut vere innocens essem, animas lædere vitabam. Alterius animæ nocere poteram per pravum exemplum, meam autem necare etiam poteram per solum pravitatis consensum. Sed studui innocens esse ut auderem ad tuum judicium venire; et nunc judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Quidquid potui in me judicio proprio malum deprehendere festinavi corrigere, nunc autem tu judica me, Domine. Quantum ad judicium meum jam innocens appareo, sed mihi de me satis credere non audeo, et idcirco, obsecro, judica me, Domine. Innotesce mihi qualis lateam apud te. Interim quoad potui innocentiam servavi, sed meam forsitan, non tuam. Innocentia enim erat secundum arbitrium meum, sed forsitan vera non erat secundum judicium tuum. Et ecce judica me, Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum. *Et in Domino sperans non infirmabor.* Adam intus erat, et sanus erat; sed tamen sanitatem servare non potuit. Infirmatus intus permanere non potuit, quia in se, non in Domino speravit; ego autem in Domino sperans non infirmabor. Diabolus non solum in intimis, sed etiam in summis bonis conditus stabat, et tamen sanitatis suæ firmitatem quam a conditione acceperat, diu servare non poterat, quia in sua fortitudine, non in Domini pietate sperabat. Ego autem in Domino sperans non infirmabor. Uterque intus erat, uterque sanus erat; ambo postea infirmi erant effecti, ambo postmodum foras ejecti; unus e cœlo, alter de paradiso. Nam uterque præsumebat de seipso. Ego autem in innocentia mea ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor. Ego foris eram, ego infirmus eram; nunc autem ingressus sum, et in Domino sperans non infirmabor: ipsi sani, ipsi intus; ego foris, ego infirmus. Nunc autem ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exsultationis et confessionis, et introgressus in Domino sperans non infirmabor. Non me latet, Domine, quantus labor sit intus permanere, in interioribus perseverare; credo tamen quod in Domino sperans non infirmabor. Et quidem difficile fuit ab exterioribus ad interiora mentem revocare, durum valde de rebus visibilibus ad

Digitized by Google

invisibilia penetrare. Sed multo forte difficilius erit in illis diutius permanere, sperans tamen in Domino non infirmabor. Filii Israel vix post multa tempora atque pericula terram repromissionis intrare potuerunt, et tamen sine multo labore, sine magna fortitudine, eam sibi postmodum defensare non valuerunt. Vix tandem terram lacte et melle manantem tetigi, sero contemplationis dulcedinem degustare merui, et jam contra me hostium invidiam, inflammari vehementius intueor; certus tamen sum quia in Domino sperans non infirmabor. Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem, quanto magis non timebunt infirmitatem? In Domino ergo sperans non infirmabor.

Proba me, Domine, et tenta me. Duo sunt, facere bona, et declinare mala. Proba me ergo, Domine, utrum paratus sim ad bona facienda; tenta me utrumnam cautus sim ad mala devitanda. Proba me, Domine, et tenta me. Proba per adversa, tenta per prospera, proba me, Domine, et tenta me. Duo item sunt quæ hominem perfectum efficiunt, virtus et sapientia. Utrumque desidero, quia ad perfectionem suspiro. Proba me ergo, Domine, et tenta me. Per probationem proficimus ad virtutem, per tentationem erudimur ad veritatem. Probationibus exercetur virtus nostra, tentationibus instruitur prudentia nostra. Proba me, Domine, et tenta me. *Ure renes meos et cor meum.* Scis quia concupiscentia aliquando surgit ex vitio carnis, aliquando descendit ex vitio mentis. Ure ergo renes meos et cor meum. Ad exstinguendam pruriginem carnis ure renes meos, ad exstinguenda desideria cordis ure cor meum. Ure renes meos ad consumendum pruritum carnis; ure cor meum ad exsiccandum fluxum mentis. Ure renes meos et cor meum, ure carnem meam et mentem meam. Ure carnem igne tribulationis, ure mentem incendio compunctionis. Caro conteratur, cor compungatur. Caro affligatur labore, cor afficiatur dolore; utrumque concremetur, utrumque purgetur. Ure renes meos et cor meum: *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua.* Nil tamen præsumo de fortitudine mea, sed de misericordia tua non confido in sapientia mea, sed in misericordia tua, quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Scio quia hostis meus fortior me est, scio quia callidior me est; mihi tamen timendus non est, quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Scio quidem quia potentior, quia prudentior. Sed super inimicos meos despexit oculus meus, quantum misericordia tua ante oculos meos est. Proba, tenta, ure renes et cor. In his omnibus nil trepido, nil metuo quantum misericordia tua ante oculos meos est. Scio quantum diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Scio nihilominus quia fidelis Dominus, qui non patitur nos tentari ultra quam ferre possumus, sed faciet, cum tentatione simul proventum, ut possimus sustinere. Pugnare ergo non refugio, quia vincere speró, quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Ante oculos meos est, quia eam agnosco; ante oculos meos est, quia ad eam respicio. Oculus providentiæ, oculus intelligentiæ; uterque dirigitur, uterque figitur in te, quoniam misericordia tua ante oculos meos est. Quia illam cogito, quia illam cognosco, misericordia tua ante oculos meos est. Quia in illa spero, quia ad illam suspicio, ante oculos meos est. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est et complacui in veritate tua, non in virtute mea, sed in veritate tua; non in sanctitate mea, sed in veritate tua. Non enim confido de meritis meis, sed præsumo de promissis tuis, quoniam complacui in veritate tua. Tu mihi promisisti; tu ab æterno prædestinasti; mentiri non potes quia veritas es: quæ promisisti, implere potes; quæ prædestinasti, adimplere debes, quia verax es. Si talis sum qualis ab æterno præordinatus sum, tibi placere debeo; imo scio quia placeo, et si nondum talis sum, placeo tamen apud te, quia talis futurus sum, quoniam complacui in veritate tua. In veritate tua placeo tibi, in veritate tua placeo mihi, quoniam complacui in veritate tua, et tibi, et mihi. Placuit, inquam, mihi non in adulatione aliena, non in elatione propria, sed in veritate tua. Non secundum os loquentium iniqua, non secundum cor fingentium falsa, sed complacui in veritate tua. Si mundus sum corpore, si purus mente, tunc scio quia complacui in veritate tua. Si justa sunt opera, si casta desideria, vere complacui in veritate tua. Si placeo interius, si placeo exterius, complaceo in utroque, complaceo undique. Philosophi gentium virtutem colunt, sed vera non credunt: quorum et si opus placet, fides displicet, et idcirco ipsi complacere non possunt qui fidem veram despiciunt. Falsi Christiani fidem habent, sed fidei opera non habent; in uno placent, in altero displicent, et idcirco vel ipsi complacere nequeunt. Ego si utrumque habeo, scio vere quia tibi complaceo. Ad neutrum tamen attingo per meipsum, neutrum ex meipso habere possum. Sed quis me hoc docuit, nisi veritas tua? Et ob hoc complacui in veritate tua. Docuit me veritas tua bona mea esse bona tua, mala mea esse peccata mea, et complacui in veritate tua. Erudivit me veritas tua ascribere mala mea mihi, attribuere bona mea tibi, et idcirco complacui in veritate tua. Didici quia per me surgere non possum; cognovi quia sine te stare non possum: credo et confiteor quia tu es qui operaris in me, et velle, et perficere pro bona voluntate tua, et ob hoc complacui in veritate tua.

Non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introivi, odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo. Tria sunt quæ odivit, quartum detestatur anima mea, vanitas, iniquitas, malignitas: tria hæc valde odibilia. Impietatem vero quæ in Deum est, omnino exsecratur anima mea. Inutilis vanitas, mala iniquitas, pejor malignitas,

Digitized by Google

pessima impietas. Vanitas contemptibilis, iniquitas odibilis, malignitas abominabilis, impietas detestabilis. Curam corporis nimiam habere, carnem in desideriis carnis fovere, cibo vel somno nimis indulgere, ornatum in vestitu quærere, totum hoc vanitas est, quia totum hoc vanum est. Sua avare retinere, aliena avide quærere, quæ auctor omnium omnibus voluit esse communia in privatam potestatem redigere, quæ nobis ab aliis fieri volumus illis nolle impendere, minime quidem æquum est, quia totum hoc contra æquitatem est, quia totum hoc iniquitas est. Odium in corde retinere, ultionem de inimicis quærere, de inimici ruina gaudere, in alienis bonis ex invidia tabescere, totum hoc malitiosum est, totum hoc malignum est, et idcirco mihi placere non potest, quia totum malignitate plenum est. Murmurare, blasphemare, justa judicia Dei reprehendere, cor contra Deum in superbiam erigere, in Dei donis propriam gloriam affectare, totum hoc impium est, totum hoc pium cor recipere non potest, quia totum hoc impietas est. Et aliter sentire quam pium tam bonum est. Contemnenda itaque vanitas, odienda iniquitas, damnanda malignitas, exsecranda impietas. Vanitatem persuadet nimius amor sui, iniquitatem subinfert inordinatus amor mundi, malignitatem generat odium proximi. Impietatem autem nutrit contemptus Dei: curis siquidem carnis incumbere, vanum; in mundi gloria cæteros velle præire, iniquum; inimicitias in proximos exercere, malignum; contra Creatorem suum superbe insolescere, impium. Gula et luxuria vanitatem suggerunt, quia vanum est quod quærunt, vanum est quod diligunt; quia hæc in naturæ usus superfluos apparatus requirit, illa in luxus, et risus, et jocos ineptum animum dissolvit. Avaritia iniquitatem accendit, dum quæ ab auctore uno omnibus communia sunt in singularem proprietatem redigit. Dum enim quod ab aliis sibi fieri optat aliis ipsa improbe negat, contra æquitatem peccat. Iracundia et invidia malitiam generant, malignitatem inflammant. Quia dum hæc furit in læsione propria, illa uritur in felicitate aliena. Utraque malitiose agit in eo quod proximi sui hæc in malo hilarescit, illa in bono tabescit. Ex tristitia sive superbia impietas succenditur, quæ utraque improbo ausu divinæ bonitati derogare convincitur. Nam accidia sæpe contra Dei flagella murmurat. Superbia vero quidquid de Dei dono accipit, ad propriam gloriam usurpat. Tristitia enim dum a Deo corripitur, non conscientiam propriam, sed Dei justitiam accusare nititur, quodque illi Deus ad ejus correctionem, et quasi quemdam specialium morborum medicinam parat, illa ad ejus contumeliam retorquere non trepidat. Quid, quæso, tam impium, quid a vera pietate tam alienum? Superbia vero, dum dona suis meritis vel viribus arrogat, quantum in se est, glorificantis gloriam evacuat; et hoc ipsum quam impium sit quis digne describit? Vanitatem itaque vitare volens, non sedi cum consilio vanitatis, et quia iniquitatem declinare studeo, cum iniqua gerentibus non introibo. Malignitatem autem amare non possum, et idcirco odivi ecclesiam malignantium. Fateri autem oportet quod verum est, quia veniunt sæpe ad mentem meam cogitationes innumeræ, et surgunt affectiones multæ, et sollicitant me de cura corporis, et suggerunt multa de usibus necessitatis. Conveniunt ibi quasi ad consulendum, veraciter autem ad decipiendum, et congregantur consiliarii multi et consiliatores vani, imo deceptores veri. Congregantur autem quasi in concilium unum, et quasi ad quærendum consilium bonum, et dantur in commune consilia multa, sed inutilia et vana; quia concilium vanitatis est, et totum eorum consilium de vanitate est. Suadent sumere vinum propter stomachum, somnum extendere propter cerebrum, carnem fovere ne tabescat, corpus recreare ne deficiat, abstinentiam aliquantum relaxare, quieti parumper indulgere, et in hunc modum agitur de cura corporis, cura superflua! et de vanitate ventilatur quæstio vana, et super hujusmodi inutili negotio consumitur sæpe dies integra. Sed experimento multo jam didici non credere consilio vanitatis, et ob hoc maxime, ne apponerem cor ad consilia vana, non sedi cum consilio vanitatis. Quoties enim video hujusmodi convenire consiliarios vanos, non sedeo, nec quiesco, sed mentem excutio; nunc ad operationem, nunc ad orationem confugio, dicens: *Averte oculos meos ne videant vanitatem* (*Psal.* CXVIII). *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam* (*Psal.* XLII). Nec prius cesso donec evanescat vanitas, et elucescat veritas. Bonum est ergo, Domine, non sedere cum concilio vanitatis. Bonum nihilominus non introire, sed potius declinare consortia iniquitatis. Sed, si prius non vitetur vanitas, minime declinatur iniquitas. Qui enim servit gulæ, serviat necesse est avaritiæ. Quia qui amat delicias, optat citius habere pecunias. Sed si ad amorem pecuniæ animum meum semel appono, consiliariis iniquis et iniqua gerentibus citius acquiesco, et eorum consilia libenter recipio

Adsunt subito cogitationes pravæ, assurgunt affectiones perversæ, consulunt accrescere census, quærere reditus, docent extendere prædia, erigere palatia, monent tributa regum ambire, munuscula pauperum non despicere, copulare agrum ad agrum, conjungere domum ad domum, manus habere ad prædandum porrectas, ad dandum aliquid contractas, omnia accipere, nulla erogare, hospitalitatem non amare, eleemosynas defraudare, monent dilatare fimbrias, magnificare phylacteria, extenuare faciem, extendere orationem, ut videatur ab omnibus, ut audiatur a transeuntibus, sermonem ad populum proferre, in publico lacrymas producere, fallaciter quasi ad animas lucrandas, veraciter autem ad pecunias congregandas. In hunc modum sæpe post concilium quærentium vana agitur odiosa collatio agentium iniqua, et loquentium perversa.

Digitized by Google

Sicque sæpe, dum interne quietis secretiora desero, dum exteriora cogitanda de intus exeo, circumstat me subito talium cogitationum copiosa multitudo. Nec declinare licet confabulationes talium tam iniquorum, donec intrem in sanctuarium Dei, et intelligam in novissimis eorum. Propter hæc, et hujusmodi non sedi cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Absit enim a me cum tali conventu intrare atria Domini; absit, inquam, ut cum ipsis ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Omnino cum hujusmodi iniqua gerentibus non introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam; verumtamen ipsis prius discussis vel exclusis, fiducialiter introeo nunc in Sancta sanctorum, modo intra primum velum tantum ad orationis secretum, modo etiam intra secundum ad contemplationis arcanum. Excludantur ergo prius hujusmodi phantasiæ, ne forte intus admissæ confundant orationem, præpediant contemplationem. Solent enim hanc perturbare, illam obnubilare. Intra primum velum petimus a Deo bona cœlestia. Sed quomodo illa accipimus, si proximo nostro negamus terrena? Æquum valde si volumus metere spiritualia, non dubitemus seminare nostra carnalia: *Date*, inquit, *et dabitur vobis* (*Luc.* VI). Si libenter damus, fiducialiter intremus intra primum velum petentes ut detur nobis. Intremus autem intra secundum, et dabitur nobis. Intra primum namque quasi mendicantes ad januam divinæ refectionis eleemosynam postulamus; intra secundum autem admissi quasi inter portam divitis recepti, quasdam quasi ciborum reliquias accipientes, parum quiddam de Domini suavitate gustamus, et sunt multi usque hodie qui optant divinæ dulcedinis gustum accipere, qui tamen nolunt humanitatem quam debent proximis impendere. Dari sibi cupiunt, ipsi autem dare nolunt; et quid, quæso, iniquius? Et idcirco cum iniqua gerentibus non introibo, sciens quia, si petenti non do, petens ipse non accipio. Quæcunque ergo cogitatio, vel quælibet affectio suadeat mihi avide appetere aliena, avare retinere propria, omnino eam non audio, et nisi ea discussa et amota, tabernaculum Domini non introeo, quia iniqua sunt quæ suadent, et cum iniqua gerentibus non introibo.

Sed de malignantibus, Domine, quid dicam? Scis, Domine, quia odivi ecclesiam malignantium, et cum eis sedere; quanto minus cum eis ad te intrare non possum? Quos amare nequeo, quid mirum si eorum colloquia declino? Malignantes sunt qui proximo mala quærunt, vel cupiunt. Vere malitiosam omnem voluntatem dixerim, vere malignam judicaverim, quæ me ad læsionem proximi excitat, vel ad ejus odium inflammat. Scis autem, Domine, quia sæpe lacessitus injuriis ultionem non cogito; sæpe provocatus opprobriis, dura non respondeo. Quia odivi ecclesiam malignantium, et illis acquiescere judico malignum. Cum concilio vanitatis non sedi, ecclesiam malignantium odivi. O vanitas, o malignitas! Vanitas suggerit superfluum amorem mundi. Malignitas tollere nititur amorem proximi. Habet tamen vanitas delectationem aliquam, quamvis vanam et ineptam. Malignitas nil novit nisi dolorem et amaritudinem. Quomodo putas, mentem lacerat iracundia, quantum, quæso, animum torquet invidia? Quid autem utraque malignius, quid utraque acerbius? Est igitur malignitas pœna et culpa. Duo hæc mala maxima facile mihi persuaserunt ut malignitatem non diligerem, imo illa coegerunt ut malignitatem odissem. Et jam vere odivi ecclesiam malignantium, et eam amplius diligere non possum. Quonam enim modo illud diligo in quo Deum offendo, proximum lædo, meipsum torqueo? Certe si non tangit cura proximi, parcam in hoc vel mihi: malignitas etenim semper torquet possessoris sui animum, quamvis sæpe lædere non possit suum erga quem sævit proximum.

Propter hujusmodi odivi ecclesiam malignantium. Sed cum mala sit omnis malignitas, pessima tamen est hujusmodi mali species, quæ sub specie sanctitatis suas exercet injurias. Sæpe etenim quando sævit in proximum ex vitio iracundiæ, vel veneno invidiæ, fingit sibi cogitatio quod faciat illud pro zelo justitiæ. Læsus namque quilibet a suo proximo, non jam cum facile respicere potest simplici oculo; displicet sibi quidquid ab illo fieri considerat, omni fere hora tacita apud se illum cogitatione accusat. Surgunt causæ quotidie innumeræ quæ illum culpabilem ostendunt, occurrunt rationes multæ quæ illum reum, illum puniendum esse convincunt. Crescit autem sæpe eo usque malum, ut apud Deum esse se credat reum, nisi illum severius corripiat, et de sua illum perversitate redarguet. Loquitur enim apud se hujusmodi maligna cogitatio; usquequo illum talem tolero, consentire ei comprobor si eum non corripio, consentiens autem Deum offendo. Corripiam ergo, ne Deum offendam, nihil pro mea, sed pro Dei injuria ulciscenda totum faciam, imo sic illum sibi restituam. Quid enim? proximum corripere, et eum castigare hoc non est proximo nocere, sed prodesse velle. Sic sæpe apud se loquitur cogitatio maligna, excæcavit enim eam malitia sua, et putat odium suum amorem esse, et in injuria sua justitiam exercere. Conveniunt itaque undique hujusmodi malignæ cogitationes ad mentem, et putant Ecclesiam facere, non exercitum congregare. Figunt enim se ad obsequium Dei convenire, non autem suum odium exercere velle. Quasi enim exercitum congregat qui se ad sui ultionem parat. Sed ecclesiam quodammodo cogitationum multitudo facit, quæ in obsequium Dei convenire se fingit, verumtamen jam facile illudo talem conventum, quoniam audivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.

Fateor, nondum profeci usque ad eorum odium quemadmodum testatus sum de ecclesia malignantium. Facio tamen quod possum: declino eorum consortium, et amodo cum impiis non sedebo

Digitized by Google

Nescio quo pacto nihil sic animum delectat, quomodo ut gloriari queat, cum tamen scriptum : *Et gloriam meam alteri non dabo* (*Isa.* XLVIII). Illud ergo solum præ cæteris sibi mens humana usurpat, quod alteri cuiquam Deus dare nolens sibi soli reservat. Nec sufficiunt homini tot bona naturæ, tot dona gratiæ, nisi addat etiam rapinam facere, et ut se induat, suum Dominum gloria sua spoliare. Hinc est quod semper est paratus sua peccata excusare, et in Deum suum illa declinare, dicens cum Adam : Mulier quam dedisti mihi decepit me (*Gen.* III), putans totum quod peccat de carnis vitio procedere et idcirco in auctorem ejus culpam qui eam talem fecit respicere. Econtra autem dona Dei suis meritis ascribit, et ex eis non illius cujus dona sunt, sed propriam gloriam quærit, et quid, quæso, tam impium? Mala sua scilicet Deo velle imputari, dona Dei sibi velle ascribi, quis non videat hoc quam sit impium, et quam sceleratum? Quamobrem amodo cum impiis non sedebo, sed eorum consilia declinabo, et utinam tam odissem omnem impium cogitatum, quam odivi ecclesiam malignantium! Utinam tam non affectarem unquam usurpare mihi gloriam Dei, quam me non delectat malum proximi! Verumtamen et si nondum ab effectu meo eradicare nequiverim amorem vanæ laudis, quemadmodum me profecisse credo ad odium malignantium, faciam quod potero, cum impiis non sedebo. Sed illis convenientibus ad mentem, protinus illos expugnaturus exsurgo, et amaritudine qua possum illos a mente exturbo. Sicut ergo non sedi cum concilio vanitatis, sic nihilominus cum impiis non sedebo. Sed quia non sufficit declinare malum, nisi etiam addamus facere bonum : *Lavabo inter innocentes manus meas.* Non mihi ergo satis est, Domine, quod cum concilio vanitatis non sedi, quod ecclesiam malignantium odivi, quod cum iniqua agentibus non introibo, quod cum impiis non sedebo, quia totum hoc est tantum declinare a malo. Sed ut placeam perfecte in conspectu tuo, studebo deservire tibi in opere bono. *Lavabo ergo inter innocentes manus meas.* Gemina manus, geminum est opus : opus justitiæ, opus misericordiæ. Exercebo ergo me in hoc gemino opere, ut habeam quas possim manus ad te per bonam intentionem levare. Et si forte his manibus inter agendum aliqua, ut assolet, macula inhæserit, et eas vel cœnum superbiæ, vel pulvis cœnodoxiæ fœdaverit, lavabo utique inter innocentes manus meas, et satagam in quantum potero mundare eas. Quoties enim pro sordibus operum in conspectu tuo defleo, manuum mearum maculas lacrymarum unda lavare contendo. Quidquid enim per culpam fœdatur, circo per compunctionis lavacrum diluitur. Qui vult ergo mundas manus habere, studeat eas assiduis fletibus mundare. Sed quia hoc inter bonos melius agitur quorum exemplis instruimur, quorum doctrina eruditur, quorum orationibus adjuvamur. Lavabo et ego non inter quoslibet, sed lavabo inter innocentes manus meas. Scio quia illi innocentes existant, et illi veram innocentiam servant, qui nec propriam animam lædunt per consensum pravæ voluntatis, nec alienæ nocent per exemplum perversæ operationis. Tales ergo socios habere studeo quia opera munda habere desidero.

ADNOTATIO IN PSALMUM XXVIII.

Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum. Vobis dicitur, novitii : Attendite si cupitis esse filii Dei. Vobis optio datur, in vestra electione relinquitur an transeatis in libertatem filiorum, an maneatis in subjectione mercenariorum, an potius serviatis sub conditione servorum. Quid quisque esse eligat, ejus hostia declarat. In lege præcipitur, vel docetur aliam esse debere hostiam principum, aliam sacerdotum, atque aliam esse oportere hostiam pauperum. Sic, ni fallor, alia hostia convenit filio, et alia atque alia mercenario, vel servo. Sicut diversa est conditio, sic differens debet esse oblatio. Afferte ergo Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum. Si filii estis, libenter facitis; si filii esse cupitis, oportet ut libenter faciatis. Ne appareatis vacui in conspectu Domini, afferte non quodlibet quilibet, sed filios arietum, filii Dei. Si quis tanquam ovis ad occisionem ducitur, et sicut agnus coram tondente se obmutescit, et non aperit os suum, iste profecto inter filios annumerabitur qui offerunt Domino filios arietum. Neque enim qui adhuc servus est, sufficit ad talem hostiam, magnum siquidem ei est si possit offerre turturem sive columbam. Qui enim adhuc servit sub timore, et Deum non tam diligit quam metuit, sibi sufficere videtur dummodo possit plangere et gemere, et pro præteritis delictis planctu et gemitu quasi columbino quodam cantu satisfacere. Mercenarius autem, quamvis petulantiæ et pravæ delectationis hædum anteactum in ara Domini mactet, ne mercedem amittat, non facile contingit ut in holocaustum Domini agnum agniculum immaculatum manus ejus inveniat. Nam qui potuit terrenarum opum vellera absque ulla contradictione deponere, sine persequentium odio quamlibet tribulationem libenter sustinere, inter quælibet tormenta internam pacem et cordis tranquillitatem retinere, profecto qui hujusmodi est in sacrificio Dei agnum obtulit, et ipsa sola oblatione filium se esse ostendit. *Beati* enim *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Licet ergo, ni fallor, personarum dignitatem ex eorum hostiis perpendere. Servo siquidem sufficit pro terrore gehennæ de malis pœnitere, mercenario mercedis causa a malis abstinere, filio parum est pro Domino animam in morte ponere. Ad servos itaque pertinet pœnitentia, mercenariis convenit abstinen-

Digitized by Google

tia, filiis congruit patientia. Patientiæ itaque et mansuetudinis agnos afferte vobiscum, qui speratis vel suspiratis adoptionem filiorum. Afferte ergo Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum.

Sed cur maluit dicere filios arietum, cum compendiosius dici potuisset agnos, neque enim arietes possunt alios generare filios? Sed forte voluit nos, quoties desideramus perfecta opera, habere ad Dominici gregis duces et principes, prophetas scilicet et apostolos, eorumque similes respicere, et ex eorum factis vel dictis quid facere, quid desiderare debeamus agnoscere. Qualia ex se desideria genuerunt, qualia opera habere studuerunt, talia et nos in nobis gignere et nutrire studeamus, et tunc nos absque dubio Domino filios arietum immolamus. Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum. Afferte, afferte Domino, Domino; utrumque bis ponitur, utrumque repetitur. Si vultis habere geminam stolam, duplicate hic hostiam vestram. Qui hostiam suam hic duplicare dedignatur, duplici contritione conteretur. Pro gemina hostia duplex dabitur stola. Pro stola corporis offerte hostiam bonæ actionis, pro stola mentis, date hostiam piæ devotionis. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ vero non habent quid faciant; et possunt hi quidem dominari corpori, sed non habent quid faciant spiritui, et idcirco ipsi sunt domini tantum, non domini domini. Illum ergo timete; illi munera offerte, qui postquam abstulit vitam, potest et animam mittere in gehennam. Afferte ergo Domino Domino, Domino corporum, Domino spirituum. Semel Domino, quia dominatur in tempore; secundo Domino, quia principatur in æternitate. Domino, quia cui vult donat temporalia bona, vel mala; Domino iterum, quia cui placuerit dabit æterna præmia, vel tormenta. Afferte ergo Domino, filii Dei, afferte Domino filios arietum. Congrua verborum distinctio, filii Dei, afferte Domino. Si Deus bonitatem sonat, Dominus potestatem designat; satis ex hac distinctione innuit, quia quod filii sumus, gratia est, non meritum; quod servitium exhibemus, debitum, non beneficium.

Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus. In superiori versu afferte bis ponitur, in secundo item bis positum invenitur. Primo dicitur: Afferte, afferte propter nosmetipsos; secundo afferte, afferte propter proximos: primo afferte filios arietum ad meritum; secundo afferte gloriam et honorem ad exemplum. Afferte Domino gloriam et honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus. Proximi alii sunt boni, alii autem sunt mali. Afferte Domino gloriam et honorem propter bonos; afferte Domino gloriam nomini ejus propter malos. Sic luceat lux vestra coram hominibus, et cætera. Si filios arietum offertis, si opera mansuetudinis, si desideria pietatis habetis, facile est ut de tali hostia cor elevetis. Idcirco vobis dicitur: Afferte Domino gloriam et honorem. Ac si aperte dicat: In virtutum vestrarum hostiis non vestram, sed Domini gloriam quærite. In omnibus quæ bene agitis, ejus laudem, non vestram desiderate. At hoc agite, in eo studete, ut Deus glorificetur, ut Deus honoretur. Afferte Domino gloriam et honorem. Laudibus Deus glorificatur, operibus honoratur. Si videntes opera vestra Deum laudant, et eadem operari studeant, obtulistis Domino gloriam et honorem. Si videntes mirantur, si mirantes imitantur, absque dubio obtulistis Domino gloriam et honorem. Propter bonos afferte gloriam et honorem, propter malos vero afferte Domino gloriam nomini ejus. Mali quia bona opera vestra imitari recusant, non inveniant saltem quid in eis jure reprehendant, ne forte contra Domini præceptum per vos nomen Dei blasphemetur in gentibus. Videant ergo in vobis quæ jure laudare possint, etsi bona vestra imitari nolint. Si per vos disciplina Domini laudatur, etiam ab ipsis in quibus per bonam voluntatem ipse non recipitur, obtulistis Domino gloriam nomini ejus. In bonis ergo Domino obtulistis non solum gloriam, sed et honorem; quia et laudando glorificant, et operando honorant. In malis vero saltem gloriam nomini ejus, quia ejus disciplinam laudant, quamvis eam custodire non studeant: *Adorate Dominum in atrio sancto ejus.* Superius offerre hostiam præcipimur, hic intus adorare jubemur. Prius ne intremus vacui, secundo ne stemus otiosi: ne intretis vacui, afferte Domino gloriam nomini ejus; ne sitis intus otiosi, adorate Dominum in atrio sancto ejus. Quid est adorare, nisi totum corpus nostrum ad pedes prosternere, et summum nostrum ad ejus ima inclinare? Vult ergo Propheta non solum superioribus membris Domini, hoc est prælatis, vos subjici, sed et usque ad noviesima ejus membra vos sponte humiliari. Subjecti estote modo omni humanæ creaturæ propter Deum, et absque dubio adorastis Dominum. Itaque cum hostiis intrate, ingressi adorate. Arripite arctam viam, intrate angustam portam, in habitu religionis, in voto professionis; manete in domo disciplinæ, tenete instituta regulæ. Si enim intra claustralem disciplinam vos coarctastis, in atrium Domini absque dubio intrastis. Si vero votum professionis facitis, si instituta regulæ servatis, hostias Domino admodum gratas obtulistis. Si enim in claustro viventes per omnia humiliter obeditis omnibus, vere adorastis Dominum in atrio sancto ejus.

Sed, inquit aliquis: Ecce unamaliquam congregationem e cæteris eligens, propono promittere stabilitatem corporis mei, sed timeo nimium nimiam levitatem cordis mei. Ecce promitto emendationem morum meorum, sed dura sunt instituta canonicorum. Propono tamen mores emendare, præcipue in castitate, in communione, in obedientia, si non desit gratia. Sed promittens castitatem, quomodo exstinguo libidinem? Timeo nihilominus communionem propter infirmitatem, obedientiam propter superbiam. Bene utique facis desperans de teipso, si

Digitized by Google

tamen non desinas sperare in Domino. Revela ergo Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet (scio) et ipse quidem mentis humanæ fluctuationes, et cogitationes vagas repellet.

Sed vox Domini super aquas. Si trepidas de infirmitate, sive pusillanimitate tua, cogita *quia vox Domini in virtute : vox Domini in magnificentia.* Times elationem mentis et fastus tumidos, *sed vox Domini confringentis cedros.* Si vero metuis incendia libidinis, maxime autem spiritum fornicationis, agnosce quia vox Domini intercidentis flammam ignis. Ista cogita, ista pertracta. Sed nunc redeamus ad singula. Ecce dicis quia mens tua valde levis, multum instabilis, vaga et profuga ubique se variat, undique fluctuat ; quia vult et non vult piger, consilia mutat, voluntates alternat, similis fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur. Sed qui convertit mare in aridam, facile potest præcipere ut congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, et appareat arida. Quia sæpe ad vocem jubentis Domini hujusmodi carnalium desideriorum reversæ sunt aquæ, euntes et redeuntes quoadusque siccaretur universa superficies terræ. Quoniam vox Domini super aquas, quantumlibet multas, quamtumlibet magnas. Ad voluntatis enim suæ nutum congregat eas in locum unum, et coarctat eas intra metas necessitatis, ut appareat arida, et solidetur propositum bonæ voluntatis, quia vox Domini super aquas. Sed si parum creditis verbis, credite vel exemplis. Ecce enim quantos vides te ad religionem præcessisse, et ordinis rigorem rigide tenere, prius quidem instabiles et leves, et tibi admodum similes, nunc in proposito stabiles, in bono constantes : prius mente vagos, studio vanos, nunc vero in disciplina rigidos, in religione fundatos. Sed quomodo, quæso, id fieri potuit, nisi quia Deus majestatis intonuit super aquas multas? Quid est intonuit super aquas multas, nisi perterruit mentes multipliciter vagas et multum fluxas? exsiccavit ergo in eis Dominus aquam nimiam, et convertit mare in aridam. Qui ergo exsiccavit in aliis aquas multas, non potest exsiccare tuas? Nonne et te tornitruo perterrere poterit, qui cum voluit, super illos intonuit? In illis enim Deus majestatis intonuit, terribiliter insonuit, corda perterruit, et voluntatem mutavit. Tanta autem et tam subita mentis mutatio ad divinæ vocis tonitru facta est, ut statim deserentes mundum, sequentes Christum non dubitarent cum ipso transfretare stagnum Genesareth, quamvis insurgerent et sævirent contra ipsos mirabiles elationes maris. Erat enim ventus contrarius eis, flatus videlicet diabolicæ suggestionis. Sed surgens Jesus imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Ecce enim quomodo potes videre, non jam nutant, nil jam trepidant, quin potius spiritu ferventes, spe gaudentes, unusquisque eorum exsultavit ut gigas ad currendam viam mandatorum Domini. *Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.* Aliquando enim tonat ut Deus aliquando vero intonat ut Dominus : quando minatur mala æterna, intonat ut Deus ; quando irrogat mala temporalia, tonat ut Dominus. Solus Deus donare æterna bona, vel mala potest. Temporalis etiam Dominus affligere corpora potest. Quando ergo vides quoslibet corpore sanos, corde compunctos, mundum relinquere, habitum religionis assumere, scito quia Dominus majestatis intonuit, Deus majestatis eorum corda perterruit; quando quis corporis morbo, vel rerum damno compulsus deserere cogitur vias suas pravas, agnosce quia Dominus intonuit super aquas multas. Si igitur sæpe vidisti alios corde compunctos, alios corpore afflictos lubricam vitam deserere, ad ordinem currere, religiose vivere, ad antiquæ vitæ luxus non respicere, quid est quod amplius timeas de te qui multos tui similes te vides in via Domini præcessisse? Qui super illos intonuit, qui illos perterruit, et in bono solidavit, fluctuationes mentis tuæ stabilire poterit, et reprimere cogitationes nihilominus vagas, sicut in eorum cordibus quando voluit Deus majestatis intonuit super aquas multas.

Ecce, inquis (tandem vix animatus verbis, vel exemplis), facio quod hortaris. Sed, si promitto corporis mei stabilitatem, oportet utique et tenere communionem, sed timeo infirmitatem corporis, formido pusillanimitatem cordis. Sum etenim infirmus et pusillus homo, tener et delicatus, utpote in terra suaviter viventium educatus, qui mollibus vestiuntur et epulantur quotidie splendide. Infirmus omnia fastidit, parvulus nova semper concupiscit. Communionem itaque tenere quomodo potero, qui quod alii habent semper fastidio, quod alii habere nequeunt avide concupisco? Herbarum radices, et quæque vilissima pro deliciis summis computo, tantummodo cæteri non habeant : quaslibet regum epulas nauseo, si mecum omnes in communem participant, et ut quod sollicitat mentem meam totum tibi plenius exponam, cor quam corpus magis deficit, virtute exili, sensu exiguo animus tabescit. Concedo, quia virtus tua exilis, vel nulla ; prudentia parva.

Sed vox Domini in virtute ; vox Domini in magnificentia. Recte quidem qui infirmus est desperat de sua fortitudine ; speret tamen de Domino, quia vox Domini in virtute. Qui sensu coarctatur, non præsumat de sua prudentia ; sensum autem suum a Domino dilatari postulet, quia vox Domini in magnificentia. Postulet autem in fide qui indiget sapientia, ab eo qui dat omnibus affluenter et non improperat. Noli timere, pusille grex ! Dominus virtutem populo suo dabit, quia vox Domini in virtute. Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem ; quia vox Domini in virtute. Et si forte jam accepisti fortitudinem, et forte Dominus præcinxit te virtute ad bellum, et induit decori tuo virtutem, sed es adhuc sensu exiguus, et minor ad intellectum judicii et legum, scito quia ad petitionem tuam crescere te faciet Dominus meus sicut arenam maris, et dabit tibi de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam, ut alia capias per intelligen-

Digitized by Google

tiam, alia erudiaris per experientiam; hinc hauriens de rore contemplationis, illinc instructus ex assiduitate perfectæ operationis, et tunc in tanta rerum abundantia crescens, fias magnus, utpote inter deliciarum copias incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dilataberis autem ad Orientem et ad Occidentem, Septentrionem et Meridiem, ut plene cognoscas, et perfecte scias quid sit sperandum, quid timendum, quid odiendum, quid amandum, et dabit tibi Dominus latitudinem cordis sicut arenam quæ est in littore maris ut tanta sit copia cogitationum bonarum quanta fuit prius multitudo inutilium et vanarum, cum adhuc cor tuum juxta hoc mare magnum mundi hujus per desiderium requiesceret, et amore nimio nimis inhæreret. Dilatato autem corde, cogitationes bonæ et sancta desideria cordis super arenam maris multiplicabuntur, et occurrent sponte cogitationes bonæ, sicut prius malæ sine studio nostro per se oriebantur, et tunc temporis capillus de capite vestro non peribit, quia nec una saltem bona cogitatio coram Deo in oblivionem venit, si tamen sit de capite, et descendat de ratione, vel procedat de recta intentione. Credo autem quia hanc admirabilem commutationem dexteræ Excelsi admirantes, ac obstupescentes de te tuique similibus, tunc dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis. Et vere utique magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes, quia vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Sed dicis adhuc. In ordine quidem non solum observantur dura, sed et præcipiuntur indigna.

Huc accedit quod sortiuntur prælationem sæpe personæ viles et penitus contemptibiles, homines stulti et ignobiles, et in terra penitus non apparentes. Sufficeret ad malum ut indigni saltem indigna minime præciperent, vel qui abjecta imperant, saltem illi abjecti non essent. Nunc autem ad cumulum mali viles vilia cum auctoritate præcipiunt, et præcipiendo non rationem, sed beneplacitum suum attendunt. Quando, putas, ego hæc pati potero homo ingenuus, et litteratus, arte strenuus, ingenio clarus ? Quando talibus ad talia cor meum inclinabo, vel quando inclinare potero ? Gero siquidem cor durum ut lignum, erectum ut cedrum, animum impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani. Ad hæc breviter respondeo, quia : *Vox Domini confringentis cedros*, et facile reprimit animos elatos, et cito inclinare potest fastus tuos. Fateor quidem quia difficile est valde, imo impossibile camelum per foramen acus transire, cor arrogantia tumidum obedientiæ angustum sponte penetrare. Sed quæ impossibilia sunt apud homines, apud Deum possibilia, imo facilia sunt. Omnia enim quæcunque voluit fecit in cœlo, et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Ubi invenit cor intelligentia lucidum ut cœlum, ubi reperit mentem firmam ut terram, si vidit cor amarum et instabile ut mare, si aspexit animum tenebrosum ut abyssum, semper et ubique quidem omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, et non solum ad vocis suæ tonitruum, sed sæpe ad aspectum suum, sæpe ad ingressum contrivit montes arrogantiæ, incurvavit colles superbiæ, et quoties voluit, depositi potentes de sede. Ad aspectum, inquam, quia aspexit et dissolvit gentes, et contriti sunt montes sæculi. Ad introitum etiam, quoniam ad ingressus Dei mei, Regis mei qui est in sancto, incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus. Ad vocem autem Domini sæpe confractæ sunt elationum cedri, quia *vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani*. Aliud est confringere cedros, et aliud est confringere cedros Libani. Neque enim in Libani monte crescunt, vel crescere possunt omnes cedri. Ergo aliæ cedri crescunt in Libano, et aliæ in quolibet monte alio. Libanus *decandidatio* interpretatur. Vis scire quæ sit ista decandidatio? Sanctorum justificatio ipsa est, eorum dealbatio. Joannis apostoli est ista sententia, non mea : *Byssinum*, inquit, *sunt justificationes sanctorum* (*Apoc.* XIX). Doce me ergo, Domine, justificationes tuas, et super nivem dealbabor. Hujusmodi colore, vel candore superducta erant vestimenta illa Domini mei Jesu, vestimenta illa candida ut nix (*Marc.* IX), qualia non potest facere fullo super terram. Sed potest hoc fullo cœlestis, qui a summo cœlo egressio ejus. Mentior si ipse idem non promittit, ubi peccatores admonens ait : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, velut nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt* (*Isa.* I). Utilis admodum hujusmodi fullonis, grata ejus decandidatio, quia bona justificatio. Talis decandidatio cum excreverit in montem, et attolli cœperit super aliorum montium celsitudinem, cum se quis jam singulariter magnum putaverit, et cæteris quibuslibet sanctiorem se esse crediderit, facile de se gignit magnas magnarum elationum cedros, cum se quadam virtutum prærogativa supergredi arbitratur cæteros. Sed potens est Dominus non solum conterere montes sæculi, sed facile etiam cum voluerit, confringet Dominus cedros Libani. Alia est superbia quæ surgit de sæculi vanitate, at alia est illa quæ nasci videtur quasi de adepta sanctitate. Illam designant cedri, istam autem cedri Libani. Noviter venisti de sæculo; superbis adhuc fortassis pro litteris tuis, vel forte pro pecuniis tuis; jactas te forsitan pro nobilitate generis; attolleris forsitan pro habiti dignitate honoris : tales talium elationes cedri quidem sunt, sed cedri Libani non sunt; quia de vanitatis nigredine, non de sanctitatis decandidatione surgunt. Sed statim in primordiis bonæ conversationis tuæ, confringet Dominus sæcularium pomparum cedros; quia vox Domini confringentis cedros, et si forte postmodum, ut fieri solet, post virtutum opera quasi de perfecta justificatione surgant quædam magnarum elationum cedri, addet Dominus et illas confringere, quia confringet Domi-

Digitized by Google

nus cedros Libani, et idcirco pro illis ponit præsens, non futurum; de cedris vero Libani loquens futurum ponit, non præteritum. *Vox*, inquit, *Domini confringentis cedros et confringet Dominus cedros Libani.*

Vis adhuc melius nosse quæ sunt cedri Libani, quas confringere sufficit sola vox Domini? Ecce quis forte parum aliquid jejunavit, paulo plus cæteris vigilavit, lacrymam in oratione fudit: incipit statim se sanctum credere, cæteros in sui comparatione despicere, patrum præcedentium institutis suas adinventiones præferre. Miratur sæpe apud se, cur miracula non faciat, indignatur aliis quod in eis prælationem non accipiat, quod in majori reverentia non habeatur, aliorum invidiæ, non suæ inertiæ deputat. Quod pallidam faciem, non quam politam mentem gerat attendit; imo sæpe cum sese fœdis titillationibus perturbari, et immunda delectatione fœdari persenserit, non propter suam negligentiam, sed quasi ad humilitatis custodiam, hæc se perpeti fingit. Unde fit ut contra libidinem quasi humilitatis custodem non evigilet, et humilitatem putat, quod se turpiter fœdari non timet, et nescit quam sit detestabilis superbia quod in tanta putredine non se peccatorem, sed alterum Paulum reputet, quasi cui datus sit angelus Satanæ, stimulus carnis suæ ut eum colaphizet, ne eum multitudo virtutum, vel magnitudo revelationum extollat. Fitque miro, imo miserabili modo, ut sic superbiat, ut tamen luxuriare non desinat; sicque luxuriet, ut tamen superbire non desistat. Quis, putas, sufficit conterere cedros hujusmodi, nisi ille ad cujus vocem confringuntur cedri, qui, cum voluerit confringet etiam cedros Libani? Et ut amplius mireris: *Comminuet, ut vitulum Libani.* Vere hæc est mutatio dexteræ Excelsi, rigorem cedri conterere ad similitudinem vituli Libani, et quælibet tumida corda inclinare ad imaginem humilitatis Christi. Quomodo putas, attritus est propter scelera nostra, non propter peccata sua. Vitulus ille singularis veniens a Libano, de monte umbroso et condenso; quia a summo cœlo egressio ejus et occursus ejus usque ad summum ejus, ubi splendet candor lucis æternæ: unde egrediens traxit secum splendorem justitiæ; quo regrediens, mortalitate deposita, induit nitorem gloriæ; quomodo, inquam putas, comminutus est vitulus ille, nisi quomodo scriptum est: *Quia cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo* (*Philip.* II). Qui tradidit semetipsum pro nobis, factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Attende, quæso, magnitudinem humiliationis, immensitatem attritionis. Tormento crucis nihil acerbius, morte crucis nihil ignominiosius. Huc accedit quod patitur sponte sua, adde illud adhuc quod moritur sine culpa propria. Audiat, quæso, quomodo inclinari debeat qui se ut vitulum Libani comminui desiderat. Asperrima, vilissima, sponte sua, etiam sine culpa sustineat. Nunquam hæc tamen aliquis de sua virtute posse præsumat. Speret hæc tamen de pietate Domini, cui, suppetit cum voluerit comminuere quaslibet cedros Libani. Quoties ergo videris quoslibet prius de sua correptione furentes, postea in tribulatione gaudentes; prius lætari in explendis suis desideriis, postea gloriari in infirmitatibus suis; prius laudibus suis inflari, postmodum libenter pro nomine Jesu contumeliam pati, scire potes quia comminuit eos Dominus ut vitulum Libani, talem et te exhibere oportet si inflectere cupis rigorem cedri, et humiliari te vis juxta formam humilitatis Christi. Sed ipse te melius docet quam ego. Audi quid dicat, et imitari memento: *Quia descendi de cœlo*, inquit, *non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris* (*Joan.* VI). Ipse voluit facere voluntatem suam, et tu satagis implere voluntatem tuam. Pater tuus prælatus tuus; Christus qui venit, quæsivit implere voluntatem Patris sui, et tu studeas facere voluntatem prælati tui. Ecce vix tandem vitulum invenimus quem in holocausto Domini mactare debemus. Nihil itaque flagrat Domino in odorem suavitatis quam si mactetur Domino vitulus propriæ voluntatis.

Interest tamen utrum sit de Libano, an de Carmelo? Alii sunt vituli qui pascuntur in vertice Libani, atque alii qui nutriuntur in pascuis Carmeli. Vitulum Carmeli nutriunt, qui voluntatem suam non deserunt in rebus adhuc carnalibus; vitulos Libani pascunt, qui voluntatem suam sequuntur in studiis spiritualibus: iste quærit lautiores cibos quam cæteri; vitulum suum impinguat de feno Carmeli. Ille abstinere volens, dedignatur comedere quod cæteri, vitulum suum nutrit in pascuis Libani. Iste forte cupit vestem molliorem: ille usurpat sibi forte præ cæteris habitum hispidiorem, uterque pascua quærit suo vitulo: sed hic de Carmelo, ille de monte Libano. Denique quidquid propter mollitiem mentis, et teneritudinem carnis agitur, ad Carmelum pertinere videtur; quia Carmelus *molle*, vel *tenerum* interpretatur. Quidquid autem quasi pro sanctitate supra ordinis institutum, vel contra prælati consilium insolenter præsumitur, inter armenta Libani juste annumeratur. Væ vobis qui confiditis in vitulo Samariæ, qui tanto studio servitis voluntati propriæ. In Judæam venistis, ut quid ad Samariam descendistis propriam voluntatem custodientes et excusantes? An nescitis quia Judæi non coutuntur Samaritanis? Prius a sæculo venientes proprias voluntates vestras confidentes damnabatis; nunc ab illo priore fervore deficientes, proprias voluntates quæritis, custoditis, defenditis. Sic, sic de Judæis Samaritani facti estis. In Judæa vitulus propriæ libertatis Domino mactatur, in Samaria pro Deo adoratur. Si in Judæa es, vitulum in sacrificio Domini interficis; si in Samaria es, vitulo tuo omnibus viribus tuis servis; si carnis curam in desideriis agis, vitulum tuum de feno pascis; quia omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. In

Digitized by Google

hoc gloriaris si desideria tua perficis. Non est bona gloria tua. Nonne multo melius, nonne multo rectius ut qui gloriatur in Domino glorietur? An nescitis quia hæc est gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ? Sed mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum.

Sed quid fiet, quæso, de carnibus hujus vituli, quando nec saltem placere potest vitulus Libani, nisi forte diligenter comminuatur, quemadmodum decet victimam holocausti. Sed quonam, inquis, modo illum comminui oportet? Hoc te Moyses quam ego melius docet: prius illum jubet per frusta dividere, postea suppositum flammis in cinerem redigere (*Exod.* xxix). Quomodo, quæso, illum subtilius unquam comminuimus, quam cum prius per frusta divisum, per ignem postea in tenuem pulverem redigimus? Vitulus noster in Libano pascitur, si voluntatem nostram non nisi in rebus honestis sequimur. Vitulum nostrum mactamus, cum obedientiæ amore omnem singularitatem abdicamus, vitulum autem nostrum secare, est de præsumpta libertate mentem increpare. Sed hunc usque ad frusta dividit, qui quæque singularitatis suæ opera diligenter distinguit, et se in singulis de præsumptionis audacia reprehendit. Tunc autem nihil amplius superest, nisi ut igne compunctionis, vel flamma divinæ dilectionis eousque concremetur quousque omnis hujus arrogantiæ voluntas sopiatur. De hujusmodi holocausto quasi quidam adhuc cogitationum cinis remanet, qui omnino a nostra recordatione perire non debet, quia utiliter satis suas quisque præsumptiones reminiscitur, quando in earum recordatione conscientia humiliata confunditur. Sed ecce dum vitulum nostrum diligenter tractare, et juxta legis præceptum comminuere volumus, paulo longius digressi sumus.

Restat illud adhuc addiscere in fine sermonis nostri, quæ sit differentia inter cedros Libani, et vitulos Libani. Per vitulos Libani accipimus præsumptiones arrogantiæ, per cedros intelligimus fastus superbiæ. Arrogantia est supra se aliquid præsumere. Superbia est de sua etiam præsumptione intumescere. Toties itaque vitulos in Libano nutrimus, quoties supra virium modum (quamvis bona intentione) præsumimus. Tunc cedri quasi de Libano urgunt, cum de nostris operibus bonis elationum fastus se in altum attollunt. Sub talium cedrorum umbra vituli delectabiliter depascunt, dum pro adipiscendo sanctitatis nomine in tantis laboribus non lassescunt. *Et comminuet eos tanquam vitulum Libani, et dilectus, quemadmodum filius unicornium.* Ergo non solum Dominus comminuit cedros, tanquam vitulum Libani, sed *et* iste *dilectus quemadmodum filius unicornium.* Sed quis est iste dilectus, vel quorum dilectus? Non dicit horum, vel illorum, idcirco fortassis ut intelligamus dilectum omnium, quemadmodum, cum Dominus dicitur, intelligitur ille qui est Rex regum, et Dominus dominantium. Quis ergo est iste singulariter dilectus, et singulorum dilectus. Sed quis alius hoc erit, nisi ille speciosus præ filiis hominum, qui pro incomparabili pulchritudine sua omnibus se admirabilem ostendit, et amabilem facit? Vultis videre quomodo sit omnium dilectus? Audi quid dicat de eo Pater ejus; attende quod pro eo clamet sponsa ejus: vox Patris ad dilectum: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III); vox sponsæ de dilecto. *Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum ut annuntietis ei, quia amore langueo* (*Cant.* V); et de angelis scriptum est: *In quem desiderant angeli prospicere* (*I Petr.* I); et item de hominibus legitur: *veniet desideratus cunctis gentibus* (*Agg.* II). Ergo dilectus iste dilectus est Patris sui, dilectus sponsæ suæ, dilectus hominum, dilectus angelorum, dilectus omnium, dilectus singulorum. Patet ergo quia veram dilectionem non habet, qui hujus dilecti dilectione non ardet. Audivimus quorum dilectus, audiamus adhuc quemadmodum, vel quantum dilectus: *Et dilectus*, inquit, *quemadmodum filius unicornium.* Sed quid est quemadmodum filius unicornium? An forte hoc genus animalium præ cæteris omnibus diligit fetum suum, ut paratior sit unicornis pro fetu suo perire, quam fetum suum perdere, ut malit pro ipso mortem incurrere, quam ipsum vel vivum amittere? Sed quis hoc de dilectoribus Christi non videat, quomodo eos pro Christi nomine mori delectat? Testis sit tantus ille effusus sanguis martyrum quomodo Christus sit dilectus quemadmodum filius unicornium. Nam ipsi ejus dilectores, ipsi utique sunt unicornes; et ipse eorum dilectus, eorum quidem est filius, et idcirco vero dilectus; quia veraciter filius, et diligitur ab eis quemadmodum filius unicornium, quia diligunt eum quemadmodum decet eos diligere filium suum.

Cur autem eos Scriptura sancta unicornes dicit, ratio manifesta occurrit. Homo ante peccatum geminam fortitudinem quasi geminum cornu accepit, quia ad repellendum peccatum et ad removendum incommodum gemina virtute munitus fuit: una fuit integritas corporis, alia fuit integritas mentis. Integritatem carnis accepit contra miseriam, integritatem mentis contra malitiam. Illam contra mortalitatem, istam contra iniquitatem. Congressus cum diabolo quia per negligentiam cecidit, in ipso casu diabolus unum ei cornu excussit, alterum ei inclinavit. Quia enim mortem homo nulla ratione evitare potest, quasi altero cornu penitus nudatus est. Sed quia libero arbitrio penitus privari non potuit, dextrum quodammodo cornu non perdidit; sed tamen inquantum infirmatum, in tantum inclinatum gerit, et idcirco si qui erant post primum lapsum qui peccato resistere volebant, facile eorum adversarius de eis triumphabat. Sed misertus tandem hominum visitavit nos Oriens ex alto. Visitavit ergo, et fecit redemptionem plebis suæ; et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. Quia igitur unum tantum cornu deinceps, sed erectum portant, mortis quidem supplicia patienter tolerant, sed peccata quasi quosdam animæ hostes

Digitized by Google

fortiter impugnant, ut non regnet peccatum in mortali corpore eorum. Hinc est quod fiducialiter psallunt dicentes illi a quo cornu acceperunt : *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis* (*Psal.* XLIII). Accipiunt itaque interim cornu salutis, accepturi quandoque cornu securitatis, ut tunc gemino cornu polleant, qui nunc in uno fortiter pugnant et gloriose de hoste triumphant, ut tunc habeant quo sint a peccato liberi et ab omni pœna securi, cum suam in eis promissionem impleverint, qui eis nunc cornu salutis erexit. Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi. Vides ergo quomodo quantum ad præsens spectat, ubique nonnisi de uno cornu agitur, unde et justus quisque unicornis dicitur, cui tamen quandoque cornua non tantum erigentur, sed etiam exaltabuntur. Et non solum erigentur ad illam celsitudinem quam accepit homo adhuc probandus, sed exaltabuntur ad illam sublimitatem quam habere debet homo glorificandus: Prima namque hominis fortitudo vel virtus fuit posse non mori, et posse non peccare; novissima autem erit non posse mori et non posse peccare, quando mors absorpta jam erit in victoria, et ipse homo sublimatus in gloria : de cætero jam erit confirmatus in bono, et confirmatus in gaudio. Ecce quomodo unicornes sunt, sed unde talem filium habere potuerunt? Unde, inquam, habent talem filium ut veraciter dicatur esse filius unicornium. Interrogemus ipsum eorum filium : *Quicunque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, et mater est*, (*Matth.* XII). Quid est Filius Patris nisi virtus et sapientia Patris? Verbum Patris Filius Patris, voluntas Patris. Item voluntas hominis quid aliud est quam quædam proles mentis? Si igitur eadem est voluntas tua et voluntas Patris, idem est filius tuus et Filius patris. Veritas, sapientia, voluntas corde concipitur, et ex corde generatur. Si igitur idem vis, idem sapis quod pater; eumdem Filium habes quem Pater.

Miraris. Est adhuc quod amplius mireris. In te est utrum sis pater, an mater, an potius utrumque pater et mater. Potes eum gignere in corde tuo, et in corde alieno, et potes eum concipere a corde tuo, et ab ore alieno. Intellectu gignitur, consensu concipitur, affectu nascitur, effectu nutritur. Quando veritatem intelligis, vel alium intelligere facis, Christum gignis. Quando veritas tibi a te, vel ab alio persuadetur, Christus veraciter concipitur. Ergo quando gignis, es pater; quando concipis, es mater. Nosti voluntatem Dei; consensisti ei, et concepisti. Amando parturias, operando nutrias. Vide quod in potestate cujusque relinquitur, utrumnam tantæ prolis mater efficiatur. Merito ergo maledicta sterilis, et quæ non parit, quæ talem filium pro voto habere potuit. Cur, putas, similiter non maledictus qui non gignit, sicuti maledicta sterilis et quæ non parit, nisi quia non æque in nostra potestate consistit veritatem intelligere et veritati consentire : Non enim semper veritatem intelligo cum volo, intellectæ autem semper consentio si voluero. Felix homo est cui præsto est cum voluerit habere filium, nec qualemcunque, sed Deum. O quanta dignitas hominis filium habere Deum majestatis! Audi, homo; ausculta, o homo! Tandem erige spem, exhilara faciem. Si confunderis de patre tuo, confide tamen de filio tuo. Si erubescis in parente, exulta in prole. Si contristaris in Adam primo, congratulare in Adam secundo. Major hic ad erigendum quam ille ad dejiciendum. Per illum ejectus a paradiso, per istum glorificandus in cœlo. Intuemini quantus sit gloriosus iste, et homo est, et quis cognoscet illum? Homo, inquam, et hominis filius, verumtamen quis cognoscet illum? Quid putatis, quem dicunt homines esse filium hominis? Respondeat Petrus unus, pro omnibus : *Tu es Christus, Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI). Christus se dicit filium hominis, Petrus eum dicit Filium Dei Patris. Res mira, et admiratione digna ut unus idemque sit Filius Dei vivi, et filius hominis morituri, dicam, an mortui? Nam si mortuum negamus, quomodo illud stabit quod legimus? *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* II). Sed forte tunc incipit vivere, cum incipit talem filium habere. O quanta humilitas Omnipotentis, o qualis sublimitas hominis! Deum habere hominem patrem, humilitas incomparabilis! Hominem habere Filium Deum, sublimitas inæstimabilis! O quam recte diligitur iste tam humilis, tam altus, vere singulari amore dignus iste noster dilectus! Dilectus hominum, dilectus angelorum, dilectus omnium, dilectus quemadmodum filius unicornium.

Nunc autem illud quærendum restat, cur postquam dixit : *Confringet Dominus cedros Libani*, postea addat, et *dilectus quemadmodum filius unicornium*. Idem enim est Dominus, et dilectus quemadmodum filius unicornium, ac si dixisset Dominus ac Christus ejus. Sed dicto, confringet Dominus, quid addi oportet et Christus ejus, cum sit unus atque idem Dominus, non solum Pater et Filius, sed et Spiritus sanctus? Nonne quæcunque Pater facit, hæc et Filius facit similiter; et tamen in pluribus Scripturæ locis talem distinctionem invenire poteris, ut est illud : *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus* (*Psal.* II). Quid ergo dicemus? Sed scimus quia Christus in eo quod unum atque idem est quod Pater, idem atque eodem modo operatur quod Pater. Sed quid mirum esse debet si in quo aliud est quam Pater, alium modum operandi habet quam Pater? Si similiter agit ut Pater in sua divinitate, in qua similis est Patri, quid mirum si dissimiliter operatur quam Pater in qua dissimilis est Patri? Quod autem secundum aliquid dissimiliter operatur, manifeste, ut arbitror, ex tali distinctione innuitur, cum dicitur : *Confringet, Dominus cedros Libani, et comminuet eos tanquam vitulum Libani, et dilectus*

Digitized by Google

quemadmodum filius unicornium. Confringet, et comminuet cedros, ut diximus, non solum Dominus, sed et iste suus, vel noster dilectus. Quid est cedros confringere vel comminuere, nisi superbæ mentis rigorem conterere vel altitudinem inclinare ? Sed Dominus absque dubio; et nihilominus dilectus omnem arrogantiam, quando vult, humiliat; quantum vult, inclinat. Sed facit hoc Dominus terrore suæ majestatis: sed dilectus hoc facit exemplo suæ humilitatis. Dominus, utpote Dominus, in severitate, dilectus ut dulcis et suavis, in suavitate, et tamen uterque unus et idem dulcis et rectus Dominus, suavis et mitis omnibus invocantibus eum. Quando ergo quis, Domini considerata potentia, in conspectu tantæ majestatis altum sapere erubescit, et aliquid contra ejus voluntatem præsumere pertimescit, absque dubio in ejus corde Dominus elationum cedros confringit. Alius, visa dilecti nostri mira humilitate, confunditur superbus apparere, cum videat Dominum majestatis formam servi accipere, legem implere, hominibus obedire, improperia hominum, crucis probra patienter sustinere. Quando ergo quis, viso Dominicæ humilitatis exemplo, in sua præsumptione confunditur, et ab omni altitudine pristini tumoris dejicitur, patet procul dubio quod dilectus iste cedros male rigidæ mentis confregit, et tanquam vitulum Libani (hoc est ad similitudinem sui) comminuit. Recte ergo dicitur: *Confringet Dominus cedros Libani, et confringet eos tanquam vitulum Libani, et dilectus quemadmodum filius unicornium.*

Vox Domini intercidentis flammam ignis. Alius est ignis quem venit Jesus in terram mittere, alius quem venit in terra exstinguere. De cœlo veniens, cœlestem ignem secundum detulit. Ad terram veniens, terrenum ignem invenit. Omnis amor ignis est, sed non omnis amor bonus est. Est amor licitus, et est amor illicitus; et licitus amor bonus est, et qui licitus non est, bonus amor non est. Amor itaque bonus, ignis est bonus; et amor malus, ignis est malus. Ignis bonus, ignis charitatis, ignis malus, ignis libidinis. Ignis bonus erat de quo Jesus dicebat: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat ?* (*Luc.* XII.) Ignem ergo bonum venit accendere, ignem vero malum venit exstinguere. Idcirco per Moysen prohibet ne offerant ignem alienum super altare suum (*Levit.* X). De suo autem igne præcipit ut semper ardeat in altari suo. Amat ergo ignem suum, odit autem ignem alienum. Igne suo ardebant qui dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis cum loqueretur nobis in via?* (*Luc.* XXIV.) Tali igne ardebant qui Spiritum sanctum in igneis linguis acceperant, quia ipse Spiritus sanctus ignis est non comburens, sed illuminans; et idcirco rubus ille quem Moyses intuebatur ardebat, et non comburebatur. Sed ignis malus et alienus econtra consumit, non illuminat: *Ignis est enim*, ut ait Job, *usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina, ardens usque ad inferni novissima, et montium fundamenta comburens* (*Job* XXXI). Flammam tamen hujus ignis Dominus cum voluerit, intercidit, cum placuerit, penitus exstinguit. Quod autem quandoque intercidat ut in parte ardeat et in parte deficiat, hoc Scriptura manifeste ostendit cum dicit: *Vox Domini intercidit flammam ignis* (*Psal.* XXVIII). Quod autem aliquando hujus ignis flammam exstinguat, alia Scriptura evidenter declarat ubi legitur: *Angelus autem Domini descendit in fornacem, et excussit flammam ignis, et fecit medium fornacis quasi ventum roris stantem* (*Dan.* III). Videsne quomodo ibi dicitur excussisse, hic promittitur intercidere. Sed cur hic quemadmodum et ibi non exstinguitur ? Forte quia pueri erant quibus rogus ille paralatur; sed forte pueri non erant quibus David loquebatur. Nondum plene conversi erant, et effecti ut parvuli. Sed erant adhuc in oculis suis magni, et erubescebant adhuc humiles videri. Sed ut illud quod in eis pro elatione timet exsiccetur, flamma ignis in parte aliqua reservatur; et iterum ne flamma incendii usque ad consensum parvitatis eos rapiat, et quodammodo quasi in cinerem redigat, flamma ipsa ex majori parte abscinditur et exstinguitur. In parte ergo ardet utiliter hæc flamma ad custodiam humilitatis, et in parte magna nihilominus salubriter exstinguitur ad cautelam turpitudinis. Sic Paulo datus est stimulus carnis suæ ut eum colaphizaret ne eum magnitudo revelationum extolleret. Videsne quomodo hoc ipsum ad nostram utilitatem agitur, quod hæc flamma ad tempus in parte reservatur. Sed cum quis plene conversus fuerit, et effectus ut parvulus, et perfectam puritatem adeptus, forte, tunc tempus erit ut exstinguatur, sicuti in tribus pueris illis, quia pueri erant, quia pueri fuerant, exstincta fuisse legitur et creditur. Puer enim a puritate dicitur, et qui purus est, recte puer appellatur.

Et est alia puritas mentis, alia puritas oris et alia puritas actionis. In corde simplicitas, in ore veritas, in opere sinceritas. Hos igitur tres pueros habere credimur, cum sanctum est quod meditamur, verum quod loquimur, justum quod operamur. O felix nimium et Deo nostro grata societas horum trium puerorum propter unam puritatis concordiam in voluntate, sermone pariter et actione. Videt hoc rex Babylonius, et invidet, et prius quidem ad adorandam statuam suam auream compellit, sed adorare detrectantibus fornacis incendium parare jubet. Facile enim eorum sanctitatem deridet, et despicit, si eos ex sua sanctitate in superbiam erigere possit. Quid est enim statuam auream adorare, nisi superbiæ et vanæ gloriæ in talibus studiis deservire? Tunc eos in regno suo libenter patitur, cum eorum studia elationi militare intuetur. Sed cum videt ab eis statuæ suæ altitudinem et aurum despici, et inter miranda quæ gerunt omnem elationis gloriam derideri, jubet fornacem accendi, et rogum eis incendii parari. Quos enim non potest superare per gloriam elationis, superare se posse sperat per flammam libidinis. Rex Babyloniæ est ille qui est

Digitized by Google

rex super omnes filios superbiæ. Ministri quos ad tale opus dirigit, sunt deceptorii illi spiritus, quos Scriptura sacra spiritus fornicationis appellare consuevit. Ab his fornax accenditur, quando caro nostra ardore libidinis inflammatur. Accensa fornace pueros ligant; in fornacem projiciunt. Pueri extra fornacem inveniuntur, quia studiis spiritualibus, et cœlestium contemplationi intenti pene se in carne esse obliviscuntur. Hos enim pueros est quodammodo extra carnem esse, nil corde, nil, lingua, nil manu carnale tractare. Sed tunc quasi ligantur, quando tentationibus depressi a suis studiis præpediuntur; tunc velut intra fornacem sunt, quando, stimulis carnis fatigati, nil aliud cogitare, plangere, vel flere possunt. His angelus Dei in adjutorium venit, quia divina protectio fideles suos nunquam in certamine deserit. Ab his flamma ignis excutitur, quando divina virtute ardor libidinis exstinguitur. Medium fornacis angelus quasi ventum roris flantem efficit et puerorum linguam in laudem Creatoris resolvit. Medium fornacis est intimum cordis; flante ergo Spiritu sancto, cœlesti rore perfunditur, et ex divina inspiratione conscientia tota refrigeratur. Pueris liberatis Chaldæos flamma succendit, quia cum bonis prævalere non possunt, insidiantes malignos invidiæ flamma consumit. Ecce quomodo testimonia prophetarum invicem sibi concordant. Prius in Daniele elatio in aureæ statuæ despectione calcatur, postea in fornacis refrigeratione flamma libidinis exstinguitur. Ita et hic prius cedri franguntur; postea flamma ignis interciditur. Nam si prius non flectitur rigor elationis, absque dubio non exstinguitur flamma libidinis. Hoc autem inter hanc et illam lectionem esse videtur, quod illic flamma tota excussa variatur; hic per David intercidenda promittitur. Sed quia incipientes, et imperfectos psalmus iste instruit, istis maxime quibus loquitur ejus promissio convenire debuit. Possumus tamen hanc litteram sic exponere, ut possit incipientibus, et proficientibus, et perfectis pariter congruere. Nam utrobique quidem flamma interciditur, quando vel ab ipsa pars ejus aliqua dividitur, vel tota a suo fomite separatur. Et scimus quidem quia flamma quæ a suo fomite separata est, nec ad horam saltem perdurare potest. Videamus itaque prius quomodo hæc flamma augmentetur, et tunc facile erit agnoscere quomodo per partes abscinditur.

Notandum tamen quod non ignem exstinguere, sed ejus flammam promittit intercidere, ignem enim istum, quandiu vivimus, hoc est peccati fomitem intra nosmetipsos habemus, sed non æque ejus semper flammam sustinemus. Tunc enim hic ignis in flammam prorumpit quando æstibus carnalis incendii nos urit. Primo ergo titillat carnem, secundo delectatione turpi coinquinat mentem. Tandem per consensum pravitatis subdit sibi rationem. His itaque gradibus sulphurea illa flamma libidinis crescit, sed eisdem quidem gradibus (converso tamen ordine) ad vocem jubentis Domini decrescit. Primo namque vox illa Domini intercidentis flammam ignis in incipientibus, et noviter conversis intercidit quidquid inclinare posset consensum rationis. In proficientibus autem sæpe aufert illicitam delectationem mentis. In raris autem et valde perfectis removet etiam titillationem carnis. Multi tamen quamvis ad summam perfectionem profecerint, stimulum carnis suæ exstinguere non potuerunt, sed divina hoc dispensatione in eis actum est quam quidem quid unicuique utilius accidat latere non potest: et in aliis quidem fiebat ad demonstrationem singularis eorum fortitudinis; quia tales erant qui semper pugnare assidue, et triumphare sufficerent. In aliis autem ad custodiam humilitatis, quando singulare aliquod bonum præ cæteris aliis omnibus acceperant. Quia igitur in pœnitentibus destruit actum turpitudinis, in conversis consensum voluptatis, in proficientibus contagium fœdæ delectationis, in perfectis quibusdam motum titillationis, recte hic dicitur: *Vox Domini intercidit flammam ignis.* Sciendum tamen est quia sicut nullus in hac vita hoc igne perfecte caret, sic nullus est qui ejus flammam semper sentiat. Quis enim fomitem peccati hic plene destruere potuit, vel quis unquam æstum libidinis sine cessatione sustinuit? Multum est itaque hunc ignem sopire, et ejus flammam exstinguere. Non est utique in potestate hominis, valet hoc sola vox Domini intercidentis flammam ignis.

Vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades. Hucusque roboravit contra genera tentationum. Abhinc promittendo enumerat dona gratiarum, quasi coronam post victoriam, præmium post meritum, triumphum post trophæum. Dicit ergo vox Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades. Unum videtur exhibere, aliud sub exspectatione promittere. Hoc quod dicitur concutientis desertum, exhibentis est, quod additur commovebit desertum Cades, hoc est utique promittentis. Primum ergo statim datur, illud secundum exspectatur. Tale fuit illud superius, vox Domini confringentis cedros, et confringet Dominus cedros Libani.

Sed et hoc quoque notandum quod sicut ibi prius franguntur cedri, postea autem cedri Libani, sic et hic prius concutitur desertum, postea desertum Cades. Ecce quomodo ubique prius ponitur quod pertinet ad inchoationem, et aliud promittitur quod consummat perfectionem. Sed nunc videamus quæ de deserto dicenda occurrant. Est namque desertum aliud bonum, aliud malum. Desertum malum est, ubi desunt germina virtutum. Desertum bonum ubi longe sunt tumultus vitiorum. Desertum est et malum desertum, ubi nulla est cultura hominum, ubi nullum est sanctitatis vel religionis studium. Item desertum est sed bonum, ubi nullus strepitus tumultuationis, sed in silentio auditur vox turturis, et gemitus non cessat ex desiderio divini amoris. Desertum igitur malum est, ubi desunt desideria cœlestia, desideria spiritualia; desertum bonum, ubi

Digitized by Google

procul desideria sæcularia, desideria carnalia. Desertum denique Idumeæ, desertum est malum; desertum autem Cades, desertum est bonum. Utrumque tamen cuncutitur, utrumque ex divina voce in fletu compungitur. Sed desertum Idumeæ compungitur formidine : desertum vero Cades compungitur amore. Idumæa interpretatur *terrena*, Cades *immutata*, vel *sancta*. Idumæa itaque quia nil novit nisi terrenum, nisi transitorium, facit desertum malum. Cades autem quia nil amat nisi justum, nil desiderat nisi sanctum, facit desertum bonum. In Idumæa desolatio sanctitatis, in Cades desolatio terrenæ cupiditatis; recte desertum malum Idumæa, hoc est terrena; recte desertum bonum dicitur Cades, id est sancta; quia in illo deest sanctitas, regnat terrena cupiditas; in isto abest concupiscentia, permanet sanctimonia. Istud Scriptura sancta ex proprio nomine designat, utpote quod novit commendat et approbat. De malo loquens non nominat, sed tantum dicit desertum, ut intelligas aliud quidlibet quod non est sanctum, et Cades nomine prorsus indignum. Utrumque tamen, ut duximus, concutitur; utrumque commovetur, ut utrumque immutetur. Ad hoc namque concutitur desertum malum, ut commutetur in bonum; ad hoc commovetur desertum bonum ut promoveatur in optimum. Et commutari de malo in bonum, commutatio bona; et immutari de bono in optimum, immutatio sancta. Recte ergo desertum quod de bono immutatur in optimum Cades dicitur. Nam Cades, ut dictum est, immutata vel sancta interpretatur. Desertum ergo quod adhuc malum est, et ob hoc Cades dici non potest, concutitur. Nec mirum, et compungitur consideratione et horrore propriæ iniquitatis. Desertum vero Cades, quod bonum jam sit, sed ad meliora inardescit, concutitur et ipsum et compungitur ex desiderio amplioris sanctitatis. Illud ergo expavescit malum quod fecit; istud ingemiscit pro bono quod nondum accepit. Illud tremit ad recordationem divinæ majestatis; istud liquefit ad contemplationem supernæ pietatis. Illud ergo trepidat multa formidine; istud suspirat præ nimia dilectione. Illud ne rapiatur ad tormenta, istud quia necdum sublevatur ad gaudia. Incipientium ergo est concuti timore, perfectorum autem est compungi amore, et idcirco unum statim datur ad inchoationem, aliud promittitur ad perfectionem. Recte ergo de eis dicitur, concutientis et commovebit : *Vox*, inquit, *Domini concutientis desertum, et commovebit Dominus desertum Cades*, quia compunctio timoris quibusdam in ipso initio datur. Sed compunctio amoris, quousque perfecta charitas foras mittat timorem, differtur.

Hoc geminum compunctionis genus est irriguum superius, et irriguum inferius. Unde alibi per eumdem Psalmistam dicitur : *Qui divisit mare Rubrum in divisiones* (*Psal.* CXXXV). Maris quidem aquæ amaræ sunt valde. Quid ergo Rubrum mare nisi amaritudo pœnitentiæ? Mare ergo Rubrum ei adhuc quasi indivisum manet, qui nonnisi ex sola damnationis formidine gemere novit, sed mare dividitur quando compunctio geminatur. Amaritudinem enim cordis tunc geminat, quando quis compunctionis fletum alternat, ut modo defleat malum quod pertimescit modo suspiret pro bono quod concupiscit. Mœror ea consideratione et trepidatione malorum, mare a sinistris; mœror ex contemplatione et exspectatione bonorum, mare est a dextris : *et erant eis*, inquit, *aquæ quasi pro muro a dextris et a sinistris*. (*Exod.* XIV.) Sed in uno excludimus concupiscentiam, in altero vitamus negligentiam; quia, qui exspectat præmium, extendit se ad meritum, et qui metuit pœnam, sollicite declinat culpam. Sciendum tamen quod compunctio timoris est utique tempore prior, sed dignitate posterior. Post multas enim pœnitentiæ lacrymas tandem ad spem veniæ reducimur; et vix aliquando suspiriis multis et fletibus, et gemitibus inenarrabilibus ad beatitudinis certitudinem reformamur. Semel autem sumpta æternorum fiducia, multo anxius, multo uberius ingemiscimus, et flemus ex impatienti desiderio bonorum quam prius fecimus sub formidine malorum, quando cupimus dissolvi et esse cum Christo, certi de reposita nobis corona justitiæ. Amoris etenim lacrymæ et acrius afficiunt, et uberius currunt. Hinc est quod per quemdam dicitur : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima* (*Isa.* XXXVIII). Magna namque amaritudo est, quando quis renuntians sæculo ad religionem convertitur. Major autem quando abnegans semetipsum innumeris inimici tentationibus fatigatur. Maxima autem quando pace illa quæ exsuperat omnem sensum ex parte degustata, ad illam tamen plene non admittitur. Amara itaque in conversione, amarior in tentatione, amarissima internæ et æternæ dulcedinis exspectatione, et impatientis desiderii dilatione; quia spes quæ differtur affligit animam. Hinc est quod alibi ipse David proclamat dicens : *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX); et illud : *Renuit consolari anima mea* (*Psal.* LXXVI). Qualis quantaque, putas, amaritudinis magnitudo animum transfixerat, quæ pro doloris levamine nullam etiam consolationem recipere volebat? Multum quidem vexat hominem cum relinquitur amor mundi, multo amplius cruciat cum calcatur amor sui; verumtamen supra omnia transfigit, et penetrat cor hominis, et excoquit desiderii æstibus amor Dei. Unde est vox illa flebilis : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Domini. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus* (*Psal.* XLI); et illud in Canticis : *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo* (*Cant.* II); et illud quod superius commemoravimus : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*. (*Isa.* XXXVIII). Sic itaque, sic post fletum et gemitum timoris pervenitur quandoque ad desiderium et suspiria amoris. Quia ergo cor hominis prius concutitur timore, postea compungitur amore, recte per David dicitur : *Vox*

Digitized by Google

Domini confringentis desertum, et confringet Dominus desertum Cades. Vox Domini præparantis cervos, et revelabit condensa. Sicut in concussione deserti gratia compunctionis, sic in præparatione cervi gratia administrationis. Non enim sufficit deflere mala nostra, nisi postmodum accingamus nos etiam ad opera bona. Ad hoc itaque concutitur desertum corporis nostri, ut simus devoti ad orationem. Ad hoc datur nobis cervina velocitas, ut prompti simus ad operationem. Cervus namque animal velox et pavidum, sed serpentibus inimicum. In agilitate itaque pedum recte intelligitur expedita, et prompta velocitas actionis. Vultis audire cervum alacriter currentem : *Viam, inquit, mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII). Vultis audire vocem præparantis ad cervinam velocitatem : *Sic currite ut comprehendatis* (*I Cor.* IX). Vultis audire vocem præparantis ad cervinam formidinem : *Beatus, inquit, homo qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII), et in sensu cogitat circumspectionem Dei. Vultis audire vocem præparantis cervum ad serpentium infestationem : *Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam* (*Coloss.* III etc.), Tria itaque hæc ad cervum videntur pertinere : Viam mandatorum velociter percurrere, dæmonum insidias semper suspectas habere, venena vitiorum audacter destruere. Actio itaque expedita, provida, et justa cervos facit; quia in quantum expedita, velocitatem tribuit; in quantum provida, utiliter pavidum, quia cautum reddit; in quantum justa, vitiorum venena exstinguit. Multi in eo quod velociter currunt serpentes non occidunt, sed nutriunt; quia ex eo quod fortiter agunt, superbia, vana gloria, aliisque hujusmodi serpentes convalescunt. Alii autem bonam in bonis operibus intentionem habent, et inquantum valent serpentina vitiorum venena mortificare student, sed dum modum et tempus in suis studiis tenere nesciunt, in dæmonum insidias quasi venantium laqueos incidunt, unde se velut securos incaute crediderunt.

Et isti quidem quamvis habeant cervinam velocitatem, erubescunt tamen habere cervinam formidinem; quia, tantum præcipites quantum veloces, nesciunt vel potius nolunt habere circumspectionem. Unde est quod eis clamat. Vox præparantis cervos : *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II) ; et alibi : *Servite Domino in timore* (*Psal.* II). Ut ergo ad cervorum numerum pertineant qui inter tales cervos annumerari desiderant, oportet eos et velociter currere, et caute timere. Talibus ergo cervis, taliterque præparatis Dominus revelabit condensa, et reserabit Scripturarum profunda, allegoriarum opaca, sacramentorum mysteria, mysteriorum secreta. Amant enim hujusmodi cervi huc illucque discurrere inter condensa saltus Libani, abdita quæque loca percurrere et occulta penetrare, opaca frequentare, in condensis et umbrosis requiescere. Ibi enim et contra venatorum insidias latebras reperiunt, et contra solis æstus refrigerium accipiunt. Quanto enim altius Scripturarum intelligentiam perceperint, quanto earum profunda perfectius penetraverint, tanto securius, tanto quietius quasi in condensis latitantes, et in umbrosis requiescentes, hinc derident dæmonum insidias, illinc despiciunt concupiscentiæ æstus et carnales illecebras. Nam ex ipsa Scripturarum lectione contra astutias dæmonum plenius erudimur, et inter tot sapientiæ delicias, carnalium illecebrarum nec saltem reminiscimur. Quid ergo mirum post talem tantamque gratiam : *In templo ejus omnes dicent gloriam;* quid, inquam, mirum si ejus gloriam in ædificationem proximorum quærunt, a quo tot dona gratiarum gratis acceperunt? Dei templum congregatio est fidelium. In hoc itaque templo laudem Deo dicunt et gloriam ejus quærunt, qui per verbum prædicationis proximos ædificare, et in ipsis Dei gloriam dilatare contendunt. Et recte quidem prius accipiunt intelligentiam Scripturarum ad instructionem sui ; postea donum prædicationis ad utilitatem et ædificationem proximi. Prius datur intelligentia ut vera credant et recta intelligant; postea additur eloquentia ut utilia doceant et salubria persuadeant.

Possumus tamen per templum non præsentem Ecclesiam, sed cœlestium civium frequentiam convenienter intelligere. Nam solet sæpe Scriptura sacra ad distinctionem utriusque, hanc per tabernaculum, illam per templum designare. Hæc enim adhuc in motu, et in bellorum procinctu posita recte per tabernaculum; illa autem jam in æterna stabilitate fundata, melius designatur per templum. Ad hoc itaque nisi per contemplationem sublevati, accedere utique nequeunt. Sed intro admissi præ admirationis magnitudine a laude Creatoris cessare non possunt; et impletur quod dicitur : *Et in templo ejus omnes dicent gloriam.* Quia quicunque ad illud se contemplando elevant, quandiu intus sunt, divina laude non vacant. Hinc est quod inde revertentes clamant : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX). Hinc rursus dicit : *Et reliqui cogitationis diem festum agent* (*Psal.* LXXV). Cogitet qui potest, qualis, vel quanta sit illa celebritas solemnitatis illius quam intus positi perficiunt quando etiam reliquiæ cogitationum quas ad se revertentes secum trahunt ex memoria vel recordatione gustatæ suavitatis Domino Deo diem festum agunt? Quod si per templum Dei cor ipsius hominis intelligimus, qui sint qui in hoc templo gratiam Deo dicent citius inveniemus. Qui enim sunt alii hujus templi habitatores, quam cogitationes mentis et cordis affectiones : *Quoniam cogitatio, inquit, hominis confitebitur tibi.* (*ibid.*) Raro tamen contingit ut hujus templi habitatores omnes in unum conveniant, ut una congregati in templo ejus omnes simul gloriam dicant, ut nulla se aliena cogitatio interserat quæ illa divinæ

Digitized by Google

solemnitatis gaudia perturbet vel imminuat. Posse tamen quandoque hoc fieri ille melius novit, quem non tam lectio quam experientia docuit. Fit enim aliquando ut mens super pauca fidelis, intrans in gaudium Domini sui torrente voluptatis ebrietur, et tota in jubilum versa non solum exteriorum omnium, sed et sui ipsius obliviscatur : et tota in se collecta, imo supra se elevata, ab illo spiritualis lætitiæ pelago plena absorbeatur, experimento felici jam approbans quam sit vera sententia illa qua dicitur : *Beatus populus qui scit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII); et tunc temporis impletur quod dicitur, et in templo ejus omnes dicent gloriam. Secundum primam itaque expositionem, intelligitur donum prædicationis; juxta secundam autem, gratia contemplationis; secundum ultimam vero exprimitur jubilus mentis. Quid autem horum rectius intelligatur, ignorare me fatcor, ubi totum verum est quod dicitur. Nam multi sæpe per Scripturarum intelligentiam accipiunt verbum prædicationis, et sæpe inter legendum perfunditur mens luce contemplationis, vel in jubilum versa tripudiat in voce exsultationis et confessionis. Quia postquam vox Domini præparantis cervos revelaverit condensa, mox in templo ejus omnes dicent gloriam. Ecce quam magna, et quanta admiratione digna facit vox ista Dominica, vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, vox Domini præparantis cervos! Et multa adhuc alia in hunc modum efficit, quæ iste numerare non potuit, vel quæ hic enarrare non oportuit. Multum tamen sæpe interest inter vocem et sermonem. Nam habent utique et animalia vocem et tamen sermo non formatur sine voce, quamvis vox sonare possit sine sermone. Emittit ergo quandoque sermonem cum voce, quandoque vocem sine sermone, aliquando etiam sonitum sine voce. Nunc enim, ut ipse de se Dominus dicit, stridet ut plaustrum onustum feno, modo sibilat ut apis quæ est in extremo Ægypti, aliquando rugit ut leo; et cum voluerit mittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus; per sonitum ergo stridet, per sibilum demulcet, per rugitum terret, per sermonem docet. Quando enim, et quibus loquitur, beneplacitum suum aperte demonstrat. Sed in voce sola voluntatem suam non tam loquitur quam significat. Nam per stridorem quidem altius absconditi, et profundius celat. Ad sonum etenim stridoris audiens non tam eruditur quam consternatur, vel potius indignatur. Displicet enim ei quod audit, et sæpe audacter reprehendit.

Hinc est quod Dei dispositio in rebus temporalibus a quibusdam aperte reprehenditur, quibus Dominus in sui operis gubernatione quodammodo stridere videtur, cum det indifferenter bona et mala, tam bonis quam malis, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Alii autem in his omnibus intus recurrunt, et de his omnibus rationem consulunt, et dum bonis præmia, pravis tormenta reposita ex ratione colligunt, vocem quodammodo Dominicam percipiunt; et qui ad remunerationis promissionem se præparant, quasi ad persuasionis sibilum evigilant; et qui terroris minas formidant, quasi ad leonis rugitum trepidant. Quasi sibilo enim quodam suscitatur, qui temporali commodo, vel præmio æterno ad aliquid agendum provocatur. Et ille quasi ad rugitum confunditur, qui ex alicujus damni vel damnationis futuræ consideratione a sua præsumptione dejicitur. Longe tamen excellentius, et quasi per loquelam seipsum Dominus insinuat illis, quibus voluntatem suam inspirat, quia aliud est recta discernere, et aliud beneplacitum Domini perfecte intelligere, et ei ex amore inhærere. Sonum ergo quodammodo habet Dominus in administratione operis, vocem in revelatione veritatis, sermonem in aspiratione voluntatis.

Dominus diluvium inhabitare facit et sedebit Dominus rex in æternum. Cum sit una eademque aqua sapientiæ salutaris, illam terram tamen viventium ubique non æqualiter infundit, sed se per ejus amplitudinem multifarie, multisque modis dividit. Alia enim efficit puteum vel cisternam; alia torrentem, ut fontem salientem in vitam æternam : hic in rivum deducitur, illic in fluvium colligitur. Modo excrescit in lacum vel stagnum, modo exuberat in abyssum vel diluvium. His decem, ni fallor, differentiis in Scriptura sancta, si bene intendimus, differentes divinæ Sapientiæ donationes distinctas esse facile probare poterimus. Longum esset nimis de singulis hic diligenter discutere, imo supra vires nostras de tanta materia dignum aliquid dicere. Dicamus ergo aliquid de eo quod interim occurrit, quod huic forte loco sufficere possit, pro eo quod dictum est : *Dominus diluvium inhabitare facit.* Hæc itaque salutaris sapientiæ aqua, si Scripturæ sacræ credimus, imo quia ei omni ambiguitate postposita credere debemus; hæc, inquam, sapientiæ aqua in tanta quandoque erumpit copia, in tanta se dilatat abundantia, ut non solum valles impleat, campos operiat, sed et omnes montes et colles longe transcendat. Ita ut omnium carnalium cogitationum incursus, omnes terrenos affectus penitus absorbeat, imo etiam quidquid hominibus est altum, cacumina ipsa virtutum, et quod his omnibus majus, ipse sibi contemplantis animus in oblivionem veniat. Contemplantis siquidem animus qui supra se attollitur, cum cœlestibus totus suspenditur, seipsum nimirum et quæ sub ipso sunt obliviscitur, et in tanta sapientiæ diluvio nil nisi cœlum aspicitur, et ipsa sapientiæ aqua qua perlustratur, a qua et in altum sublevatur. Sed ad hoc opus quis, putas, erit idoneus, et quis hujusmodi diluvii inhabitatione invenietur dignus? Nemo hoc speret de virtute sua, nemo hoc præsumat de industria propria. Non est hoc negotium meriti humani, sed muneris divini. Dominus solus est qui hoc dare potest. Siquidem solus Dominus diluvium inhabitare facit. Ad hu

Digitized by Google

jusmodi, ni fallor, diluvii inhabitationem, Domino instigante et instruente, fabricatur illa arca conscientiæ bonæ, si tamen vivat et vigeat in nobis vir ille Noe, qui solus ad tantum negotium per divinum duntaxat adjutorium potest sufficere. Noe *requies* interpretatur, et constat satis quia sine quietis amore arcæ fabrica nullo modo perficitur. Ferveat ergo in nobis amor quietis; delectemur illo interno otioso negotio, vel negotioso otio investigandæ veritatis, et illud quod in psalmo legitur studiose impleamus: *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV). Si tamen disponimus arcæ hujus in nobis fabricam erigere quo digni, vel idonei simus quos Dominus dignetur præfiniti diluvii inhabitatores efficere. Dominus enim solus, ut superius jam diximus, diluvium inhabitare facit. Duo, B ni fallor, in hoc uno verbo monemur, ne desperemus tam mirabile opus posse impleri, et ne præsumamus tam singulare negotium aliqua humana industria posse consummari. Sed videamus modo quid sequatur hujusmodi diluvii inundationem, vel potius quid sequi soleat hujus diluvii inhabitationem. *Et sedebit*, inquit, *Dominus rex in æternum*. Docente Scriptura sacra, didicimus quia anima justi sedes est Sapientiæ. Quid itaque est quod Rex ille regum, et Dominus dominantium, qui est Dei virtus et Dei sapientia, nonnisi post diluvium in hac sua sede dicitur sedere? Cur non etiam ante diluvium sedebat Rex in æternum? An forte quia gigantes erant super terram ante diluvium non sinebatur regnum suum Sapientia possidere quietum, et ideirco non ei vacabat tempus, vel locus ad sedendum, sed potius ad præliandum? Ideoque quasi vir pugnator omnipotens nomen ejus quotidie cogebatur apprehendere arma et scutum, et exsurgere in adjutorium suorum, et utpote Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio expugnare impugnantes exercitum suum, clamantibus quotidie sibi qui sui erant: *Exsurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum* (*Psal.* XLIII). Procul dubio quamdiu vivunt gigantes super terram, quamdiu adhuc viget in carne, vel corde carnali enormitas illa horrenda vitiorum, non sinitur ille Dominus exercituum, Dominus virtutum regnum suum possidere quietum. Sed quia sapientia vincit malitiam, cum se cœperit latius effundere, imo totam occupare terram, cito et absque mora absorbet quidquid prius male vivebat super eam. Ad primam siquidem jussionem Domini, ruptis fontibus abyssi apertisque cataractis cœli, fit subita et tam vehemens inundatio diluvii, ut absque omni dilatione omnes sapientiæ subvertantur inimici: *Rupti sunt*, inquit, *omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt* (*Gen.* VII). Si autem vis scire quæ sit abyssus hæc magna, recole quid de ea dicat Propheta: *Judicia tua*, inquit, *abyssus multa* (*Psal.* XXXV). Et ut æque scias qualis esse possit pluvia illa voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, recole quod alibi legis in verbis ejusdem Prophetæ: *et veritas tua*, inquit, *usque* A *ad nubes* (*ibid.*). Vides certe hujusmodi nubes quæ veritatem portant, cujusmodi aquam pluere valeant. Rumpuntur itaque fontes abyssi, aperiunturque cataractæ cœli cum tempus instet faciendi diluvii, ut illa salutaris sapientiæ aqua partim se effundat ex occulta divinæ aspirationis vena, partim emanet ex revelatione angelica. Fontes abyssi rupti erant, cum Propheta dicebat: *Et apparuerunt fontes aquarum, et revelata sunt fundamenta orbis terrarum* (*Psal.* XVII). Cataractæ cœli apertæ erant, cum Apostolus dicebat: *Revelatur autem ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et justitiam* (*Rom.* I). Diluvium autem tunc fortassis inundaverat, cum alias in admiratione Sapientiæ proclamabat: *O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei!* (*Rom.* XI).

Quomodo itaque, putas, carnalia desideria languescunt, imo cum quanta, putas, festinatione deficiunt, cum universa illa divinorum judiciorum abyssus se ad manifestationem effundit, et illud divinæ Sapientiæ pelagus, totam humani cordis terram occupat, ejusque habitatores cogitationum affectionumque multiplicitatem penitus absorbet? Sola itaque illa huic diluvio supersunt quæ in arcæ sinu inclusa vivunt, quæ conscientiæ bonæ mensuram non excedunt, quæ modestiæ terminos non deserunt. Alia igitur sunt quæ extra arcam ad internecionem exponuntur, alia quæ intra arcam ad vitam reservantur. Reservantur autem non solum rationabilia, sed etiam irrationabilia: sed de ipsis irrationabilibus non solum munda sed et immunda quantum videli- C cet exigit cura necessitatis vel cautela conservandæ humilitatis. Desideria illa quæ surgunt ex rationis deliberatione, pertinere videntur ad homines, utpote ad animalia rationabilia, sicut illa quæ sine discretionis judicio emergunt ad animalia irrationabilia. Et sunt quidem ex utroque genere alia bona, alia mala; quia sunt homines justi, et sunt homines injusti, et animalia alia munda, et alia immunda. Veltis apertius nosse differentiam animalium mundorum et immundorum, hominum justorum et injustorum? Forte exemplo illud melius quam definitione ostendimus. Ecce quis transiens videt quempiam fame vel frigore afflictum, vel alia qualibet inedia oppressum, subito et absque omni animi deliberatione affectu pietatis medullitus tangitur, et D ei quem afflictum videt subita animi miseratione compatitur. Interpellat eum cogitatio sua, ut illius inopiam sua abundantia temperet, sed forte avaritiæ suæ nimia tenacitate pietatis aurem obturat. Statuit itaque apud se nil illi de suo impendere, ne suorum bonorum videatur aliqua minorationis damna sustinere. Ecce animal mundum, et hominem injustum. Quasi animal mundum est illa animi judicium præveniens pietatis affectio, sed velut homo injustus est illa subsequentis obdurationis impia deliberatio. Ecce alius ad aspectum mulieris turpitudinis motum prius se sentit quam rationis decretum consulere possit. Sed postquam rationem consuluerit, exsurgens malum viriliter repellit. Ecce

Digitized by Google

animal immundum, sed hominem justum. Quid enim turpitudinis motum, nisi animal immundum dicimus, et quid subsequentis deliberationis justum decretum, nisi hominem rectum judicare debemus? Immunda itaque desideria ex appetitu surgentia, et rationis judicium prævenientia animalia sunt bruta et immunda. Munda autem animalia sunt desideria illa quæ nil fœditatis suggerunt. Illud autem est admodum mirabile valdeque notabile, quod sæpe munda animalia impediunt bonum, impellunt ad malum, sicut sæpe econtra immunda adjuvant ad bona, roborant contra mala. Pietatis affectus erga parentes ordinatos esse quis neget? quam multis tamen nocuit et ab amore Dei retraxit, quod suos tenere diligebant quos nec propter Deum deserere volebant. Stimulum carnis suæ quis unquam nisi perversus non erubuit et tamen quam multis contra superbiam adjuvit, et in humilitate custodivit. Sic sic sæpe ex bonis quibusdam a melioribus retrahimur, et ex malis quibusdam ad optima compellimur, unde est quod mundorum animalium innumera diluvio absorbentur, et immundorum non pauca post diluvium reservantur. Recte enim illi affectus sive sint pudendi sive pudici, sapientiæ diluvio pereunt, qui perfectionis studium impediunt. Recte solum illi, sive inter pudicos, sive inter impudicos deputentur, post diluvium reservantur, qui in bonum cooperantur. Sed si est inutile, vel impossibile omnia immunda animalia ad mortem exponere, caveamus saltem perversorum hominum neminem intra conscientiæ arcam recipere. Aliud est nondum posse perfecte mortificare omnes appetitus carnis, et longe aliud ex deliberatione in se recipere consensus pravitatis. Quid jam de gigantibus dicimus? Nunquid vel unum diluvio præfinito posse superesse credimus? Absit hoc credere. Neque enim facile erit post tale diluvium mentem criminalia aliqua committere posse, etiam si non sufficiat omnia venialia perfecte posse delere : *Non vos*, inquit Apostolus, *apprehendat tentatio, nisi humana* (*I Cor.* x). Ecce quomodo satagebat Apostolus gigantes penitus deleri de terra.

Quid enim rectius per gigantes habentes formam monstruosam, formam immoderatam, quid, inquam, rectius accipimus quam tentationem plusquam humanam? Quam perfecte, putas, hujuscemodi gigantes de suo corde deleverat, qui eos etiam de alienis cordibus ardenti studio exstirpare satagebat! Sed videamus modo postquam hunc de quo loquimur Paulum Dominus diluvium inhabitare fecit, an forte diluvio illi quod ex divinis revelationibus supra humanæ intelligentiæ modum in ejus corde excrevit aliquod immundum animal superfuit : *Sed ne magnitudo*, inquit, *revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ* (*I Cor.* xii), diluvium tunc inundasse non potest negari, quando audiebat arcana verba, quæ non licebat homini loqui; et tamen post tale diluvium stimulum carnis sentiebat, quem inter animalia immunda deputandum nemo est qui ambigat. Verumtamen quia gigantes diluvio penitus perierant, et quæcunque Sapientiæ regnum confundere poterant, nil jam obstabat quominus sibi erigeret thronum et sederet rex in æternum. Quid enim aliud illa ejus verba sonare videntur, ubi aperte contestatur, dicens : *Certus sum enim quia neque mors, neque vita*, etc., usque *in Christo Jesu* (*Rom.* viii). Ecce quam securus erat Paulus post tale diluvium, quod qui per fidem in ejus corde habitabat Christus, sederet rex in æternum. Vides certe quam recte postquam dictum est : *Dominus diluvium inhabitare facit*, statim illud adjunctum est : *Et sedebit Dominus rex in æternum.* Ad hoc namque, ni fallor, effundit super terram hoc diluvium, quo mundet Rex iste regnum suum, et sedeat rex Dominus in æternum. Sed hæc quæ de diluvio dicta sunt, tunc tantum de eo intelligenda credimus, quando accipitur in bono. Est enim quando accipitur in malo, sed est ibi longe alia lectio : Si est enim ignis bonus et ignis malus, si est desertum bonum et desertum malum, sicut superius ostendimus, si est aqua bona et aqua mala, cur non æque diluvium bonum et diluvium malum esse credamus? Credendum sane, et absque ulla hæsitatione bonum illud esse diluvium quod Dominus inhabitare facit, ut sedeat rex in æternum. Facto autem hujusmodi diluvio, mundatoque regno, incipit extunc, et deinceps, utpote parata sede sua, extunc incipit, inquam, sedere in throno suo, et regnare in populo suo proficiens et crescens de die in diem, donec attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter, et dominetur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Intra enim hos terminos suum Sapientia regnum cohibere voluit, nec illud ultra hos fines extendere decrevit. Hinc ejiciens mare orientale, amaritudinem apertæ malitiæ, illinc excludens mare occidentale, abyssum videlicet tenebrosæ ignorantiæ. Ex alio autem latere, a flumine incipiens Sapientiæ regnum pertingit usque ad terminos orbis terrarum. A fluvio ergo incipiens, totum tamen fluvium exterius relinquens. Detestatur siquidem Sapientia omnem fluxum voluptatis, extendens se per infinita pene multiplicis obedientiæ spatia pertingit usque ad terminos impossibilitatis. Certe vides quam recte inter hos fines regni sui terminos constituat, vel cur illud ulterius dilatare indignum ducat, ne scilicet amaritudinis mare, vel abyssum ignorantiæ, seu etiam luxum concupiscentiæ intra regni sui metas includat, sed ista usquequaque secludens, de cætero pertingit usque ad terminos orbis terrarum dilatans fines populi sui usque ad novissima impossibilium.

Hæc igitur quatuor sunt quæ hujus regis regno finem constituunt : Malitia, ignorantia, voluptas, impossibilitas. Inter hos itaque terminos se dilatat beatus ille populus, de quo scriptum invenimus : *Beatus populus qui scit jubilationem* (*Psal.* lxxxviii), *beatus populus cujus Dominus Deus ejus* (*Psal.* cxliii). De quo hic dicitur : *Dominus virtutem populo suo dabit, Domi-*

Digitized by Google

nus benedicet populo suo in pace (*Psal.* xxviii). Qualem tamen populum putatis possidere Regem istum, qui sedet rex in æternum, et regni ejus non erit finis? Recole nunc vocem illam, et intelliges qualem populum possidere decet Dei virtutem et Dei sapientiam: *Ego Sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus* (*Prov.* viii). Consilia ergo, cogitationesque eruditas Rex iste inhabitat, possidet, regit atque moderatur. Talis siquidem populus a Sapientia regitur, a Sapientia instruitur, a Sapientia tuetur. Ad hujus regis populum pertinet omnis voluntas bona, omnis cogitatio munda, omne desiderium sanctum, omne consilium rectum, omnis intellectus verus, omnis affectus ordinatus. Delectatur admodum Rex in tali populo, et complacet sibi in illo, quia beneplacitum est Domino in populo suo. Laudabilis populus quem Dominus exercituum benedixit, dicens: *Hæreditas mea Israel* (*Isa.* xix). In hujus laudabilis populi admiratione Propheta acclamabat cum dicebat: *Beata gens cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hæreditatem sibi* (*Psal.* xxxii). O quam alienus populus, quam huic populo erat dissimilis populus ille gentium qui ambulabat in tenebris donec videret lucem magnam, et inciperet cognoscere Regem suum, et habere sapientiam! O populo gentium, perversitas voluntatum, vanitas cogitationum, usquequo non cognoscitis Regem vestrum? Usquequo sedetis in regione umbræ mortis, usquequo moramini in regione dissimilitudinis? Tandem aliquando exite de medio Babylonis, exite de tenebris, properate ad patriam luminis, ad regionem lucis. Tandem aliquando exite ad lucem, attendite ad lucem veram, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Exortum est in tenebris lumen rectis corde misericors, et miserator, et justus. Lumen ad revelationem gentium. O populo gentium, qui ambulabas in tenebris, currite dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur. Ibunt autem de virtute in virtutem donec videatur Deus deorum in Sion. Sed quia vanum est eis ante lucem surgere, quanto magis currere. Emitte lucem tuam et veritatem tuam, lumen ad revelationem gentium, ut in lumine tuo videant lumen quo currere possint in lumine viventium. Emitte, Domine, emitte lucem tuam et veritatem tuam, donec pertranseat populus tuus iste quem possedisti, pertranseat autem de gente ad gentem, et de regno ad populum alterum, de regione umbræ mortis ad patriam luminis. Tali, taliterque currenti Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ benedictus Deus, ut impleatur in eis prophetica illa promissio: *Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicat populo suo in pace.* Videte et attendite divinæ donationis ordinem. Daturus populo suo Dominus virtutem et pacem, prius dat virtutem et postea pacem. Habet namque adversarios innumeros populus iste Dei, et, quod adhuc gravius est, inimici eorum fortissimi. Opus ergo habent virtute, et fortitudine magna, contra quos jugi sollicitudine vigilat tot adversariorum tam periniqua constantia. Vultis autem audire qualem, vel quantam virtutem eis eorum dux promittat, ita tamen si ejus præcepta mandataque custodiant: *Persequemini*, inquit, *inimicos vestros, et corruent coram vobis. Persequentur quinque de vobis centum alienos et centum de vobis decem millia. Cadent inimici in conspectu vestro gladio* (*Levit.* xxvi). Parum est hoc, audi adhuc aliquid majus de hujus Regis militibus. De hujus Regis siquidem militia esse dubitandum non est illos, quorum unus persequebatur mille, et duo fugarunt decem millia. Virtus mirabilis, et prorsus stupenda, ut unus contra mille, et duo prævaleant contra decem millia.

Quis tamen ignorat quantam inimicorum stragem efficiat cum egregius ille hujus Regis miles, timor videlicet Domini, sub sui ducis protectione, contra vitiorum exercitum dimicat? Quid cum ei ille Dei miles præcipuus, et princeps militiæ, Dei videlicet amor adjungitur? Quæ, quæso, hostium multitudo eorum impetus ferre valebit? *Qui timet Deum*, inquit Scriptura, *nihil negligit* (*Eccle.* vii). Ecce qualis præliator timor Dei, qui non solum nequitias, sed etiam negligentias, omnes ante se fugare consuevit. Longe tamen eum singularis fortitudinis præroga.iva præcedit ille Dei miles electus in millibus, qui omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Si ergo tantum prævalent unus vel duo, ut nec eis resistere valeant decem millia, quantum est, quæso, quod efficere valeat in unum collecta regis hujus militia universa? Mirabilis rex, qui sic suos magnificare potuit; amabilis prorsus, qui suos sic magnificare voluit. Puto quod huic regi militabat qui dicebat: *Non timebo millia populi circumdantis me.* (*Psal.* iii). Utinam et me dignetur ascribere inter suos, ille, qui de pulvere suscitat egenum, et de stercore elevat pauperem ut sedeat cum principibus, et ipse qui dat virtutem et fortitudinem populo suo benedictus Deus. Sit ipse fortitudo mea, et firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus, et tunc fiducialiter psalle: Non timebo quid faciat mihi homo. Doceat manus meas ad prælium et digitos meos ad bellum, et tunc procul dubio, si consistant adversus me castra, non timebit cor meum, et si exsurgat adversus me prælium, in hoc ego sperabo. Tu quoque si illi Regi militare volueris, non timebis millia populi, quinimo cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, et tunc in teipso probare poteris quam veraciter scriptum sit: *Dominus virtutem populo suo dabit* (*Psal* xxviii). Ut autem plenius agnoscas qualem virtutem de Domini sui dono accipiant, cogita quales adversarios habeant et contra eos, quam viriliter agant. Nonne hujus Regis milites sunt, contra quos sævit mundus, insanit diabolus? Sed confortat eos Rex suus dicens: *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum* (*Psal.* xxx). *In mundo quidem*

Digitized by Google

pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum (*Joan.* XVI).

Nonne isti sunt contra quos ille, qui in maligno positus est mundus, formidandam illam triplicis cohortis aciem producit, in concupiscentia oculorum, in concupiscentia carnis, in superbia vitæ? Isti sunt qui destruunt nihilominus regnum peccati, ut non regnet peccatum in mortali corpore eorum. Istud est bellum secundum multo periculosius quam primum bellum, civile, et plusquam civile, ubi regnum spiritus dividitur adversus seipsum, ubi spiritus concupiscit adversus carnem, et caro adversus spiritum, ubi appetitus carnis rebellant adversus decreta rationis. Subacto autem primo et secundo prælio, restat adhuc tertium immanissimum atque durissimum contra aerias potestates, rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Hi animæ hostes omnium crudelissimi, contra tirones Christi tanto acrius sæviunt, quanto eos in gemina victoria gloriosius triumphasse conspiciunt. Sed absit ut vel istos Christi milites posse prævalere, quis credat, quibus eorum rex jam agmine constituto, prælioque conserto per Jacobum unum ex magnis ejus ducibus de dubio belli eventu non dubiam sententiam mandat: *Resistite*, inquiens, *diabolo, et fugiet a vobis* (*Jac.* IV). Unde est quod ille hujus Regis magnus athleta gloriabatur, dicens: *Inimicos meos dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti* (*Psal.* XVII). Hinc est quod ille alius inter principes populorum qui congregati sunt cum Deo Abraham princeps electus, et præcipuus agonista cum fiducia protestatur, dicens: *Certus sum quod neque angelus*, etc. (*Rom.* VIII), Ecce quales triumphatores, qui fortiter agentes despiciunt regnum mundi, destruunt regnum peccati, dissipant regnum diaboli. Sed nec hoc eis sufficit, nisi invadant regnum cœli. Ab istiusmodi siquidem bellatoribus violentis, et triumphatoribus gloriosis regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud. Puto quia hic est eis opus fortitudine magna, mirabilique virtute antequam irrumpant firmissimum illud habitaculum, quod operatus es, Domine, sanctuarium tuum quod firmaverunt manus tuæ. Est enim firmatum in summis montium, et montes in circuitu ejus. Nec nisi duabus tantum viis, una hinc, et altera inde adiri potest. Universæ enim viæ Domini misericordia et veritas. Est autem utraque via admodum arcta. Siquidem arcta est via quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui ingrediuntur per eam. Multum tamen est inter istam et aliam. Est enim via veritatis, non solum arcta verum etiam multum ardua. Illa autem planior, sed multo prolixior, et quæ vix toto vitæ termino conficitur. In quibusdam autem nec ante mundi finem finitur. Ista denique est fortium, illa autem infirmorum. Istam ascendunt viri duntaxat ad bella doctissimi, illam non ascendunt nisi pauperes, infirmi et mendici. Isti ad vim faciendam, illi ad eleemosinam petendam. Hæc non admittit nisi illos tantum, qui jam profecerunt in virum perfectum, in mensuram plenitudinis Christi. Illa recipit pauperes et debiles, cæcos et claudos, vulgusque promiscuum eorum duntaxat, qui faciunt sibi amicos de mammona iniquitatis, ut recipiantur in æterna tabernacula, et utpote misericordiæ viam tenentes sint beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. At illa terribilis castrorum acies ordinata virorum fortium, et eorum qui possunt ad bella procedere viam veritatis eligentes, utpote vim facturi arctam illam, et arduam illam quæ ducit ad vitam cum alacritate apprehendunt, et cum summa festinatione per semitam mandatorum de valle lacrymarum ascendunt de virtute in virtutem, quæ retro sunt obliti et in interiora extenti, satagunt semper magis magisque sapere quæ sursum sunt non quæ super terram, donec vix cum multo labore tandem aliquando apprehendentes montis verticem, perveniant usque ad civitatem munitam.

Collecta itaque omni multitudine in summis montium, et secundum castrorum disciplinam acie ordinata, mirabiliter in montibus æternis cingunt urbem, et inchoant obsidionem, et in primo quidem congressu civium constantiam telorum jactu emollire nituntur. Assistunt hinc sagittarii, illinc fundibalarii. Jaciuntur itaque ab aliis suspiriorum sagittæ ab imo cordis evulsæ, ab aliis ignitæ orationis tædæ accensæ. Volant undique sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis. Hinc isti in funda et lapide, illinc illi in splendore fulgurantis hastæ suæ dant crebros ictus in gemitibus inenarrabilibus, universis rugientibus a gemitu cordis sui. Nec dubium in tam acri certamine, in tanto talium telorum imbre, quin cœlestes illæ angelicarum virtutum phalanges, crebra suscipiant miserationum vulnera, intantum ut sauciatorum caterva necessitate urgente clamare cogatur: Vulnerata charitate ego sum, utpote pietatis affectibus medullitus confossa et passim perforata. Eriguntur præterea machinæ meditationum, speculationum, contemplationum. Patent jam urbis interiora. Ab alta siquidem illa contemplationis machina facile conspiciuntur, quæ intrinsecus sunt, vel geruntur. Applicatis denique ad murum machinis, et electorum ex omnibus bellatorum fortium ordinibus intus dispositis, aggrediuntur cominus propugnatores civitatis. Sed, ne spiculis ex diverso venientibus aliqua errorum vulnera suscipiant, induti lorica fidei proteguntur galea spei, tenentes in manibus gladium spiritus, quod est verbum Dei. His igitur e machinis, illis e propugnaculis fortiter dimicantibus, vicissim feriunt et feriuntur, utrinque vulnerant et vulnerantur, his compunctionis, illis pietatis vulnera suscipientibus. His itaque in hunc modum certantibus, alii ad torquendos lapides balistas erigunt, et ex Scripturarum canone ratas, irrefragabilis auctoritatis sententias eruunt. Feruntur itaque in muros ingentes saxorum moles, lapides lapidibus illiduntur, ut ex crebra Scripturarum collatione secretio-

Digitized by Google

ris scientiæ secreta patescant. Sed nec ista sufficiunt. Admovetur præterea ad murum aries, et intercurrente directa ratiocinatione validæ argumentationis ictibus murorum firmitas tandem dissolvitur, et crebrescentibus circumquaque revelationum rimis urbis interiora patefiunt. Tandem aliquando mœnia urbis vario machinamentorum impulsu dejiciuntur, et illa alta profunditas, et profunda altitudo mysteriorum divinorum penetratur, et murus ille spissus et altus in figuris et ænigmatibus constructus dirumpitur. Rupto itaque muro, irruunt undique fortes et perscrutantes scrutinio, penetrant usque ad interiora austri. His et aliis duntaxat qui in eis audaciores sunt irrumpentibus penetralia divini palatii, ubi et audiunt arcana illa verba quæ non licet homini loqui. Dividuntur cæteri per vicos, et plateas civitatis perscrutantes omnia, penetrantes abdita quæque locorum, et ædium secretiora, nihil intactum prætereuntes, nihil indiscussum relinquentes. Intrant tandem nullo obstante, in æterna gazophylacia cœlestium thesaurorum, in quibus abscondita jacet altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei. Rapit itaque quisque quod potest. Ab alio sermo sapientiæ, ab alio sermo scientiæ vindicatur. Huic cedit discretio spirituum, illi genera linguarum. In hunc itaque modum illæ gazæ spiritualium charismatum ab aliis et aliis varia forte diripiuntur, ut constet quod Veritas attestatur : *Quia regnum cœlorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth.* xi). Direpto itaque cœlesti thesauro a virtutum prædonibus, omnes onerati spoliis, et onusti præda cum alacritate redeunt, et per aliam viam revertuntur in regionem suam. Qui enim per semitam veritatis ascenderant, per misericordiæ tramitem descendunt, ut sint universæ viæ eorum misericordia et veritas. Quod enim ascenderant, erat fortitudinis ; quod descendunt, opus est pietatis. Siquidem quod mente excedunt Deo, quod sobrii sunt nobis. Nobis etenim infirmis condescendunt. Amor Dei rapit eos sursum ; amor proximi retrahit eos deorsum. Propter Deum itaque est quod ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssum propter proximum, ad visitandum eos qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, educere in manu potenti et brachio excelso vinctos in mendicitate et ferro. Venientes itaque veniunt cum exsultatione, portantes prædam in humeris suis, gaudentque vehementer, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores, capta præda, et sicut qui invenit spolia multa ; et auditur undique vox exsultationis, et confessionis in tabernaculis justorum. Ex hac, ni fallor, victoriæ præda sunt illa spolia, quæ Benjamin lupus rapax mane quidem rapit, sed vespere dividit. Sic et isti violenti prædones, regni cœlestis direptores, ad hoc nimirum descendunt, ut secundum exemplum Benjamin eis qui non possunt ad bella procedere, bellorum suorum spolia dividant, et secundum quod David noster constituit æqua fit portio procedentium ad bella, et remanentium ad sarcinas, eorum duntaxat qui fraterna sollicitudine, non propria cupiditate occupantur circa sæcularium rerum curas. Ecce quanta faciunt, ecce quam fortes fiunt qui de munere Dei donum fortitudinis accipiunt, qui cum Propheta psallere possunt : *Fortitudo mea, et laus mea Deus* (*Psal.* cxvii). Ex his, ut arbitror, facile advertere possumus, quæ, vel qualis illa virtus sit, quam populo suo dare Dominus consuevit.

Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace. Benedicet, inquit, populo suo in pace. Ergo post virtutem, præstat et pacem. Sperent itaque pacem qui nondum acceperunt, si jam de Dei dono virtutem accipere meruerunt. Ad hoc siquidem suis Deus dat virtutem, ut fortiter agendo pertingat ad pacem, et poterat quidem Dominus sine eorum industria plenam ei pacem præstare, sed gloriosius reputat suos per multiplicem victoriam ad pacis securitatem perducere. Hinc est quod populo suo præcepit, dicens : *Inquire pacem, et persequere eam* (*Psal.* xxxiii). Accipiunt itaque quandoque pacem per circuitum, qui vero Salomoni deserviunt, qui ipsi militare ejusque imperio per omnia obtemperare decreverunt. Alioqui qui princeps pacis non esset, frustra sibi Salomonis (id est pacifici) nomen usurparet. Attendere tamen diligenter unumquemque oportet, quem dux suus inquirere pacem, et persequi eam jubet, quia aliter pax quærenda a Deo, aliter conquirenda a mundo, atque aliter a carne, vel etiam a diabolo. Illam quæ est spiritus ad Deum debet humiliter impetrare, illam quæ est spiritus ad mundum fortiter exhibere, illam quæ est spiritus de carne violenter exigere, illam quæ est spiritus de diabolo, precibus apud Deum obtinere. Prima utrinque ferienda est, a spiritu scilicet et a Deo. Quarta quæ est spiritus de diabolo ut bona esse possit, fieri eam oportet a neutro, sed a solo Deo. Secunda autem quæ est spiritus ad mundum, fieri debet a spiritu solo, non autem exigi a mundo. Tertia quæ est spiritus de carne, spiritus debet a carne sola violenter exigere, non autem ipse carni suæ exhibere. Primam sane ab utroque fieri oportet ; quia nec spiritus eam per vim obtinere valet, nec Deus eam sine voluntario spiritus consensu facere volet. Ut igitur hæc pax utrinque firmari possit, oportet spiritum se Deo ad omnem ejus voluntatem humiliter subdere ; Deum autem nihilominus necesse est ejus infirmitati misericorditer condescendere, et utilitati consulere : nunquam enim spiritus Deo totum potest exsolvere quod debet, cui sat est si hoc humiliter exhibet quod valet. Sed illa pax, quæ ab impugnatione diaboli spiritui optanda est, a neutro quidem idcirco omnino fieri potest, quia qualem diabolus fieri volet, nunquam spiritus tali consentire debet, et qualem spiritum approbare decet, diabolus absque dubio tali usque in æternum non consentiet. Mundo autem debet spiritus, ut dictum est, pacem exhibere, non ab ipso exigere, imo etiam

Digitized by Google

sponte oblatam despicere. Nunquam debet quærere, nunquam debet velle, ut mundus ei suis oblectamentis obviat, ut cum suo obsequio demulceat. Debet igitur spiritus omnia quæ mundi sunt despiciendo ea projicere, seque ipsum postmodum mundo ad omnem injuriam gratanter exponere, cui est plena pax in hac parte, nulla ejus prospera concupiscere, nulla ejus adversa pertimescere. E contrario autem nunquam debet spiritus carnis suæ contumeliis seipsum subdere, nunquam ejus voluntati deservire, quinimo jugi labore fatiganda, continua abstinentia domanda, donec supplex pacem poscat, pacem promittat, pacem custodiat. Desinat denique concupiscere adversus spiritum, incipiat tandem recognoscere Dominum suum, et perseveret obtemperare ad omne ejus imperium.

Post hanc geminam pacem, quæ non potest perturbari a mundo, vel corrumpi a corpore suo, quia spiritui diabolus violentiam aliquam inferre ulterius non permittitur, ad callida argumenta convertitur, et dolis eum atque insidiis circumvenire nititur. Sed debet spiritus contra hujusmodi tentationem et vigilare per discretionem, et pugnare per orationem. Prima igitur pax, quæ est ad Deum, adipiscenda est per obedientiam. Secunda, quæ est ad mundum, conservanda est per patientiam. Tertia, quæ est de carne, acquirenda est per abstinentiam. Quarta, quæ est de diabolo, obtinenda est per prudentiam, et maxime per orationis instantiam : quæ quidem ad omnem pacem necessaria invenitur, sine qua nulla acquiritur, nulla possidetur. De prima pace canitur : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). De secunda promittitur : *Pacem relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Quæ qualis esse debeat consequenter exponitur, cum dicitur : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet* (*Ibid.*). De tertia et quarta in Job legitur : *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi, et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum* (*Job* V). Ubi per tabernaculum quidem habitaculum corporis nostri, per bestias terræ intelliguntur spiritus maligni. Acquisita igitur in hunc modum hac multiplici pace, Dominus benedicet populo suo in pace. Sed quæ est ista benedictio putamus, quam Dominus populo suo dabit, nisi forte illa sit, quam, ut novimus, populo suo dare Dominus consuevit? *Crescite*, inquit, *et multiplicamini* (*Gen.* I). Bona sane benedictio, multumque expetenda, qua fit ut bona quæque voluntas efficiatur quotidie seipsa major, et virtutum numerus fiat de die in diem copiosior. Crescere proinde populum Domini ex ejus benedictione deprehenderat, cum id quod superius in hoc eodem psalmo legimus, fiducialiter psallebat : *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia* (*Psal.* XXVIII). Multiplicare in se optabat, vel potius sperabat plebem illam, quæ Domino admodum placet, cum diceret : *Multiplicabis in anima mea virtutem* (*Psal.* CXXXVII). Legimus certe sexcenta millia fuisse, et eo amplius eorum qui ascenderunt de Ægypto, quos Dominus ejecit de ergastulo Ægyptiorum in manu potenti et brachio excelso (*Exod.* XII). Si igitur tanta populi Dei potuit esse multitudo in exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro, quantum putamus eos posse multiplicari, cum venerit in terram promissionis, et cœperint possidere promissam hæreditatem, liberi ab omni servitute alienæ dominationis. Si tot sancta desideria Dominus suscitat, si tot bonas voluntates inspirat, si mundarum utiliumque cogitationum numerum in quibusdam tantum multiplicat, etiam in initio conversionis, quam innumera, et pene infinita credenda est esse multitudo divinæ plebis, quam Dominus virtutum possidet in perfectis, in eis videlicet qui jam fundati sunt in conversatione perfectionis? *Currus*, inquit, *Dei decem millibus multiplex* (*Psal.* LXVII). Copiosa multitudo ubi non modo usque ad mille, sed etiam usque ad decem millia numerus extenditur. Sed quanta tunc erit cum jam decem millibus multiplicatur? Currus Dei decem millibus multiplex. Quot jam erunt in tota hujus Regis militia, si ejus currui tantum pugnatorum assistant tot millia? O quanti tunc erunt, cum jam cœperint multiplicari in terra propria, si tot esse potuerunt, uti jam dictum est, cum adhuc degerent in terra aliena, vel laborarent in via! Puto quia super arenam maris multiplicabuntur, ut jam tot sint, qui deinceps, aut vix aut omnino dinumerari non possint. Maxime tamen multiplicabuntur cum cœperit ædificari Hierusalem illa, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum : obdormiunt, et requiescunt, digni sane qui debeant benedictionem accipere ab eo qui dare solet benedictionem populo suo in pace.

Nostis satis quod Hierusalem sonat *visio pacis*. In tali civitate libenter moratur Rex et Dominus populi hujus, quia factus est in pace locus ejus. Ad hanc procul dubio civitatem ascenderunt qui de Domini sui manu benedictionem accipiunt. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini. Ascendunt itaque dare confessionem et accipere benedictionem. Siquidem Dominus benedicet populo suo in pace, id est, in Hierusalem. Hæc est illa Hierusalem cujus modum jam superius per quadrum descripsimus in quadrifaria illa pace, de qua nonnulla prælocuti sumus. Alia tamen est illa Hierusalem cœlestis quæ ædificatur in cœlis, atque alia est ista quæ ædificatur ut civitas, sed in terris. Illam denique non ædificat Dominus solus, istam autem (non tamen sine ejus adjutorio) ædificat populus ejus. Nescio enim quo pacto pax illa Dei quæ exsuperat omnem sensum, possit fundari per sensum humanum. Profecto hæc talis pax, quæ exsuperat omnem sensum. Civitas hæc, quæ excludit omnem humanum intellectum, cujus portas ingreditur nemo omnium humanarum cogitationum. Profecto ista Hierusalem non ædificatur, nisi supra cœlum. Descendit tamen de cœlo ad terram propter eos, qui digni inventi sunt intrare, vel ad modicum

Digitized by Google

in ipsam, nec tamen possunt ascendere ad eam qui nondum idonei sunt ascendere usque ad cœlos, et descendere usque ad abyssos : *Vidi*, inquit, *Hierusalem novam descendentem de cœlo* (*Apoc.* XXI). In hac Hierusalem experiuntur intrantes quam magna sit multitudo dulcedinis tuæ, Domine. Intrantes siquidem in gaudium Domini sui, inebriantur ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potati, in pace in idipsum obdormiunt, et requiescunt. Sed ecce jam superpono manum meam ori meo, digitoque compesco labellum, ne videar contaminare sacrosancta secreti hujus labiis immundis. Melius ista experiendo quam exponendo discuntur. Experti ergo potius de hujusmodi secreto loquantur. Sed nec illud quidem tutum est ista in publicum proferre, quæ debent apud se cum magna reverentia sub silentii claustro reposita custodire. Clament ergo qui hujusmodi sunt cum propheta et dicant : *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (*Isa.* XXIV), ne forte convincatur a veritate, vel margaritas ante porcos sparsisse, vel sanctum canibus dedisse (*Matth.* VII). Unum autem audeo dicere, quia quicunque potuit ad ultimæ pacis excellentiam quantulacunque ex parte pertingere, cumulabitur ei supra modum quæcunque sit illa benedictio quam daturus est Dominus populo suo in pace. Sed tandem prolixus sermo ponat fines suos pacem. Bonum est enim nos hic esse, nec expedit nobis fines pacis excedere. Finiatur ergo sermo noster in contemplatione hujus pacis, et pacis cujus non erit finis, quam nobis donare dignetur ipse qui est pax nostra per infinita sæculorum sæcula. Amen.

ADNOTATIO IN PSALMUM XL.

Homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Homo pacis meæ. Est homo exterior, et est homo interior, etsi, inquit Apostolus : *Exterior homo noster corrumpitur, interior tamen renovatur de die in diem* (*II Cor.* IV). De homine ergo exteriore conqueritur homo interior, et dicit : Homo pacis meæ. Quandiu adhuc corpus castigatur, et nondum spiritui plene subjicitur, pugna utique utrinque geritur. Corpore autem castigato, et in servitutem redacto, pax redit, quia spiritui caro acquiescit : et hæc est sua spiritus, non corporis, sicut illa qua carni spiritus obtemperat propria est carnis. Suam ergo in sua carne spiritus pacem invenit, quando ei in bonis studiis non contradicit. Unde hic dicit : homo pacis meæ. Sed nunquam homo de pace suæ carnis confidat, quamvis ejus stimulus quiescat, quamvis ei plenam securitatem promittat, sæpe meminerit quid sermo propheticus dicat : *Homo pacis meæ in quo speravi qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* In quo speravi, inquit. Scriptum est : *Faciamus ei adjutorium simile sibi* (*Gen.* II). Quid mirum si de suo adjutorio Adam confidat, quid mirum si in homine pacis suæ homo noster interior sperat ? Dicat ergo : Homo pacis meæ in quo speravi, et addat : Qui edebat panes meos. Alias dicitur : *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* XLI), et alibi : *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris* (*Psal.* CXXVI). Tales panes spiritus habere meruit in valle lacrymarum, in loco quem posuit, quando quis pro peccatis suis dolet, et ea vult, et tamen plorare non valet ; solus spiritus panem doloris comedit, caro adhuc tamen talem panem refugit. Quando autem quæ homo interior dolet, homo exterior deflet, unum utique doloris panem comedit uterque, et hominem pacis suæ spiritus pane suo pascit. Dicat ergo : *Homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Dolet, imo conqueritur quod, postquam ei pacem exhibuit, postquam ei spem bonam tribuit, postquam doloris sui panibus participavit, iterum contra se insperate quidem homo pacis suæ insurgit, imo jam de tranquillitatis suæ statu dicit : Magnificavit super me supplantationem. Scimus majoris reatus esse, post professionis votum peccare. Quotiescunque ergo aliquem sua caro ante votum in peccatum dejecit, toties utique eum supplantavit. Sed quem post factum votum superat, super illum absque dubio supplantationem magnificat. Prius itaque supplantavit, postea supplantationem suam magnificavit.

ADNOTATIO IN PSALMUM XLIV.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato. Dominus virtutum, ut ait Psalmista, *ipse est rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). Hinc dicit Propheta : *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato.* Merito regina virtutum charitas esse dicitur, quia virtutis nomen amittit quæ charitati non famulatur. A sinistris Dei sunt bona temporalia, a dextris autem bona æterna. A dextris ergo stare charitas dicitur, quia bonis æternis, non temporalibus innititur. In solis namque illis charitas regnat, quos amor æternorum inflammat. Nam qui temporalia nimis sectantur, se invicem sæpe etiam usque ad mortem persequuntur. Sic e contrario qui se in Deo diligunt, cum tempus exigit animas pro invicem ponunt. Astitit ergo regina charitas a dextris, sed in vestitu deaurato. Manifestum est ergo eam summi regis oculis velle

Digitized by Google

placere, quæ tam pretiosas vestes quærit habere. Error, ut arbitror, quorumdam hic reprehenditur, qui opera nihil esse attestantur. Habe, inquiunt, charitatem, et fac quidquid vis, recte utique. Nam charitate plenus sicut nullum malum ex voto committo, sic nullum bonum quod ad faciendum suppetit, facile prætermitto. Et hoc est utique quod Augustinus dicit, non quod tua negligentia fingit. Probatio enim charitatis est exhibitio operis. Nam opera bona ejus sunt vestimenta : *In vestitu*, inquit, *deaurato*. In vestitu opera justitiæ, in auro intellige claritatem sapientiæ. Vestimenta ergo aurea, opera sunt discreta. Fortassis tu agis omnia fortiter, minime tamen suaviter, quia minime sapienter. Vestimenta quidem habes, aurea tamen non habes ; quia sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter, et A disponit omnia suaviter. A fine inchoationis, usque ad finem consummationis. Tu fortiter inchoas, tepide consummas, cur hoc, nisi quia non disponis omnia suaviter, nec scis operari sapienter ? Incipis, curris, festinas, anhelas, lassaris, deficis, non dicam ad finem, sed nec ad medium pertingis. Procedit ergo charitas, imo coassistit quæ nunquam a Dei dextris recedit. In vestitu deaurato circumamicta varietate. Decet sane utpote reginam multiplicem vestem habere, et variam. Tu nescio quis semper vis esse in contemplatione, nescis, ut audio, vestiri varietate. Alius quærit assidue esse in oratione, nec advertit quod charitas ornari vult varietate. Quisquis uno quolibet, quamlibet pretioso delectatur opere, charitatis ornatum non habet quæ vestitur varietate. B

ADNOTATIO IN PSALMUM LXXIV.

Quia calix in manu Domini vini meri plenus misto, et inclinavit ex hoc in hoc : Verumtamen fæx ejus non est exinanita. Si diligenter attendimus, tria in hoc Domini calice invenimus, merum, fæcem, mistum. Nam si fæx de calice non esset, fæx ejus (hoc est calicis) non dixisset : et videtur quidem in his verbis quædam contrarietas esse, imo quiddam omnino impossibile videntur verba proponere. Nam si habet hic calix vinum merum, quomodo, quæso, continet fæcem et mistum? Nam si forte quis dicat eum habere vinum merum in summo, fæcem in imo, mistum vero in medio, contradicit ei qui dicit eum plenum misto. Sed ad diversa tempora referri potest, quod de hoc calice Domini dictum est. Merum itaque vinum calix iste habuit, unde et eum calicem vini meri appellavit, quomodo cophinum stercoris canistrum azymorum (ex eo quod unumquodque in se continere soleat) Scriptura appellare consuevit. Sed quia non dicit eum plenum mero quemadmodum postea plenum misto, simul cum prius vinum merum, et fæcem continere recte utique dicere possimus, sed vinum merum in summo, fæcem in imo. Nam hoc in vasis vinariis quotidie videmus. Calix ergo vini meri dicitur, ut quid in se prius habuerit evidenter ostendatur : sed cum plenum misto eum postmodum Scriptura dicat, manifeste innuitur quid in se modo contineat. Satis patet per se quam convenienter dictum sit, fæx ejus, non calix fæcis, cum tamen calix meri prius dictus sit : hæc juxta expositionem litteræ prælocuti sumus. Nunc quid in his verbis mysticum lateat quæramus. Calix Domini, justitia, vinum merum, jucunditas sola, fæx amaritudo summa, mistum, juncta simul, et permista bona et mala. Merum æterna felicitas, fæx sempiterna infelicitas. Mistum ex prosperis et adversis temporalis mutabilitas. Hæc omnia ex Domini calice propinantur, quia a justo Creatore nil nisi juste agitur, et a justo rectore, omnia juste moderantur. Calicem itaque in manu Dominus tenet, quia cum sit Dominus cui nemo audeat dicere, cur ita facis, in nullo opere suo metas æquitatis excedit. Hic est ille calix in quo bibit Dominus meus, non ille Joseph Ægypto tantum prælatus ; sed ille cui data est omnis potestas in cœlo et in terra. Ex hoc ergo bibit, quia illud ei suaviter sapit. Illud enim admodum delectat quod justitia commendat. Hic est calix in quo augurari solet, quia justitiæ suæ examine etiam occulta nostra pensat. Hunc calicem in manu tenet, quia justitiam suam in opere exercet. Alii quidem hunc non in manu, sed ut ille Benjamin in sacculo portant, quia quid justum sit scientia apprehendunt, sed quod per memoriam tenent, in opere non ostendunt. De hoc (quem diximus) Domini calice, primum inebriata est angelica natura, postea potata, quandoque autem inebrianda natura humana. Habuit enim, ut superius dictum est, hic calix fæcem : et vinum merum, simul quidem, sed non permixtum. Nam vinum merum in summo, fæcem autem habebat in imo. Facta est ergo angelica natura, et ex hoc calice potata. Aliis namque per culpam cadentibus et confirmatis in malo, aliis per gratiam stantibus, et confirmatis in bono. Utrique ex uno divinæ justitiæ calice potati sunt. Sed illi de fæce, isti de vino mero sufficienter inebriati sunt, facta postmodum humana natura, similiter et ipsa de Domini calice bibitura. Sed quia ipsa per culpam cecidit, de vino mero potare digna non fuit. Quid ergo faciet justus et suavis Dominus? Scit ipse quid faciat, cujus sapientiæ non est numerus. Quia ergo peccavit, de vino mero ei non dedit, quia autem alio impellente per negligentiam cecidit, de fæce eam inebriare misericorditer noluit. Moto ergo calice fæcem cum vino permiscuit, et ex eo usque modo plenus misto permansit. De hoc ergo misto homo potatur : nam ab initio usque ad finem C D

Digitized by Google

sæculi ejus sors per prospera et adversa assidue variatur. Quia calix in manu Domini plenus misto. Quantumcunque quis hic floreat, necesse est ut aliquam amaritudinem sentiat, quia calix in manu Domini plenus misto. Item quantumcunque quis in hac vita dejicitur, omnino aliqua quandoque consolatione relevatur, quia calix in manu Domini plenus misto. Si igitur in omnibus, et usque in finem sæculi hæc vicissitudinum alternatio custoditur, manifestum est, quam recte calix Domini misto plenus esse perhibeatur. Si igitur perturbaris, noli deficere; si consolaris, noli securus esse. Quia inclinavit ex hoc in hoc. In die malorum memento bonorum, et in die bonorum memor sis malorum, quia inclinavit ex hoc in hoc. Ecce video vas iræ perfusum ex Domini calice, et repletum amaritudine. Evacuatur iterum vas iræ de quo plenum erat, et repletur ex eo vas misericordiæ. Cur hoc, obsecro, nisi quia ille qui calicem tenet inclinavit ex hoc in hoc? Iterum respicio vas iræ repletum oleo temporalis lætitiæ, et ducit in bono dies suos, et habet interim quæ ad pacem suam sunt, et subito inclinatur, et quo repletum erat effunditur, et eodem lætitiæ oleo vas misericordiæ perfunditur, et lætatur qui prius dolebat, et contristatur, qui prius gaudebat, et durat hæc rerum alternantium varietas quandiu ille, qui calicem tenet non cessat inclinare ex hoc in hoc, et non invenitur usque hodie, qui in hac vita de Domini calice inebrietur vino mero, quia calix in manu Domini plenus misto. Nunquam hic sola lætitia, nunquam hic sola tristitia, quia sive in summo, sive in imo calicis permista sunt ista. Vide pisces in aqua pluvialibus undis turbata, sive ascendant, sive descendant sursum et deorsum, nil nisi turbidum inveniunt, nil nisi turbidum bibunt. Sic homines ascendunt usque ad cœlos et descendunt usque ad abyssos, et ubique bibunt de turbido, quia calix in manu Domini plenus misto. Calix enim Domini adhuc in motu, et idcirco purum facere non potest. Quandiu enim calix movetur fæx non descendit, sed permiscetur, et inde mistum efficitur. Vis scire quomodo calix hic in motu sit, ut merum propinare non possit. Angeli quidem quia isti in bono, illi in malo confirmati sunt, impermistum utique alii merum, alii fæcem biberunt; et sicut mali melius non exspectant, sic boni quidem quod semel acceperunt amittere non formidant. Sed quia justitia in hominibus necdum fixa est, et pars neutra in neutro confirmata est, calix assidue movetur: nam in nemine adhuc justitia immobilis figitur. Nam qui injustus est potest converti, et qui justus est potest perverti. Item qui bonus est potest fieri melior, et qui malus est potest fieri pejor. Nam qui sordidus est, potest adhuc sordescere, quod est in calice ad inferiora descendere. Similiter qui justus est, adhuc potest justificari, quod est ad superiora calicis efferri, et quousque hoc fit, non bibunt nisi de turbido, quia calix in manu Domini plenus misto. Verumtamen fæx ejus non est exinanita, quamvis modo permista sit cum vino mero, et calix plenus misto; fæx tamen ejus non est exinanita. Nam postquam omnia consummabuntur, et sicut modo angeli, tandem homines, hi in bono, illi in malo confirmabuntur, calix moveri desinet, et fæx a l calicis ima descendet, et erit vinum merum in summo, et sola fæx remanebit in imo, quia fæx ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ qui non timent, in suis peccatis perseverare. Bibent autem boni tunc de vino mero; sed soli mali de sola fæce, ut nulli deinceps bono sit male, et nulli malo sit bene.

ADNOTATIO IN PSALMUM LXXX.

Cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit. Si Ægyptus *tenebræ* interpretatur, quid aliud est Ægyptum descrere quam discussis ignorantiæ tenebris in lumine veritatis oculos intelligentiæ figere? Toties Ægyptum deserimus, quoties rerum temporalium obliti, contemplationis radios in æternitate figimus. Sed qui Ægyptum deserit, citius linguam quam non noverat audivit. Quia cum divinæ contemplationi spretis exterioribus omnibus vacamus, nunc ex angelica revelatione, nunc ex divina inspiratione cœlestis sapientiæ secreta percipimus. Lingua ignota, revelatio angelica; lingua incognita, aspiratio divina: *Si linguis hominum*, inquit Apostolus, *loquar et angelorum* (*I Cor.* XIII). Quemadmodum igitur lingua hominum, ita et lingua angelorum. Hanc utique linguam audire non possunt qui curis sæcularibus pressi, nil nisi tenebras aspiciunt. Mundi ergo tenebras deserat, qui cœlestis sapientiæ notitiam desiderat. Nam si ab exterioribus operibus per amorem et cogitationem recedimus, internæ aspirationis vocem citius audimus, sicut de Israel scriptum est: *Quia dum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit* (*Psal.* LXXX). Quam linguam quanto quis sæpius audit, tanto in cœlestis sapientiæ cognitione plus proficit.

ADNOTATIO IN PSALMUM LXXX.

Dilata os tuum, et implebo illud. Non omnibus hoc dicitur, sed illi tantum quem Dominus Deus suus eduxit de terra Ægypti; illi, inquam, recte hoc dicitur, dilata os tuum et implebo illud. Nam si adhuc

Digitized by Google

Ægyptum inhabitas, et hujus sæculi tenebras amas, melius tibi est os contrahere quam dilatare, quia facile in Ægypto non invenis unde possit illud implere. Et quidem multos videmus qui non habent unde queant ventrem satiare. Sed hoc valde mirum videtur, si sit aliqua quælibet tam paupercula anima quæ non habeat unde valet os suum implere. Quid ergo, quæso, est quod hic dicitur et quasi pro magno promittitur : Dilata os tuum, et implebo illud? Sed si illud interioris nostri hominis os aspicimus, quod quærimus citius invenimus. Videamus quid esuriant vel sitiant Ægyptii, et videbimus quam sint pauperes, vel quantum egeni, qui non inveniunt omnes unde possit vel unum os impleri. Qui in Ægypto sunt non inhiant nisi ad carnalia, nil desiderant nisi temporalia. Sic econtra qui de Ægypto egressi sunt, nil optant nisi spiritualia, nil suspirant nisi cœlestia. De quibus dicitur : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v). Vere beati, quoniam cibavit illos Dominus pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit eos. Ad horum numerum pertinere videtur cui Dominica voce dicitur : *Dilata os tuum, et implebo illud.* Sed quidnam est hoc os interioris hominis, nisi desiderium cordis? Sed hoc os omnes Ægypti deliciæ implere non possunt, quia omnes divitiæ mundi carnalia desideria satisfacere nequeunt. Vide quam parva portio humani corporis, et quam angustum foramen sit os carnis. Quis non videat quam parvum est quod una panis buccella impleri potest. Quod igitur est una buccella ad os carnis, hoc est totus mundus, imo multo minus ad os cordis. Nam una buccella corporeum os facile replet, sed totus mundus desiderium cordis implere non valet. Considera, si potes, quanta sit latitudo cordis cujus os implere non potest totus mundus. Considera quomodo divinus sermo mundi copiam despicit, cui unam buccellam panis cœlestis in comparatione anteponit. Si igitur Ægyptum deseruisti, et spiritualia esurire didicisti, dicitur tibi : *Aperi os tuum, et implebo illud;* et iterum : *Dilata os tuum, et implebo illud.* Ergo, si clausum est, juberis aperire; si apertum est, præciperis dilatare. Aperi ergo os tuum, et quantumcunque potes extende desiderium tuum. Multum extende, ut multum possis capere. Quanto ad illa capacior fueris, tanto beatior eris. Extende ergo ne parcas; et si parcere vis, tibi, non illis timeas. Nesciunt illa deficere, sed tu potes ad illa minus idoneus esse. Dilata ergo os tuum quantum potes, quia nunquam nimis capere potes. Aperi ergo et dilata os tuum, et implebitur illud. Facile hoc implere potest, qui fecit illud. Ad hoc enim mittit crystallum suam sicut buccellas, ut ipse non semel, aut bis, sed frequenter impleat quod totus mundus, vel semel implere non valebat. Mittit, inquam, crystallum suam sicut buccellas, non ut buccellam, sed buccellas, ut habeas unde os tuum sæpius impleas. Sed quis est hic panis crystallinus tam durus, tam purus? Pulcher quidem ad videndum, sed fortis ad masticandum. Hinc est quod cœlestis panem sapientiæ omnes pene concupiscunt, sed pauci admodum apprehendunt : *Parvuli*, inquit, *petierunt panem, et non erat qui frangeret eis* (*Thren.* IV). Mirabilis hic panis, quem et parvuli concupiscunt, et nec magni frangere possunt. Sed quid mirum tamen si parvuli concupiscunt, propter crystallinam pulchritudinem, vel quid mirum si magni frangere nequeunt, propter crystallinam duritiem? Idcirco Dominus quando vult reficere quoslibet pane vitæ et intellectus, prius dividit panem suum per buccellas, et sic tandem quando, et quibus vult ministrantibus angelis mittit crystallum sicut buccellas. Sed putasne, vel tunc sufficiant ad esum panis crystallini utpote in buccellas divisi? Nequaquam credo. Sed idem ipse qui mittit crystallum suam sicut buccellas, emittet Verbum suum, et liquefaciet ea; et veniens ipse Christus ad implendam promissionem suam, transiens ministrabit illis, et ne potus videatur deesse, flabit Spiritus ejus, et fluent aquæ. Vides quomodo Christus in cibo, Spiritus sanctus ministrat in potu propinando. O qualis refectio, ubi dapifer est Christus, pincerna est Spiritus sanctus!

ADNOTATIO IN PSALMUM LXXXIV.

Justitia et pax osculatæ sunt. Alia pax est ante pœnitentiam, quando spiritus obtemperat carni. Alia pax est post peractam pœnitentiam, quando caro subjicitur spiritui. Pax namque est quando caro concupiscit, spiritus acquiescit. Pax nihilominus quando spiritus imperat, caro obtemperat. De pace spiritus ad carnem dicitur : *Nunc autem quæ ad pacem tuam sunt, sed venient dies, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te* (*Luc.* XIX). Et iterum, pax pax, et non est pax; quia pax dicenda non est, quæ vera non est. De pace carnis ad spiritum dicitur : *Et pax quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras* (*Philip.* IV). Inter primam et ultimam pacem discordia nascitur, bellum geritur, odium exercetur, quia caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, quando corpus castigatur et in servitudinem redigitur. Sed post peractam pugnam, post acquisitam victoriam, pax componitur, discordia sedatur, et transitur de pace ad pacem, de carnali ad spiritualem, de falsa ad veram, de mala ad bonam. In prima pace caro dominatur, spiritus famulatur. In secunda pace spiritus regnat, caro obtemperat. Prima pax peragitur regione dissimilitudinis ubi regnat concupiscentia. Secunda invenitur in terra repromissionis, ubi imperium tenet

Digitized by Google

justitia. Transitus quidem difficilis est : neque enim datur transire de gente ad gentem, et de regno ad populum alterum, nisi in manu potenti et brachio excelso. Quid est de gente ad gentem nisi de concupiscentiis carnis ad concupiscentias spiritus? Quid est de regno ad regnum, nisi de regno iniquitatis ad regnum charitatis ? Distingue ergo hæc tria tempora. Primo, quando expletur concupiscentia; secundo, quando exercetur pœnitentia ; tertio, quando diligitur justitia. Quandiu itaque caro concupiscit, spiritus vero acquiescit, pax quidem est, sed bona non est, quia justa non est, et idcirco justitia indignatur. Detestaturque hujusmodi pacem, et recedit justitia, et remanet quidem pax, sed sola. Fitque quandoque ut post expletam concupiscentiam compungatur cor ad pœnitentiam convertaturque ad justitiam. Exsurgunt itaque subito, exardescuntque vehementer hinc concupiscentiæ spiritus, illinc concupiscentiæ carnis. Spiritus si quidem concupiscit, sed caro contradicit. Fugatur pax, justitia revertitur, pugna valida inchoatur. Nec prius quiescit spiritus, donec regnum suum jure in carne sua recipiat, et eam perpetuæ servituti addicat. Servit itaque caro, prius tamen invita, postea vero voluntaria. Componitur item pax, munda conscientia, sicque redit pax, ut non recedat justitia. Nec jam se invicem patiuntur tantum, sed charius amplectuntur, et in charitatis osculo invicem fœderantur, sicut scriptum est : *Justitia et pax osculatæ sunt.* Primo ergo est pax, sed sola tempore experiendæ concupiscentiæ. Secundo vero justitia et sola tempore exercendæ pœnitentiæ. Novissime autem simul sunt pax et justitia, tempore mundatæ conscientiæ.

ADNOTATIO IN PSALMUM XCVIII.

Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. Quid, quæso, novi accidit, quid nos docere voluit? Quis enim inter Dei sacerdotes deputabitur si Moyses et Aaron, a quibus omne sacerdotium sumpsit exordium, in eis non annumerantur ? Sed et Samuel cum adhuc puer esset die ac nocte in templo permanebat, quanto magis tempore David, quando jam senuerat? Quid aliud enim in templo agere oportuit quam Domino deservire, quam Dominum invocare? Nil ergo novi, ut arbitror, accidit, ut de eo a Propheta dici vel scribi oportuit. Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Sed si diligenter attendimus, multo ante ejus tempora Moysen et Aaron mortuos invenimus et forte tunc Samuel e vita discesserat, quando Propheta talia scribebat. Quid ergo est, obsecro, quod dicit, quid nos docere voluit, cum ait : Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, etc.? Novimus quoddam templum Dei vivum, si Apostolo Dei de eo scribenti credimus : *Templum Dei*, inquit, *sanctum est quod estis vos* (*I Cor.* III). Nequaquam ergo credendum est Dei templum sine sacerdotibus esse, vel absque his qui invocant nomen Domini esse debere. Sed utinam Moyses et Aaron sint in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Quæramus qui sint isti Moyses, et Aaron, et Samuel. Per Moysen lex data est. In Aaron sacerdotium initiatum est. Samueli donum prophetiæ concessum est. Officium itaque Moysi est facienda præcipere, omittenda prohibere. Officium Aaron est ad ea quæ Moyses mandat Domini implorare auxilium, et transgressoribus oratione, et oblatione Deum iterum reddere propitium. Officium Samuelis est prædicere quod præmium sperare valeant legis exsecutores, quam pœnam debeant exspectare legis prævaricatores.

Si igitur videris aliquem de sæculo nuper venientem, tota die circa hoc intentum, in hoc omni hora occupatum; quid pro præteritis delictis satisfaciat, quomodo de futuris se cautum custodiat, quid quo ordine gerendum, quantum, vel quando cuilibet rei insistendum, scias Moysen in ejus qui hujusmodi est corde surrexisse, et quasi novam quamdam quodammodo legem condere. Nato namque Moyse, et adulto, jam mores componit, jam vitam disponit. Cogitat quemadmodum vultum moderari oporteat, quam disciplinate habitum gestumque componat, dictat quid comedendum, quantum vigilandum, qualiter resistat iræ, quomodo contradicat gulæ, quemadmodum conculcet superbiam, qua ratione exstinguat luxuriam, quam promptus esse debeat ad obediendum, quam patiens ad sustinendum, multa præterea alia quæ melius faciendo quam legendo discimus et arctius retinemus. Cognoscite itaque Moysen in hoc gemino signo, cum videritis dura præcipientem, districte punientem. Data itaque lege et accepta incipit velle proficere, sed non datur posse adimplere, ita ut cum Apostolo proclamare possit : *Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio* (*Rom.* VII). Superba etenim adhuc mens quia omnia præsumit de sua potius industria quam de Dei gratia, deserente Deo, sibi sæpius relinquitur ut infirmitatem suam experimento edoceatur. Incipit itaque, satagit, lassessit, deficit. Sed nec sic quidem statim a sua præsumptione reprimitur, et a propria confidentia nisi post multa experimenta non revocatur. Resumit iterum vires et renovatur, sibi irascitur, sibi indignatur, increpat, castigat, nunc de negligentia, nunc de imprudentia seipsam accusat, ulciscitur seipsam de seipsa, invehitur in seipsam. Vigiliæ itaque extenduntur, jejunia itaque continuantur, affligitur corpus frigore et nuditate, caro atteritur labore et verbere. Mactantur itaque multiplices hostiæ, in ara tamen exteriori, necdum mentio saltem fit de ara interiori. In tanta ergo afflictione corpus dum requies nulla datur, dum nec modus, nec mensura servatur, corpus jam deficit,

Digitized by Google

animus lassescit, et tandem vix aliquando cum se videt corpore deficere et corde tabescere, in se revertitur, et illius apostolici recordatur : *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX). Abjecta itaque spe omni de propria confidentia, tota ad Deum convertitur, et hausto prius igne de exteriori ara, in Sancta sanctorum curritur, non sine tamen vituli sanguine. Mactato namque vitulo superbiæ, et tota prioris arrogantiæ præsumptione abjecta, jam desperans de se, sperare incipit de Domini adjutorio, et post multiplices, ut diximus, hostias, in exteriori ara oblatas, in ara jam interiori afferre Domino consuescit gemitus, suspiria, preces et lacrymas. Ara exterior sensus carnis. Ara interior effectus cordis. In ara ergo interiori, gemitus, suspiria et lacrymæ offeruntur et cætera quæ cordis affectum commovent, sicut in ara exteriori vigiliæ, jejunia, labor, inedia cæteraque quæ ad sensum carnis pertinent. De hoc tamen altari exteriore videlicet ignis hauritur, cum ad interiorem aram properatur. Nam de afflictione corporis vis doloris ad cor trahitur, unde postmodum compunctionis incensum inflammetur. Cum igitur hæc videas frequentius actitari, non dubites in Aaron novum sacerdotium initiari. Nam ad Aaron, ut superius diximus, pertinet divinæ propitiationis protectionem quærere, et Deum oblationibus et orationibus propitium reddere, et ut sacerdotii officium plenius cognoscatur, duo sunt quæ præcipue ad ipsum pertinere videntur, populum videlicet instruere, et sibi et populo Dominum placare. Quorum unum Moyses plene exsequitur, alterum per Aaron magnifice impletur. Unde et de eis merito dicitur : *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.* Et additur : *Et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.* Superius diximus quod sicut in Moyse et Aaron legislatio vel sacerdotium claruerat, sic in Samuele donum prophetiæ eminebat. Quid ergo est quod nunc de eo dicitur, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus, cum post dici debere videatur, et Samuel inter prophetas ejus? Cur ergo inter eos qui invocant, et non potius inter eos qui prophetant? Sed forte inter eos qui Deum invocant, Samuel libenter prophetat, an forte illi Deum libenter invocant inter quos ipse prophetat? Sic utique est, nec de hac re ambigi potest. Novit Samuelis prophetia facere vere invocantes, et in veritate orantes.

Quanto enim quis plenius noverit, quanto frequentius, quanto attentius cogitaverit, quæ præmia justis in cœlo, quæ tormenta pravis sint reposita in inferno, tanto, ut arbitror, verius Deum invocat, tanto attentius orat. Sed si desinit Samuel prophetare, cito desistunt sacerdotes invocare, et quanto fit futurorum contemplatio rarior, tanto redditur oratio tepidior, tanto surgit invocatio tardior. Ut ergo Moyses districtus sit in præceptione, ut Aaron devotus permaneat in oratione, necesse est ut Samuel subtilis perseveret in contemplatione. Est adhuc quod de Samuelis officio subtilius loquamur. Solet, ut sæpe videmus, in initio conversationis suæ quisque quam promptus ad operationem, tam devotus esse ad orationem, utpote viventibus adhuc Moyse et Aaron qui his negotiis maxime præesse videntur. Sed cum jam se pro præteritis delictis satisfecisse crediderit, cum se jam quasi sanctum, et aliquem magnum putaverit, incipit iterum negligere et a pristino fervore deficere. Mortuis namque Moyse et Aaron, mens cito tepescit, et in quamdam negligentiam, seu etiam contemptum cadit, juxta Moysi sententiam, qui ait : *Scio quod post mortem meam inique agetis; me etenim adhuc vivente, semper contentiose egistis* (*Deut.* XXXII). Mors Moysi, defectus studiosæ sollicitudinis. Interitus Aaron, intermissio devotæ orationis. Mortuis ergo Moyse et Aaron, incipit mens in quamdam negligentiam cadere, imo etiam sæpe usque ad contemptum venire. Surgunt hinc inde tentationes, occurrunt undique immundæ cogitationes, oriuntur in corde subito turpes delectationes. Caro acriter inflammatur, mens uritur, conscientia tota turbatur atque confunditur. Recurritur ad orationem, festinatur ad operationem, fit iterum devota ad orandum, prompta ad obediendum, studiosa in lectione, fervens in compunctione, festina in opere. Nec prius a sua instantia cessat, quousque ab instanti periculo se eruat, et ad priorem tranquillitatem se iterum reformet atque componat. Pacatis itaque omnibus, redit prior tranquillitas, tranquillitatem sequitur securitas, securitatem comitatur otiositas. Otiositas generat curiositatem, curiositas subintroducit cupiditatem. Concupiscentia autem, quæ omnium vitiorum mater est, arcem mentis tenente et usque ad cordis penetralia cum quadam violentia penetrante, facile vitiorum multitudinem ad se admittit, et sub omni festinatione quasi exercitum suum introducit. Sapientiæ thesaurus in prædam diripitur; virtutum plebs servituti addicitur, fiunt iterum novissima hominis illius pejora prioribus. Iterum confugitur ad divinæ propitiationis adjutorium, funduntur preces ex corde; renovatur pristinæ conversationis studium, placatur item, flectiturque tandem divina benignitas, restituitur homini antiqua libertas, fit itaque, fitque frequenter hæc vicissitudinum alternatio, modo vitiorum oppressio, modo virtutum successio. Sæpe propter suam negligentiam hostibus traduntur, sæpe per Dei misericordiam iterum ab hostibus eripiuntur. Agitur hoc mira divinæ benignitatis dispensatione, ut per frequentem lapsum sua homini innotescat infirmitas, ut per multiplices hostium incursus et insidias, inimica homini pateſiat calliditas, ut per assiduam eruptionem divina homini manifestetur benignitas. Qui hæc, plenius nosse desiderat, librum Judicum paulo diligentius legat; inveniet ibi procul dubio quomodo filii Israel post suas prævaricationes ab hostibus impugnantur et superantur, servituti addicuntur. Afflicti ab hostibus item ad divinum adjutorium confugiunt, misericordiam petunt, quæ-

Digitized by Google

runt, inveniunt, et ad priorem libertatem redeunt. Quid, quæso, isti signant hostium incursus, nisi quosdam, ut sic dixerim, vitiorum cum virtutibus spiritualis pugnæ congressus? Deo autem deserente, sive eodem protegente nunc hæc, nunc illæ superant; modo hæc, modo illæ superantur. Quemadmodum et ibi Israel peccanti, suscitatur hostis ut eos diripiat, et iterum supplicanti, suscitatur Salvator ut eos eripiat. In quo et illud diligenter attendendum, sed et firmiter retinendum, quod non semper ab eisdem hostibus opprimuntur, sed modo ab his, modo ab illis diripiuntur, a quibusdam breviore, ab aliis autem prolixiore tempore affliguntur. Hoc utique, Deo dispensante, intra nos actitari cito deprehendimus, si spiritualis illius pugnæ, et internæ quæ intra nos geritur congressus non ignoramus. Fit namque ut ab uno quolibet vitio diutius impugnemur, quoadusque omnem ejus vim et naturam, et impugnationis modum plene erudiamur. Uno subacto, aliud contra nos se erigit. Illoque superato, aliud ei in nostra insectatione succedit, et quanto cuique violentia major, tanto utique ejus erga nos fit insectatio gravior, vel pugna prolixior. Ad hoc autem divina miseratio vult nos ab omnibus impugnari, ad hoc nos permittit a singulis diutius exerceri, ut de omnibus quemdam quasi victoriæ triumphum reportemus, et singulorum, ut dictum est, vim, naturam, impugnationisque modum quandoque plene, perfecteque cognoscamus. Unde et in libro Judicum Hebræorum salvatores, non reges nominantur, sed judices. Regum quippe est pro voluntatis arbitrio quod placuerit imperare. Judicum autem officium est leges nosse, causas examinare.

Quasi ergo quidam intra nos surgit judex, seu legisperitus, cum de quolibet vitio per multa argumenta, post innumera experimenta animus fuerit plene eruditus, quando non quod fieri velit (regum more) cum auctoritate præcipit, sed cum quadam prudentia implere nititur, quod eum experientia docuit. Quoties mens per multa experimenta erudita sapienter magis quam violenter a periculo eripitur, quasi toties judicum suorum prudentiam ex Dei munere experitur. Judex itaque post judicem surgit, quia post unius vitii ad alterius cognitionem mens proficit, ut quandoque post omnes judices, judex novissimus Samuel veniat, qui de singulis vitiis, de universis tentatoris insidiis plene eruditus existat.

A Incipit itaque eo tempore universas insidiatoris versutias, omnium vitiorum naturas non solum ipse cognoscere, sed et aliis manifeste detegere, et prudenter exponere. Sæpe dum in aliis vultus habitum, corporis gestum tacitus conspicit, quo quisque vitio impugnetur fere melius quam is qui tentatur agnoscit. Sæpe in ipso tentationis articulo fraudes inimici deprehendit, et quod vel quale ex re qualibet periculum provenire possit, longe ante prænoscit. Et hic est ille Samuel cui dona prophetiæ data esse superius dictum est. De quo scriptum est : *Quia cognoverunt omnes a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini* (*I Reg.* III). Nonne quasi quoddam prophetiæ munus videtur esse, occultas animi passiones, latentes inimici
B insidias detegere, futura pericula longe antequam veniant prævidere atque prædicere. Ut igitur ea quæ diffusius diximus ad compendium revocemus, ad Moysen pertinet quid faciendum sit prudenter discernere. Ad Aaron spectat ad ea quæ per nos implere non possumus divinum adjutorium implorare. Samueli incumbit, quid ex re qualibet utilitatis, vel periculi provenire possit caute providere. Per Moysen itaque discretio, per Aaron devotio, per Samuelem intelligitur circumspectio. Discretionis namque est mores componere, devotionis autem Deo supplicare, circumspectionis vero de superventuris providere. Si igitur deprehenderis mentem tuam in opere discretam, in oratione devotam, in
C circumspectione providam, poteris et tu cum Propheta psallere : Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Nam cum ad sacerdotes pertineat, ut superius monstrata ratio probat, populum præceptis informare, Deum precibus placare, manifestum est eos sine discretione et devotione (quasi Moyse et Aaron mortuis) sacerdotii sui officium non posse implere. Sed et quantum circumspectio quidam quasi Samuel facit eos de futuris timidos, tantum eos utique reddit in oratione devotos, et in Dei invocatione assiduos. Cum ergo videas sacerdotium digne administrari, et Deum tam frequenter, quam suppliciter invocari, scias hæc sine præsentia Moysi et Aaron, vel etiam Samuelis nullatenus actitari. Hæc utique
D circa se agi Propheta gratulatur, et tam humiliter quam veraciter confitetur, dicens : ***Moysen et Aaron in sacerdotibus ejus***, etc.

ADNOTATIO IN PSALMUM CIV.

Cum essent numero brevi paucissimi et incolæ ejus. Quasi paucos, imo paucissimos cives habemus, cum illas tantummodo virtutes possidemus, sine quibus omnino salvari non possumus. Fides, spes, charitas numero quidem brevi sunt, et facile numerari possunt. Et constat satis, quia sine his salus vera non est, et certum habetur, quia cum istis nemo perire potest. Verumtamen mirum videtur qualiter tam brevi numero pateat, vel detur transitus maxime de gente ad gentem, et de regno ad populum alterum, presertim cum transeant per terram alienam ad regionem longinquam. Nam sunt quidem non solum paucissimi, sed incolæ et peregrini. Fides namque quod credit, nondum per intelligentiam apprehendit, et quod speratur, necdum tenetur et hucusque charitas desiderio suo perfruitur, quandiu

Digitized by Google

procul a Domino in terra peregrinatur. Possumus etiam dicere, quia virtutum tirones pauci quidem adhuc sunt, quandiu hostilem vitiorum cohortem funditus delere non possunt; pauciores autem, cum nondum queant sibi subigere, et sibi saltem tributarios facere; paucissimi vero, cum non queant sine magno labore, et periculo gravi illis resistere, vel vitam defendere. Deo tamen ducatum præbente, pertranseunt sæpe hujusmodi paucissimi de gente ad gentem, et de regno ad populum alterum. Quid est transitus de gente ad gentem, nisi de concupiscentiis carnalibus ad delicias spiritus? Quid est de regno ad regnum, nisi de regno concupiscentiæ ad regnum justitiæ. Qui sic transit, recte Hebræus dicitur: nam Hebræus *transiens* interpretatur. Calcantes concupiscentiam, et apprehendentes justitiam transeunt Hebræi de regno ad regnum, vel potius sicut Propheta ponit de regno ad populum alterum. Quis enim hominum hic sine peccato vivit, quis nunquam hic carnalem delectationem sentit? Alibi ergo, non hic habet justitia regnum quamvis etiam hic habeat populum alterum, et a vitiis valde alienum.

Differuntur ergo interim Hebræi a justitiæ regno, transeunt tamen de regno ad populum alterum, et non datur transitus, nisi per medios gladios hostium. Deo tamen protegente, penetrant et pertranseunt medios hostes. Quia non reliquit hominem nocere eis, et corripuit pro eis reges. Soli homines inter cætera animantia ratione utuntur, et inter homines alios ipsi reges principantur. Quia igitur Propheta adversarios nostros alios astutiores, alios audaciores noverat, recte hos hominis appellatione, illos per reges designat. Isti dolis et insidiis fallere nituntur, illi quodam impetu feruntur. Hi callidiores, illi fortiores. Hi versutius tentant, illi vehementius instant; istorum astutia eruditur prudentia nostra, illorum instantia exercetur fortitudo nostra. Fortassis tamen si diligentius attendimus, illos rectius per reges designandos intelligimus, in quibus est astuta audacia et audax astutia, ut eorum tentatio sic sit violenta, ut sit simul et fraudulenta. Horum infestatio quanto difficilior, tanto periculosior. Quos tamen æterna Dei providentia servare disposuit, non reliquit hominem nocere eis, sed corripuit pro eis reges, increpans utique pro eis eorum hostes. Nolite tangere Christos meos, et in prophetis meis nolite malignari. Christi sunt qui unctionem acceperunt, prophetæ vero qui ventura prævidendo prædicunt. Sed scimus quia Dei unctio ejus est dilectio. Qui igitur hujusmodi unctionem accipiunt, qui ardenter quæ Dei sunt diligunt, Christi Dei sunt et Christi dici possunt. Recte ergo per Christos cœlestia desideria, sanctitatis vota accipimus, quæ ex divinæ inspirationis unctione in sanctorum cordibus flagrare cognovimus. Usus habet, ut dictum est, prophetas dicere qui possunt futura prævidere. Prophetæ ergo recte dicuntur, qui Deitatis arcana rimantur, qui cœlestia contemplantur, qui intima penetrant, qui mysteriorum profunda revelant. Spirituales itaque sensus quasi quidam prophetæ sunt, qui cœlestibus secretis sæpius intersunt, qui in invisibilibus contemplationis oculum figunt. Christos ergo facit desiderium æternorum, prophetas efficit cognitio secretorum. Hos accendit fervor dilectionis, illos illuminat subtilitas contemplationis. Hi multum diligunt, illi magna cognoscunt. Jure ergo pro talibus increpat Dominus reges, seu quoslibet eorum hostes. Nolite, inquiens, tangere Christos meos, et in prophetis meis nolite malignari. His enim insidiatur tepor, illis autem insidiatur error. Facile est ut devotionis fervor deficiat, et in tempore cadat, et sæpe intelligentia caligat et longius evagando se in errorem præcipitat.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXIII.

Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. Grande spectaculum videre montes exsultare sicut arietes, et colles sicut agni ovium. Talis profecto exsultatio, et taliter exsultantium non est invenire in terra suaviter viventium. Non est impiis gaudere, dicit Dominus. Si non est eis gaudere, quanto magis taliter exsultare? Talis, ut arbitror, exsultatio solet fieri in exitu Israel de Ægypto, nec ubicunque, sed in deserto. Exeundum itaque est de Ægypto, fugiendum de sæculo quibus potissimum placet tali potiri miraculo. Sed ut miremur amplius, et desideremus ardentius, perscrutemur altius, proposita exsultatio vel qualis describitur, vel quibus ascribitur. *Montes*, inquit, *exsultaverunt ut arietes.* Qui sunt exsultatores? Montes et colles. Et quale eorum gaudium? Sicut arietum, sicut agnorum. Unum audenter affirmo, quia arietum et agnorum exsultatio non est in risu et cachinno. Quales tamen gestus solent in suis lusionibus formare, vel quibus putamus modis solent gaudium suum exprimere? Solent sane in suis exsultationibus ut in commune novimus, saltus quosdam dare, et corpore sua in alta suspendere et per inane librare. Sed numquid tale aliquid de collibus, vel montibus exspectare debemus? Vere magnum, vere stupendum miraculum, videre montes et colles exsultantes in modum arietum vel agnorum. Quis enim non obstupescat, quis merito obstupescere non debeat, si videre contingat montium molem a plano dividi, et a solito separari, terram a terra rescindi, et tantam molem vel ad modicum per inane suspendi? Certe peccanti homini dictum est: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III). Unde et ei alias per exprobrationem dicitur: *Ut quid superbis, terra*

Digitized by Google

et cinis ? (*Eccle.* x.) Hæc itaque terra, humana videlicet natura in aliis quidem super conditionis suæ planum excrescit, et montem vel collem facit. In aliis autem in ima inclinatur, et in vallem derivatur. Montes itaque ascendunt, valles descendunt. Campi in plano resident, et medium locum tenent. In montibus humana industria supra naturam ascendit. In vallibus infra naturam descendit. In campis quæ naturaliter bona habere potuit, bona nutrit atque custodit : *Ascendunt*, inquit, *montes et descendunt campi in locum quem fundasti eis* (*Psal.* ciii). Cur tacet de vallibus ? Quia descendunt quidem, sed non in locum quem constituit eis Dominus, sed in locum quem elegit sibi animus perversus. Quo autem campi descendunt, non infra naturam, sed infra montium excellentiam.

Campi itaque sunt, qui terrena non deserunt, sobrie tamen, et juste, et pie in hoc sæculo vivunt. Montes seu colles sunt, qui sola quæ sursum sunt quærunt. Ejusmodi itaque montes, quanto ardentius cœlestia desiderant, quanto vehementius æternis inhiant, quanto altius excrescunt, tanto procul dubio cœli ardua vicinius tangunt. Sed aliud est celsitudinis suæ verticem in alta extendere, et cœli verticem velut e vicino tangere, atque aliud est quosdam velut saltus formare, et arietum vel agnorum more gestire. Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. Sed ut et montes et colles, et campos congruis sibi differentiis distinguamus, per montes contemplativos, per colles speculativos, per campos activos intelligimus. Nam activi utique hujus vitæ plana non deserunt, dum terrenis actibus inserviunt, et in camporum morem ad hujus vitæ usum in terrenis lucris quasi quosdam terræ fructus ferunt. Speculativi sunt qui cælestibus intendunt, qui invisibilia Dei per speculum in ænigmate vident. Qui eopse speculativi dicti sunt, quia nonnisi per speculum et in ænigmate videre possunt. Per contemplativos debemus illos intelligere, quibus datum est facie ad faciem videre, qui gloriam Domini revelata facie contemplando, veritatem sine involucro vident in sua simplicitate sine speculo et absque ænigmate. Montes itaque, vel colles sunt qui cœlestibus intendunt. Sed speculativi corporalium similitudinum nubila nullo modo transcendunt, quia summam veritatem in sua puritate videre non possunt. Contemplativi autem in montium morem, allegoriarum et ænigmatum nubilosa alta intelligentia transcendendo, tranquillum illud supernæ regionis serenum montis verticem tangunt. De talibus collibus, vel montibus illud prophetæ intelligimus : *In illa die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac, et mel* (*Joel.* iii). De montibus dicit, quia stillabunt dulcedinem, nec tamen dicit qualem, nec eam per aliquam exprimit similitudinem. Cur hoc, quæso, nisi quia tanta est quæ nulla similitudine digne exprimi potest ? Cur hoc, quæso, nisi quia dulcedinem puram hauriunt et effundunt ? Collium autem dulcedo per similitudinem exprimitur, cum lac vel mel figurative nominatur. Cogita ergo qualis vel quanta sit illa dulcedo quam superiores experiuntur, quando et illa quam inferiores sentiunt lac et mel nominatur. Oportet itaque montes ineffabilem illam quam in tanta abundantia hauriunt, stillando respergere, non illam abundantia effundere, et secundum inferiorum capacitatem infusionis suæ modum temperare : *Stillabunt*, inquit, *dulcedinem, et colles fluent lac et mel.* Talis dulcedo facit ejusmodi montes et colles coram Domino cantare, et vocem exsultationis et confessionis in ejus laudibus resonare. Montes et colles cantabunt coram Domino laudem. Talis, inquam, dulcedo facit montes et colles mirabiliter exsultare in Domino. Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. Sed si tales montes et colles cogitamus, profecto desinit esse magnum, vel mirum quod de eis superius jam in admirationem diximus. Etenim magnum non erit homines in modum arietum et agnorum exsultare, et juxta eorum similitudinem quosdam saltus formare.

Spirituales itaque, non corporales saltus in hac prophetica sententia quæramus, et quales denique decebat vel Spiritum sanctum docere, vel prophetam describere. Corporalis saltus, est totum corpus a terra suspendere. Spiritualis saltus, spiritum et totum quod spiritus est a terrenis alienare. Corporalis saltus, est terræ tactum usquequaque deserere, et totius corporis membra per inane librare. Spiritualis saltus est mente excedere, et infimis in imo relictis in invisibilium contemplationem totum transire. Cogita ergo virtuales animæ partes, et sic forte facilius invenies quantum sit, vel quale ejusmodi omnia a terrenorum contactu suspendere, spirituales saltus formare. Prius siquidem corporalis sensus sopitur, bestialis appetitus obstruitur, exteriorum memoria intercipitur, affectio inebriatur, ratio transformatur, intelligentia innovatur, mens tota a seipsa alienatur, ut spiritualis ille de quo loquimur saltus formetur. Perpende ergo, si potes, qualis sit illa cordis gratulatio, quam vehemens exsultatio, quæ cogit animum assueta deserere, et supra semetipsam ire, temporalia ad tempus nescire, et in cordis tripudia quosdam quasi saltus in superna et æterna miris modis et multis inexpertis dare, et frequenter iterare. Respondes fortassis ad hoc voce Nicodemi : Quomodo possunt hæc fieri ? Esto, magnum, mirum et omnino stupendum hoc fieri posse, sed multo magis indignum hoc omnino facere non posse. Vide quam sit indignum quod exterior homo suos quosdam secundum modum suum saltus dare potest, et homo interior sui generis saltus, secundum modum sibi congruum penitus formare non potest. Attende quam sit omnino, et cum omni admiratione stupendum, quod corpus de terra sumptum, terram ad tempus dato saltu deserere, et supra semetipsum ire potest. Spiritus vero spiritualis et incorporea natura, a corporeis et terrenis vel ad modicum separari non po-

Digitized by Google

test. Miraris quod spiritualis creatura in spiritualibus se suspendere potest, et non potius miraris quod spiritus a non spiritualibus separari non potest ? Siccine in oculis tuis desinit esse mirabile, quod bene consideranti pene videtur contra naturam esse, spiritum videlicet circa corporea tam fortiter, et pene inseparabiliter ligari, adeo ut ab eis vel ad modicum non possit avelli, et illud tibi minus, vel minime mirabile videtur, quod incorporea natura illud non potest, quod secundum naturam judicatur a corporeis videlicet ad seipsam redire, et in suis, hoc est in incorporeis fixa stare. Sed illud, ut arbitror, idcirco non miraris, quia in teipso minime experiris. Sed si necdum potest spiritus tuus ad semetipsum redire, quando poterit supra seipsum ire, et quales spiritualem naturam decet saltus formando in divina transire ? Quid est spiritus qui incorporeus est, ad se, vel in sua redire, nisi solam incorpoream creaturam, et quæ circa ipsam sunt præ oculis habere ? Quid est autem spiritum quasi dato saltu supra semetipsum ire, et in illam omnium creatricem naturam, et quæ circa ipsam sunt oculum contemplationis figere ? Spirituales itaque viri cum in hujusmodi excessus ex magnitudine spiritualis exsultationis incidunt, impletur in eis quod per Psalmistam dicitur : Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. Certe ad divina contemplanda spiritus rationalis creatus est, quid ergo miramur si hoc facere potest ad quod factus est, cum hoc solum mirandum videatur, si hoc facere non potest ? Est tamen utrumque mirabile, et hoc posse, et ipsum non posse. Sed unum carnalibus, aliud spiritualibus. Posse mirabile, quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Non posse mirabile, quia spiritus est qui adjuvat infirmitatem nostram. Mirare ergo quod miraris, utpote carnalis venundatus sub peccato. Sed ut adhuc altius intelligas quantum admirari debeas, vel quam merito obstupescas, cogita illas nonaginta novem oves quas summus pastor in summis illis æternæ hæreditatis montibus reliquit, quando unam quæ perierat in terris quæsivit, invenit, et in propriis humeris reportavit. Cogita ergo quantæ dignitatis sit, vel excellentiæ hujus mortalitatis nostræ terram in exsultationis suæ montibus cum illo cœlestium agminum grege cognatæ similitudinis aliquid habere commune. Cogita, inquam, quam sit plenum honoris et gratiæ humanæ naturæ infirmitatem, vel in ea parte qua magis præeminet juxta angelicæ similitudinis proprietatem jucundationis suæ saltus posse formare. Si hoc cogites, quo, quæso, te ducet magnitudo admirationis tuæ, nisi ut te intelligas in istis satis admirari non posse ? Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. Si per terram humanam naturam, si per designatum gregem angelicam naturam oportet intelligere, quis de angelicis virtutibus non videat quam sit eis jucundum et dulce in ejusmodi terra hac illacque discurrere, accubare, et illam desideriorum suorum aviditatem quam esuriunt et sitiunt justitiam virtutum nostrarum fructibus satiare ? *Nonne omnes*, inquit Apostolus, *administratorii Spiritus sunt, in ministerium missi* (*Hebr.* I), propter eos qui hæreditatem capiunt salutis ? Montes exsultaverunt, et cætera

Ecce jam audivimus quid dicat de montibus et collibus. Sed quid, quæso, tacet de campis et vallibus ? Sicut superius jam dictum est, valles sunt qui ad ima et infra naturam descendunt, et bona naturæ pravis moribus corrumpunt. Per campestria itaque et montana intellige pios, per valles vero intellige impios. Merito ergo Propheta hoc loco de vallibus tacuit, quia impios absque dubio verum gaudium habere non posse cognovit. Non est enim impiis gaudere, dicit Dominus. Sed, si campi currunt in numerum justorum, cur, quæso, hoc loco tacetur de gaudio et exsultatione eorum, cum scriptum sit : *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum* (*Psal.* CXVII). Sed aliud est mediocriter, vel etiam multum gaudere, et longe aliud in exsultationis suæ gaudiis humanæ possibilitatis metas transcendere, et arietum vel agnorum more ludendo speciales quosdam et quales tibi descripsimus saltus formare, et mente excedendo humana transire. Sed campi quidem quoniam activæ vitæ plana non transcendunt in modo vivendi, sic et humanæ vitæ mediocria non merentur excedere in modo exsultandi. Merito ergo solis montibus et collibus talis exsultatio ascribitur, qualis hic mystice describitur, cum dicitur : Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. Trium hic, ut audis, mentionem facit, arietum, ovium et agnorum. In hujusmodi animalibus arietes tenent sine dubio supremum locum, oves medium, agni novissimum. Consideremus ergo hinc arietes, oves et agnos, illinc montes, colles et campos, et videbimus quadam similitudinis ratione tria tribus respondere. Comparatione namque superiorum, campi tenent infimum locum, sicut et colles medium, et montes supremum. Cum ergo dictum sit montes exsultare sicut arietes, consequens esse videretur, ut colles dicerentur exsultare sicut oves : nam utrique in genere suo tenent medium locum, sicut agni et campi novissimum. Cur ergo dicuntur colles exsultare non sicut oves, sed sicut agni ovium ? Sed si dictorum rationem volumus plenius intelligere, oportet propositæ similitudinis proprietatem diligentius attendere. Per supradicta itaque animalia, ut mihi videtur, designatur triplex illa angelorum hierarchia, a magno illo theologo beato videlicet Dionysio Areopagita descripta. Totam namque cœlestium spirituum frequentiam per novem, ut novimus, ordines distinctam in tres hierarchias dividit, et unicuique quidem tres ordines ascribit, seraphin scilicet et cherubin, et thronos assignans primæ, dominationes, virtutes, et principatus secundæ, potestates, archangelos et angelos tertiæ.

Digitized by Google

Per arietes itaque qui, ut jam superius dictum est, in sui generis animalibus locum tenent supremum intelligitur principalis cœlestium ordinum hierarchia et omnium suprema, per oves media, per agnos omnium novissima. Supremam omnium dicimus, quæ Deo immediate jungitur, et quæ cæteras illuminat, et ipsa ab alia nulla quam a sola omnium creatrice hierarchia illuminatur. Media vero hierarchia est quæ et illuminat et illuminatur. Extrema omnium est quæ inferiores quos illuminet non habens, sola solummodo a superioribus illuminatur. Ecce jam audivimus quid de ejusmodi grege, vel graduum differentia sentire debeamus. In spiritualibus igitur et supercœlestibus gregibus spirituales et supercœlestes saltus quæramus.

Quid itaque est eos sui generis saltus dare, nisi ipsos supra semetipsos ire, et ad ea quæ supra ipsos sunt contemplatione ascendere? Supremæ itaque hierarchiæ ordines cum supra semetipsos contemplatione ascendunt, nihil aliud quam creatricem illam omnium substantiarum substantiam inveniunt. Eis itaque est quasi quosdam saltus dare summæ illius essentiæ magnitudinem in semetipsa absque omni speculo videre. Illius namque magnitudinis geminus in eis contemplandi modus invenitur. Nam modo ab eis per speculum, modo sine speculo videtur, et quam sit admirabilis, et omnino incomprehensibilis nunc in semetipsa, in subjecta creatura perspicitur. Divinam itaque potentiam, vel sapientiam in semetipsis mirabilem cernere, hoc utique est eis per planum ire. In inferioribus vero ordinibus ejusdem potentiæ, vel sapientiæ, magnalia contemplari, et contemplando mirari, hoc est eis descendere, non saltus dare. Ex his itaque palam est colligere, quia nihil aliud est arietes in sua exsultatione quosdam saltus dare, quam sine speculo, ut diximus, videre, et in puram et in simplicem theophaniam assurgere. Mediæ autem hierarchiæ ordines, sicut et ultimæ cum supra semetipsos ascendunt speculo utique uti possunt, quia supra semetipsos sublimioris dignitatis ordines inveniunt, ex quibus digne satis in divinæ sapientiæ et potentiæ admirationem assurgunt. Solent tamen et ipsi uti simplici contemplatione, sed hoc est eis volare potius quam saltus dare. Qui enim saltum dat, non multum se a stationis suæ loco elongat. Nam ex volatu quidem scimus quam aliter contingere soleat. Quoniam ergo illi spirituum ordines, qui designantur per arietes, in suis, ut sic dicam, saltibus utuntur, nonnisi simplici contemplatione: et quoniam cæteri ordines qui designantur per agnos et oves nunquam in suis saltibus utuntur nisi speculatione, recte dicitur per Psalmistam: *Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium.* Per montes siquidem, ut superius jam dictum est, intelligimus viros contemplativos, sicut et per colles speculativos. Nihil itaque aliud est montes in modum arietum exsultare, nisi viros contemplativos per mentis excessum summam veritatem nuda, et aperta visione attingere, et quasi facie ad faciem videre. Nihil enim aliud est colles in modum ovium vel agnorum exsultare, quam viros speculativos per mentis excessum in ejusdem veritatis admirationem speculando assurgere.

Notandum sane quod, cum sint duo genera speculationum, unum quod surgit ex admiratione corporalium rerum, aliud quod surgit ex admiratione rerum spiritualium, solum istud secundum æmulatur saltus, et tripudia super mundanorum, vel ovium. Si in illis itaque jam dictis collibus spirituales viros cogitemus, nil aliud est eis saltus spirituales formare, et agnorum vel ovium intellectualium more tripudiare, quam super cœlestibus quos vere supra seipsos conspiciunt spiritibus intendere, et de ejusmodi spectaculo in divinitatis admirationem miris et insolitis gratulationis suæ motibus assurgere. Sed, cum sit commune intellectualibus tam ovibus quam agnis speculativis, ut sic dicam, saltibus ludere, cur, quæso, dicit colles sicut agnos, non sicut oves exsultare, cum et hoc posset veraciter dicere? Sed videte quam admiranda ratione de comparatione montium, et arietum dixit quod veraciter dicere potuit, et iterum de comparatione collium et ovium tacuit, quod utique verum fuit, ne quis ejusmodi comparationem conaretur ut ad solam similitudinem, sed et ad æqualitatem trahere, æstimans primum gradum hominum primo gradui angelorum, et secundum secundo, quasi ex pari respondere. Quod ergo dictum non est, tacuit Propheta pro removenda suspicione æqualitatis, ut et id quod dixit dictum intelligatur pro ratione similitudinis. Breviter, si placet, recapitulemus quod diffusius jam diximus.

Diximus quod per montes intelligimus viros contemplativos, per colles viros speculativos. Diximus quia per arietes intelligimus seraphin, cherubin et thronos. Per agnos, potestates, archangelos et angelos. De ejusmodi itaque montibus et collibus psallimus. Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. Pensemus ergo, si possumus, cujus sit prærogativæ, vel gratiæ, quantæ sit excellentiæ, vel gloriæ humanæ infirmitatis industriam in illam angelicæ jucunditatis celsitudinem similitudinis cujusdam affinitate assurgere, et miris quibusdam et momentaneis contemplationis, vel speculationis suæ saltibus illam quidem, quamvis raro et raptim et velut per mentis excessum attingere. O anima benedicta, o vere beata et multum glorificanda, cui datum est desuper mirificis illis cherubin et seraphin gaudiis sub hoc peregrinationis suæ tempore, vel ad modicum interesse, beatificas illas internæ et æternæ dulcedinis delicias degustare, et sub hujus miseræ carnis fatigatione, de illa immensitatis plenitudine primitias quasdam accipere. Hujusmodi degustationis memoria debet cor nostrum tangere, animi intima penetrare, affectum transfigere, desiderium transverberare, cum quotidie psallimus vel ruminamus: Montes exsultaverunt ut

Digitized by Google

arietes, et colles sicut agni ovium. Hujus exspectationis desiderio cor nostrum incalescat, spiritus incandescat, anima inardescat in orando et psallendo. Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. Utinam quam psallimus frequenter, tam psallamus et sapienter : Montes exsultaverunt, etc.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXVII.

Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum. Dicens Propheta vox exsultationis, congrue statim subjecit, et salutis. Habent namque et illi gaudium suum, quamvis perversum qui lætantur cum male egerint, et exsultant in rebus pessimis. Videas perverse viventes, alios gaudentes, alios mœrentes. Sed talium vox sive sit gaudii, sive mœroris, non utique vox est salutis, sed perditionis. Similiter in bonis moribus videre licet alios gaudere, alios vero dolere et flere. Sed cur hic adhuc desolantur et dolent, plangunt et mœrent cum scriptum sit : *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum?* Forte qui adhuc agunt pœnitentiam, nondum emundaverunt conscientiam, necdum apprehenderunt justitiam. Habent itaque interim vocem mœroris et salvationis, habituri quandoque vocem exsultationis et salutis. Dolete ergo et flete interim qui hujusmodi estis, tristitia enim vestra vertetur in gaudium.

Notandæ sunt hæ quatuor voces, et a se invicem distinguendæ, vox exsultationis et perditionis in perverse lætantibus, vox mœroris et perditionis in perniciose dolentibus, vox mœroris et salutis in pœnitentibus, vox exsultationis et salutis in perfecte viventibus. Recte ergo dicitur, vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum. Væ illis qui hic flere incipiunt, et in futuro nunquam flere desistunt. Væ nihilominus illis qui ad tempus exsultant, ut in æternum lugeant. Illis, inquam, væ, qui præsentis vitæ vel futuræ gaudia nesciunt. Istis autem duplex væ, qui et semper lugent bona quæ hic perdiderunt, et mala quæ hinc recedentes illic invenerunt. Felices et illi qui sic lugent in tempore, ut gaudeant in æternitate. Felices et illi, imo his multo feliciores, qui in tempore prægustant unde æternaliter gaudeant. Vox itaque exsultationis et salutis in tabernaculis justorum. In tabernaculis, inquit. Habitant ergo justi in tabernaculis, non in domibus, quia non habent hic manentem civitatem, qui futuram inquirunt, qui quæ sursum, non quæ super terram sunt sapiunt. Tabernacula militantium munitiones esse cognovimus, nos quoque quorum vita militia est super terram, militantes, non otio torpentes esse debemus. Quam autem caute, quam strenue pugnandum sit nobis, diligenter nobis est attendendum, quibus est colluctatio, non adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Pretiosa res valde justitia, et quæ adversariorum invidiam cito excitet et eorum erga nos odium acriter inflammet. Hæc namque ratio est pugnæ, hæc est causa victoriæ. Ad hoc contra malignos spiritus pugnamus ut justitiam inviolatam custodiamus : dimicant ipsi contra nos, non ut eam sibi acquirant, sed ut ea nobis violenter auferant. Facile autem victoriam sibi de nostra infirmitate præsumunt, pro eo, quod portamus thesaurum hunc in vasis fictilibus. Sed forte minime attendunt quod non sumus confidentes in nobis, sed in ipsius adjutorio, cui dicimus : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psalm.* CXIII). Sed miraris forte, nec immerito tamen, quomodo sibi conveniunt, vel quonam modo convenire possunt prælium et gaudium, vox lætitiæ et clamor pugnæ. Unde ergo hæc tanta lætitia, nisi de frequenti victoria? Vox ergo exsultationis et salutis in tabernaculis justorum. Si miraris, si vis habere unde mireris, mirare potius quomodo persequebatur unus mille, et duo fugarent decem millia. Nonne et tu cantabis Domino canticum novum, et audietur in tabernaculo tuo vox exsultationis et salutis, cum compleri cœperit in te illa Dei tui promissio : Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis? Merito ergo auditur vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum. Quantum ergo putas gaudebunt in patria, qui sic lætantur in terra aliena? Quanta eis inerit lætitia in domo, qui sic exhilarantur in exsilio? Quid facturi erunt in illa vitæ æternæ tranquillitate, quorum gaudium sic exuberat in expeditione? In tantum ut tale, tantumque eorum gaudium non jam valeat coarctari sub silentio, ne in apertum prodeat, et in vocem prorumpat, vasorum utique more, quæ cum de infuso liquore plus capere nequeunt, quod desuper infunditur circumquaque diffundunt. Sic nimirum, sic illud lætitiæ oleum cum cordium vascula repleverit per vocem se effundit, et statim personat vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXVIII.

Aufer a me opprobrium et contemptum. Opprobrium culpa, contemptus pœna. Culpa iniquitas, pœna mortalitas : propter iniquitatem factus sum exprobrabilis, propter mortalitatem factus sum contemptibilis. Abominabilem me facit concupiscentia, vilem me facit miseria. Aufer ergo a me opprobrium et contemptum. Si facis me justum, aufers opprobrium ; si efficis beatum, aufers contemptum. Su-

Digitized by Google

per judicia justificationis tuæ. Alia sunt judicia Dei quæ reprobos damnant, alia quæ electos justificant, alia quæ justificatos beatificant. Prima sunt reprobationis, secunda justificationis, ultima glorificationis. Damnantia exercentur in inferno, justificantia in mundo, beatificantia sunt in cœlo. Judicia tua adjuvabunt me, judicia ultionis, judicia correctionis, judicia remunerationis. Per judicium ultionis Judas [reprobatus, per judicium correctionis A Saulus cæcatus, per judicium remunerationis humilis David in regnum sublimatus. Judicium ultionis stantibus dat timorem cadendi, judicium correctionis lapsis præbet spem resurgendi, judicium remunerationis perfectis confert amorem perseverandi. Si igitur primum illud Dei judicium generat timorem, secundum nutrit spem, tertium autem accendit charitatem; recte de eis dicitur : Judicia tua adjuvabunt me.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXVIII.

Illumina faciem tuam, super servum tuum. Amantibus quid unquam dulcius, quid jucundius esse potest quam alterutro foveri affectu, alterutro delectari aspectu? Omnia videant, se invicem non videant; horrent omnia, sordent universa. Amantium itaque more anima sancta superni regis amore succensa, cœlestis sponsi desiderio suspensa clamat, et dicit : *Illumina faciem tuam super servum tuum;* et alibi : *Domine, Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX); et iterum : *Exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI). Invenies et alias, aliis licet verbis, aliud tamen non requiri. Quanto putas amore flagrabat, qui delicti sui faciem toties desiderando requirebat, et requirendo desiderabat? *Illumina*, inquit, *faciem tuam, super servum tuum.* Grata amantibus, ut diximus, alterutra præsentia et jucundus aspectus. Amare delectat et amari. Videre cupiunt et videri. Sed forte hæc Dei sponsa, hæc Dei dilecta videre cupiebat, videri refugiebat, et ubi est quod et alibi clamat? *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI.) O quantus amor, quanta fiducia! Amor, inquam, pulchritudinis divinæ, fiducia [formæ non alienæ, sed propriæ. Tantus amor ut dicat : *Deficit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum superavi* (*Psal.* CXVIII); et alibi affirmat, dicens : *Quia defecit spiritus meus* (*Psal.* CXLII). Tanta præterea formositatis internæ fiducia erat, ut omnino impossibile credat, ut videatur, et non diligatur. Audierat fortassis a sponso suo verba illa dulcia, verba amatoria : *Tota pulchra es, amica mea; tota pulchra es, et macula non est in te* (*Cant.* IV). Merito ergo optat ut veniat et appareat ante faciem Dei cujus pulchritudini pulchritudinis auctor testimonium perhibebat. Sciebat enim anima illa sancta et casta quia omne genus ad suum simile convertitur. Similis similem quærit, et Deus profecto similitudinem suam diligit. Vis et tu diligi a Deo tuo, Salvatore tuo? Reforma in te imaginem suam et amabit te; repara similitudinem suam et desiderabit te. Si enim reparaveris nativam pulchritudinem tuam, quam fecit ipse ad imaginem et similitudinem suam, profecto concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, ipse est amicus, ipse est dilectus tuus. Quid tamen hoc esse putamus quod nonnisi faciem ostendi sibi postulat, nec jam posteriora, sed facie ad faciem videre desiderat? Nunquid enim B mente excidit quod Moysi Dominus longe ante prædixit : *Non videbit me homo et vivet* (*Exod.* XXXI)? Patet ergo quia si huic mundo adhuc viveret, nunquam talia orare præsumpsisset. Mentior si non et ipse alibi hoc idem testatur, dicens : *Propter te mortificamur tota die* (*Psal.* XLIII). Quare ergo mortuus non creditur, qui tota die mortificatur? An forte quia non dixit morimur, sed, tota die mortificamur. Scimus tamen quia in Dei oculis majoris meriti est sæpe mortificari quam mori. Nonne mors martyrum tanto erat pretiosior, quanto mortem præcedens pœna productior, quibus volentibus mori non dabatur occidi? Nonne prædestinatis ad vitam hoc ipsum ad gloriæ cumulum proficit, quod sine acri pugna, sine acerba pœna carnalis in eis vita C non deficit? Mortificatur ergo David ut tandem moriatur, et sic aliquo modo dignus inveniatur videre faciem Dei in jubilo. Scit namque quia beatus populus qui scit jubilationem. Satagite ergo, et vos secundum Apostoli consilium, mortificare membra vestra quæ sunt super terram (*Coloss.* III), ut possitis cum Propheta fiducialiter Deo dicere : *Quoniam propter te mortificamur tota die* (*Psal.* XLIII). Mortificate ergo, mortificate, inquam, in die tamen, ut omnia in luce discretionis fiant, ne ultra citrave mensuræ metam operum vestrorum rota discurrat. Sic autem mortuo forte dabitur videre faciem Dei in jubilo. O bone Domine, Jesu benigne, moriatur et anima mea morte justorum! expedit enim mihi D mori magis quam vivere. Qui enim amat animam suam, perdet eam. Moriatur ergo anima mea ut ulterius non sim homo animalis. Animalis enim homo non percipit quæ Dei sunt, quanto minus ipsum Deum? Nunc ad præmissa Prophetæ redeamus, illa diligentius inspiciamus : *Illumina*, inquit, *faciem tuam*, super servum tuum.

Lumen ad sui claritatem intuendam oculum illuminat, et sine luminis beneficio cætera quæ lumina non sunt oculus non considerat. Lumen ergo divinum Propheta requirit, ut ipsum Deum in ejus lumine cognoscere, cæteraque recte æstimare sufficiat. Quam sint enim temporalia omnia sive bona, sive mala contemnenda; futura vero quam sint amanda, vel timenda citius cognoscitur, si hæc in

Digitized by Google

ejus lumine pensantur : dicat ergo : *Illumina faciem tuam super servum tuum*, ut te, ut tua videam, videndo intelligam, intelligendo diligam, illumina super me faciem tuam. Ostende mihi lucem tuam; revela, obsecro, sapientiam tuam. Illumina ergo faciem tuam. Facies tua lux est, lux tua facies est. Illumina itaque faciem tuam. Facies est, quia cuncta considerat; lumen est, quia quoslibet ad quælibet consideranda illuminat. Illumina ergo faciem tuam, quia oculus hic noster corporeus videre potest, illuminare non potest; lux ista corporalis quæ illuminare valet, videre non valet : at oculus tuus sibi videt, sed aliis lucet; quia est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Lux itaque est oculus, sed nunquid tantum oculus? Imo et auris tua, quia lumen est tota facies tua. Illumina ergo faciem tuam. In facie quidem visus, auditus, gustus, odoratus et tactus; et hoc totum in te lux tua, et totum hoc lux una. Vides in luce, audis in luce, gustas, odoras, sentis in lumine, quia tenebræ ibi nullæ, sed omnia in luce clarescunt. Illumina ergo, quæso, faciem tuam. Animadvertis, ut arbitror, quantum de Dei bonitate præsumat, qui ejus sibi faciem ostendi deposcit. In facie namque, ut diximus, omnes corporei sensus abundant. Quid igitur aliud est suam ei faciem ostendere, quam plenam sui cognitionem menti ejus infundere? Quid? inquis mihi. Nunquid Deus hos sensus habere credimus quem incorporeum, invisibilem esse non ignoramus? Quid me interrogas? Scripturas attendas : *In omni loco*, inquit, *oculi Domini contemplantur bonos, et malos* (*Prov.* xv) : ecce de visu. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua* (*Psal.* x) : ecce de auditu. Quid de cæteris, odoratu, gustu et tactu dicturi sumus? Nunquid in his exempla non invenimus? Nonne de Noe sacrificio scriptum est : *Quia odoratus est Dominus odorem suavitatis* (*Gen.* viii)? Et Abraham audacter eum compellit intrare et gustare modicum, et propheta asserit : *Quia misit Dominus manum suam et tetigit os meum* (*Jer.* i). Quid de his adhuc dubitamus quæ Scripturarum auctoritate probamus? An forte ei sensum deesse credimus, quia quomodo incorporeæ naturæ incorporaliter insit non comprehendimus? Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non considerat? Videt ergo, sed invisibiliter, secundum quod nihil ejus sapientiam latet. Audit nihilominus, quia misericordiæ ejus auris precibus supplicantium patet. Naribus nos qualitatem discernimus odorum, et ipse per justitiam qualitatem discernit meritorum. Gustat, cum per benignitatem suam beatorum condelectatur gloria, tangi, est in afflictorum compati miseria. Et hic est Domini sensus, non quinquepertitus, sed unus, et ad hoc quis idoneus? Absit ut eum astruamus ex alio videre, et ex alio audire; per sapientiam tamen cernit, per misericordiam audit. Sed quæ apud nos alia, et alia sunt, apud ipsum omnino diversa non sunt. Credamus ergo oportet ista quæ enumeravimus in Deo diversa non esse, licet tamen nobis propter eruditionem nostram subtiliter ista distinguere : ponantur ergo quinque contra quinque, visus, auditus, gustus, odoratus et tactus, hoc totum in facie una; sapientia, misericordia, justitia, benignitas, compassio, et hoc totum Deo est facies una, et hoc totum intelligere in ejus cognitione proficere.

Dicat ergo Propheta, dicat : Ostende mihi sapientiam tuam, ne errem; revela misericordiam tuam, ne desperem; doce me justitiam tuam, ut non præsumam; innotescat mihi bonitas tua, ut te amem in donis tuis, bonis meis; innotescat mihi compassio tua, ne succumbam in malis meis, flagellis tuis. Si hoc totum ostendis, ostendis mihi faciem tuam, quia hoc totum pertinet ad cognitionem tuam. Et nunc, obsecro, Domine, illumina faciem tuam super servum tuum. Quare tamen non potius dixit : luceat mihi facies tua, sed optat magis ut illumineter ei facies sua? Lux quidem est, ut superius disputavimus, sed non omnibus lucet, quia lux hæc in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Cur ergo non quærit lucem istam inaccessibilem, lucem hanc inexstinguibilem illucescere sibi potius, quam illuminari opus non erat. An forte quæ in se ardebat, Prophetæ minime lucebat, et accendi sibi quærit per gratiam, quam sibi dolebat exstinxisse per culpam? An forte quia scit suæ hoc infirmitati congruere, lucem petit divinam paulatim sibi crescere. Ignem namque cum accendimus paulatim in flammas excrescere videmus. Sic nimirum, sic oportet, ut pedetentim illucescat nobis divini luminis claritas, ut eam paulatim assuescat per intervalla temporum roborata infirmitas. Ne si sedentibus in tenebris et umbra mortis subito simul appareat, rationis oculum exstinguat, potius quam illuminet. Dicat ergo, dicat : Illumina faciem tuam super servum tuum. Miror tamen si nox aut hiems non erat cum accendi sibi divinum ignem quærebat. Forte circumdederat eum nox ignorantiæ, constrinxerat torpor negligentiæ. Duo magna mala, error et torpor. In igne duo reperiuntur, claritas et calor : claritas contra errorem, calor contra torporem. Juste ergo ignem divinum quærit, qui ab illis superari erubescit. Bonus prorsus ignis in Dei desiderio ardere et lucere, credere et desiderare. Bonus valde ignis intelligere et amare, videre et gaudere. Bonus, inquam, ignis lucere per cognitionem, ardere per amorem, fervere per affectum, splendere per intellectum. Ut ergo multum amet, multum intelligat, oret et dicat : Illumina faciem tuam super servum tuum. O quis mihi det, mihi misero, mihi frigido, sedenti in tenebris et in umbra mortis; quis, inquam, mihi det ad hunc ignem calefieri, ab hoc illuminari, si quo modo aliquando placeam coram Deo in hoc lumine viventium, ut videam voluntatem Domini omnibus diebus vitæ meæ! Vere dulce lumen, et delectabile oculis videre,

Digitized by Google

solem. Solem, inquam, illum in quem desiderant angeli prospicere. O bone, o benigne Jesu, quod mihi gaudium esse potest qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? Vere fateor quoniam conturbatum est cor meum, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum. Oculi mei languerunt præ hujus luminis inopia. O Christi apostoli, o Christi discipuli, beati oculi qui merentur videre quæ vos videtis! Vobis siquidem exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors et miserator Dominus. Ambulate dum lucem habetis. Scio, scio, Domine, quoniam in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur. Credo utique quod quidam ideo erraverunt in solitudine, viam civitatis habitaculi non invenerunt, quia nondum visitavit eos oriens ex alto, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis. Quo properatis miseri, nonne scitis quoniam vanum est vobis ante lucem surgere? Oremus tamen interim, ut illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri. Fugientibus enim nobis cum Elia a facie Jezabel, insectatione videlicet carnalis illecebræ, grandis adhuc restat via, quousque veniamus ad montem Dei Oreb, celsitudinem scilicet contemplationis. Ad dirigendos itaque pedes nostros in viam pacis, illumina, obsecro, Domine, faciem tuam super servum tuum. Quid, inquam, David, te servum vocas, servum nominas? Nunquid hic servis datur obtinere, quod vix amici merentur accipere? Vere, inquit, scio quod amo, quia diligo Dominum meum; recordor nihilominus quia Dominus dixit ad me: Filius meus es tu. Nolo tamen dicere amicum tuum, nolo me vocare filium suum. Qui enim absque meritis vult magna petere, meminerit saltem se multum dejicere, et nunc vere me fateor servum ejus, non tamen jure conditionis, nec solum debito necessitatis, sed etiam proposito voluntatis. Nam alios servos efficit ipsa eorum nativitas, alios servituti addicit belli necessitas, alios obsequio subjicit humilitatis magistra charitas. Serviam, serviam igitur Creatori meo jure conditionis; obsequar regi meo ex reverentia majestatis; subjiciar Salvatori meo debito charitatis. Quantum apud eum possit voluntaria servitus intelligo, et idcirco magna petens, humilitatis meæ obsequium humiliter recolo, et dico: Illumina faciem tuam super servum tuum. Nulli jam dubium arbitror, quin se fortiter vindicet a servitute peccati, qui se non dubitat nominare servum Dei. Nemo enim potest duobus dominis servire. Sed qui facit peccatum, servus est peccati. Consequens ergo est ut eum credamus peccato non deservire, sed resistere, ut veraciter se possit servum Dei asserere. Dicat ergo: Illumina faciem tuam super servum tuum. Super servum, inquit, animadvertis, ut arbitror, quia indignum ducit lucem hanc ponere sub modio, sed ad lucis hujus corporalis similitudinem in excelso vel ad solis modum qui melius lucet ex alto. Væ illis qui, non dicam se, sed sua, huic lumini anteponunt, quandoque et se et sua perdituri, et sine fine perituri. Si enim lumen hoc corporale non immerito in loco eminenti ponitur, quid mirum si non solum substantia, sed etiam ipsa anima nostra in interni luminis admiratione despicitur? Dicat ergo: Illumina faciem tuam super servum tuum, et doce me justificationes tuas.

Sciendum quia aliud est esse, aliud est justum esse, et longe aliud beatum esse. Esse accipimus ex creatione; justum esse datur ex sanctificatione; beatum esse spèramus in retributione. Qui ergo scit se esse, sed forte minus justum esse, merito quærit modum justificationis, ex qua pendere non dubitat mensuram glorificationis. Tria opera attende: Opera conditionis, opera redemptionis, opera glorificationis. De illis primis operibus scilicet creationis, gentium philosophi quærunt et disputant, sed defecerunt scrutantes scrutinio. Usquequo, vani filii hominum, mendaces filii hominum, usquequo diligitis vanitatem et quæritis mendacium? Vanitas vanitatum, et omnia vanitas, dicit vobis noster Ecclesiastes (*Eccle.* 1): litterati, et inflati, sed nunquid beati? Imo beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas. Forte hæc portio paternæ hæreditatis eorum quæ eos contingit; portio autem mea, Domine, dixi custodire legem tuam, doce me ergo justificationes tuas. Distingue ergo creationes, justificationes, glorificationes. Priorum investigatio potest esse communis etiam damnandis; secundorum doctrina conceditur justificandis; ultimorum notitia dabitur, sed beatificandis. Eant ergo mundi hujus sapientes tam vani, quam vana quærentes; illa quærant, illa inveniant, quorum adeptione nunquam beati fiant. Audiant tamen quoniam perdet Deus omnes sapientes Babylonis, stultam faciens sapientiam hujus mundi. Propheta ergo justificari volens, justificationes requirat, quia ad veram beatitudinem hanc esse viam non ignorat. Et fortassis sufficit angelis, quoniam sancti sunt justitias Dei cognoscere: sed qui peccator est ut justificari possit, justificationes necesse habet ediscere. Recordare quæ sint illa quæ Jesus magister bonus in montem ascendens, et coram discipulis sedens, circumsedentibus os suum aperiens docebat, dicens: *Beati pauperes spiritu, beati qui lugent, beati qui esuriunt, beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v). Profecto hæc angelos usque hodie per experientiam non didicisse minime ignoramus, quamvis ad Dei justificationes hæc ipsa pertinere non dubitamus. Et quæ illos capere credimus per intelligentiam, omnino ignorare fatemur per experientiam. Non enim verbo tenus tantum David justificationes doceri desideravit, quin potius eo utique modo quo Jesus, qui nihil unquam nescire poterat, ex his quæ passus est didicit obedientiam, quam per experientiam prius omnino non noverat. Dicat ergo: Doce me justificationes tuas: me, inquit, non diabolum, non angelum. Quia his ille semel reprobatus informari non debet, et

Digitized by Google

hic in bono consummatus in his exerceri non eget. Justificationes ergo sibi exoptet qui justificari eget et potest, et non illis quorum ille justus, hic injustus nunquam fieri potest. Illud omnino sine admiratione non prætereo quod non ab homine, non ab angelo saltem erudiri postulat, sed a Deo. Putamus quia super omnes docentes se intellexit, et ab his amplius erudiri despexit. Sed super hoc merito ipse inquisitus respondeat, ipse de se dubitantibus sua nobis responsione satisfaciat : *Quam dulcia*, inquit, *faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo* (*Psal.* cx). Desiderabilia utique super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum. Qui igitur eloquia Domini dulciora dicit, profecto quibus ea in comparatione præfert, dulcia esse innuit. Videamus nunc quæ sint illa quibus eloquia Domini merito anteponit. Primo tamen quod sit eloquium illud cui illa quatuor supponit. *Audiam*, inquit alibi idem Propheta, *quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam* (*Psal.* LXXXIV). Et forte hoc est ejus eloquium quod quærebamus. Ejus locutio, ejus est aspiratio, sive quæ docet nos de omnibus ejus unctio. Nunc de auro et lapide, et cæteris quæ posuit videamus.

Ut aurum nitet qui fulget per eloquentiam, et ut lapis multum pretiosus est, qui persecutionem patitur, si tamen propter justitiam. Quasi favus mel continens sub cera, veritas latens sub allegoria; in melle pura dulcedo reperitur, et ex angelica consolatione mens mira suavitate reficitur : his omnibus eloquia Dei superponit, cum dicit ea desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum. Ac si aperte dicat : Quid agere oporteat, in Scriptura sacra reperio; quid imitari debeam, in hominibus aspicio; quid exerceri expediat, ex angelica revelatione intelligo, multo tamen melius, multoque evidentius, longeque suavius ex divina inspiratione cognosco. Fideuter itaque assero de Dei mei eloquiis, quia desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum. Advertere tamen licet quid de illis sentio, quæ auro et lapidi, favo et melli assimilare non dubito. Illorum doctrina quantum splendeat mihi, aurum, vel lapis ex comparatione edoceat, quantum mihi sapiat mel sive favus, interrogatus respondeat; verumtamen quantumlibet fulgeant; quantumvis sapiant : majoris tam claritatis, amplioris suavitatis comparatione despicio. Illam ergo, illam Dei mei internæ aspirationis gratiam, quæ prædicta omnia ineffabiliter superat gemens suspiro, suspirando requiro; quia utique ejus sermo suavior, doctrina facilior, sensus subtilior, eruditio jucundior. Cui merito dico : Doce me justificationes tuas. Possumus tamen per illa prædicta quatuor, videlicet aurum, et lapidem, et favum, et mel, quaternum divinarum Scripturarum sensum, moralem scilicet et anagogicum, historialem et allegoricum, non inconvenienter intelligere, quibus tamen omnibus Propheta Domini eloquia (hoc est divinæ aspirationis documenta) non dubitavit anteferre. Quasi enim qui in auro fabricat, qui mores exhortando ædificat, seu qui splendentium gemmarum fulgorem commendat, qui cœlestium præmiorum claritatem disputando demonstrat, velut qui favo satiatur; sic qui mysteriorum profunda rimatur. Sicut qui mel purum convivus distribuit, sic qui avidis auditoribus absque involucro veritatem exponit. In his quatuor, ni fallor, tota divinarum (*sic*) series contexitur; in his hominum, in his angelorum omnis doctrina versatur. Supereminet tamen his omnibus divinæ inspirationis infusio, et ea quæ docet nos de omnibus spiritualis ejus, et invisibilis unctio. Merito ergo David in ejus laudem quam corde gustavit, vociferando prorumpit, et dicit : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum. O cui donatum est ex animo asserere, ex corde cantare : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo; desiderabilia super aurum, et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum! Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. O cui datum est aliquando experiri quis sit ille Spiritus Domini super mel dulcis, quin etiam gustare et videre quam suavis est Dominus! O quis mihi det hunc habere magistrum qui discipulos suos non tam lædit quam linit, nec tam pungit quam ungit, quia unctio ejus docet nos de omnibus! Quo mihi adhuc magistri qui non erudiunt mentem, nisi prius lacerent carnem. Sufficiunt, Domine, sufficiunt vulnera a latronibus imposita, qui me spoliaverunt, et, plagis impositis, abierunt semivivo relicto. Sed ecce adhuc magistri nostri apponunt iniquitatem super iniquitatem eorum, addentes verbera super vulnera, vendentes pro verberibus verba. Eant, eant, recedant, recedant doctores nostri, imo exactores nostri, vere autem tortores nostri vani et insani, docentes et despicientes. Illum quæro, illum desidero qui me erudiendo inungat, ungendo erudiat. Vide, Domine, et considera, et contrecta corpus meum, et cognosces quia a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas; tunc manifeste agnosces non esse opus ulcere, sed unctione. Et nunc, obsecro, Domine, infunde et unctionem tuam clemens nostris sensibus. Nam, ut verum fatear, cutis mea aruit, contracta est, nec hoc solum, sed ossa mea sicut cremium aruerunt; percussus sum ut fenum, et aruit cor meum; vides, Domine, quomodo omnia arida, omnia sicca, cor, cutis et ossa. Quid superest nisi ut infundatur eis unctio tua? Pellis arida, pellis exsiccata, cum trahitur crepat; cum tangitur, crepitat. Ecce vides, Domine, quia factus sum sicut uter in pruina. Facilius est ergo ut rumpatur, quam extendatur, nisi prius ungatur uter iste tam aridus. Non enim mittunt, ut ipse dixisti, vinum novum in utres veteres, alioquin dirumpentur utres, et vinum effundetur; et nunc oro, Domine, unge utrem hunc unctione

Digitized by Google

misericordiæ tuæ; unge, inquam, et innova, et tunc mittes vinum novum in utrem novum. Et nunc quid aliud exspectat a te servus tuus, hic miser homunculus, nisi ut exhilaret faciem in oleo et vinum lætificet cor ipsius? Prius ergo inunge oleo misericordiæ, postmodum reple vino sapientiæ. O quanto abundabat unguento qui accepit illud in capite, et descendit in oram vestimenti ejus? Ego autem præ unguenti hujus inopia areo, et tabesco. Quantum putas frater accepisti de Dei tui oleo, quantum debes Domino meo? Forte dicturus es centum cados olei, quorsum hæc tibi tanta olei abundantia? Vade, et vende, et redde creditoribus; eroga et pauperibus, tu et fratres tui vivite de reliquo, quinetiam date et nobis de oleo vestro. Vere, fateor, non est mihi nisi parum olei in lecytho quo ungar. Mitte ergo mihi de oleo tuo. Audi apertius quid dicere volo. Plora, et ora pro me, et tunc vere fatebor quia inunxisti me.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXVIII.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Solent agricolæ siccitatis tempore diductis fontium rivulis terram rigare, ne ariditate nimia exsiccata nequeat commendata semina multiplicare. Ad horum imitationem David imbre gratiarum tardante descendere, operum suorum fructus lacrymarum unda non negligit infundere. Puto quia, aliqua ejus culpa hoc exigente, mandaverat tunc temporis Deus nubibus suis ne pluerent, et idcirco præ siccitate cuncta aruerant, intantum ut alibi asserat, dicens: *Aruit tanquam testa virtus mea.* (*Psal.* XXI). Nonne internæ infusionis imbrem tunc exspectabat, quando cum gemitu proclamabat: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CLII). Quia igitur supernæ infusionis imbrem ad votum habere non meruit, terram suam jam arentem, jam fructus negantem, lacrymarum fonte rigare contendit. Jam compunctionis vena diducitur, jam fletus abundantia in plura dividitur. Cui forte sufficit solam aliquam virtutem colere, cui satis est singulum aliquod donum obtinere, necesse habet lacrymarum fluenta non tam deducere, quam ducere. Qui enim solum aliquid singulariter elegit, ad illud nimirum totum mœroris sui impetum inflexit. Sed qui multiplici virtutum segete cordis sui terram dilatat, nunc hæc, nunc illa gratiarum semina rigare contendit, et tunc ipse cantare poterit: Exitus aquarum deducent oculi mei. Tunc procul dubio aqua deducitur, quando alternis vicibus nunc hæc, nunc illa fletu culpa diluitur, cum vicissim modo pro hac, modo pro illa gratia fletus effunditur. Deducit aquam qui nunc sua, nunc aliena deflet delicta, deducitur aqua cum modo pro sua, modo pro aliena compungitur quisque miseria. Dividit aquam, qui quandoque luget mala quæ commisit, quandoque bona quæ stolide neglexit. Dividitur aqua quando vicissim pro metu infernalium tormentorum, vel pro desiderio lugetur cœlestium gaudiorum.

Sciendum tamen est quod aqua quæ in locis sublimibus oritur, facile juxta diducentis votum ad humiliora quæque loca irriganda derivatur. Quæ autem in imo defluit, ad eminentiora infundenda non assurgit. Sic nimirum desideriorum vena quæ infimis labitur, ad sublimia appetenda non attollitur, et qui nonnisi terrena appetit, cœlestia suspirare nescit. Plus adhuc dico, cui hoc sufficit tantum ne pereat, quando pro verbo otioso, vel cogitatu superfluo gemens plorat? Vis et tu ad prophetæ similitudinem aquam hanc salubrem deducere? Memineris sublimia concupiscere, memineris nihilominus de te humilia sentire, et tunc facere est de desideriorum tuorum collibus, ad dejectionis tuæ vallem compunctionis fluenta decurrere. Distillante itaque compunctionis aqua de summis montibus, in stillicidiis ejus lætabitur germinans, et campi tui replebuntur ubertate, pinguescent speciosa deserti, sed et valles abundabunt frumento. Tunc profecto labores manuum tuarum manducabis, beatus es, et bene tibi erit, et cantabis corde jucundo: Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes; terra dedit fructum suum. Sed qualem inquis fructum: *Fructus autem spiritus sunt*, inquit Apostolus, *pax, patientia, longanimitas*, et cætera (*Galat.* v). Qualis frater fructus esse creditur veritas, charitas, justitia, misericordia? Quanto putas mens exuberat gaudio, cum videt quia post disciplinæ cultus veritas de terra orta est? Cumulabitur autem cum cœperit sperare quod oriatur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. Quid tibi de terra videtur de qua talis fructus exoritur? Merito extolletur super Libanum fructus ejus. O qualis, quam pretiosus fructus veritas, justitia et pacis abundantia! Patet, ut arbitror, quia oportet illum aquam suam diducere, et pro singulis sigillatim flere, qui non uno horum, sed his omnibus cupit fructibus abundare. Sed si hæc omnia lacrymis rigare non sufficias, roga eum qui producit ventos de thesauris suis, educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit. Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. Et si tardant benignitatis pluviæ, inquam, tu prævales non cesses memoris aquas deducere, ut possis ex corde cantando psallere: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Quam multos putamus hodie esse qui lacrymarum gratiam nondum acceperunt, qui quotidie flenda committunt, et multum ipsi flendi, minime flere possunt. Sunt alii qui hinc peccata sua, illinc pœnas futuras exaggerant, hunc parva bona sua, nunc præmia æterna considerant, ut vix aliquo modo tandem in lacrymas erumpant-

Digitized by Google

Isti profecto cantare possunt, aquas eduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Nondum tamen ex veritate psallere queunt : Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Sed ecce est aliquis qui tantum de sua vel tenui negligentia confunditur, tantum in divini amoris desiderio succenditur, ut etiam, cum voluerit, tenere lacrymas non possit. Huic procul dubio lacrymæ studio non producuntur, sed ipsæ abundanter per se egrediuntur. Nec necesse habet qui hujusmodi est educere aquas quasi exire volentes, sed potius oportet dividere et deducere ubertim egredientes. Si sponte exeunt, exitus aquarum sunt et deduci possunt. Sed qui eas nondum educere potuit, quando deducere prævalebit? Illum utique aquæ industrium deductorem dixerim, quem pro voluntatis arbitrio nunc sua, nunc aliena quæ voluerit, quando libuerit deflere cognoverit. Videat tamen ut illas nonnisi oculi deducant, ut illa tantum defleat, quæ ratio et discretio lugenda esse denuntiat. Tunc vere ad oculorum arbitrium aqua deducitur, quando rationis judicium affectus fletu prosequitur. Si igitur lacrymæ sponte exeunt, si ad dirigentis votum ultro decurrunt, fiducialiter cantare potest : Exitus aquarum deduxerunt oculi mei. Quæ autem sit causa tanti fletus, Propheta idem subsequenter adjungat et dicat : *Quia non custodierunt legem tuam.* O utinam contingat mihi aliquando ut necesse non habeam jam amplius flere præsentia delicta, sed præterita, nec me remordeat ultra instans culpa, sed tantum transacta! Sed væ mihi misero cui incumbit dolere et deflere, non solum pro eo, Domine, quod oculi mei non custodierunt legem tuam, sed idcirco maxime quod necdum custodiunt legem tuam. Puto tamen, frater, quia nihil magis cohibet mentem ne apponat iniquitatem super iniquitatem, ne veteribus superponat quotidie nova, quam si semper meminerit, sæpe defleverit delicta præterita. Cantare credo poterit qui hujusmodi est: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. In his Prophetæ verbis patet, ut arbitror, quæ esset illius quam præfati summs sterilitatis causa, quando anima ipsius facta est sicut terra sine aqua, intantum ut necesse habeat lacrymarum aquam ubertim effundere, effusas vero huc, illucque ad illam suam terram undique irrigandam deducere. Idcirco utique egrediebantur, quia lex divina parum digne custodiebatur.

Ego credo quia, si adhuc pro temporalibus doleret, si adhuc carnalia defleret, mœroris aquas ad votum suum deducere non posset. Hoc enim inter spirituales solet interesse, et lacrymas carnales, quod hæc sæpe juxta dirigentis votum ad ea quæ expedit flere deducuntur. Illæ vero torrentis more homines rapiunt secum, potius quam sequuntur. Fluvius namque in imis decurrens quando ad summa dicitur, et fletus de infimis desideriis surgens, quando pro cœlestibus effunditur? Nonne Abana et Farfar fluvii Damasci, et similium fluminum in convallibus inter medium montium pertransibunt aquæ, et idcirco ad superiora irriganda deduci non possunt; quia, qui adhuc carnales sunt, carnalia amantes, pro peccatis quidem compungi nequeunt, et cum pro terrenis dolendi causa emerserit, ne non fleant ipsi sibi imperare non possunt. Quando ergo fletus funditur a nolente, quid de eo aliud dixerim, nisi raptum a torrente? Et tamen talem persæpe torrentem pertransivit anima mea. O Domine, non me demergat tempestas hujus aquæ! Qualia nam, quæso, fluenta præterfluunt terram cordis? Nunquid adhuc magnificavit Dominus facere vobiscum, exsiccans in te omnes flavios Ethan, ponens flumina in desertum, et exitus aquarum in sitim? Nunquid mirificavit tibi misericordiam suam convertens cordis tui duritiam in stagna aquarum, ponens in te desertum in stagna aquarum, et terram sine aqua in exitus aquarum? Aquas illas priores, utpote carnales exsiccans, aquas has novissimas, utpote spiritales effundens? Putasne quia factus sit adhuc in te fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam, rigans montes de superioribus suis? Hoc unum scio, quia si fontium tuorum vena in montium superioribus nascitur, et si in solo sublimium præmiorum desiderio mens perfecte compungitur, facile est hujusmodi aquas per humilitatis tuæ declivia deducere, et dejectionis tuæ vallem usquequaque ubertim rigando perfundere. Si sic est frater, profecto benedicere habes Deo de fontibus Israel, qui rigat aquis universa. Sed satis dictum sit de eo quod dicitur exitus aquarum deduxerunt oculi mei, nunc causam fletus videamus.

Et quid nobis fiendum sit exemplo discamus. Quia non custodierunt, inquit, legem tuam, pro hac lege, ni fallor, alias orat, dicens : Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarum, et exquiram eam semper. Quid, inquam, David, nunquid non sufficit tibi lex Moysi qui adhuc quæris tibi legem poni? Non, inquit, Moysi mortificans animas, sed lex Domini immaculata convertens animas. Quando Moyses populis præcepta dabat faciem suam velabat, et idcirco præceptum Moysi obscurum et obtenebrans oculos, præceptum autem Domini lucidum et illuminans oculos. Profecto, si per Moysen posita lex placuisset, pro ponenda mihi lege Dominum adhuc orare non oporteret. Quæsivit ergo David a Domino legem, accepit, exercuit, parum tamen discrete custodivit, et idcirco dicit : Exitus aquarum, etc. Lex alia carnis, alia mentis; alia Dei, alia diaboli : et ne me credas ista de meo sensu figentem, audi Apostolum has quas diximus leges subtiliter distinguentem : *Condelector*, inquit, *legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in legem peccati* (*Rom.* VII). Videsne quemamodum in primo versu legem Dei per se ponit, in secundo autem non solum ab illa, sed a se etiam tres alias distinguit? Nam cum dicat, video aliam legem in membris meis, legem scilicet carnis, in eo quod lex quæ est in membris

Digitized by Google

alia dicitur ab ea quam legem Dei dixerat, distinguit, et cum addat repugnantem legi mentis meæ, aliam illam ostendit esse. Cum vero subinfert, et captivantem me in legem peccati, ab illis utrisque legem peccati discernit. Lex autem peccati nihil aliud est quam lex diaboli. Distinguamus ergo quatuor has leges, Dei, diaboli, mentis, vel carnis. Lex Dei est reddere bonum pro malo. Lex diaboli reddere malum pro bono. Carnis lex est retribuere malum pro malo. Mentis lex est reddere bonum pro bono. Lex Dei est gratuito velle prodesse; lex diaboli gratis velle obesse. Mentis lex est facere quod licet. Carnis lex est facere quod libet. Lex Dei charitas, lex diaboli iniquitas, mentis lex æquitas, carnis lex voluptas. Lex Dei dicit: *Diligite inimicos vestros, orate pro persequentibus, et calumniantibus vos* (*Matth.* v). Lex diaboli dicit: *Opprimamus virum justum injuste, quoniam contrarius est operibus nostris* (*Sap.* II). Lex mentis dicit: *Dentem pro dente, oculum pro oculo, animam pro anima* (*Exod.* XXI). Lex carnis dicit: *Comedamus, et bibamus, cras enim moriemur* (*Isai.* XXII). Lex diaboli abominabilis, lex carnis contemptibilis, lex mentis laudabilis, lex Dei desiderabilis. Lex diaboli ignominiosa, lex carnis periculosa, lex mentis officiosa, lex Dei gloriosa. Gloriosam legem Dei dixerim, quia de hac sola, vel maxime quisque coronatur; diaboli vero ignominiosa recte asseritur, pro qua quisque æterna confusione multatur. Carnis legem idcirco periculosam dixerim, quia paulatim mentem enervando ad diaboli legem præcipitat. Mentis legem merito officiosam asserui, quia gradatim animum roborando ad Dei legem exaltat. Superaverat itaque Propheta diaboli legem, quia detestabatur omnem iniquitatem, calcaverat nihilominus carnis legem inquantum contemnebat corporis voluptatem. Multum præterea se in lege æquitatis dilataverat, sed in lege charitatis parum se perfectum esse non parum dolebat.

Sed de his forte mihi minime creditur, nisi hæc ejus testimonio comprobentur. *Iniquitatem*, inquit, *odio habui et abominatus sum*: ecce victoria de lege iniquitatis; *Renuit consolari anima mea* (*Psal.* LXXVI), ecce contemptus voluptatis. Nam pro æquitatis lege fidenter clamat: *Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me* (*Psal.* VII). Sed in lege charitatis perfectionis culmen se nondum attigisse deflebat, intantum ut dicat: Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia, etc. Mirum est si non miraris cur non maluit dicere: Quia non custodivi legem tuam. Sed si ego non custodivi diceret, voluntatem utique culparet, et tunc quomodo illud staret ubi dicitur: Legem tuam dilexi? Oculorum itaque culpa interpretatur, oculorum solum modo, culpa defletur. Nam de pedum officio fidenter Domino canit: *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum.* Sed et pro manibus protestatur, dicens: *Tota die expandi ad te manus meas* (*Psal.* LXXXVII). Sic de aure et lingua, cæterisque corporis membris facile reperies. Soli hic oculi redarguuntur, pro solis hic oculis lacrymæ funduntur. Nec enim in aliis etiam membris nunquam peccasse contendo, sed quid sit quomodo defleat diligenter attendo. Quid est igitur oculorum culpam deflere, nisi quod in discretione errasset gemendo dolere? Tunc oculus peccat quando discretionis judicium errat. Multi privatas observantias communibus institutionibus anteponunt, abstinentiam obedientiæ præferunt, cum tamen scriptum sit: *Melior est obedientia quam victimæ* (*I Reg.* XV). Multa sunt quæ de his oculis addenda credebamus. Sed hæc sub alio forte capitulo dicenda servamus. Sed nunc quæ interim dicenda videntur, exsequamur. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei quia non custodierunt legem tuam. Cæterorum membrorum nullum hic reprehendit, oculorum vero culpam non sine mœrore gravi redarguit. Manus non reprehenditur, pro eo fortassis quod libenter operabatur, lingua non reprehenditur idcirco, ut arbitror, quoniam vera loquebatur. Oculum tantummodo culpabat, pro eo forte quod in judicii discretione caligabat. Quid enim aliud est oculum offendere, quam ex intentione bona, sed parum discreta in aliquod malum incidere? Sunt qui dicunt quod malum opus esse non poterit quod ex bona intentione procedit. Bene ergo fecerunt qui mortem apostolis intulerunt. Nam scriptum de eis legimus: *Venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo* (*Joan.* XVI). Nunquid Judæorum excusamus ignorantiam, qui secundum Apostolum zelum habent, sed non secundum scientiam? Vos gloriamini de malo opere pro bona intentione. Propheta luget pro eo quod in discernendo erraverat: unde Propheta dolet, vos gaudetis; unde Propheta luget, vos ridetis. Quomodo ergo, inquiunt, illud accipimus quod in eo Evangelio ab ore Veritatis audivimus? *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit* (*Matth.* VI; *Luc.* XI). Ego audio hic ex oculi puritate corporis membra commendari, non vitia. Ego credo quia cæcitas, surditas, ariditas, insensibilitas et cætera corporis vitia corpus non custodiunt: nam neque corpus, neque pars corporis sunt quæ corpus corrumpunt. Sic utique, sic corpus virtutum bona componunt; mala vero opera, utpote vitia, corrumpunt, vel destruunt. Non ergo commendat Veritas quæ nec corpus neque pars corporis sunt, opera scilicet mala, quamvis fiant, si tamen fieri possunt intentione bona. Sed potius hoc ostendere voluit, quod illa quæ vere constituunt corpus virtutum, opera scilicet bona, omnino bona non sunt si procedant ex intentione mala. Quia, si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Quid ergo est, inquiunt, quod angelus dicit: Habe charitatem, et fac quod vis. Ergo charitatem cæcam putamus? Sed quid de ea Apostolus sentiat, audiamus: *Plenitudo*, inquit, *legis est charitas* (*Rom.* XVIII). Quid ergo charitas de his quæ sciri oportet ignorat, quam Apostolus

Digitized by Google

plenitudinem legis nominare non dubitat? Perfecta charitas plene illuminat: nam perfecte amari non potest in cujus cognitione animus caligat. Sed in his amplius immorari necesse non est; quia sicut in bono charitas nonnisi intentionem bonam habere potest, sic eam in discretione errare posse valde incredibile est. Hoc autem omnino credibile videtur; quia, qui adhuc errat in discretione, nondum est perfectus in charitate et omnino sine culpa non est qui malum agit qualibet intentione. Sed nec tantum oculos culpandos putes, cum bonum malum vel malum bonum esse existimas.

Sed ut oculorum culpam diligentius discutiamus, prius de ipsis oculis qui sint videamus. Duo utique sunt interioris hominis oculi, quos quisque habere satagat quicunque viam mandatorum Dei inoffenso pede currere festinat. Unus est oculus discretionis, alter oculus circumspectionis. Sed de sinistro prius oculo scilicet circumspectionis (utpote indigniore) nos expediamus, ut in his quæ de dextro dicenda sunt oculo (videlicet discretionis) latius vacare valeamus. Sunt nonnulli qui præteritam vitam quidem ad memoriam revocant, et in his quæ male, vel minus bene egerunt seipsos dijudicant. De præsentibus negligunt, de futuris prævidere nesciunt. Respiciunt quidem qui hujusmodi sunt, sed non circumspiciunt. Alius autem caute considerat ne se vel adversitas frangat, vel prosperitas extollat. Prosperitas quasi a dextris, adversitas quasi a sinistris. Sed qui sola quæ instant bona et mala attendit, de præteritis sæpe minus plangit quam culpa anteacta exigit. Talis profecto qui juxta se posita intuetur, rectius aspicere quam circumspicere dicitur. Nam *ad* sæpe pro *juxta* ponitur. Sed qui nondum novit respicere, multominus callet circumspicere. Alius decoratur oculo providentiæ, pro eo quod novit in posterum providere, parum tamen proficit, si vel de præteritis contemnit, vel de præsentibus negligit. Sed si ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum oculum circumflectis, hoc utique agendo circulum quidem, non sphæram facis. Adde adhuc oculos tuos nunc sursum attollere, nunc ad ima deponere; quia bonum est nunc cœlestium, nunc eorum quæ in inferno sunt reminisci, nunc hæc, nunc illa suspirando contemplari. Nam, si intueri negligis quæ sint malis parata in inferno, vel econtra quæ sint bonis reposita in cœlo, eris procul dubio de præteritis minus timidus, de præsentibus parum sollicitus, de futuro minime providus. Parum sit ergo tibi oculum tuum circumflectere, sed ad sphæræ similitudinem usquequaque circumfunde. Si cœli formam aspicias, admoneris utique ut operum tuorum terram considerationis tuæ ambitu includas. Sed quomodo, inquis, possum quæ circa me sunt ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum, sursum et deorsum simul aspicere, insuper et intima mea de quibus adhuc tacuisti non negligere? Sed sane simul omnia quæ circumstant considerare non sufficit, nisi agnus ille solus quem oculos septem habere, et cornua septem Scriptura sacra describit. Sed de inspectionis oculo quod objicis idcirco tacui, quia de eo aliquid commemorare supervacuum duxi. Solem namque qui cætera illuminat, quomodo in se tenebras habere quis credat? Sic utique circumspectionis oculus, si quæ circa se sunt, ex studio intuetur; multo magis quæ in intimis sunt ratio eum ignorare non patitur. Oportet igitur ad solis similitudinem oculi radius locum quem tenet prius illustret, et tunc cætera quæ circa se sunt, quia simul non valet, nunc hæc, nunc illa attente consideret. Nam, si simul quæ ante vel retro, quæque a dextris et a sinistris, nec non quæ sursum et deorsum, unaque cum his interiora tua aspicere potuisses, non uno circumspectionis oculo egeres, qui septem habuisses, ille solus hoc potest qui uno intuitu omnia videt. Omnia videt, omnia valet, qui habet oculos septem, cornua septem. Oculi pertinent ad notitiam, cornua ad potentiam. De primo dicitur: *Omnia nuda et aperta oculis Dei* (*Hebr.* IV). De secundo: *Omnia quæcunque voluit fecit* (*Psal.* I). Merito ergo cornua septem habere dicitur, de quo quia omnia possit minime dubitatur. Sed nunquid tu similiter? Utinam haberes vel unum cornu, utinam vel unum, ut jure dici debuisses filius unicornium! Ego puto quia quibus erexit cornu salutis in domo David pueri sui, sufficit interim ut habeant quo possint pacto resistere, quo valeant repugnare diabolo. Nunquid potes renovare præterita, ordinare præsentia, adducere futura, infernum calcare, cœlum irrumpere, et hoc totum propria virtute? Non utique, ut arbitror, eo quod non habeas cornua septem, quemadmodum agnus ille cui data est omnis potestas in cœlo et in terra. Sufficit mihi, Domine, interim interius unum cornu habere, quo possim inimicos meos in omnem ventum ventilare: etenim in te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Quale tamen hoc libertatis cornu esse putamus, quod peccato nunquam (nisi sponte) cordis cervicem inclinamus? Tota dæmonum turba circa nos perstrepat, totus in nos mundus desæviat, mentem nostram in Deo fixam nunquam a sua voluntate exspoliat. Hoc utique cornu cum Dei adjutorio, si volueris, et ipse habere potes: nam cætera, si velis, habere non potes; quia quæcunque volueris facere minime potes. Quia igitur ad omnia quæ volumus, uti potestate non possumus, discretione utique uti debemus. Discernendum est itaque cuique primo quid valeat, deinde de his quæ suppetunt quid experiri et hic est ille discretionis oculus, quem paulo superius dextrum nominavimus. Quid enim prodest vel præterita recolere, vel præsentia respicere, vel futura prævidere, nisi de his omnibus quæ sunt bona vel mala possis discernere? Quid, inquam, prodest quod vitam nostram circumspicimus, si qualis esse debuerit minime judicamus? Ut ergo utilis sit oculus circumpectionis, adjuvetur oportet oculo discretionis. Si tibi dicit circumspectionis oculus:

Digitized by Google

quia hoc et illud egisti renuntiare debet discretionis oculus quid in his bene vel male fecisti. Si quæ instent bona vel mala renuntiet circumspectio, ad utraque consilium debet providere discretio. Si circumspectio prævidet quæ vel quanta tibi ad faciendum suppetunt, discretio subjungat quæ quomodo fieri expediunt. Quoties oculus circumspectionis cœlum, vel infernum contemplando respicit, addat discretionis oculus quibus meritis ad hoc, vel ad illud quisque pertingit. Cum interna sua circumspectio rimatur, discretio dijudicet quid mali sibi, quid boni Deo merito ascribatur. Videsne quemadmodum inter nos hos oculos in rebus discernendis ratio dividi non patitur, sicut exteriorum intuitus oculorum, natura id dictante, nequaquam dividitur? Sciendum vero quia oculo circumspectionis sæpe subrepit negligentia, oculo autem discretionis insidiatur ignorantia; hunc sæpe claudit somnus torporis, illum frequenter obnubilat caligo erroris. Quoties enim quis vitam suam circumspicere negligit, toties circumspectionis oculus quasi obdormit, et tunc quasi oculus discretionis caligat, cum in his discernendis quæ videt per imprudentiam errat.

Duo sunt in quibus discretio sæpe decipitur. Decipitur siquidem sæpe in qualitate, fallitur nihilominus frequenter in quantitate. In qualitate decipitur, qui quod bonum est malum putat, vel quod malum est, bonum esse existimat. De qualibus per Isaiam dicitur : *Væ illis qui dicunt malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum dulce, et dulce amarum* (*Isai.* v). In quantitate fallitur, qui rem quam æstimat majorem vel minorem quam sit, deceptus asseverat. Tales Propheta redarguit cum dicit : *Mendaces filii hominum in stateris* (*Psal.* LXI). Ad hoc namque quid in statera appenditur, ut ejus quantitas vel mensura dignoscatur. Decipitur in qualitate qui aurichalcum existimat esse aurum, qui pro gemmis accipit vitrum. Fallitur in quantitate, qui duo auri pondera deceptus pro uno vendit, vel unum pro duobus a venditore emit? Quia igitur in his duobus vitiis injustæ librationis fere semper decipimur, eo quod per nos ipsi non possumus, Dominus quidem juxta æquitatis libram, juxta regulæ mensuram vitam nostram disponere se pollicetur, dicens : *Lætabor*, inquit, *et partibor Sichimam, et convallem tabernaculorum metibor* (*Psal.* LIX). Partibor, inquit, et metibor : in partitione agitur ut unusquisque accipiat quod habere debet, in dimensione vero ut tantum quisque percipiat quantum possidere debet. Hinc est quod Dominus per Moysen filiis Israel imperat, ut unusquisque in terra promissionis hæreditatem forte accipiat (*Num.* XXXIII). Unde Psalmista commemorat, dicens : *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis* (*Psal.* LXXVII). Tunc populus Dei ad mensuram hæreditatem accipit, quando quæque virtus juxta æquitatis mensuram se extendit. Nihil enim aliud est virtus quam animi affectus ordinatus, et moderatus. Ordinatus est quando ad id est quod esse decet. Moderatus est quando tantus est quantus esse debet; quando ad aliud est quam expedit, peccat in qualitate; quando major est quam oporteat, offendit in quantitate. Ut igitur animi nostri affectus ordinare, et moderari possimus, prius mores incompositos compescere debemus. Unde idem Propheta ei quam præmisimus sententiæ præmittit, dicens : *Ejecit a facie eorum gentes*, et statim subintulit, *et sorte divisit eis terram in funiculo distributionis* (*ibid.*) : prius enim gentes, hoc est mores indisciplinatos ejicimus; postea animi motus in ordinem redigimus et ad modestiam inclinamus. Nihil aliud est terram in funiculo distributionis dividere, quam in eo quod cuique virtuti est proprium, etiam mensuram attendere. Vis videre quanta cautela in hac virtutum mensuratione sit adhibenda, quanta discretio exhibenda? Parcitas si se infra mensuram cohibeat, in avaritiam se præcipitat; largitas si se ultra modum extendit, in prodigalitatem se effundit. Quidam quasi necessitatis gratia, dum cibo potuique nimis indulgent, carnis contra se bella incauti commovent. Alii, dum carnem immoderate macerando affligunt, solatium suum unde ad bonum adjuvari poterant, improvide perimunt. Innumera sunt hujusmodi in quibus homines sæpe fraudant et fraudantur, decipiunt et decipiuntur. Sed dicis mihi : Ecce jam per experimentum didici, quia hic discretionis oculus quem dextrum dixisti, frequenter mihi falsa pro veris affirmat, in judicio multoties errat, et dum parum discernit, me non parum scandalizat. Et ego tibi respondeo, quia, si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum et projice abs te. Melius siquidem tibi est cum uno oculo ingredi ad vitam, quam duos habentem mitti in gehennam. Quid ergo, inquis : Quonam, quæso, modo viam mandatorum Dei monoculus inoffenso pede percurrere potero, quam nec modo duorum beneficio oculorum adjutus valeo sine errore consummare? Audi igitur quid facere debeas, qui forsitan parum acute consideras. Aurem et linguam apposuit qui tibi oculum dedit. Habes igitur quo quæras, quo audias, si aurem et linguam te habere non dissimulas. Quære itaque domum videntis qui parum vides, a quo quid te oporteat facere quo currere audies. Melius tibi est manu duci, quam ultro errorem sequi. Melius proinde tibi est cum uno oculo ingredi ad vitam, quam duos oculos habentem mitti in gehennam. Si ergo oculus tuus dexter seducit te, si omnino scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Sinistro, ut dictum est, oculo vitam nostram circumspicimus, dextro vero qualis sit, vel qualis esse debeat dijudicamus. Sed si in discernendo errat, nos utique scandalizat. Si ergo oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice a te. Nusquam legisse me memini ut oculum sinistrum eruere debuissem. De dextro hoc ex præcepto injungitur, si in eo erroris scandalum invenissem. Cur hoc? Idcirco, ut arbitror, quia vitam propriam me melius nullus scire potest, sed eam alius me multo melius

Digitized by Google

secundum discretionem disponere potest. Debemus itaque vitam nostram spiritualium virorum, et maxime prælatorum discretioni committere, qualibus novimus ipsum Dominum claves regni cœlorum commisisse. A

ADNOTATIO IN PSALMUM CXXI.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus. Adam alloquitur Evam, Adam hic consolatur Evam, dicens : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Non jam pro magno habet Adam reverti in domum suam, neque enim dicit : Lætatus sum pro eo quod ibimus in domum nostram, sed jam post ærumnas diuturni exsilii præsumit se perventurum ad domum Domini. Vis nosse quis sit iste Adam, vel quam dicimus hanc ejus Evam? Per Adam intellige rationem, per Evam accipe affectionem. Duo sunt, intellectus et affectus. Duo nominantur anima, et spiritus. Duo quidem non per essentiam, sed per efficientiam. Anima vivit, spiritus discernit; ad animam pertinet dilectio, ad spiritum cognitio. Habes igitur Adam, habes et Evam. Prius Adam formatus est, postea de Adam Eva facta est. Prius enim debemus per rationem quid amandum sit prudenter eligere, deinde secundum electionis judicium quod amandum est ardenter diligere. Præcedat ergo cognitio veri, subsequatur dilectio justi. Prius est discernere, postea amare. Prima discretio fiat inter bonum et malum. Secunda subsequatur inter bonum et optimum, et tunc ex ipsis optimis eligamus quid potius per amorem amplecti debeamus. Non enim omnia possumus omnes. Videsne quemadmodum de toto Adam quædam quasi particula eligitur, unde Eva formetur? Nam bonum et malum discernere, bonum est; sed malum et bonum diligere, malum est : imo utrumque amare, impossibile; utrumque tamen cognoscere, laudabile. Sed et de ipsis bonis, quia non omnes omnia possunt, pars quædam excipitur, unde in Adæ adjutorium Eva formetur. Nam si in electionis judicio Eva Adæ non contradicit, profecto eum in veritatis cognitione valentiorem reddit. Nam ex amore cognitio proficit, sicut ex cognitione amor convalescit. Si vero rationem amor in veritatis inquisitione non sublevat discretionis oculus citius caligat, et tunc ei ejus adjutorium in contrarium vertitur, cum per eam ad erroris caliginem dejicitur. Toties vero Adam Eva de paradiso in exsilium mittit, quoties a veritatis inquisitione dejectam affectio rationem vanis cogitationibus involvit. O quoties per Evam Adam dejicitur a domo sua! O quoties per Evam servire cogitur in domo aliena! Domus Adæ, veritas; domus diaboli, vanitas; domus Dei æternitas, de quo dicitur qui habitat æternitatem, de qua profecto domo hic dicitur, ubi Evam suam Adam alloquitur : In domum Domini ibimus. Tunc Adam revertitur in domum, cum de studio vanitatis redit ad inquisitionem veritatis; intrat autem domum Dei, cum post diu quæsitam et vix inventam veritatem per excessum rapitur ad æternitatis contemplationem. Adam ubi es? Ubi te vides? In paradiso, an in exsilio? Adam, inquam, ubi es? Cogita quid cogites, et invenies ubi es. Si vanitatem cogites, in vanitate es; si vanitatem amas, vanitas es. Nec jam tibi dico : Adam, ubi es, sed dico : Adam qui es? Credo confunderis, et confiteri erubescis. B C

Propheta dicat qui te non palpat. *Universa*, inquit, *vanitas omnis homo vivens* (*Psal.* xxxviii). Non tantum vanitas, sed universa vanitas. Vanitas mutabilitatis, vanitas mortalitatis, vanitas iniquitatis, quia universa vanitas omnis homo vivens. In hac triplici vanitate homo servit, ut in exsilio; in hac diabolus regnat ut in propria domo. Ejectus namque diabolus de domo æternitatis, erigit sibi fabricam de multiplicitate vanitatis. De vanitate mutabilitatis extendit sibi porticum, et de vanitate mortalitatis erigit sibi domum. De vanitate iniquitatis, collocat sibi thalamum. Vide, homo, cujus servus sis; si adhuc vanitatem diligis. Quid patriam facis de exsilio, quid carcere frueris ut domo? Educ, Domine, de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo. Alioquin, obsecro te, Domine, tolle a me animam meam. Tædet etenim animam meam vitæ meæ, quia universa vanitas omnis homo vivens. Expedit ergo, Domine, ut ait Tobias, mori magis quam vivere, quia universa vanitas omnis homo vivens. Nonne, Domine, propter te est quod tota die mortificamur, ut tandem aliquando moriamur, quia universa vanitas omnis homo vivens. Moriatur ergo, obsecro, Domine, anima mea morte justorum, ut alterius jam non sim homo vivens; quia universa vanitas omnis homo vivens. Reduc me, Domine, interim in domum meam, ut tandem introducas in domum tuam. Primo fige me in amore veritatis, postea subleva ad gaudium æternitatis. Averte oculos meos ne videant vanitatem, et eripe me de domo aliena. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, et ero in domo mea. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et sum in domo tua. Si me revocas interim ad domum meam, sperabo me quandoque introire in domum tuam, ut et ipse cantare possim : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Lætatus sum, inquit, in his quæ dicta sunt mihi. Adhuc, ut audio, lætabatur in spe, nondum de re. Non enim dicit in his quæ data sunt mihi, sed potius in his quæ dicta sunt mihi. Audiam et ego quid loquatur in me Dominus Deus meus. Si forte dicat et mihi, si forte tali aliquid promittat et mihi. Loquere ergo, Domine, quia audit servus tuus. Quid mihi, Domine, dicis? Dictio tua, inspiratio tua. Inspira ergo mihi, obsecro, Domine, per Spiritum sanctum tuum hujus rei fiduciam, nec hoc sibi arroget spiritus meus per superbiam. Dicatur D

Digitized by Google

hoc mihi a te, non fingatur a me, et tunc cantabo et ego : Lætatus sum in his quæ dicta sunt, in domum Domini ibimus. Ibimus, inquit, loquens Adam; dicere noluit, ibo. Alloquens Evam suam, dicere noluit, ibis; sed ait, ibimus. Superius dictum est quod per Adam rationem, per Evam intelligimus affectionem, per domum Dei æternitatem. Ad Adam pertinet cognitio, ad Evam dilectio. Si æterna cogitas, sed æterna non amas, it quidem Adam, sed solus. Si æterna cognoscis, si æterna concupiscis, it utique Adam, sed non solus. Superna cognoscere, superna diligere, est Adam et Evam simul ire. Debet Adam contemplari, debet Eva congratulari. Si vides et gaudes, simul sunt Adam et Eva. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Apostolus gloriatur se raptum fuisse usque ad tertium cœlum (*II Cor.* XII), iste, ut audis, se sperat iturum. Primum cœlum, subtilitas intelligentiæ; secundum cœlum, claritas justitiæ; tertium cœlum, sublimitas gloriæ. In primo cœlo contemplatio veritatis, in secundo cœlo dilectio æquitatis, in tertio cœlo plenitudo æternæ jucunditatis. De primo et secundo cœlo dicit Apostolus : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III) ; non dicit in cœlo, sed in cœlis, ne de uno solo intelligas. De tertio dicit : *Scio hominem hujusmodi raptum usque ad tertium cœlum* (*II Cor.* XII). Multum diversa sunt rapi et conversari. In primo et secundo conversatur; ad tertium vero cœlum rapitur. Si in primo cœlo, hoc est in veritatis certitudine non esset, non esset Catholicus; si in secundo cœlo, hoc est justitiæ soliditate non degeret, non fuisset utique justus. In primo accipit ut fidelis existat; in secundo autem hoc agit, ut bonus fiat; in tertio vero quandoque dabitur ut beatus permaneat. In primo illuminatur ignorantia; in secundo exstinguitur concupiscentia, in tertio absorbetur miseria. In primo igitur et secundo interim conversari potest, ad tertium rapi valet, ire autem non potest. Toties ad tertium admittimur, quoties per excessum mentis illa interna et æterna dulcedine aliqua ex parte fruimur. Tunc ad tertii cœli secreta mens cujuslibet perfecti rapitur, cum æternæ illius felicitatis pelago absorbetur, et supercœlestis torrente voluptatis eousque inebriatur, ut non solum exteriora omnia per memoriam nesciat, sed ipse etiam sibi in oblivionem veniat, ita ut postmodum ad se reversus cum Apostolo proclamet et dicat : *Sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit* (*ibid.*). Quod igitur Apostolus vocat tertium cœlum, hoc isti, ni fallor, intelligi vult per Domini domum, ubi dicit : In domum Domini ibimus. Sed Apostolus attestatur se raptum, iste, ut superius diximus, se sperat et asserit iturum. Multo excellentius, multo dignius est ire posse per seipsum quam rapi et portari per quemlibet alium : introitus enim ejus qui ab alio rapitur, quandiu ei per seipsum posse intrare non conceditur, introitus, inquam, ejus non ex voto pendet introire volentis, sed ex gratia et beneficio portare volentis. Si enim per me intrare potero, ingrediar utique cum ipse voluero. Quem autem adhuc ab alio portari necesse est, sæpe etiam cum voluerit, nisi cum portatori placuerit intrare non potest. Quid ad hæc ergo dicemus? Nunquid vel iste aliquid obtinere potuit, quod Apostolus obtinere non meruit? Sed Apostolus gratulatur de præterito, is autem loquitur de futuro. Apostolus gloriatur de re, iste lætatur in spe; unde et dicit : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus.

Frater, si te circumfulget lux veritatis, tenes primum cœlum; si te succendit flamma charitatis, inhabitas secundum; si delibasti gustum quemdam internæ suavitatis, admissus es ad tertium; si tamen gustasti quia dulcis est Dominus, ut cum Propheta proclamare possis : Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. Attende quid dicat : Si gustasti, inquit. Credo quia nonnisi gustus quidam datur his qui adhuc rapiuntur. Nam postea quam ipsi per se ire poterunt, inebriabuntur : inebriabuntur enim, Domine, ab ubertate domus tuæ, quando torrente voluptatis tuæ potabis eos. Frater, aliud est gustare, aliud est potare : gustum accipimus ad experientiam suavitatis; potus dabitur ad affluentiam ebrietatis. Si accepisti gustum, securus exspectabis et potum. Cantabis itaque cum lætitia, psallere potes cum fiducia : Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, etc. Hoc autem, frater, diligenter attendendum, et maxime memoriæ commendandum, quia Adam sine Eva velle intrare non multum laudabile, Evam sine Adam posse intrare omnino impossibile. Quid enim prodest æterna cognoscere, et æterna nolle diligere? Æterna autem si prius non cognoscas, omnino non amas. Sola igitur æterna præ oculis habere, solis æternis inhærere, est Adam et Evam simul secundum quemdam modum intra domum Dei esse. Rapiuntur interim ad gustandum, intraturi quandoque non gustandum, sed ad inebriandum, ut sperare audeant, et confidenter psallant : In domum Domini ibimus.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXXXIV.

Omnia quæcunque voluit Dominus fecit, in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. Si invenit cor intelligentia lucidum ut cœlum, vel e contrario ignorantia tenebrosum ut abyssum. Item, si reperit mentem constantia solidam, ut terram, vel e contra concupiscentia lubricam ut aquam, ubique quidem et semper omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis : *Educens nubes ab extremo terræ.* Terræ nostræ extrema, peccata infima, et opera abjecta. A tali extremitate

Digitized by Google

nubes producitur, quia ex turpitudinis nostræ recordatione caligo confusionis generatur. Sed nubes hujusmodi, dum mentem obnubilat, contra concupiscentiæ æstus, quasi contra solis ardores refrigerium præstat. Nam qui peccasse se meminit, et se peccasse erubescit, quanto plus de præterito dolet, tanto amplius de futuro se cautiorem exhibet. *Fulgura in pluviam fecit.* Ante fulgura nubes producitur, et item fulgura pluvia sequitur. Nubes caligo confusionis, fulgur terror majestatis, pluvia fletus compunctionis. Dispensante itaque divina pietate, prius ante mentis oculos turpitudinis nostræ memoria reducitur, et postmodum in eorum recordatione divini terroris formidine concutitur, tandem inter confusionem et formidinem deprehensa, et diu fatigata in fletu compungitur. Nubem super me aspexi quotiescunque confusio faciei meæ cooperuit me. Fulgura excipio, quando terrores Domini militant adversum me. Pluvia descendit, quoties potui lacrymis meis lectum meum rigare. *Qui producit ventos de thesauris suis.* Sicut spiritus ubi vult spirat, sic nihilominus et quando vult spirat. Et sicut hic audire potes, post pluviam venti producuntur. Beati enim qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Aliter spirat spiritus timoris, et aliter spiritus pietatis, atque aliter spiritus fortitudinis. Tales ventos producit Dominus de thesauris suis. Quando divinæ Scripturæ arcana rimamur, quosdam thesauros cœlestis scientiæ, et sapientiæ miramur. Sed dum tali admirationi vehementer insistitur, diligentius intenditur, attonita mens nunc spiritu sapientiæ, nunc spiritu intellectus, nunc spiritu consilii, nunc spiritu scientiæ, tangitur. *Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.* Initium omnis peccati superbia : gignunt tenebræ erroris talia primogenita, quia per Spiritum Dei spiritus diaboli dejicitur, et per spiritum mansuetudinis spiritus elationis confunditur. Recte postquam venti producuntur, primogenita Ægypti moriuntur. Venti sunt divinæ aspirationes; primogenita Ægypti diabolicæ elationes; primogenita Ægypti humanæ præsumptiones. Alii superbiunt de rebus corporalibus; alii intumescunt in rebus spiritualibus. Vere brutus et animalis sensus, quando ad imaginem Dei factus animus ex his intumescit quæ sibi communia sunt cum pecoribus. Alii igitur superbiunt de vanitate, alii de sanctitate. Superbia vanitatis est primogenitum pecoris, arrogantia sanctitatis est primogenitum hominis. Flante itaque aura divini Spiritus, percutiuntur primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus; flante etenim spiritu timoris, facile dejicitur omnis timor elationis, quanto magis spirantibus aliis, atque aliis, nunc his nunc illis invicem sibi succedentibus? *Et misit signa et prodigia in medio Ægypti, in Pharaonem, et in omnes servos ejus.* In Ægypto, hoc est, in tenebris sumus, quandiu in hoc mundo vivimus, ubi conscientias nostras invicem non videmus, imo quod est gravius nosmetipsos plene non cognoscimus. Sciendum itaque quia universæ plagæ quibus Ægyptius a Domino percutitur, a recte intelligentibus quasi quædam futurorum malorum præsagia esse dignoscuntur. Nam non solum quæ mala post mortem in anima sola sequantur significant, sed etiam illa quæ post ultimum judicii diem in anima simul et corpore a reprobis sentientur, præfigurant. Signa itaque sunt, quia quæ post mortem uniuscujusque quasi in proximo futura sint prætendunt. Prodigia autem, et quasi de procul prædicentia recte dicuntur, quia quæ reprobis post judicium permaneant præloquuntur.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXXXIV.

Qui producit ventos de thesauris suis. Quia divinæ spirationis flatum percipimus, cum in divinis Scripturis cœlestis sapientiæ thesauros mirantes rimamur, et rimantes miramur. Pro his sapientiæ thesauris Apostolus exclamat et dicit : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* (*Rom.* XVIII.) Vultis autem scire qui sunt venti quos solet de hujusmodi thesauris producere? Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini. Quatuor ex his pertinent ad intellectum, tres vero ad affectum. Ad intellectum enim pertinet sapere, intelligere, discernere, scire; ad affectum confidere, diligere, timere. Spiritus itaque sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et scientiæ, congruunt intellectui; spiritus vero fortitudinis et pietatis, et spiritus timoris convenit affectui. Sed scimus quia omnis affectio ex cogitatione oritur. Nunquam enim mens circa aliquid afficitur, nisi prius res ipsa per cogitationem videatur. Tres igitur illi spiritus quos ad affectum diximus pertinere, solent ex aliis ad intellectum pertinentibus exsurgere. Nam constat quia ex spiritu sapientiæ, aliquando ex spiritu intelligentiæ, aliquoties ex spiritu consilii, quandoque ex spiritu scientiæ mens hominis ad fortitudinem erigitur, et ad constantiam roboratur. Spiritus sapientiæ spirat a Meridie, spiritus intellectus flat ab Oriente, spiritus consilii sonat ab Aquilone, spiritus scientiæ intonat ab Occidente; et sunt quatuor hi cardinales venti : quando tamen spirant fortitudinem, habet unusquisque eorum duos suffraganeos, unum hinc, alterum inde, quia modo inspirant pietatem, modo insufflant timorem. A quacunque enim cœli plaga sufflet, medium locum tenet, et cardinalis est spiritus fortitudinis, habens hinc inde sibi suffragantes; a dextris spiritum pietatis, a sinistris spiritum timoris. Hos igitur ventos producit de thesauris suis ipse cujus est ille thesaurus. Thesaurus autem, ut de ipso aliquid vel breviter loquamur, quia magnus admodum, multus, et copiosus

Digitized by Google

habetur, per quatuor gazophylacia distinguitur. Primum fabricatur in parte occidentali, ex sensu historico; secundum erigitur in plaga septentrionali, ex sensu morali; tertium ex allegoria exstructum stat ab Oriente; quartum vero ex anagogen, in Meridie. In gazophylacio occidentali, reconditum est argentum eloquentiæ; in gazophylacio septentrionali, reconduntur variæ et innumeræ virtutum gemmæ. In orientali gazophylacio continentur purpura, et byssus, et cætera ornamenta regalia in variis sacramentis Ecclesiæ. In meridiano autem gazophylacio custoditur aurum cœlestis sapientiæ. In primo fides eruditur, in secundo operatio instruitur, in tertio devotio exercetur, in quarto cœlestium contemplatio inchoatur.

Notandum autem quod occidentale gazophylacium orientale ostium respicit, et illi e regione opponitur, quia quidquid allegoria astruit, hoc historia in figura præcessisse ostendit, et sic dum se invicem respiciunt, vicissim sibi de veritatis soliditate testimonium ferunt. Item septentrionale gazophylacium meridiano similiter ostio opponitur et ipsum respicit; quia, dum laborum merces e regione cernitur, in virtutum exercitiis libenter desudatur, et satis constat quod æqua sibi lance respondeant mensura laboris, et qualitas retributionis. Junguntur occidentale et septentrionale gazophylacium, similiter orientali junctum est meridianum. Nam post historiam cognitam debemus quærere moralitatem. Similiter post istam, per allegoriæ cognitionem proficimus ad anagogen. Per historiam quid factum sit discimus, per moralitatem quid faciendum sit cognoscimus, per allegoriam sacramenta Ecclesiæ quomodo præcedentium rerum figuris prænuntiata sint intelligimus, per anagogen invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicimus. De talium ergo gazophylaciorum abditis penetralibus prodeunt flatus divinæ aspirationis, jubente tamen illo qui producit ventos de thesauris suis. Et videntur de singulis gazophylaciis tres venti procedere. Qui autem ex quibus prodeat, quia ex præcedentibus patet, superfluum est designare. Hi sunt duodecim venti qui discurrunt, et perflant totam terram viventium, totam terram tuam, o Emmanuel. Flant autem nunc hi, nunc illi; quomodo, et quando vult rex, et Dominus ventorum, non fabulosus Æolus, sed ille qui ascendit super cherubin, et volavit super pennas ventorum.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXXXVIII.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, et nemo in eis. Alia est imperfectio formæ, alia imperfectio staturæ. Ista est qualitatis, illa est quantitatis. Una qua quisque talis est qualis secundum naturam esse debet; alia qua quisque tantus quantum naturaliter crescere debet. Prior videtur in pueris, secunda invenitur in adultis. Puer quando omnia membra sua habet, secundum formam perfectus est, et tamen secundum staturam perfectus non est. Monstruosi partus quantumcunque crescant, illam perfectionem quæ secundum formam est non recuperant: fides sine bona operatione, bonum opus cum infidelitate; castitas cum superbia, humilitas cum luxuria, totum hoc monstruosum facit, et nihil horum ad Christianam perfectionem attingit. Qui talis est Christi non est, nec de eo dici potest, imperfectum meum viderunt oculi tui. Qui autem justitiam habet, quamvis perfectam non habeat, ad Christum utique pertinet quamvis perfectus nondum existat. Recte de eo Christus loquitur ad patrem. Imperfectum, inquiens, non quemlibet, sed imperfectum meum viderunt oculi tui. Quamvis tales exeant de corpore, respiciuntur intuitu divinæ gratiæ, respectu divinæ misericordiæ. Quia imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur. Qui omnes? Manifestum est quia omnes sui, omnes qui sunt Christi. Si, inquit, imperfectum meum, quanto magis perfectum meum? Omnes ergo mei a te videntur, et in libro tuo omnes mei scribentur. Sed quæramus quis sit iste liber in quo omnes sui scribentur. Si dicimus hunc esse librum viventium, profecto ibi non solum sui, sed etiam alieni scripti sunt, de quibus alibi dicitur: *Deleantur de libro viventium* (*Psal.* LXVIII). Si dicimus librum vitæ hunc esse ibi forsitan jam scripti sunt, et quomodo tunc ibi adhuc scribendi sunt? Sic enim dicitur et in libro tuo omnes scribentur, nisi forte futurum pro præterito ponatur.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXXXVI.

In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra. Salices arbores sunt steriles, et nullum penitus fructum afferentes. Quid ergo in ejusmodi arboribus rectius datur intelligi, quam sterilitas boni? Sed hæc infructuositas, bonique sterilitas quandoque dominatur in opere, quandoque in sermone, aliquando in cogitatione, quandoque in affectione, quandoque in aliquibus horum duobus vel tribus, quandoque etiam in omnibus. Ecce quatuor salicia, sterilitas actionis, sterilitas sermonum, sterilitas cogitationum, sterilitas affectionum. Sterilitas sane actionum est, quando subtrahitur gratia bene operandi; sterilitas sermonum, quando subtrahitur gratia bene dicendi; sterilitas cogitationum, quando

Digitized by Google

subtrahitur gratia recte intelligendi; sterilitas affectionum, quando subtrahitur gratia recta affectandi. In his sane omnibus modo conceditur, modo subtrahitur gratia divina, sed modo una et modo alia, nec solum malis, verum etiam bonis, sed bonis ad bonum suum, malis ad malum suum. Omnia siquidem cooperantur ad bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Ad hoc enim electis gratia divina aliquando subtrahitur, ut unusquisque intelligat quid sit de ipso. Ad hoc autem datur vel reparatur, ut intelligat quid sit ex munere divino. In uno eruditur ad contemptum sui, in altero autem ad amorem Dei. Ex uno proficit ad humilitatem, ex altero promovetur ad charitatem. In his autem duobus est et fundamentum bonitatis, et consummatio virtutis. Est adhuc et aliud genus sterilitatis, ineptia videlicet vanæ intentionis, quod eo ipso cæteris omnibus aliis detestabilius sit, quo cætera omnia corrumpit. Quidquid enim ex hac radice nascitur, sterile procul dubio, et infructuosum efficitur etiamsi bonum esse videatur. Nam quidquid boni agimus et dicimus, ex sinistra intentione corrumpere et annihilare possumus. Habemus itaque quinque salicia, et omnia Babylonica. Primum consideratur in sterilitate actionis, secundum in sterilitate sermonis, tertium in sterilitate cogitationis, quartum in sterilitate affectionis, quintum in sterilitate intentionis. In his omnibus erubescimus, in his sane omnibus erubescere debemus, in his omnibus merito confundimur, et quid aliud pro his omnibus quam confusionem meremur? Recte ergo hujusmodi salicia Babylonica dicta sunt, quæ semper confusionem adducunt : Babylon namque *confusio* interpretatur, unde et recte ad illam spectare videntur quæ confusionem operantur. Sunt igitur quinque salicia, quia infirmitatis humanæ sterilitas est quinquepartita. Sterilitas actionis intelligitur in eo quod per Prophetam dicitur : *Et defecerunt in vanitate dies eorum* (*Psal.* LXXVII). De secunda sterilitate, locutionisque vanitate est illud ejusdem Prophetæ : *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum* (*Psal.* XI). Sterilitas cogitationum damnatur in eo quod dicitur : *Væ qui cogitatis inutile* (*Mich.* II). Sterilitatem affectionis reprehendit qui dicit : *Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV). De quinto sterilitatis genere possumus et illud recte intelligere : *Cor eorum vanum est* (*Psal.* V). Quid est cor vanum et inane habere, nisi consilium suum in vana et inutili intentione figere?

Notandum autem quod in suburbio ipsius Babylonis crescit primum salictum, circa portam secundum, intra muros tertium, circa medium civitatis quartum, in ejusdem autem civitatis medio et intimo quintum et ultimum. Extra civitatem, et quasi in ejus suburbanis primum salictum esse jam diximus, quia opera nostra adinvicem videmus : nam cogitationes vel voluptates alienas omnino videre non possumus, sicut et illi qui extra civitatem sunt, nonnisi exteriora videre possunt. Per oris officium interiora nostra prodere, et in publicum proferre solemus, et ipsum idcirco quasi quamdam civitatis nostræ portam habemus, jure ergo secundum salictum velut ad portam civitatis esse dicitur, si recte in eo sterilitas locutionis intelligitur. Cætera tria salicta intra civitatem esse diffinivimus, quia qualitatem cogitationis, affectionis, intentionis soli ipsi intra nosmetipsos videmus. Nemo enim novit quæ sunt hominis, nisi spiritus qui in ipso est, et quidem affectio quam sola cogitatio animum profundius penetrat : et idcirco sterilitas affectionis quasi interiorem locum occupat, intimum et summum locum intentio obtinet, quia cogitationi et affectioni præsidet. Recte ergo quintum salictum in medio Babylonis esse dicitur, in quo sterilitas intentionum figuratur. Hæ sunt illæ arbores steriles, hæ sunt illæ salices omni fructu carentes, et in medio Babylonis crescentes, vanæ videlicet intentiones. In quibus organa suspendunt, qui cordis sui sterilitatem diligenter attendunt, qui infirmitatem suam veraciter erubescunt. Quid est organum suspendere, nisi verbum prædicationis subtrahere, et præconia veritatis reticere? Quid est autem ejusmodi instrumenta in salicibus suspendere, nisi propriam infirmitatem, cordisque sterilitatem attendere et erubescere, et quæ ipse non feceris vel facere non possis, aliis prædicare nullo modo præsumere? Toties igitur organa nostra in salicibus suspendimus, quoties et infirmitatis nostræ recordatione, et consideratione bona quæ ipsi facere non valemus vel nolumus, aliis prædicare erubescimus. Multos tamen videmus erubescendo, et detestanda agere, nihilominus tamen prædicationis officium præsumere, quales quidem sunt qui arguuntur divina increpatione : *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* (*Psal.* XLIX). Econtra autem sunt qui male agunt, et idcirco prædicationis officium erubescunt, atque refugiunt. Ili non tam in salicibus, quam in spinis organa suspendunt. Sunt alii qui nec magna bona, nec mala magna agunt, et tamen propter operum suorum sterilitatem verbum ædificationis proximis suis subtrahunt. Et quid aliud quam organa sua in salicibus, sed circa Babylonem suspendunt? Alii propter inopiam eloquentiæ; alii propter inopiam intelligentiæ, solent, seu etiam coguntur ab officio prædicationis cessare : et hi quidem videntur organa sua in salicibus suspendere, sed aliis et aliis locis, nec tamen in medio Babyloniæ. Sed qui idcirco officium prædicationis refugit, quia sincera et simplici affectione vel intentione se illud implere non posse præsentit, hic procul dubio velut in medio Babylonis organa suspendit. Organa autem nostra non tunc tantum suspendimus, quando ædificationis verbum proximis subtrahimus, sed quoties meritis exigentibus ad laudem Creatoris in præconia veritatis inopes et inanes sumus. Intelligimus enim in organis

Digitized by Google

quamlibet modulationem mentis, vel oris, in præconia veritatis. Organa siquidem, dum spiritum, quem ad se ab imo trahunt, exterius emittunt, suavem ac dulcem et multiplicem melodiam efficiunt. Sic sane, sic ad occultam inspirationem, ad Spiritus sancti suggestionem ipsiusque infusionem solet mens hominis ex conscientia bona in summæ bonitatis præconia erumpere, et nunc tantum corde, nunc corde simul et ore in Dei laudibus reboare.

Quid itaque aliud sunt hujusmodi de quibus loquimur organa, quam quælibet cordis, vel oris modulatio, prompta in summæ veritatis præconia? Sunt autem organa quinque in quibus oportet nos in Dei conspectu resonare. Primum est doctrina veritatis quando docetur quod ignoratur. Secundum est inflammatio voluntatis, quando ad id quod scitur, animus inflammatur. Tertium est impetratio gratiæ, quando ad id quod scimus, et facere volumus nec valemus, divinum auxilium imploramus. Quartum exhilaratio conscientiæ, quando pro bono cognito, diuque desiderato, et tandem aliquando per divinum adjutorium expleto coram Domino exsultamus in ipso. Quintum est degustatio et admiratio internæ suavitatis, quando jam pro merito retributionis gustamus, et videmus quam suavis est Dominus, et coram ipso cum admiratione jubilamus. Primum itaque spiritualium organorum instrumentum est eruditionis, secundum exhortationis, tertium devotionis, quartum exsultationis, quintum jubilationis. Ad eruditionem pertinet indoctos docere; ad exhortationem negligentes corripere; ad devotionem Domino supplicare; exsultationis est pro beneficiis divinis in Domino gaudere; jubilationis est pro intimæ suavitatis experientia in admirationis magnitudinem assurgere, et pene vel penitus mente excedere. In primo itaque organo psallimus, quando id quod sciri oportet nescios docemus; in secundo tunc canimus, quando ad amorem bonorum quæ jam antea doctrina perceperunt torpentes animos inflammamus; in organo devotionis personamus, cum orationi et gratiarum actioni vehementer insistimus; in quarto tunc organo modulamur, quando pro bonæ conscientiæ testimonio in Domino gloriamur; quinta organi melodia jam fruimur, dum pro dulcedinis inebriatione, et præ admirationis magnitudine in mentis stuporem abducimur. In eruditionis organo peritum, et in ejusmodi instrumento promptum et expeditum se esse ostendit, qui de ipso proponit, constanterque promittit: *Os meum loquetur sapientiam, et meditatio cordis mei prudentiam* (*Psal.* XLVIII). In secundo autem organo exhortationisque instrumento tam suaviter, quam salubriter cecinit, qui cum admonendi intentione personuit: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam*, etc. (*Jac.* I.) In devotionis autem organo filium suum instructum esse voluit, qui præcipiendo admonuit, et admonendo præcipit: *Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat* (*Tob.* IV). Ad exsultationis vel jubilationis organa, et ejusmodi instrumentorum cantica quotidie admonemur, quotidie invitamur: *Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro* (*Psal.* XCIV).

Sed, sicut sunt diversa genera organorum, sic procul dubio, et secundum diversa instrumenta sunt diversa genera canticorum, et quidem in uno eodemque instrumenti genere oportet sæpe aliter et aliter psallere. Quis autem nesciat ad eruditionem pertinere, tam ad rectam fidem quam ad bonos mores instruere? Pertinet vero ad fidei dogma scire, quæ sint vera et quæ sint falsa. Ad morum autem instructionem pertinet nosse, quæ sint illa, quæ omnino committere non licet. Similiter et quæ sint illa, quæ fieri oportet, et omnino omittere non licet. Item et quæ sint illa, quæ quidem impleta sic augent, vel cumulant meritum, ut tamen omissa nullum omnino contrahant reatum. Pertinet itaque ad eruditionem modo astruere vera, modo refellere falsa, modo exigere debita, modo cohibere illicita, modo proponere et consulere optima. Primum est probationis, secundum est improbationis, tertium prohibitionis, quartum est præceptionis, quintum consultationis. Ecce quinque genera canticorum. Et spectant hæc omnia ad eruditionis organum. In primo quidem ejusmodi canticorum genere, promptos et expeditos nos esse voluit, qui dixit: *Parati semper respondere omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est fide et spe* (*I Petr.* III). In secundo autem ejusmodi canticorum genere oportet nos nihilominus instructos esse, ita ut simus semper parati omnem falsitatem repellere, infidelium argumenta, et carnalium consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi (*II Cor.* I). In tertio genere canticorum multipliciter personabat, qui dicebat: *Non mœchaberis, non occides* (*Exod.* XX; *Deut.* V), et multa in hunc modum. Pertinet autem ad quartum genus cantici quod audis ab ore Domini: *Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* (*Matth.* IV). Intellige de quinto cum audis ab Apostolo: *Bonum est mulierem non tangere* (*I Cor.* VII). In idem concinit quod Dominus dicit: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX). Similiter et in exhortationis organo non semper psallimus uno eodemque modo. Modo namque exhortamur ad amorem virtutum, modo ad odium vitiorum, modo ad desiderium præmiorum, modo ad timorem vel cautelam suppliciorum. Ecce jam habes iterum quatuor genera canticorum. Primum est commendatio meriti, secundum condemnatio vitii, tertium promissio præmii, quartum comminatio supplicii. Commendatio est virtutis quod ab apostolo audis: *Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). Condemnatio est vitii, et pertinet ad secundum genus cantici, quod audis ibi: *Putredo*

Digitized by Google

cessium invidia (*Prov.* XIV). Canticum satis dulce, canticum delectabile, et ad audiendum suave, promissio hæreditatis æternæ. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit (*Isai.* LXIV; *I Cor.* II). Quartum genus cantici dictum est comminatio supplicii, quale est Apostoli : *Terribilis quædam exspectatio, et ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios* (*Hebr.* X). Sicut et de prædictis duobus jam organis diximus, sic et in devotionis organo non semper uniformiter psallimus. Nam devotionis est, modo mala sua accusare, modo misericordiam implorare, modo miserentem magnificare, tum pro indulta venia, tum pro qualibet impensa gratia. Ecce triplex canticum juxta devotionis organum. Primum est confessio criminis, secundum supplicatio miserationis, tertium glorificatio miserentis. Canticum confessionis est : *Peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea, et non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudine iniquitatis meæ.* Canticum supplicationis est : *Parce, Domine ; parce, Domine ; attende et fac* (*Dan.* IX). Canticum glorificationis est : *Miserator et misericors Dominus patiens et multæ misericordiæ et verax* (*Psal.* XV). In organo autem exsultationis geminus est psallendi modus. Non modo pro meritis propriis, modo de bonis alienis in Domino exsultamus. Omnis enim vera et ordinata exsultatio, aut de proximi sui bono, aut de bonæ conscientiæ testimonio. Ecce duplex canticum, et utrumque secundum devotionis organum, canticum gloriationis, canticum gratulationis, gloriatio de merito proprio, gratulatio de successu alieno. Vultis audire unde gloriationis canticum esse soleat, vel potius unde esse debeat ? *Gloria nostra*, ait Apostolus, *hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Oportet autem in hoc organo et maxime secundum hujus cantici genus, magnam psallendi peritiam habere, et cum multa cautela psallere. Nam difficile est valde in hoc cantici genere ullam dissonantiæ notam penitus non incurrere. Si enim eo tenore gloriationis tuæ fistulam tangas, ut illud unde gloriaris tuis meritis, vel viribus ascribas, ad ejusmodi fistulæ tuæ tactum sonum tam falsum quam fractum inflata fistula reddet, et ad fœdam dissonantiam erumpet. Si igitur gloriari oportet, quod quisque gloriatur, in Domino glorietur, et sic de suis meritis, quasi de Dei muneribus lætetur. Ad secundum autem in hoc organo cantici genus tunc procul dubio proficimus, cum veraciter scimus non tantummodo flere cum flentibus, verum etiam gaudere cum gaudentibus.

Restat adhuc solum illud jubilationis organum, quod certe non novit cantici genus, nisi uniforme et unicum ; nihil namque aliud est canticum jubilationis quam pro spirituali et inexperta suavitate, suavitatisque magnitudine inter inenarrabilia tripudia cordis, magnitudo et multiplicitas admirationis. Nemo autem hoc ultimum organi genus, modulandique instrumentum cæterorum comparatione parvipendat, pro eo quod canendi multiformitatem nesciat penitusque refugiat. Quod enim perdit in modulandi multiplicitate, totum recuperat, imo supra modum cumulat in modulationis suavitate, et suavitatis magnitudine. Jubilationis siquidem melodia quo cæteris est ad multiplicitatem sterilior, eo cæteris omnibus est ad jucunditatem fecundior. Cæterorum sane quodlibet ut multum hominem solet lætificare, jubilationis autem organum solet et beare : *Beatus*, inquit, *populus qui scit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII), et in cæteris quidem organis solemus passim coram quibuslibet psallere. Jubilationis autem instrumento oportet et decet solam regiæ dignitatis præsentiam honorare : *Jubilate*, inquit, *in conspectu regis Domini* (*Psal.* XCVII). Jubilationis canticum replet terram, lætificat cœlum : *Jubilate*, inquit, *Deo omnis terra* (*Psal.* LXV). Vultis et hoc nosse de hujusmodi cantico, an forte, vel ipsum soleat resonare in cœlo ? *Cum me*, inquit, *laudabant astra matutina, et jubilabant omnes filii Dei* (*Job* XXXI). Habes itaque ex quinque organis genera canticorum, decem et quinque numero, quinque in primo, quatuor in secundo, tria in tertio, duo in quarto, unum autem solum in ultimo. Hæc sunt cantica Sion, hi sunt hymni canticorum de quibus dicitur vel psallitur : Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Ecce habes cantica graduum. Ecce habes quindecim genera canticorum. Primum ex canticis Sion est improbatio falsitatis, secundum comprobatio veritatis, tertium prohibitio prævaricationis, quartum præceptio justificationis, quintum propositio perfectionis, sextum condemnatio criminis, septimum commendatio virtutis, octavum comminatio damnationis, nonum promissio beatitudinis, decimum confessio criminis, undecimum supplicatio miserationis, duodecimum glorificatio miserentis, decimum tertium glorificatio humilitatis, decimum quartum gratulatio charitatis, decimum quintum et ipsum omnium ultimum, omniumque jucundissimum tripudiatio admirationis. Habes itaque quinque organa, habes et decem et quinque cantica. Organum eruditionis, organum exhortationis, organum devotionis, organum exsultationis, organum jubilationis. Bonum est itaque hujusmodi organa resonare, bonum est et ejusmodi cantica psallere : *Bonum est*, inquit, *confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime* (*Psal.* XCI). Cantemus ergo non cuilibet, sed Domino Deo nostro. Absit a nobis illis cantare vel psallere, qui nos solent in captivitatem trahere, et in Babylonem abducere, et in confusionem dejicere! *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.* Sed qui sunt, qui nos in captivitatem trahunt, et in Babylonem, vel confusionem adducunt, nisi superbia et vana gloria ? Ante ruinam enim exaltabitur cor ; absque dubio ante ruinam cor exaltatur, et ante confusionem inaniter gloriatur. Superbia et vana gloria semper est causa ruinæ et confusionis, et ipsæ utique sunt quæ veraciter adducunt captivitatem mentis : *Hymnum*, in-

Digitized by Google

quunt, *cantate nobis de canticis Sion.* Nolunt superbia et vana gloria Domino Deo nostro cantari, sed sibi. Quid est Deo nostro psallere, nisi in his quæ dicimus non nostram, sed divinam gloriam quærere? Quid est superbiæ, vel vanæ gloriæ cantare, nisi ex his quæ dicimus vel sentimus propriam gloriam et excellentiam quærere? Absit a nobis talibus tyrannis servire, et satisfacere velle! Alioquin satius erit intentionis nostræ inanitatem et sterilitatem attendere, et in salicibus in medio Babylonis organa nostra suspendere, quam talibus exactoribus psallere. Audi cui cantare deceat, cui denique psallere oporteat. Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite; psallite autem sapienter, et exsultate in ipso vehementer. Qui vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

ADNOTATIO IN PSALMUM CXXXIX.

Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo eripe me. Tentatio diabolica quandoque est subita, quandoque est violenta, aliquando fraudulenta. Subita est, quando rationis judicium prævenit. Violenta est, quando virtutis nostræ possibilitatem excedit. Fraudulenta est, quoticscunque discretionis examen fallit. Secundum igitur modum tentationis tentator ipse sortitur sæpe proprietatem appellationis. Hinc est quod Scriptura sacra vitiorum incentores dæmones, nunc aves nominat, nunc bestias, quandoque homines ex quadam similitudine appellat. Subito enim, et quasi avis volat, cum mentem ante deliberationem præoccupat. Sæpe etenim in tanta festinatione mens in turpem cogitationem labitur, ut prinsquam aliquid inde deliberare possit, in delectationem rapiatur. Tentator ergo quasi avis volans est, cum venit subitus vel improvisus. Sed tunc velut leo sævit, cum sentitur violentus. Sæpe enim ex præcedenti culpa agitur, ut vehemens postmodum, et omnino intolerabilis tentatio suboriatur. Sed cum ad vim faciendam licentiam non accipit, sæpe malignus hostis se ad fraudem convertit. Cum igitur per astutiam prævalere nititur, recte hominis appellatione designatur. Solus namque homo inter animalia ratione utitur, unde illis etiam quibus fortitudine inferior est, ex ingenii singularitate principatur. Quasi homo ergo est, quando utitur non tam fortitudine quam calliditate, quando agit non tam fortiter quam prudenter. De avibus idem Propheta conqueritur cum alibi testatur, dicens: *Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus cœli* (*Psal.* LXXVIII). Sed de bestiis consequenter adjungit: *Carnes sanctorum tuorum bestiis terræ* (*ibid.*). Bestias etiam tunc metuebat, cum alibi Domino in oratione proclamabat: *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi* (*Psal.* LXXIII). Hic quia contra callidum tentatorem certat, insidiatorem suum hominem appellat, cum dicit: *Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo eripe me.* Sed ne me hoc de meo sensu finxisse existimes, Evangelium lege, et nunc per aves, nunc per hominem dæmones designari absque dubio invenies. Ibi legis de semine quod secus viam cecidit: *Quia volucres cœli comederunt illud* (*Luc.* VIII); et de zizania dicitur: *Quia inimicus homo fecit hoc* (*Matth.* XIII). Quod autem per volucres sive per hominem Veritas nonnisi dæmones designare voluerit, subjuncta expositione manifeste declaravit. Quid lucidius, quid manifestius eo quod ibi dicitur inimicus homo est diabolus. Ab hujusmodi homine inimico, homine iniquo, et homine malo Propheta se eripi postulabat, cum dicebat: Eripe me, Domine, ab homine malo, ac si aperte fateatur, dicens: Vide quia talem, tam astutum hostem sustineo, cujus comparatione quasi brutum animal appareo. Quanto animal ab homine ex rationis privilegio præceditur, tanto intelligentiæ nostræ exiguitas, calliditatis ejus magnitudine superatur. Vix ejus insidias adverto, vix ejus astutias deprehendo. Eripe me ergo, Domine, ab homine malo. Spirituales quidem viri quasi homines sunt, qui ejus fraudes facile deprehendunt. Carnales autem meique similes ei comparati, velut animalia sunt qui ejus insidias parum, vel minime advertunt; verumtamen homines et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicabis misericordiam tuam, Deus. Eripe ergo me ab homine malo. Si te parum movet quod quasi animal contra hominem pugno, quod brutus quodammodo contra callidum insidiatorem decerto. Si ergo te non movet quod hostis meus homo est, moveat saltem quod malus est. Eripe me ergo, Domine, ab homine, etc.

Sequitur: *A viro iniquo eripe me.* Forte aliis verbis idem replicatur, et forte per hominem malum, et virum iniquum idem accipitur. Videamus tamen ne forte in his aliud aliquid lateat, quod ad ædificationem nostram utiliter innotescat. Plus itaque est esse virum quam hominem. Feminas siquidem sive pueros generali vocabulo dicimus homines. Sed scimus quia feminas viri virtute præcedunt, pueros vero tam prudentia quam viribus antecedunt. Primo ergo, quia hostem suum callidum sensit, pro ingenii ejus mira subtilitate cum hominem dixit. Sed quia postmodum deprehendit eum non solum prudenter, sed etiam fortiter agere, studuit eum convenienti vocabulo virum appellare. Sic namque solet sæpe excrescere vis certaminis, pondus tentationis, usque prius fuit tantum fraudulenta, fiat postmodum etiam violenta, ut quia tentator prævalere non potuit per solam astutiam, vincat saltem per adjunctam vehementiam. Considerare libet in uno eodemque modo tentationis, et pietatem divinæ dispensationis, et fraudem diabolicæ perversitatis: prius enim fraudulentus hostis hominem leviore tentatione appetit, ut si forte levi impulsu ceciderit, tanto fiat ejus

Digitized by Google

excusatio minor, quanto fuerit tentatio levior. Sed cum per minora certamina mentem cujuslibet a suo proposito non dejicit, ad majora subito se accingit. Longe tamen alia consideratione divina dispensatio idem agere permittit, quæ in omne quod agit humanæ semper saluti consulit. Prius siquidem erudit hominem per leviorem pugnam, ut eruditus discat tandem de gravioribus periculis reportare triumphum. Nihil enim aliud circa nos Dominus facere vel fieri permittit, nisi quod pium vel quod justum esse discernit. Hinc est illud : *Justus Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*Psal.* XLIV). Econtra autem diabolum malum et iniquum vocat, malum quia semper nocere desiderat, iniquum quia ultra æquitatis mensuram modum sæpe percussionis dilatat. Recte enim malum dicitur propter intentionem malæ voluntatis, etiam tunc, cum in nostra afflictione non excedit metam æquitatis. Prius persequitur nos quantum culpa nostra exigit; sed, cum hoc ad subversionem nostram sufficere non posse videt, sæpe modum excedit. Sciendum tamen est, quia tunc ei divina bonitas licentiæ frena relaxat, cum hoc humanæ utilitati militare posse considerat. Quia ergo Propheta videt tentatorem nostrum in omni eo quod circa nos agit malum intendere, dicit eum malum; quia vero constat eum sæpe metas æquitatis in nostra insectatione excedere, vocat eum iniquum et dicit : Eripe me, Domine, etc. Cito hoc fieri voluit, quia non libera, sed, eripe me dixit. Forte et per vim id fieri oportere credebat, qui se ereptione, non præceptione liberandum postulabat. Non tamen quod Dominus hoc præcipiendo non posset, sed ut humano modo loquens, magnitudinem periculi ostenderet : *Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia.* Aliud est cogitare iniquitatem, et aliud est loqui iniquitatem. Quod adhuc cogitamus tantum, aliis quidem occultum est, quod autem loquimur, incipit etiam aliis esse manifestus.

Coram igitur perfectis viris maligni Spiritus iniquitatem cogitant, quia inquantum possunt fraudulentæ persuasionis dolos occultant. Sub specie etenim boni bonis viris mala persuadere volunt, quia ad aperta mala eos omnino trahere non possunt. Quid igitur aliud est eos iniquitatem suam non loqui, sed cogitare, quam malum quod intendunt fraudulenter abscondere? Vide quibus gradibus malum crescit, primo cogitatur, postea dicitur, tandem consummatur, sicut scriptum est : *Cogitaverunt et locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelso locuti sunt* (*Psal.* LXXII). Prius cogitaverunt, postea locuti sunt, demum in excelso locuti sunt. Cogitaverunt, hoc pertinet ad locutionem; in excelso locuti sunt, hoc pertinet ad clamorem. Quasi cogitant malum, et non loquuntur, cum quod sua sint malum esse dissimulant. Malum loquuntur, se quasi in secreto, quando malum non abscondunt sed excusant. Malum loquuntur et in excelso, quando quod manifeste malum est, quibusdam libere imperant. Coram ergo perfecte bonis cogitant, coram imperfecte bonis vel malis susurrant, coram perfecte malis clamitant. Sed et in uno eodemque homine hunc ordinem servant, dum ad perditionem eum rapere festinant. Prius occultum malum suadent sub boni specie, post manifestum malum sub excusatione, tandem publicum malum præcipiunt manifeste. Talem fortassis tunc temporis David senserant, cui aperte malum persuadere non poterant. Et idcirco iniquitatem cogitare quidem, non autem loqui præsumpserunt, de quibus dicitur : *Qui cogitaverunt iniquitates in corde.*

ADNOTATIO IN PSALMUM CXLIII.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum. In manibus operatio, in digitis intelligitur discretio. Sententia trita, et pene nemini ignota. Sunt autem manus duæ, et unicuique digiti quinque. Manus vero alia dextera, alia sinistra, quandoque per dexteram operatio bona, per sinistram intelligitur operatio mala. Quale est illud, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. Quandoque in utraque manu non nisi bonum exprimitur, cum per Prophetam dicatur : *In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus meis* (*Psalm.* LXXIII). Neque enim ex malo opere diceret se Propheta Deum quærere, vel crederet se posse invenire. Est autem, ut in commune novimus, dextera fortior, sed sinistra lenior. Ad dexteram ergo pertinent opera fortitudinis, ad sinistram officia mansuetudinis. Ad dextram rigor severitatis, ad sinistram lenitas pietatis. Ad dextram denique exercitia justitiæ, ad sinistram impendia misericordiæ. Dextera vero modo per seipsam operatur, modo ex sinistra adjuvatur. Operatio autem solius sinistræ admodum rara, et penitus infirma, nisi forte in his quæ naturæ ordinem confundunt, et de sinistra dextram faciunt. Justitia alia cogens, alia permittens, justitia cogens est, quæ nisi ad unam partem omnino accommodari non potest. Quædam enim ex æquitate justitiæ ita exiguntur, ut omnino nisi injuste non prætermittantur, et quædam sic prohibentur, ut nunquam nisi illicite usurpentur. In his autem omnibus cum ea juste exsequimur, quasi in sola dextera operamur. Sunt autem et alia quædam quæ et juste fieri, et misericorditer possunt relaxari; et item alia e converso, quæ et juste præteriri, et misericorditer possunt exerceri. In his autem misericordiæ operatio locum habet, et quantum justitia permittens patitur, exercere se valet. Semper tamen in his quæ pie impendit, vel venialiter remittit, *illud ma-*

Digitized by Google

xime caveat, ne justæ æquitatis metas excedat. Quando ergo misericordiæ opera ita exsequimur ut a justitia non recedamus, quasi in utraque manu operamur. Quando ergo ipsa justitia ex misericordia conditur vel temperatur, dextra quodammodo, quasi ex sinistra adjuvatur, quemadmodum invenitur scriptum : Quoniam misericordia superexaltat judicium. Ecce de manibus, modo de digitis videamus.

Utraque manus digitis distinguitur, vel ornatur, et tam justitiæ quam misericordiæ operatio ut utilis et ordinata sit discretione moderatur. Sunt autem digiti quinque, et discretionem quidem possumus quinque gradibus distinguere. Primus discretionis gradus est dijudicatio, secundus deliberatio, tertius dispositio, quartus dispensatio, quintus moderatio. Primum namque est dijudicare, et per discretionis examen quærere quid sit licitum quidve illicitum. Sed quia illa quæ licita sunt, non statim omnia expediunt, restat secundo loco ad consilium confugere, et multa deliberatione investigare in his omnibus quæ licent quid expediat, vel quid omnino non expediat. Quæsito et invento quid licenter et utiliter faciamus, incumbit adhuc agnoscere in rebus utilibus quid, quomodo, vel quo ordine facere debeamus. Ordine gerendorum disposito atque præfixo, oportet sæpe pro vario rerum eventu ad dispensationis gratiam confugere, et secundum occasionum opportunitatem aliquid de propositi nostri rigore et dispositionis nostræ ordine demere vel mutare; quoniam humana dispositio atque divina non semper in eumdem finem concurrunt, nec ad eumdem exitum usquequaque conducunt. Ultimum autem est in omnibus quæ ordinate et circumspecte agimus, modum congruum non ignorare, cognitum vero cum omni diligentia et longanimitate custodire. Primum itaque est dijudicationis, secundum deliberationis, tertium dispositionis, quartum dispensationis, quintum moderationis. Per dijudicationem siquidem licita ab illicitis secernimus; per deliberationem inter tot licita utilia ab inutilibus eligimus; per dispositionem juxta electionis modum cuncta in ordinem redigimus, per dispensationem pro rerum eventu temporum opportunitati cedimus; per moderationem in omnibus quem decet operum modestiam servamus. Dijudicatio itaque discernit inter licitum et illicitum, deliberatio inter commodum et incommodum, dispositio inter ordinatum et inordinatum, dispensatio inter opportunum et importunum, moderatio vero inter moderatum et immoderatum. Dijudicatio est, quæ cuncta in judicium adducit, et segregans bona a malis per illicita nos effluere non permittit. Deliberatio quæ nihil inconsulte agit, et quæ semper nos a rebus supervacuis restringit. Dispositio est, quæ cuncta inconfuse agit, nihilque penitus inordinatum relinquit. Dispensatio est, quæ supervenienti occasioni cedit, et humanæ infirmitati consulens, humanam dispositionem divinæ, dispositioni frivolæ resultare non permittit. Moderatio est, quæ modum custodit, et in quibuscunque agendis modestiæ metas præterire non sinit.

Notandum autem quod discretio quandoque stricte accipitur, et tunc nihil aliud quam quod superius dijudicationem diximus intelligitur, ut sint quinque gradus prudentiæ : Discretio, deliberatio, dispositio, dispensatio, moderatio. E contrario autem sæpe deliberatio largius accipitur, ut subsequentia in se membra includere videatur. Quis enim dicat ad deliberationem usquequaque non pertinere ordinem, recompensationem, modum in agendis, mutandis, consummandis quærere et invenire? Secundum hanc acceptionem prudentiæ videntur inesse tantummodo membra duo, discretio videlicet atque deliberatio. Sic sane verborum inopia facit nos eorum significationem modo extendere, modo restringere, vel alio quolibet modo mutare. Sed videamus modo quomodo, vel quam apte respondeant quinque digitis superius assignatis quinque gradus discretionis non solum numero vel ordine, sed et quadam qualitatis suæ proprietate. Primus digitus pollex, secundus index, tertius medius, quartus medicus, auricularis autem ultimus, et minimus. Vide ergo quomodo solus pollex cæteris omnibus virtute et positione respondet, quomodo cunctos præcedit atque præpollet, unde et nomen habet. Sic sane dijudicationis examen debet et solet primum locum tenere, cæterisque omnibus exercitationis usum et locum tribuere vel administrare. Nam, nisi discretionis judicium præcedat, et licita ab illicitis secernat, cæterorum quodlibet non habet quod agat. Sola enim licita licite electionem accipiunt, ordinem exigunt, recompensationem admittunt, mensuram requirunt. Electio autem ad deliberationem, ordo ad dispositionem, recompensatio ad dispensationem, mensura vero pertinet ad moderationem. Vides certe quomodo dijudicationis censura cæterorum quorumlibet officia præcedit atque præcellit. Quando aliquid ostendere volumus, indice utique hoc facere consuevimus. Vide ergo ne forte indicis officium vel locum deliberatio teneat, quæ semper quid nobis faciendum sit sua electione ostentat. Nam, quamvis licitum aliquid esse discernimus, non tamen idcirco statim et faciendum putamus. Non enim quidquid licitum est, pariter et prodest. Sed quod veraciter utile esse deliberatio probat, simul et faciendum esse nemo ignorat. Sic utique dum quo facto opus sit quotidiana deliberatione indicatur, indicis officium ipsa nostra deliberatio explere videtur. Debet autem ad indicis similitudinem, secundum locum deliberatio tenere, et dispositionem dispensationemque simul, et moderationem præcedere. Ea namque quæ inutilia, et idcirco vitanda sunt, dispositionis, dispensationis moderationisve officia non requirunt. Proximum locum post indicem medius tenet, sic et deliberationem semper dispositio subsequi oportet. Nam illa utique quæ per deliberationem eligimus, statim per dispositionem ordinare debemus. Medius

Digitized by Google

autem digitus ille dici solet, qui inter cæteros medium, et summum locum tenet. Moris autem est rectorem medium et summum locum tenere. Inter eos utique eis solent a dextris et a sinistris assistere vel assidere; inter eos, inquam, quorum solent officia disponere, mysteria ordinare. Sic sane dispositio veluti rectoris officio, vel loco fungitur, dum ejus ministerio omnis operum nostrorum ratio ordinatur. Regentis et præeminentis officium gerit, quæ omnia seriatim circa se ordinat atque disponit, sine cujus nutu nihil in actu prodire habet, nihil ad affectum exire oportet. Indicem et medium medicus sequitur, et deliberationem simul et dispositionem sæpe dispensatio comitatur. Superveniente occasione et in idipsum urgente, multum diversa sæpe ex dispensatione agimus ab his quæ prius deliberavimus, aliquando autem et alio ordine quam disposuimus. Dispensationis igitur officio sæpe agitur, ut tam nostra deliberatio quam dispositio meliori exitu concludatur. Debet itaque utramque sequi, per quam oportet, cum necesse fuerit, utramque corrigi. Infirmis autem membris atque medendis palpandi gratia medicus maxime adhibetur, indeque absque dubio quasi pro medendi officio, hoc nomen sortitur: et quid aliud, quæso, dispensatio quam morbida nostra palpat, dum infirmitatis nostræ modum forti examinatione pensat, ut meritorum nostrorum dispendiis digna recompensatione respondere sciat, et medici officium explere valeat? Manus nostra in minimum digitum desinit, et moderatio quidem omni opportuno operi congruum modum imponit. Hic est ille digitus, qui auricularis dicitur, pro eo sane quod cæteris omnibus accommodatius purgandis auribus ingeritur, et ille absque dubio ob auditionis aurem purgatam, et ad audiendum paratam gerit, mandatisque divinis melius obaudit, qui in omnibus quæ agit, dignas moderantiæ metas observat.

Hos quinque quales distinximus discretionis digitos utraque manus habere debet, et tam justitiæ, quam minime operatio, his sane prudentiæ gradibus ordinari oportet: *Si nos*, inquit Apostolus, *dijudicaremus, non utique judicaremur* (*II Cor.* xxi). Attende, obsecro, quam utile dijudicationis officium sit, quæ nos in conspectu judicis judicio absolvit.

A Ad deliberationis consilia nos mittit qui dicit: *Omnia fac cum consilio, et nunquam pœnitebis* (*Eccli.* xxxii). Noverat sane quia quibus omnia licent, non tamen et æqua omnia expediunt. Dispositionis ordo in operibus nostris cogita quam necessarius videatur, quandoquidem in sermonibus nostris etiam observandus proponitur: *Jucundus*, inquit, *homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio* (*Psal.* cxi). Dispensatorum, et eo ipso dispensationum proprietatem, vel officium expressit qui ait: Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur (*I Cor.* iv). Ad moderationis modestiam admoneris, cum audis, et legis: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus* (*Philip.* iv).

B Puto autem quia nihil firmiter, nihil fideliter et ad meritorum retributionem tenetur, quod in his quinque dijudicationis videlicet, et deliberationis, dispositionis, dispensationis, moderationisque digitis non restringitur, sive justitiæ, sive misericordiæ, seu forte utriusque manibus efferatur. Ecce de digitis, ecce de manibus, pro ejusmodi psallentem advertimus, cum audimus: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.* Studeamus et nos in his manibus vel digitis fortiter et prudenter agere, ne nos pudeat cum Propheta pari voce psallere. In manibus constanter, in digitis agamus prudenter. Manus ad constantiam, digiti ad prudentiam. Caveamus sollicite ne rigor justitiæ nos usque ad crudelitatem agitet, vel misericordiæ lenitas nos usque ad C dissolutionem emolliat. Omnis autem justitiæ, vel misericordiæ exordinatio, imo qualiscunque transgressio aut ex concupiscentia oritur, aut ex ignorantia procreatur. Ab illa vitia surgunt, ab ista errores originem trahunt. Vitia sæpe operationis nostræ manus enervant, et errores nihilominus discretionis nostræ digitos fœdant. Vitia itaque manus, manus vitia oppugnant; errores digitis, digiti erroribus rebellant. Sed utrorumque congressus victoriam de ejus virtute speramus, cui in Propheta psallimus: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.* Manus, inquam, ad prælium contra congressum vitiorum, digitos ad bellum contra incursus errorum.

ADNOTATIO IN PSALMUM LXXI.

Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Singularis gloria Mariæ. O gloria Virginis, o gratia Salvatoris, o gratia mirabilis, o gloria singularis! Stupenda dignatio prolis, stupenda dignitas matris! Qualis, quanta dedignatio prolis Filium Dei Patris fieri filium hominis, Dominum gloriæ fieri filium Mariæ! Qualis, quantave dignitas matris habere fructum fecunditatis cum flore virginitatis; virginem habere filium, nec qualemcunque, sed Deum! D Vere singularis gloria Mariæ, descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram: descendet, inquit, quis, quæso, vel quo? Unde, vel quomodo? Descendet sicut pluvia in vellus. Haud dubium quod Christus Jesus. Sed unde, quæso, vel quomodo? De sinu summi Patris in uterum virginis matris. Sed quis veniendi modus? sicut pluvia in vellus. Sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum; te laudamus, Deus noster. Ecce quis venit, ecce unde venit, ecce quo requievit,

Digitized by Google

ecce quomodo descendit. Quis venit? *Hic erit*, inquit, *magnus, et Filius Altissimi vocabitur* (*Luc.* I). Unde venit? *A summo cœlo egressio ejus* (*Psal.* XVIII); egressus ejus a principio, a diebus æternitatis. Quo descendit? *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est nobiscum Deus* (*Isai.* VII). Quomodo descendit? *Sicut pluvia in vellus.* Audi apertius : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ecce modus. *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (*Matth.* V.) Superveniet Spiritus sanctus, obumbrabit tibi Altissimi virtus, hoc est sicut pluvia in vellus. Quomodo, inquam, descendit pluvia in lanam, stillicidia super terram? Quomodo, quæso, nisi placide et quiete, utiliter et fructuose? Profecto aliter descendit grando in terram, et aliter stillicidia, grando cum strepitu, stillicidia sine strepitu, grando ad sterilitatem, stillicidia ad fertilitatem. Descendit ergo sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram; placide in placidam, quiete in quietam, suaviter in suavem, benigne in benignam, jucunde in jucundam. Singularis gloria Mariæ descendit sicut pluvia in vellus. Quid, quæso, facit? quid facere consuevit pluvia in vellere, stillicidia in tellure? Quid, inquam, operatur aqua in lana, unda in terra? Profecto et absque ambiguo lanam lavat, terram rigat. Lavat ad emundationem, rigat ad fructificationem. Sic profecto una eademque aqua sapientiæ salutaris, una eademque gratia Salvatoris virginem matrem fecundat, et mundat; mentem mundat, ventrem fecundat. Mundat mentem ad summam puritatem, fecundat ventrem ad excellentissimam prolem. O puritas mentis, o fecunditas ventris! O summa puritas, o singularis fecunditas! Quam beatus fructus ventris, tam gloriosa puritas mentis. *Benedicta tu*, inquit, *in mulieribus et benedictus fructus ventris tui!* (*Luc.* I.) O parens benedicta, o proles gloriosa! Singularis gloria Mariæ! Descendet sicut pluvia in vellus, descendet sicut pluvia in vellus virgineæ mentis, descendit sicut stillicidia in terram virgineæ carnis. Illam itaque emundavit, istam fecundavit. Sed nunquid mundavit solam mentem? nunquid fecundavit solam carnem? Imo absque ambiguitate, et sine omni contradictione mundavit mentem et carnem, fecundavit mentem et carnem. Una eademque unda gratiæ Salvatoris extersit ignorantiam mentis, et exstinxit omnem concupiscentiam carnis. Una eademque aqua sapientiæ salutaris, carnem virginis fecundavit ad prolem, et mentem matris ad omnem virtutem. Unam itaque, et eamdem mentem reddidit vitiis vacuam, virtutibus plenam. Uni eidemque carni contulit fructum fecunditatis, et conservavit florem virginitatis.

Sed nunquid secundum Gedeonis petitionem gratiæ unda quasi ad velleris infusionem prius solam implevit mentem, postea autem velut terræ irrigationem solam implevit carnem? Nunquid prius carnem deseruit, ut mentem repleret? Nunquid postmodum a mente recessit, ut carnem fecundaret? Absit! Videte tamen ne forte secundum aliquid prius infuderit solam mentem, et iterum secundum aliquid solam carnem. Utique gratiæ unda prius mentem solam fecundavit ad fidem, postea autem eadem gratia carnem solam fecundavit ad prolem. Fides in mente sola, proles in carne sola; prius fides, postea proles. Nisi præcessisset fides conceptionis, omnino non successisset fecunditas prolis. Fides præcessit, et proles successit, et fides recessit. Non enim adhuc credere, sed jam scire oportuit, quod rei experimento probavit. Recte ergo dictum est quia secundum petitionem Gedeonis, juxta aliquid prius infudit solum vellus virgineæ mentis, et item postmodum juxta aliquid, solam terram virgineæ carnis. Vere singularis gloria virginis Mariæ, descendet sicut pluvia in vellus. Quid est vellus, nisi lana a carne recisa et a carne sublata? O quale vellus illud virgineum pectus, longe remotum, valde alienum a desideriis carnalibus et sordidis corporum passionibus! O quale vellus virgineæ mentis, mundi cogitatus! O quale vellus virginei pectoris, casti affectus! O quale vellus virtutum omnium ornatus! Quis non gaudeat se vestiri posse de virtutum vellere B. Virginis Mariæ? O quantus, o qualis et quam gloriosus ornatus Ecclesiæ catholicæ, et hoc de vellere virginis Mariæ! Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietate. Est itaque circumamicta varietate, sed hoc de vellere virginis Mariæ, pilis carnis, pilis sordidis, pilis caprinis ad ignominiam tegeris, si non vellere vestiaris. Compara, si placet, pilos cum lana, et ex comparatione collige quam sit specialis gloria in virgine, et ex virgine Maria. Cogita lanam in pilorum comparatione, et ex ejus qualitate collige et subtilitatem et sublimitatem mentis virgineæ. O cogitationes subtiles, o sensus sublimes, quæ de mente virginea surgunt, quæ se non in pilorum morem, sed in lanæ similitudinem subtilius et longius extendunt! O sublimes, o subtiles virginis intellectus! O sublimes, o subtiles virginis affectus! O speciosum, o gloriosum virginei pectoris vellus! Ex hoc pectore omnium virtutum ornatus, ex hoc pectore totius gloriæ cumulus, et ecce quale virginis Mariæ vellus! O specialis gloria in virgine, et ex Virgine Maria! Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram. Quæ est illa terra, nisi matris Domini caro virginea? Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra, et germinet Salvatorem. De hac terra Veritas est orta. Veritas, inquit, de terra orta est. Ex hac terra germinavit illud lignum fructiferum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. De hac, inquam, terra germinavit lignum vitæ, nec qualiscunque, sed vitæ æternæ, et in æternum beatæ. Vere fructus terræ sublimis, fructus æternæ beatitudinis. Gustate, obsecro, gustate et videte, quam suavis, et quam salubris est fructus terræ hujus, et fructus ligni hujus. O lignum fructiferum, o lignum

Digitized by Google

salutiferum! Flores habet, fructum habet; flores internæ pulchritudinis, fructus æternæ beatitudinis; flores perfectæ bonitatis cum fructibus æternæ beatitudinis. O res miranda et valde stupenda! In uno eodemque ligno sic fructus adveniunt, ut flores non recedant; sic fructus maturescunt, ut flores non marcescant. Ecce qualem germinavit fructum terra illa beata, quæ genuit Salvatorem, gloriosa virgo Maria: *Sicut stillicidia*, inquit, *stillantia super terram*. In hac terra inventus est lapis ille sine manibus excisus, qui crevit in montem magnum, et implevit universam superficiem terræ. Puto quia in hac terra, secundum Moysi sententiam, nascitur aurum, et aurum illius terræ optimum (*Gen.* II). Ibi invenitur bdellium et lapis onychinus. Qualem, quæso, dicimus hanc terram in qua facile invenimus si volumus aurum optimum et lapidem pretiosum. Sed quid dicturi sumus de illius terræ auro, auro tam optimo, tam pretioso? Puto quod secundum hoc quod in beato Job legitur: Quoniam et huic auro locus est in quo conflatur (*Job* XXVIII).

Sed quis, quæso, hujus conflationis locus, an forte ipse est uterus virgineus? Quis hujus operis conflator aurique mundator, nisi Spiritus sanctus? Hujus sane operatione in ventre virginali conflatum est aurum et decoctum ad purum, natura humana purgata et ab omni labe mundata, Verbo unita, et in unam personam conjuncta. In hoc conflatorio, et ex hujusmodi auro formatus est annulus, lapis pretiosus, et in eo imposita est forma summi regis, et imago impressa, et plene expressa. Aurum optimum caro Christi lapis pretiosus, anima Christi figura, et imago Patris, divinitas Christi. Qui cum sit splendor gloriæ et figura substantiæ ejus, nihilominus tamen humanitati nostræ est unitus, ut ex duabus naturis tribusque substantiis esset quasi in unum annulum junctus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, et fieret dexteræ Excelsi ornatus. Hujus annuli signaculo signatum est illud edictum, vel chirographum, in quo liberata est captivitas Judæorum. Hic est annulus Aman principi ablatus, et Mardochæo regia clementia commissus, et quam hæretica perversitas perdidit, ordo catholicorum doctorum acquisivit. O si quis in nobis factus filius prodigus, qui dudum mortuus est, et jam revixit, perierat et inventus est, date hunc annulum in manu ejus, et calceamenta in pedibus ejus! O quanto honore unusquisque nostrum in hoc annulo donatur, quandoquidem in ejusmodi ornatu et ipse pater gloriatur! Ecce qualia, ecce quanta bona contulit nobis virgo mater nostri Salvatoris. Ex ejus vellere vestimur et ornamur. Ex fructu terræ illius pascimur et sanamur, decoramur, coronamur et gloriamur. O vere spiritualis, vere singularis gloria in virgine, et ex Virgine Domini matre!

ADNOTATIO IN PSALMUM XC.

Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis. Septem sunt genera tentationum: prima est importuna, secunda est dubia, tertia subita, quarta occulta, quinta violenta, sexta fraudulenta, septima perplexa. Importunam tentationem illam dicimus quam a recordationis nostræ oculis amovere vix possumus, quæ sæpe amota, semper ad animum redit, et ipsum omni pene hora inquietare non desinit. Tentatio dubia est, quæ animum ita ambiguitatis nubilo involvit, ut quid certum de re aliqua tenere debeat plene discernere omnino non possit, sed modo animum ad ancipitem sententiam trahit, modo ad diversas seu etiam contrarias impellit, et pro vario rerum eventu, multiplicique respectu sententias variat atque multiplicat. Subita tentatio est, quæ judicium rationis prævenit, in tantum ut mens tentantis mali impetu præventa ejus insidias prævenire non possit, et sæpe sentit se prius pravæ delectationis jaculo transfigi, quam possit circumspectionis suæ scuto muniri. Occultam tentationem dicimus, per quam fit sæpe ut ibi negligamus ubi solliciti esse deberemus. Per hanc enim agitur ut res noxia, valdeque perniciosa in considerationem non adducatur, et utrum bona, an mala sit omnino non discutiatur. Et quam multa sunt putamus, quæ per incuriam, aut negligentiam sæpe committimus, quæ nunquam fortassis toto tempore vitæ nostræ in judicium adducimus, unde fit ut inde securi simus, unde judicium timere deberemus. Violenta tentatio est, quæ vix aut nullo modo humana industria superari potest, quæ vires humanæ mentis fatigationis suæ vehementia ita enervat, ut tentanti malo, nisi divinitus aspirata, resistere omnino non valeat. Fraudulenta tentatio est quæ animum seducit, et in falsa sententia sæpe etiam immobiliter figit, in tantum ut bonum dicat quod veraciter est malum, similiter et malum, quod veraciter est bonum; per hanc utique tentationem id, ut omnes videmus, frequenter agitur, ut unde confundi deberet mens improba, satis imprudenter glorietur, et inde sæpe quasi secura exspectat præmium, unde trepida oporteret timere supplicium. Perplexa tentatio est, quando sub uno eodemque tempore mens variis vitiis impetitur, ut vel in uno aliquo labatur. Et sæpe versuta malignitas hos vitiorum congressus cum tanto artificio ordinat, ut animus improvidus unde uni vitio robustius resistere parat, eo ipso aliud incurrat atque succumbat. Importuna itaque tentatio est, quæ procaciter insistit, dubia quæ animum ambiguitatis nubilo involvit, subita quæ judicium rationis prævenit, occulta quæ deliberationis considerationem

Digitized by Google

prætersugit, violenta quæ vires mentis transcendit, fraudulenta quæ animum seducit, perplexa quæ variis vitiis impetit.

Notandum autem quod hi septem tentationum modi, modo possunt esse simplices et impermisti, modo compositi atque permisti. Ultimus tamen tentandi modus juxta aliquid semper est multiplex, et juxta aliquid potest esse simplex. Multiplex enim est in eo ipso quod ex pluribus vitiis componitur; simplex tamen juxta aliquid est, quando uniformiter agitur. Aliud sane est tentari diversis vitiis et aliud absque dubio tentari diversis modis. Sicut enim ex diversis vitiis tentari possumus uno eodemque modo, sic diversis quidem modis tentari possumus uno eodemque vitio. Modi itaque tentandi, ut jam dictum est, modo impermisti sunt, quando quilibet eorum uniformiter agitur, modo compositi, quando invicem permiscentur, et ex pluribus tentationum modis una componitur, una siquidem eademque tentatio potest esse modo subita et violenta, modo subita et fraudulenta. In hunc itaque modum et de aliis judicare possumus, sed nos interim in hoc loco de simplicibus agere instituimus. De prima ergo quæ dicta est importuna dictum est in Job: *Lapides excavant aquæ, et terra paulatim alluvione consumitur* (*Job* XIV). Attende, obsecro, quam convenienti similitudine importuna tentatio describitur, cum simplex est et uniformiter agitur.

Quid magis est durum saxo, quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

Quid lapide durius, quid aqua mollius? Verumtamen

Gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo.

Sic sane fit sæpe ut importuna tentatio, cum in se nihil violentiæ, nihil fraudulentiæ habeat, per importunitatem tamen vincat, et magnanimæ mentis robur quandoque ad pravitatis consensum emolliat. Secunda tentatio est, quæ recte dubia dicitur, quando illud in corde cujuslibet agitur: quod item in B. Job legitur: *Idcirco cogitationes meæ*, inquit, *variæ succedunt sibi, et mens mea in diversa rapitur* (*Job* XX). Tunc enim mens hominis in diversa rapitur, quando quid certum de qualibet re tenere debeat ignorans per multiplices sententias variatur. De tertia (id est subita) tentatione illud recte intelligitur, quod per Jeremiam prophetam dicitur: *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli* (*Jer.* IV). Quid intelligimus per aquilas cœli, nisi subtiles et sublimes speculationes animi? Sed hujusmodi aquilis cœli persecutores nostri sæpe velociores sunt, quia subitæ, ut dictum est, tentationes circumspectionum nostrarum deliberationes quandoque prævertiunt. Pro quarta quæ dicta est occulta, B. Job Domino supplicabat, cum diceret: *Quantas habeo iniquitates et peccata, scelera mea atque delicta ostende mihi* (*Job* XIII). Nisi enim occulta aliqua se habere timeret pro quibus supplicare oporteret, quæ tamen ignorare potuisset, quid sibi, quæso, iniquitates et peccata, scelera atque delicta ostendi a Domino postularet? Quid ergo nos acturi, quid de nobis sumus dicturi, si vir talis ac tantus occulta aliqua, non solum venialia peccata, verum etiam scelera habere se formidabat, quæ se tamen ignorare metuebat? Nam pro manifestis quidem fiducialiter loquitur, cum dicit: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea* (*Job* XVII). Tale est illud Apostoli: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (*I Cor.* IV). De violenta, quam quinto loco posuimus, illud B. Job intelligimus: *Quasi rupto muro et aperta janua, sic irruerunt in me, et ad meas miserias evoluti sunt* (*Job* XXX). Rupto muro apertaque janua, hostes absque obstaculo facile ad interiora irrumpunt, prædamque civitatis undique pro voto diripiunt. Sic utique, sic vigore mentis exhausto per violentam tentationem, spiritus hominis a rectitudinis suæ statu dejicitur virtutumque gloria spoliatur. De fraudulenta tentatione, quæ sexto loco ponitur, per Salomonem dicitur: *Sunt viæ quæ videntur homini bonæ, novissima autem earum deducunt ad mortem* (*Prov.* XVI). Quid, quæso, fraudulentius, quid formidolosius invenitur, quam quod mors perennis inde colligitur unde vitæ æternæ fructus sperabatur? De perplexa tentatione quæ omnium est ultima atque perniciosissima, illud nimirum recte intelligitur quod B. Job a Domino dicitur, ubi athletam suum ipse describit, et adhibita similitudine virtutis ejus magnitudinem evidenter ostendit: *Procul*, inquit, *odoratur bellum, exhortationem ducum, et ululatum exercitus* (*Job* XXXIX). Quid gloriosius viro illo qui tot hostium insidias potest ab alta circumspectionis suæ turre, fortitudinisque arce longe per discretionem præsentire, et tot hostium insultus sub uno impetu irruentes æquanimiter tolerare atque repellere? De his septem tentationibus illud quod in B. Job invenimus, non inconvenienter accipimus: *In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non apprehendet malum* (*Job* V). Ad has septem tentationes, et illud nihilominus recte accommodatur quod alias rursum scriptum invenitur: *Septies in die cadit justus, et resurgit* (*Prov.* XXIV), propter has septem tentationes habet etiam justus quilibet septies in die laudem dicere, ut veraciter possit coram Domino Deo suo psallere: *Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXVIII). Quoties enim post lapsum resurgit, et quoties tentanti malo restitit, debet sane cooperatori suo gratias referre, a quo utique factum est ut tentatus resistere et lapsus posset resurgere.

Notandum sane de his septem tentationibus, quando simplices sunt, quod secunda quidem periculosior est quam prima, tertia quam secunda. Ad tertiam quoque eodem modo se habet, et quartam in consequentibus quidem consequenter debemus intelligere, periculosiorem utique esse semper posteriorem priore. Prima enim cæteris omnibus facilius vincitur, quæ in se nihil molestiæ habere videtur, nisi quod animus importunitatis ejus assi-

Digitized by Google

duitate diutius fatigatur. Secunda autem (id est dubia) in eo ipso est periculosior quam importuna, quia mens sæpe segnior redditur ad bonum, quando bonum dubitatur esse quod veraciter bonum est; similiter et pronior efficitur ad malum, quando malum esse nescitur, quod veraciter malum est. Verumtamen et subita periculosior est adhuc quam dubia. Nam in dubia tempus habemus diutius deliberandi et altius perscrutandi quod plene non discernimus, vel certe ab aliis id quærere possumus ad quod ipsi non sufficimus. Sed subita tentatio, quia mentem inopinate præoccupat, consilii remedium non exspectat. Et sæpe pravæ delectationis jaculo mentem sauciat, antequam ad circumspectionis suæ custodiam assurgat. Sed malum tamen quod in ejusmodi tentatione non possumus prævenire, quia subitum est, possumus utique et debemus celeri satisfactionis remedio delere, quandoquidem violentum non est. Sed occulta tentatio hujusmodi remedium non facile admittit, quia cæcata mens ubi periculi nil metuit, remedium non requirit. Occultum enim malum sicut circumspectione non præcavet, sic nec subsequenti satisfactione delere solet. In hoc itaque tentatio occulta multo periculosior est quam subita. Occultum tamen malum aliquam excusationem recipere potest, quandoquidem mens per ignorantiam, non autem per malitiam delinquit. Et sæpe fit ubi lectionis alicujus, seu etiam exhortationis occasione malum suum intelligat, et statim deserat et condigna satisfactione expiare contendat. Quid autem de violenta tentatione dicemus, per quam sæpe et scienter peccatum committimus, et ipsum etiam cum volumus nostra omnino virtute deserere non possumus? Illa sane infirmitas ad veram excusationem parum, vel potius nihil prodesse potèrit, quæ ex voluntatis corruptione descendit. Nunquidnam sua animum infirmitas excusat, et non potius accusat, quem inveterata peccandi consuetudo adeo enervat ut supervenienti tentationi resistere omnino non valeat? Cogita ergo quam sit periculosum periculum illud incurrere, de quo non possis etiam cum volueris pedem referre. Fraudulenta tamen tentatio, si recte perpenditur, prædictis omnibus periculosior invenitur. In tentatione namque importuna, subita atque violenta erubescimus, atque damnamus malum quod scienter committimus. Per fraudulentam autem tentationem agitur, ut de confusionis suæ merito mens improba glorietur. Sed et dubia quidem tentatio animum timidum, non tumidum reddit, fraudulenta autem timorem tollit, tumorem inducit. Ex occulta autem tentatione animus sicut nec timidus, sic nec tumidus efficitur; ex fraudulenta autem tam tumidus quam securus redditur. Pensemus ergo quam periculosum sit periculum suum in periculo non timere, et per medium mortis discrimen securum incedere. Perplexa tentatio sicut omnium est novissima, sic omnium est perniciosissima. Si enim difficile est sæpe unum aliquod vitium vincere, quam laboriosum erit plurium insultus sub uno impetu sustinere! Virum sane robustum, sed nec minus prudentem dixerim, qui tam hostilis agminis, nec viribus frangitur, nec fraudibus circumvenitur.

Sciendum autem quod ex his septem tentationibus, tres sunt quæ exercent patientiam nostram, et tres aliæ quæ exercent prudentiam nostram. Nam per importunam et subitam, et violentam (primam videlicet, tertiam et quintam) exercetur nostra fortitudo, sed per dubiam, occultam et fraudulentam (secundam videlicet, quartam et sextam) eruditur nostra discretio. In perplexa autem tam nostra virtus exercetur ad fortitudinem, quam nostra prudentia eruditur ad discretionem. Sicut enim magnæ fortitudinis est multitudinis impetum fortiter sustinere, sic nihilominus miræ prudentiæ est circumfluentium insidias prudenter prævenire. Sed quod hanc tentationem nostram prudentiam exercere dicimus, non sic sane intelligi volumus, quasi per ipsam mens in rei qualitate decipiatur, ut de falso bono glorietur, quod fraudulentæ quidem tentationi quasi proprium ascribitur, sed quod magnæ cautelæ mirandæque prudentiæ sit, cum contra multitudinis insidias tam caute vigilat ut ex nulla ei parte per incuriam aliquid subripi valeat. Hos septem tentandi modos Psalmista sub eodem ordine consequenter ponit, satisque compendiose describit, cum dicit: *Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Et primam quidem cæteris occultius tangit: nam cæteras omnes satis manifeste describit. Prima sane tentatio, id est importuna, nihil aliud, ut dictum est, molestiæ ingerit, nisi quod menti hominis improbitatis suæ assiduitate onerosa fit, et rei illius de qua tentatur memoriam raro ab oculis ejus recedere permittit. Suggestione sua prævenit rei præsentiam, sub ipsius rei præsentia exacuit concupiscentiam, subtracta rei præsentia revocat eam ad memoriam. Quasi ergo ab omni parte impugnat, dum se undique ingerere non cessat. Recte itaque de illa intelligitur quod dicitur: *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Nam, quoniam ex omni parte, ut dictum est, per hanc tentationem impugnamur, recte circa eam veritatis scuto undique cingimur atque protegimur. Certe in violenta tentatione non sufficit ut illuminemur ad veritatem, nisi etiam ex cooperante gratia roboremur ad fortitudinem. Sed in hac quæ nullam violentiam ingerit mentibus in bono proposito solidatis, sola inspiratio veritatis sufficit. Recte ergo de ea dicitur: Scuto circumdabit te veritas ejus. Videamus autem nunc quomodo subsequentem describit in eo quod dicit: *Non timebis a timore nocturno.* Fit sæpe cum ad lumen lunæ et stellarum aliquid cernitur, ut mens in Dei judicio fallatur. Et sæpe cum animal aliud aliquod videat, hominem putat. Sic sæpe cum

Digitized by Google

rubus vel rupes aliqua cernitur, ferarum impetus imminere timetur. Unde fit ut intuentium membra invadat horror, et illic trepidant timore ubi non est timor. In hunc itaque modum ex timore nocturno agitur, ut mens inaniter concutiatur, dum sæpe inter noctis opaca illic homines trepidant ubi securi esse poterant, sicut e contrario multoties illic male securi sunt, ubi timere debuerant. Juxta hanc utique similitudinem tentatio ambigua mentem hominis varlis et vanis sæpe perturbationibus exagitat, et ineptis suspicionibus inquietat. Recte ergo devotæ menti de Domini adjutorio certa securitas circa hanc tentationem promittitur cum dicitur : Non timebis a timore nocturno. Subitam vero tentationem per sagittam volantem designare voluit in eo quod consequenter adjecit : *A sagitta volante in die.* Et nescio si competentius, nescio si compendiosius describi potuerit. Nonne in sagittæ volantis impetu tentatio illa irruit quæ statum mentis sæpe concutit vel emittit antequam ad sui custodiam plene evigilare possit ? Sagitta namque emissa sub tanto solet impetu ferri, ut vix vel nullo modo venientis ictus possit declinari. Et sæpe fit ut cum venientem jam videas prius vulnerari te sentias quam defensionis clypeum irruenti opponere valeas. Recte ergo sagittæ volanti Psalmista ejusmodi tentationem comparat, quæ mentem hominis festinationis suæ nimietate præoccupat. Sed hujusmodi sagittæ quandoque volant in nocte, quandoque volant in die. Vultis nosse sagittas volantes in nocte : *Paraverunt* inquit, *sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Et in hoc sane loco habes de sagitta volante in die. Sagitta in nocte volat, cum subita tentatio mentem pulsat, et malum quod suadet malum esse dissimulat. Volat autem in die cum præcipitanter quidem in illud malum dejicit, quod tamen, quia malum sit ignorari non possit. Tentatio igitur subita et occulta ex gemino videlicet tentationis genere composita describitur, in eo quod dicitur : paraverunt sagittas suas in pharetra ut sagittent in obscuro rectos corde. Hoc autem in loco sagitta volans in die dicitur, ut de subita quidem, sed simplici et impermista dictum esse intelligatur. Dicatur itaque pro dubia, dicatur item pro tentatione subita : Non timebis a timore nocturno, non timebis a sagitta volante in die. Sed et de occulta consequenter adnectitur, cum per Prophetam adjungitur : *A negotio perambulante in tenebris.*

Scimus satis omnes quid sit illud negotium quod lucem odit, tenebras diligit, et quia deprehendi in nocte semper timet, imo in tenebris, sicut Scriptura loquitur, perambulare solet. Fures sane furti negotia exercere volentes, quia deprehendi metuunt tempus in id officii opportunum eligunt, et non solum noctem, sed noctem tenebrosam captant, ut flagitia sua quando occultius tanto securius peragant. Agitur itaque hoc odiosum negotium non tam in nocte quam in tenebris, quia in noctibus tenebrosis. In tenebris ergo ambulat, imo in tenebris perambulat : nam et illud semper ab exercentibus observari solet, ut præsumptum negotium ante reversionem lucis explicari et consummari queat. Vides ergo quam congrua similitudine occulta tentatio describitur, quæ semper ignorantiæ tenebris tegitur, per quam incauta mens nesciens et ignorans spoliatur. O quam sæpe contingit ut, dum paterfamilias secure dormit altoque sopore quiescit, spoliantibus latronibus spoliari se nesciat, et tunc primum damnum suum agnoscat, cum ad matutinam lucem evigilat ! Sic utique, sic sæpe per occultam tentationem virtutum spolia amittimus, et nescimus dum profundas ignorantiæ tenebras patimur, et male securitatis somno opprimimur. Et fit sæpe ut tunc primum mens meritorum suorum damna agnoscat, cum vitæ hujus tenebris deterius ad futuræ vitæ lucem evigilat, quando cœperit Deus revelare occulta tenebrarum et manifestare consilia cordium. Nunquid malignum illud, nefandumque negotium in tenebris ambulasse et perambulasse non creditur, quando per occultam tentationem agitur ut virtutum nostrarum depredatio ex magna parte nos lateat, et toto vitæ hujus tenebroso tempore ad plenum deprehendi non valeat ? Violentam autem tentationem Propheta describens incursum eam vocat, nescio si brevius et expressius comprehendi vel describi queat. Quis unquam inimicum suum eminus cernens non potius satagat fugere quam accurrere, nisi de magnitudine virium aut multitudine sociorum, aut instructione armorum confidens se noverit posse prævalere ? sed tunc sane hostis in hostem cum impetu irruit, cum superiorem manum habere se posse cognoverit. Recte ergo per incursum illa tentatio intelligitur per quam mens hominis quasi violenter a rectitudinis suæ statu dejicitur.

Notandum sane quod in ejusmodi incursu, quamvis quamdam festinationem notare possimus, nihil tamen ad eam velocitatem quam superius in subita tentatione descripsimus, per quam sæpe judicium etiam rationis prævaleri docuimus. Non ejusmodi præoccupatio per incursum intelligi potest, ubi ut cætera taceam, ex solo strepitu irruentis adventus imminentis præsciri potest ut possit vel fugam inire, vel armis suis seipsum munire. Recte ergo, ut dictum est, violenta tentatio per incursum intelligi potest. Videamus nunc quomodo fraudulentam tentationem Propheta describat, vel quomodo circa ipsam ex divino adjutorio constantiam ejus muniat. Qui habitat in adjutorio Altissimi et confidit in protectione Dei cœli : *Non timebis*, inquit, *a dæmonio meridiano.* Et illi utique non est timendum a dæmonio meridiano, qui non de sua industria, sed de solo confidit Dei adjutorio. Videamus ergo quid sibi hoc velit, quod non simpliciter dicit dæmonium, sed cum adjectione, seu determinatione dæmonium meridianum. Illud omnes in commune cognovimus, quod unum sit omnium dæmonum assiduumque negotium famulos Dei infestare, eorumque impugnationi insistere, subversionique continue invigilare. Et sane

Digitized by Google

quando per vim nobis prævalere non possunt, ad fraudem se convertunt, ut dolo dejiciant quos per violentiam evertere non poterant. Quis autem illud nesciat quod in hora meridiana esse soleat et claritas major et calor ferventior? Quasi ergo cum summa luce et fervore dæmones ad nos veniunt, quando fraudis suæ nequitiam dissimulantes sub sanctitatis specie ad perversitatem nos pertrahere studeant et satagunt. Lux ad discretionem, et calor pertinet ad devotionem. Cum luce ergo et claritate dæmones ad nos veniunt, quando in eo quod fraudulenter suggerunt, non modo discrete, verum etiam devote acturos nos esse promittunt, et persuadere contendunt. Fit autem sæpe ut ejusmodi fraudulenta tentatione infatuata mens eousque desipiat, ut in eo ipso quod ex dæmoniaca persuasione actitat cæteris se credat et rectius sapere, et sanctius agere. In hunc itaque modum angelus Satanæ transfigurat se in angelum lucis, et sub virtutis specie formaque sanctitatis ministrat consilia erroris, peragitque negotium iniquitatis. In hunc, inquam, modum dæmonium meridianum quosdam fraudulenter supplantat, intantumque infatuat ut in suis singularibus, quas circa consilia fratrum, circa præcepta Patrum præsumunt, imo in suis rebellionibus quas in suos prælatos assidue committunt putent se cæteris omnibus sapientiores et cæteris omnibus sanctiores. Vides ergo jam, ut arbitror, quam recte hujusmodi tentationem fraudulentam per dæmonium meridianum Propheta designat, quæ mentem hominis sub specie sanctitatis supplantat. Restat adhuc una sola multiplex videlicet atque perplexa, cæteris quidem immanior, omniumque, uti jam diximus, perniciosissima. Nam et hæc ex ejus descriptione facile perpenditur, si recte intelligitur, subtiliterque pensatur. Cogita ergo quid de illa dicat, et cognosces quam supra hominem existat quod de ipsa promittitur, nisi forte ei qui in protectione Dei cœli commoratur : *Cadent*, inquit, *a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.*

In quo et illud primo attendendum quam proprie exprimit typum fortiter dimicantis, viriliterque agentis, dum cadere dicat alios a latere, alios vero a dextris. Miles enim inter dimicandum clypeum quo ictus oppugnantium excipi solent sinistra quidem gerit, sinistramque latus eapropter obstantibus opponit, fortique bellatore fortius agente sæpe id agitur, ut dum impetu valido in hostes fertur, alios impulsu lateris submittat, alios autem feriente dextra prosternat. Pensate ergo quam sit magnæ virtutis, quam mirandæ fortitudinis, impugnante latere, mille submittere, et feriente dextra, decem millia subruere. Ex his ergo facile perpendere possumus, quid de illo spirituali certamine sentire debemus. In hac autem spirituali pugna gemina sane militat vitiorum caterva. Nam vitia quidem alia sunt carnalia, alia vero sunt spiritualia : alia sane actualiter exercentur, alia autem spiritualiter tantum sola voluntate cordisque delectatione perficiuntur. Si ergo recte per dextram robustiora, et per sinistram recte intelliguntur imbecilliora, cur non carnalia ad sinistram sicut spiritualia recte referuntur ad dextram ? Multo enim vicinius, multoque valentius, multo denique frequentius spiritum impugnant spiritualia vitia, quam carnalia vitia ; nam illa immediate, ista nonnisi mediante carne. Carnalia autem triumphamus per disciplinam corporis, spiritualia vero per disciplinam cordis. Disciplina itaque corporis ad sinistram, sicut disciplina cordis congruere fertur ad dextram. Quis autem nesciat quod multo mobilior sit motus cordis quam corporis, et eo copiosior sit excessus voluntatis quam actionis ? Absque dubio multo numerosior est exorbitatio cogitationum et affectionum, quam abusio membrorum vel sensuum. Copiosior ergo est corruptio spiritualis quam corruptio corporalis, congressioque spiritualium vitiorum multo densior est quam congressio vitiorum corporalium. Contra hos utrosque animæ hostes oportet sane fortiter dimicare, et alii quidem conterendi sunt corporis afflictione, alii autem affligendi cordis contritione, ut illi per sinistram, isti dejiciantur per dextram. Multo itaque major est numerus hostium qui a dextris cadunt, quam illorum qui a latere corruunt, intantum ut Scriptura promittat et dicat : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Ejusmodi sane pugna atque victoria non utique est, nec esse potest nisi virorum fortium, et eorum quidem qui sunt ad bella doctissimi, qualis utique fuit Abisai, qui levavit hastam suam contra trecentos quos interfecit nominatus in tribus, et inter tres nobilior (*I Paral.* x). Vel qualis David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, qui octingentos interfecit impetu uno. Vel denique qualis fuit vir ille virorum fortissimus, qui prostravit mille viros in mandibula asini. Oportet ergo, ut arbitror, in aliis diu exercitatum, multumque probatum fore, antequam possit in hac ultima tentatione prævalere. Puto quod sine causa non fuerit, quod de hac novissima separatim egit. Hoc idem in beato Job invenitur : nam de sex simul præmittitur, et de septima separatim infertur : *In sex*, inquit, *tribulationibus liberabit te, et in septima non apprehendet te malum* (*Job* v). Propheta autem primam quidem quasi cæteris omnibus leviorem, et novissimam velut cæteris omnibus graviorem seorsum ponit, cæteras quinque ad unam clausulam adnectit, cum dicit : *Scuto circumdabit te veritas ejus* : hoc de prima intelligitur, sed de quinque sequentibus simul subinfertur : *Non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano.* Et sic demum de ultima infertur, quod ultimo loco ponitur : *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis.* Has septem tentationes quas hic sub una continuatione ponit, nunc unam, nunc plures Propheta pluribus in locis tangit. De importuna aiias dicit : *Tota die constituebant prælia* (*Psal.* cxxxix). Quia per noctem ignorantia, per diem intelligentia designatur, recte in die impugnari mens dicitur,

Digitized by Google

quando ex his tentari se sentit, quæ mala manifeste intelligit, tota itaque die tentatio nos impetit, bellumque insistit, quando apertum malum procaciter se ingerit, ut tandem per importunitatem superet quod per fraudem, vel violentiam prævalere non valet. De dubia tentatione alio rursum loco per eumdem Prophetam dicitur : *Effusa est contemptio super principes, et errare fecit eos in invio et non in via* (*Psal.* CVI). Satis novimus qui sint internæ illius familiæ principes vel rectores, mentis videlicet deliberationes atque discretiones, quæ terribilem illam virtutum cohortem contra hostilem exercitum debent diligenter instruere, firmiter munire, sagaciter ordinare, et per æquitatis tramitem, mandatorumque semitam inter tot hostium insidias in illam promissionis terram mellis et lactis manantem fideliter ducere, fideliter perducere, fideliter introducere. Super hujusmodi autem principes dura contentio effunditur, et in via veritatis veraciter erratur, quando exigentibus meritis, revelantis gratiæ lumen subtrahitur, et cæcata mens per varias sententias scinditur, quia quid rectius eligere, quid certum tenere debeat a diligentius discutiente, et diutius deliberante minime invenitur.

Notandum sane quod lumine veritatis subtracto prius erratur in via, postea autem erratur in invio. Errant in via, qui in bonis quæ agunt modum, vel mensuram tenere nesciunt, vel nolunt, dum multa etiam non modo contra consilium, verum etiam contra præceptum præsumunt. In invio errant quando in malis quæ jam aperte committunt, utrum bona an mala sint dubitare incipiunt. De subita tentatione id intelligitur, quod alias per eumdem Prophetam dicitur : *Præoccupaverunt me laquei mortis* (*Psal.* XVII), pravitatis consensus vera mors est animæ, laqueus autem mortis affectio delectationis pravæ. Obligatione autem pravæ delectationis trahitur mens ad consensum pravitatis. Et in hunc modum affectiones perversæ delectationis fiunt laquei mortis. Laqueis ergo mortis mens improvida prævenitur, quoties priusquam ad circumspectionis suæ arcem fugere possit delectationi pravæ substernitur. De occulta autem tentatione Propheta Domino supplicat, dum ad ipsum in suis orationibus clamat : *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* XVII). Lucerna cordis judicium discretionis, hæc cordis nostri lucerna toties a Domino illuminatur, quoties ex illuminante gratia intelligentia nostra illustratur et ad veritatis judicium dirigitur. Omnino et absque dubio invalida est humana discretio ad veritatis judicium, nisi illo illustrata lumine quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. A quo ergo factum intelligit, ut ea intelligeret quæ recte intelligebat, ab eodem expetit et exspectat ut occulta sua intelligat, quæ necdum se intelligere potuisse timebat. Occulta enim sua tenebras dicit quas a Domino illuminari petit, cum ait : *Quoniam illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas.* Violentam tentationem plangit, cum alio loco idem Propheta dicit : *Ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes* (*Psal.* LVIII). Fortes procul dubio tunc irruerunt, quando violentæ tentationes animam opprimunt, et ad corruptionis suæ ruinam violenter impellunt, ita ut veraciter possit dicere : Domine, vim patior, responde pro me. Et forte animam jam captam, sed necdum tamen spiritum tenent, quando mentem hominis jam per pravam delectationem, necdum tamen per pravitatis consensum possident. Sed qui violenta delectatione jam se teneri præsentiunt qualem se diu tolerare non posse cognoscunt, cito ad orationis præsidium confugiant, divinæ protectionis adjutorium petant, ne vehementis tentationis pondere pressi, in pravi consensus præcipitium proni ruant. Pro fraudulenta tentatione Domino supplicabat, quando idem Propheta dicebat : *Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa* (*Psal.* CXIX). Lingua dolosa tentatio fraudulenta, lingua dolosa opinio falsa, lingua dolosa gloriatio vana. Quando de meritis tuis vel aperto sermone, vel tacita cogitatione gloriaris, linguam dolosam audis et nescis : et hæc quidem gloriatio vana quandoque surgit ex opinione humana, quandoque ex suggestione diabolica, utroque modo quidem a lingua iniqua, a lingua dolosa. Certe si ejusmodi linguam libenter audis, non tantummodo stulte, sed etiam inique agis. Quid habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Cogita ergo quam sit iniquum gratis largienti ingratum fore insuper et in ipsum rapinam exercere. Hoc ei conaris auferre, quod sibi soli vult reservare : *Gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo* (*Isa.* XLII). Si ergo tantum desipit, si tam inique agit, qui in se gloriatur de suis bonis, quantum, quæso, infatuatur qui ad hoc usque perducitur ut glorietur de malis suis ? Quotiescunque ergo perstrepunt in te hujusmodi cogitationes vanæ acclamantes tibi : Euge, euge, ne cesses Domino Deo tuo proclamare, ferant confestim confusionem suam qui dicunt mihi : Euge, euge. Et illud : *Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa.* Multiplicem atque perplexam tentationem Propheta alio loco plangit, cum dicit : *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis* (*Psal.* LVIII). Capilli capitis consilia cordis. De capite tali, tales capilli. Ejusmodi capillatura illud interioris hominis caput munit et ornat, et totam illam interioris hominis formam decentiorem reddit. A quacunque siquidem parte ventus malignæ suggestionis eruperit, hæc capillorum nostrorum coma internum illud caput contra tentationis turbinem protegere solet et debet. Excrescente autem supra modum tentationum turbine, fit sæpe ut sine divinæ protectionis tegmine ad arcendam ejusmodi procellarum injuriam consiliorum nostrorum coma omnino non possit sufficere.

Multiplicatis itaque undique inimicorum insidiis,

Digitized by Google

contra tot seductionum argumenta jam deficit omnino humana prudentia, nec adversus tot diaboliceæ malignitatis fraudes sufficere possunt humana consilia. Psallere utique potest de hostibus suis, qui est ejusmodi : Multiplicati sunt super capillos capitis mei. Item de importuna tentatione idem Propheta alias dicit : *Tota die impugnans tribulavit me* (*Psal.* LV). Et de dubia alio in loco ab eodem dicitur : *Erraverunt in solitudine, in inaquoso viam civitatis habitaculi non invenerunt* (*Psal.* CVI). De subita autem : *Prævenerunt me in die afflictionis meæ* (*Psal.* XVII). Item pro occulta : *Ab occultis meis munda me* (*Psal.* XVIII). Itemque de eadem : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris* (*Psal.* XXIV). Alias autem dicit de violenta : *Et vim faciebant, qui quærebant animam meam* (*Psal.* XXXVII). De fraudulenta intelligitur et illud : *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos* (*Psal.* CXXXIX). Pro multiplici et perplexa dictum est illud : *Non timebo millia populi circumdantis me* (*Psal.* III). Importunæ itaque tentationis est ut ex prædictis perpendi potest, animum semper inquietare, et nunquam quietum permittere. Dubia autem tentatio animum exagitare consuevit, et vagum semper et profugum facit. Quid enim aliud nocturnum timorem putamus efficere quam animum timidum et trepidum reddere, et ubi nil timeri oporteret summo horrore concutere? Fugit enim ejusmodi anima, nemine persequente; et cum pax sit, semper suspicatur bellum. Subitæ tentationis est animam sauciare, delectationisque jaculo affectum transfigere. Et quid aliud exspectari oportet a sagitta volante? Occulta tentatio ex ea parte qua prævalet animum semper excæcare solet, in tenebris semper perambulans, et omne negotium suum in tenebris explicans. Violentæ tentationis est animum semper violenter opprimere et funditus enervare. Fraudulenta tentatio animum infatuare solet. Quid namque aliud dæmonium meridianum faceret, quam animum infatuare, vel in furorem vertere? Multiplicis tentationis est animum semper dilaniare, dissipare, distrahere. A multitudine enim impugnantium in hac tentatione quasi minutatim discerpitur, et per multa conturbationum genera varia forte dilaceratur. Prima itaque tentatio inquietat, secunda exagitat, tertia vulnerat, quarta excæcat, quinta enervat, sexta infatuat, septima dilaniat. Importuna tentatio quando incipit animo dominari penitusque prævalere, formam sane gerit febris acutæ, quæ ægrotantem quidem omni hora sub continuo ardore anhelare facit, et nullam omnino interpolationem recipit.

Et sunt quidam qui juxta hunc typum in quibusdam concupiscentiis suis continua fatigatione laborant, adeo utique ut desiderii sui æstum a mentis suæ oculis vix, vel nullo modo amovere valeant. Summus tamen ille salutis nostræ medicus, talem utique, cum voluerit, curat animam, imperans febri, et dimittit eam. Dubia tentatio quæ in sententiæ A suæ diffinitione animum solet trepidum et titubantem reddere, claudicantis mihi videtur formam exprimere. Unam namque eamdemque rem modo approbat, modo condemnat. Nunc animum in fiduciam erigit, nunc iterum in diffidentiam dejicit. Ubi autem animus confidit, ibi actionis suæ pedem quasi fortius figit; ubi vero diffidit, ibi quodammodo pedem suspendit, et in hunc modum claudicantis typum exprimit. Et quam multos videmus, multo seu etiam toto vitæ suæ tempore sub ejusmodi typo laborare, quibus quod hodie placet, cras displicet, et quod diu multumque concupiscunt, iterum idem eadem facilitate fastidiunt, semper desiderantes quod non habent, semper fastidientes quod habent, semper de opere ad opus transeunt, et alia post B alia et omnia imperfecta relinquunt, omnia incipientes et nihil perficientes. Et ejusmodi tamen claudos desperare non debemus. Multos siquidem claudos a medico nostro curatos in Evangelio audivimus, multosque quotidie ab eodem curari videmus. Subita autem tentatio lunatici morbi absque dubio formam gerit, qui ubicunque hominem apprehendit, illidit et ad terram prosternit, et sæpe in ignem vel in aquam projicit. Et nescio si alius aliquis morbus hominem tam subito apprehendat, cum ei nec tantilli temporis spatium permittat, ut juxta ignem vel aquam inventus, ab igne, vel ab aqua modicum saltem retrahere se valeat. Sic sane sæpe subita tentatione agitur, ut ad unum respec- C tum mentisve cogitatum concupiscentiæ æstu, invidiæve gelu animus uratur, et modo in illicitum amorem, modo in iniquum odium subito præcipitetur. Occulta tentatio mentis oculum obnubilat, et evangelici illius cæci formam repræsentat : qui quidem, etsi juxta viam sedeat devotionis in tentatione, non tamen videt eam discretionis illuminatione. Clamare ergo fortiter necesse utique habet, qui ejusmodi cæcitatem sustinet. Illumina faciem tuam super servum tuum, et doce me justificationes tuas. Paralytici autem formam gestat quem violenta tentatio enervat, eo quod hæc passio homini nihil vigoris, nihil virtutis relinquat. Homo namque hac oppressus passione, nunquam seipsum potest, vel ad statum erigere, vel ab aliis erectus in suo statu per D semetipsum saltem ad modicum permanere. Fraudulenta autem tentatione obsessus et oppressus formam sane dæmoniaci habet : nam quid aliud dæmonium meridianum quam dæmoniacum efficeret? Et sæpe qui ejusmodi passione agitur, surdus simul et mutus efficitur, intantum ut errorem suum nunquam velit recognoscere, et monentem, et præcipientem nullo modo dignetur audire, sed quidquid inepte vel improbe delirat, ad prudentiæ et industriæ suæ magnificentiam usurpat. Qui vero a multiplici tentatione sustinet se superari, formam habet jam mortui, nec cujuscunque, sed cadaveris jam putrescentis et putridi, quod putredini jam ex omni parte subjaceat et vermibus ubique scateat. Et jam dicere potest qui ejusmodi est : *Nocte os*

Digitized by Google

meum perforatur doloribus, et qui me comedunt non dormiunt. A multitudine eorum consumitur vestimentum meum (*Job* 30). Sunt autem quibus hæc fœditatis enormitas dominatur in sola cogitatione, aliis autem dominatur etiam in actione. Illi animum suum ad omnem sordidam cogitationem, turpemque delectationem prostituunt ; isti ad omnem fœdam actionem seipsos applicare non erubescunt. Illi putredinis suæ vermibus scatent in cogitatione, isti autem eamdem fetoris sui corruptelam ostentant in opere. Quid itaque illos dixerim nisi cadaver putridum sed sepultum, quorum corruptio quasi in occulto latet? Quid autem hos dixerim nisi cadaver putridum et projectum, quorum corruptela late om- A nibus patet. Sed in his omnibus medicus noster Jesus artis suæ peritiam ostendit, et omnium pie quærentium, et cum fide petentium votis hilariter occurrit. Nam lunaticos sanat et cæcos illuminat, paralyticos curat et dæmoniacos mundat, mortuosque resuscitat. Nam ad vocem vocantis Jesu quatriduanus de sepulcro prodiit (*Joan.* xi), et ad tactum veri Elisei cadaver projectum revixit (*IV Reg.* xiii). Prima itaque tentatio, quando dominari incipit, quodammodo, ut dictum est, facit ægrotum, secunda efficit claudum, tertia lunaticum, quarta cæcum, quinta paralyticum, sexta dæmoniacum, septima mortuum jam putridum.

EXPOSITIO CANTICI HABACUC.

In medio annorum notum facies (*Habac.* iii). Quod Apostolus plenitudinem temporis nominat (*Galat.* iv), hoc Habacuc propheta medium annorum vocat. Ad similitudinem humani corporis de Christi corpore sententia profertur, quando quid futurum sit a propheta prævidetur, vel quo tempore venturum sit ab eodem prædicitur. Dimidium namque annorum nostrorum, tam statura, quam virtute crescendo percurrimus. Dimidium vero quod superest paulatim deficiendo peragimus. Nam usque ad annos triginta, vel quadraginta quinque fit quisque quotidie seipso major. Ab annis vero quadraginta a sua virtute deficiens fit de die in diem seipso minor. Hoc in Christi corpore, ni fallor, agitur, facile hoc videre potest, qui subtilius intuetur corpus Christi, dico caput cum membris. In initio enim mundi quasi cum adhuc puer esset, sufficiebat fidelibus tantum in Deo credere, et per oblationem, vel sacrificia ei placere. Sed ad adolescentiam usque pervenit, quando præceptum circumcisionis et observantias legis accepit. Nondum tamen noverat, vel potius nondum poterat sua pro Domino relinquere, animas suas pro Christo in morte ponere. Postea vero quam plenitudo temporis venit, postquam ad plenam ætatem pervenit, postquam dimidium annorum peregit, quando, ut diximus, statura corporis major, virtus vero robustior, præcepta altiora accepit, accepta magnifice implevit. Jam enim ei dicitur : *Diligite inimicos vestros* (*Matth.* v). *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Luc.* vi). *Qui amat animam suam plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* x). Sed novimus quia majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Patet ergo quia corpus Christi quod est Ecclesia, ad plenam ætatem pervenit, quod medium annorum suorum transegit, quando jam pro Domino poterat etiam inimicos diligere, quando idonea erat Dominum suum etiam usque ad mortem diligere. Instabat itaque tunc temporis tempus illud de quo per Habacuc prædictum fuerat, in medio annorum notum facies. Quid tamen est quod notum tunc fu- B turum fuit, quod jam forte Dominus notum fecit? Quid, quæso, nisi mysterium illud prius absconditum, quod nemo hujus mundi principum cognovit, et quid, inquam, nisi altitudinem illam consilii divini super salutem generis humani? Fidenter assero, quia usque ad tempus illud nemo plene cognovit quantum Deus salutem hominis dilexerit, qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Congruum valde fuit ut homini tunc innotesceret quod Deus hominem etiam usque ad humanæ infirmitatis angustias, usque ad crucis mortisque opprobria diligeret, quando et homo idoneus erat cuncta mundi hujus pro Domino contemnere, insuper et animam suam pro ipso in morte ponere. Sed sicut prius homini cum adhuc quasi infirmior C esset hoc manifestare non debuit, sic procul dubio illud ulterius celari non oportuit. Cogita modo ubi sit constantia martyrum, abstinentia confessorum, pene totum hoc in his modo temporibus defecit. Cur hoc, nisi quia mundus jam in senium vergit, quia jam dimidium annorum transcurrit? Quia ergo ante annorum dimidium mundo quasi adhuc infirmo illud divini consilii arcanum manifestari non potuit, nec ultra annorum suorum medium quando eum a sua virtute necesse erat deficere, celari non oportuit, recte nunc dicitur : in medio annorum notum facies. Sed forte gratius accipitur si in hoc aliqua moraliter loquamur : *In medio annorum notum facies.* Tempus quoddam videtur describere, quando D nescio quid magnum quibus placuerit Deus vult manifestare. Miram et ineffabilem quamdam dulcedinem invenimus in Scripturis sanctis sæpe descriptam, frequenter nobis promissam, quæ quanto attentius commendatur, tanto ardentius desideratur. In Moyse namque per terram lacte et melle manantem intelligitur. In Sapientia Salomonis per escam omne habentem in se delectamentum, omnem saporem describitur. Hanc Apostolus manifestius describit. Hanc Dominus aperte promittit in Evangelio : *Quod oculus, inquit Apostolus, non vidit, nec auris audivit, et in cor hominis non ascendit* (*I Cor.*

Digitized by Google

ii). Dominus autem ad omnia quæ homo pro ejus amore reliquerit, centuplum promittit in hoc sæculo, et vitam æternam in futuro (*Matth.* xix). Videsne quemadmodum multifarie, multisque modis Deus loquens patribus in prophetis sive apostolis, novissime autem loquens et nobis in Filio suo, promittit nescio quid novum, nescio quid magnum, quod quid sit scire omnino non poterunt, nisi qui experiri meruerunt? Est enim manna absconditum, ut in Apocalypsi beatus Joannes asseruit (*Apoc.* ii), et apostolus Paulus testatur, quia in cor hominis non ascendit. Sibi autem, suisque similibus revelatum ostendit, cum dicit: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum* (*I Cor.* ii), quia Dominus assignanter repromittit centuplum in præsenti sæculo, ne hoc exspectaretur in futuro. Verumtamen juxta litteram hoc utique stare non poterit. Neque enim qui unam uxorem reliquerit, centum in hoc sæculo, sed in futuro, ubi nec nubent, nec nubentur, saltem unam minime habebit.

Sed quia per centum cœleste aliquid Scriptura sacra significare consuevit, in eo quod centuplum promittitur, dulcedinem quidem pro dulcedine promittit, sed cœlestem pro carnali, spiritualem pro animali, pro terrena angelicam, pro humana divinam. Sed, inquis: Ecce nos reliquimus omnia, quid ergo erit nobis? Quin potius quod promittitur, quando dabitur nobis? Non jam dubitamus de promissione, sed adhuc incerti sumus de tempore. Nec jam quærimus quid sit quod sciri non potest, nisi ab eo qui perceperit. De dando eo nulla nobis dubitatio relinquitur, quod tantorum virorum attestatione promittitur. Tantummodo dic nobis quando hæc erunt, et quod signum quando hæc fieri incipient. Non est utique hoc meum, nosse tempora vel momenta: et quæ ipse per me scire non merui, aliis manifestare non potui. Sed Habacuc propheta pro me ipse respondeat, pro me vobis ipse sua responsione satisfaciat: *In medio*, inquit, *annorum notum facies*. Mira prophetæ prudentia, quod te scire voluit; tibi tamen dicere noluit. Si nobis loqueretur, dubitare quis poterat, de hoc dicit, quasi cui mentiri non audeat. Noluit ergo dicere, in medio annorum notum faciet; sed ait, in medio annorum notum facies. Vide ergo qui hæc tibi nota fieri optas, qui hæc tibi manifestari desideras. Vide, inquam, si jam ad medium annorum tuorum venisti, si jam ad perfectam ætatem pervenisti. Nam in media ætate, ut omnes novimus, statura corporis major, virtus vero robustior. Credo quod ad annorum medium pervenit, qui veraciter dicere potuit: *Nobis autem revelavit per Spiritum suum* (*I Cor.* ii). O quam multi, inquis, omnia sua pro Domino reliquerunt, qui has spirituales delicias in hoc sæculo præsenti nunquam gustaverunt, et erant adhuc tales, quibus Dominus lac potum daret, non escam. Erant fortassis adhuc quasi modo geniti infantes, et ad percipiendum solidum cibum omnino impotentes. Moriuntur præterea quidam in pueritia, nonnulli subtrahuntur in adolescentia. Nullus sane istorum ad illud ætatis suæ tempus pervenire potuit, de quo propheta Habacuc dicit: *In medio annorum notum facies*. Puto tamen quia talium etiam est regnum cœlorum, pro eo quod scriptum est: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur* (*Psal.* cxxxvii). Nam qui hic bene vivere inchoat, futurum est ut vel in futuro sæculo quandoque ad dimidium annorum suorum perveniat. Nam hoc in eo divina quandoque gratia perficit, quod per se ipse hic implere non potuit, si tamen de hac vita ad illam sine lethali vulnere transit. Vulnus mortale, peccatum criminale. Nam qui in criminali peccato moritur, neque hic, neque in futuro ad dimidium annorum perducitur. Viri etenim sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. Quando enim ad dimidium annorum (hoc est ad robustam virtutum ætatem) perveniunt, qui nunquam in bono crescere incipiunt? Si vis ergo ad has Domini promissiones pertingere, festina ad robustam ætatem quasi ad annorum medium pervenire. Annos dico meritorum, non temporum. Quantum proficis, tantum crescis. Qui virtutis culmen attigit, dimidium annorum implevit, quia quasi ad robustos meritorum annos pervenit. Sciendum quia crescentibus adhuc insidiatur negligentia, adultis vero et ad plenam ætatem provectis subrepit superbia. Sed quantum negligis, tantum decrescis, quasi post tergum redis. Nam qui in negligentia deprehenditur, retro procul dubio revocatur. Roga ergo Dominum et dic: Ne revoces me in dimidio dierum meorum. Cave ergo negligentiam, detestare superbiam. Cito enim mens se in superbiam erigit, quæ se ad virtutis culmen excrevisse perspexerit. Sed quanto quis altius super se per superbiam erigitur, tanto inferius sub se, deserente Deo, per culpam dejicitur, sicut scriptum est: *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos* (*Psal.* cvi). Hinc est quod per Ezechiam dicitur: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi* (*Isa.* xxxviii). Miratur siquidem quod postquam dimidium annorum explevit, postquam ad virtutis culmen meritis excrevit, ad inferi portas relabitur qui paulo ante cœlos tetigisse gratulabatur. Portæ inferi duæ sunt, quæ ingredientes ad omne malum introducunt. Una est ignorantia boni, altera concupiscentia mali. Ad has portas mortis se descensurum prævidit, quia a Deo propter mentis elationem derelictum se esse deprehendit, sed mox ad orationem confugit, et ne moreretur obtinuit. Quid est hoc quod Ezechias rex infirmatur, sed orando morte eripitur? nisi quod sæpe electi cujuslibet mens post elationem in delectationem rapitur, sed per orationem ante mortem pravi consensus erigitur.

Digitized by Google

IN CANTICA CANTICORUM EXPLICATIO.

PROLOGUS (1).

Postquam a paradisi gaudiis expulsum est genus humanum, in istam peregrinationem vitæ præsentis veniens, cæcum cor a spirituali intellectum habet. Cui cæco cordi si diceretur voce humana : Sequere Deum, vel : Dilige Deum, sicut ei in lege dictum est, semel foris missum et per torporem infidelitatis frigidum, non caperet quod audiret. Idcirco per quædam ænigmata sermo divinus animæ torpenti et frigidæ loquitur, et de rebus quas novit latenter insinuat ei amorem quem non novit. Allegoria enim animæ longe a Deo positæ quasi quamdam machinam facit, ut per illa levetur ad Deum, interpositis quippe ænigmatibus, dum quoddam in verbis cognoscit quod suum est, in sensu verborum intelligit quod suum non est, et per terrena verba separatur a terra. Per hoc enim quod non abhorret cognitum intelligit quoddam incognitum. Rebus enim nobis notis per quas allegoriæ conficiuntur, sententiæ divinæ conficiuntur, et, dum cognoscimus exteriora verba, pervenimus ad interiorem intelligentiam. Hinc est enim quod in hoc libro qui Canticum canticorum conscriptus est, amoris quasi corporei verba ponuntur, ut a corpore suo anima per sermones suæ consuetudinis refricata, recalescat, et per verba amoris qui infra est, excitetur ad amorem qui supra est. Nominantur enim in hoc libro oscula, nominantur ubera, nominantur genæ, nominantur femora. In quibus verbis non irridenda est sacra Scriptura, sed amplior Dei misericordia consideranda est; quia, dum membra corporis nominat, sic ad amorem vocat.

Notandum est quod mirabiliter nobiscum est, et misericorditer operatur. Qui ut cor nostrum ad instigationem sacri amoris accenderet usque ad turpis amoris nostri verba descendit. Sed unde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat, quia ex sermonibus hujus amoris discimus, hujus amoris qua virtute in Divinitatis amore ferveamus. Hoc autem nobis solerter intuendum est, ne cum verba exterioris amoris audimus, ad exteriora sentienda remaneamus, et machina quæ ponitur ut levet ipsa magis opprimat ne levemur. Debemus ergo in verbis istis corporeis, in verbis exterioribus, quidquid interius est quærere, et loquentes de corpore, quasi extra corpus fieri. Debemus ad has nuptias sponsi et sponsæ cum intellectu intimæ charitatis, id est, A cum veste nuptiali venire, id est, digna charitatis intelligentia : qua si non induimur, ab hoc nuptiali convivio in exteriores tenebras, id est, ignorantiæ cæcitatem repellamus. Debemus per hæc verba passionis, transire ad virtutem impassibilitatis. Sic est enim sacra Scriptura in verbis et sensibus, sicut pictura in coloribus et rebus. Et nimis stultus est, qui sic picturæ coloribus inhæret, ut res quæ pictæ sunt ignoret. Nos enim si verba quæ exterius dicuntur amplectimur, et sensus ignoramus, quasi ignorantes res, quæ depictæ sunt, solos colores tenemus : *Littera occidit*, sicut scriptum est, *spiritus autem vivificat* (*II Cor.* III); sic enim littera cooperit spiritum, sicut palea tegit frumentum ; sed jumentorum est palea vesci, hominum frumentis. Qui ergo B humana ratione utitur, jumentorum paleas abjiciat, et frumenta spiritus edere festinet. Ad hoc quippe utilis est ut mysteria litteræ involuta tegantur. Hinc enim scriptum est : *Sapientes intelligentiam abscondent* (*Prov.* x), quia nimirum sub tegmine litteræ, spiritualis intelligentia cooperitur. Hinc rursus in eodem libro Scriptura est : *Gloria Dei celare verbum* (*Prov.* xxv). Menti enim Deum quærenti tanto Deus gloriosius apparet, quanto subtilius atque interius investigatur ut appareat. Sed nunquid ea quæ in mysteriis Deus celat, nos inquirere non debemus? Debemus utique.

Nam sequitur : *Et gloria regum investigare sermonem*. Qui enim jam corpora sua vel motus carnis regere et investigare noverunt, reges sunt. Regum C ergo gloria est, investigare sermonem, quia bene viventium laus est perscrutari secreta mandatorum Dei. Humanæ ergo conversationis verba audientes quasi ex terra homines esse debemus, ne si humanitus quæ dicuntur audimus, nihil divinitatis de his quæ audire debemus sentire possimus. Quasi jam non homines desiderabat esse Paulus discipulos suos quibus dicebat : *Cum enim inter vos sit zelus et contentio, nonne homines estis?* (*I Cor.* III.) Quasi jam non æstimabat homines discipulos suos Dominus, cum dicebat : *Quem dicunt homines esse Filium hominis* (*Matth.* XVI). Cui cum verbis hominum respondissent, illico adjunxit : *Vos autem quem me esse dicitis?* Cum enim supra dicit *homines*, ac deinde subjungit, *vos autem*, inter homines et discipulos suos quamdam distantiam fecit, quia videlicet D

(1) Prologus iste a nonnullis divi Gregorii existimatur, quia prologum ejusdem in Cantica verbotenus prosequitur. Ego vero eumdem Richardo ob eam rem ascribendum puto, in primis, quod stylum ejus sapiat, quod etiam non pauciora ex Richardi potius quam ex Gregorii doctrina (omissa tamen a Gregorio) accipiat, et ex eo denique quod sequenti explanationi in exemplari adjectus sit. Judicet circumspectus lector.

Digitized by Google

divina eis insinuans, eos supra homines faciebat, ut ait Apostolus : *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt* (*II Cor.* v). Et scimus quia in resurrectione nostra, ita corpus spiritui adnectitur, ut omne quod fuerat passionis in virtute spiritus assumatur. Is ergo qui Deum sequitur imitari debet quotidie rationem suam, ut sicut tunc nihil passibile habeat in corde, ut secundum interiorem hominem jam nova creatura sit. Jam quidquid vetustum fuerit calcet, et in verbis veteribus solam vim novitatis inquirat. Scriptura enim sacra mons quidam est, de quo in nostris cordibus ad intelligendum Dominus venit, de quo monte per prophetam dicitur : *Deus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso, et condenso* (*Habac.* III). Iste mons condensus est per sententias, et umbrosus per allegorias. Sed sciendum est, cum vox Domini in monte sonat, vestimenta lavare præcipimur, et ab omni carnis inquinatione mundari, si ad montem accedere festinamus. Scriptum namque est : *Quia si bestia tetigerit montem lapidabitur* (*Hebr.* XII). Bestia enim tangit montem, quando irrationabilibus motibus dediti, Scripturæ sacræ celsitudini propinquant, et non eam secundum quod debent intelligunt, sed irrationabiliter ad suæ voluptatis intelligentiam flectunt. Omnis enim absurdus, vel mente piger, si circa hunc montem visus fuerit, atrocissimis sententiis veluti lapidibus necetur. Ardet enim mons iste, quia sacra Scriptura, quæ spiritualiter replet amoris igne, succendit. Unde scriptum est : *Ignitum eloquium tuum vehementer* (*Psal.* CXVIII). Unde cum verba Dei audirent quidam in via ambulantes, dixerunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis Scripturas?* (*Luc.* XXIV.) Unde per Moysen dicitur : *In dextera ejus ignea lex* (*Deut.* XXXIII). Sinistra Dei iniqui accipiuntur, qui in dextera parte non transeunt. Dextera Dei sunt electi, qui a sinistris separantur. In dextera ergo Dei lex ignea est, quia in electorum cordibus (qui ad dexteram ponendi sunt) fragrant divina præcepta, et charitatis ardore succensi sunt. Iste ergo ignis quidquid in nobis est exterius rubiginis et vetustatis exurat, et mentem nostram velut holocaustum in Dei contemplatione offerat.

Nec vacue attendendum est quod liber iste non canticum, sed Canticum canticorum vocatur. Sicut enim in Veteri Testamento alia sunt sancta, alia Sancta sanctorum, alia Sabbata, alia Sabbata Sabbatorum; ita in Scriptura sacra, alia sunt cantica, alia Cantica canticorum. Sancta erant, quæ in tabernaculo exterius agebantur; Sabbata erant, quæ in singulis hebdomadis celebrabantur, sed Sancta sanctorum, secretiori quadam veneratione suscipiebantur; et Sabbata Sabbatorum, nonnisi in summis festivitatibus colebantur. Ista Cantica canticorum secretum, et quoddam solemne interius est, quod secretum in occultis intelligentiis penetratur. Nam, si exterioribus verbis attenditur, secretum non est. Sciendum etiam est, quia in sacra Scriptura alia sunt cantica victoriæ, alia cantica exhortationis et contestationis, alia cantica exsultationis, alia cantica adjutorii, alia cantica conjunctionis cum Deo. Canticum victoriæ est, quod Moyses, transacto mari Rubro, cecinit, dicens : *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, equum et ascensorem projecit in mare* (*Exod.* XV). Canticum exhortationis et contestationis est, quod Moyses, Israelitis ad terram promissionis propinquantibus, dixit : *Attende, cœlum, quæ loquar, audiat terra verba ex ore meo* (*Deut.* XXXII). Canticum exsultationis est, quod Anna, prospecta fecunditate Ecclesiæ in semetipsa, cecinit, dicens : *Exsultavit cor meum in Domino* (*I Reg.* II), ubi per semetipsam figuratam fecunditatem prolis Ecclesiasticæ expressit, cum dixit : *Sterilis peperit plurimos, et quæ habebat plurimos, infirmata est* (*ibid.*). Canticum adjutorii David post prælium cecinit, dicens : *Diligam te, Domine, virtus mea* (*Psal.* XVII). Canticum vero conjunctionis cum Deo hoc est, quod in nuptiis sponsi et sponsæ canitur, id est Canticum canticorum, quod tanto est omnibus canticis sublimius, quanto et in nuptiis solemnitatis sublimioris offertur. Per illa enim cantica vitia evitantur, per ista vero unusquisque virtutibus locupletatur. Per illa enim cavetur hostis, per ista vero Dominus familiari amore complectitur.

Et notandum quod aliquando Dominus in sacra Scriptura se Dominum vocat, aliquando patrem, aliquando sponsum. Quando enim vult timeri, Dominum se nominat; quando vult honorari, patrem; quando vult amari, sponsum. Ipse enim per prophetam dicit : *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus? Si pater ego sum, ubi est honor meus?* (*Malac.* I.) Et rursum dicit : *Desponsavi te mihi in justitia et fide* (*Ose.* II). Vel certe recordatus sum diei desponsationis tuæ in deserto. Sed quia prius timeri vult ut honoretur, et prius honorari ut ad eum perveniatur, et Dominum se propter timorem nominat, et patrem propter honorem, et sponsum propter amorem; per timorem venitur ad honorem, per honorem vero ejus pervenitur ad amorem. Quanto enim dignius honor quam timor, tanto plus gaudet Deus pater, quam Dominus dici. Et quanto charius est amor quam honor, tanto plus gaudet Deus sponsus dici quam pater. In hoc ergo libro Dominus et Ecclesia, non Dominus et ancilla, sed sponsus nominatur, et sponsa, ut non solum timori, non solum reverentiæ, sed etiam amori deserviatur et in his verbis exterioribus incitetur affectus interior. Cum se Dominum nominat, indicat quod creati sumus; cum se patrem vocat, indicat quod adoptati; cum se sponsum nominat, indicat quod conjuncti sumus. Plus est autem conjunctos esse Deo quam creatos et adoptatos. In hoc ergo libro ubi sponsus dicitur, aliquid sublimius insinuatur, dum in eo fœdus conjunctionis ostenditur. Quæ nomina in Testamento Novo (quia jam peracta conjunctio Verbi et carnis, Christi et Ecclesiæ celebrata est) frequenti iteratione memorantur. Unde Joannes

Digitized by Google

dicit Domino vivente : *Qui habet sponsam sponsus est* (*Joan.* III). Unde idem Dominus : *Non jejunabunt filii sponsi quandiu cum illis est sponsus* (*Matth.* IX). Unde et Ecclesiæ dicitur : *Desponsavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*I Cor.* XI). Et rursus : *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam* (*Ephes.* V). Et rursus in Apocalypsi Joannis : *Beati qui ad cœnam agni nuptiarum vocati sunt* (*Apoc.* XIX). Et rursus ibidem : *Et vidi sponsam quasi novam nuptam descendentem de cœlo* (*Apoc.* XXI). Nec hoc a magno mysterio abhorret, quod liber iste Salomonis tertius in opusculis ejus ponitur : veteres enim tres vitæ ordines esse dixerunt, moralem, naturalem et contemplativam. Quas vitas Græci ethicam, physicam et theoricam nominaverunt. In Proverbiis quoque moralis vita exprimitur, ubi dicitur : *Audi, fili mi, sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam* (*Prov.* II). In Ecclesiasten vero naturalis. Ibi quippe quod omnia ad finem tendunt consideratur, cum dicitur : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccle.* I). In Canticis canticorum contemplativa vita exprimitur, dum in eis ipsius Domini adventus et aspectus desideratur, cum sponsæ voce dicitur : *Veni de Libano, veni* (*Cant.* IV), vel etiam ordines trium patriarcharum, et vitas significavit, Abraham, Isaac videlicet et Jacob. Moralitatem quippe Abraham per obedientiam tenuit, Isaac vero naturalem vitam puteos fodiendo figuravit. In imo puteos fodere est per naturalem considerationem omnia quæ infra sunt inquirendo perscrutari. Jacob vero contemplativam vitam tenuit, qui ascendentes et descendentes angelos vidit. Sed quia naturalis consideratio ad perfectionem non ducit, nisi prius moralitas teneatur, recte post Proverbia Ecclesiastes ponitur, et quia superna contemplatio non conspicitur, nisi prius hæc infra labentia despiciantur, recte post Ecclesiasten Cantica canticorum ponuntur. Prius quippe mores est componere, postmodum omnia quæ adsunt tanquam non adsint considerare. Tertio vero loco munda cordis acie interna et superna conspicit. His itaque librorum gradibus quasi quamdam ad contemplationem scalam fecit, ut dum primum in sæculo bene geruntur, postmodum et honesta sæculi despiciantur, ad extremum etiam Dei intima conspiciantur. Sic autem generaliter ex voce Ecclesiæ adventus Domini in hoc tempore præstolatur, ut etiam specialiter unaquæque anima ingressum Dei ad cor suum, tanquam aditum sponsi in thalamum conspiciat.

Et sciendum quod in hoc libro quatuor personæ loquentes introducuntur, sponsus et sponsa, adolescentulæ vero cum sponsa, et greges sodalium cum sponso. Sponsa enim profecto ipsa Ecclesia est, sponsus Dominus, adolescentulæ vero cum sponsa sunt inchoantes animæ, et per novum studium pubescentes ; sodales vero sponsi sunt, sive angeli, qui sæpe hominibus ab ipso viventes apparuerunt, seu certe perfecti quique viri in Ecclesia, A qui veritatem hominibus nuntiare noverunt. Sed hi qui sigillatim adolescentulæ vel sodales sunt, toti simul sponsa sunt, quia toti simul Ecclesia sunt, quamvis et juxta unumquemque tota hæc tria nomina accipi possunt. Nam qui Deum perfecte amat, sponsa est ; qui sponsum prædicat, sodalis est. Qui adhuc novellus viam bonorum sequitur, adolescentula est. Innitamur ergo ut simus sponsa : si hoc necdum prævalemus, simus sodales : si neque hæc adepti sumus, saltem ad hunc thalamum adolescentulæ conveniamus. Quia igitur sponsum et sponsam, Dominum et Ecclesiam diximus, velut adolescentulæ vel sodales, audiamus verba sponsi, audiamus verba sponsæ, et ex eorum sermonibus fervorem discamus amoris. Itaque sancta Ecclesia B diu præstolans adventum Domini, diu sitiens fontem vitæ, quomodo oportet videre præsentiam sponsi sui, quomodo desiderat, dicat.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo in quiete quærotur Deus, et de ampliori gratiæ desiderio.

In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea (*Cant.* III). Anima quæ Deum quærit et ad Dei dilectionem et cognitionem plenius pertingere cupit in lectulo hunc quærere debet, id est in quiete mentis. Vacare enim debet, et quiescere ab occupatione, et inquietatione rerum terrenarum. Nisi enim ab exteriorum cura, et occupatione, et C amore quieverit, Deum quærere non potest, nec invenire meretur. In lectulo ergo, id est in quiete mentis quærendus est Deus. Et per noctem, id est per adversa tentationum, et laborum, et in pugna virtutum et vitiorum. Laborare siquidem animam oportet in multis adversis, multisque obstaculis retardari, et gravi colluctatione fatigari antequam mores perfecte corrigat, et cordis munditiam obtineat, et Deum videre mereatur. Unde merito per noctem Deum quærere dicitur, per adversa videlicet et labores. Et non in lecto, sed in lectulo, quia quies a talibus habita exigua est, et angusta, impugnantibus nimirum animam vitiis, et pristina consuetudine, et præteritorum peccatorum memoria et delectatione. Ob quam causam dicit etiam suum lectu- D lum, et non nostrum, quia non communem hunc habere potest cum sponso, nec perfecte illo frui in tam exigua quiete, quia in pace factus est locus ejus et non in vitiorum pugna et perturbatione. Hoc modo ab incipientibus et nondum perfectis quæritur Deus in lectulo per noctem. Post hoc alio modo in lectulo, et per noctem quæritur, cum scilicet anima mortificatis plenius vitiis et sopitis tentationibus, et purgata conscientia pleniorem quietem obtinuerit, gratia sancti Spiritus in mentem veniente, et vitia atque tentamenta sedante. Juxta quod scriptum est : *Arcum conteret et confringet, arma et scuta comburet igni* (*Psal.* XLV). Tunc anima vacare poterit, et videre quoniam suavis est Dominus. Ita

Digitized by Google

mentis pax et tranquillitas lectulus est in quo sponsa quiescit. In hoc lectulo quærit dilectum per noctem, quando scilicet sopita sunt desideria carnis, et post pugnam et labores victoria successit, et quies data est. In die enim laboratur et in nocte cessatur a labore, et in nocte quiescitur. Cum ergo post pondus diei, et æstus tentationem scilicet a labore ad lectulum quietis, et ad noctem pausandi a fatigatione et inquietudine anima pervenit, tunc jam expedita et vacans dilectum melius quærere poterit. In hoc lectulo et in hac nocte dormit, sed cor ejus vigilat. Dormit enim foris, sed intus vigilat. Et quantum foris quieta est et vacat, tantum intus ad quærendum dilectum occupatur et inquieta est. Quærit autem hunc in lectulo et non in lecto; quia non plenam quietem possidet, sed angustam quandiu dilecto non fruitur ad votum nec secum hunc habet. Unde et lectulum ipsum suum vocat, quasi quem sola habeat, et in quo nondum cum sponso quiescat. Et ideo bene dicitur quærat per noctem (cæcitatis videlicet) in qua detinetur, ut non eo plene fruatur, nec præsentiam ejus sentiat. Præsens siquidem est per essentiam, præsens per desiderium, et habetur jam qui desideratur, quia non habitus desiderari non posset, sed non adest per præsentiæ suæ revelationem. Nondum enim cæcitatem ejus fugavit, nec ad sentiendum præsentiam suam illam illuminavit. De hac igitur nocte conqueritur, et per hanc dilectum se quærere causatur, nec invenit. Cupit igitur illuminari et oculos cordis aperiri, ut eum inveniat, et per accedentem gratiam præsentiam ejus intelligat, et se videri ab illo, et se illum videre sentiat. Quærit namque illuminationem amplioris gratiæ, præsentiæ intelligentiam et spiritualis dulcedinis experientiam : *Quæsivi*, ait, *quem diligit anima mea*. In dilectione animæ notare possumus amorem spiritualem et etiam affectuosum. Cum autem aliquem affectuose diligimus, hunc quasi animam nostram diligere dicimus, ac si dicat : Quem diligo affectuose et spiritualiter, id est ad salutem animæ, non ad temporale commodum vel carnale. Sed non semper sponsus quærenti se statim offert, nec desideranti se exhibet, sed sæpe vota implere differt ut augeat, et aucta postmodum remuneret et perfectius impleat. Differt etiam hæc interdum, ut constantiam quærentis probet, et eo utilius quo tardius desiderata præstet. Quod enim cum labore acquiritur, arctius tenetur et cautius custoditur. Et nonnunquam desideria citius impleta deficiunt, et dilata amplius crescunt. Unde sponsa dilationem sentiens, et dispensationem nescieus, et amoris impatiens, conqueritur, dicens : *Quæsivi, et non inveni illum* (*Cant.* v). Nondum enim gratiam quæsitam percipit, nondum præsentiam sponsi sensit.

CAPUT II.

Quomodo tam perfectorum quam imperfectorum exempla considerat anima.

Sponsa itaque difficultatem passa et quasi repulsa, a quærendo minime quiescit, sed ad quærendum se amplius accingit. Nam importunitatem suam et constantiam demonstrat, dicens : *Surgam et circuibo civitatem* (*Cant.* III). Convertit se ad humilitatem, ut quem per se non invenit, per alios quærat, si forte per illos hunc inveniat. Multo labore lectum sibi paraverat, prius cessans a peccatis, et postea decertans fortius contra vitia, et post hæc recedens ab occupationibus et curis, et ad extremum vacans a noxiis, verumque etiam a plerisque bonis operationibus, ut minorata actis sapientiam, quæ Deus est, perciperet. Nunc autem ad circumeundum et investigandum bonas operationes aliorum convertitur, ut sponsum hoc labore inveniat, quem quieta minus invenerat. Surgit a quiete, circumiens videlicet civitatem. Circumit cogitatione conventum bonorum, ut in eis exempla melioris vitæ et virtutum documenta capiat : per humilitatem enim reputat sibi deesse virtutum ornatum, et cordis munditiam per quem sponsum invenire mereatur domum mentis, quamvis vacantem a vitiis, sed minus ornatam virtutibus indicans. Quam ut decentius ornet sanctorum virtutes circumiens et perlustrans, et specialem gratiam uniuscujusque explorans, et ab alio humilitatis, ab alio patientiæ, ab alio obedientiæ, ab alio abstinentiæ, ab alio charitatis, ab alio puritatis flores decerpens. Hos per imitationem in mores transfundere, eisque domum mentis ornare contendit. Metitur enim fabricam, id est pensat vitam sanctorum, et virtutum constructionem in illis considerat, ut erubescat in se de imperfectione sua. Et sicut in Job legitur, respicit homines, sanctos attendit (*Job* XXXIII), ut se peccatricem eorum comparatione reputet, unde eorum exemplis humiliata et ad profectum accensa, denuo mundando cordi et excolendis virtutibus operam dat, ut plenius mundata et ornata domo ad inveniendum sponsum digna fiat. Ipsa sponsa circuit civitatem (bonos videlicet) ut eorum scrutetur virtutes et sanctitatem : *Et quæriti dilectum per vicos et plateas*. Vici angustiores, et plateæ latiores sunt. Unde per vicos illi designantur qui omnia relinquentes, et Christum nudum nudi sequentes angustam viam vivendi sibi elegerunt. Per plateas vero quæ latiores sunt, sæcularis vitæ perfectos intelligimus, qui latiori via incedentes, nec sua omnia relinquentes, sed suis bene utentes, hospitalitatibus et eleemosynis cæterisque bonis operibus Deo placuerunt. Qui latam viam quæ ducit ad mortem declinantes, arctam viam mandatorum et vitæ tenuerunt. Quærit ergo dilectum primo per vicos, et postea per plateas.

Quia enim perfectionis fertur desiderio, a perfectis primo quærit exempla. Considerat quam arcta se lege vivendi constrinxerunt, et quam tenuis eorum fuit cibus, quam pauper vestitus, quam brevis somnus, quam gravis labor corporis, quam districta disciplina cordis, qualiter in omnibus amputaverunt delicias corporis, extraxerunt cordis voluntates. Perpendit post hæc quanta in his fuerit sublimitas et libertas mentis. Et quomodo commorantes in carne conver-

Digitized by Google

sati sunt in cœlis, quomodo cuncta terrena supergressi sunt, et calcaverint. Horum aliqui modico pane et aqua sustentati sunt, aliqui non pane, sed herbis sive radicibus vixerunt, et aliqui cœlitus victum acceperunt, aliqui sine omni fere cibo vitam duxerunt, aliqui absque omni vestitu sub nudo aere degerunt. Qui non solum actus sæculi, sed omnem etiam materiam abjicientes quasi extra carnem fuerunt, et quantum mundum supergressi sunt, et carnis vitia excesserunt, tantum repleti gratia, et absorpti a spiritu occulta Divinitatis scrutati sunt, et cognoverunt. Anima itaque fervens facta, per hos tam cœlestes, et tanta gratia repletos discurrit, hosque considerat, et quod in se minus habet, in istis amat. Per hos Deum quærit, ut in horum exemplis nutritus amor ejus quandoque in Deum surgat. Cum enim in istis imago Dei, et magna ex parte similitudo resplendeat, et quantum hos imitari potuerit, eisque assimilari, tantum Deo meretur uniri, tantumque Deum in se suscipit, quantum similitudinem ejus assumpserit. Nil enim tam propinquum Deo, quam ejus character et similitudo. Cum autem facta fuerit anima justa, vera, misericors, sapiens per gratiam, quod Deus habet per naturam, quantum has virtutes in se formaverit, tantum in se Dei similitudinem reformabit. Quapropter cum sponsa perfectos attendit, eisque assimilari laborat, et per eorum exemplа graditur ut dilectum inveniat, per vicos quærit quem diligit anima ejus. Quærit etiam hunc per plateas, in aliquibus videlicet sæcularibus sive etiam conjugatis. Nusquam enim exempla et incitamenta salutis contemnenda ducit. Hujusmodi itaque multi quamvis leviorem et latiorem viam conversandi tenuerunt, tamen bonæ famæ de se odorem sparserunt, et imitationis exempla præbuerunt. Quæ sanctitatis exempla in Abraham? Quæ in Job non inveniuntur, quibus anima Deum quærens accendi posset et ædificari? Qui tanta repleti gratia erant, et tanta Dei dilectione prædíti, ut alter eorum ad præceptum Domini unicum filium ad mortem offerret, et alter mortem omnium liberorum æquanimiter ferret, et gratias Deo referret. Alter propter excellens meritum a Domino benedici meruit, alter in amissione omnium quæ habuerat Domino benedixit. Ille angelorum colloquio frui meruit, quos etiam hospitio suscepit, atque pavit. Iste ipsum Dominum loquentem audivit, et illuminatis oculis cordis vidit. Quanto lumine divinæ gratiæ hic illuminatus fuit, cujus mentem nox tot adversorum et tentationum inimici non obscuravit, et quem universus stratus quietus ejus versatus non evertit? Non immerito igitur sponsa de nocte, et lecto suæ quietis in quo sponsum non invenit ad hunc virum currit, quem in nocte sua et lecto turbato ampliorem invenisse gratiam cognoscit.

Moyses et Samuel inter cæteras virtutes quibus excellenter fulserunt, illud eximium charitatis præferunt exemplum, quod devote pro inimicis intercesserunt. Ille quidem pro populo se lapidante, iste pro populo se de principatu ejiciente. Ille tanta charitate ut peccatum ipsorum vel eis dimitti a Domino posceret, vel se de libro vitæ deleri. Iste pro se dejicientibus perhibet se non minus devote deprecari. Quis humilitatem David, viri scilicet quem Deus secundum cor suum invenit, non miretur? Qui post tanta et tam gloriosa gesta non in superbiam se extulit, imo potius canem se mortuum aut pulicem unum se nominavit. Quis quod exteriorem et interiorem humilitatem habuerat, his verbis manifestat, quibus dicit: *Ludam et vilior fiam plusquam factus sum, eroque humilis in oculis meis* (*II Reg.* VI). Exteriorem enim vilitatem non renuit, et intus suo judicio abjectus fuit. Quot tales sub lege vel etiam tempore gratiæ fuerunt, qui salubria virtutum exempla de se præbuerunt? Per hos itaque sponsa etiam dilectum quærit et per eos se in amorem illius accendit.

CAPUT III.

Quomodo considerata exempla bonorum humilient et accendant.

Quæsivi, et non inveni illum (*Cant.* III). Quæsivit sponsa dilectum per vicos et plateas, et non invenit illum ad votum. Nondum enim præsentiam ejus sensit, nondum desideratam gratiam accepit. Nec mihi ambigendum quin circuitu suo multum acquisierit, multamque in se gratiam auxerit. Siquidem ex agnitione bonorum et virtutum eorum non parum accensum est in ea desiderium justitiæ. Accessit enim ad ardentes hoc igne quem Dominus Jesus misit in terram, et voluit vehementer accendi. Ad quos dum accedit tepidus incalescit, et fervens amplius ignoscit. Non autem quia gratiam acquisivit, a quærendo ampliorem quiescit, desideria accensa sunt, non impleta, excitata, non sedata, et quantum creverunt, tantum sibi minus ea quæ suscepit sufficiunt. Augmentum gratiæ esuriem excitavit, adeo ut quantum plus accepit, tantum plus desideret. Malus sive tepidus quia bonum non amat vel desiderat, defectum suum, et ad quanta teneatur nescit. Unde cum inops sit, divitem se reputat, quia spirituales divitias ignorat. Dicit enim quia dives sum, et nullius egeo, cum miser sit et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus; bonus vero et proficiens quod habet non attendit, sed ad anteriora se semper extendit. Et quia nunquam se apprehendisse arbitratur, ex desiderio semper humiliatur. In proficiente igitur cum crescente gratia crescit et humilitas, et quantum dives sit, tantum se inopem credit, quia degustata gratia amplius hunc accendit. Sponsa itaque proficit: nam quantum accenditur ad amorem, tantum humiliatur. Nondum se invenisse gratiam credit, dum perfectorum virtutes attendit, unde dicit: *Quæsivi et non inveni illum.* Non invenisse illum dicit, quem tam perfecte in aliis invenit. Sic Antonius maximus monachorum postquam quæsitum Paulum invenit, nil se esse comparatione illius judicavit, dicens: Væ mihi peccatori, qui falsum nomen monachi porto, hoc

Digitized by Google

illi inventio Pauli præstitit ut qui antea monachorum maximus exstitit, modo nec se nomine monachi dignum dixerit. Quod mirabilis in imitatione, cum summus sanctitatis merito suo judicio infimus fieret, et tam sublimis ante Deum ita sibi vilesceret. Sed quantum putamus ista sui vilitas sublimem fecerit? Ignoro an aliqua tam sublimis in Antonio virtus tantum ante Deum se exaltavit, quantum ista sui dejectio, et omnium meritorum quam prius habuerat annullatio. Nondum itaque invenisse se Christum credidit, quem in Paulo tam excellenter habitare conspexit. Ecce quantum Antonio Pauli contulit inventio, et sanctitatis illius cognitio. Ita sponsa non invenisse se dilectum credidit, dum perfectorum virtutes investigando cognovit. Quem etiam quærit non tantum in perfectioribus, sed in æqualibus, sive etiam in inferioribus. Siquidem et hi similiter vici dici possunt et plateæ boni videlicet et mediocres. In istis donum alicujus gratiæ quod specialiter perceperunt explorat et considerat, atque veneratur, et imitari conatur. Qui enim Deum timet, nihil negligit; nihil ubi salutis profectum accipere possit contemnendum ducit. Quantum ergo magna est, humiliat se in omnibus, per infimos etiam non renuens emendari. In his enim imitationis exempla et proficiendi nonnunquam invenit, quæ utiliter sibi proponere possit. Solent quippe boni virtutes suas invicem accendere, et alter ab altero profectus pariter et humilitatis incitamenta sumere. Unde contingit ut dum iste illius patientiam, et ille istius obedientiam; iste illius charitatem, et ille istius munditiam considerat, semper alter ab altero sumat unde in bonum crescat. Multum enim ad studium emendationis accinguntur, quando in aliis cernunt bonum quod ipsi minus habent. Et dum invicem superiores se arbitrantur, et alter alterius bonum revereatur et diligit, amando illud suum facit, et se in humilitate custodit. Sic Paulus quod plus omnibus apostolis in prædicando laborasset non attendit, sed aliorum innocentiam respicit, et quia ipse Ecclesiam Dei persecutus fuerat, ipse minimum se apostolorum dicit (*II Cor.* xv). Petrus vero quod primus apostolorum sit non considerat, sed in Paulo miratur sapientiam, et hanc quodam loco de illo commendat (*II Petr.* III). Neque enim minor Paulo erat Petrus, qui hunc laudibus efferebat; nec minor apostolis erat Paulus, qui se minimum judicabat. Sed qui magni erant apud Deum necesse erat ut sibi parvi viderentur. Et qui omnibus ornabantur virtutibus, humilitatis etiam virtute debebant decorari. Maximus nempe est animæ decor, si post omnium virtutum perfectionem humilitatem possideat, et cum magni sit meriti, magnam se esse nesciat. Magnum se nesciebat beatus Job qui dicebat: *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea* (*Job* IX). Parva quippe bona sua æstimabat, quia semper ad majora fervebat. Perfecti itaque, id est, vere humiles reprehensibilia sua cognoscunt et judicant, et aliorum mala dissimulantes bona potius pensant districti judices sui, sed aliorum pii: unde cum in aliis parva aliqua bona conspiciunt, majora in eis sperant. Cum vero ipsi multa fecerint, servos se inutiles reputant. Sicque contingit ut bene de aliis, sibi vero vilescant, seque inferiores minoribus credant. Ita sponsa sua merita non considerans, nec ante oculos sibi ponens, in collata aliis gratia considerationem defigit. Congaudet dona gratiæ accipientibus, congaudet Deo largitori, dilecti per membra ejus reminiscitur, et per membra in dilectum amplius inflammatur. Cumque liberalitatis ejus dona considerat, quæ diversis tribuit, sua in se denuo desideria accendit: unde piam querelam replicat, dicens: *Quæsivi et non inveni.*

CAPUT IV.

Quomodo anima angelorum præsentiam cognoscit, et eis desideria sua pandat.

Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem (*Cant.* III). Animam sic desiderantem, sic quærentem inveniunt vigiles qui custodiunt civitatem, angeli videlicet sancti, qui civitatem, id est Ecclesiam vel fideles custodiunt, quorum custodia suos munit Christi misericordia. Qui recte vigiles dicuntur, quia vigilant et solliciti sunt circa electos, ut defendantur a tentatione, ut proficiant in bono et ut salventur. Siquidem administratorii spiritus sunt in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Horum ministerio et vigilantia Deus fideles suos protegit, non dormitat, neque dormit qui custodit Israel. Adversarius vero noster quasi leo circuit, quærens quem devoret. Qui quosdam ut leo devorat, quos aperta pugna dejicit, et alios occulta fraude seducit, quibus, ut in Job legitur, in terra pedicam abscondit, et decipulam super semitam ponit (*Job* I); quia et per terrena desideria eos decipit, et ibi deceptionis laqueos ponit, ubi cordis eorum semitam esse, et proclivos eos ad peccandum conspicit. Ita circuit inimicus ad fallendum. Discurrunt vero sancti angeli ad defendendum. Hæc discordia inter angelos pacis angelosque discordiæ agitur. Sic contenditur pro homine, et ille pro se non vigilat, sed torpescit. Oportet enim hunc videre, vigilare et orare, et videre, et considerare periculum suum, vigilare circa salutem suam, et orare et auxilium implorare contra tentationem. Quantos enim devorat leo iste, quantos mortificat exterminator angelus ex his qui signum Dei vivi non habent in frontibus suis, qui utrumque postem suum et superliminare domus linita non habent de agni Dei sanguine; qui fidem per dilectionem non habent operantem, et vexillo crucis Christi seu virtute passionis suæ muniri et defendi non merentur. Nec miratur Leviathan si hos absorbeat: absorbebit enim fluvium, et non mirabitur, malos videlicet et carnales qui more aquæ defluunt et de peccato ad peccatum decurrunt, et lubrico vitiorum ad ima tormentorum descendunt. Etiam heu! fiduciam habet quod influat Jordanis in os suum, electi videlicet in quos se prævalere confidit. O quanta

Digitized by Google

multitudo absorptorum, et paucitas ereptorum. At pius Dominus abscondit suos in tabernaculo suo (id est in Ecclesia) in die malorum, et protegit eos in abscondito tabernaculi sui (id est in Christo) qui absconditum Ecclesiæ dicitur, quia occulte et invisibiliter habitat in electis suis per charitatem; quippe quæ eis jungitur et per fidem et virtutem passionis illius proteguntur a tentatore diabolo. Quia enim Christus passione sua inimicum vicit, virtute passionis ejusdem suos munit, ut hostem non timeant, quia ejus facti membra sunt, qui de illo triumphavit. Est quippe fidelis Deus, qui non patitur suos tentari supra id quod ferre possunt, sed facit cum tentatione etiam proventum. Ita tentationes ordinans atque temperans, ut unde eos inimicus dejicere quærit probentur, et probati amplius coronentur. Contingit præterea ut eos impugnans (quatenus a Deo separet) magis eos Deo conjungat, quia, dum tentantur, humilius Deo subduntur ut a tentatione liberentur. Unde dicit beatus Job quod bestiæ terræ (dæmones videlicet) pacificatæ fiunt bouis (*Job* v). Non dicit pacatæ, quia pacem non habent, sed pacificatæ, quia pacem eis facinnt dum eos impugnando affligunt. Convertit ergo Deus hoc suis ad coronam, quod inimicus agit ad ruinam. Ille vero non sic arbitratur, sed ad conterendum est cor ejus, et ad interemptionem gentium non paucarum. Ita Deus electos abscondit in Ecclesia, in die malorum protegit eos in se, munit eos angelorum custodia. Hos ministros et nuntios suis exhibet, ut illis ad salutem ministrent, et necessitates eorum nuntient, et preces perferant. Et quamvis ipse singulorum causas videat et cognoscat, vult tamen per angelos suos hoc sibi nuntiari, ut charitatem suam et dignationem suam circa hominem commendet, et propter tam dignos tamque dilectos nuntios plenius præstet.

Nec mirum quod angelos suos electis ministros exhibet, et semetipsum. Est nempe et ipse angelus magni consilii, videlicet redemptionis nostræ et salutis, quam missus est operari in medio terræ. Ministrat siquidem nobis conversatione sua et humilitate, præbendo vivendi exemplum in se, et statuens se parvulum in medio discipulorum (id est humilem), ut efficiamur parvuli sicut ipse. Ministravit etiam nobis morte sua, in qua laboravit pro nobis ne nos laboraremus, et temporalem pertulit ne nos æternam pateremur. Igitur ministravit nobis Dominus in hac vita, et ex hac quoque transiens ministrabit nobis in illa refectione geminæ dulcedinis, quia pascet nos lacte humanitatis suæ et melle divinitatis. Angelorum quoque ministerium non tantum temporale nobis est, sed etiam sempiternum, quia per eorum præsens auxilium hæreditatem et æternam salutem capiemus, et gaudium eorum cum ipsis sine fine percipiemus. Quomodo vero putamus salutem nostram diligant, et quantum nos consortes secum habere cupiant? Quis æstimet quanta charitate et cura circa commissos sibi vigilent? quomodo torpentes excitent, et sollicitos atque ferventes amplius accendant? Quomodo hinc mala excusent, inde bona divino conspectui repræsentent, quomodo defendant, aut his gratiam obtineant? Cumque animam magno desiderio ferventem perspexerint, et ad Deum pura intentione suspirantem, quomodo putamus hanc diligant, eique congaudeant, et ad illam divertant? Quomodo inter illam et Deum discurrent? Siquidem amici sponsi sunt, auscultant vocem ejus, quam faciunt sponsum audire; voces ejus desideria sunt: hæc vehementer clamant in aure sponsi, hæc auscultant amici, videlicet angeli; his delectantur, ista nuntiant, et illam ut veniat invitant, istam consolantur, et monent ut quærat et pulset, eo quod quærens inveniat et pulsanti aperiatur. Frequentant itaque et visitant interim ipsi animam sic ferventem, donec sponsus adveniat, et augmento amplioris gratiæ hanc adventui ipsius sponsi plenius præparant. Trahunt cogitationem ejus ad intelligendam eorum præsentiam et discendam familiaritatem, quatenus de hac notitia crescat et proficiat ad divinam. Quærens ergo Deum anima ab his invenitur, et post circuitum civitatis, post investigationem beatorum angelorum adventum meretur, horum occursum percipit, ab his suscipitur; hi sponsum quippe præveniunt, exhibent præsentiam suam, revelant se: angeli enim lucis sunt, cum luce veniunt: qua perfusa, illuminatur pariter et tangitur, ut adventum eorum intelligat et præsentiam sentiat. Quam gratiam dum percipit, inventam se a vigilibus fatetur, licet dilectum se non invenisse causetur. Animam itaque inventam esse a vigilibus, est ipsam invenisse gratiam ad sentiendam eorum præsentiam, quæ prius cæcitatis suæ tenebras patiens, nil nisi se sentiebat. Tunc desiderium suum, et cogitationem in ipsos dirigit, et familiare colloquium quasi cum notis format, vota sua insinuat, amorem nuntiat, de sponso interrogat. Num quem diligit anima mea vidistis? Quærit eos testes suæ dilectionis, pariter et desideratæ præsentiæ sponsi. Certe enim scit quod angeli Dei visione fruantur, et amorem ipsius et desideria non ignorent, et miratur et quasi indebitum arbitratur, ut Deum videant, et se visionis illius expertem relinquant quæ dicat: Nonne eum quo frui desiderio habetis, et in illo desideria mea jam diu vidistis? Perhibet dilectus quod ad ostium animæ stet et pulset; et si quis aperuerit ei, intret ad illum, et cœnet cum eo. Ego jam aperui patenter ostium meum per desiderium ipsius, nec ingreditur. Insuper ingressa sum ad eum: et pulso ad ostium ipsius, quod aperiendum promittit pulsanti. Et oblitus promissionis utriusque, nec ingreditur in meum nec mihi aperit suum. Sto, et non respicit; pulso, et non aperit; clamo, et non respondet; quæro illum, et non invenio. Quo ergo abiit? Nunquid non illum vidistis, qui estis angeli semper videntes eum, quia semper videtis faciem, et ipse et Pater unum sunt, et qui videt unum, videt et alium? Igitur non intrantem ostium meum, nec aperientem suum, ac

Digitized by Google

proinde non penes me, nec penes se inventum, apud vos quæram, a vobis sciscitabor, ad vos transibo ut penes vos inveniam quem diligit anima mea, sponsum Ecclesiæ, etc.

CAPUT V.

Quomodo anima post angelorum contemplationem, ad Dei contemplationem transeat et discretionem.

Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea (*Cant.* III). In triplici creatura sua investigari et cognosci potest Deus: in mundo et ad ejus ornatum creatis, in homine et in angelo. Has singulas circuit, et pertransit anima Deum sitiens, ut eum quem quærit inveniat. Ex visibili mundi specie inspecta invisibilem Creatorem considerat. Hæc enim inspecta, scire dat quod Dominus ipse est Deus, et quod ipse fecit hanc, et non ipsa seipsam. Sed hæc visio communis est omnium, tam malorum scilicet quam bonorum. Hoc enim modo omnes homines vident Deum, ut in Job legitur, ut unusquisque intuetur procul (*Job* XXXVI), quia foris videtur Deus, et non in se. Hoc modo viderunt eum philosophi, qui tamen per amorem non invenerunt. Unde de hac visione transit ad hominem, qui quoque in imagine pertransit, licet similitudinem amiserit, in quo familiarius videtur Deus, utpote in ejus animæ imagine, quam in se repræsentat per rationem et intellectum. Non autem transit ad omnes homines, sed ad bonos tantum et spirituales. Neque enim ad gradientes latam viam se dirigit, quæ ducit ad mortem, sed ad arctantes se pro regno cœlorum, quos superius plateas sive vicos appellat, et quibus imperfectiores sive perfectiores designat. In his invenit non solum imaginem Dei, sed ex parte similitudinem, in quantum in virtutibus profecerunt, vel ad perfectionem conscenderunt. Sed quia non plenam in his (quamvis aliquam inveniat similitudinem), ut plenius comprehendat et vicinius contempletur, ad vicinius contemplantem transit, angelicam scilicet creaturam, in qua similitudinem plene considerat, utpote signaculum similitudinis, et in qua ab initio signata perseverat similitudo. Homines quamvis boni, quamvis sancti, vident tamen in nocte, id est in obscuritate, angelus vero in meridie, id est plena cognitione. Sicut enim beatus Job loquitur, stellæ obtenebrantur caligine hujus noctis (*Job* III), quia etiam hi qui lucent virtutibus et vitæ sanctitate obscurantur tenebris humanæ cæcitatis. Angelus luce perfunditur perfectæ contemplationis. Candor est enim lucis æternæ et speculum sine macula divinæ majestatis, qui sicut nulla parte distat a Deo, ita perfecte et sicut est Deum videns, et hunc in se repræsentat, quoniam speculum mundum et perspicuum est illi qui in eum oculos cordis dirigit, mundatos tamen plenius a peccatis et vitiis, et etiam eorum imaginibus. Obscurant enim vitia, eorum quoque imagines reverberant, et contemplationem impediunt atque notitiam abscondunt: qui igitur hoc speculum inspicit in horum munditiam considerandam, mundos oculos cordis mittit. In hoc speculo sibi relucet Dei similitudo. Mundi enim sunt sicut est mundus ille; sancti sunt, sicut est sanctus Dominus Deus eorum. Denique de illo mundus transit ad munditiæ auctorem, et de sanctis ad Sanctum sanctorum, de contemplantibus ad contemplandum, et statim invenit dilectum. His enim adeo vicini sunt illi, ut vix sit medium inter hos et illum, et post hos non sit invenire nisi illum. Invento igitur dilecto angelis congratulans, et consecutum per eos beneficium commemorans, ait itaque: *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Quia illico ut hos pertransivi, dilectum inveni, hos pertransiri ut venirem, et per hos transivi ut invenirem: horum enim occursu et auxilio quod cupivi obtinui, qui et meum provocaverunt et accenderunt desiderium, et dilecti obtinuerunt occursum. Sponsi igitur inventio præsentiæ ipsius est experientia et revelatio.

Quærenti nempe animæ, nec ab intentione cessanti exhibet se tandem et votis occurrit. Quo præsente, innovatur anima, et quasi ei adhærens sentit interni gustus dulcedinem, intelligentiam spiritalem, fidei illuminationem, spei augmentum, charitatis incentivum, compassionis affectum, justitiæ zelum, delectationem virtutum; habet in oratione cum Deo familiare colloquium, audiri se sentiens plurimumque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, et audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, et interdum convincens. Hac gratia illustrata, incipit tenebras cordis sui videre, seipsam cognoscere, discernere qualiter se vitia sub specie virtutum occultent, vel se illis occulte socient. Oritur enim in mente nova dies post noctem ignorantiæ, et fit diluculum quo surgit ad offerendum holocaustum contritionis pro singulis virtutibus, ne fortassis fuerint imperfectæ, vel minus puræ, et ad concremandum quidquid in illis admistum fuerit carnale. Hominis enim spiritus interdum fertur ad aliud bonum cui annexum est aliquid carnale, quod humanitatem delectat, et trahit occulte, sed ignorat. Item quam sæpe credit aliquis a spiritu moveri ad aliquid faciendum, cum moveatur a carnalitate, vel naturalibus, vel levitate, vel causa aliqua vel occasione. Denique interdum facit homo aliquid ante tempus vel tarde, vel indiscrete. Has tenebras et occulta mala deprehendit, et dijudicat, et diluculum compunctionis hominem sibi demonstrat, quod scilicet minor sit in bono quam credebat, quod initium gratiæ tantum acceperit, quod in nocte jacuerit, quod ad diluculum, et non ad plenam diem venerit. Sicut ergo per acceptam gratiam illustratus seipsum cognoscit, ita per eamdem intelligit exiguum esse quod invenit. Elias post auditum sibilum auræ levis, in qua Dominum esse didicit, pallio vultum operuit, et in ostio speluncæ stetit (*III Reg.* XIX). Sic homo, percepta gratia et per hanc cognita in perfectione sua, vultum pallio operit; quia quanta ignorantia tegatur agnoscit, et in ostio speluncæ

Digitized by Google

stat, quia post noctem cognitæ cæcitatis de corruptionis vitio exire ad illucescentem sibi diem gratiæ venire desiderat. Remissus et cæcus, nec se videt, nec gratiam amat, quia tenebris suis obvolvitur, et lucem gratiæ ignorat. Devota anima, et gratia illustrata sicut se videt, ita de se parum sentiens humiliatur; et sicut intelligit gratiam, ita ad desiderandam illam amplius inflammatur. Humiliata ergo et desiderans, et secum de inopia causans paululum se memorat invenisse dilectum, non perfecte, nec ad votum.

CAPUT VI.

Quomodo anima Christum in se suscipiat, et de vera dilectione Dei.

Tenui illum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ (*Cant.* III). Anima, quamvis accepta hac gratia, non immemor tamen imperfectionis suæ, nec nimium de dono Dei confidens, recolit se multoties carnaliter affici voluntate propria atque a spiritu ferri, mores nondum perfecte correxisse, nec Christi virtutes apprehendisse. Cupit ergo effectum suum purgari, voluntatem mortificari, spiritum suum deficere, et Christum induere, sicut dicit Apostolus: *Induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom.* XIII). Licet enim dilectum invenit, nondum hunc in hospitium introducit, et quod accepit, quasi foris, non intus, fuit in desiderio et non in effectu. Visitatam se intelligit et consolatam, sed nondum talem cum qua moram faciat dilectus, et mansionem habeat donec a se perfecte deficiat. Ad hoc ergo juvari se petit, et eousque proficere, quatenus formetur Christus in ea, et vivat jam non ipsa, sed vivat in ea Christus. Donec autem ad hunc statum perveniat, perhibet se non quieturam, nec cessaturam a precum instantia, dicens: *Tenui illum nec dimittam*, etc. Tenetur Deus orationis devotione, desiderio, importunitate, memoria, prece, fide et exspectatione exauditionis, nec dimittitur si ab intentione non cesserur, nec vultus amplius in diversa mutetur. Tenet itaque dilectum, quamvis aurora sit, nec dimittit, donec benedixerit ei. Luctata est tum eo tota nocte qua dormivit, sed cor ejus vigilavit, quia scilicet ab exteriori occupatione cessavit et in quærendo dilectum laboravit. Etiam quamvis per noctem ad auroram pervenerit, non cessat a lucta, videlicet ab orationis instantia, nec dimittit dilectum, nisi benedictionem det, ut eat de virtute in virtutem, et videat Deum deorum in Sion, id est in speculatione per speculum, et in ænigmate, quem videre non potest sicuti est, dum vivit in corpore. benedictionem hanc quærit, et nominis mutationem, ut non jam Jacob, sed Israel dici possit, nec opus sibi sit ut amplius vitia supplantet. Jacob enim *supplantator* dicitur, sed ut, expugnatis et expulsis vitiis, puritate fruatur virtutum et Deum contempletur quia Israel *videns Deum* dicitur. Puritati enim cordis vivendus Deus promittitur, sicut scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Hac benedictione percepta, claudicabit altero pede, quia quæ duplicibus incedebat desideriis, carnalia quidem sentiens, sed spiritualibus consentiens, nunc perfectius mortificatis vitiis et marcescente carnalitate, spiritualibus tantum desideriis feretur. Ad hanc ergo puritatem et perfectionem suspirans, ait: *Tenui illum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ*. Mater nostra est gratia Spiritus, quæ spiritualiter nos regenerat. Cujus domus est humana mens, in qua eadem gratia suscipitur. In hanc domum dilectum cupit introducere, ut sicut hunc invenit, ita cum illo maneat et inhabitet. Acceptam enim gratiam in se retinere desiderat, in mores transfundere, et in conversatione transformare. Manet in illa anima Christus, qui virtutes ejus possederit, humilitatem, mansuetudinem, patientiam, obedientiam et charitatem. Et item quæ mandata illius servat, sicut ille ambulavit et ipsa ambulat: *Si quis diligit me*, inquit, *mandata mea servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV). Talis ergo et vere diligit, et Christum in domum mentis introducit. Affectuosa dilectio, qua superius dilectionem animæ significari diximus, interdum plus afficit minus diligentem et minus perfectiorem. Non enim tantum diligit quisque, quantum hanc sentit, et quantum in illo statu sibi diligere videatur, sed quantum in virtutibus et charitate fundatus fuit, et in servandis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deum affectus quodammodo carnalis est, et fallax, et humanitatis interdum potius quam gratiæ, cordis quam spiritus, sensualitatis quam rationis; ita ut magis accedat aliquando ad minus bonum, et minus ad majus, et ad aliquid quod sapit amplius quam quod expedit. Hoc affectu errabant discipuli, et carnaliter Deum diligebant, cujus præsentia carere nolebant. Unde etiam non diligere arguebantur, quid quod delectaret magis quam quod expediret amplectebantur. Sic affectuose interdum carnalis aliquis et imperfectus ad Deum afficitur, non quod valde diligat, sed quia dulcedinem gratiæ degustat, quæ quantum durat, tantum juvat, quandiu durat dulcedo, durat et dilectio. Sed non agnoscetur in bonis amicus. In die namque ista Dominus quidem misericordiam suam mandat, sed in nocte tentationum et laborum in præceptis declarat, quantum quisque diligat. Visitatione gratiæ consolatur Deus pusillanimitatem nostram, juvat infirmitatem, excitat voluntatem. Et quid mirum si infirmus ungatur gratia, cum etiam malus Domino cum benefecerit ei confiteatur? Itaque contingit ut pusillanimis, et dilectionis avidus, dilectione hac magis moveatur, et in quo sensualitas et carnalis appetitus potius quam ratio dominatur. Interdum hanc magis sentit levis corde et inops gratiæ: facilius enim movetur qui levior fuerit, expers consolationis delectabilius oblatam recipit. Hujus ergo dulcis affectus causa est interdum, non gratiæ copia, sed mentis inopia. Exigua enim lætiti-

Digitized by Google

cant pauperem. Non omnis qui dicit : Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum. Non omnis quia iterum atque iterum dicit : Domine, dulciter (scilicet affectuose) intrabit, sed qui voluntatem Patris fecerit, qui mandata custodierit. *Voca me et respondebo tibi*, ait B. Job (*Job* XIV). Vocat Deus per gratiam visitantem, et respondebit homo per mandatorum impletionem ; vocatio non facit perfectum, sed obligat ; responsio per mandata justificat. Fit enim aliquoties affectus iste dulcis a malo spiritu, ut dum nimis ei creditur, eique dum valde delectat inhæretur, ad debilitatem cordis homo perducatur. Item ut per illius occupationem ab utiliori opere revocetur. Et item ut ejus abundantia fretus aliquis se perfectum credat, et ad perfectum minus exerceatur. Per se quoque aliquis interdum gratia abutitur, in vacuum hanc recipiendo vel utilius aliquod opus omittendo, sive finem sui profectus in hac constituendo. Sicut enim spiritus prophetarum prophetis subjectus esse memoratur, ista gratia homini subjicitur, ut vel bene, vel male illa utatur : per hanc ergo offendit qui usum ejus nescit, sicut etiam virtus id vitium vertitur, si nimie, vel extra tempus exerceatur. Sponsa ergo affectuose, pariter et desideranter delictum quæsivit, inventum vero ut ad se introduceret non minus sollicita fuit. Quærenda est enim sedule amplior gratia, nec cessandum, sed per hanc progrediendum, donec ac perfectionem veniatur. *Antequam comedam suspiro*, ait beatus Job (*Job* III). Antequam suspiret quis non comedit, quia nisi hanc gratiam desideret et quærat, ejus refectionem non percipit. Nisi quoque per hanc progrediatur, ad perfectionem non pertingit. Cibus est hæc gratia, quia reficit ; lux est, quia illuminat. Revelat enim mala sua homini, et roborat eum ut corrigere possit, cognito periculo suo hanc recipit, qui per hanc se corrigere, et ad interiora progredi negligit. Fervens vero anima, ne in vacuum hanc recipiat, semper proficere laborat, et diligenter exercet agrum suum meliorando mores, et excolendo virtutes, ut ædificet mentis domum in quam introducat dilectum.

CAPUT VII.

Quomodo in secreto mens Deo fruitur, et ab eo de occultis eruditur.

Non autem sufficit sponsæ in domum mentis introduxisse dilectum, nisi et in cubiculum suum introducat illum, ubi familiarius et secretius illo fruatur, et sola cum solo sit, et confabuletur, et remotis omnibus consiliis intersit, secreta cognoscat, causas occultas discat, incerta et occulta sapientiæ suæ manifestet illi Deus. Ibi audire cupit verbum absconditum, id est internam et occultam aspirationem, quæ in Job verbum absconditum vocatur (*Job* IV), quia paucis conceditur, vel quia silenter aure cordis præcipitur. Quod etiam verbum audire perhibetur in nocte, quando sopor solet occupare homines, id est quando, calcatis carnis desideriis, quies mentis possidetur. In noctis ergo silentio quando secrete cum illa Deus est in cubiculo suo, quando pacata et quieta sunt omnia, quando pax habetur intus a vitiorum perturbatione, et foris ab omni inquietudine et occupatione, quando silent vitia, et peccatorum omnium recordatio, sensus quoque exteriores sopiuntur, et mundanorum memoria. Cum itaque tanta quies fuerit, et jam silent omnia, tunc jam audiri poterit vox Dei, quæ non tantum loquitur, sed susurrat, id est tenuiter et occulte aliquid humanæ menti manifestat. Nec solum susurrum Dei, sed et venas susurri ejus furtive tunc suscipit anima, quia subtilitatem divinæ aspirationis, et causarum origines quibus ad mentem gratia veniat intelligit. Diversis enim modis visitat Deus, quia nunc expungit mente desiderio divini amoris, nunc spe et gaudio futuræ retributionis, nunc delectatione alicujus virtutis, nunc cognitione propriæ imperfectionis, nunc timore pœnæ, et peccatorum recordatione, vel alicujus periculi vel negligentiæ manifestatione, nunc memoria bonæ rei, nunc exemplo et gratia alicujus viri perfecti. Istis et aliis modis gratia mentem visitat, nec semper eodem modo, sed nunc iste, nunc illo. Sicut enim in diversis diversa sunt dona, et distributiones Spiritus, ut iste accipiat hanc gratiam, ille illam ita in uno ; eodemque homine diversæ sunt visitationes Spiritus. Anima ergo, cum qua Deus in silentio susurrat ; ista cognoscit et discernit, et secundum modum quo visitatur se conformat et dirigit. Novit enim discretionem gratiæ et usum, præsentiam quoque sive absentiam intelligit, adventum etiam et abscessum, causas etiam adventus, motus et cogitationes, prænuntios, et præambulos gratiæ. Quod autem hanc ante omnia mereatur humilitas frequenti experientia didicit, multiplicesque et occultos humilitatis modos, sive motus intelligit. Nec ambigitur quod toties gratum Deo sacrificium offert et gratiam sibi cumulat, quoties se propter Deum deprimit et humiliat. Ut ergo abundantius hanc consequatur, humilitatis vestigia tam in cogitatione quam in opere sectatur. In mente suo judicio se deprimit, et foris se propter Deum hominibus subjicit et postponit, abjectionem eligit, contemptibilem se facit, ut sit pretiosa apud Deum, humiliat se ut exaltetur, gaudet opprobriis, pro contumelia enim se recepturam a Deo novit gratiam, pro convicio benedictionem. Intellexit hoc David qui, maledicente sibi Semei, magis hunc pati voluit quam per militem suum vindicari, pro maledictione illa bonum sibi a Domino reddi præsentiens. Sic humilibus Deus dat gratiam, superbis vero resistit. Sed quis vetustam, et inolitam superbiam, quis occultas ejus radices, atque subtiles cogitationes, quibus ut plurimum latenter irrepit, et etiam nescientibus subrepit, nisi Deo susurrante (id est occulte revelante) cognoscat? Quæ quantum in mente dilatatur, tanto minus cognoscitur, quia mens per hanc am-

Digitized by Google

plius excæcatur. Sic etiam in verbis et operatione multipliciter latet, nec cognoscitur, nisi ad cognoscendum a gratia quis erudiatur. Latet itaque in anima superbia, et hoc ipsa nescit; sed Deus hoc videt, quia occulta conspicit, et propterea gratiam suam subtrahit, vel non concedit. Non solum ergo propter manifestam, sed etiam propter occultam, nec propter majorem, sed etiam propter minorem superbiam mens siccatur gratia : *Desertos faciam*, ait Dominus, *montes et colles, et omne germen eorum exsiccabo* (*Psal.* XLII); per montes, majores, superbos, et per colles, minores designans. Isti montes exsiccantur, et arescunt, sed valles, id est humiles, irrigantur aqua gratiæ, et abundant frumento spirituali. Istos montes, visitantisque gratiæ origines et causas merendi, vel demerendi latenter intelligere, est venas divini susurri furtive suscipere. Venæ istæ silenter et cum levi murmure serpunt, nec audiuntur a mente inquieta, et in qua perstrepunt et clamant vitia, vel perturbationes aliquæ. Horum itaque intelligentia percipitur, et discitur in cubiculo (id est mentis secreto) ubi exclusa sunt omnia præter Deum, ubi sola cum solo anima susurrat, hæc est solitudo in quam ducit animam Deus, ut loquatur ad cor ejus. Ibi audire potest quid loquatur in ea Dominus Deus. Ibi aperit illi aures tantum interiores : patescunt enim aures cordis, tumultus sæcularium negotiorum claudit, et quies secretæ considerationis aperit. Tunc verba Dei mens vivacius penetrat, cum ad se admittere curarum sæcularium tumultus recusat. Hoc cubiculum schola est, ubi discat in silentio, ubi doceantur arcana præceptorum, ubi erudiatur in divinæ voluntatis notitia, in morum cognitione, in virtutum discretione, in spiritualium rerum contemplatione. Ad hoc cubiculum secedere debet anima, sicut Moyses ad tabernaculum fœderis ad consulendum Dominum de dubiis, de disponenda mentis suæ domo, de gerendis in illa, de statu proprio, de aliorum necessitatibus spiritualibus, et corporalibus, de dilectione Dei, de amore justitiæ vel defensione, de discretione exercendi zeli, de tempore dissimulandi excessus, de compassione delinquentium, de rigore. Hic quotidie discutit, et investigat interiora sua et exteriora, et qualis sit meditatio, vel circa quid maxime sit vel esse debeat; qualis locutio, moderata an dissoluta, humilis an superba; et item qualis sit operatio strenua vel remissa; qualis denique sit totius domus dispositio, et quæ in ea corrigenda sunt, quæ toleranda. Inquantum vero ad puritatem conscientiæ pervenit, quantumcunque voluntatem suam mortificando divinæ conjunxit, seque unum cum Deo fecit, intantum spiritualia cognoscit, et Dei voluntatem intelligit. Ut ergo hanc gratiam percipiat, merito dilectum, introducere cupit in cubiculum, id est secretum quietis, meditationis, orationis, ubi ab exterioribus quiescat interna et mystica meditatione discat et oratione obtineat.

CAPUT VIII.

De meritis et utilitate contemplativæ vitæ, et quando ad requiem aliquis debeat venire.

Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit (*Cant.* III). Multo labore, instantia et oratione sponsa dilectum invenit, et tandem in cubiculum introduxit. Unde dignum est ut post fatigationem tandem requiescat, et dilecto tot sudoribus et discursionibus apprehenso fruatur, nec facile ab ejus amore avellatur. Allegat ergo Deus pro illa monetque ne a suavi somno (id est quiete divini amoris) suscitetur, nec a secreto cubiculi ad curam regiminis protrahatur. In hoc enim cubiculo non solum dilecti fruitur amplexibus, et propria negotia peragit, sed etiam aliorum necessitatibus intendit. Diversis autem modis hic Deo fruitur, videlicet nunc ut sponso, nunc ut doctore, nunc ut patre, nunc pro se illum exorat, nunc pro aliis precibus hunc flectit et placat, nunc in ejus amore dormit, nunc contemplatur, nunc cum illo aliqua ordinat et disponit, nunc ab illo audit et docetur, nunc ejus amplexibus fruitur. Habet enim cum illo amplexus et oscula, habet fetus et ubera, sed hæc omnia non materialia vel carnalia, sed casta et salubria. In istis amplexibus Deus stringit et stringitur, quia voluntatem suam prius animæ cum quadam dulcedine ingerit et insinuat: qua charitate excitata anima, dum vocanti et attrahenti se jungit, quasi strigentem se stringit. In istis enim amplexibus prior Deus stringit, et sic versa vice anima stringit, quia dignioris vel amplioris amantis est prius stringere, unde et ille prius dilexit nos, ut eum possemus diligere, et etiam charitatem exhibuit, qua majorem vel parem nemo potest exhibere. Animam itaque Deus amplexatur, quando eam per gratiam ad se trahit sibique conjungit. Osculatur, cum gratiæ suæ dulcedine reficit; fecundat eam, cum charitatem auget. Lacte pinguescunt ejus ubera, cum dulcedine compassionis repletur. Est ibi spirituale connubium, concordia videlicet et conjunctio voluntatum. Fecundat ibi non carnalis copula ventrem, sed Spiritus sanctus mentem gemellis hanc imprægnans fetibus (id est gemina charitate), Dei videlicet dilectione et proximi. Hinc uxor fit anima, accepit pietatis ubera quæ prius non habuit, cum adhuc parvula fuit, nunc tamen novit peccantibus compati, sed juveniliter indignari. Hic dormit cum Christo, dum ab exterioribus oculos claudit, et interna per contemplationem cognoscit. In quo somno cum Jacob angelos videt ascendentes et descendentes (*Gen.* XXVIII), ascendentes ad Dei contemplationem, descendentes ad humanam visitationem. Contemplatur in angelo hanc visionis Dei et visitationis humanæ vicissitudinem, quomodo et Deo inhæreant, et nobis condescendant, causamque nostram apud Deum peragant. Animas quoque jam cum Christo regnantes contemplatur et considerat, scilicet quem affectum erga nos habeant, et qualiter nos secum habere consor-

Digitized by Google

tes cupiant, opemque suam et intercessionem nobis impendant, et nostri sollicitudinem gerant. Per hos enim adjurantur filiæ Hierusalem, ne dilectam suscitent; quia, sicut illi amori Creatoris inhærent, et tamen salutis humanæ curam gerunt et peragunt, ita perfecta anima et in Dei amore quiescit, et proximorum saluti intendit. Adjuratur etiam per hos; quia cum his etiam et inter hos pro salvandis discurrit, nec tantummodo Deum, sed et hos orat et eorum auxilium implorat. His necessitatem humanam nuntiat, cum his in hoc negotio laborat. Bene ergo per hos adjuratur, utpote conscios et testes charitatis ejus, et industriæ, et occupationis circa proximos necessariæ. Isti enim sunt capreæ, cervique camporum (angelica videlicet creatura et homines) quorum animæ jam transierunt ad regnum cœlorum. Istæ capreæ et alta petunt et a longe prospiciunt; quia, alta contemplatione sublevati, dum Deum conspiciunt, in illo quidquid inferius in creatura ejus agitur, cognoscunt. Cervi quoque spineta transeunt, et venenum vincunt. Ita sanctorum animæ spinas peccatorum transilientes, et venenum suggestionum inimici malitiamque mundi vincentes jam transilierunt ad regnum. Et caprearum quidem campus, est illius vitæ felicitas. Campus vero cervorum, istius sæculi spatiositas. Transeunt tamen capreæ ad istum campum charitatis condescensione, et transilierunt cervi ad illum desiderio et fide. Hi cervi adhuc degentes corpore illic transilierunt, quia pedes eorum, id est affectus, stantes erant in atriis Hierusalem. Nunc vero in anima illuc transiverunt, postmodum etiam corpore eo venturi sunt. Ad hos etiam contemplatione transilit sponsa, apud hos proximorum curam secum transtulit, cum his ante Deum eorum causam intus agit. Merito ergo sponsus monet ne suscitetur, eo quod bene circa proximorum salutem occupatur.

Et bona quidem sollicitudo et turbatio carnalis, sed melior et sublimior circa plures occupatio et cura spiritualis, utpote tam Deo quam cœlestibus civibus familiaris, et permanens, et secura magis. Occupatio quidem exterior, id servitus est, quia corporis etiam labor perficitur. Interior sollicitudo et oratio, sublimius atque dignius officium est. Illa servit, dum ministerium exhibet; hæc apud Deum meritis et familiaritate obtinet; messem esse multam Dominus dicit, et rogari se monet ut in eam operarios mittat. Quod maxime perficere prævalet anima perfecta quæ Deo familiaritate devotionis adhæret, hæc modo Deo supplicat, ut in messem operarios mittat, modo ut in hanc messis gratiam ad operandum utiliter concedat, hujus messis partem occupat activus, exteriori ministerio, sed contemplativus totam messem occupat orationis auxilio. Duæ quippe sunt vitæ, activa scilicet et contemplativa, quæ designantur per Martham et Mariam. Martha foris laborat, Maria intus orat. Dic illi, ait Martha, ut me adjuvet, (*Luc.* x); bene illam adjuvat, quæ divinum adjutorium illi implorat, qua frustra laborem impenderet, plantaret atque rigaret, nisi Deus incrementum daret. Optimam ergo partem elegit Magdalena, quæ gratiam exercet contemplationis, et tamen occupatur in parte sororis, ut etiam activæ vitæ præmio coronetur, in qua pari charitate par præmium meretur. Martha in uno loco corpore laborat circa aliqua, Maria in multis locis charitate circa multa. In Dei enim contemplatione et amore videt omnia, dilatatur ad omnia, comprehendit et complectitur omnia, ita ut in ejus comparatione Martha sollicita dici possit circa pauca. Valde ergo hoc unum est necessarium, et merito præferendum, in quo et Deo per amorem anima inhæret et omnibus charitatem et sollicitudinem exhibet. Bene ergo sponsa proximis vigilat mente, licet dormiat, id est quiescat, ab exterioribus corpore, nec suscitari debet ut evigilet, id est exterius vigilet, quæ ita interius charitate et oratione vigilat; bene itaque occupatur sponsa, licet exterius non operetur, quia multis imo omnibus saltem obtinere conatur. Filias ergo Hierusalem (animas videlicet ad visionem pacis æternæ pervenire cupientes) prohibet sponsus illam suscitare et ad exteriorem occupationem pertrahere. Quæ ideo etiam ab eo dilecta vocatur, quia in amore ejus quiescit et multorum salutem peragit; prohibetur autem suscitari donec ipsa velit, eo quod ita Deo sit juncta et in voluntatis ejus agnitione perdocta, quod ad egrediendum et regrediendum pro divino arbitrio, justa et necessaria urgente causa, sit parata, prudens et ordinata charitas, ita ut divinæ pareat voluntati, ut, juxta sapientis sententiam, misereatur sibi placens Deo, imo juxta ipsam sapientiam, primo fleat super seipsam. Nec solum negotiis sæcularibus se non implicat ut Deo placeat cui se probavit, sed etiam necessitatibus proximorum se subtrahit, quibus se extenuari vel implicari a perficiendo cognoscit, non tamen facit hoc ex inclementia, sed ex prudentia. Merito imperfectus quandiu non habet nisi parumper olei charitatis quo ipse tantum ungatur, et nondum per intima dona gratiæ solidari meruit, non vult exterius implicari, nec curarum sæcularium æstuet humanæ conversationis et mutabilitatis vento contingat eam ab eo exiguo quod accepit exsiccari. Exterior enim occupatio imperfectos cito immutat et dejicit, quia muscæ morientes, id est cogitationes mundanæ, perdunt suave unguentum gratiæ minus in anima fundatæ (*Eccle.* x). Cupit ergo abundare prius sibi, ut sic possit aliis infundere; hoc oleo vult potius inungi quam ungere, de pleno fundere quam effundere, fluere quam effluere. Qui enim indiscrete aliis prodesse cupit, et ante tempus effundit, semper inops et a gratia vacuus manet, et profectum suum impedit, et aliis minus proficit. Non vult itaque prudens anima a quiete et silentio quæ se in justitia excolit evocari, quia cultus justitiæ silentium requirit, donec cultus iste ad fructum et maturitatem pervenerit, videlicet donec perfecte profecerit, et donec induatur virtute ex alto residere studet in civitate,

Digitized by Google

id est inter claustra conscientiæ. Affectant enim aliqui regimen ante tempus, cum scilicet imperfecti adhuc sunt, et carnali appetitu magis trahuntur quam utilitatis instinctu. Sed appetitum hunc et voluntatem animam sentire, non est hoc eam velle, quia voluntas ista carnis est, non spiritus, nec sua, sed aliena, si hanc ipsa non diligit vel sequatur, sed odit et detestatur. Non ergo hoc vult ipsa cum vult carnalitas. Cum vero mortificata carnalitate prodesse proximis tantummodo voluerit spiritualiter, tunc jam ipsa hoc velle judicatur; hæc enim voluntas sua est, quia huic consentit. Carnalis autem non sua est; quia, dum huic renititur, non ipsa hanc, sed quod habitat in ipsa peccatum operatur. Donec ergo ad istum statum pervenerit ut spiritualiter non carnaliter hoc velit, non debet suscitari, nec ad aliorum regimen assumi. Quamvis autem dilecta ad hanc spiritualem voluntatem pervenerit, monet tamen Christus ne suscitetur donec velit, quia talem novit quod volet cum opportunum fuerit.

CAPUT IX.

De spirituali assensu animæ, et de discretione et fervore.

Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii? (*Cant.* III.) Per desertum ascendit sponsa, id est hujus mundi amatores, qui desertum sunt, qui deseruntur a Deo, qui eum deserunt, dum factis eis dicunt: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus* (*Job* XXI). Ideo deseruntur ab eo, et relinquitur eis domus eorum deserta, ut habitatorem in se non habeant Deum, per hos ascendit sponsa, quia cum eis conversans corpore, mente eos transcendit superna appetens, et eorum delectationes infimas respuens, inter carnales commoratur, et eorum perversos mores et vitam non imitatur. Bonos longe sive prope positos attendit, ad eos mente accedit, eisque jungitur cogitatione, exempla considerat, conversationi eorum se conformat. Ita salvatur a generatione ista prava, cum ab ea separatur, et transit atque transcendit ad generationem quærentium Dominum: difficile est enim salvari cum perversis, nisi hoc modo transcendantur et deserantur, quia trahit et attrahit eorum prava conversatio, et corrumpunt colloquia eorum et confabulatio. Quod enim frequenter videtur et auditur, ad hoc facile animus informatur, quia sicut dicitur vulgo juxta quem sedet aliquis ab eo et discit. A malorum itaque consortio sequestrari, et ad bonos dilectione transire eosque imitari, hoc est ascendere, quia spiritualiter est sublimari. Quantum enim quis bonos diligit, tantum bonus fit, tantumque in Deum ascendit, mali quotidie descendunt, quia de peccato in peccatum corruunt, et cum in sordibus sint, sordescunt adhuc. Item demergit eos tempestas aquæ, id est peccatum, et absorbet profundum, id est involvit iniquitas eorum, et urget super eos puteus os suum, id est profunditas iniquitatis, quando non solum merguntur in peccatis, sed etiam perdunt aditum confessionis; boni vero ascendunt, quia de virtute in virtutem eunt, et in charitate quotidie proficiunt, quia augmentatur in eis charitas per bona interiora, per voluntatem et opera; dum ergo inter desertos a gratia, et deficientes atque descendentes sponsa proficit, per desertum ascendit. Dicitur etiam desertum hic mundus, vel quia deseritur et contemnitur, vel quia seipsum deserit, et in se deficit. Quotidie enim cum tempore gaudia temporis transeunt, et quot dies, tot gaudia dierum prætereunt et deficiunt. Quot dies aliquis accepit ad vivendum, tot ei amputantur a vivendo et gaudendo, hoc est ergo hominem vivere et gaudere, a vita et gaudio deficere. Et qui gaudio transitorio fruitur, non tam gaudere dicendus est quam gaudium discere; quia gaudium ejus simul transit et deperit cum tempore. Est itaque desertum mundus, quia gaudia sua deserit et amittit. Unde gaudia ista anima perfecte contemnit, et ad supernum et verum gaudium tendit, per desertum ascendit. Desertum hoc non solum suas delectationes deserit, sed etiam sterile est et arescit, nec fructum habet; fructum enim Christo non potest facere, quia spiritum qui ex Deo est non potest accipere, quia non novit eum, nec scit eum. Sed anima devota, dum pro vero gaudio laborat, in deserto sterili et arido fructificat, et inter arentia et labentia fructum affert qui maneat. Igitur in hoc deserto et in hac terra deserta invia et inaquosa fructum facere manentemque afferre, hoc est per desertum ascendere. Ascendit autem sponsa sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii.

Per myrrham intelligere possumus mortificationem et contemptum terrenæ dilectionis sive consolationis, et per thus desiderium supernorum et orationem. Tenetur quilibet ad hoc, ut mortificet membra sua quæ super terram, fornicationem et immunditiam, concupiscentiam malam et avaritiam, et cætera mortalia, et item ut servet mandata: hæc enim pertinent ad vitam æternam, et hæc justitia, quam qui fecerit homo vivet in ea. Sed anima quæ ad sublimiorem gradum vult conscendere, etiam multitudinem venialium et minores concupiscentias debet cavere, ut perficere et ampliorem gratiam mereatur accipere. Debet enim vitare cogitationes carnales et vanas, et item cogitationes suspicionis, iræ et amaritudinis, et hujusmodi. Consolationes etiam terrenas, in cibo videlicet et potu, in colloquio, in videndo et audiendo, in curiositate, in vestibus, in somno, in qualibet libertate; quia, quantum delectationes istas mortificat et respuit et carnaliter consolari renuit, tantum spiritualiter merebitur consolari et in gratia vivificari. Quantum ab istis vacuum cor reperit gratia, tantum replebit. Quantum caduca ista aliquis contemnit et supergreditur, tantum ascendit, quia tantum de infimis ad superna pergit: post mortificationem itaque majo-

Digitized by Google

rum peccatorum, etiam minora mortificare et calcare oportet proficientem animam, et ad spiritualem vitam conscendere volentem. Sic beatus Job, postquam lumbos præcinxerat carnis, etiam lumbos mentis, id est cogitationes malas, præcingere jussus est a Domino (*Job* xxxviii), quando cum illo colloquium erat habiturus, et jussionem suam illi erat manifestaturus. Cum beato itaque Job hos lumbos præcingere oportet devotam mentem : hæc enim myrrha, id est mortificatio, proficientis sive perfectæ animæ est. Cum hac etiam debet thus cremare, quia non solum debet terrenas delectationes mortificare, sed etiam superna desiderare, et devotis precibus quærere. Simul ascendit utique fumus mortificationis, scilicet et desiderii atque orationis; quia alter ab altero fulcitur, ita ut neuter per se possit ascendere vel Deo placere. Superna enim desiderare non possumus, nisi terrena despiciamus, et terrena non despicimus nisi supernorum desiderio trahamur. Absque delectatione enim cor esse non potest, sed aliqua ideo trahi necesse est, quia trahit sua quemque voluptas : unde, cum alia illi subtrahitur, ad aliam facilius inclinatur, et quia vacuum est, ad aliquid capiendum amplius est dispositum. Tanto ergo magis spiritualem delectationem admittit, quanto et consolationis terrenæ expers est, et in aliquo delectari non cupit.

Item, quantum æterna cognoscimus, tantum transitoria despicimus et damnamus : hæc est enim illa pretiosa margarita, quam qui invenit, quæ prius amaverat libenter cuncta derelinquit. Myrrham ergo cremat anima, cum terrenas delectationes contemnit; thus vero, cum superna desiderat et quærit. Cum myrrha vero et thure universi pulveris pigmentarii fumus perhibetur ascendere, non dicit universi pigmenti, sed universi pulveris pigmentarii. Pigmen enim est quælibet virtus seu quodlibet opus virtutis quæ in pulverem comminuitur cum subtiliter discutitur et discernitur, ne quid in ea mali lateat, vel indiscrete fiat. Pigmentarius est homo qui pulverem hunc terit, id est singula opera sua discutit, providendum est enim ut bona sine admistione malorum fiant, quia mala majora bona necant, minora hominem maculant. Manifesta ergo mala cavenda sunt. Sed quia omnia nosse non possumus, generalis et occulta contritio pro his est habenda. Interdum enim peccatum aliquod est in homine quod eum latet, vel quod ignorat esse mortale. Contritio itaque sit primum pigmentum quod faciamus et Deo offeramus, quia generalis contritio delet omnia mortalia, occulta atque manifesta, et charitatem restituit, si fuerit amissa. Extra charitatem quidquid egerimus minime placebit, nec quantumcunque teramus vel comminuamus, ante Deum redolebit. Ut ergo omnia opera nostra in charitate fiant et gratum Deo pulverem teramus, in primis conteramus. Deinde singula discutienda sunt opera, eleemosynæ, vigiliæ, orationes et alii corporis labores, si pure fiant propter Deum, si aliud sit in causa principaliter vel secundarie, si fiant discrete et cum debito moderamine, si finis sit profectus et perseverantia, si possibilitas perficiendi, si tempus quando id fieri expediat, si modus, quo et quantum et quam frequenter, etc. Item, quando aliquid sit intermittendum, et quando vehementius insistendum. Item, si cum scandalo aliorum fiat vel damno; si ad hoc impellat levitas, inconstantia, curiositas; si laus appetatur vel latenter subripiat; si humana delectatio, si terrenum commodum est discutiendum; denique si virtutes sunt puræ, si perfectæ, si Deus super omnia diligatur, si aliquid amori ejus æquatur vel præponatur, si dilectio proximi habeatur, si sincere propter Deum exhibeatur, si diligatur in Deo amicus, si dilectio hæc spiritualiter et non carnaliter impendatur, si non accipiatur persona, si consideretur causa.

Movetur enim interdum aliquis dilectione, sed carnali, vel privata ducitur, ut non pure in Deo exhibeatur vel aliquis diligat magis quod minus est diligendum, vel econtrario. Item videndum si humilitas sit vera et non ficta vel imperfecta, si sic sibi homo intus vilescat, ut foris irrogatam injurjam vel contemptum non superbe vel impatienter ferat, si sic foris se deprimit et humiliat, ut intus de hoc non superbiat, sed humile apud se de se judicium teneat, et qualem se foris ostendit, talem se intus veraciter sentiat. Item si humilis ibi sit ubi humilitas honoratur, et ibi humilitatem refugiat ubi contemptui habetur. Item si humilitatem exercet, cum libere deberet injustitiæ se opponere, et patientiam tenet, cum potius impatiens malorum deberet succendi igne divini zeli, et deficere; ferre non valens contemni justitiam, et prævalere perversitatem. Non enim sustinere debemus si quis devorat, si quis extollitur, si quis in faciem nos cædit. Si extollitur et insolescit contra justitiam, vel qui in faciem nos cædit convicio, ita quod causa simus in nostra culpa vel vitio. Si peccantes et colaphizati sufferimus, mercedem non habemus. Si vero non peccantes, hæc est grata Deo patientia. Item considerandum, si sic patientiam foris quis exhibeat, ut intus non doleat, nec malum rependere cogitet; et item si in ipsa hora acceptæ injuriæ verba impatientiæ, vel convicii respondeat, vel post horam cor invidiæ vel rancoris servet. Item dijudicare debet homo si obedientiam servat propter aliquod commodum suum, vel lucrum, vel pure propter Deum, et propter præceptum, si in adversis obediat, si prompte, si devote. Item attendere debet si corripiat modeste, si corrigat temperate, et si in servanda disciplina servet mansuetudinem, devitet vehementiam, iram, amaritudinem, indiscretionem. Et si forte pronior sit ad rigorem quam ad compassionem, et si remissionem exhibeat, ubi sit rigor exercendus : in his sæpe fallitur animus, et quod carnaliter et vitiose agit, virtutis opus esse credit. Zelus etiam falsus est si nostram potius quam divinam injuriam vindicemus, et si erga eos qui nobis ingrati sunt vel minus chari

Digitized by Google

amplius accendamur. Item eleemosynæ largitio minus accepta est, si tarde vel avare aliquis tribuat; maculata vero, si cum superbia vel cum convicio fiat. Item fallitur aliquis si sub occasione sustentandi corporis delectationi serviat, vel sustentationem necessariam sibi subtrahat. Item fraudatur continentia, si corpore et mente castus sit aliquis, tamen sub specie utilitatis vel consulendi suggeritur ei ut familiaritatem aliquarum mulierum habeat, ad quod enim pia intentione ducitur, prompta est etiam et facile acquiescit natura, in quo negotio occulte se jungit vitium, quo et usu ad hoc perducit ut homo seipsum non intelligat, et magis hoc agat quod delectat quam quod expediat. Sic contingit ut aliquando carnali magis appetitu quam spirituali ad hoc aliquis feratur, a cujus tentationis periculo tantum quilibet liber erit quantum ad abstrahere ab hac familiaritate libera mente et non tristata potuerit. Vigiliæ et orationes sunt tibi inutiles, si sic ista exerceas, ut eo tempore dormias et torpeas quo debes orare et vigilare, si singularitatem quamdam in his teneas per quam communia, et ad quæ magis teneris omittas, monere proximum, consolari dolentem, et cætera charitatis opera quæ Deo placent. Et tamen contingit ut non semper pure in Deo fiant: nam interdum ad ista promptus est aliquis, quia acedia laboratur, et tædio afficitur, et delectabile illi est cum exterius implicatur, vel personis placet quibus loquitur, vel in his sibi placeat, et in tali gratia gloriatur. Quia quietam etiam vitam ducentibus aliquando subripit torpor vel error, ut vel per torporem inutiles fiant, vel per nimiam discussionem spiritualium in errorem corruant.

Et item in hac vita delinquitur, si propter quietem exterior proximi cura penitus relinquatur. Omnia enim hæc virtutum opera subtiliter discutere, et si veraciter bona sint retractare, est universa pigmenta in pulverem conterere. Quem pulverem cum myrrhæ et thuri, mortificationi scilicet et devotioni homo pigmentarius miscet, pretiosum aroma componit, quod cum igne charitatis in thuribulo cordis crematum fuerit, suavis odoris fumum de se sursum dabit; debet autem fumus iste ascendere sicut virgula quæ recta est, et in altum crescit; ita directe et non distorte debet gratia sursum tendere, ut nihil a latere quærat, nil carnale, vel terrenum. Quanto terrenum aliquid appetit, vel in aliquo delectatur, tanto fumus iste minus ascendit, quia distorte et a latere ducitur, unde merito virgulæ comparatur, ut velocitas ascendendi designetur: virgulæ enim quæ crescendo grossantur, non nimis in altum ducuntur; sed virgulæ quæ velocius et sursum crescunt, subtiliores et minores sunt. Debet itaque fumus iste mortificationis, devotionis et discretionis, in modum virgulæ velociter ascendere, ut non segnes simus in agendis bonis, et studio proficiendi, sed alacres, ut ne per tarditatem et desidiam grossescamus, sed subtiles atque sublimes crescamus. Et per fervorem mentis festine sursum tendamus; festine quippe ascendendum est et viriliter insistendum, quia si remisse quis sursum ascendere conetur, pondere corporis et humanæ imbecillitatis deprimitur. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et nisi proficiat, necesse est ut deficiat, quia deorsum trahit natura, et semper petit ima. Videmus namque in hominibus ponderosis quod si arborem ascendere velint, et sursum repere, si quando remissius in ascendendo agunt, statim gravantur et deficiunt, sed velocitas ascendendi et instantia ponderositatem superat, et perducit; in hunc modum alacriter et sollicite ad perfectum tendentes, et mandata implentes perfectionis culmen attingunt, remissi vero deficiunt, et quotidie proniores ad lapsum fiunt. Virgulæ ergo comparatur sponsa propter intentionis puritatem, et proficiendi velocitatem, propter omnia vero præmissa merito de illa dicitur: Quæ est ista, quam admiranda scilicet, quanta laude digna, etc.

CAPUT X.

De requie superna et quomodo perfecti hanc desiderant.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel (*Cant.* III). Salomon *pacificus* interpretatur. Et significat Christum qui pacificavit quæ in cœlis et in terris sunt, qui Patri peccatores reconciliavit, et inter angelos et homines concordiam reformavit, peccatores conversos justis sociavit. Quos vero hic in concordia sociat, in regno etiam perpetua charitate et pace sibi conjungit, et ad quietem perpetuam perducit. Quæ quies lectulus dicitur, quia in illa ab omni inquietudine et labore hujus vitæ pausatur; in illa quiete pausant, qui hic pro Deo laboraverunt: *Ibi enim*, ut in Job legitur, *requiescunt fessi robore, et quondam vincti absque omni molestia* (*Job* III). Illic æterna quies reficit et remunerat quos hic labor præceptorum et virtutum profectus fatigabat, et qui hic vinculis humanæ infirmitatis ligabantur, ibi, diruptis vinculis, Deo sacrificant hostiam laudis. Vincula hæc sunt fames, sitis, somnus, lassitudo, et cætera hujusmodi; quæ omnia ibi cessabunt, quia non esurient, neque sitient amplius, nec labor erit ibi, neque dolor, nec cadet super illos sol iste materialis qui eos urat, sed neque æstus tentationis: jam enim tunc dicit eis spiritus, ut requiescant a laboribus suis et tentationibus. Spiritus, qui eos ad obediendum præceptis roboravit, tunc ut quiescant a labore dicit. Qui enim ingressi sunt in requiem illam, requieverunt ab operibus et a laboribus suis, sicut et a suis Deus, quibus pro homine laboravit, et eum redemit. Ab his laboribus requievit in se, pro his laboribus requiescunt in illo membra ejus, nullus unquam sicut ille laboravit, quia non fuit dolor sicut dolor ejus. Et secundum multitudinem dolorum ejus consolationes æternæ lætificaverunt membra ejus, quia magni dolores ipsius magna gaudia membris ejus contulerunt, magnus labor perpetuam requiem, et amara mors, sempiternæ vitæ dulcedinem. Pro his

Digitized by Google

enim incomparabiliter eum amant, et in ejus amore gaudent : habent enim quem amant, cognoscunt et vident, quod totum vita æterna est. Idem est enim cum illo requiescere, et cum illo gaudere, et illum habere : item amare nosse est, quia amor notitia est, et nosse videre est. Et hæc est vita æterna cognoscere Patrem verum Deum, et quem misit Jesum Christum : hæc est illa beatitudo, et hæ dotes animæ. Cognitio Dei amor et fruitio. Quis cogitare sufficiat illum mutuum amorem Salvatoris et salvatorum, et quomodo diligat quos tam pretioso pretio redemit, quomodo illorum saluti congaudeat, quomodo ipsi eum diligant, et in ejus amore quiescant, et in eo gaudeant per quem se redemptos et ad requiem translatos sciunt et semper vident? Cumque æterna charitate pro redemptione sua eum diligant, incomparabiliter ab eo amplius diliguntur. Adeo suos in passione dilexit, et tantus fuit in eo fervor charitatis ad redimendum eos, ut acerbitatem passionis ejus omnino tollere potuerit, sed noluit, et imo acerbiorem martyrii dolorem assumpsit, et pati voluerit plus quam nullus hominum unquam passus sit, vel pati potuerit, ut incomparabilem demonstraret charitatem. Quæ charitas circa eorum salutem tanta fuit, quod cum eos pretio suæ mortis redemisset, non tam redemptos a se quam a Patre sibi datos commemorat, quodam loco ita dicens : *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et ibi sint mecum* (*Joan.* XVII). In tantum de ipsorum redemptione exsultat, ut non reputaret magnum id quod pro eis pertulit, sed videatur eos quos accepit datos sibi potius in munere quam emptos pretio vel recompensatione. Qui ergo tantum eos dilexit in exsilio, incomparabiliter quoque diliget in regno, majorem quoque charitatem circa hos habuit quam circa corpus proprium, moriendo pro illis; majorem quoque ibi circa eos habebit quam ipsi ad eum habere possint, magisque gaudebit de eorum salute quam ipsi in hac possint gaudere : de eorum itaque salute gaudebit, et gaudium eorum ipse erit, ipsum sapient, ipsum in memoria habebunt, ipsum in desiderio ; in his tribus consistit anima, et hæc tria perfecte implebit Dei Filius et Dei est sapientia. Istæ enim sunt plateæ Hierusalem, id est viæ latæ civium Hierusalem, qui vident Dei pacem ; hæ plateæ sunt ratio, memoria, voluntas ; quæ latæ sunt, quia multa in his plateis influunt, intrant et exeunt. Quanta enim comprehendit ratio, quanta memoria, quanta voluntas? Sed plateæ istæ sternentur, id est complanabuntur, id est perfecte complebuntur auro mundo, id est divina sapientia et Dei fruitione. Singula enim Deus occupabit, lætificabit, beatificabit et perfecte satiabit. Quidquid enim sapere poterit ratio, quidquid recolere memoria, quidquid desiderare voluntas, Deus erit, et singula hæc implebit, quia omnia in omnibus erit, et cantabitur ei canticum lætitiæ de felicitate beatitudinis æternæ ; ibi dum justi sine fine damnatorum cruciatus conspiciunt, in Dei laudibus crescunt, et quia et in se cernunt bonum quo remunerati sunt, et in illis supplicium quod evaserunt, erit gratiarum actio et vox laudis. Gratias agent liberatori suo Deo, et cum perpetua charitate diligent, in quo etiam signa suæ liberationis, cicatrices videlicet vulnerum indesinenter aspicient. Quantoque reminiscentur periculorum et miseriæ quam evaserunt, tanto exsultantes dicent : Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. At laudantes Deum subjungent : Benedictus Dominus qui non dedit nos in captionem dentibus eorum, scilicet dæmonum, de laqueo quorum venantium animæ eorum ereptæ sunt, et contritus est laqueus, quia cessavit tentatio ; et ipsi sunt liberati, sed inimici vinculis æternæ damnationis sunt astricti. Quos etiam semper videbunt in inferno, ut eorum conspectis tormentis semper gaudeant, et liberatorem suum diligant, et gratias illi agant: unde ad Job Dominus loquitur, quod diabolum electi accipiunt in præmium sempiternum (*Job* XL), et quia hic se cum eis dum eos tentando affligit, et illic dum visa ejus pœna gaudebunt quam evaserunt, pro his omnibus erit gratiarum actio, eritque vox laudis, quia quem diligent perpetuo laudabunt : laudabit enim Hierusalem, id est *visio pacis*, id est omnes videntes illam pacem laudabunt Dominum, qui est eorum pax et exsultatio et æterna beatitudo, et in pace sua et concordia, et in charitate ita suos unit in regno et conjungit, ut et quidquid felicitatis et gaudii unus habuerit, hoc etiam per charitatem alterius fit, dum iste illi quod ipse habet optat et ille istius bonum ita in ipso sicut in se suum amat. Quot ergo electi regnabunt cum Christo, tot erunt ibi præmia, et de tot uniuscujusque qui salvabitur erunt gaudia. Si quis computare possit numerum civium supernorum, etiam computare poterit gaudia singulorum, quia tot sunt electorum gaudia.

Videndum est nunc quam infusa et quam diuturna sunt. Conferamus gaudium hujus vitæ ad gaudium patriæ. Si duplicemus, si triplicemus, quantumcunque numerus per numerum multiplicari potest, non pertingemus ad æqualitatem gaudii beatorum, et quia hic igniculus, ibi caminus, sicut dicit auctoritas : Vivit Dominus cujus ignis in Sion et caminus in Hierusalem. Sed nec ad terminum, quia infinitum est, sicut immensitate ita æternitate quantum ad comprehensionem vitæ præsentis, *ita* ut nulla comparatione, nulla computatione ad magnitudinem hujus gaudii sive diuturnitatem possumus attingere. Dictum est quam multipliciter sit hoc gaudium, quam magnum, quam diuturnum ; videndum nunc quid sit, vel in quo sit. Unde sciendum, quod ipsum in Deo est et Deus est : neque enim verum atque perfectum dici posset si non Deus esset, vel extra Deum esset. Et quia nihil verum, nihil perfectum extra Deum, nec creaturæ ad similitudinem Dei factæ aliquid præter Deum sufficere, vel perfecte hanc posset implere, hoc est illud plenum gaudium quod in Evangelio Dominus petere et quærere mo-

Digitized by Google

net (*Joan.* XVI), et quod accepturos esse petentes perhibet. Et hoc est illud quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quod Deus suis præparavit; parvus et magnus ibi sunt, et servus et liber a domino suo. Qui hic pro Deo servierunt, de labore ad requiem, de servitute ad libertatem transierunt, jam liberi a timore alicujus pœnæ vel separationis, et possident timorem reverentiæ et amoris. Fruuntur enim libertate filiorum Dei, qua libertate eos Filius Dei liberavit ut vere liberi sint. Servivit Christus ut servi libertati donarentur, formam servi suscepit ut reformarentur qui erant per peccatum deformati, et similitudine Dei privati. Carnem de nobis accepit, spiritum suum nobis dedit, sicque dum nostræ infirmitatis servitutem assumpsit, et sui Spiritus libertatem contulit, libertati nos restituit : ubi enim Spiritus Domini, ibi libertas ; in hoc Spiritu Patrem ipsius, Patrem quoque nostrum vocamus et accipimus ; in anima ergo reformavit ad sui similitudinem, in corpore reformabit ad corporis sui claritatem. Hæc est electorum libertas, hoc gaudium ; de hac libertate gloriantur, de hac gloria gaudent, quod scilicet fruuntur gloria filiorum Dei, quod filii Dei sunt, et ideo hæredes, et quod patrem habent Deum, et fratrem Christum, quod hæredes sunt Dei, et cohæredes Christi, et quod hæreditatem cœlestis Patris cum Christo fratre possident, in qua ipsum primogenitum consortem et consocium habent. Est etiam primogenitus in multis fratribus, hos fratres et cohæredes habet Christus in libertate sua et gloria, hos socios secum habet in mensa. Edent enim et bibent in mensa ejus in regno suo ; hujus mensæ requies, ut in Job legitur, plena est pinguedine (*Job* LVI). Requies hujus mensæ est refectio illius gloriæ quæ plena est pinguedine, quia perfecte satiat sicut dicit Propheta : *Satiabor cum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI). Illa gloria satiabimur et pariter illam desiderabimus, nec desiderium habebit defectum, nec satietas fastidium, quia desiderium comitabitur satietas, et satietatem desiderium : illius enim immensitas præstabit satietatem, et dulcedinis gustus desiderium. Semper ergo satiabitur, et semper delectabit : hæc est illa refectio, hæc est illius mensæ requies plena pinguedine. Satiabimur enim ex adipe frumenti quod in terram cecidit, id est divinitate Salvatoris nostri qui defectum nostræ mortalitatis suscepit, ut nos sua divinitate refficeret : de torrente, id est transitoria et turbulenta passione bibit in hujus mundi via, ut nos torrente voluptatis suæ potaret in patria. Qui calicem passionis bibit, et nobis fontem aquæ vitæ æternæ præparavit : hæ sunt deliciæ, illa refectio, illa abundantia Hierusalem, illa requies et pinguedo illius mensæ. Ille torrens voluptatis quo inebriantur electi, ut obliviscantur, et expertes sint omnis miseriæ, et gaudeant sine fine : hæc est beatitudo, requies et lectulus pacifici nostri, ubi pascit suos his deliciis, et ubi cubat in meridie. Hic lectulum habet sponsa cum sponso in nocte, id est in hujus vitæ cæcitate ; ibi autem in meridie, id est plena charitate et cognitione. Hic cognoscit tantum ex parte, ibi cognoscet sicuti est et perfecte, ibi dormit et requiescit in pace sine omni perturbatione, et in idipsum, id est in illius pace, quiescit qui est pax et gaudium quod est idipsum. Et quia semper idem est, et eodem modo est nec mutatur aliquando, nec finitur, quia nec habet transmutationem, nec vicissitudinis obumbrationem, illam plenitudinem et delicias cogitando circumscribunt, et considerando ambiunt devoti et fortes qui in adimplendis præceptis viriliter desudant. Hi per sexagenarium numerum designantur, qui ex decem et sex perficitur ; per decem namque Decalogus, id est præcepta significantur ; per sex labor qui in adimplendis eisdem præceptis impenditur. Hi ergo fortes Salomonis lectulum desiderio ambiunt, non conscendunt, vel in eo dormiunt : tantummodo enim de illa cogitare et investigare aliquid possunt, non autem perfecte, et sicuti est comprehendere. Quantumcunque de hac cogitando circumscribant, vel de æqualitate ejus et felicitate conjectant, circa ire est, non ad perfectam cognitionem intrare. Unde quia minimum est quod de illa quiete cognoscere possunt, per diminutivum exprimitur, nec tam lectus quam lectulus nominatur. Non valent hunc lectum perinde ambire qui adhuc gemunt pro peccatis præteritis, et lacrymis pœnitentiæ lavare opus habent lectum tristitiæ, et ægræ conscientiæ : hi enim non quietum, sed turbatum habent lectum, dum turbat eos intus conscientia, et peccatorum tristis memoria, nec tam ambire et desiderare possunt superna præmia, quam timere adhuc tormenta. Cum autem per veram pœnitentiam mundati fuerint a peccatorum sordibus, et post diuturnam pugnam liberati a vitiorum passionibus, et roborati per gratiam atque de timore et spe ad perfectam charitatem transierint, tunc illuminatis oculis ascendere atque superna contemplari possunt. Fortes proinde, imo qui fuerint ex fortissimis Israel, id est magis devoti et spirituales, habent lectum Salomonis ambire, et possunt quidquid in Scriptura intelligunt opere perficere. Qui vero segniter præcepta implent, et molliter et dissolute vivunt, non valent ad hujus quietis considerationem conscendere, in quibus adhuc fortia sunt carnalia et mundana desideria, videlicet gulæ appetitus, iræ furor, avaritiæ æstus, luxuriæ ardor, impatientiæ vel invidiæ livor. Hi enim tanto infirmiores sunt in Deo, quanto ista in se minus perfecte defecerunt. Cum vero hæc in eis debilitata fuerint diuturno studio et labore, et per spiritualia desideria roborata, et tunc quanto hæc sub se presserint, tanto superius fortes sunt et potentes, et hunc lectulum ambire possunt. Fortissimi ergo ex Israel, id est ex his qui Deum mente contemplantur et quærunt, et quorum ferventiora fuerint desideria spiritualia, hunc lectulum ambiunt. Vehementibus enim desideriis accensi, undique circumeunt et aditum quæ-

Digitized by Google

runt, ut et quietem hanc degustent, et ad illam aliquatenus intrent; hic ergo est eorum ambitus, et circa lectum hunc desiderii cursus.

CAPUT XI.

De cautela pugnandi contra inimicum, et de remedio contra cordis cæcitatem.

Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi (*Cant.* III). Fortes lectum Salomonis ambientes, nunc superna considerant, et illis intendunt, nunc inferius contra humani generis adversarium bellum gerunt. Contra quem ut dimicare possint, in primis sumentes juxta Apostolum armaturam Dei, virtutes scilicet, quibus cum armantur et omnes habeant, cavent ne in aliqua negligant. Sciunt enim quod si in una offenderint, facti sunt omnium rei, et nec aliquam habebunt, sicque inimico non armati sed nudi apparebunt. Qui enim aliqua virtute caret, huic contrarium vitium habet, sicque extra charitatem est, quia virtus et vitium simul esse non possunt. Et qui extra charitatem fuerit, vires contra adversarium habere non poterit. Deinde justitia se muniunt, et armant quasi lorica, qua circumtecti impenetrabiles contra jacula hostium manent. Qui enim exhibet Deo quod debet et proximo, undique munitus est, nec in eo invenit hostis quod feriat. Habent etiam fidem rerum quæ non videntur quasi scutum, quæ prima opponitur hostibus, quamquam primo impugnant, et hanc tanto feriunt et impetunt hostes quanto spiritualius eos expugnant, dum enim viri perfecti futura et æterna credunt et diligunt, terrena et transitoria judicant et contemnunt. Unde cum de his tentatur quæ non diligunt, facile tentantem adversarium vincunt, frustra enim jacitur rete ante oculos pennatorum. Pennati quippe sunt, et duabus pennis sublevantur, et ut in cœlis sit eorum conversatio, et illa appetant et terrenis superemineant, meditatione scilicet et contemplatione. Assumunt etiam spem salutis quasi galeam; hac quippe gaudent intantum ut etiam labores non solum libenter portent, sed delectentur in his, et beatos se per hos reputent, sicut scriptum est: *Labores manuum tuarum quia manducabis* (*Psal.* CXXVII), beatus es. Vere enim beatus est, qui et futura credit et diligit, et opera impendit pro quibus illa exspectet et speret, et in laboribus delectatur et gaudet, quæ pro illis exhibet, his armis muniti Christi milites, secure et viriliter pugnare possunt. Dum enim illuminati per gratiam futura credunt, et opera exhibent pro quibus illa sperent, habent fidem et spem, habent etiam virtutes et justitiam. Sic armati sumunt verbum Dei quasi gladium quo et se tueantur, et hostes feriant: vivum est enim verbum Dei et efficax, et quasi gladius penetrans et cogitationes maligni discernens. Fortes ergo Salomonis nostri omnes tenent gladios, quia sacram Scripturam amplectuntur et memoria retinent, et huic mente inhærent, in qua diversa documenta habent quibus callidi hostis insidias cognoscant atque superent. Lectio enim Scripturæ atque meditatio, psalmodiæ devota decantatio mentem roborant, hostem infirmum reddunt, et vires ejus evacuant. Dum itaque hanc memoria tenent et opere implent, et per hanc ad confligendum cum hoste doctissimi fiunt, quia per intelligentiam Scripturæ eruditiuntur, et per operationem illuminantur sicut Psalmista dicit: *In intellectibus manuum suarum*, id est per operationem, *reduxit eos* (*Psal.* LXXVII). Horum prima cautela est, ut cum hoste dimicaturi humilitatem hanc assumant, et se viribus suis confligere posse non confidant, sed infirmos se reputantes, totos divinæ protectioni committant. Qui tantummodo hoc conflictu fortes fiunt, quantum ad decertandum cum hoste non in se sed in Deo confidunt. Cum inimico enim humani generis nullus ex æquo decertare posset comparatis invicem viribus, quorum tanta est fortitudo, ut nulla virtus humana ei comparari possit, propter tot nocendi artes quas habet, quas nemo cognoscere sufficit.

Divina ergo virtute cum his congrediendum est, quam proprie meretur infirmitatis cognitio et humilitas, quæ sola, ut in vitis Patrum legitur, hos laqueos evadere potest. Sic Jonathas hostium multitudine vallatus, dum se resistere non posse cognoscit, ad divinum auxilium confugit et victor exstitit (*I Reg.* XIV). Sic Josaphat in simili periculo positus, cum se infirmum coram se profiteretur, totum se ad invocandum Deum convertit, et contra hostes convaluit (*II Par.* XVII). Quorum uterque humilitate et oratione magis triumphavit quam virtute; humilitate vero et oratione Dominica passio memoranda est atque fide sonanda. In illa milites Christi contra hostes vires accipiunt; nam ibi fortitudo Dei infirmata est, ut nos roboraremur. Ibi inimicus fortis exstitit, ut infirmaretur; ibi prævaluit, ut dejiceretur. Tantum ergo in hac pugna membra Christi fortia sunt, quantum in hac fidem suam collocare potuerint. In hac fidei firmitate, in hoc lapide adjutorii stetit Moyses, quando pugnante populo suo cum Amalecitis, Dominum oravit (*Exod.* XVII). Cujus cum manus prius essent graves, tanta deinde in eis fortitudo exstitit, ut non laxarentur donec inimici superarentur. Manus vero in orando sustentabat Aaron, qui interpretatur *mons fortitudinis*, et Hur qui dicitur *ignis*: viriliter enim insistendum est orationi et cum fervore: qui fervor intelligitur per hunc ignem. His duobus sublevata oratio, constantia videlicet et devotione, de hostibus triumphabit, et quod postulat impetrabit. Interdum ita cum Moyse pugnant hi milites nostri pacifici, et congrediente turba bonarum cogitationum cum turba malarum vel vanarum, interdum subtracta consolatione, et quasi derelicti cum Jonatha orando recipiunt et recuperant auxilium, et hostes vincunt. Ille vero derelictus a comitibus, scissis vestibus, terram super caput posuit, et oravit; comites recepit, hostes interfecit. Ita milites Christi in tentationis anxietate recedentibus, et turbatis bonis cogitationibus, vestes scindunt et capiti ter-

Digitized by Google

ram superponunt, dum virtutes in se scissas et imperfectas reputant. Et quia terra et cinis sunt, mente retractant, et orando, et se humiliando cogitationes spirituales et prius habitas recuperant, et hostes expugnant. De Juda quoque Machabæo legimus quod aliquando congressus cum hostibus tantæ constantiæ et confidentiæ fuerit, ut prius ad eos transiret quam eos ad se transire permitteret (*I Machab.* III). Quod sicut in illo, ita in servis Christi victoriæ signum est : hoc enim pro signo habuerunt illius hostes, quod si Judas torrentem inter eos medium prior transiret, victor existeret, nec ei resistere possent : quod factum est, et victor extitit. Sic milites Christi futuros victores præsignat, si ad obstacula intrepidi persecutores, vel adversa ferre parati sunt et hæc constanter pertranseant. Hic Judas, instante bello, fuit strenuus; pacis vero tempore providus, in bello viriliter agebat : quo cessante, vel potius intermisso, non otio torpebat, sed de rebus gerendis disponebat; loca polluta (accepta opportunitate) ipse mundabat, et sancta renovabat, destructa reædificabat. Ita milites Christi docti sunt nunc cum hostibus fortiter dimicare, et nunc mentis suæ (quæ domus Dei est) polluta mundare, et virtutes ædificare, sancta studia et pia opera renovare. Hos gladios (videlicet hæc Scripturæ documenta et exempla) tenent, et per hæc ad bella spiritualia doctissimi fiunt : *Uninscujusque etiam ensis super femur suum, propter timores nocturnos* (*Cant.* III). In femore notatur propagatio carnalis, dum per femur intelligi possunt motus carnales atque cordis voluntates. Ex utroque enim magna propagatio ducitur; quia sicut ex carne generantur cogitationes variæ, ita ex corde procedunt voluntates multæ.

Quantum quisque has delectationes vel voluntates sequitur, tantum in mente cæcatur, quia quæ carni sunt dulcia, spiritui sunt noxia, et quæ carnaliter delectant animam amaricant. Terrena deleçtatio est illa uva acerba, quam qui comedit obstupescunt dentes ejus (id est intelligentia spiritualis obtunditur) et juxta Jeremiam ad numerum franguntur hujus dentes; quia juxta numerum delectationum carnalium frangitur et dissipatur notitia spiritualium. Et quantum in his homo delectatur, tantum intus cæcatur, et cæcitatis nox in mente generatur. Quæ nox tanto magis timenda est, quanto etiam nescientes in multis peccamus, et delectamur; natura enim humana prona est ad malum, et in multis delinquit, quæ nescit; quia, sicut in Job legitur, luteas habitamus domos, et terrenum habemus fundamentum, et consumimur velut a tinea, quæ occulte et sine sono vestem consumit (*Job* IV) : hinc est quod peccatorum sordibus sæpius intingimur et abominamur, id est, abominabiles nos faciunt hujusmodi vestimenta nostra, id est corpora. Item sæpe peccamus, et delectamur quod minus cognoscimus et nescientes peccamus, et quas delectationes et peccata Dominus novit, quamvis nos hæc ignoremus; et ideo nos excæcari permittit. Item novit opera singulorum, et ideo inducit noctem, ut in Job legitur, id est permittit evenire cæcitatem (*Job* XXXIV). Ex peccato enim cæcamur et cæcati amplius peccamus, quia non videmus in quantis delinquimus : unde timendæ sunt istæ noctes, et contra hos nocturnos timores est gladius verbi Dei habendus super femur delectationum et voluptatum, non seponendus vel longe ponendus, quatenus per hunc cognoscantur peccata et abscindantur : verbum enim Dei illuminat, et intellectum horum dat. Quæ si minus caveant, et minus cognoscentur. Cæcata paulatim mente, etiam usu roborantur contra hominem, ut ea vitare facile non possit. Est et alius gradus ad cognoscendum et reprimendum has delectationes efficax et necessarius, gladius scilicet amoris Dei, et ut charitate vulneretur anima illius, qui per ipsa vulneratus est, et ei condoleat, qui pro ipsa dolores sustinuit : ipse enim vulneratus est propter delicta nostra, et dolores nostros ipse portavit. Pro his, o homo, te vulneret gladius amoris, et pertranseat animam tuam gladius doloris. Iste gladius bis acutus est, amore vulnerat, et sic intelligentiam aperit mentemque illuminat. Amor enim notitiam generat et peccata abscindit, ut eum offendere caveas quem amas. Desuper femur itaque delectationum, sive voluptatum carnalium habent milites Christi amoris gladium propter timores nocturnos, id est propter occultos peccandi lapsus; quia si non amant propter cæcitatem et ignorantiam, in multis delinquunt. Et item dum amore fervent, teporis periculum declinant; quia, sicut amor illuminat, ita tepor excæcat. In remissa enim mente crescunt terrenæ delectationes, et silvescunt propriæ voluntates; quia, juxta Salomonem, agrum hominis pigri replent vepres et spinæ (*Prov.* XXIV), quæ quantum fructificavit, tantum nemus opacum horum fructetorum generant mentemque obtenebrant, ut minus homo remissus intelligat in quantis delinquat, minus se attendat, minus se apprehendat. Timenda est hæc nox in qua homo quotidie fit deterior, et tamen de se securior. Qui vero divini amoris gladium habuerint timorem hunc excutient, et non veniet super eos timor iste spinarum et veprium, ad quem habendum maxime valet memoria beneficiorum Dei, ut recolas et recogites quod te fecerit et refecerit, quod tibi bene fecerit. Cogita illius bonitatem, largitatem et liberalitatem; quam bonus sit in se, quam largus erga te, seipsum impendens pro te quam liberalis ad te, dona sua cumulans in te. Ista cogitans amabis, quem talem erga te considerabis. Et hic gladius amoris pullulantia mala præscidet, et ab hoc timore nocturno securum te reddet.

CAPUT XII.

De animæ virtutibus et perfectione, munditia, desiderio et discretione.

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani (*Cant.* III). Ferculum est sancta anima, quæ pascit et reficit. Reficit enim Christum, reficit et membra

Digitized by Google

ejus. Christum reficit, dum bonis ejus operibus et studiis atque desideriis delectatur, sicut scriptum est : Populus meus saturavit me vocibus, implevit me odoramentis. Reficit enim membra ejus exemplo, dum ex sancta vita ejus atque moribus ædificatur et emendatur. Reficit oratione, dum a Deo eis impetrat gratiam qua consolantur et ædificantur. Ad salutem pascit doctrina, dum eos prædicatione roborat, et instruit ad sapiendum æterna et salubria. Pascit consilio, dum hortatur ad bonum, et dulci admonitione contristatos erigit et reparat, et bonos amplius accendit et roborat; pascit colloquio, dum de bono colloquitur, et inutilis locutionis, in quantum prævalet, occasionem tollit. Verba ædificationis in medium profert, et materiam boni sermonis præbet charitati et paci operam dat; linguæ detrahenti aurem non accommodat, sed hanc vultu tristi dissipat. Ita sancta anima tam Christum quam membra ejus reficit. Unde hoc ferculum sibi fecisse Christus dicitur; dicitur etiam sancta anima ferculum, ferculum a ferendo, quia fertur de loco ad locum, ubi eam voluntas gubernantis direxerit, et Dei videlicet omnia disponentis, ut plures reficiat, et ad salutem instituat; hoc ferculum Christus fecit de lignis Libani. Hæ sunt cedri, quæ crescunt in monte Libano, et significant electos qui crescunt et fructificant per Christum et in Christo. Libanus enim qui *candidatio* dicitur, Christum significat, qui ex munda virgine processit sine omni peccati labe. Hæc ligna sunt pulchra, procera, imputribilia, odorifera, a vermibus illæsa, et significant sanctos, qui pulchri sunt per sanctam conversationem et per mores honestos; proceri, quia sursum tendunt desiderio, et superna quærunt; imputribiles, quia charitas eorum atque sanctitas ita hic incipit ut in æternum non finiatur, sed in futuro perficiatur; odoriferi, quia bonæ famæ de se odorem emittunt, et opinione sancta alios ad bonum trahunt; a vermibus sunt illæsi, quia vermes, id est dæmones, interiora sua depasci non sinunt, nec ipsis ignorantibus alienos robur mentis suæ comedere, quia occultas eorum suggestiones multis experimentis edocti cognoscunt; de his lignis fecit Christus ferculum, id est animam omni plenitudine gratiæ refertam, adeo ut in se abundans sit, et alios reficere, eisque prodesse potens sit; facit, inquam, animam talem de lignis Libani, id est de sanctorum exemplo, cum in eorum vita et conversatione formam ei, quam imitetur ostendit, cum in eodem spiritu quo illustraverit hanc reparat, et ad perfectionis gradum perducit, cum virtutes quibus illi ornabantur in ea construit, cum denique juxta eorum formam et similitudinem hanc informat et componit.

Hujus animæ columnæ quatuor sunt virtutes principales, scilicet prudentia, fortitudo, temperantia, justitia : bene substentatur anima quæ his fulcitur, ut scilicet sit prudens ad cognoscendum, quæ ad salutem pertinent; fortis ad perficiendum quæ cognoverit; temperata, ut mala caveat, et bona discrete et loco et tempore faciat. Quæ cum talis fuerit justa erit, et justitiam quarto loco obtinebit. Hæ columnæ argenteæ sunt, quia animam quæ his sustentatur virtutibus, et intus ante Deum, et foris coram hominibus splendidam faciunt, pulchrumque aspectum de illa præferunt. Reclinatorium fecit aureum. Reclinatorium est conscientia pura in qua reclinat se et requiescit Christus Dei sapientia, quæ aurea est; quia tribulationis igne excocta, et purgata ut aurum atque probata. Quæ enim grata est per vitæ innocentiam, gratior et mundior efficitur per tolerantiam adversorum, et digna ut aureum sit Dei reclinatorium. Judæi miserunt lignum in panem ejus, qui panis est angelorum et hominum; miserunt ei lignum ad torquendum, non submiserunt ei lignum ad reclinandum. Iste panis excoctus est passione, et solidatus. Compatere cum illo anima sancta, ita ut igne tribulationis purgeris et solideris; non consumaris ut plumbum, sed mundior fias ut aurum. Si adusta tribulatione non defeceris, sed per patientiam profeceris, aurum eris et Dei reclinatorium. Et reclinabit in te, qui reclinatorium non habuit in cruce, facietque in te aureum, qui ipse non habuit ligneum. Idcirco passionem pertulit, et reclinatorium non habuit, ut exemplo ejus et amore patiamur, et ut per tolerantiam adversorum ita mundemur, ut ipse reclinet et requiescat in nobis in hoc sæculo, et nos cum illo quiescamus in futuro. Hanc charitatem ejus cogita, anima, et totam te ad ejus amorem et beneplacitum inclina, ut totam te illi impendas, et quæque tibi pro illo illata fuerint constanter et devota mente feras, ut ipsius beneficiis aliquatenus respondeas ejusque reclinatorium fias. Ut ergo aureum sis reclinatorium, aurum etiam spiritualis sapientiæ habere stude; non sit sapientia tua lutosa, sed aurea; non terrena, animalis, diabolica, sed spiritualis et divina. De hac spirituali sapientia abyssus humanæ sapientiæ dicit : Non est in me; et mare, id est amaritudo vitiorum, dicit : Non est mecum. Abjicienda est ergo hæc carnalis sapientia, et commutanda pro hac spirituali; et sic emendum aurum mundum, ignitum, probatum, ut locupletes fiamus, et hoc aurum possideamus. Post sapientiam spiritualem et morum emendationem, ad hanc patientiæ virtutem veniendum est, ut libenter, imo hilariter quælibet adversa feramus, et in his propter Christum gaudeamus. Ita gradatim et paulatim Christus animam provehit et mundat, tam gratia sua quam donorum exemplo, ut aurum fiat, imo aureum ipsius reclinatorium. Facit quoque et in ea ascensum purpureum. Ascensum in anima facit, cum per ejus gratiam superna desiderare hanc facit. Sed ascensus iste purpureus est et rubeus : patitur enim anima talis interdum convicia et detractiones a malis, qui devotioni illius invident, eo quod bonum ipsi non diligant nec facere velint. Cumque malorum convicia audit, quamdam perturbationem mentis et ruborem confusionis ab eis accipit. Est autem purpura ita rubea,

Digitized by Google

ut tamen videatur rubor ille dispersus et diversus : ita in sancta et devota anima illa rubor est diversus; quia, unde rubet ex conviciorum jaculatione, inde rubet charitate, qua etiam ardet erga eos qui conviciantur. Item rubet ex desiderio quo accenditur ad superna et æterna : diversi sunt isti rubores, et omnes pretiosi, ut merito decorent animam devotam, et purpuræ debeant comparari. Hujus animæ media charitate sunt constrata. Media hæc sunt opera de genere bonorum, opera scilicet communia, quæ et bono et malo animo fieri possunt, sicut sunt vigiliæ, jejunia, orationes et eleemosynæ, et cætera. Ista debent esse constrata charitate, ut scilicet in charitate fiant et bona intentione. Et item, ut cum charitate fraterna ita fiant, ut infirmi in his non scandalizentur vel infirmentur, sed ista strata sint (id est, tanta æqualitate et discretione facta), ut incedat anima in his omnibus sine querela, et opportune noverit illa exercere et iterum intermittere : bene ista media charitate constrata erunt, si ita fuerint ordinata. Facit itaque Salomon nunc ferculum sibi de lignis Libani, et columnas argenteas, et reclinatorium aureum, ascensum purpureum, et media charitate consternit, cum animam gratiæ plenitudine et spiritualibus epulis ditat, et de exemplis et doctrina perfectorum informat, ut alios ædificare possit. Cum virtutum decore hanc ornat et perfectione roborat, et cum tam mundam hanc facit, ut in ea requiescat et reclinatorium habeat, et tam sublimem et pretiosam, ut per desiderium supernorum et charitatem proximorum atque tolerantiam malorum purpuræ comparetur, et tam discretam et socialem in exteriori conversatione, ut divino conspectui placeat, et proximorum aspectum non offendat.

CAPUT XIII.

De modo proficiendi, et de exemplo Christi, et præmio.

Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, in die solemnitatis et lætitiæ (*Cant.* III). Exhortatio est ad fideles et devotas animas, ut considerent et in mente contemplentur decorem et gloriam Jesu Christi, quam in cœlis per pœnam martyrii sui possidet. Hæ animæ filiæ sunt Sion, id est supernæ illius civitatis, quæ Deum speculantur, quæ est mater nostra : hæ spiritualiter sunt renatæ et regeneratæ in Christo, ad hoc ut filiæ et hæredes illius visionis sint et beatitudinis : his dicitur ut fide et desiderio egrediantur a terrenis ad superna consideranda, et contemplandum diadema nostri Salomonis, id est Christi, qui nos redemit et pacificavit. O filiæ Sion, egredimini de concupiscentia carnali, et de consuetudine vitiosa, et de cæcitate cordis, et videte, id est spiritualiter contemplamini, regis nostri gloriam, illius supernæ lætitiæ felicitatem, ut alacres ingrediendo sitis illa dulcedine et delectatione tracti, quatenus sic gradiamini, ut a vobis ipsis egrediamini. Gradiuntur enim aliqui, sed non egrediuntur; quia nunc procedunt, nunc retrocedunt, nunc remisse, nunc distorte incedunt. Interdum enim aliqui bonis operibus insistunt, et mala etiam committunt. Per quamdam enim mentis ignaviam et cæcitatem mala minus cavent, cum benefacere student, non attendentes quod bona malis admista Deo non placent. Item aliqui ad quælibet laboriosa minus validi sunt, et a pusillanimitate tam spiritus quam corporis gravamen sustinent; alii nihil difficilius existimant ferre quam voluptatibus suis resistere possunt, et in tentationibus vel concupiscentiis delectantur, minus resistentes passionibus suis et motibus, qui quantum se in minimis superari patiuntur, tantum contra peccata et vitia vel tentamenta debiles fiunt, et ad gradiendum et progrediendum insufficientes. Alii minus progrediuntur, quia non recte et discrete gradiuntur. In aliquibus tantum bonis operibus minus utilibus magis se exercent, et in aliis profectui suo magis convenientibus se negligunt, laboribus corporis insistunt, et virtutes animæ et pietatem negligunt, cum corporalis exercitatio ad modicum valeat, et pietas magis necessaria sit, quia valet ad omnia. Item quia cordis custodiam, et circumspectionem non habent, per hanc negligentiam in multis delinquunt. Et item alii circa quædam parva et levia valde solliciti sunt, et majora nec cavent, nec cognoscunt, qui camelum glutientes culicem liquant. Illi autem omnes, etsi gradiantur, intra se tamen remanent; quia pristinos mores et imperfectionem inolitam atque torporem non relinquunt, ut emendatis in omnibus et mundatis oculis cordis egrediantur ad videndum Deum, et Salomonem diademate coronatum. In primis ergo necesse est ut sic bona faciamus, quatenus a malo declinemus; quia non bene progreditur, qui nunc incedit, nunc corruit. Item oportet ut genua debilia roboremus, et nimiam pusillanimitatem et infirmitatem caveamus, alioquin a nobis ipsis non egrediemur ut ad hanc visionem pertingamus. Item gressus rectos pedibus nostris facere debemus, ut ea per quæ maxime proficere possumus cognoscamus, et illuc gressus mentis dirigamus, hoc est, ut corrigendis nobis in omnibus mundando cordi, augendæ charitati insistamus. Si sic gradimur, utique a nobis ipsis egredimur, et videre poterimus, mundatis oculis cordis a pristinis affectibus et cæcitate, regem Salomonem. Tunc enim videre eum, id est contemplari, poterimus per sublimitatem mentis fulgentem in diademate, id est aureola, qua in hac vita coronavit eum mater sua Judæa inferendo ei martyrium, per quod talem fabricavit ei coronam et gloriam. Quia enim martyrio eum coronavit passionis tempore, ipse tali diademate coronatus est in die solemnitatis et lætitiæ gloriosæ Ascensionis suæ : magna quippe solemnitas exstitit occurrentibus civibus supernis regi suo, et Domino Redemptori hominum cum triumpho venienti; magna quippe lætitia, tam ipsius Redemptoris quam civium eorumdem pro redemptis : unde

Digitized by Google

de ipso dicitur quod convocare fecit suos cives, ut sibi congratulentur et congaudeant de invento et redempto homine, quem perdiderat : hæc est dies solemnitatis et lætitiæ, sive desponsationis et lætitiæ cordis ejus. Tunc enim sponsam solam, supernam videlicet Ecclesiam angelorum, sibi desponsavit, tunc nuptias illas adiit, et illi se copulavit, a quibus revertetur ad nuptias illas hominum in fine sæculi, quando scilicet sponsam istam illi sponsæ sociabit : *In die desponsationis illius*, ait, *et lætitiæ cordis ejus.* Quantam in illa desponsatione Filius Dei acceperit lætitiam cordis, id est gaudium humanitatis, scilicet secundum quod homo, quantum ad gloriam Redemptoris, sermo non exprimit, sensus non capit. Quot enim erunt redempti ejus, de tantis erit ejus lætitia. Ex quantum unusquisque de propria salute gaudebit, tantum et majus gaudium de singulis eorum habebit. O filiæ Sion, hanc gloriam et lætitiam regis nostri considerate, hoc exemplum vobis proponite! Cum adversa patimini, egredimini ab imperfectione vestra et impatientia, ut leviter feratis illata vobis mala; videte regem vestrum pro vobis passum, et per passionem gloria et honore coronatum. Et cum pro pietate aliquid patimini, recogitate qualem ille ab impiis sustinuit pro vobis persecutionem et contradictionem. Si enim Deus passus est pro homine, quanto magis homo debet pati pro se? Exiguum et breve est, quod pati potestis, immensum quod per hoc exspectatis. Momentaneum et leve tribulationis nostræ, et æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Cogitate æternum et leviter ferlis momentaneum, cogitate pondus, id est magnitudinem gloriæ, et levis fit tribulatio quam comitatur talis remuneratio; dum patimini, coronam intueamini : tunc enim vobis fit diadema quo coronemini in die solemnitatis, quæ de vobis erit cum de corpore egrediemini, vel desponsationis illius cum de nuptiis Ecclesiæ militantis transibitis ad nuptias Ecclesiæ triumphantis. Ergo, o filiæ Sion, prudentes virgines, aptate vestras lampades, oleum bonorum operum, et lumen charitatis vobis præparate, et sic exite obviam sponso, et sponsæ! Tunc eritis corona gloriæ in manu Domini, et diadema regni in manu Dei vestri.

CAPUT XIV.

De humilitate interiori et exteriori, et de triplici ejus distinctione.

Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra (*Cant.* IV). Commendat Christus in anima perfecta duplicem decorem, quod videlicet et foris pulchra sit per sanctam conversationem, et intus per simplicem intentionem, et mentis humilitatem. Est itaque hæc exterior pulchritudo animæ, cum temperanter in omnibus vivit, cum tenui utitur victu et vestitu, cum cavet omnia superflua, vel reprehensibilia, et exercet omnia justa et honesta. Item decorant hanc, cum est composita in opere pariter et sermone, cum sociabilem et amabilem se ad omnes exhibet, neminem lædens, neminem circumveniens, A omnibus compatiens et omnibus pro posse subveniens. Et item, cum est prudens, pudica, et mitis, et mansueta, et cæteris bonis in omnibus ornata, habet recte decorem exterius anima cum habet honestatem in habitu, et gravitatem in gestu, hilaritatem in vultu, aures non prurientes, oculos non sublimes vel curiosos, linguam eruditam, et a levibus verbis vel inutilibus temperatam, et bona et salubria proferentem. Venustat et hanc cum non turbatur ira, vel impatientia sive rancore, cum non contendit, non detrahit, non judicat, nec talia tractantibus aurem accommodat, cum conversatur cum omnibus non solum sine querela, sed etiam cum gratia. Est item pulchra, cum fervens est in opere bono, in Dei servitio, in fraternæ charitatis occupatione, in omB nibus agendis strenua, fervens et discreta. Est alia interior pulchritudo, cum in omnibus quæ laudabiliter gerit simplicem oculum, id est intentionem, habet, nec affectans, nec curans ab hominibus laudari, sed laudem, quæ a solo Deo est, quærens et superna tantum appetens. Cum itaque foris pulchra sit per opera, magis decoratur, et placet intus divinis obtutibus per intentionis puritatem et humilitatem, et sensu mentis quo et magna agit, et sibi semper vilescit. Quæ mentis vilitas tanto pretiosior est, quanto de fonte amoris et fervoris radice procedit. Amanti enim et devoto nunquam sufficit quod habet, nec magnum reputat quod egerit, quia inopem se judicat quisquis desiderio semper ad majora anhelat.

C Est igitur humilitas quædam devota, quædam voluntaria, quædam coacta. Coacta est quando homo peccata, infirmitatem ac imperfectionem suam ante oculos sibi revocans quasi invitam mentem, et bona sua ante oculos magis habentem demutescere facit, et sibi vilescere. In his et si coacta est, tamen perficitur, ut hanc mens aliquatenus consequatur. Si tamen per negligentiam cesset cogendi magisterium, statim ab ea dilabetur, et ad pristinam superbiam sine remissione deducetur. In aliquibus vero nec cogi potest, mente semper sursum ad alta et consueta tendente, nec est aliquid quod mentem per humilitatis infima deprimere et submittere valeat. Alta est enim superbis humilitas; et si ad eam aliD quando conscendere conentur, illico relabuntur. Ad quam ideo non conscendunt, quia infirmo desiderio ad hanc tendunt. Volunt enim et non volunt, sicut Salomon de pigro dicit : *Vult et non vult piger* (*Prov.* XIII). Voluntaria est humilitas cum ex rationis ductu homo videt quam infirmus sit et peccator. Et quod, juxta Job, non sit ei auxilium in se, et huic rationi consentit voluntas, et hoc judicium diligit, et despectus esse eligit, quia sic nosse esse sic expedire novit. Lubens itaque se humiliat, quia illustratus per gratiam, humilitatem sicut et alia bona jam amat. Non autem est coacta hæc humilitas; quia excusso jam tempore et debilitatis vitiorum passionibus, ad hanc libertatem spiritus pervenit anima, ut bonum eam delectet, eique sapiat.

Digitized by Google

Est item alia sublimior humilitas quæ non coacta, non rationis ductu tracta, nec solum voluntaria, sed fervens et devota est : hanc habet perfecta anima quæ tanto est humilior, quanto fuerit devotior, et quantum crescit in spiritu aut cognitione, tantum proficit in humilitate. Vera enim gratia non extollit, sed humiliat ; quia hominem sibi plenius demonstrat, et sublimitatem ejus intelligens videt quam exiguum sit, quod de ea capere potuerit. Quantum quisque spirituales epulas edit, tantum et esurit : quæ, quia ad plenum nunquam comprehendi possunt, nunquam desideranti sufficiunt : unde semper hanc humiliant, quia semper ejus deliciæ minus quam desiderantur abundant. Humiliat itaque talem animam degustata gratia, pariter et considerata bonorum exempla, consideratio peregrinationis et multimodæ miseriæ humanitatis, amor supernæ felicitatis et desiderium libertatis, quia scilicet liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Anima talis purgata terrenis delectationibus, spiritualia tantum desiderare novit, et tota in amorem horum atque in affectum virtutum transit ; hanc humiliat amor Christi, qui pro ipsa humiliatus est ; humiliat amor ipsius virtutis, quam ideo amplectitur, quia Christus hanc specialiter amavit et habuit ; unde et singulariter virtus Christi dicta est : placent ei omnia humilia, quia intelligit hæc esse sublimia. Scit enim quod mox ut humiliatur intus exaltatur, quia Christo assimilatur, qui minimus, id est humillimus erat in regno cœlorum, id est in præsenti Ecclesia, cum esset magnus et Altissimi Filius. Spiritus Christi qui in hanc accendit ad illius amorem, instruit etiam ad illius humilitatem, quo quantum plena est tantum abjecta esse eligit, quamque beata est, tam pauper est spiritu. Neque enim potest quæ Spiritum Christi habet non amare quod Christus amat et habet. Tantaque est convenientia amoris Christi et humilitatis, ut qui alterum horum habuerit, alterum necessario habere comprobetur. Et quantum habuerit unum, tantum habeat alterum ; ut si vere amas, vere sis humilis ; et si minus sis humilis, minus amare convincaris. Perfecta ergo anima, quia diligit, humiliatur, et propter hanc humilitatem, quæ de radice dilectionis procedit, merito dilecta et pulchra vocatur. Cujus duplex pulchritudo commendatur, exterioris videlicet operis et interioris humilitatis. Et merito laudatur qui et magna agit, et humiliter de se sentit ; non alta sapit, sed humilibus consentit, et in omnibus humilem sensum gerit.

CAPUT XV.

Quomodo anima terrena despiciat, et interna cognoscat.

Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet (*Cant.* IV). Habet talis anima oculos columbarum, quia simpliciter intuetur ista terrena, nec ad hæc desiderio cupiditatis rapitur, imo modicis contenta est, aliena non ambit, non fertur desiderio ambitionis vel divitiarum, vel alicujus delectationis carnalis. Interior mentis sufficientia placitum aspectum facit exteriorem, ut circa terrena oculos habeat columbarum, sicut in cupidis terrenorum appetitus facit oculos milvorum. Non hanc affligit rerum cura, non vexat amor, non fatigat occupatio, magna quiete et securitate fruitur, dum ista non quærit, non curat, non concupiscit. Sicut enim in Job legitur : *Homo nascitur ad laborem, avis vero ad volandum* (*Job* V). Quia qui homines sunt, id est humani, carnales, id est mundanorum desiderio occupati, laborem habent ; boni vero, dum hæc non amant vel desiderant, ab horum afflictione evadunt et avolant. Malis ex cupiditate, quæ est radix omnium malorum, labor iste nascitur ; boni vero Spiritus sancti renovatione et sublevatione ad hunc volatum et libertatem nascuntur. Isti sunt qui, ut nubes volant et quasi columbæ ad fenestras suas (*Isa.* LX), quia ad æterna desideria sublevantur, et ad infima nulla cupiditate feruntur. Quem volatum, et aspectum columbinum Spiritus sanctus operatur in anima, qui designatur per columbam. Spiritus iste oculos exteriores simplices facit, interiores aperit ; quia sensum hominis illuminat et provehit ad intelligenda et comprehendenda spiritualia et superna. Oculi ergo devotæ animæ sunt columbarum, quia sensus ejus per Spiritum sanctum sunt illuminati, et edocti spiritualia sapientes. Illa quærentes, illis intendentes, terrena calcantes et despicientes. Sapiunt enim secundum spiritum illa quæ sapientia, quæ vita est et pax : hæc sapientia vita est, quia animam vivificat ; pax est, quia eam tranquillat, componit, modificat, pascit, jucundat, provehit, beatam facit. Non est hæc singularis, sed et segregata, sed communis ; non sua, sed aliorum quærens ; non astuta, non malivola, sed pura, dulcis, amabilis, grata ; non obstinata, sed suadibilis ; bonis consentiens, benevolentibus concordans, felle caret perturbationum et amaritudinum, quas in se habet amor terrenorum. Deum sapit, dum cognoscit, a Deo est, et in Deo. Unde ejus oculi, id est sensus, dicuntur columbarum, id est Spiritus sanctus, quonlam per hunc videt et intelligit. Isti columbarum oculi, id est, sensus spiritales, ista sublimitas, ista tranquillitas mentis est in te, o anima, absque his quæ intrinsecus latent. Illa enim quæ cum Christo secrete in cubili cordis versas, quis foris exponere queat ? Illam confabulationem mutuam, ausum loquendi ad eum, consolationem ab eo acceptam sive revelationem, unitatem animorum, concordiam voluptatum, amorem mutuum, zelum justitiæ et animarum, desiderium visionis et fruitionis Dei, peregrinationis tædium, dissolvendi cupiditatem quis foris intelligat vel exprimat verbis ? Nunc aperitur animæ talis sensus, ut intelligat Scripturas ; nunc de occultis, sive dubiis instruitur, nunc ita unitur Deo, ut unus spiritus efficiatur cum eo ; nunc ita absorbetur a spiritu, ut in carne commorari se non recolat ; nunc aliqua arcana divinæ aspirationis cognoscit quæ prius non agnoscebat ; nunc autem

Digitized by Google

ita jungitur Deo, et junctum sibi Deum sentit, et omnem voluntatem suam ita in Deum transfert, ut Dei voluntatem vel intelligat vel ad suam hanc inflectat. Ex ea enim puritate cordis qua Dei voluntati in omnibus concordat etiam hanc intelligit, eamque ad suum placitum flectere digna sit. Nunc ita Deum per amorem sibi jungit et attrahit, ut quasi solum hunc habere se credit, nunc in eum ita dilatatur et transit, ut in eo per charitatem omnem hominem comprehendat, omnesque lumine quo illustratur videat, et omnibus (quia una et simili charitate) compatiatur et condescendat. Ita intentionem suam in eum dirigit, ut per eum videat, et comprehendat ita plures sicut paucos. Anima talis quædam postulata obtinet, propter fidei suæ magnitudinem, quædam propter profundam humilitatem, quædam per importunitatem. Interdum devotione, et immensi desiderii fervore Deum cogit; interdum eum flectit compositione verborum, et blanda sive cauta locutione; interdum ostensa justa causa miserendi, et ratione super aliquibus postulatis consolationem accipit, super aliquibus revelationem, et nunc certam, nunc dubiam, interdum exauditam se intelligit, sed modum nescit. Sic Tobias cognovit se exauditum, sed de modo non est ei revelatum. Credidit enim hunc esse modum ut morerctur, cum potius esset ut illuminaretur. In quibusdam Deum propitium fore sperat, eo quo se in orando præveniri consolatione sentiat, et juvari. In quibusdam obtinendis sentit Deum oportere flecti, et precibus diuturnis pulsari. In quibusdam experitur eum quærere, et desiderare virum, qui spem orationis vindictæ ejus opponat. In aliquibus vero iræ ipsius non posse resisti agnoscit, etiam si Moysem et Samuelem in conspectu ejus stare contingat. Ista et hujusmodi familiaria, et secreta orationis, meditationis et cognitionis intrinsecus latent in anima perfecta in præsenti. Quæ vero de futuris lateant, abscondita sunt ab oculis omnium viventium. Nondum enim apparet quod tunc erit; quia, cum in illa vita apparuerit Deus, similis ei erit, quia videbit eum sicuti est. Tunc perfecte Deo assimilabitur, cui nunc ex parte assimilatur; quia, cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, et tunc cognoscet sicut cognita est. Tunc videbit quomodo Pater in Filio, et Filius in Patre, et Spiritus sanctus in utroque: tunc denique Trinitatem sanctam videbit in gloria sua.

CAPUT XVI.

Quomodo a Christo per orationem meditationes sanctæ obtineantur.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad (*Cant.* III). Capilli sponsæ sunt meditationes sanctæ, quæ sicut capilli crescunt in capite, ita oriuntur in mente. Qui capilli capris comparantur propter quasdam similitudines. Capræ enim inquirendo pascua, alta montium atque arborum petere solent, et etiam ruminant. Ita meditationes sanctæ semper ad alta tendunt, et ad spiritualia atque cœlestia investiganda et cognoscenda laborant. Quæ in quantum capere prævalent, ruminare, id est retractare, et recogitare student, et a vetre mentis sursum ad memoriam revocare, atque hæc ad saporem et ædificationem terere atque comminuere. Arbores istæ boni sunt in gratia crescentes atque sublimes. Dum itaque anima devotos amicos et horum sanctitatem meditatur, et ad eorum imitationem se erigere nititur, has arbores meditatione ascendit, dumque vigorem mentis, vigorem quotidiani profectus, et renovationis eorum spiritualis diligit, considerat, et in memoriam pariter et imitationem transmittit, quasi cibum quo nutriatur ab eis carpit. Qui enim bene agentes attendit, et eorum virtutibus devotione et conversatione delectatur, ipse per hos ad bonum et perfectum incitatur atque nutritur. Montes quoque istæ capreæ ascendant, dum meditationes animæ perfectorum sublimem vitam et mores inspiciunt, et ad hæc ascendere cupiunt, bonis se jungunt, horum consortium, consolationem, collocutionem, orationem expetunt. Ita capreæ istæ arbores sive montes ascendunt, ita semper alta petunt, et contemptis infimis superna petunt et quærunt, et horum delectantur aspectu, reficiuntur pastu, renovantur desiderio, proficiunt, et sursum tendunt exemplo. Semper proficiunt, quia semper bonos attendunt, semper recentes, semper alacres sunt. Talis enim conversationis aliquis fit quales inspicit, quales attendit, et qualibus familiarius se jungit. Istæ capreæ, meditationes videlicet sanctæ ascendunt de monte Galaad. Mons Galaad Christum significat: Galaad enim interpretatur *acervus testimonii*, et sancti in Christo coacervantur, et congregantur, et habent testimonium Jesu, et fidei ejus atque operum, lapides utique vivi et ad ædificium cœleste pertinentes. Mons Galaad uberrima pascua legitur habuisse, et Christus uberrime pascit, qui non solum exemplo reficit, sed etiam gratiam infundit. Nullus enim sanctorum sicut Christus exemplo ædificat, quia nullius tanta fuit humilitas, patientia et obedientia, mansuetudo, charitas et omnium perfectio virtutum. In ipso quoque omnis plenitudo gratiæ fuit adeo, ut de hac plenitudine omnes accipiant quotquot habent gratiam; hic est mons Dei, mons pinguis, nec solum in se pinguis, sed etiam de se alios impinguans, quosdam lacte gratiæ nutriens, quosdam per uberiorem dulcedinem sapientiæ reficiens: uberiora ergo sunt pascua in hoc monte.

Sed videndum quomodo de Deo ascendant, capreæ istæ, meditationes videlicet devotæ. Jacet anima, et in imo est quando terrena et carnalia cogitat. Surgit vero et in altum ascendit cum spiritualia meditatur, et mente versat. In carnalibus itaque cogitationibus a nobis ipsis deprimimur et dejicimur, ad spiritualia a Deo sublevamur, quia a Deo sunt, et in anima surgunt meditationes bonæ, a nobis carnales et malæ. Non est enim in nobis,

Digitized by Google

hoc est in carne nostra, bonum, quia sterilis est caro, nec parit hujusmodi cogitationes, sed spinas et tribulos germinat nobis. De corde quoque exeunt cogitationes malæ, fiunt etiam suggestiones per angelos malos. Cum igitur compungitur anima de peccatis præteritis, seu de præsentibus se corrigere et custodire proponit, cum delectatione alicujus virtutis sive studio proficiendi accenditur, commovetur ad compassionem proximi, ad zelum justitiæ, ad amorem vel desiderium vitæ æternæ cum aliqua devotione vel dulcedine spirituali afficitur, cum illuminatur, instruitur vel ad aliquod bonum excitatur : tales meditationes et affectiones a Christo sunt, qui loquitur in anima cogitatione pacis, et cujus spiritus suggerit hæc omnia in occultis. Cum ergo hujusmodi sentiuntur in mente, tunc utique ascendunt de monte Galaad capreæ, id est a Christo oriuntur, et surgunt meditationes sanctæ. Qui enim manet in Christo et Christus in eo, hic fert fructum multum harum cogitationum, et in quo hæ meditationes congregantur et coacervantur, testimonium habet quod in eo Christus maneat, et ab illo assensum harum meditationum habet. A Christo ergo sunt et ascendunt, qui eas nutrit in corde nostro, et consurgere facit et ascendere. Qui nunc eas per se suggerit, et nunc orandus est ut eas largiatur : dormit enim interdum Christus, ita ut non loquente ejus spiritu, sed flante vento contrario operiatur navicula mentis fluctibus tentationum vel malarum cogitationum. Unde suscitandus est, ut imperet his ventis et mari harum perturbationum, et tranquillitatem faciat in mente. Orante itaque anima et suscitante Christum precum instantia, recipiuntur cogitationes spirituales et desideratæ. Ascendunt enim a Christo suscitato, et per orationem propitio facto. Et videas qualiter anima instante precibus, alia post aliam surgit et ascendit, et quot motus orandi fiunt, tot meditationes surgunt et ascendunt, et instante anima, et multiplicante preces, multiplicantur hæ cogitationes ; tandemque ita densantur in anima, ut jam immenso agmine harum valletur, quæ prius sola, et quasi derelicta videbatur. Quia ergo a Christo sunt, et ascendunt in mente meditationes istæ, ascendat in istum montem anima, maneat in Christo, invocet Christum. Accipiat sublime officium orandi. Ascendat in montem orare sola, exclusis videlicet et semotis omnibus occupationibus, maneant in ipsa verba Christi, audiat cordis aure legem ejus, et servet mandata, ut quæ petere voluerit fiant ei. Qui enim legem audit, oratio ejus erit acceptabilis, et quæ mandata implet exaudietur, et a mandatis opere impletis erudietur, quia servanti justitiam Deus dabit sapientiam et spiritualium notitiam. Et, sicut ait Salomon (*Prov.* VI), et juxta Psalmistam, a mandatis Dei intelligit (*Psal.* CXVIII). Ita de hoc monte pingui et uberi orante anima devota ascendunt capreæ istæ, id est meditationes sanctæ ; a maligno autem spiritu suggeruntur et surgunt cogitationes inutiles, et exsiccantes devotionis pinguedinem, et bonorum meditationes exstinguentes.

Hæ sunt populus ille Amalecitarum. Amalec interpretatur *populus lambens* : lambunt enim, et perdunt suavitatem unguenti, consumunt unctionem Spiritus sancti. Contra quas oratione pugnandum est cum Moyse, et manus levandæ cum corde, ut oremus, et pariter mandata opere servemus, si sic utrasque ad Deum levamus et non lassemur superabimus (*Exod.* XVII). Si cessamus vel segnius agimus, superabit Amalec, sicut ibi gestum legimus. Quandoque meditationes sanctas quiete, et sine impugnatione Amalec possidemus, quandoque illo congrediente nobiscum, et nunc prævalente, nunc superato proficit oratio, et manus in orando remissius fuerint sublevatæ, ita ut experiatur anima has vicissitudines, ut nunc videat se superiorem, nunc affici delectatione spirituali, nunc malis occupari cogitationibus et premi, si tamen in orando non cesset, nec lassetur, non dubium quin Amalec superetur et effugetur. Quando per nostram negligentiam, et cordis dissolutionem a bonis cogitationibus ad vanas et noxias dilabimur, quandoque tentante adversario et suggerente, interdum contingit ut longo tempore exsiccata a gratia et spiritualibus cogitationibus destituta suavem illam dulcedinem non experiatur, pro qua tanto humilius et instantius est orandum, quanto ignoramus utrum hujus defectus aliquo modo causa sumus. Privatur enim aliquis gratia propter aliquod latens peccatum vel propter ingratitudinem, indigne scilicet per hanc operando, vel largitori gratias non reddendo, vel quia hanc non sicut debet quærit, vel quia carnales cogitationes admittit. Cum ergo siccitas hæc evenerit, et facta fuerit anima sicut terra sine aqua, expandendæ sunt manus ad Deum in oratione, et cum Elia post siccitatem trium annorum pluviam postulante (*III Reg.* XVIII), sedendum est ad orationem, et pro pluvia gratiæ postulandum. Ille puerum misit iterum atque iterum ad comprobandum si preces ejus exauditæ essent, nec factum est ante septimam vicem ; ita, mente siccata longo tempore a devotionis gratia, orandum est et multis vicibus insistendum, nec a prece cessandum, donec quies mentis, quæ per septenarium intelligitur, et gratia quæ septiformis est operetur. Sine enim magna instantia et laboriosa prece, exsiccata mens a gratia illam recipere non meretur. Non autem devota prece consequi valet illam requiem cum devotione, et dulcibus illis affectionibus destituta sit, sed labore et importunitate necesse est ut devotionem recompenset. Et ita si non propter amicitiam, propter importunitatem tamen quod petit accipiet. Ut vero preces ejus exaudiantur, necesse est ut superflua locutionis, cogitationis et etiam operis amputet et circumcidat, ne dissoluta sit cogitatione, vana, superflua, vel noxia loquens. Ne quoque sit sine custodia cordis indifferenter quaslibet cogitationes admittens, nec super his discernens, vel sibi cavens, ne etiam mollis sit

Digitized by Google

et dissoluta in opere, non quod expedit, sed quod delectat tractans atque agens. Hanc enim custodiam, et circumcisionem illam notat mons ille Carmelus, in quo Elias hanc orationem fudit, et quod postulavit accepit. Interpretatur enim Carmelus *cognitio circumcisionis*. Qui in se ista circumcidere, et amputare non noverunt, exaudiri digni non sunt. Sunt quippe montes Gelboe, in quos nec ros, nec pluvia gratiæ descendit, eo quod in eo projectus sit clypeus fortium, id est custodia et circumcisio virilis. Sine enim custodia nec aliqua virtus conceditur, nec gratia amplior acquiritur. Sic ergo anima circumspecta videat, et circumcidat superflua et noxia instet præcibus iterum et iterum, nec cesset ascendente primo parva nubecula gratiæ, tandem erumpat et sequatur immensitas salutaris pluviæ et plene mentem irriget et infundat, quæ diutius siccitate noxia, et defectu gratiæ aruerat. Hinc igitur gratiam postulet et exspectet, hinc seipsam ad hanc præparet, et qua cautela ad meditationes sanctas redeat consideret: quod ita potissimum fiet ut ad nuperrime habitas imprimis recurrat. Hæc namque tanto facilius recipiuntur, quanto vicinius habitæ sunt; ad remotiores vero et retro habitas difficilior est recursus. In hunc modum melior est orationis finis quam principium. Ita a Christo qui principium est et finis, et per Christum obtinebit omnia diligens et sollicita anima, facietque in se meditationum bonarum assensum.

CAPUT XVII.

De discretione cogitationum, et quomodo ad hanc veniatur.

Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro (*Cant.* IV). Dentes sunt discussiones discretionis, quibus meditationes spirituales et cogitationes cordis cernuntur et comminuuntur, ac discernuntur an puræ sint et veraciter bonæ, an sint a Deo, vel a spiritu malo, vel a corde humano. Malus enim spiritus quasdam cogitationes suggerere novit, quæ spirituales videntur, et humanus spiritus interdum se Spiritum sanctum esse simulat et mentitur, sicut in Job legitur: *En venter meus quasi mustum* (*Job* XXXII). Quod etiam ipsi Eliæ contigit, qui verba protulit per tumorem sui spiritus, quæ a Spiritu sancto, et Dei zelo dicere se credidit. Per ventrem enim sinus cordis, per mustum fervor Spiritus sancti intelligitur, quo se incitari Elias apud Job putavit, cum tamen a solo proprii cordis impetu moveretur. In multis talibus cordis motum, sive etiam vitii impulsum sequitur homo, et tamen a Spiritu sancto se moveri arbitratur. Dæmones etiam interdum mala sub specie boni occultant, ad quædam bona incitant, et ut ad malum perducant, futura etiam nuntiant. Quædam enim futura prænuntiare possunt, quia ea interdum sciunt, quædam per subtilitatem naturæ investigant, quædam angelis sanctis revelantibus discunt, quædam ex causarum eventibus, quædam ex naturalibus hominis, quædam ex dispositione aeris conjiciunt. Et diu aliqua sicut sunt indicant, ut tandem credulam mentem fallant. Falsa etiam devotione decipiunt, quia quasdam orationes et meditationes, dulcem affectum, etiam lacrymas in anima producunt, ut vel mentem in errorem, vel elationem, vel corpus perducant ad debilitatem. Interdum de Scriptura aliquid falsa interpretatione aliter intelligendum, vel ex hac aliter agendum, quam veritas habet suggerunt, male quosdam de salute aliorum sollicitant, quos incitant et accendunt ad conversionem vel ædificationem aliorum longe positorum, quatenus a quiete mentis, et utilitate propria eos dejiciant. Quod negotium in anima quasi diem quamdam depingentes occupationi pristinæ salubrius atque utilius insinuant.

Cum itaque aliquid nobis suggerit agendum, perpendere debemus utrum aliqua, sui parte indiscretio se misceat, vel dolus inimici se ingerat, et plene illud discutere si cum debito timore et cautela fiat, si non tam nostra quam etiam aliorum utilitas in hoc consistat, si humana laus vel ostentatio subrepat, si vanitas vel levitas aliqua impellat, si a Scriptura vel exemplis sanctorum in nullo dissentiat. Quidquid autem a malo spiritu est, aliqua parte falsum deprehendi poterit, vel periculum ejus de futuro pendet et cito denudabitur, quia fraudem suam detegendo inimicus, quod occultaverat apertius suggeret, per quod cognoscetur. Spiritus quoque sanctus diversis modis operatur in anima, unde cognoscendæ sunt ejus operationes et discernendæ. Convertit enim interdum mentem timore pœnæ, interdum ascendit ad Dei amorem, nec tamen multam præbet cognitionem. Movet mentem, et incitat ad bonum, et ad Deum nec tamen statim facit hominem perfectum. Non enim est in his plena cognitio: sed initium atque incitamentum ad bonum, seu consolatio; quia hæc quandoque infirmus aliquis et imperfectus percipit, et qui ad cognitionem, et intelligentiam spiritualem minus pertingit. Cum vero in cognitione profecerit, ac deinde ad gradum contemplationis ascendit, si de Deo aliquid sentit, et perfecte id comprehendere videtur sibi tunc, non ita sicut in Deo est intelligit; unde Elias, qui transire Dominum vidit, quia incomprehensibilem intellexit spiritum commotioni, et igni non inesse Dominum dicit, sed in sibilo auræ levis; quia quidquid perfecte comprehendi valet, ibi non est, sed potius ibi subtile aliquid de Deo sentitur, et quod plene comprehendi non posset. Incipienti adhuc infirmo datur gratia, ut hac illustratus se cognoscat, et roboratus corrigere queat, et sic ad notitiam plenius perveniat. Ad notitiam enim hujusmodi non pertingitur, nisi melioratis moribus major cordis puritas obtineatur. Quanto perfectius cordis oculos quisque mundaverit, tanto plenius Deum videre poterit; et quanto plenius hunc videt, tanto incomprehensibilem esse intelligit quem videt. Unde qui in notitia profecit, perfectus de Deo sentit et quidquid de illo capere potest exiguum intelligit. Quanto enim sapientiæ et notitiæ appropinquat, tanto minus sibi videtur esse quod capere potest, quia, juxta Salomonem, quanto

Digitized by Google

sapiens efficitur, tanto ipsa sapientia recedit ab eo (*Eccle.* VII), id est, tantum intelligit quantum sit incomprehensibilis. Talis scientia animam non instat, sed accendit et humiliat, suamque sibi cæcitatem amplius demonstrat. In hoc scire potest quisque quod sanum sapiat, et tunc oculus suus Deum videat, si ipse se reprehendat ex humilitate, et perceptam sapientiam amplius esuriat, minimum esse intelligat quod de illa ceperit, vel capere possit. Inter sanctum ergo Spiritum et suum caute distinguere debet homo, et scipsum discutere, et cum movetur ad aliquod opus bonum, an ad illud peragendum aliqua impellat humana delectatio, vel vitium, vel tentatio. Sunt enim in anima aliqui impetus ex dispositione hominis, vel ex causa aliqua, vel occasione, vel curiositate, vel ambitione, vel levitate, vel vitio, vel tentatione. Qui ex vitio, vel tentatione omnino cavendi sunt. Qui ex humanitate et cæteris prænominatis, tolerare possumus, et bene eis uti, ut nunquam eos scilicet sequamur, sed a latere hos patiamur, ad ministerium non ad damnum, ut scilicet ex his alacritatem majorem habeamus ad peragendum opus illud quod facere intendimus. Ubi enim nobis cooperantur naturalia sine alia causa, promptior in his est spiritus noster, et alacrius peragit quod intendit.

Videndum enim et omnino cavendum ne principaliter aliqua carnalis vel humana delectatio impellat, nec talem impetum sequamur, et si patiamur, sed ubi cognoscimus esse impetum Spiritus sancti ibi gradiamur, et quod ille suggerit faciamus. Item considerandum est, quod in anima adhuc infirma et imperfecta, proniores sunt carnales motus spiritualibus. Unde cum aliquis ad aliquod bonum movetur facile, et cum quadam cordis levitate, timendum quod hujusmodi levitas fit a carnalitate, maxime si aliquid ibi annexum sit, quod delectare humanitatem possis. Item suspecta est cordis alacritas, quando impellitur ad aliquid homo cum quadam vehementia et impatientia dilationis; quia Spiritus sanctus modestus est, et tranquillus, et temperati sunt motus ejus; devotioni etiam interdum cooperatur, et hanc plenius ascendit cordis levitas, naturalis benegnitas, prosperitas, vel orta aliqua causa lætitiæ. Et item hanc deprimit, et etiam impedit tristior dispositio, vel aliqua adversitas, et causa mœstitiæ. Unde in oratione false consolatur interdum simplex aliquis, vel diffidit, dum secundum quod alacritatem spiritus sentit, exauditionis conjicit indicia de corde suo prophetans, et quod cor suum loquitur hoc Dominum loqui arbitrans. Inimicus quoque falsis consolationibus, vel falsis revelationibus decipere novit, quem in talibus credulum deprehendit. Unde cognoscenda est horum discretio spirituum, quæ omnia dum devota anima dijudicat et discutit, quasi dentibus quibusdam discretionis conterit et comminuit. Hi sunt dentes sponsæ qui assimilantur gregibus tonsarum ovium; detonsiones sunt innocuæ cogitationes exteriora abscindentes, scilicet amorem terrenorum, et desiderium habendi prudentiam sæculi. Terrenorum enim amor excæcat oculos cordis, mentem gravat et deprimit, ne ad cognitionem ac discretionem spiritualium assurgere queat. Mundana quoque sapientia Deum non capit, nec animalis homo percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Stultam enim fecit Deus sapientiam hujus mundi, ut quantum quis terrena sapit, tantum minus Deum sapit; et quanto late cor distenditur, tanto in divinorum amore angustatur. Sic enim lumen exteriorum et carnalitatis hominem obnubilat, ut puritatem discernendi spiritualia minus apprehendat, et quantum ad multa spargitur, tantum ad unum et maxime necessarium minus se colligat. Interius quoque aliquid interdum adhæret animæ quo spiritualium discretio impeditur valde, propria scilicet voluntas. Hæc quantum sua quærit, tantum Deo minus jungitur, et quanto in se manet, nec ad Deum ascendit, tanto minus ea quæ Dei sunt apprehendit. Item non valet percipere discretionem qui propriam amat voluntatem; quia, dum sequitur quod delectat, non autem quod veritas judicat, sicut recedit a veritate, ita separatur a vera cognitione, et sic a discretione. Hoc est vellus quod præcidi oportet in fine videlicet delectationis, pondus quo, dum calet anima atque oneratur, a spiritualibus impeditur. Sic detonsæ oves (istæ cogitationes videlicet innocuæ) liberius spiritualia capiunt et discernunt, et sapientiam in horum vacuitate scribunt. Hæ cogitationes ascendunt de lavacro, id est, de compunctione et lacrymis pœnitentiæ. In hoc lavacro mundantur a sordibus peccatorum pariter et vitiorum, et exonerantur ab horum pondere, ut possint ascendere, et ad spiritualium notitiam scandere. Compunctio enim consumit plene peccata atque vitia, et mundat animam ab omni eorum sorde, et simul a carnalitatis fæce, poros quoque cordis aperit, et pluvias virtutum fundit, quibus ad hæc volare et sublevari possit. Hæc perfusa anima surgit quasi diluculo ad discernendum singulas cogitationes, et videndum si qua oberraverit, vel impura fuerit, seu inutiliter operata sit. Sic discretio dum post innocentiam et mundanorum abjectionem, atque propriæ voluntatis mortificationem per compunctionis gratiam mundatur, atque ad spiritualium intelligentiam, et discussionem eruditur, de lavacro ascendere merito perhibetur.

CAPUT XVIII.

De discretione naturalium, et gratuitorum, et de diversis motibus animæ.

Omnes sunt gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas (*Cant.* IV). Magna est virtus discretionis qua homo investigat qua parte pronus sit ad malum, vel dispositus ad bonum, et quantum suffragari possint sibi bona naturæ, et dona gratiæ, discernit virtutes atque vitia, motus quoque cordis, causas a foris vel interius surgentes, opera perfectiora sive imperfecta, consolationem gratiæ atque cognitionem eorum, denique interiorem et exteriorem

Digitized by Google

statum cognoscere studet. Discretio enim apposita verbo Dei penetrabilior est omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis : hæc indicat homini qualiter duplex affectus sit in ipso, carnalis videlicet ac spiritualis, quodque quandiu carnalis nondum est edomitus, non possit anima perfecte in spiritualibus delectari ; etsi exsultet in Domino, non tamen exsultare potest caro, secundum quod Propheta dicit : *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (*Psal.* LXXXIII). Quandiu tam diversus et divisus est homo, non plene assurgit ad spirituale gaudium, nec ad aliquod opus laboriosum peragendum. Imperfectus enim adhuc carnalis ad aliquod opus laboriosum est invalidus, ad quod agendum de suo nihil habet, id est, in quo eum non trahit aliqua voluntas cordis, vel delectatio carnis seu humana aliqua causa, vel occasio cum quibus spiritualia agere plurimum prævalet, ad quæ ex sola gratia minus promptus esset. Talis animæ imperfecta sunt opera omnia et desideria ; quia partim impetu carnis fertur, partim spiritualiter movetur. De tali suspicandum est, quod in omni opere quo frequens, vel promptus invenitur, vel longo tempore perseverat non hunc sola gratia juvat, sed simul humana aliqua delectatio. Si autem frequentius hunc venialium motus quam rationis vel charitatis impelleret, nisi per pœnitentiam illa deleret, timendum esset quod cito in mortale casurus esset, atque arena talium obruendus. Quandiu tamen non ita cæcatur aliquis ut a charitate deviet, non erit infructuosum quod egerit, quia meritum non amittit quidquid ex charitate fit. Si denique inimicus aliquem constitutum in charitate ad aliquod opus bonum incitet, ut ab utiliori avertat, vel aliquo modo decipiat, etiam hoc ipsi nescienti, et hoc bene intendenti meritorium erit, quia ex charitate fit. In tantum enim castra diaboli militant Deo, in quantum intentione mala ad aliquod bonum hominem dæmon incitat. Inimicus enim non semper manifeste impugnat, sed interdum sub specie boni se fingit homini ut decipiat. Ipsa quoque natura hominis atque dispositio in aliquo bono opere contraria est et invalida, in aliquo ita prompta, ut ejus alacritas devotio videri possit : potentia enim valde sunt in homine naturalia, ita ut in imperfecto ex his frequentius procedant motus cogitationis, locutionis et operis, et item gaudii, vel tristitiæ, alacritatis cordis vel tædii, et aliorum affectuum animæ. In devotissimo quoque, et qui omnes motus interiores et exteriores perfectius regit, tamen quæ gerit secundum dispositionem ipsius formantur, et naturalia hæc juvant vel impediunt.

Sicut enim vulgo dicitur, illud quod in vase aliquo fuerit de vase sapit ; unde contingit ut iracundus, etiamsi bono zelo moveatur, amaritudo naturalis se misceat. Si quis levis fuerit aut remissus plusquam debeat, ille rigorem districte, iste clementiam exsequetur dissolute. Item tristis, vel rigidus aliquis ex naturali dispositione minus exhibet benignitatem, benevolus et jucundus disciplinæ rigorem. In his et similibus custodiendum est ab ea quæ dormit in sinu nostro, humana videlicet fragilitate, ut caveat sibi etiam devotissimus aliquis ab his motibus quibus naturam sentit ad malum dispositam et pronam. Hæc omnia discretio cognoscit et dijudicat, et qualiter cum his agendum sit ut meritoria fiant. Intelligit etiam qualiter opera virtutum, videlicet humilitatis, patientiæ, obedientiæ, mansuetudinis, charitatis, et cæterarum aliarum natura hominis, vel alia causa juvet, vel impediat. Et quod non secundum quod aliquis promptus est, vel tardus in horum aliquo mereatur, sed secundum quod radicatus est in virtutibus, et intensam habet charitatem. Habet enim secundum naturalia hominis vel aliam causam interdum aliquis majorem charitatem, habens in aliquo virtutis opere minorem alacritatem, et minorem charitatem habens majorem alacritatem. Virtutes enim, cum omnes, sint pares, non æqualiter omnes exerceri possunt, quia secundum naturalem dispositionem pronior est aliquis ad istam exercendam quam ad aliam ; quæ tamen omnes pares sunt, quia ex eadem radice procedunt. Si ergo aliquis pronior sit et magis dispositus ad compassionem quam ad patientiam, adeo perfecta tamen est in illo patientia sicut compassio, quia ex eadem charitate procedit utraque virtus. Ex quanta enim charitate compatitur, ex tanta patiens est, quia ex pari et utraque virtute æqualiter meretur, quia par charitas, par præmium consequitur. Et quamvis laboriosius quis hanc exerceat quam illam, si tantum motus intenditur in ista peragenda sicut in illa, tantum meretur ; imo magis hic qui conatur et laborat, quia hic major est pugna magis meretur, et magis in eo charitas augetur. Simile judicium est de devotione ; quia, si duo sint in pari charitate, et alter gratiam habeat se exercendi in devotione, alter tentatione laborat, vel contra aliquam infirmitatem, vel imperfectionem bellum gerit, tantum meretur iste motibus et conatu pugnæ, quantum ille devotione et mentis alacritate, imo magis mereri poterit si legitime certaverit. Paulus in labore tentationis maxime posse mereri aliquem, et in eo augeri charitatem perhibet his verbis, quibus dicit : Quando infirmor tunc fortior sum et potens (*II Cor.* XVIII). Vehemens quippe tædium et amaritudo cordis virtutes exercet, non evertit. Sive ergo aliquis acedia laboret, et ariditate cordis, et tentatione aliqua, sive devotione perfruatur, tantum mereri potest in illo adverso statu sicut in isto prospero, si tantum intendatur motus ejus et conatus in reluctando.

Contingit autem ut in ea virtute ad quam melius dispositus est aliquis magis moveatur, et ita magis mereatur, unde infirmis devotionis status plerumque fructuosior est, robustorum vero et constantium

Digitized by Google

est in adverso statu amplius mereri. Contingit tamen ut infirmus in pugna spirituali æquetur forti; quia, quo invalidior est eo, in resistendo magis laborat; unde quod ille acquirit virtute, hoc iste majori fatigatione. Si vero imo, quia frequentius in venialibus labitur tam infirmus quam fortis; quia similiter in resistendo laborat, magis contingit ut pœnæ debitæ venialibus, respondeat pœna resistendi, et pœna pœnam deleat. Attamen qui venialia minus committit, sæpe in eo amplius charitas crescit. Intelligit hæc omnia discretio, et tam adverso statu quam prospero bene uti novit. Hoc igitur modo geminum fructum facit, dum utrumque statum moderatur, et ex eo proficit. Et item dum et malum cavet indiscretionis, et bonum prudenter agit. Si aliquis enim bene intendat et minus prudenter agat, offendit; quia, se recte offeras, et recte non dividas, peccasti, ait auctoritas; facit item geminum fructum, dum et intus cogitationes regit, et foris opus prudenter disponit. Non solum hunc duplicem fructum facit in se, facit etiam hunc in aliis quos tam admonitione prudentiæ emendat, quam recte operandi exemplo. Recte ergo capreæ istæ (discussiones videlicet discretæ) geminum fructum habere dicuntur, quæ et in se, et in aliis fructificant fetus spirituales generant, et non est sterilis inter eas. Nullus enim labor discutiendi hæc, nullus motus piæ intentionis, nihil denique quod charitate fit sterile esse poterit, sed fructuosum est atque meritorium.

CAPUT XIX.

De custodia loquendi et dulcedine.

Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce (*Cant.* IV). Labia sponsæ vittæ comparantur quia sicut vitta constringit crines, ne dissolute defluant, ita devota anima labia sua ligat et cohibet ne mala vel inutilia loquantur et in perniciem proprium vel aliorum defluant et dissolvantur. Quæ vitta coccinea dicitur quia per coccinum charitas intelligitur, quo labia hæc ligantur. Per dilectionem namque Dei et proximi continentur et reprimuntur verba, ne videlicet proferatur quod vel Deum offendat, vel proximo noceat. Dilectio hæc Dei lectio, vel Dei electio dici potest. Legit enim Deum in cordis schola, ibi discit Deum noscere, Deum sapere. Eligit etiam Deum in amore, et elegit eam Deus, et prælegit; unde et præ aliis in eo legit, et discit quæ cogitat, loquitur atque agit. Qui unus Spiritus est cum Deo, quæ aliena sunt ab eo sicut non sentit, ita non loquitur. Qui bonitati sociatur, ab ea per noxia non disjungitur. Qui adhæret veritati, a vanitate avertitur, quia veritas et vanitas in uno domicilio non commorantur, et quis devotus fuerit, per inutilia verba non defluit. Labia ergo sponsæ, quia verba comprimunt ne dissolute fluant, vitæ comparantur. Quia vero per dilectionem Dei tinguntur, coccino assimilantur. Solent vittæ, dum crines ligant, etiam caput ornare, ipsumque ornamentum in mentibus demonA strare. Sic custodia et disciplina loquendi mentem decorat, quæ caput et principale est hominis, et foris pulchram animam demonstrat. Verba enim dissoluta, et inepte prolata exterius deformant, et intus rectitudinem mentis dissipant. Quot enim verbis superfluis aliquis utitur, tot modis extra se ducitur, et a custodia sua dissipatur. Ubi vero composita fuerint verba et cum disciplina prolata, testimonium dant constantiæ mentis, prudentiæ atque discretionis. Labia ergo sponsæ comparantur non qualicunque vittæ, sed coccineæ, quæ prætiosior est; quia tanta disciplina loquendi sublimior et dignior in ipsa est, quanto non habetur ex humana sapientia, vel naturali dispositione tantum, sed ex divina dilectione. Est autem naturaliter aliquis bonæ dis-
B positionis, et modestæ loquelæ, alius ex prudentia naturali verba sua moderans, juxta quod Salomon ait: *Qui moderatur labia prudentissimus est* (*Prov.* X); sed magis gratum est, et ædificat quod habetur ex gratia et charitate. Unde subditur quod eloquium talis animæ sit dulce. Merito dulce est eloquium, quod ex gratia et divina dilectione procedit, unde quia de tali radice oritur, delectat foris et ædificat. Quod ex arenti et vacuo corde profertur, quia de pleno non fundit, non ædificat, vel reficit. Qui in se inops est, alios locupletare non potest, non refundere, quo non est infusus. Qui enim verba profert de pleno corde, et quod dicit implet opere, hujus effectum habent verba, sapiunt et dulcia sunt. Merito ergo devotæ animæ dulce est eloquium
C et delectat, gratum est et ædificat, quia procedit ex charitate et profluit ex fonte gratiæ. Gustat enim quoniam suavis est Dominus: unde dulcedinem, quam experitur, refundit, et plenitudinem qua fruitur, eructat; quia enim repletum cor spiritualibus deliciis, eructat foris verbum bonum dulcedinis, consolationis, instructionis, admonitionis; cordis promptuaria plena sunt his divitiis eructantia ex hoc dono gratiæ in illud, ex hac meditatione spirituali in illam, ex una plenitudine in aliam. Ex abundantia ergo cordis habet refectionem, ex gustu dulcedinem. Dulcia item habet verba, quia mundata est conscientia a vitiorum amaritudine et carnalitatis fœce. Unde non sapiunt rancorem, non
D indignationem, non iram, non invidiam, non detractionem, non denique aliquid quod noxium sit, vel inhonestum, vel latentis in anima vitii, vel imperfectionis, unde proferat judicium. Habent verba talis animæ benignitatem vel charitatem, mansuetudinem, patientiam, humilitatem. In accepta amaritudine injuriæ servant dulcedinem, quia retinet anima charitatem. Nec tantum est patiens, sed etiam benigna, ut magis de lædente se doleat, quam de sua læsione ut ei condoleat. Promior est ad ignoscendum quam ad irascendum, ad compassionem quam ad indignationem. Sicut enim in Ecclesiastico legitur: *In mandatis Dei tabitudo et mors* (*Eccli.* XXVIII), id est compassio qua aliquis tabescit per compassionem de peccatis proximorum,

Digitized by Google

et mors, id est mortificatio vitiorum, quia hæc in se mortificavit, provocatus non solum ignoscere, sed etiam compati novit. Dum enim propriam miseriam cognoscit, et misericordiam ipse a Deo quærit, ut sibi ignoscatur, miseretur, ut sibi Deus misereatur: *Memorare testamenti Altissimi*, ait Ecclesiasticus, *et dispice ignorantiam proximi* (*ibid.*), testamentum Altissimi est, id est pactum, ut si dimiserimus, dimittatur nobis. Qui sibi dimitti vult hujus testamenti memoratur, et dimittit ut sibi dimittatur; despicit quoque ignorantiam proximi, id est contemnit, et non curat stultitiam conviciantis vel se lædentis. Stultus enim est qui lædit et ignorat quod facit, quia sibi nocet, et ei quem lædit obsequium præbet. Stultus enim servit sapienti (ad salutem scilicet) dum affligit, locum quoque ægroti obtinet qui injuriatur, dum motus suos cohibere non valet; patiens vero et tolerans fortis, et incolumis modum gerit, dum non vincitur a malo, sed vincit in bono malum; vinceretur si per impatientiam succumberet, sed vincit dum fortiter tolerat; nec invidet, nec convicium respondet, nec conviciati aliquo modo nocet; non ergo vincitur a malo, ne simul malus sit cum illo, nec respondet stulto secundum stultitiam suam, ne similis ei efficiatur, sed molli responsione iram frangit commoti, et viperam lenit. Novit talis anima commotum apud se excusare, et infirmitati vel imperfectioni potius ascribere quod dixerit quam malitiæ, et hoc secum reputare, quod post paululum pœnitebit eum ita verbis excessisse. Non enim attendit præsentem statum, et quæ tunc commotus egerit, sed pristinam potius tranquillitatem, vel etiam amicitiam, et post paululum hominem in se reversurum. Non solum ergo ponit ori suo custodiam cum consistit peccator adversus eum, sed in omni tempore vias verborum custodit, ut non delinquat in lingua sua. Quia si oris vas operculum non habeat (silentii et custodiæ) immundum erit. Et quot superfluis verbis maculas contraxerit, tot de gratiæ dulcedine exsiccabit. Per oris ergo custodiam servat cordis munditiam, et ex cordis munditia foris format verba. Commendat ergo Christus in sponsa hanc custodiam, et coccino comparat, quia informatur charitate, et propter Deum non pro humana laude, vel honestate scit eloqui; ergo prædicat dulcedinem, quia non procedit ex adulatione, vel ficta verborum benignitate, sed ex gratia et cordis puritate.

CAPUT XX.

De pulchritudine animæ pœnitentis, et humilitate, et occultis ejus meritis.

Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet (*Can.* IV). In genis quas sicut fragmen mali punici esse dicit, verecundia designatur; quia, dum erubescimus in genis, rubemus. Malum punicum rubet foris, et intus candet, et plenum est granis, unde et malum granatum dicitur, cui assimilantur genæ devotæ animæ, quæ rubet foris, id est, erubescit de peccatorum præteritorum memoria et recordatione, de cogitatione turpium sive tentationum quotidiana et verecunda consideratione, de infirmitate quoque atque imperfectione: hæc ipsa indesinenter videt, ut Deus non videat cui omne cor patet, et omnia etiam judicat, ut Deus non judicet. Quod autem ante se habuerit ante Deum non erit, et quod judicat, Deus non judicabit, qui non judicat bis in idipsum; si tamen sufficienter judicaverit peccata et omnia reprehensibilia sua, et quæ Deo displicent, et ab eo objici possent ante se habuerit, et horum imaginem sibi pingit, de his rubet, id est erubescit, sibi displicet ut ei placeat, sibi vilescit, et in oculis suis turpis apparet, sed quantum de se erubescit, quantum sibi turpis esse videtur, tantum ante Deum pulchra efficitur. Sequestrat enim inutilia ab utilibus, ventilat paleas et segregat a granis, et has igne confessionis, et pœnitentiæ comburit, grana intus abscondit hac humilitate, hoc rubore confessionis et confusionis, et a peccatis efficitur munda, et ante Deum decora. Hic ergo rubor et peccata consumit, et faciem decorat. Hic cortex humilitatis bona custodit et conservat. Custos enim virtutum est humilitas. Ornat animam hic genarum rubor, accendit Deum ad ejus amorem, provocat ad aspectum. Respicit enim cœlestis sponsus verecundiam et humilitatem devotæ animæ, placet ei demissus vultus, non erectus, oculi non sublimes, sed depressi, et in tantum hunc ruborem amat et intuetur, ut ruborem peccati quo sicut vermiculus rubuit non videat, sed omnino hunc oblivioni tradat. prudenter itaque sponsa hunc ruborem altero tegit et tergit, et judex sui facta pro Deo ruborem rubore commutat, et divino conspectui gratum offert, et noxium abscondit. Amator enim hominum gratanter accipit hanc commutationem, qui non vult mortem peccatorum, sed conversionem.

Bene itaque cum Deo dividit anima, bona quidem sua divino judicio relinquens, mala vero ipsa reprehendens et judicans, noxium ruborem et salubrem convertens, et rubens per pœnitentiam quæ rubuit per culpam, ut sic quæ sorduit etiam pulchra sit, et sit pro turpitudine decor, pro fetore suavis odor. Unde genæ istæ, id est rubor malogranato comparantur, quia foris habet ruborem, et intus granorum candorem. Non autem simile dicitur integro malogranato, sed fragmentum quod partim grana abscondit, partim detegit: boni enim etsi virtutes suas occultent ut Domino tantum notæ sint, aliquando tamen ex parte deteguntur, et hominibus innotescunt. Non enim ita devotus aliquis latere potest, quin aliquoties ex aliquo virtutis opere deprehendatur quid sit. Item ubi frangitur malogranatum, ibi grana videntur, quæ non videntur ubi integrum manet, si cortex aperiatur, etiam ibi aliorum latentium candor et virtus invenitur. Sic in anima perfecta latent virtutes, sed dum pulsatur adversis, detegitur. Patientiam habere cognoscitur, dum injuriam sustinet, et non invidet, nec ab ira superatur; humilitatem, dum æquanimiter fert con-

Digitized by Google

temptum, nec exaltationem affectare deprehenditur, obedientiam per impletionem ejus in adversis, charitatem per inimicorum dilectionem, dilectionem Dei per mandatorum observationem, compassionem proximi per necessitatis subventionem. Sic per opera probatur perfectio. Et secundum Job ossa quæ tecta fuerant nudantur (*Job* XXXIII), id est virtutes quæ latuerant manifestantur. Habet etiam ruborem mali punici in genis anima, cum erubescentiam non fugit pro Christo, objectionis, paupertatis, contumeliarum, afflictionum et laborum. In his enim sibi complacet pro Christo, et hoc rubore libenter perfunditur pro ejus amore, qui in passione rubuit suo sanguine pretioso pro illa fuso. Ita ad similitudinem mali punici boni foris rubent, sed intus diversis donis gratiarum candent. Comparatur autem eorum afflictio non integro malo, quia similia Christi passioni non pertulerunt, nec sicut ille pleni gratia fuerunt, sed de plenitudine ejus omnes acceperunt. Christus enim in patiendo malo punico potest assimilari, quod plenum atque integrum est, quia plenus erat gratia, quæ ei non ad mensuram data est. Et totus in pœna rubuit, quia non parva pro nobis, vel partem dolorum, vel laborum sustinuit, sed tanta et tam gravia, ut nullus unquam dolor fuerit sicut dolor ejus. Acerbior fuit, et excessit dolores omnium hominum quos ab initio sæculi usque ad finem ejus passuri erant. Oportebat autem acerbiorem ejus esse dolorem, ut omnium dolores portaret, quia erat hostia sufficiens pro omnibus, sed non efficiens. Non enim omnes salvos fecit, quod tamen per ipsos stat, qui non salvantur. Ab hora namque nativitatis, laboravit inopia, fuga, persecutionibus, fame, siti, laboribus multis et adversitatibus. In corde etiam passus est, quia incomparabiliter afflictus est de hoc quod acerbitatem passionis suæ antequam sustinet novit, et quod hanc passurus erat certissime scivit. In passione quoque non est cruciatus in parte corporis, sed in toto corpore. Non enim tantum transfixa sunt clavis membra, sed ipsum quoque corpus pertulit extensiones, pœnam et flagella, et caput præter alapas, et oculorum velamen, etiam spinarum sustinuit punctiones et vulnera. Quia ergo tam graviter, et tam multipliciter passus est Christus, ideo omnis electorum afflictio, quam pro Christo vel Christi exemplo pertulerunt fragmini tantum potest comparari, quia respectu eorum, quæ pertulit ille, parva erunt quæ pati potuerunt et tantum modica pars eorum. Unde dum ista considerant et cognoscunt, parvipendunt omnia quæ pati possunt, et dum cogitant illius celsitudinem, et eorum quæ pertulit magnitudinem, et quod hoc, sicut beatus Job loquitur passus est absque iniquitate manus suæ (*Job* XVI), quodque contritus est propter scelera nostra, et livore ejus sanati sumus (*Isai.* LIII), semper deprimunt quod ipsi agere possunt. Delectat eos pro illo adversa sustinere, accendunturque ad majora ex ejus amore, et semper humiles manent in se, foris laboribus et afflictionibus rubent, A intus virtutibus candent, mala patiuntur, bona agunt, et sibi vilescunt. Fragmini mali punici comparantur genæ devotæ animæ. Et præter hæc intrinsecus habet diversa merita et dona Spiritus, perfectionem amoris Dei, et desiderium pro illo moriendi.

Quod si non conceditur in corpore, facit sibi martyrium in mente. Mortificat carnales appetitus, propriam voluntatem, vitia cordis, pravos mores; luctatur cum propria carne, et cum inimico indesinenter eam impugnante. Martyrium quoque abstinentiæ invisibiliter habet in mente, dum reprimit oblectamenta terrena cordis, et motus sensualitatis, dum renuit omnes consolationes, quæ carnaliter delectant. Spiritualiter patitur, dum frigitur in mentis sartagine zelo animarum, dum cruciatur de B contemptu justitiæ, de prævalente malorum iniquitate. Martyrium quoque passionis obtinet, dum affligitur pro peccantibus, dum compatitur infirmantibus, dum condescendit quacunque necessitate laborantibus. Latet item, nec foris apparet qualiter omnis gloria ejus sit ab intus, et quod filia sit regis superni, quomodo ei serviat, non timore pœnali, sed dilectione filiali; quod justificationes Dei facit, non tantum propter retributionem, sed voluntarie Deo sacrificat et confitetur, id est, laudat eum quoniam bonus, diligens bonum propter bonum, et delectatur ipso bono et Dei beneplacito. Denique in Deo tantum gloriatur, non in sæculo, vel aliqua re, sine commodo exteriori vel terreno. Item testimonium habet conscientiæ bonæ nihil quod con- C scientiam remordeat, nihil quod contra Deum esse credat agens, nihil aliter quam secundum Deum intendens. Multipliciter etiam meretur occulte in corde; quia, solo Deo teste, multa intendit interius vel gerit. Meretur enim motibus desideriorum, contemplatione supernorum, cordis compunctione, amoris Dei delectatione, proximi compassione atque oratione, voluntate efficiendi aliquid quod non valet; quia tamen ante Deum tantum facit, quantum intendit; recte ex quanta charitate intendit tantum meretur, quia tantum fecisse judicatur. Habet etiam occulta merita in corde, quæ quamvis lateant, a Deo sciuntur; quia, ipso solo teste et conscio, in occulto multa quæ merita sunt geruntur. Quot sunt modi quibus se occulte propter Deum D in corde, vel in opere humiliat, vel humiliata ab aliis libenter id tolerat, multoties etiam injuriata tacet, cum rationabiliter respondere posset ne patientiæ virtutem deserat? Interdum etiam, cum major fuerit injuria et melior excusationis causa, non se defendit vel excusat, sciens quod tunc magis in ipsa virtus proficit, et meritum crescit. Cum verbosi sint amici ad Deum stillat oculus ejus. Amici enim sunt hi qui injuriantur, quia de his lucrum facit, nec nocent, sed obsequuntur: quia enim verbis obstrepunt oculo intentionis ad Deum stillat quem conscientiæ novit testem et occultorum remuneratorem. Novit pro loco et tempore nunc silere, nunc loqui, nunc se opponere quibusdam

Digitized by Google

causis, nunc tolerare, nunc aliquid agere, nunc intermittere, in quo non negligentia ducitur, sed discretione utitur et pura intentione. Hæc sunt quæ intrinsecus latent, et commendant sponsam in oculis interni arbitri, qui occulta videt.

CAPUT XXI.

De profectu, et fortitudine bonorum, et scripturæ documentis.

Sicut turris David collum tuum, quæ ædificatur cum propugnaculis (*Cant.* IV). Collum caput et membra connectit. Unde per collum designantur qui vel prædicatione, vel admonitione alios convertunt, et capiti Christo jungunt. Hi sunt sicut turris David, fortes in gratia, et sublimes ante Deum : nihil enim sic placet Deo sicut zelus et lucrum animarum. Turris hæc est spirituale ædificium, constructio videlicet et cumulatio bonorum operum, augmentum gratiæ et perfecta dilectis Dei et proximi. In his per gratiam Christi solidati sunt tam prædicatores quam alii devoti atque perfecti pro modo suo et possibilitate, aliorum conversioni sollicite insistentes. Hæc turris David, qui interpretatur *manu fortis*, et significat Christum qui nos confortat, ut in Christo omnia possimus, et in quo omnis ædificatio constructa crescit et proficit. Hæc turris non tam ipsorum quam Christi esse dicitur ex eo quod Christi potius quam ipsorum virtute perficitur. Non ego, ait Paulus, sed gratia Dei mecum (*I Cor.* XV). Et Job : Ecce non est mihi auxilium in me (*Job* VI) ; unde et alibi quod in se fiduciam non haberet manifestat, dicens : Desperavi (*Job* VII). Qui per hoc quod de se desperavit, melius in divina spe convaluit. Quantum fideles de se diffidunt, tantum in divinæ spei adjutorio confidunt, et quantum de se infirmantur, tantum fortes sunt et potentes in Deo. Sicut enim quod seminatur nisi prius moriatur, ita proficere volens non roboratur, nisi prius in se infirmetur, et ex hoc humilietur, nec in Deo proficit, si non prius in se deficit, et defectum suum cognoscit. Impossibile est igitur quempiam de seipso triumphare posse, donec experimento didicerit propria se virtute obtinere non posse triumphum. Itaque infirmitatem cognoscentibus, et per hoc se humiliantibus, et in se non confidentibus robur præbet Christus, ut carnaliter esse fortes desinant et spiritualiter convalescant ita dum de se desperant et in Christo sperant, mutant fortitudinem, et assumunt pennas ut aquilæ atque volant. Qui enim fortes fuerat in quærendis terrenis, fortes fiant in appetendis supernis et cœlestibus : *Elegit suspendium anima mea*, ait beatus Job, *et mortem ossa mea* (*Job* VII). Quia dum intentione ad superna suspendit, fortitudinem carnalem in se mortificavit. Hæc autem carnalis mortificatio non statim, nec sine labore obtinetur. Nemo enim repente fit summus, nec scalæ summitas volando, sed gradatim ascendendo scanditur. Seipsum ergo necesse est ut quisque proficiens vincere studeat, et voluntates suas frangere, nec tantum majora peccata, sed etiam minora oblectamenta cavere. Quantum enim a voluntate propria, vel delectatione, vel consolatione carnali etiam in minimis vincitur tantum a robore deficit, et mente infirmus fit. A quo enim quis superatur, et ejus servus efficitur, et quantum superatur, tantum ad hanc servitutem perducitur. Item, quantum parvis suggestionibus inimici succumbit, tantum hunc contra se robustum facit, sicut Job in persona talis dicit : Irruit in me quasi gigas (*Job* XVI), ut ei jam resistere non valeat, cui cedendo frequenter contra eum vires dabat. Qui ergo molliter et dissolute vivendo inimico contra se vires præbuit, versa vice ut contra hunc roboretur, et illi resistat a minimis incipiat, et frequenter in talibus prævalere conetur, quatenus usu vincendo roboretur, et de minorum victoria ad majora vincenda paulatim convalescat. Debet quoque assuescere corporis oblectamenta, et commoda declinare, et voluntates cordis frangere. Quantum in his prævaluerit, et se fregerit tantum infractus et fortis spiritualiter erit. Quoties ergo vel motibus cordis carnalibus, vel inimici suggestionibus resistit, toties contra vitia, vel tentamenta sibi robur addicitur. Debet etiam pusillanimitatem et femineam mollitiem devitare, et opportunis laboribus et afflictionibus corporis assuescere. Si enim a pusillanimitate vincitur, paulatim deficiet, et a virtute spiritus enervabitur.

His modis prædictis de infirmitate convalescere debet anima, et in robur transire virile, quæ turrim spiritualis ædificii cupit in se construere. Quæ turris licet manus fortis Christi dicatur, quia auxilio et virtute ejus perficitur, oportet nihilominus ut etiam omnis hominis industria et labor adhibeatur. Hæc omnia vicerunt perfecti, quia et corpus spiritui servire coegerunt, et cordis motus illicitos rationi subegerunt. Turri igitur comparantur prædicatores vel alii devoti, qui conversioni aliorum intendere student, quia firmi et excelsi per meritum debent esse, qui alios ad superna et cœlestia studeant erigere. Habet autem hæc turris propugnacula (diversa scilicet Scripturæ documenta) quibus se contra hostes defendat, et ex quibus hostes impugnet et feriat. Videt enim in Scriptura sacra laqueos et calliditates hostium quibus homines decipiunt, nunc per aperta mala, nunc per occulta, nunc aliis atque aliis modis. Unde Dominus in Job contra militem Christi inimicum nunc pugnare ex pharetra per insidias perhibet, nunc ante faciem ejus hastam vibrare (*Job* XXX), quia alia vitia sub specie virtutum contegit, et alia, ut sunt aperta, ejus oculis objicit, et si quem aperta pugna non decipit, clypeum ei opponit, ut si resistentis pectus feriendo non perforat, saltem quibusdam objectionibus iter proficientis intercludat, et alienis cogitationibus, seu occupationibus impediat. Suggerit enim aliquid quod hominem delectet, vel utilitatem habere videatur, ut ab utiliori quod intendebat facere avertat. Sed Dominus sacrum eloquium condidit, in quo argumenta dæmonum detegit, et remedia quibus ei ob-

Digitized by Google

vetur opponit. Quot enim tentationum ejus possunt esse argumenta, tot in Scriptura contra hæc reperiuntur documenta. Ipse etiam Dominus tentatus ex Scriptura inimico respondit. Nam cum lapides in panes eum commutare suaderet, hunc ex Scriptura confudit (*Matth.* IV). Cum itaque nobis esum panis (id est terrenæ delectationis) suggerit, cogitemus beatos nos magis si labores manuum nostrarum manducemus, si videlicet de tribulatione laborum spei consolatione, et gaudiis reficiamur. Qui enim ex Scriptura intelligit, quam mercedem pro labore suo exspectet, et quod pro singulis laboribus mille annorum computatio in æterna felicitate, et amplius respondeat, jure melius laboribus suis quam terrena delectatione reficitur, et jucundius hunc manducat. Illud ergo beati Job recolamus : *Panis ejus in utero vertetur in fel aspidum intrinsecus* (*Job* XX). Quia terrena delectatio in fine retributionis amara, dæmonum persuasio fuisse cognoscitur, dum hanc pasti ad æterni cruciatus amaritudinem perducuntur. Hæc duo testimonia Scripturæ quasi duo propugnacula sunt, quibus ab hoste defendamur, et eum vincamus. Item ex Scriptura docemur quod deorsum nos immittere suadet inimicus, cum affectare miracula suggerit. Nam legimus quod melior est infirmitas conscientiæ signorum vanitate. Paulus quoque docet nos relinquere quæ retro sunt, et extendi ad anteriora (*Philip.* III), ad virtutem scilicet profectum, non ad gloriam miraculorum. Signa enim dantur propter infideles, ut per hæc convertantur ad fidem, sed virtutes animæ requiruntur a fidelibus (*I Cor.* XIV) : nam sine istis non est salus. Signa vero interdum facta sunt ab infidelibus, sive etiam reprobis, utpote ab Alexandro Macedone et Juda proditore, et aliis multis, qui ad damnationem hæc faciebant. Ab aliquibus fiebant propter circumstantium fidem sive utilitatem. Interdum quoque fiebant per dæmones signa, sicut scriptum est, quod quidam spiritus dæmoniorum sunt facientes signa. Inter fideles itaque et maxime inter spirituales hujus temporis signa merito suspecta sunt, maxime illa quæ ostentationem habent, nullam autem utilitatem, quæ scilicet feminis istis contingere dicuntur, et quod a dæmonibus potius fant quam a Deo ostenditur. Sunt enim his diebus aliqui, juxta Apostolum, qui attendentes ad quosdam spiritus errorum, a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem et rumores novorum convertuntur, quia miracula quædam sive a dæmonibus facta, sive a quibusdam quibus contingere videntur conficta, magis quam morum perfectionem et virtutes mirantur et attendunt. Dicit enim B. Gregorius quod perfectio sit non quidem facere miracula, sed unumquemque sicut se diligere, vera de Deo cognoscere et meliora de aliis quam de nobis sentire.

Item dicit quod tantum quisque perfectus est, quantum perfecte sentit dolores alienos. Et item quod ille vere est perfectus, qui erga imperfectionem proximi impatiens non est. Charitas ergo, humilitas, patientia et cæteræ virtutes, atque perfecti mores perfectum faciunt hominem, non miracula. In virtutibus itaque salus est, super has roboratur et firma consistit anima in miraculis non solidatur vel fundatur, sed elevatur et supervacuum et inane levatur. Deorsum ergo se mittunt qui affectant miracula sine utilitatis causa et supervacuum suspenduntur, non in solido et tuto consistunt, ut retrocedant, non in antea ut de virtute in virtutem eant. Sed econtra nos docet Scriptura non tentare Deum in exhibitione miraculorum, sed magis perfectioni virtutum studere, et in implendis mandatis operam dare. Tertiæ quoque tentationi obviare nos docet sua responsione Dominus, cum dicit : *Dominum Deum tuum adorabis* (*Matth.* IV). Ubi enim Deum adorandum dicitur et regna mundi contemnit, ad cultum Dei provocat, et veras divitias quærere, falsas contemnere docet. Si enim Deum colamus, et illi serviamus interminabiles divitias possidebimus, quia de singulis operibus bonis majus nobis dabitur præmium quam sit mundi regnum. Denique de singulis qui salvabuntur habebimus singulare gaudium, et de singulorum abundantia magis ditabimur, quam si toti mundo dominaremur. Hæc Scripturæ testimonia atque exempla propugnacula sunt, quibus nos ab hoste defendamus, et alios instruamus et accendamus, et in hostem jacula mittamus, unde ipse inimicus in Scripturæ intelligentia nos impedire conatur, ne in ejus eruditione proficiamus terrenis cogitationibus vel carnali scientia puritatem spiritualis intelligentiæ maculans et offuscans. Sed cum Redemptor noster ab eorum tentationibus nos defendit, tunc mens hanc scientiam apprehendit, sicut in Job legitur : *Erit Omnipotens contra hostes tuos, et argentum coacervabitur tibi* (*Job* XXII), id est charitas et puritas divini eloquii. Deus ergo suos, dum intelligentia sacræ Scripturæ erudit, et pabulo reficit, cautos pariter et fortes contra tentationes facit, sicut recte in Job legitur : *In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii* (*Job* V), ut dum verbo Dei reficiuntur, in bello tentationis non superentur. Quoties ergo tentationibus inimici resistimus eumque confutamus, tam ex Scripturis edocti quam a Deo adjuti, toties enim percutimus et vulneramus, et retorquetur in eum pœna quæ nobis infligeretur si ab eo vinceremur : hæc Scripturæ documenta ac testimonia propugnacula sunt quibus miles Christi se munit et tuetur.

CAPUT XXII.

De vera perfectione et exemplis perfectorum.

Mille clypei pendent ex ea (*Cant.* IV). Clypei virtutes sunt quibus contra vitia seu tentamenta defendimur. Per millenarium vero earumdem perfectio designatur. Si enim fundatæ fuerint virtutes in anima, perfecte se despicit, et vere humilis est, minus læditur vel gravatur, robur non habent contra hanc vitia, seu tentamenta, et qui perfecte se

Digitized by Google

despicit, et vere humilis est, minus lædituv vel gravatur, si contemptus habeatur. Superbiæ enim jaculo non perforatur qui in humilitate fundatus humilitatem exaltationis intelligit, et de contemptu vel abjectione gloriatur sicut scriptum est : *Glorietur humilis in exaltatione sua* (*Jac.* 1). Qui enim inimicos diligit, invidiæ aditum obstruxit; quia invidia non penetrat pectus quod charitatis perfectione munitum invenerit, nec injuria aliquatenus commovebitur, qui virtute patientiæ fundatus etiam de opprobriis lætatur. Item, sua quærere non potest qui per charitatem sua aliis cupit esse communia. In cæteris virtutibus munitus est miles Christi ut contrariis vitiis obviare possit, et qua parte illum impugnant in ea parte virtutibus repelluntur, et repulsa resiliunt. Mille itaque clypei pendent in hac turri, cum omnes virtutes homo obtinuerit et perfecte assecutus fuerit, ut nulla parte vitiis ac tentatori locus patere possit. Quantum enim in aliquo indomita sunt vitia, ut carnales appetitus, tantum erga eum potentiora sunt, et robur habent vitia ad impugnandum eum. Cum vero devicta fuerint et mortificata, et contrariis virtutibus illuminata, tunc si forte tentant, vel impugnant illico resiliunt, nec prævalere possunt. Qui vero in virtutibus infirmatur, et vitia quidem nondum edomuit, in seipso gerit unde tentetur et infirmus sit. Hinc est quod apostolus dixit unumquemque tentari a concupiscentia sua (*Jac.* 1), sibi videlicet adhuc insita, nec plene devicta. Donec enim virtus ac vitium in homine certant, nec quietum locum virtus obtinet, necesse est hominem multis tentationibus concuti ac fatigari, et nunc superiorem, nunc inferiorem esse. Cum vero virtutes perfecte possederit, tunc carnalitatem perfecte premit, et ejus incursus superat, ac repellit. Hæc itaque signa sunt perfectionis, si vitia ita subegerit, ut tentatus sive a carnis concupiscentia, sive gula, sive voluntate propria, sed propinquorum affectu, vel carnali aliquo motu robustum se contra hæc sentiat, et facile sub se hæc comprimat. Item perfectus vir regitur ratione, imperfectus vir sæpe sensualitate ducitur, et ab hac aggravatur. Debet enim perfectus vir caput esse membris, id est sensualitatis, et hanc sub se habere et ratione comprimere. Ut autem hanc regat et comprimat, ideo illuminari et roborari hanc oportet a Christo, ut motus carnales cognoscere possit et cognitos refrenare. Si enim Christus caput sit viri, et rationem regat, vir quoque, id est ratio inferius suum, sensualitatem videlicet consequenter regere poterit, et quantum spiritum Christi acceperit, tantum ad hanc comprimendam vires habebit. Perfectus ergo est qui virtute spiritus et voluntates carnis, et voluntatem cordis potenter comprimit. Item hæc, scilicet, signa perfectionis, si de bona conscientia non de falsa justitia, vel præsumptione fidei procedant, mortem habere faciunt in desiderio, et vitam in patientia propter Deum et fraternam utilitatem. Quia igitur talis est miles Christi qui prædictas virtutes atque perfectionem assecutus est, turri quæ mille clypeis munita est comparatur. In qua turri omnis armatura fortium esse adjungitur, fortium armatura est sublimis operatio bonorum, et eorumdem exempla virtutum, hac armatura se studet miles Christi munire, qui vitam propriam studet horum exemplo reformare. In his videt quisque quales labores cordis, et afflictiones, qualesque pertulerunt tentationes, quam viriliter decertaverint, et voluntates fregerint, et in præceptis adimplendis laboraverint. Quanta in eis fuerit vitæ munditia, cordis puritas, et omnis perfectio virtutum. In solitudinibus, seu in monasteriis quanti fuerint qui nunquam pane sunt saturati, nunquam somno plene refecti, nunquam vestibus calefacti, nunquam lecti suavitate oblectati, quia cum his egentes et afflicti essent, virtutum perfectione et gratiæ plenitudine divites, dæmonibus imperantes, infirmos curantes, et mente in cœlo conversantes. Horum omnium et cætera exempla sunt fortium arma, quæ miles Christi penes se habet, quibus utitur, armatur, munitur contra hostes animæ, contra mundum, contra seipsum. Qui exempla hæc penes se habuerit, qui tales semper attendit otio tepere non potest, nec inermis ac dissolutus ante hostes perire. Habent quoque mali arma sua, membra scilicet, quæ exhibent arma iniquitatis peccato. Oculis namque vident ad concupiscendum malum, lingua utuntur ad detrahendum, convitiandum, vel ad vana, vel inutilia loquendum, aures habent prurientes ad audiendum nova, sive nocua, pedes eorum ad malum currunt, et manus operantur iniquitatem, quorum dextera dextra est iniquitatis. Denique corde simul et corpore militant peccato, ac per hoc diabolo; horum arma non muniunt, sed occidunt, tantoque gravius his armis aliquis vulneratur, quanto talibus familiarius jungitur. Qui enim malis sociatur et eos attendit, a bono separatur.

Duobus quippe modis nocent, quia exemplo corrumpunt, et falsa laude seducunt. Quia enim bonum ignorant, optimum illum prædicant qui non fuerit, et illum bonum, qui fuerit malus nimis, quorum laudibus dum afflictus fuerit aliquis, paulatim sui cognitione privatur, et talem se credit qualem se audit. Sentit enim de se, non secundum proprii cordis testimonium, sed secundum judicium eorum qui de se sic vel sic opinantur. Unde plurimi de seipsis falsa opinione moventur. Quæ enim præ oculis sunt, ad hæc facile animus inclinatur, ut hæc attendat, vel secundum hæc sentiat. Unde necesse est ut magis oculis cordis studeat fortes et perfectos inspicere, et eorum virtutes sive facta coram se ponere et attendere. Malos si attendit et eorum judicio se credit, decidet et seducetur, et ad deteriora devolvetur, bonos si cogitat, humiliabitur et ad bonum promovebitur. A malis ergo sive dissolutis debemus animo alienari, et hos (quamvis juxta positos) ignorare, ab eorum consideratione aspectum avertere, cordis vero oculis bonos inspicere, et eorum con-

Digitized by Google

versationem considerare atque virtutibus studere. Inter hos debemus mente conversari quorum conversatio in cœlis est, et ita, juxta quod scriptum est, ambulare cum bonis. Si cum bonis talibus assidui sumus, et hos quasi notos sciamus, et desiderio atque amore eis sociemur, utique assimilabimur, ut cum sanctis simus sancti, cum robustis perfecti. Hoc ergo modo nos debemus ad eos conferre, et eorum ad nos exempla transferre, et quasi arma quibus spiritualiter militemus penes nos collocare. Ita cum his conversatur miles Christi, et, sicut in Job legitur inter lapides commoratur (*Job* VIII), lapides utique vivos atque ad structuram cœlestem pertinentes, firmos, atque quadratos, sectis et amputatis vitiis et carnalitate. Cum his corde ambulat, inter hos commoratur, non inter lapides terrenos, homines, scilicet carnales qui de terra sunt et terra loquuntur, et terreno more agunt atque sentiunt. Inter hos commoratur qui eorum favoribus vel moribus delectatur. Bonus autem inter lapides commoratur cum quibus sibi pactum est, sicut ad Job dicitur : *Cum lapidibus regionum pactum tuum* (*Job* V). Cum lapidibus regionum pactum habet quicunque ad ædificium supernæ civitatis pertinet, ut scilicet firmos ac fortes qui per mundi regionem sunt vel fuerunt imitetur et eis assimiletur. In hac ergo turri, viro videlicet perfecto omnis armatura est fortium, id est exempla et opera viriliter in Deo certantium. Horum constantiam in laboribus, patientiam in adversis, temperantiam in prosperis, charitatem erga inimicos, obedientiam in duris, tolerantiam in injuriis, devotionem mentis, sublimitatem contemplationis in memoria collocat, hæc cogitat, in his se exercet, hæc imitari studet, et horum exemplo in militia spirituali se devotum ac strenuum exhibet : bonorum enim exempla ædificant, instruunt et accendunt. Hanc ergo fortem armaturam penes se habet, et hac utitur, ut meritis horum æquetur, et præmiis donetur.

CAPUT XXIII.

De pietate bonorum, et maxime beatæ Virginis.

Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ (*Cant.* IV). Hi sunt ubera quos superius collum dixerat, doctores sed et perfecti alios ad bonum admonitione convertentes. Hæc ubera lacte replentur charitatis quo juniores et teneriores reficiunt, et quasi matres lactant et alunt. Non habet hæc ubera anima adhuc carnalis, donec crescat in gratia, et sanguinem carnalitatis convertat in lac devotionis. Cum vero in gratia creverit, et pietatem conceperit, tunc mater fit, lactat teneros, consolatur desolatos, contumeliis pulsata vel injuriis affecta patientiæ et compassionis lac fundit, non sanguinem carnalis commotionis. Quia enim pietatis lacte repleta est, dulcedinem exhibet quam accepit, magis miseriis se ex lentis compatitur quam injuria moveatur. Est in eo qui injuriatur nequitia cordis, et est miseria animæ. Sustinens quoque in se habet unde moveatur ad iram, sive ad clementiam. Si potius indignatur quam compatiatur, carnalis est, et miseriæ peccati etiam ipse obnoxius ; quia sicut ille peccat per nequitiam, ita iste per iram et impatientiam. Sanguis sanguinem tangit, id est peccator peccatorem. Tactus probat quisque qualis sit. Si ubera haberet tactus, id est injuria pulsatus lac funderet. Cum autem injuriam patitur, et non compatitur; dolet et non condolet, quia pietatis lac non effundit, probat se habere non ubera, nec matrem esse, sed sororem adhuc parvulam et ubera non habentem. Quia ergo anima perfecta desuper accipit gratiam quam aliis refundit, et sic ipsa quoque lactatur, merito hinnulis comparatur, qui ad lac currunt, et alta petunt. Surgit enim unde ipsa crescat, et alios reficiat. Duo hinnuli sunt activi et contemplativi, qui utique ad lac gratiæ currere non cessant, hoc desiderant, et ad perfectum semper tendunt, et superna petunt. Semper se novos, semper incipientes et insufficientes se reputant, quia ad anteriora se extendunt, donec occurrant in virum perfectum, donec profecto perveniant ad perfectionem ; nunquam arbitrantur se apprehendisse, sed apud se dicunt se tantum incœpisse, apud se parvuli semper sunt, id est humiles, et ideo lac gratiæ quærunt, ad hoc tendunt, hoc sugunt : unde quia ad hoc lac indesinenter currunt, hoc percipiunt, et hoc reficiuntur, ac ita dulcedine hujus replentur ut ejus abundantia aliorum inopiam supplere sufficiat. Hi sunt hinnuli capreæ, id est Ecclesiæ, quæ alta petere solet, gemelli; quia eadem doctrina reficiuntur utrique, sicut gemelli nutriuntur eodem lacte. Ita enim erudit Scriptura sacra contemplativos sicut et activos, et ideo inveniunt utrique quo spiritualiter nutriantur. Hi autem pascuntur inter lilia. Per lilia quæ nitent et odotem habent, munditiam bene viventium et odorem virtutum accipimus. Inter quæ pascuntur hi gemelli, quia in munditia bonorum et bono odore conversantium delectantur. De horum salute, pariter et boni exempli odore gaudent, et quod aliis præbent in his lætantur, inter hæc delectabiliter reficiuntur. De malorum enim interitu torquentur, de bonorum vero profectu et prosperitate gratulantur quandiu degunt in hujus mundi exsilio et cæcitate. Et hoc est quod sequitur, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. Donec deficiat ignorantia et miseria præsentis vitæ, et luceat dies æternitatis et divinæ cognitionis. Possunt autem hæc ubera ad beatam Virginem transferri. Ipsa enim habet duo ubera geminæ dilectionis lac fundentia, quia reis impetrat veniam et justis gratiam. Quæ ubera sunt sicut duo hinnuli capreæ ; hinnulos hos intelligere possumus angelos et hominum animas ad regnum jam translatas. Qui bene hinnuli dicuntur, quia montem cœlestis habitationis conscenderunt, et divinæ contemplationis dulcedine reficiuntur sicut hinnuli et alta petere solent et lacte nutriuntur. Hi hinnuli gemelli sunt capreæ, id est Christi a quo pariter capiunt et sugunt lac geminæ

Digitized by Google

dulcedinis, divinitatis scilicet et humanitatis. Caprea enim est Christus, quia saliit in montibus et transiliit colles. Et ita saltum dedit in uterum B. Virginis. Et de hoc in mundum, et de mundo in cœlum, ubi pascit hinnulos istos cœlesti lacte. Itaque cum tam angeli quam sanctæ animæ pro peccatoribus solliciti sint, et eis tam meritis, quam intercessione subveniant, credendum est beatam Virginem tantum in hoc posse, quantum utramque hanc creaturam, imo utraque potior judicatur, quia utraque per hanc reparatur, et angelorum ruina per hanc restaurata est, et humana natura reconciliata. Quid autem mirum si beata Virgo, et peccatoribus reconciliationis, et piis gratiæ lac fundit, quæ mundum reconciliavit, et ipsam gratiam peperit, imo ipsum fontem gratiæ qui distenditur per mundum et extenditur usque ad mundi terminum? Est enim beata Virgo paradisus de qua egreditur fons iste, qui deinde dividitur in quatuor capita, quia de corpore Christi quod de ipsa processit, profluxit fons sanguinis qui sacramentaliter inde fluxit in quatuor mundi partes ad abluendum pariter a peccatis, et infundendam gratiam suis. Merito ergo misericordia ejus cursui hinnulorum comparatur, per mundum currit, mundum irrigat et infundit. Hinnulorum velocitati comparatur, quia velocius occurrit ejus pietas quam invocetur, et causas miserorum anticipat; hinnulis vero comparatur, quia dulcedinem bonitatis quam impendit, ipsa desuper sugit. Hæc autem sunt ubera tua, o beata, id est pietas, quibus miseros lactas, dum misericordiam eis impetras, lactas miseros et ab ipsa misericordia lactaris, ab ipsa percipis quod refundis. Prærogativam singularis gratiæ meruisti, quia privilegiata es præ mulieribus, ut non mulierum, sed virgineo lacte alueris nec hominem purum, sed Deum. Unde quam singulare hoc, quia nec primam similem hæc visa est nec habere sequentem. Merito ergo tantum posse quantum angeli sancti, et animæ sanctorum judicaris, et utrisque compararis. Ad te ergo matrem misericordiæ, matrem miserorum clamant exsules filii Evæ, clamant ipsæ miseriæ. Habet enim miseria clamorem, et vallis hæc lacrymas: vallis est enim lacrymarum, adeo ut si ipsi miseri non clament, ista auribus tuis non insonent. Non possunt hæc ante te silere, nec auditum tuum latere, eo quod aures audiendi miserias habeas, et te has scire sit eas audire. Sicut enim ubicunque fuerit corpus, congregantur et aquilæ, ita ubicunque fuerit miseria, tua et currit et succurrit misericordia. A Deo pietate replentur ubera tua, ut alicujus miseriæ notitia tacta lac fundant misericordiæ, nec possis miserias scire, et non subvenire. Et quid mirum, si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in te Christus ubera suxit, ut per te nobis spiritualia fluerent. Cum enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordiæ ubera accepisti. Et sicut carnem nostram in te sumpsit, et Spiritum sanctum suum nobis dedit. Cum materiale lac ex te Deus suxit, spirituale pariter filiis Dei per te fluere cœpit. Ex eo miserorum mater facta es, et miseros alere misericordiæ lacte cœpisti. Et cum misericordia Dei sit ab æterno, amplior esse cœpit ex tempore. Et cum ex te cœpit initium ejus quoque largitas per te sumpsit augmentum. In te ergo concrevit lac divinæ misericordiæ, et ex te nobis profluxit. Ipsa prius repleta es, et ex te nobis descendit hæc abundantia. Unde quia lacte hoc inebriaris, et lac istud nobis fundis, et per mundum pietas tua currit, et miseris occurrit et subvenit, merito hinnulis compararis, et lactentibus hædis, pariterque currentibus assimilaris. Sugunt enim lac istud in divina fruitione, et nobis occurrunt; quia et Dei contemplatione satiantur nobis occurrunt charitate, et subveniunt meritis et intercessione. Sed cum tam angeli quam sanctæ animæ, circa nos sollicitudine discurrant, et nobis succurrant, utrisque compararis, quia tantum tu sola quantum uterque, et super utrosque potes et efficis. Hi quoque hinnuli pascuntur in liliis, quia salutem desiderant adhuc in exsilio degentium, et munda vita, et bonæ conversationis odore atque fama reficiuntur, quod est in liliis pasci. Quod utique agunt donec illucescat dies æternæ beatitudinis, et umbræ finiantur, miseriæ scilicet præsentis vitæ.

CAPUT XXIV.

De mortificatione, et oratione, et perfecta pulchritudine animæ.

Vado ad montem myrrhæ, et collem thuris (*Cant.* IV). Mons myrrhæ est anima quæ mortificat membra sua quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, etc. Sublimis est ista, et merito monti comparanda, quia calcat et supergreditur terrena et infima, et ad superna appetenda et cognoscenda sublevat, quærens quæ sursum sunt, ubi Christus est, et hæc sapiens, non quæ supra terram. Terrena judicat, et damnat omnia quæ sunt in hac mortali vita sciens nihil in hac terrena morientium subsistere vel durabile esse. Myrrham habet dum in se mortificat carnales affectus, et propriam voluntatem, vel quidquid inferius delectare potest. Solent montes esse alti et aridi, sed loca inferiora humida. Montes ergo sunt devoti, quia alti sunt per amorem supernorum, et aridi dum in se exstinguunt, et exsiccant humorem carnalium desideriorum. Hos montes visitat Dominus, et non venit ad humida, quia non manet in locis humentibus Deus, sed diabolus. Unde humorem hunc exsiccare nititur devotus quisque omnibus modis, et aqua spirituali desuper infundi. Pro hac expandit manus suas ad Deum, et animam suam sicut terram sine aqua, carnalis videlicet humoris hanc gratiam anima sitire sicut terra quæ est sine humore solet aquam desiderare, unde velociter exaudiri meretur, quia deficit spiritus ejus, id est voluntas et appetitus in terrenis atque carnalibus. Arida igitur est terra bonorum, et non habens humorem terrenæ dilectionis. Non est sicut terra

Digitized by Google

Ægypti, id est, mundi, ubi jacto semine in morem hortorum aquæ ducuntur irriguæ. Terra Ægypti est cor humanum et tenebrosum, ubi semen jacit qui in carne seminat, et radicem suam in mundanis plantat, ubi carnalis delectationis aquas facile ducit per hortum mentis. In promptu est hæc irrigatio, sed quantum ad manum est, tam cito deficit et exsiccatur. Mons vero est mens devota ab infimis delectationibus sicca, imo terra illa montuosa quam Dominus Deus dat suis, quia bonos sublevat a terrenis ad appetenda superna quoties ascendit ad cor altum. Hæc terra desuper exspectat pluviam gratiæ, et hanc Deus immittere solet a principio anni usque ad finem ejus a principio scilicet a nativitatis tempore usque ad extremum vitæ, et infundere superna irrigatione. Ad quas aquas anhelant corda bonorum, quia, sicut in Job legitur, radix eorum aperta est secus aquas (*Job* XXIX), id est occulta cogitatio, et mentis intentio expensa est ad percipienda fluenta gratiæ et dona spiritus. Has aquas sitiunt, et ut has percipere digni fiant a carnalis delectationis aqua arescunt, et vacui sunt. Pro quibus impetrandis etiam ad aquas quæ super cœlos sunt oratione, et contemplatione conscendunt omnes spiritus videlicet cœlestes, qui laudant Deum et torrente voluptatis ejus inebriantur. Quomodo vero non hunc fontem hauriat, et aquas gratiæ anima percipiat, quæ ad omnes cœlestes spiritus aperta est, et se expandit desiderio, et precibus omnes pulsat? Quæ si se denique sic dilatet et expandat, ut sicut sibi ad omnibus gratiam postulat, ita quoque omni homini hanc desideret, et poscat. Nonne tanto largius hac infundi merebitur, quanto ampliori charitate et ad multos dilatatur? Item cum ad omnes illos spiritus extenditur, nonne singulos quibus custodia humana delegata est complectitur? Cum itaque omnibus spiritibus sinum cordis expandit ut spiritualia dona capiat, et gratiam attrahat, et ad singulos versa vice desiderio extenditur, et quidquid obtinere potuerit vel desiderare hoc eisdem concedatur, et refundatur ad salutem sibi commissorum, merito exauditur, qui intercessores suos et advocatos sic juvat, sicut eorum adjutorium et patrocinium flagitat. Optant enim ipsi sibi commissis, misericordiam, et gratulantur collaborantibus sibi circa eorum salutem. Merito talis anima advocatos suos propitios in prece habet, quæ tam præstare cupit quam accipere. Merito beata est anima et Deo grata quæ ita seminat super omnes aquas, et semen orationis jacit, ut nec terræ inimicorum hoc semen subtrahat, sed pro eis quoque ex charitate intercedat. Multum aperitur radix ejus quæ ad hos omnes spiritus expanditur, et ad omnes homines pariter dilatatur, quæ ad aquas superiores spirituum ascendit, et omnium hominum necessitates inferius comprehendit: multum aperitur, cum æqualis ad omnes spiritus intentio pro omnibus hominibus dirigitur, et æqualiter omnibus hominibus sicut sibi gratiam obtinere conatur. Cum igitur radix animæ ita aperitur, et tam multipliciter expanditur, et ad aquas scilicet Spiritus sancti, ad aquas sanctorum spirituum, ad aquas populorum (aquæ enim populi sunt) merito multum placet Deo, multum infunditur aqua gratiæ, multum dilatatur charitate. Mons sublimis est appetendo superna, myrrham pariter et thus habens, dum in se omnes mundanos et vitiosos affectus mortificat, et devote pro omnibus orat. Unde ad hanc Christus merito divertit, ad hanc venit, utpote pulchram in oculis ejus, et gratam atque adventu ejus dignam. Unde eam commendat, dicens! *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te.* Minus pulchra est mulier siquidem corporis forma venustatur, sed vultu palleat. Cum vero tam corporis elegantiam habuerit, quam genarum ruborem, tunc perfectius decora judicatur. Sic anima cum per dignam pœnitentiam a peccatis mundata est et peccati corpus destruxit, quasi corpore pulchra est. Et cum etiam per quotidianam confessionem a quotidianis peccatis sit mundata, et pro his verecundiam patitur, quasi rubore genarum simul decoratur, ut tota pulchra merito dicatur: Et macula non est in te mortalis peccati, nec venialis quoque perseverat, quia se quotidie per pœnitentiam et contritionem lavare et mundare non cessat. Quin etiam tanto plenius a venialibus mundatur, quanto magna charitate erga proximos afficitur, et pro eis orando salutem obtinere conatur. Tota item pulchra est quæ per opera bona, et virtutes ornatur, et per humilitatem et confessionem peccatorum (quibus maculata fuerat) decoratur. Judicando enim peccata sua, et se pro his humiliando non solum a peccatis mundatur, sed et humilitatis ornatum acquirit unde etiam decoretur. Et non est in ea macula, elationis videlicet. Ab hac enim immunis est, dum per desiderium ad majora agenda semper accenditur, et parva reputat quæcunque egerit, dum Salvatoris beneficia, et labores pensans se digne respondere his non posse cognoscit. Tota ergo pulchra est et sine macula, dum etiam hanc malorum memoria decora, et de bonis quæ gesserit nulla elatio maculat.

CAPUT XXV.

De corona beatorum, et quomodo pollutio et alia quædam sunt mortalia.

Veni de Libano, sponsa mea; veni de Libano, veni (*Cant.* IV). Libanus mons est, in quo crescunt myrrha et thus. Dicitur autem Libanus *candidatio* vel *dealbatio*. Vocat ergo Christus sponsam de Libano, cum per mortificationem peccatorum, et carnalitatis, et devotionem orationis mundatam et candidatam invitat ad supernam remunerationem. Quod autem non solum duplicata voce, sed etiam triplicata hortatur ut veniat, immensitatem desiderii et amoris quem habet ad eam insinuat, et ut trina repetitio immensitatis et firmitatis sit attestatio, funiculus enim triplex difficile rumpitur. Item multiplicata repetitio vocationis et gratulationem indicat qua liberationi ejus de præsenti miseria congaudet.

Digitized by Google

Innuit quoque quanto desiderio hanc celerius fieri optet. Iterum enim atque iterum repetita vocatio accelerantis pariter et congaudentis affectum exprimit. Ideo etiam eam toties vocat, ut iterata vocatione magnitudinem felicitatis ad quam vocatur insinuet. Ut etiam trina vocatio Trinitatis indicet fruitionem, quam perceptura est post laborem, quæ fruitio est æterna beatitudo. Et cum eam vocat, etiam ei de quibus remuneranda sit prænuntiat, dicens : *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon.* Amana interpretatur *inquietus* vel *turbulentus*, et significat amatores mundi qui inquieti sunt, pariter et turbulenti. Inquietudo laboris, et fatigatio est in quærendo mundanas delectationes, et cum eas assequitur quis, non plenam in eis invenit satietatem. Non habita hæc vexant, et habita non satiant. Nam, dum quis in istis desiderio satisfacere cupit, amplius illud accendit. Unde dicitur, quod remedia peccatorum ægritudines sunt. Quia unde peccando aliquis desiderium ad tempus curat, inde majori desiderio peccandi postmodum ægrotat. Quia ergo non habet satietatem, non præstat quietem, nec in mente quæ terrena quærit Spiritus Dei manet, qui non nisi super humilem et quietum requiescit. Non enim capitur a mente quæ inquieta fuerit per terrena desideria, et non illustrat hanc spirituali lumine quæ carnali delectatione repletur. Ubi enim a carnalibus cordis vasa vacua non fuerit, oleum spiritus stare ibi non habet. Neque enim venit sive permanet Spiritus sanctus in homine quando caro est, id est, carnalis. Cum igitur his desideriis anima inquietatur, pariter etiam turbulenta fit, id est obscura et confusa et a veritatis cognitione aliena. Confundunt enim terrena desideria, et cordis oculos obtenebrant, ut nec vel se homo, vel cæcitatem suam, ac miseriam agnoscat. Mens vero bonorum in his delectationibus renuit consolari, et ideo meretur delectari, et gratia illustrari. Damnat enim beatus Job, et maledicit diei carnalis delectationis (*Job* III), et vertit hunc judicio suo in tenebras, sive noctem, dum pensat ad quantam deducet cæcitatem et miseriam. Per consideratam enim noctem quam sequi considerat hunc diem, destruit ipsum diem, et in se perire facit, et sic ad diem gratiæ pervenit. Sic noctem vertit in diem, et post tenebras noctis quas damnat, merito sperat lucem, et gratiæ percipit illustrationem. Quos igitur terrena delectatio superat Amana sunt, id est, inquieti et turbulenti, et horum caput est diabolus, qui per hæc in eis principatur. Cujus suasionibus dum anima devota resistit, nec has respicit, de hoc capite triumphat. Non solum autem de capite Amana, sed etiam de vertice Sanir et Hermon hanc coronandam promittit Christus. Sanir et Hermon montes sunt Judææ, in quibus leones et pardi habitant. Isti montes significant fetentes per immunditiam et a Deo atque bonorum consortio segregatos per culpam. Sanir enim interpretatur *fetor*, et Hermon *anathematizatio*. De his vero qui sunt Sanir, alii polluuntur per actum, alii per cogitationem, alii sicui tentationi vel fragilitati consentientes, vel minus legitime reniten'es immunditiæ culpam non evadunt. Et actuum quidem immunditia satis patet, nec de his oportet multa dici. In cogitatione vero peccatur mortaliter, vel voluntate peccandi, vel consentiendo delectationi cogitationis, et moram habendo in delectatione. Si enim delectationi cogitationis de mortali consentias, etiamsi actum committere nolis, peccas mortaliter, præsertim si in tali delectatione moram habeas diu postquam hanc ratio deprehendit, et placeat. Si enim duraverit ipsa delectatio ratione non consentiente, vel illam non advertente, mortalis non dicitur. Sic quandoque longior mora venialis est, et brevior mortalis, dum advertitur, et non ei resistitur, sed consentitur. Si autem in corpore pollutio aliqua vigilanti contingat, et seminis fluxus, mortale est, nisi contingat ex naturali quadam infirmitate. Si ergo contingat ex delectatione, mortale est, etiamsi non voluntarium sit quando contingit, si culpa mortalis præcessit, familiaritatis, cogitationis, aspectus et hujusmodi, de qua occasionem habuerit morosa delectatio per quam accidit. Quia enim hæc fuerunt voluntaria, et per hæc morosa delectatio habita, non excusatur ipsum peccatum, etiamsi contra voluntatem contingat. Si quis autem post morosam delectationem de ea contritus fuerit, si postea contingat ei pollutio, et iterum redit delectatio, mortale est, quia in ipsa hora contingendi aliquatenus consentit delectationi ut ei contingat. Si enim non consentit, veniale peccatum est, quia non contingit mortale peccatum, nisi voluntarium. Aut ex infirmitate contingit, et tunc veniale est, aut nullum peccatum, si nulla ibi fuerit delectatio. Potest enim contingere ex infirmitate, et tamen aliqua ibi est delectatio quæ tamen sit venialis. Si quoque dormienti contingat ex culpa aliqua quæ mortalis sit, mortale erit. Sed si contritio interveniat, veniale est, quamvis occasionem exinde habeat, quia abolita est per contritionem.

Simile est de furioso, et ignorante, et omittente. Quando enim furiosus in furia constitutus occidit, vel fornicatur, vel aliquod mortale facit, quamvis tunc non habeat sensum discernendi quæ facit, mortaliter tamen peccat, si in ipsam furiam culpa sua incidit, et in voluntate peccandi mortaliter fuit, et ita ex præcedente culpa reus fit; sic dormienti ex causis præcedentibus pollutio est mortalis. Sic est de ignorante; quia, quamvis in hora sciendi quod debet nolit ignorare, tamen reus est, quia prius scire contempsit cum scire potuit. Et de omittente quando omittit quod debet, quia potest se ad faciendum sollicitum exhibui se, et sic tempore faciendi non omittere. Sanir ergo sunt fetentes quos polluit diabolus, sive in opere, sive in cogitatione, qui repere legitur pectore et ventre. Hermon vero, qui interpretatur *anathematizatio*, significat illos qui sunt anathematizati, id est, pro-

Digitized by Google

pria iniquitate a Deo separati, et alii propter manifesta peccata ab Ecclesiæ societate per excommunicationis sententiam exclusi. Et de primis dicamus qui per mortalia peccata a Deo disjunguntur. Omne mortale committitur agendo contra præcepta, vel contra conscientiam. Quidquid enim conscientia dictaret mortale, etiamsi veniale esset, qui hoc contra talem conscientiam faceret, mortaliter peccaret, dicente Apostolo : *Omne quod non fit ex fide*, id est contra conscientiam, *peccatum est* (*Rom.* XIV), et quod contra conscientiam fit, ædificat ad gehennam. Cætera quæ fiunt mortalia, contra præcepta fiunt.

Sunt autem quædam peccata quæ semper sunt mortalia, sicut sunt odium, idololatria, veneficium, maleficium, fornicatio et hujusmodi. Ira vero, impatientia, tristitia, avaritia, gula, superbia, inanis gloria, detractio, et multa talia non semper sunt mortalia, nisi videlicet in his aliquis peccet per gravem contemptum, vel faciat contra præceptum, id est contra dilectionem Dei et proximi. Ira enim non est mortalis quando aliquis movetur circa proximum voluntate et consensu nocendi ei in persona aut in facultate, aut in fama, quia tantum primos motus iracundiæ incurrit. Et ideo sol non occidit super iracundiam ejus (*Ephes.* IV), id est Christus. Simile est de omnibus aliis motibus citra voluntatem, et consensum faciendi contra dilectionem Dei et proximi. Per impatientiam peccatur mortaliter, quando sic per eam exceditur ut virtus patientiæ penitus relinquatur. Per tristitiam, cum ita superatur aliquis, ut nullatenus se in Deo consoletur, sed omnino consentit. Per avaritiam, cum tanta est tenacia ut in arcta necessitate proximo non subveniat, et danda retineat. Per gulam, cum per consuetudinem vel frequenter in crapulam vel ebrietatem labitur aliquis, et infirmitatem suam in hoc expertus non sibi cavet, nec se moderatur, vel cum per ardorem concupiscentiæ cibi aut potus sicut Esau superatur. Et iterum his quandoque modis præpropere, laute, nimis ardenter, studiose. Per superbiam, vel inanem gloriam, cum aliis se præfert, et humanum favorem dilectioni Dei præponit. Detrahendo quoque, vel publicando peccatum alterius per invidiam tunc peccatur mortaliter, vel quando dicuntur alia per quæ nocere intendit personæ, aut famæ, sive cum bonum statum alterius nititur aliquis depravare. Veniale quoque per contemptum fit mortale, sicut dicit Augustinus, nullum peccatum adeo peccatum veniale est, quod non fiat mortale dum placet, si videlicet ita placeat quod illud committeret homo, etiamsi mortale esse sciret, vel veniale fit mortale per occasionem, quia per multitudinem venialium venitur ad mortale committendum. Quandocunque ergo peccatur mortaliter, tunc vel fit contra conscientiam, vel per contemptum, vel contra aliquid quod præceptum est, vel prohibitum. Donec itaque primi motus intantum procedant ut contra aliquod horum fiat, non peccatur mortaliter. Sed cum eis ita consentit aliquis, ut in uno eorum offendat, tunc primum mortaliter peccat. Quocunque autem modo prædicto peccent perversi, anathematizati sunt, et a Deo separati per mortale. Qui vero nominatim fuerint excommunicati, sunt excommunicati majori excommunicatione, et vitandi sunt in oratione, in mensa, in salutatione. Non enim potest orare aliquis in ecclesia talibus præsentibus occulte nec palam. Innocentius tamen dicit in contrarium. Potest tamen extra ecclesiam præsentibus eis, sive audientibus. Pro talibus quoque orare potest occulte, non manifeste, vel aliquo audiente. In his tamen possumus communicari eis quæ pertinent ad eorum absolutionem et salutem. Et si aliquid deberent alicui, potest ab eis repeti et possunt conveniri, non convenire. Sunt itaque perversi Amana, id est inquieti per amorem terrenorum, vel Sanir, id est fetentes per immundam vitam, sive Hermon, id est anathematizati per peccatum, sive excommunicationis sententiam. Caput autem sive vertex eorum est diabolus, qui ad hoc tentando eos inducit, et per hoc in eis principatum gerit, cujus suasioni, dum devotus quisque resistit ne peccatis implicetur, de hoc capite quia triumphat coronatur. Leones quoque et pardi sunt dæmones; quia nunc, aperta iniquitate, sævientes quosdam decipiunt, nunc blandis consiliis et variis fraudibus rectos seducunt, sicut et leones feroces, et pardi vario colore respersi sunt. Horum leonum, seu pardorum habitatio sunt iniqui, quorum perversos mores et peccata dum boni non imitantur, sed fugiunt, et interdum tales exemplo et doctrina ad bonum convertunt. De his montibus et cubilibus leonum atque pardorum coronantur, et æternis præmiis donantur.

CAPUT XXVI.

De beatæ virginis Mariæ integra et perfecta pulchritudine.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (*Cant.* IV). Beata Maria virgo tota pulchra fuit, quia sanctificata in utero. Ab utero quoque egressa nec mortale unquam nec veniale commisit. Et ante conceptionem quidem Filii Dei prius per gratiam custodita est a peccatis, post hanc vero ita confirmata est ex virtute Altissimi, obumbrata et roborata, ut peccatum omnino committere non potuerit. Ex quo templum Dei facta est, ita privilegiata est ut nullatenus aliqua macula potuerit deturpari. Tota item pulchra fuit, quia plena gratia, ut nec ullum vel minimum veniale in ea fuerit quominus in ea locum gratia habere potuerit. Cum enim aliquis aliquod veniale committit, tunc non meretur, nec augetur in eo gratia. Tota ergo fuit pulchra quam totam possedit gratia, quia nullum in ea locum habuit peccatum. Habuit quoque virtutes sine perturbatione vel passionibus vitiorum, et has possedit amore earum delectata et gratia adjuta. Ideo in ipsa virtutes erant perfectæ, et in continuum usum transfusæ, ut nihil aliud quam bonum saperet, vellet, vel sentiret. Talis

Digitized by Google

fuit in virtutibus, tanta quoque fuit ejus charitas, ut non solum ad ejus gentem (Judæos videlicet) extenderetur, sed has ignotas et notas, ad omnes denique homines, ad hos omnes charitas ejus dilatata fuit, pro his sollicita fuit, pro his indesinenter oravit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam angelo Gabriele: *Invenisti gratiam apud Deum* (*Luc.* I), scilicet, quam quærebas. Omnium salutem desideravit, quæsivit et obtinuit; imo salus omnium per ipsam facta est, unde et mundi salus dicta est. Tota ergo fuit pulchra, quia mundata in utero, et deinde in sanctitate munditia confirmata, fomite peccati primo in ea sopito, ut non peccaverit, et tandem exstincto, ut peccare deinceps non potuerit, angelicam denique in terra adepta est puritatem, et Dei similitudinem in virtutibus et sanctitate ac morum perfectione, justa, pia, prudens, modesta, misericors, sancta mente et corpore. Merito ergo prædicatur pulchra, quæ et divinam et angelicam similitudinem in terris est adepta. Et quia humilitas locus est gratiæ Dei, adeo ut tantum gratiæ capax sit aliquis quantum fuerit humilis, sicut virtutem hanc perfecte et totam possedit, ita totam eam gratia implevit, totamque decoravit. Hæc est ergo interior pulchritudo mentis. Exterior quoque fuit decor castitatis, candor virginitatis. Tota quoque lucida fuit opere nil tenebrosum habens vel sinistrum, sed totum lucidum et perfectum, ut aliorum aspectibus pateret et exemplo luceret, induta vestitu deaurato virtutum et circumdata varietate meritorum. Talem Rex cœlestis concupivit tam decoræ, sic vestitæ sol justitiæ se infudit, et in ea se carne vestivit. Nec mirum si lucida fuit quam splendor gloriæ implevit, si pulchra fuerit quam splendorem lucis in se suscepit. Non quoque dubitandum amoris ignem et interiorem candorem exterius etiam in ea lucere, ut quæ puritatem angelicam habuit, vultum etiam angelicum habuerit. Tota ergo pulchra merito dicitur, quia pulchra facie fuit, pulchra mente et corpore. Quæ etiam ipsis principibus tenebrarum terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamque tentare non præsumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes et fervor devotionis, stupebant immunem a peccatis. Nemo enim tam sanctus qui maculam non habuerit, et defectum præter ipsam. Luna enim quæ nocte splendet, et stellæ non sunt mundæ in ejus comparatione, id est hi qui vitæ sanctitate lucent ut luna vel stellæ, in nocte hujus vitæ obtenebrantur in ejus comparatione. Obtenebrantur enim stellæ, id est sancti, caligine humanæ culpæ, sed B. Virgo tota pulchra fuit, quam totam illustravit, et perfudit sol justitiæ, ut nec maculam habuerit, nec tenebras culpæ.

Super hæc martyrio decorata fuit. Ipsius enim animam pertransivit gladius, non materialis, sed doloris. Quo martyrio gravius passa fuit quam ferro. Quanto enim incomparabiliter amavit, tanto vehementius doluit. Unde sicut non fuit amor sicut amor ejus, ita nec fuit dolor similis dolori ejus. In martyribus magnitudo amoris dolorem lenivit passionis, sed beata Virgo quanto plus amavit, tanto plus doluit, tantoque ipsius martyrium gravius fuit, unde quia plus omnibus dilexit, et juxta magnitudinem amoris erat vis doloris, gravius passa fuit mente quam martyres carne. Pulchra ergo fuit beata Virgo virginitatis decore, pulchra confessionis laude, et cæteris omnibus pulchrior qui sancte vixerunt, pulchra martyrii palma, et sine omni macula. Quia igitur tam pulchra, tamque multipliciter decora, merito de Libano vocatur, id est de candidatione. Quæ etiam coronanda dicitur de capite Amana, Sanir et Hermon, de principe videlicet hujus mundi principante mundi amatoribus, et per munditiæ foetorem, sive per alia peccata a Deo separatis, hunc mundi principem, et caput iniquorum beata Virgo superavit, calcavit et vires ejus contrivit, dum perfectam munditiam servavit in corpore et humilitatem in corde, ut nullum locum rependi, vel in pectore ejus, vel in mente habere potuerit mulier ista fortis cujus pretium procul est, et de ultimis finibus, illum pariens qui fortem armatum debellaret, atrium suum (id est mundum) pacate possidentem. Quæ beata, dum ab eorum cordibus quos vel aperte sæviendo dejecerat, vel occulta et varia fraude tectus deceperat, meritis et intercessione sua liberavit, de cubilibus seu montibus leonum atque leopardorum coronari perhibetur.

CAPUT XXVII.

De spirituali visu, et quomodo Deo placeat cura propriæ salutis, et alienæ.

Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui (*Cant.* IV). Duo sunt visus sive oculi: unus quo superna contemplamur, alius quo transitoria atque terrena. Illum quo superna videntur Salvator aperire venit, sicut ipse dicit: *In mundum hunc ego veni, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* IX). Pro hoc illuminando ad nos venit, vulnerum aperturam et mortem sustinuit, ut lumen hoc nobis aperiret, et ad cognitionem salutis vivificaret. Unde quantum oculum hunc, contemplationem scilicet salutis nostræ et desiderium amet his verbis exprimit, dicens: vulnerasti cor meum. Ac si dicat: O anima, quæ soror mea dici meruisti, ex quo carnem sumendo me tibi fratrem feci, et quam sponsam elegi cum te mihi in amore et voluntatis unitate conjunxi, in eo quod æterna potius quam terrena cordis oculis vides et quæris, tantum me lætificas et grata fis, ut amor tuus cor meum vulneret et nimietate sua penetret. Fortis erat ad te dilectio mea quasi mors. Unde pro te mori volui, et dura corporis vulnera pro te suscipere, ut suavia amoris a te reciperem. Illa igitur cogitatio, et in illorum apertura oculum cordis defigens aperis hunc ad amorem pariter et cognitionem. Amor enim notitiam aperit, ut dum Salvatorem tuum amas, etiam salutem quam tanta charitate, et sui ipsius pretio comparavit immensam, et merito appeten-

Digitized by Google

dum intelligas. Amans itaque me quia pro te hæc pertuli, amare quoque incipis gaudium quod tibi emavi atque præparavi. Et sic per visibilia humanitatis meæ ac laboris, pervenis ad videndum et comprehendendum invisibilia æternorum ; de me ad videndum me transfers contemplationem; de me non habente speciem vel decorem ad meam in supernis gloriam et majestatem, ubi talis sum ut etiam angelis delectabilis sim ad spectandum. Spiritualis ergo visus tuus, et salus tua est contemplatio mei amoris meæque fruitionis. Ego enim Salvator tuus sum, et salus, et qui pretium tuum fui, præmium ero, et gemina mei visio æterna est beatitudo. Hunc spiritualem visum, et salutis tuæ desiderium vehementer in te diligo, hoc uno solo oculo, id est contemplatione unica et singulari tuæ salutis, et mei amoris atque fruitionis cor meum vulneras, et in uno crine colli tui. Collum caput et membra conjungit. Collum itaque mihi es, dum animas convertere et mihi conjungere studes. Unus crinis colli est unica cogitatio, et præcipua intentio qua circa hoc labores. In hac gemina sollicitudine et cura tam propriæ salutis quam alienæ, amorem meum specialiter tibi vindicas, et ad intima cordis mei penetras. Placet quoque mihi, et singulariter me tangit simplex intentionis oculus quo nihil contra me, nihil præter me quæris. Per hoc enim toto corpore lucida es, id est bono et sincero opere, ut merito laudaris, et amore tuo cor meum vulnerare didiceris.

CAPUT XXVIII.

De laude geminæ compassionis, et dulci doctrina.

Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa, pulchriora sunt ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum super omnia aromata (*Cant.* IV). Duæ mammæ duplex est compassio, corporalis et spiritualis. Has habet anima, quando corporum necessitate, vel aliqua adversitate laborantibus compatitur, sive in aliquo peccato, vel tentatione positis consolationem et orationem impendit. Hæc ubera habet quando novit gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, uri cum scandalizatis. Pulchræ sunt mammæ illius animæ quæ omnibus ex affectu compatitur, et nullius dolores sine cordis dolore potest præterire. Bene autem per unum oculorum spiritualiter videt illud quo etiam spiritualiter circa proximos movetur. Nam qui Deum diligit, etiam proximos ex charitate complectitur. Quia bonitati appropinquavit, pietatis viscera accepit, ut sic ad alios moveatur et charitate sicut Deum didicit amare. Item sicut unicum habet respectum ad salutem suam et ad Deum, item ad proximos suos unum habet motum, pietatis videlicet non commotionis vel rancoris. Merito hæc ubera habens anima pulchra est, et aspectibus Christi placet habens charitatem quæ peccata sua operiat, et misericordiam impendens alienis peccatis, ut misericordiam ipsa consequatur, de quo in Job legitur : Visitans speciem tuam non peccabis. Species nostra est proximus noster, in quo inspicimus quid nos sumus.

A Quem cum ita per compassionem visitamus, non peccamus, id est a peccato immunes sumus, quia per hanc pietatem a peccatis mundamur. Plene etiam a peccatis munda fit anima, quæ non solum a proximo per rancorem aliquem, vel temerarium judicium atque suspicionem peccatum non attrahit, sed insuper compatiendo de commisso indulgentiam percipit. Merito ergo commendatur quæ per pietatem et a peccato mundatur, et meritis simul ornatur. Cujus ubera pulchriora vino dicuntur. In vino rigorem justitiæ possumus accipere qui plurimum Deo placet et animam ornat, magis tamen hanc misericordiæ viscera commendant et decorant. Sicut enim oleum cæteris liquoribus supernatat, et splendorem suum præfert, ita misericordia superexaltat judicium, ei-
B que præfertur, et potior est; ita ut justitia non aliquod jus exercere debeat, aut judicium donec ista suum plenius impleverit, nec operari valet quidquam justitia nisi in hujus residuis, merito in tantum misericordia præeminet et dignior est, ut officium possit suum exercere, si adfuerit discretio absque culpa, justitia vero exercere suum non possit, nisi misericordia mediante. Merito ergo pulchra prædicantur et commendantur ubera in sponsa, quia per hoc ad Dei similitudinem tantum proficit, cui proprium est misereri et parcere, quantum ipse novit perfecte compati et subvenire. Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata; hujus suavitatis fragrantiam, et unctionis spiritualis quam tam be-
C nigne afficitur ad omnes, condolet, gemit, orat et subveniri cupit in naribus superni sponsi, suavis omnium virtutum, operibus redolet, et placere cognoscitur. Charitas enim mater est omnium virtutum ; unde non immerito virtus hæc quæ de illius radice procedit, judicio præcellere et boni odoris famam meretur anteferre. Talis est sponsa in corde qualis etiam est in ore et opere.

Subditur : *Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Favus distillans sunt labia devotæ animæ, quia spiritualis dulcedinis liquore fluunt, et aliis ad ædificationem hunc fundunt. Hunc favum congerit anima de diversis Scripturæ floribus; hos perquirit, his insidet, de his suavitatem
D spiritualis dulcedinis extrahit et elicit. Scientiam inflantem segregat et contemnit, ædificationem potius perquirit, suave olentes sententias, non pomposam eloquentiam eligit. Sanctorum quoque exempla et dicta spiritualia investigat et mente perlustrat, qui utique flores erant, et sicut palma florebant. Horum sicut sancta erat vita, ita dulcia et suavia erant quæ proferebant, vel docebant ad hujusmodi flores pervolat; ab his spirituale mel colligit, sed præcipue de flore illo singulari, id est flore qui processit de virga Jesse, flore campi et non horti. Hujus odor floris est sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Plenus est hic ager in quo habitat plenitudo divinitatis, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, in quo florent justi, et

Digitized by Google

in quo fructificant tam in bona vita quam in sacra scientia. Hic est ager floridus, imo plenus floribus in quo tot sunt flores, quot justi in bono fructificantes, et extra quem non est florere, sed arescere. Ad hunc agrum floridum, et plenum quasi apis prudens pervolat sponsa, in hujus floris odore currit, ad hunc desiderio pergit, huic amore atque fide inhæret, de hoc precis importunitate sugit mel gratiæ, de hujus plenitudine accipit gratiam, per hujus spiritum diffunditur charitas in corde ejus, et pietatis accipit ubera, atque in labiis ejus diffunditur hæc gratia, ut supernæ dulcedinis saporem spiret et aliis propinet. Mel quoque et lac habet sub lingua, id est refectionem robustorum et consolationem parvulorum, solidum cibum perfectorum et lac teneræ doctrinæ infirmorum. Prægustavit enim dulcedinem futuræ vitæ, ubi reficientur animæ divinitatis Christi fruitione et humanitatis ejus lacte. Illius beatitudinis prælibationem degustavit, quia rivulis fluminis mellis et butyri reficitur, de quibus in Job legitur, quod eos hypocrita et fictus non videbit (*Job* xx), id est non intelliget, vel gustabit. Hæc gemina dulcedo quasi fluminis impetus lætificat civitatem Dei supernam, sed ejus rivulos bonos adhuc peregrinos et exsules visitat, et leniter infundit et recreat. Ex hac abundantia habet anima ubera quibus perceptam suavitatem proferat, quæ tanto plus sapiunt et ædificant, quanto datum est ei discere hæc in experientia, et docere ex sententia. Et odor vestimentorum ejus sicut odor thuris. Vestimenta animæ sunt opera quæ in charitate sunt, vel fiunt, quibus vestiti, et non nudi inveniuntur ante Deum electi. Quæ vestimenta sunt sicut odor thuris, quia sic bonum odorem de se mittit bona operatio sicut devota oratio. Si enim propter occupationem utilem aliquis intermittat, ipsa occupatio vice orationis reputabitur, ut, juxta Apostolum, sine intermissione oret qui semper bene operatur.

CAPUT XXIX.

De gemina conclusione animæ, et occulto martyrio.

Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus (*Cant.* iv). Hortus est anima in qua excoluntur virtutum plantaria, et spiritualium studiorum gemina. Hic hortus tunc foditur, dum in ea vitia radicitus exstirpantur, et mores convertuntur. Qui etiam tunc altius foditur, cum naturam vitiorum et origines cognoscere studet homo. Nunquam enim tepidus operator, et naturæ vitiorum ignarus poterit bene mortificare vitia. Fodienda est ergo divinæ passionis memoria, et clavi illi quibus impii foderunt manus et pedes Domini eam confodiunt, dum horum memoriam habemus, et huic dolori condolemus, et proinde de peccatis nostris dolemus, qui tantis beneficiis ingratos recolimus nos. Talis itaque dolor vitia expellit et reprimit, ut in nobis prævalere vel nocere non possit, dum his A consideratis vehementer dolemus. Quem dolorem, dum amor Dei comitatur, ex hac gemina concussione compunctio generatur, quæ, dum cor emollit, etiam virtutes proficere facit. Hic hortus conclusus est sera silentii. Per silentium enim excolit in profectu et justitia, quia cultus justitiæ silentium requirit. In quo se cohibet, non solum a noxiis, sed etiam ab otiosis et superfluis, quia per minima pervenitur ad majora, et per otiosa decipitur mens, et extra se ducitur, sicut dicit Gregorius. Quot supervacuis verbis mens a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Ut ergo in se remaneat et se videat, se cognoscat, se corrigat, ab otiosis et superfluis verbis se reprimit et temperat. Auditum quoque et visum concludit, ne introrsus B trahant quod mentem inquietet vel maculet. Et his fenestris seras ponit, quia per has mors ingredi solet. Cavet enim ne superetur a curiositate videndi sive audiendi, quia per horum delectationem a virtute spiritus enervatur, et tantum servus fit peccati quantum a peccato superatur. Non enim semper violenter vel repente per has fenestras mors irruit, sed etiam paulatim, et per parvam in mente negligentiam irrepit. Quia sentina neglecta ita navem sicut fluctus irruens submergit. Hæc enim usu pulverem in mentem congerunt quo fœdatur et obscuratur, et paulatim ab his superatur, ut a vigore suo deficiat, et tandem libenter toleret quod negligenter toleravit. Ita qui parva negligit paulatim decidit (*Eccli.* xix). Cura quoque rerum exteriorum C cor urit, et germina virtutum suffocat ne prodeant et cogitationum terrenarum multitudo si hortum hunc irruperit bestialiter conculcat.

Hæc igitur excludit devota anima, et contra hujusmodi hortum suum concludit. Quia vero secundo conclusus dicitur hic hortus, aliam quoque ejus conclusionem considerare debemus, non enim solum ab exterioribus periculis hunc munit et claudit, sed intus se bona sua celat, et hominibus occultat, sciens quod cum bona opera innotescunt et laudantur, mentem resolvunt et enervant. Difficile est enim aliquem laudari et venerari, et non aliquatenus laude sua delectari, vel etiam intus gloriari. Difficile est aliquem servum inutilem se reputare, D dum bonorum testimonio bonus prædicatur; imo contingere solet ut deceptus laude, magis credat famæ quam conscientiæ. Qui privatus cognitione propria, interdum ad hanc superbiam cæcatus perducitur, ut habere se credat quod non habet. Ita dum beatificatur homo, seducitur et via gressuum ejus dissipatur, ut in antea non ad perfectum tendat, sed consummasse se credat. Occultat vero bona sua anima devota et claudit se contra laudes, ut has non audiat, surda ad has sicut aspis obturans aures suas ne exaudiat vocem incantantium. Incantatur enim anima laudibus, ut mala sua non videat, et de justitia fallaciter se extollat. Ita se claudit et munit fortis, intus vero gratiæ præparat, et cor ad hanc aperit, sicut in Job legitur : *Radix mea aperta est super aquas*

Digitized by Google

(*Job* XXIX), id est intentio cordis patet per desiderium ad gratiam sancti Spiritus capiendam. Quam tanto citius et plenius attrahit, quanto ad nihil aliud patescit. Tanto enim liberius ad Deum amor ejus dirigitur, quanto delectatione vel impedimento laudis minus impeditur, unam petit, et hanc requirit, ut inhabitet in domo Domini non manufacta, sed æterna, ut videat voluntatem Domini per cujus impletionem ad illam perveniat, et visitet templum istud in quo dicunt omnes cives illius gloriam. Istud templum visitat meditatione et desiderio. Illius felicitatem et gaudium contemplatur, cujus contemplatione facile laudis gaudium respuit atque a cordis aditu excludit. Hunc ergo hortum sic conclusum fons signarus irrigat; fontem itaque signatum intelligentiam videlicet spiritualem Spiritus sancti signaculo impressam et sacræ Scripturæ documentis, et Patrum exemplis munitam intellige. Quod enim sapit anima talis et sentit, nec corruptum est a malo spiritu, nec in aliquo a sana doctrina discordat, vel exemplis sanctorum contrarium deprehenditur, vel novitate noxia seu præsumptione est vitiatum. Hoc fonte irrigantur horti hujus plantaria, quia hac scientia informantur virtutes, et bona studia, et proficiunt atque discrete fiunt. Hujus fontis sobrio potu homo in anima vivificatur, et pacem cordis consequitur. Sapere enim secundum spiritum vita est, et pax. Cujus emissiones sunt paradisus punicorum malorum cum pomorum fructibus. Mala punica rubea designant martyrium, quod sit in pace Ecclesiæ, quo scilicet mortificantur vitia et peccata sanguinea et rubea quasi vermiculus. Martyrium est cum mortificamus membra nostra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, concupiscentiam malam, avaritiam et cætera mala. Continet autem intus malum punicum grana multa et alba. Sic quoque habet anima in se multa martyrii opera quæ hanc mundam et candidam faciunt. Opera enim sunt martyrii quod se per compassionem proximi affligit aliquis, quod lædenti se ignoscit, quod inimicum diligit, quod carnem abstinentia, vigiliis vel aliis laboribus castigat, quod contra tentationes varias laborat, quod voluntati propriæ renititur, quod carnis voluptatibus reluctatur. In hujus afflictione et labore calicem passionis bibit, et quotidie crucem suam tollit. Hæc sunt grana mali punici, quæ utique candorem habent, quia animam non solum ornant meritis, sed mundant a pœna debita peccatis de quibus pœnitens est. Quia enim laboriosa sunt et pœnalia, ideo pœnam potius delere dicuntur quam alia opera non pœnalia. Alio quoque modo animam ornant, quia per hæc magis creditur charitas incendi, et sic meritum augeri. Pomorum fructus quos simul præfert hic hortus, sunt alia opera fructifera atque meritoria æternæ vitæ, et fragrantia boni exempli atque opinionis odore. Emittit enim cyprum, cum nardo et crocum. Cypri semen sicut semen coriandri album esse dicitur, sicut de manna legitur. Unde merito per candorem quem manna habet, A cœlestis gratiæ refectionem designat. Nardus autem de quo Dominicum unctum est corpus, unctionem dilectionis Dei in corde significat, quia sic ungimur, ut tribulationis igne non superemur. Cum gratia nos reficit et replet, contra adversa fortes facit. Crocus quæ ardentibus languentium membris refrigerium confert, charitatis hanc virtutem designat, quæ ab æstu carnalium voluptatum mentem temperat, et ad desideranda superna gaudia inflammat. Emissiones quoque ejus sunt fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis: fistula quæ et cassia dicitur, robusti corticis est, et purpurei coloris est, quæ ad curandum viscerum molestias valere narratur. Quæ recte pro sui brevitate humilitatem signi- B ficat: humiles enim quasi purpureo vestiti colore Dominicæ sunt semper memores passionis, semper ad patiendum pro Domino parati. Hæc virtus maxime internos peccati motus, et lasciviam, quasi viscerum dolores reprimere consuevit, cum recogitantes quod Dominus pro nobis passus est minus nos pati quam meremur agnoscimus. Cinnamomum ejusdem virtutis figuram tenet: unde per hoc quod fistulæ cinnamomum junxit, potest intelligi quod profectui humilitatis iterum atque iterum debemus insistere, et vias hujus virtutis atque modos humiliandi nos investigare. Et quia per hanc maxime gratia obtinetur, sic per eam maxime ad perfectionem pertingitur. Hæc autem arbor coloris est subni- C gri vel cinerei, hoc designans quod humiles se peccatores pulverem et cinerem cognoscunt, et existimant oportere ut agant pœnitentiam in favilla et cinere: *Fistula*, inquit, *et cinnamomum cum universis lignis Libani*. Sicut fistula et cinnamomum humiles justorum congregationes, ita ligna Libani sublimem eorum operationem demonstrant, hæc crescunt in horto bonorum, dum et magna agunt, et apud se humiles semper et parvi sunt. Myrrha et aloe continentiam carnis exprimunt, et horum natura est aromatum, ut uncta ex eis corpora defunctorum minime putrescant. Prima vero unguenta sunt illa, de quibus dicit Paulus: *Æmulamini charismata meliora* (*I Cor.* XII). Pulchre etiam myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis junguntur, quia D dum carnem a lascivia restringimus, consequens est ut majora Spiritus dona percipiamus. Hanc paradisus arborum profert et emittit de radice cordis devotæ animæ. Hortus bene excultus, virtutes scilicet et spiritualium germina studiorum. Hæc est paradisus in qua versatur anima, cujus deliciis et amœnitate delectatur. Hanc paradisum in terra possidet de hac ad cœlestem migratura. Primi parentes terestrem habebant paradisum, post hanc cœlestem habituri si mandatum servassent. Sed pro cibo lignorum paradisi spinas, et tribulos per inobedientiam meruerunt. Hæc evulsis spinis vitiorum recipit fructus Spiritus, et paradisum virtutum: hæc paradisus est justitia, pax et gaudium, in Spiritu sancto delectatio, virtutum gustus et experientia

Digitized by Google

divinæ bonitatis, prælibatio futuræ beatitudinis, spes vitæ æternæ. Hanc paradisum emittit hortus devotæ animæ, et de hoc horto emittitur ad hortum conclusum supernæ civitatis Hierusalem. Cujus confortatæ sunt seræ portarum, omnis exclusa miseria, omnisque inclusa felicitas et beatitudo sempiterna.

CAPUT XXX.

De fonte animæ et aquis vivis gratiæ quæ fluunt a Christo.

Fons hortorum, puteus aquarum virentium, quæ fluunt impetu de Libano (*Cant.* IV). Fons est anima devota quæ manat et fluit, semper nova oritur, quia semper in Deo renovatur. Meditatur enim, vel operatur bonum, vel desiderio ad anteriora fertur. Fons iste non cessat ebullire, et erumpere ad Dei amorem, ad proprium excrescere, et dilatari ad proximi dilectionem. Non enim per torporem veterascit, sed perfectissime et ad plenum semper excrescit, et de plenitudine qua abundat, inferiores et infirmiores visitat et rigat. Isti sunt horti et sunt conclusi dum se custodiunt a peccatis, et excolunt, et exercent in virtutibus ac bonis operibus. Ad hos quasi in vicino positos, et cognatione spirituali junctos effluit, et qui deviant hos infundit, hos corrigit, hos impinguat, hos consolatur. Et qui plerumque pusillanimitate trepidant dum gratiæ profectum minus percipiunt, dum prædicationis, vel consolationis auxilio minus sublevantur, tales visitat anima devota atque perfecta, quia hos modo sublevat consolatione, modo orationis auxilio, modo doctrina vel admonitione. Est enim puteus aquarum viventium, profundam videlicet Spiritus sancti gratiam ac scientiam consecuta, quia et in se abundat ut aliis refundere possit. Non sic ille puteus de quo Samaritana hauriebat aquam, ex qua qui bibit iterum sitit. Illius putei aqua peccati est delectatio, quam dum bibit homo, non tam se satiat, quam sitim peccandi in se provocat. Denique, dum sitim sedare cupit, sitis altera crescit. Hic autem puteus aquam vivam continet, quæ sitim peccati exstinguat, et in vitam æternam saliat, quia hic spiritualiter satiat, et ad satietatem æternam perducit. Altus ille puteus, quia difficile obtinentur cupita, profunditas autem hujus difficultatem hauriendi non facit, sed facilitatem. Quanto enim profundius et plenius accipit gratiam, tanto hanc ad manum habet. Profunditas enim fundatio est, et perfectio qua etiam in affectu sic habet bonum, ut illud diligat propter ipsum bonum, et ipso bono delectetur, et bonum faciat, non solum propter retributionem, sed Deo quia bonus est confiteatur. Hic est puteus tertius Isaac quem latitudinem vocavit, eo quod eum Dominus super terram dilataverit, super terram enim dilatatur homo, cum ad gratiæ perfectionem pervenerit et, transito timore servili atque initiali, ad filialem dilectionem conscenderit. Primum puteum fodit homo cum terram (id est peccata terrena) ejicit a se timore pœnæ. Secundum, cum non solum timore, sed etiam amore boni peccata cavet. Tertium, cum ex solo amore et malum deserit et bonum facit. Et in duorum puteorum fossione calumnias, et inimicitias sustinet pastorum Gerare, id est dæmonum incolatum nostrum videntium. Gerare enim interpretatur *incolatus visio*. Pastores isti pascunt et nutriunt carnales motus in nobis, incolas nos videntes, et advenas super terram, et patria privare conantes. Cum autem ad perfectam charitatem et fervorem spiritualem venerimus, et ad omne bonum ex amore ducimur, tunc contentio cessat in nobis et dæmonum impugnatio, quia ad contendendum nobiscum vires non habent, sed ipse fervore spirituali, et amore boni debilitantur in pugna et enervantur. Tunc anima ita dilatatur in charitate et gratia, et ditatur ejus plenitudine, ut de se etiam alios infundat. Et ut scriptum est: *De ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Ista gratia Spiritus sancti aquis vivis comparatur; quia, dum replet, vivificat hic animam et ad vitam perducit futuram. Fluunt autem istæ aquæ impetu de Libano. Libanus qui interpretatur *candidatio*, Christum significat, qui candidus est; quia sine omni peccato, et qui in cœlis tanto candore et decore resplendet, ut tam angelorum quam sanctorum gaudium sit ejus contemplatio. Candor est enim lucis æternæ et speculum sine macula Dei majestatis. Candet etiam, et lux est illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Et tam copiose lux ista diffunditur, ut etiam ingratis oriatur, et in tenebris luceat quæ eam nequaquam comprehendant. Circumfundit autem malos, sed non infundit, quia ad corda eorum non pertingit. Concluserunt enim se, et aditum suum damnaverunt seris peccatorum ne ad eos penetret lux divinorum donorum, bonos vero illustrat et infundit; quia contra peccatorum inquinamenta cordis hospitium munientes, et munditiæ studentes se præparant ad gratiam percipiendam. In his habitat, hos replet, reficit et inebriat, hos sanctos habitaculum et civitatem Dei fluminis hujus impetus lætificat. Item sunt aquæ quæ fluunt impetu de Libano, id est Christo, in devotos ac humiles, Libanus mons est de quo fluunt aquæ Jordanis, qui interpretatur *descensus eorum*. Mons iste Christus est, a quo descendit gratia ad corda eorum qui valles sunt, id est humiles, qui abjectionem diligunt et singulari ac simplici desiderio gratiam sumunt et quærunt. Tales desideriis carnalibus vel mundanis nullatenus patent, vel humanis favoribus intendunt: ideo hæc fluenta gratiæ tam copiose percipiunt, quam studiose contra omnia oblectamenta exteriora se concludunt. Cum impetu itaque aquæ gratiæ de Christo fluunt ad munditiam cordis, ad fervens desiderium, ad vallem humilitatis. De Libano, id est Christo, defluxerunt aquæ vivæ, quando Spiritus sanctus tanquam torrens discipulis influxit, et suavi eos ubertate donorum inebriavit. Et item, quando idem Spiritus orbem terrarum implevit. Unde merito a Christo fluere dicuntur aquæ istæ, quia ab ipso cœpit tempus gratiæ; de Libano, cum impetu fluxerunt

Digitized by Google

aquæ istæ cum Christo in cœna benedicente panem, sacramentum eucharistiæ celebrari cœpit, et una passibilis præsentia ipsius sublata multis in locis usque ad consummationem sæculi nobiscum mansit. Semel quoque oblatus in cruce, multoties in altari pro nobis offertur. Et qui jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, mortis ejus mysterium, et effectus ad salutem nostram quotidie iteratur; ibi enim mors Domini annuntiatur. Istæ viventes aquæ cum magno impetu fluunt. Nam hæc gratia per fines Christianitatis currit, et fideles irrigat et infundit. Hanc enim fideles non solum præsentes percipiunt, sed in remotis quoque locis hanc capiunt, si desiderio accedunt, et fide tangunt. Fide mulier tetigit quæ retro accessit, et non corporaliter pressit. Tangentibus autem fide formam sacramenti hic fructus pervenit. Hæc virtus de illo exit, videlicet amplior gratia, remissio peccatorum, vires contra peccata, munimen contra tentamenta. Sic fideles in quibuscunque sint locis quantum accedunt fide, tantum mundantur, et hanc gratiam percipiunt. Istæ sunt aquæ viventes quæ de fonte Salvatoris hauriuntur, ut merito cum impetu fluere dicantur, quæ tam multos, et tam multipliciter replent, et tam longe, et tam large fluere noscuntur. Dilatare ergo, anima mea, ad hunc fontem tam large fluentem; circuere omnia ejus loca, ut multam haurias aquam gratiæ de hoc fonte; nusquam otiose ad hunc fontem accedis, nunquam ab hoc sine fructu redis. Tantum de hoc fonte hauries, quantum fuerit desiderium tuum et fides. Spiritualem tactum a Maria requisivit et corporalem prohibuit. Spiritualiter enim tangere, ac videre salubrius est, et magis meritorium, Domino dicente: *Beati qui non viderunt et crediderunt* (*Joan.* xx). Concede ergo mihi, Domine Jesu, fons bonitatis qui tanto impetu fluis, et tot in locis dilataris, ut tam late ad te fide curram, teque tangam, qualenus plene te hauriam et profunde possideam; sicque puteus aquarum viventium fiam, et te mihi cum impetu influentem aliis refundere sufficiam.

CAPUT XXXI.

De consolatione tentationis, et quod hanc sequitur amplior gratia.

Surge, aquilo, et veni, auster; perfla hortum meum, et fluent aromata illius (*Cant.* iv). Virtutes cum sint in homine premuntur interdum a tentatione aliqua vel adversitate, ut non appareant foris cum intus habeantur. Cum ergo aliquis tentationis adversitate laborat, in horto ejus aquilo flat, ventus scilicet gelidus et siccus. Hic ventus aquas gratiæ stringit, et virtutum exercitium ligat: unde aquilo *aquas ligans* dicitur, licet tamen aliquis in statu tali, si bene se habeat, non minus mereatur, minus tamen libere, vel jucunde in gratia, vel virtutibus se exercere prævalet. Præpediuntur quippe hujus venti frigore ne libere currere possint aquæ gratiæ. Dominus enim, ne extollatur homo si continue hac consolatione perfruatur, dispensatorie permittit eum nunc tribulari, nunc eumdem benigne consolatur, et omnia hæc ad utilitatem operatur. Captivitatem hanc convertit sicut torrens convertitur in austro, et glaciem mentis solvit gratiæ suæ sereno. Aquilonem surgere jubet, id est recedere et austrum flare, id est adversitatem cessare, et Spiritus sui consolationem advenire. Imperat huic vento et mari, id est facit cessare perturbationem, et facit tranquillitatem non mediocrem, sed magnam. Facit enim austrum, id est Spiritum sanctum non solum flare in horto animæ sibi devotæ, sed etiam hunc hortum perflare, id est plene occupare. Tunc, recedente aquilone et dissipata corporis glacie et flante Spiritu sancto, fluunt aquæ gratiæ per hortum animæ. Flabat quidem auster in hoc horto, quia charitatem habebat anima, quæ nonnisi per Spiritum sanctum infunditur, et cum minus fluerent hæc aromata, non minus habebantur. Non enim minor est aliquis in virtutibus, cum a tentatione possidetur. Nam etsi premuntur virtutes, tamen non exstinguuntur, et quoties quis resistit, toties coronatur. Et contingit ut anima quæ durius laboravit tentatione, plenius remuneretur perfectione, et adversitas pugnæ fiat occasio amplioris gratiæ. In seipso permisit Christus ad tempus sævire inimicum, ut destrueret et suos similiter tentari sinit, ut eum superent, et propterea majori eos gratia remuneret. Devicto enim inimico, ejus vires enervantur, et victores spiritualiter roborantur et gratia donantur. Perflat tunc auster, id est Spiritus sanctus hortum animæ, quia perfecte in eo flat, et perfectione animam donat. Fluunt tunc aromata virtutum tanta utique ubertate, ut quælibet adversa prospera reputet homo, et exteriora damna in lucrum animæ convertat. Fit tunc patientia læta, charitas benigna, humilitas devota, obedientia prompta. Diligitur inimicus non tam ex rationis ductu, quam ex mentis affectu. Debilitantur motus carnales cordis, quia spirituales roborantur. Sapit anima secundum spiritum et movetur, afficitur spirituali dulcedine, accenditur zelo et amore omnis boni et fraternæ salutis charitate. Denique virtutes habet non tam in desiderio, quam in effectu. Fluunt tunc ita virtutum aromata, ut omnes homines pietatis visceribus amplectatur, et tam exemplo alios corrigat, quam bonæ opinionis odorem de se spargat. Cujusdam monachi hortum ita perflabat auster, ut de eo fluerent hæc aromata, cujus mores et modum hic inserendos duxi. Erat enim vere mitis et humilis corde, ita intus suo judicio se vilem ac nihil reputans, sicut se foris propter Deum humiliabat. Judicabat enim se unquam nullius utilitatis hominem pasci in domo Dei. Qui cum cæteris floreret virtutibus, gratiam tamen mansuetudinis specialiter obtinebat. Ideo amabilem et affabilem se omnibus exhibebat. Adeo circumcisum fuit os ejus, ut vix unquam ex ore ejus sonus detractionis, scurrilitatis verbum, sermo inanis gloriæ, invidiæ vox audita fuerit; non alios judicare, vel judicantibus consen-

Digitized by Google

tire deprehensus est. Insania non solum loqui caverit, imo talia quicunque loquebatur ab eo timuit. Inter ridentes positus, ne onerosus fieret, hilarem se exhibebat, sed risum integrum non admisit. Si quando ad consilium alicujus negotii causa vocaretur, tristis perseverabat et nubilus, donec fratrum consortio redderetur. Rarissime solemnibus vigiliis, rarissime horis psallentium in choro inventus est defuisse. In refectorio nisi communibus cibis utens, si quid forte præter solitum apponeretur non accipiebat, vix unquam nisi obedientiæ compellente infirmariam intravit, vix cum intrasset teneri potuit. Si quis multitudine, vel magnitudine tentationum percussus fuit, ab ore ejus audivit et radicem tentationis, et curationis remedium. Ita enim percurrebat omnes angulos conscientiæ infirmantis, ut credere posset quæ confitebatur eum vidisse omnia, omnibus interfuisse. Tantæ charitatis erat et sic se induerat viscera pietatis, ut omnes excusaret, pro omnibus intercederet, nescientibus illis pro quibus loquebatur, nec personarum acceptor, sed necessitatum. Denique pedem quem in semitis Domini Jesu posuit, donec cursum itineris consummaret, non retraxit. Unde hujusmodi hortum auster, id est Spiritus sanctus perflaverat, totumque occupaverat, ut nullus in eo locus vitio pateret, vel carnalitati, sed fluerent, et ad alios quoque recurrerent aromata illius.

CAPUT XXXII

De adventu Christi in anima, et quod per mortificationem pervenitur ad perfectionem.

Veniat dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructus pomorum suorum (*Cant.* v). Sponsa proficiens in virtutibus, et serenata plenius conscientia, sed ex hoc non in se, sed in Domino glorians sponsum advenire precatur, quamvis de acquisitio ab ea fructu virtutum gratuletur. Novit enim quod congaudeat nostro profectui, et delectabiliter eum reficit salutis fructus. Manet autem in anima devota : nam sine ipso devota esse non posset, nec fructum ferre nisi in ipsa maneret, sed venire in animam dicitur, cum gratiam auget et profectui ejus congratulatur. Quotidie enim in devotis venit, quia eos renovat, et gratiam in eis cumulat. Ait itaque : *Veniat dilectus*, etc. Ac si dicat : Non præsumptionis audacia, sed de conscientia bona et fide non ficta confisa institi mundando cordi, et præparando illud tuo plenius adventui, lætifica me tua visitatione, refice post laborem, delectare et pascere fructu mei laboris. Unde dilectum singulariter vocat suum, tanto utique confidentius, quanto perfectius virtutibus ornata gratiorem illi mansionem præparavit. Quem etiam in suum hortum venire rogat, et suum fructum percipere. Ipsius enim est fructus, ipsius est hortus, est hortulanus sepiens eum sua custodia, et incrementum ei dans; quia, neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus. Non ergo sibi, sed Deo tribuit quod proficit, non suis viribus vel industriæ, sed pietati divinæ : scit enim quia sine ipso nihil potest facere, et nisi hortum hunc ille custodierit, frustra in ejus custodia vigilaretur. Divina namque cessante custodia, destrueretur maceria et esset in direptione, nec proficerent plantaria. Invitat itaque eum ad pomorum suorum comestionem. Poma sunt opera virtutum, quæ refectionem habent et odorem. Mentem enim reficiunt, et boni exempli de se odorem aliis emittunt. Hæc poma comedit dilectus, quando istis operibus pascitur, et tam illorum quam nostro profectu delectatur. Sponsæ igitur desiderio tractus, et virtutum ejus pulchritudine atque munditia cordis delectatus, præsentiam suam exhibet sponsus, dicens : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa.* Eamdemque munditiam atque perfectionem quam reperit, imo quam ipse in ea operatus est, enumerat, dicens : *Messui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi favum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo* (*Cant.* v). O soror mea, quia tu es sponsa, et mihi in amore conjuncta, ego inveni in te hortum meum conclusum et bene excultum, ut in te comedam, et te post laborem reficiam. Afflictionem pœnitentiæ tolerasti, pugnam, tentationem, laborem correctionis morum, et venisti ad messem perfectionis virtutum, de laboriosa vita ad contemplationis tranquilliorem statum. Messui itaque in te myrrham cum aromatibus, quia simul cum amaritudine laborum confecta sunt, et perfecta in te virtutum aromata et cum servatis mandatis profecit sapientia. Cum enim mortificata fuerit carnalitas et propria voluntas, tunc fluunt virtutum aromata, et per consummationem et triumphum hujus laboris venitur ad cultum perfectionis. Myrrham autem metit Christus, quando præmissos labores perficit in anima quibus ad virtutes et perfectionem pertingit, et eam suaviter roborat ut delectabiliter agat quæ prius horrebat, sicut in Job legitur : *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt* (*Job* VI). Sic apostoli convaluerunt de infirmitate, sic Paulus omnia potuit in eo qui se confortavit (*Philip.* IV).

Sequitur : *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Favus est dulcedo bonorum meritorum quam intus habet anima devota; mel operatio quam foris exhibet quæ merito melli comparatur, quia dulce est quod pro illa in futuro retribuitur. Favum Christus comedit, cum dulcedine bonorum morum pascitur, cum ei cujus in pace factus est locus ejus emendatis et pacatis moribus locus præparatur. Melle reficitur, cum bona opera facit aliquis, cum ei cujus sunt deliciæ esse cum filiis hominum qui stat ad ostium et pulsat aperitur. Aperitur enim ei cum per opera proficit charitas, augetur gratia, et conservatur. Magis igitur operando magis ei aperimus, ut ad nos intret et nobiscum cœnet. Felix convivium, et beata anima cum qua et in qua Christus convivatur. Vinum quoque, et lac in anima bibit Christus cum gemina

Digitized by Google

ejus contemplatione, divinitatis scilicet et glorificatæ humanitatis (quæ per vinum et lac designantur) gaudet atque delectatur. Hinc etiam cibum et potum animæ aptare possumus, et ex ipsius persona hæc exponere. Ipsa enim favum comedit, quando bonis ornata moribus horum suavitate delectabiliter reficitur. Magnam quippe suavitatem ac tranquillitatem animi habent dulces in moribus, sicut e contrario non est pax impiis et insolentibus. Item dum ita se custodiunt a peccatis, ut in nullo eos remordeat conscientia, semper epulantur, semper securitate perfruuntur, sicut scriptum est: *Secura mens quasi juge convivium* (*Prov.* xv). Mel tunc comedit anima, cum delectatur bona operatione, cum labores manuum suarum manducat, quando de eo quod foris operatur intus spe mercedis pascitur, quando dulce fit ei quod pro delectatione superna facit, et pauci ei videntur dies laboris præ magnitudine illius felicitatis. Suspirat enim ad videndum Deum cujus suavitatem, nisi ex parte gustasset, minime desideraret. Unde sequitur:

Bibi vinum meum cum lacte meo. Vinum tunc bibit anima cum divinitatis ejus percipit saporem, et hoc poculo sic inebriatur ut terrena omnia oblivioni tradat, et supernis per amorem inhæreat. Lac percipit cum glorificatam in cœlis humanitatem Christi cogitat. Hac contemplatione reficitur, et in hac spe et memoria hilarescit et consolatur. Hæc est gemina felicitas tam angelorum quam hominum in illa vita, divinitatis scilicet fruitio et humanitatis contemplatio. Quam felicitatem devota anima experitur ex parte in hac vita, sed perfecte comprehendet in futura, quando Deum videbit sicuti est, et facie ad faciem contemplabitur eum. Prius autem favus et mel comeditur, et postea vinum et lac bibitur, quia necesse est ut prius emendati mores, et digna operatio præcedat quam contemplationis gratia concedatur. Prius Lia supponitur quam ad Rachelis complexus veniatur. Laborandum itaque est, et mundandi sunt oculi cordis ut Deus videatur. Munditiæ enim cordis videndus promittitur Deus, sicut scriptum est *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v). Ut ergo Deum videas, munda cordis oculum, alioquin mundum tibi pro Deo vel angelo lucis videas, et recipias tenebrarum angelum, nec bibas vinum Dei, et mel dulce, sed fel draconum sit vinum tuum, et venenum aspidum insanabile. Cæcutientis enim visus sæpe fallitur, ut quo deterius videt, eo plus sibi videre videatur, et cum una res oculis ejus appareat, duas se potius videre credat. Sic quidam, cum quædam vident vana et divinant, mendacia, vident visiones fallaces, quia omni spiritui credunt, et minus cordis oculos ad videndum spiritualia, et discernendi mundaverunt.

CAPUT XXXIII.

De spirituali refectione et usu gratiæ.

Comedite, amici, et inebriamini, charissimi (*Cant.* v). Comedunt boni, dum spiritualem consolationem percipiunt, dum amore Christi pascuntur, dum illuminantur in fide, dum consolantur in spe, dum accenduntur charitate, dum delectantur justitia veritate, castitate et cæteris virtutibus. Quælibet enim virtus mentem pascit dum hanc sua delectatione reficit. Cibus etiam bonorum est Scriptura, dum teritur, dum masticatur, quia latent in ea spirituales sensus qui erudiunt mentem et pascunt. Sed in hac Scriptura mali cibum non percipiunt, sed morbum, nec in ea sumunt ædificationem, sed inflationem. Appendunt enim argumentum hujus non in panibus et laborem suum non in saturitate (*Isai.* lv). Boni vero in hoc habent tot fercula, tot refectiones, quot spirituales sententias. Hanc boni esuriunt, per hanc pericula evadunt, sicut scriptum est: *In fame eruet te de morte, et in bello de manu gladii* (*Job* v). Dum enim verbum Dei esuriunt, et illo se reficiunt, eruuntur a peccati morte, et muniuntur in bello tentationis, quatenus roborati ejus cibo et instructi, nec dejiciantur, nec seducantur. Solent autem boni nunc foveri consolationibus nunc repleri amaritudinibus, nunc abundare gratia, nunc laborare accidia. Sed docti sunt ex Scriptura tentationem esse probationem, et ipsum gravamen accidiæ solent tentationi ascribere, dum scilicet caro reluctatur spiritui, et vult cordi æquari, vel etiam præferri. Sciunt etiam ipsam tristitiam interdum melius tibi prodesse quam te ea carere: *Juxta est enim Dominus his qui tribulato sunt corde*, ait Psalmista: *Et humiles spiritu salvabit* (*Psal.* xxxiii). Facit Dominum vicinum bonis tribulatio quam patiuntur et defectus ipse per quem magis humiliantur. Ita quandoque deserit suos Dominus, ut quasi occidat, et omnia quæ prius habere videbantur exstincta doleant, sed dum sic occiduntur sperant, sicut in Job legitur: *Etiamsi occiderit me in ipso sperabo* (*Job.* xiii). Sperant dum sic occiduntur et vivunt, quia conservat eos igniculus charitatis qua sic destructi, et prostrati intentionem conservant Deo recte vivendi et nullatenus mortaliter peccandi: dum itaque fabulantur boni, prope est eis Dominus; dum occiduntur, sperant. Si vero rideat ad eos, non ei credunt, sicut item Job de Deo loquitur: *Si quando ridebam ad eos, non credebant mihi* (*Job* xx). Non itaque cito, vel temere ridenti Deo credunt boni, quia et consolationem gratiæ præstare novit Deus, et tamen elatos de bono suo et ingratos, et mandata negligentes solet damnare. Sciunt utique boni consolari in adversis, sciunt humiliari in prosperis, sciunt saturari et esurire, abundare et penuriam pati. Qui justus fuerit interdum non levabit caput suum saturatus afflictione et miseria. Impii quibus erit in futuro væ, hic quandoque etiam intimis donis reficiuntur: *Inimici Domini*, ait, *mentiti sunt ei, et cibavit ex adipe frumenti illos et de petra melle saturavit eos* (*Psal.* l). Inimici ergo dicuntur, et tamen non tam ex frumento, qua ex adipe frumenti saturantur, etiam mystica et interna percipientes. Et quidem Deus quod amoris est, quod amicitiæ,

Digitized by Google

etiam indignis facit. Sed qui gratiam ab eo percipit, et non se versa vice amicum exhibet respondendo gratiæ et digne ex hoc operando, inimicum se facit, et ad cumulum damnationis hanc sibi vertit. Reficit itaque gratia bonos, reficit et reprobos. Habet etiam cibum homo ab ipsa natura, quia jucundior pascit cibo dulcedinis. Habet et a causis accidentibus : reficiunt enim prospera dum succedunt. Non est cibus iste spiritualis quo reficit Christus. Attamen plerumque cibus est imperfectorum, et olus infirmorum. Et sæpe utiliter pascit hoc olus infirmos sicut dicit Paulus : *Qui infirmus est olus manducet* (*Rom.* XIV). Levigat enim et curat ex parte morbum accidiæ quam patitur mens ex inopia gratiæ. O quam frequenter imperfecti et ignari gratiæ moventur carnali gaudio, vel naturali alacritate, et moveri se arbitrantur spirituali consolatione! Quod sæpe ab inimico, vel a proprio corde aliquid sentit homo, et a Spiritu sancto hoc esse credit. Et quid mirum si in devotione se misceat inimicus, et falsa loquatur qui in ipsis etiam prophetis loquebatur. Qui etiam a suo spiritu aliquando dixerunt quod a Spiritu sancto se dicere crediderunt. Non ergo debet homo sequi cordis sui suggestionem vel experimentum, cum in hujusmodi quosdam prophetas noverit interdum fuisse deceptos. Nec solum hæc pericula caveri oportet in statu peccati, sed etiam prudenter in ipsa gratia quid gerendum fuerit est attendendum. *Cum sapientia bibe vinum*, ait Salomon, vino gratiam significans (*Eccli.* IX). Et item legitur : *Quod Spiritus sanctus auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I). Concedit ergo Deus gratiam, sed usus homini subjacet, quia alius alio utilius et salubrius per hanc operatur. Debet ergo considerare modum gratiæ quo afficitur.

Spiritus enim sanctus unicus dicitur, et multiplex; quia, cum unus sit, diversis tamen modis mentes visitat et afficit. Audire ergo debet anima quid et quomodo loquatur in ea Dominus Deus. Et cum loquitur, inter audiendum rogandum est, ut audiente ducat, et qualiter meditationes dirigendæ sint doceat. Offerunt enim se tunc meditationes spirituales, ita ut mens sedeat quasi rex, circumstante se harum exercitu. Regere itaque has debet et discernere quam potissimum admittat, in quam se magis exerceat, quandiu unicuique inhæreat, quando de illa ad istam transeat. Ferculum enim est quælibet meditatio, quia pascit mentem; sed ut devotio ipsa accendatur, et diutius epuleris cum hoc ferculo refectus es et sapor ejus cessare cœperit, utiliter aliud assumis. Ad aliam ergo meditationem convertere quæ vicinius se obtulerit, et quam præcedenti similem et non diversam noveris. Cum enim omnes meditationes spirituales utiles sint, talis tamen est modus earum, ut diverso, imo etiam interdum econtrario modo ædificent, et nunc illæ, nunc istæ melius conveniant, et menti sapiant. Sic affectam mentem ædificant istæ, et sic affectam ædificant aliæ. Cordis vero consolatio, et spiritualis refectio Dei quidem donum est, sed cooperari te oportet huic dono et prudenter in eo exerceri. Hujus enim refectionis Deus auctor et largitor est; homo vero minister et coquus, ut vel bene sibi, vel male parere possit. Cum vero in ipsum Deum contemplationem defixerit aliquis, hac vicissitudine cogitationum minus indigebit, sed summo bono, quandiu datur, inhærebit. Tunc enim minister et coquus est ipsa sapientia, et facit opulentum convivium, cum seipsam præbet in cibum. Neque enim opus est humano labore vel præparatione, quando fercula divinitas infert et refectionem ipsa ministrat. Amicos igitur cibo, ut dictum est, Deus pascit. Charissimos vero plenius reficit et potat, imo abundantiore gratia etiam inebriat, de quo cibo aliqua dicta sunt. De inebriatione vero loqui formido, quod mihi ex sententia dicere datum non est. Anima enim quæ in nuptiis Agni uxor est, vel filia spirituali vino inebriari novit, quæ in hoc convivio lateribus Christi assidet, vel circa mensam, sicut scriptum est : *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ* (*Psal.* CXXVII). Ego autem pauperis more non solum a mensa segregatus, sed etiam a convivio, utinam autem ante fores de vino illo jucundo in scyphulo meo accipiam. Scio enim me non plene a sorde peccati mundatum, et hoc ad mensam filiorum et potum non admittar vel accedam. Relinquo ergo de hoc vino et ebrietate discrendum expertis. Insipientiam vero meam et infirmitatem sciens, sed et ulcera multorum attendens, jacere volo (id est humiliare me) ante januam divitis Christi, et mendicare non solum potum, sed et cibum de mensa dominorum, sive dominarum mearum, devotarum scilicet animarum. Etsi enim uxor et filii sive filiæ epulantur splendide, inferiores tamen et pauperiores edent et reficientur de reliquiis mensæ. Nolo igitur erubescere mendicare a talibus alimoniam vitæ, ne post hanc vitam cum fatuis virginibus frustra mendicem. Ibi repulsam patiuntur mendicantes, hic vero, qui petit accipit. Et quia notis et amicis libentius et abundantius datur, amicum me volo exhibere bonorum et diligere eorum bonum. Qui amat in alio bonum quod ipse non habet, dicit Scriptura, imputatur ei quasi haberet. Quidquid igitur boni in aliquibus fuerit diligere volo, orare pro bonis ut in bono proficiant, ut custodiantur a malo et ad vitam æternam perveniant. Ita me bonis sociare volo et collocare, ut meritis quoque eorum socium et consortem me faciam. Contemplor quoque illud convivium pinguium medullatorum et vindemiæ defecatæ, animarum scilicet ad superna translatarum, et ab omni fæce peccati purgatarum, et epulantium super mensam Christi in regno suo, ibi satiantur electi ex adipe frumenti, id est divinitate Christi, de hac mensa micas mihi dimitti cupio quibus merear refici. Et invenio causam quare de illa mensa capiam misericordiam. Congratulor enim beatorum felicitati,

Digitized by Google

et gratias ago de eo quod de miseriis mundi pervenerint ad fruitionem Dei. Cum ergo pro militantibus intercedo, et pro triumphantibus exsulto, tam orationibus utrorumque me juvari, quam meritis ditari confido. Denique cogito, et in unum colligo omnia bona Domini mei, videlicet merita Christi et membrorum ejus, sive cum eo regnantium, sive adhuc in terra peregrinantium, sacramentum denique eucharistiæ, nec non et alia sacramenta Ecclesiæ, indulgentias varias atque laxationes multas, denique Domini miserationes multipliciter diversis in locis impensas. Cum omnia hæc cogitando et amando revolvo, et tam mihi quam multis hæc imploro, in tam generali comprehensione et desiderio magna ex parte levatum me ab inopia mea, imo etiam ditatum confido. Unde jam de acquisitis bonis aliis indigentibus impartiri cupio. Multos itaque peccantes considero, et peccando morientes, quosdam de morte carnis ad mortem æternam pergentes. Et cum magnus sit cumulus istorum miseriæ, magnum econtra considero cumulum prædictorum bonorum. Tunc ad hujus desiderio et oratione tendo, ut istis miseriis hæc bona opponam, et miseriis implorem. Ad hunc modum orandi sive meditandi conor, et suaviter quiesco, cum adhuc pertingo. Amicis itaque comedentibus, et charissimis inebriatis amicus esse volo, et quotidianus eorum mendicus.

Ego dormio, et cor meum vigilat. Varii sunt naturales motus cordis, et innumerabiles. Unde multipliciter homo a propria natura tristatur vel lætatur, conturbatur vel tranquillus est. Non igitur debet his motibus credere vel cedere, quia pro modo mutabilitatis humanæ, vel exteriorum causarum variatur cor, ut mœstum sit, vel jucundum, et sic, vel sic afficiatur. Cum ergo pusillanimis aliquis valde trepidat ut quasi desperet, credere debet hanc dejectionem esse pusillanimitatis, et turbati cordis, non desperationis. Confidere enim de statu suo debet, dummodo conteratur, et intentionem habeat declinandi a malo, et faciendi bonum (*Psal.* XXXVII), et nullatenus mortale committendi. Secundum hoc propositum vocari se sanctum (id est habere charitatem) quilibet sperare potest, qualicumque gravamine vel tentatione prematur. Debet ergo homo in adverso statu vel orationibus quas tunc fundere solet confidere, et spei fiduciam sibi facere. Nam adversitatis tristitiam confidentia impedit, imo in meliori statu tunc est, quam antea fuerit, dummodo per mortale a charitate non ceciderit, quia charitas tam per adversa quam per prospera proficit. In adverso igitur statu et animi dejectione confidere discat, et in prosperis non seduci falsa spe, sed exsultare in Domino cum tremore; quia, et si adest consolatio, nescit tamen homo utrum amore dignus sit an odio. Nec attendat cordis sui motus, vel experientiam, ut secundum hæc statum suum metiatur, ne fallatur. Sensualitati ratio principetur, motus ignoscat, cogitationes regat, vigilet, imo vigilias anticipet, quia præveniendo cogitationes inutiles facilius eas reprimet. Vigilare igitur debet ratio, et vigilias noctis conservare super gregem cogitationum suarum, qua neglecta mens cæcitatem incurrit, ut minus se homo agnoscat, minus videat qualis sit, vel esse debeat, quantum fallatur, quantum delinquat. Si ergo sollicite super gregem bonarum cogitationum vigilet, ut has nutriat, malas reprimat, divina gratia largius super eum coruscabit, qua radiante super eam et circumfulgente, vires contra malas cogitationes accipiet, ut eas sopiat et dormire faciat. Cum ita principatur ratio et vigilat, et dormit, sensualitatis motus et cogitationes, dicere potest homo: Ego dormio, et cor meum vigilat. In qua parte enim sensualitas dominatur, vigilat homo, et homo est quia humanitatis sunt, quæ tunc agit. Dum vero spiritualia exercet, corde vigilat ad salutem, quia ad cor revertitur, et corde circa interiora et invisibilia curam gerit. Dormit tunc sensualitas, sed vigilat ratio; dormiunt cogitationes malæ, et vigilant bonæ; sopiuntur desideria carnalia, et tentationes; lætitia spiritualis mentem afficit, intellectus ejus aperitur, et cognitio major ei præbetur. Contemplatur oculis cordis illud supernum gaudium, laudes scilicet et cantum beatorum spirituum. Illic est concentus cœli quem Deus suis revelat, sed reprobis dormire facit, id est abscondit. Sponsus itaque ad concentus cœli non dormit, quia sopita omni perturbatione, ante oculos cordis hunc percipit, huic invigilat, huic interesse desiderat, hunc implorat. Orat igitur cives cœli. Orant pro ipsa cives cœli, orat Deum, et excitatur ipsa ab eo ad orandum, loquitur ad Deum, et audit loquentem Deum, loquitur enim in ea pacem in plebem suam, quia movet eam, et monet ad salutem, et curam proximorum. Et hoc est, quod sequitur:

Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, etc. Hæc est vox dilecti, id est inspiratio quam in ei corde insinuat, ut quia dilectus est propter ejus amorem etiam proximos diligat et eorum curam gerat, eisque ad salutem subvenire studeat. Vult ergo ut prædicando, vel regimen suscipiendo, admonendo vel consolando, sive orando sibi viam in aliis paret, unde ut eam amplius ad hoc accendat, sororem eam vocat, id est cohæredem; amicam, id est secretorum consciam; columbam, id est Spiritu sancto illustratam; immaculatam, id est a peccatorum sordibus a se mundatam. Ac si dicat: Quia tanta tibi præstiti, tu quoque beneficiis meis responde, et circa membra mea gratiam qua specialius dotata es, exerce. Quia caput meum plenum rore, et cincinni mei guttis noctium. Ac si dicat: Ex eo quod Deus sum, abundo misericordia et rore gratiæ, et hi qui mihi fide inhærent replentur peccatorum guttis et cæcitate. Caput enim Christi Deus est, et ipse secundum quod homo caput est Ecclesiæ, et gratiam accepit non ad mensuram. Plangit igitur miseriam nostram, ut quia multipliciter maculamur peccatis, miserjcorditer se velle misereri demonstret. Est enim Hermon, id est lumen exaltatum, a quo de-

Digitized by Google

scendit vos gratiæ in montem Sion, id est sanctam Ecclesiam, ut ubi abundat delictum, superabundet ipsius gratia. Monet itaque dilectam sibi aperire, se quoque insinuans et misereri velle, et cæcitatem ipsam rectam illuminare.

CAPUT XXXIV.

Quomodo gratia consolatur, et accendit, et de perfectione et mortificatione.

Sponsa, audita voce dilecti pulsantis et admonentis ad salutem et curam proximorum, quamvis diligat, et sponsi voluntati parere prompta sit; timet tamen consolationem contemplationis deserere, et actibus mundi rursus implicari. Unde subdit: *Exui me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?* (*Cant.* v.) Tunica terrenum indumentum est, unde per tunicam terrena actio designari potest. Timet ergo terrenis actibus involvi quæ abjecisse se recolit, et a cœlesti contemplatione avelli, a summis et spiritualibus descendere et infimis occupari. Pedes quoque suos, id est affectus se lavisse recolens, rursus eos maculare metuit, hos pedes posuerat in atriis Hierusalem, et ibi stare fecerat. Hos lavat aquis vivis, id est compunctione cordis, et post eos stare facit contemplatione in supernis et cœlestibus, quos inquinare non immerito timet si ab his abstrahat, et exteriori curæ immittat. Nec mirum si hæc quæ in cœlestibus pedes fixerat, terrena exercere metuat. Dum ergo trepidat, dum fluctuat, dilectus eam consolatur, et ampliori gratia visitat cor ejus penetrans, et ampliori lumine gratiæ eum illustrans. Et hoc est, quod sequitur:

Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intumuit ad tactum ejus. Quam visitationem gratiæ, missionem manus per foramen vocat. Quasi enim per rimam gratiam infundit, cum non totam animam perfundit, sed quadam mensura gratiæ visitat, et quam sic in parte visitat, non plene illustrat. Manus dilecti operatio hæc gratiæ et donum potest accipi. Venter vero ipsa mens in qua cogitationes excoquuntur, sicut cibi in ventre. Manum etiam suam dilectus per foramen mittit, cum animæ beneficia, quæ illi præstitit per Spiritum sanctum suggerit, quod illam morte sua redemit, quod dona gratiæ suæ illi contulit, quod eadem dona custodiendo servavit. Vitam enim et misericordiam tribuit ei et visitatio ejus custodivit spiritum ejus. Vitam illi tribuit pro illa moriendo, misericordiam suam infundendo, visitatio ejus custodit eam a lapsu peccati servando. Ista reducendo Deus ad memoriam dilectæ suæ, apertionem et aditum ad cor ejus facit, quo tangatur et accendatur ad amorem, et contremiscat, et metuat, si non tantis beneficiis pro posse respondeat. Sic ergo tacta et tremefacta amplius ignoscit ad dilectionem Dei et proximi. Et hoc est, quod sequitur:

Surrexi ut aperirem dilecto meo, manus meæ distillaverunt myrrham, digiti mei pleni myrrha probatissima. Surgit ut dilecto aperiat, qui accepta gratia amplius accenditur ad hanc percipiendam, ad amandum ferventius, ad studiosius insistendum curæ, et saluti proximorum. Quæ enim prius dilecto aperuerat, amplius in eum accenditur, atque operibus charitatis insistit. Exercet se tunc in amore Dei seu contemplatione, opera misericordiæ impendit proximorum utilitati prout necessitas eorum exposcit et tempus exigit. Pro aliis orat, alios consolatur, aliis consilium salutis dat, et regimen suscipere vel prædicationis officium exercere parat, si tempus exigeret, dum sic gratia visitatur, et gratiæ respondere nititur, et se illi conformare. Accenditur etiam ad mortificandum quidquid in se carnale deprehendit. Quamvis autem mortificaverit peccata atque vitia, tamen ex accepta abundantiori gratia magis ad hoc ignoscit, et magis quod reficit invenit. Plus illuminata plus defectus suos cognoscit, et melior acta plus sibi vilescit. Damnat tunc parvos defectus quos prius tolerabat, et tam in verbis, quam cogitationibus multa se commisisse peccata intelligit, quæ minus mala ante reputabat. Dum hujus mortificationis labori, et operi insistit, manus ejus distillant myrrham quia hæc operatio per manus intelligitur, et per myrrham hæc mortificatio designatur: *Et digiti ejus pleni sunt myrrha probatissima*, quia et discrete, et pura intentione agit omnia. Per digitos enim hæc discretio designatur, qua quod recte offert recte dividit, id est quod bene intendit discretum facit. Per probatissimam vero myrrham pura intentio in mortificando accipitur, qua sic Deum quærit, ut inanem gloriam mortificet, et laudes exteriores contemnat, et ad Deum scilicet oculus ejus, id est intentio, et ad futuram et veram dilectionem semper aspiciat. Plena hac etiam mortificatione dicitur, quia tam in mente, quam in corpore hanc exercet. Corpus enim abstinentia, vigiliis et cæteris laboribus castigat, et delicias, et terrena oblectamenta amputat, sciens quod non invenitur sapientia, sive gratia Dei in terra suaviter viventium. Sed quantum in hac suavitate delectatur, tanto minus in Deo sustollitur. Visum quoque et auditum restringit a curiositate, quæ duo Salomon insatiabilia perhibet, et cæteros sensus per hoc reprimit, et a voluptate cohibet. Non pascitur suavibus odoribus, cavet ab illicito tactu. Feminarum enim familiaritatem cavet, etiam loquendi libertatem, quia de tali libertate venitur ad peccati servitutem. Evenit enim aliquando illud vulgare quod dicitur, per malam custodiam egerit lupus lanam. Gulæ ergo vitium frenat, subtrahens sibi quod delectatio appetit, et concedens quod necessitas exigit. In penuria servat patientiam, in abundantia temperantiam, cum Apostolo sciens abundare, et penuriam pati. Ibi ergo acquirit meritum ubi mali sibi accumulant peccatum. Qui in Job dicuntur squalentes calamitate et miseria (*Job* xxx), quia in vestiendo servitur superbiæ, et in vescendo gulæ et concupiscentiæ. Devota ergo anima dum temperanter cibos sumit, et aliquid sibi subtrahit quod appetitus exigit, et Deo libat etiam in vescendo meretur, et gratam

Digitized by Google

Deo myrrham offert; ita mortificationem exhibet in corpore, implet quoque etiam et hanc in mente. Resistit quoque carnali delectationi, ut si eam sentiat, nunquam consentiat. Iræ quoque motibus et invidiæ, cæterorumque vitiorum reluctatur. Cum convicia sustinet, non respondet; non vincitur a malo, sed vincit in bono malum, inimicos diligens et pro eis intercedens, fervet tanto amore Christi, ut pro Christo mori, vel pro salute proximorum concupiscat. Quod et si non conceditur, quamdam tantum vicem martyrii implet, ut scilicet cum aliquid eam secundum humanitatem magis delectat, magis sibi illud amputet, et abscindat, et ejus appetitum occidat. Hæc myrrha probatissima merito judicatur, quia tanta perfectione se Deo mactat. Digiti vero sponsi pleni sunt myrrha probatissima, cum omni custodia servans cor suum, innumeras cogitationes, et motus cordis discutit et noxia repellens utilia recipit. Quia igitur pura approbat, impura reprobat, et gladio contritionis peccata abscindit, atque mortificat, dum hæc perfecta discretione distinguit et peragit, digitos plenos habere probatissima myrrha perhibetur.

CAPUT XXXV.

Quomodo Deus desideratur, et se subtrahit, et quomodo ad salutem adest, et exaudit.

Pessulum ostii mei aperui dilecto meo. At ille declinaverat, atque transierat (*Cant.* v). Replicat sponsa quomodo ut dilecto fruatur minimas negligentias caverit, quæ offensam ipsius provocare potuerunt. In locutione scilicet inutili et superflua, vel cogitatione, in commodo corporali, vel libertate vaga, quæ per pessulum, id est seram intelligi possunt. Sera enim cum parva sit et angusta, latitudinem tamen ostii concludit, ut nisi illa reserata patere non possit. Ita hæc minima, nisi rescindantur, non dignatur dilectus ita venire ad animam, ut perfecte ad eam intret, et perfecta gratia eam repleat. Parvæ negligentiæ obscurant animam, et impedimentum faciunt amplioris gratiæ. Quod sciens sponsa ab harum pulvere cordis oculos custodit, ut dilectum videre per contemplationem possit, et plenius suscipere. Mundando itaque cordi amplius insistit, ut perfectius dilectus ad ipsam introeat, et quasi per ostium a quo se prius minus plene visitatam, et quasi per foramen tactam cognoverat. Sed declinat, et transit ab ea non recedens, sed in partem secedens. A dextris enim existens ne commoveatur a cœpto bono, sed non in facie illi apparens. Prope est enim omnibus invocantibus eum in veritate (*Psal.* CXLIV). Desiderat quidem contemplari eum, et loqui cum eo facie ad faciem, quomodo solet homo cum amico suo. Sed faciem suam abscondit, cum ea et in ea manens, licet minus adesse sentiatur. Hoc modo, quamvis ad eam divertat, ab ea declinat, et transit ne extollatur, et meritis suis ascribat si eo pro voto fruatur. Cum igitur se magis dignam susceptioni ejus exhibuerit, non illi se præbet sicut desiderat, sed ab ea declinat, ut in humilitate hanc conservet, et desiderium ejus amplius excitet et perfectius impleat. Cum enim ex declinatione ejus humiliata fuerit, et magis fervens, ex hoc, et meritum ejus crescit, et plenius eum suscipere digna fit. Tunc autem declinare dicitur, quando præsentiam suam sentire non dat, cum ei tamen præsens sit. Agit tunc anima laboriose, quod prius delectabiliter agebat. In quo labore spiritualiter roboratur, et dum viriliter agit, confortatur cor ejus ut fortiter toleret, et patienter exspectet Dominum, cum vel per adversa affligit, vel consolationem subtrahit. Exercitium quippe laboris mentem usu roborat, ut ex eo vires capiat, et quod virtute laboris agit bona, ostendit magis quam suavitate consolationis. Contemplationis itaque tempore fervor in Deum excitatur, et hac transacta opus probatur, et virtus exercetur, vel dilectum ab ea declinare queritur, quia ex parte comprehensus magis incomprehensibilis intelligitur, sicut Psalmista dicit: *Ascendet homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* LX). Et Salomon. *Quæsivi sapientiam, et ipsa longius recessit a me* (*Eccle.* VII). Quantum enim homo ad Deum ascendit, tantum eum sublimem et incomprehensibilem invenit. Unde Job: *Non investigabitur cum audita fuerit vox ejus* (*Job* XXXVII). Declinasse quoque eum causatur, quia gustatum mens esurit et desiderat, et quanto suavitatem ejus percipit, tanto minus ei sufficit, quod de illo apprehendit. Cognitio bonitatis ejus exiguum monstrat quod accepit, querelam excitat, accendit ad amplius amandum, et magis humiliat post accensam. Et quia non ad votum hunc habet, declinasse eum, atque transisse causatur. Tota siquidem in amore ejus liquescit cujus inspirationem accepit. Et hoc est quod sequitur:

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. Cum in mente loquitur dilectus, emollescunt fortia, et quæ prius dura videbantur propter terrena oblectamenta, cum liquefit anima et ita calefit, mollescunt, et delectabilia fiunt, juxta quod scriptum est: *Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt* (*Job* VI), amara tunc fiunt dulcia, quia ita liquefit per amorem, ut parum sentiat quidquid corpus cruciat. Resolvitur in lacrymas præ amoris magnitudine, et fiunt ei lacrymæ ejus panes die ac nocte, quandiu non conceditur ei contemplari Deus suus. Unde iterum conqueritur, dicens: *Quæsivi, et non inveni illum, vocavi et non respondit mihi.* Quæsitum non invenit ad votum, nec ad omnia quæ petit, vel desiderat respondit ei, ut sic exaudiat quomodo postulatur, vel se exaudisse illi revelet, sed eum non exaudit ad voluntatem, tamen exaudit interdum melius ad utilitatem. Et cum non exaudisse putatur, melius exaudit, quia concedit quod magis expedire novit. Paulum postulantem auferri a se stimulum carnis suæ, melius exaudivit Deus cum hunc non abstulit (*I Cor.* XII), quia si abstulisset, salvus non esset. Itaque, cum non respondere putatur, melius respondet; imo vero

Digitized by Google

verba atque desideria quibus respondeat ipse in A anima format. Ipse enim postulat, id est postulantem eam facit, et respondet, dum quæ expediunt concedit. Interdum responderi sibi cupit quantas habeat iniquitates et peccata, scelera sua atque delicta ostendi sibi. In quo bene illi respondet, cum contrito omnia remittat, quæ nec recolit, nec unquam specialiter exposuit. Pro occultis quoque periculis, vel necessitatibus in illum fide et amore transit, et videntem omnia ut ipse hæc pro se videat, et sibi subveniat exposcit. Scit enim multas esse necessitates suas, quas ipsa non videt nec cognoscit et multa se latere pericula, quæ eo minus timet quo minus novit, et ideo specialius ipsi committi contingit ut sibi subveniendo respondeat, ubi necessitates ipse novit. Quam responsionem juxta mensuram B fidei suæ et amoris largam meretur. In hoc quoque illi respondet quod nulla ejus vox orationis, vel desiderii sine merito est, quia ex charitate fit. Si quoque aliquid petat quod non expedit, in hoc respondet illi quod hoc non concedit, et quod ipsa pia intentio petitionis præmio non carebit. Cum itaque dilectum non sibi ad votum respondentem invenit, consolationem et eruditionem quærit in Scriptura, et invenit. Unde sequitur :

Invenerunt me vigiles qui circumierunt civitatem. Dum sic amore dilecti, et intentione quærendi sollicitatur sponsa, invenerunt eam custodes, qui circumierunt civitatem, id est prædicatores, qui ad hoc prædicando discurrunt, ut a falsa doctrina, et C peccatis Ecclesiam muniant et defendant. Quorum dum doctrinam expetit, et de salute sua, ac profectu eos interrogat, occurrunt ei, et inveniunt eam atque de diligendo amplius Deo erudiunt et accendunt. Et hoc est, quod sequitur :

Percusserunt me, et vulneraverunt me. Amantem enim sagittis verbi Dei acutis percutiunt, et majori amore vulnerant. Nam istæ sunt sagittæ Domini, quas ardentibus effecit, id est amantibus effectibiles fecit. Amantes enim penetrant, sed a torpentibus resiliunt. Qui prædicatores etiam custodes murorum dicuntur, quia eos quoque qui Ecclesiam gubernant, instruere satagunt. Hi etiam pallium sponsæ tollunt, quia quod ei adhuc de vetusta conversatione inesse deprehendunt, per prædicationis officium D subtrahunt, et periculum sive peccatum, quod eam latebat, eruditione sua detegunt : *Interroga patrem tuum*, ait Scriptura, *et annuntiabit tibi majores tuos, et dicent tibi* (*Deut.* xxxii). Quod quia aliqui facere negligunt, in periculo mortalis peccati errant, cujus pallio amicti vestem nuptialem charitatis non habebunt.

CAPUT XXXVI.

De amore dilecti, et ejus qualitate.

Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei, quia amore langueo (*Cant.* v). Quæsivit sponsa per se dilectum, eruditionem quoque prædicatorum accepit, nunc devotarum animarum orationes expetit. Hæ sunt enim filiæ Hierusalem ex Deo natæ, et ad visionem futuræ pacis pertinentes. Has adjurat ut cum dilectum invenerint, id est per devotionis gratiam præsentem habuerint, amorem suum et desiderium illi nuntient, et pro se preces offerant. Cœlestes quidem spiritus, et sanctorum animas cum Christo regnantes sæpius interpellavit, et per angelos quibus præsentibus orare atque psallere solebat preces suas illis nuntiavit. Nam istæ sunt etiam filiæ Hierusalem quæ pacem illam indesinenter contemplantur. Modo vero has filias Hierusalem, (id est devotas animas in terra commorantes) rogat. Iste enim modus bonorum atque proficientium, ut prius per se Deum quærant, et mundando cordi insistant. Deinde ut de statu suo, et occultis periculis peritos consulant, atque ut bonorum orationes expetant, et familiaritatem diligant. Cum enim bonorum orationibus se committunt, et charitate ac humilitate se eis familiariter jungunt, contingere solet ut ex desiderio quod in illis deprehendunt ipsi quoque accendantur. Quos enim tam ardenter Deum quærere intelligunt, ex magna hunc parte jam nosse confidunt. Unde ex affectu quærentes dicunt : *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum, qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos.* Dilectus ex dilecto est Filius Dei ex Patre, et qui diligit Filium, diligit et Patrem, sicut qui videt Filium videt et Patrem. Ex admiratione autem illius et desiderio ita inflammatæ animæ devotæ dilectum repetunt et nominant, cupientes etiam et ipsæ ab illa edoceri, et de ipsa percepta ab ea dilecti dulcedine relici. Quam etiam pulcherrimam vocant, quia pulchritudinem mentis habere et virtutibus ornatam certissime arbitrantur. Solet quoque inter bonos hæc esse humilitas, ut melius de aliis quam de se sentiant, et ea quæ ex scientia dicuntur (id est de interiori experientia proferuntur) delectabilius audiant. Amantes quoque de eo quem desiderant libenter loquuntur. Solent enim devoti cum de Deo locuturi conveniunt, et collatione mutua magis in Deum accendi, et ex confidentia quam habent, invicem proferre quæ de Deo sentiunt, vel intelligunt. Solet quoque Deus in medio eorum esse, et gratiam in eis cumulare qui propter ipsum cumulantur, congregantur, et de ipso loquuntur. Unde sponsa ad interrogationem de dilecto amplius inflammata speciem ejus exprimere, et beneficia sibi ab eo collata narrare incipit, dicens : *Dilectus meus candidus, et rubicundus, electus ex millibus.* Candidus est, quia candor lucis æternæ, et Lumen de lumine. Candidus, quia immunis est ab omni peccato, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Et rubicundus, quia in passione sanguine suo est perfusus in qua non erat species neque decor, ut decoram me faceret, et sanguis ejus genas animæ meæ ornaret, et deformatam me reformaret. Idcirco dilectus meus mihi, quia ista pro me patiens, ista etiam mihi faciens. Qui etiam electus est ex millibus, quia ex toto humano genere nemo sine

Digitized by Google

peccato, excepto eo. Nullus enim similis ei in legislatoribus, nec in millibus millium, et decies centenis millibus, qui Domino majestatis ministrant, vel ei assistunt. Non enim adæquabitur ei aurum vel vitrum, id est supernorum civium societas, quorum corda sibi invicem, et claritate fulgent et puritate translucent. Et hoc, quia non solum homo, sed Deus est. Unde sequitur :

Caput ejus aurum optimum. Caput ejus, divinitas ejus est, quia caput Christi Deus est. Quod caput aurum optimum est, quia divinitatis bonitas omnibus quæ ab ea facta sunt antecellit, hoc est aurum terræ viventium, et aurum terræ illius optimum est. Nam fulgens ut humanis oculis, et a viventibus in carne videri non possit. Non enim videbit Deum homo, et vivet. Ideo ergo dilectus meus, quia hoc caput ejus, hoc principale ejus hoc, sublime quod videri non potest. Visura sum cum illa vita apparuerit, quia tunc similis ei ero, et videbo eum sicuti est. Qui hanc geminam mihi felicitatem præstabit, quia corpus humilitatis meæ corpori claritatis suæ configurabit, et animam meam similitudini divinitatis suæ conformabit.

CAPUT XXXVII.

De qualitate membrorum dilecti.

Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus (*Cant.* v). Elatæ palmarum sunt spatulæ, id est rami productiores semper ad excelsa tendentes. Expressit sponsa qualis sit dilectus in se, nunc exponere incipit qualis sit in membris suis. Cujus comas vocat eos qui illi fideli famulatu adhærent, et hos palmæ pariter et corvis similes memorat. Palma inferius aspera est, et arctioribus corticibus obvoluta superius tam visu, quam fructu pulchra et ampla. Sic membra Christi inferius dura agunt, et adversa patiuntur, et superius in oculis Dei pulchra sunt et fructuosa. Per dura quippe corporis purgant, et proficiunt ad pulchritudinem animæ, et sublimitatem spiritualem. Unde enim pulchritudinem supernam considerant, inde inferius libenter laborant. Sunt namque oculi eorum in capite suo, id est Christo, et capite ipsius aureo, id est divinitate, illuc pertingere, illuc tendere, illius decore refici et fulgore irradiari cupiunt. Suspirant quippe ad illam visionem, ad illud visum principium, et videntur sibi dies pauci præ amoris magnitudine, et levis tribulatio ad pondus gloriæ. Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad gloriam futuram illius visionis. Consideratio gloriæ, et retributionis desiderium in eis excitat, desiderium vero labores leves facit, et sursum provehit. Unde ergo superna considerant, et concupiscunt, inde inferius roborantur, et unde inferius roborantur, inde de laboribus triumphant, et in alta virtutum crescunt. Palma enim valde in altum ascendendo proficit, et victoriam sua significatione prætendit. Comæ dilecti sunt sicut elatæ palmarum, quia electi dum semper ad alta virtutum se efferunt, per Dei gratiam quandoque ad victoriam A se perducunt. In imis vita eorum quasi multis corticibus volvitur, dum innumeris tribulationis angustatur. In summis vero quasi pulchræ viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur. Qui nigræ etiam dicuntur sicut corvus, nigredo bonorum est, quod peccatores se reputant, et peccatorum suorum verecundiam in vultu portant. Despectionem quippe eligunt, contemptum æquanimiter ferunt, vilia opera et sordidum habitum non solum non refugiunt, sed etiam appetunt, scientes in hac humilitate pretiosum thesaurum latere. Hæc est nigredo bonorum in qua se corvis similant, ut Christo quoque assimilentur. Est enim humilitas virtus Christi, quam qui habuerit, Christi quoque similitudinem habebit, et quantum per hanc fuerit nigrior, tantum erit Christo B similior, et apud seipsum humilior. Boni namque nigri sunt, et despecti apud se, sed pulchri et pretiosi ante Deum. Descriptis itaque comis dilecti, oculos ipsius describere incipit, dicens:

Oculi ejus sicut columbæ super rivos aquarum quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. Oculi dilecti sunt contemplativi, qui superna et spiritualia cordis oculis contemplantur. Qui sunt sicut columbæ, quia simpliciter vivunt, et simplicem habent oculum, id est intentionem, ut totum corpus eorum lucidum sit, id est quidquid agunt, vel intendunt, propter Deum faciant. Sunt quoque columbæ ad fenestras oculorum suorum, quia ad terrena nec rapacitate, nec amore feruntur, hebetem in his habentes visum, sed in spiritualibus et salubribus C acutum et perspicuum. Iste est oculus dexter, qui, ne nos scandalizet, et in errorem subtilitate nox a perducat, Scripturæ documentis jugiter adhæret. Ut hoc est quod super rivos aquarum esse perhibetur. Solent columbæ super rivos aquarum residere, ut umbram accipitris in aquis videant, et ita super aquam se projicientes ungues ejus evadant. Ita boni umbras dæmonum in Scriptura vident, dum omnimodam deceptionem eorum ibi reperiunt, quibus non solum per aperta mala, sed etiam per occulta fallere solent. In qua etiam videt, quod modo per speciem boni, modo per intelligentiam falsam illudunt, quæ a simplicibus et minus exercitatis in spiritualibus sana et perfecta creduntur. Contra omnem itaque errorem, vel impuritatem D quam inimicus suggereret, vel erroneus aliquis et seductus affirmaret, eloquia divina sunt inspicienda, et quæ suggeruntur vel audiuntur, his conferenda, ut recipiantur, vel confutentur. Hæc enim sunt eloquia casta, argentum igne examinatum probatum a terrenis, et purgatum a septiformi Spiritu. Quiquid enim sacræ Scripturæ consonat et concordat quam sanctus Spiritus condidit, sanum et integrum credendum est, et quiquid ab illa discordat, noxium reputandum. Sanum enim esse non potest quod a Spiritu sancto aliquo modo discrepat. Solent quoque rivi oculos inspicientium clariores reddere. Ita Scriptura, inspecta cordis oculos perspicaciores facit, quia declaratio sermonum Dei illuminat, et intel-

Digitized by Google

lectum dat parvulis : qui enim sermones Dei elucidat illuminatur, et ad intellectum sermonum Dei dispositus est : mystici enim sensus, dum investigantur, mentem eruditunt, et sensum ad intelligentiam aperiunt. Hæ quoque columbæ lacte sunt lotæ, id est dulcedine matris gratiæ a peccatis mundatæ pariter et custoditæ. Per consolationem enim spiritualem amarescit et vilescit delectatio, et mundi tia terrena et carnalis, et per hanc compungitur, ut de commissis pœniteat, et alia non committat. Item lotæ hæ columbæ resident juxta fluenta plenissima. Hæc fluenta plenissima sunt gaudia perfecta illius vitæ juxta quæ resident, quia a terrena delectatione seu consolatione se removent, et cognitioni atque contemplationi supernorum se conformare, et proximos facere student. Accubant enim inter terminos ut videant requiem illam quia bona, et terram quia optima est. Extrema hujus mundi eligunt, quia vitæ subsidia ad sustentationem non ad voluptatem sumunt, ut ita in terminis ejus commorantes, terminos quoque illius vitæ aliquatenus contingant, et aliquid de illis gaudiis apprehendant. In terminis accubant, quia et si hic corpore sint, illuc mente conversantur, sicut dicit Apostolus : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Quia vero hoc mundo utuntur tanquam non utantur, et futuram requiem desiderant, et mente contemplantur, juxta hæc fluenta residere perhibentur. Quam requiem nequaquam per contemplationem viderent, si non requiem mentis haberent. Unde sessio hæc juxta fluenta requiem eorum significat, sedere enim quiescentis est. Super rivos itaque aquarum positæ, et lacte lotæ juxta plenissima fluenta resident, quia per Scripturam illuminatæ, et operatione atque dulcedine gratiæ mundatæ a peccatis et vitiosis affectibus, quietem mentis et puritatem cordis consecutæ sunt. Per quæ duo dulce poculum de illo fonte vivo hauriunt, et ipsum fontem sitiunt, dicentes : *sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI.) Qui vero adhuc imperfecti sunt et infirmi, non sunt loti hoc lacte; quia, etsi consolationis dulcedinem a Deo perceperunt, non tamen ita plenam a peccatis pariter et vitiis mundationem. Unde juxta fluenta hæc resident, quia hanc quietem mentis nondum habent. Horum dulcis affectus sive gaudium non est perfectum vel purum, quia de minus mundato corde procedit. Cooperatur enim in eis vel naturalis levitas, vel prosperitas aliqua, vel tentatio peccati occulta. Tales per dulcem affectum interdum ad gaudium assuetum carnalitatis devolvuntur. Ignis enim carnalis concupiscentiæ per tentationem adhuc vehemens est in eis, unde hilaritate accepta quasi adhibitis lignis facile accenditur. Horum affectus cum in Deum dirigitur, contingit interdum ut ex occasione locorum status levior factus in carnalem mutetur, ut cum spiritu cœperint carne consumment. Unde aliqui in tali statu carnis motum, vel etiam majorem fragilitatem patiuntur. Istis dulcis affectus vertitur in peccatum. Unde cum carnis motum sentiunt, statim se retrahere ab hac dulcedine, et ad aliquod bonum convertere deberent. Talibus magis expediunt amara quam dulcia, dura quam mollia, amaritudo scilicet et dolor pœnitentiæ, et labor pugnæ contra oblectamenta carnis, vel propriæ voluntatis. Noxia enim delectatio suo contrario melius curatur, et suavia sicut sensualitatem delectant, ita et vires ejus faciunt. Per dura itaque et labores falsa delectatio exstinguitur, et requies mentis acquiritur, ut juxta fluenta hæc sedeatur, et superna aliquatenus contemplentur.

CAPUT XXXVIII.

De membris dilecti.

Genæ ejus sicut areolæ aromatum consitæ a pigmentariis (*Cant.* V). Genæ sunt martyres qui sanguinem suum pro fide Christi fundentes, quasi genæ in facie sponsi rubent. Merito pulchræ, quia totum corpus Ecclesiæ ornaverunt, cujus membra fuerunt. Magnus in eis ardebat ignis amoris quos sic ad tormenta inflammabat. Magna intus dulcedo, quæ mortem amarissimam, dulcorabat. Hæc est charitas dilectio, scilicet Dei, dilectio summi boni, fortis ut mors, imo fortior morte. Hæc in martyribus corporis desideria mortificaverat, et ideo ipsum corpus morti exponere prævalebant. Vivebant tales spiritualiter, non carnaliter. Vivebant jam non ipsi, sed vivebat in eis Christus. Unde pro Christo mori poterant, qui in ipsis vivebat, et cujus spiritum habebant. Hæ sunt genæ dilecti, quæ in facie militantis Ecclesiæ rubebant per martyrii pœnam, et in triumphante rubent speciali decore per areolam. Quæ sunt sicut areolæ aromatum, et virtutibus repletæ, quæ virtutes more aromatum suavem refectionem habent pariter et odorem. Mentem enim quam replent delectabiliter reficiunt, et bonæ opinionis, et exempli odorem ad alios emittunt. Istæ areolæ consitæ sunt a pigmentariis. Pigmentarii sunt prædicatores, medici spirituales languoribus animarum eruditione sua medentes. Hi pretiosum pigmentum fidelibus composuerunt, dulce poculum, spirituales videlicet sententias quibus nos imbuerunt. Ab his pigmentariis consitæ sunt hæ areolæ, quæ virtutes ab eis descriptæ sunt, et in libris conscriptæ, de quibus subditur :

Labia ejus lilia stillantia myrrham primam. Labia dilecti sunt prædicatores, quia verba ejus loquuntur, et voluntatem ejus annuntiant. Quæ labia sunt sicut lilia, quia candorem habent innocentiæ, et odorem bonæ famæ. Pulchra est, et redolet eorum doctrina, quia ornat eam et commendat vita munda. Roborat enim prædicationem eorum boni operis exemplum, et facile persuadent, qui ita opere perficiunt sicut verbo docent. Quia ergo faciunt quod docent, candent et redolent. Isti sunt periti medici prius curantes seipsos, et de remedio morbi proprii edocti ad cognoscendos et curandos morbos alienos. Stillant autem myrrham primam, quando in primis seipsos mortificant, et sic

Digitized by Google

mortificationem aliis prædicant, incipientes facere, et sic docere. Myrrha quoque prima est pœna martyrii, quam stillant fidelibus, quando prædicant corpus exponendum morti potius, quam a Deo recedendum, vel mortale committendum. Mors etiam Christi est myrrha prima, quam specialiter prædicant. Ipse enim est caput martyrii a quo maxime cœpit martyrium, et per quem roborati sunt fideles ad martyrium perferendum. Myrrha prima est optima; unde designat mortem Christi, quæ fuit optima, quia totius mundi redemptio. Hanc stillant hæc labia, id est prædicatores, et hanc imitandam proponunt fidelibus, et semper in memoria habendam. Hæc cogitata stimulos carnis mitigat, tentamenta inimici exstinguit, in desperatione consolatur, delet peccata, mortificat vitia, roborat mentem, confert gratiam. Mors Christi, dolores ejus atque labores et merita nostra, non ipsius sunt. Omnia enim quæ fecit vel pertulit, non sibi, sed nobis meruit. Ad tribunal quoque Christi venientes in morte, et meritis ipsius maxime debemus fiduciam ponere, et pro commissis malis, vel omissis bonis, hæc inimico accusanti opponere. Mors itaque Christi myrrha prima est, myrrha optima, quia omnia mala nostra mortificat, tam potens ut nihil ita sit ad mortem, et mortem æternam, quod non solvat et vivificet. Sequitur :

Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Manus dilecti sunt bonorum opera, quæ sunt tornatiles, quia sunt recta atque perfecta. Sicut tornatura recte et polite volvitur, et nihil inæquale, nullum obstaculum in se patitur; ita boni nihil reprehensibile operantur, nihil agentes in quo proximus offendatur, vel scandalizetur, vel infirmetur. Recta est itaque polita operatio bonorum, quia sola cœlestia quærunt, non declinantes ad dexteram vel sinistram, sed regia via incedentes. Regunt enim se, et dirigunt ad id quod salubre est et expedit, non ad id quod humana cupiditas expetit. Exercent se magis ubi major est profectus, et ibi minus ubi minor est utilitas. Multi enim circa minima valde solliciti sunt, majora negligunt, opera de genere bonorum exercentes, sed non in charitate facientes. Castrum quidem animæ suæ multis operibus muniunt, sed unum foramen inimico per quod intret relinquunt. Cujus castri hæc erit firma munitio, ut intentionem semper habeat homo mortale non committendi, et si commiserit, statim pœnitendi. Et item sollicitudinem cognoscendi mortalia, et pro his quæ cognoscere non valet occulte conterendi. Bonorum igitur operatio divina est sapientia illustrata. Unde manus istæ aureæ dicuntur, quia lucent per divinam sapientiam, et non obscurantur per peccatum vel per ignorantiam. Lucent quoque coram hominibus ad gloriam Patris cœlestis, quia non fuscantur peccatis, vel indiscretione, et omnia quæ faciunt fiunt propter Deum, et simplici intentione. Unde subditur quod plenæ sunt hyacinthis, quia sola spe et desiderio cœlestium fiunt : hyacinthus quippe lapis est ærei coloris et viridis. Plenæ sunt istæ manus hyacinthis, quia omnis operatio bonorum, omnis intentio supernum præmium quærit, et Dei placitum. Propter hoc ad instar sapphiri nitescit, et recens est in bono, ut Deo placeat, et Deo fruatur. Plenæ sunt igitur hyacinthis, ut nullus in eis pateat locus vanæ laudi, non hanc quærant, non hanc oblatam aliquando recipiant, sed semper ad hunc lapidem, ad cœlestem speciem, ad illam pretiosam margaritam respiciant, et pro hac omnia vilia reputent et contemnant. Lapis quoque iste cum aura mutatur, sic sunt boni, quia pro tempore mutantur. Modo enim rigorem exercent, modo clementiam, modo excessus emendant, modo dissimulant. Et hæc faciunt non per negligentiam, sed per discretionem. Omnia siquidem tempus habent, et qui temporis opportunitatem non observant, utilitatis se fructu privant. Interdum enim melius toleratur malum quam reprehenditur. Pro tempore itaque, et moribus hominum se mutant, nec hac mutabilitate fiunt instabiles, sed firmi et stabiles. Quia, dum mutantur ut causas melius ad effectum perducant, in his quæ facere intendunt semper prosperantur, et mutabilitatem impedimenti non patiuntur. Mutant enim modum, sed non animum, et manet eadem intentio, etsi non eadem actio. Sequitur :

Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris. Venter dilecti sunt boni conjugati caste se habentes et utentes hoc mundo tanquam non utantur. Elephas autem castum est animal et frigidæ naturæ. Unde et eos significat qui non ideo copulantur, vel carnaliter se cognoscunt, ut libidini satisfaciant, sed vel causa generandæ prolis, vel vitandæ incontinentiæ. Nam prolis intentio habet meritum; vitanda incontinentia, veniam : nam eam excusat matrimonium, causa libidinis damnationem, quia est mortale peccatum. Conjugati itaque qui voluptati suæ serviunt non sunt vere dilecti, sed possessio diaboli, nec in his habet Christus mansionem, sed diabolus potestatem : sicut angelus Tobiam docuit, dicens, dæmonem habere potestatem super eos qui conjugium ita suscipiunt ut suæ libidini vacent, sicut equus et mulus (*Tob.* VI). Venter autem sponsi distinctus est sapphiris. Sapphirus lapis est speciem sereni cœli habens. Unde bonos conjugatos designat, qui cœlestibus disciplinis imbuti sunt, superna meditantur et sapiunt. Hi sunt distincti sapphiris, quia inter mundanos actus cœlestia quoque opera faciunt. Quamvis enim divisi sunt ut cogitent quæ mundi sunt, quomodo placeant conjugi, cogitant nihilominus cœlestia, et quomodo placeant Conditori. Hæc est distinctio sapphiri, ut in carne ambulantes non secundum carnem militent, sed eorum conversatio in cœlis est

CAPUT XXXIX.

Descriptio aliquorum membrorum dilecti, et Virginis Mariæ laudes.

Crura ejus columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas (*Cant.* V). Isti sunt qui rebus suis

Digitized by Google

religiosos sustentant, qui bona temporalia illis impartiuntur, ut spiritualia ab eis recipiant. Qui enim recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ recipiet. Qui justum sustentat ad serviendum Deo, non solum mercedis ejus particeps erit, sed cum illo mercedem ejus habebit. Isti sunt crura sponsi, quia hi, qui circumeunt infirmos visitantes, et ad eos, qui carne juncti sunt, venientes; horum non solum, ut Job ostium viatori patet, sed etiam cum Tobia pergunt ad indigenas, et dividunt unicuique de facultatibus prout possunt. Qui, ut columnæ marmoreæ, sunt recti in scientia et opere, et infrangibiles a vitiis et peccatis. Recte et sane sapiunt, nulla falsa doctrina, vel religione supplantati. Docent enim aliqui falsa sub specie religionis. Dæmones quoque in corde suggerunt falsam justitiam, et falsam intelligentiam pro luce veritatis. Intendunt quippe aliqui arcum Scripturæ, et parant sagittas suas in pharetra sua, ut sagittis suis sagittent in obscuro rectos corde, et quæ Dominus perfecit, id est, perfecte fecit, et super doctores exposuit destruunt, et ad suum errorem inflectunt. Dæmones etiam quædam subtilia et quasdam revelationes in aliquibus operantur. Et item quædam nova et insolita, quæ curiosi et simplices mirantur et venerantur. Bonorum igitur recta est et sana intelligentia, formantur opera sicut ex corde procedit vita. Rectos gressus pedibus suis faciunt, quia cuncta cum consilio faciunt, et non solum peccata sua, sed etiam occultas suggestiones cordis in confessione exponunt. Non enim potest errare, qui cum consilio vivit, nec ab inimico decipi qui suggestiones ejus delegit. Item recti sunt boni et infracti, qui non curvantur, ut per eos transeant dæmones, sicut scriptum est de malo: *Incurvare, ut transeamus* (*Isa.* LI). Nec franguntur ab injustitia, ut tentationibus dæmonum consentiant et in peccatum cadant. Sunt ergo recti et erecti, quia et in se justitiam servant, et pro justitia desideranda se erigunt et injustitiæ opponunt. Quorum firmitas et constantia non quibuslibet lapidibus, sed marmori comparatur, quia non vilis et communis, sed pretiosa et rara. Neque fortitudo lapidum fortitudo eorum est, quia non duruerunt per insensibilitatem, sed per zeli rectitudinem. Istæ columnæ fundatæ sunt super bases aureas, id est, super fidem prophetarum, atque apostolorum. Eadem quidem quippe fides erat in prophetis et apostolis. Quod illi credebant venturum, isti credebant venisse; quod illi sperabant et exspectabant, isti cernebant et habebant. Unde quidam eorum loquitur, dicens: *Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt, et non viderunt bonum* (*Job* IX). Istæ bases fuerunt aureæ, quia lucebant per opera. Sine operibus enim est fides otiosa, sed per opera pretiosa, et auro comparanda, quia informata charitate. Super has bases fundata sunt crura hæc et columnæ, quia misericordes et recti superædificati super fundamentum prophetarum et apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, qui duos parietes in se conjunxit, Judæos videlicet et gentiles, justos et peccatores conversos, et homines in cœlo angelis sociavit. Sequitur:

Species ejus ut Libani. Hæ sunt virgines, decorem Christi et similitudinem habentes. Habet enim similitudinem Christi anima quæ charitatem habet, et plenius proficiens in morum correctione plenius hanc percipit. Cum aliquis pœnituerit, statim in ipsa contritione cordis, ex parte Dei similitudinem recipit, quam paulatim plenius et in futuro perfecte possidebit. Hac similitudine omnes boni Christo conformantur, sed specialius virgines, quæ cum hac similitudine candorem et munditiam habent vitæ; unde Libano comparatur, qui Christum significat, qui *candidus* interpretatur, proxima est ergo munditia auctori munditiæ. Unde quia hunc specialem decorem virgines obtinent, bene species dicuntur. Et quia sine macula pollutionis sunt, Agno sine macula familiarius junguntur. Sequuntur quoque Agnum quocunque ierit. Specialiter sequuntur cui se specialiter similes fecerunt. In carne præter carnem vivere cœlestis vita est, non terrena. Unde cum virgines peccatum carnis domant, quod maxime humano generi prævalet, et naturæ inhæret, quodam modo extra carnem sunt et Deo, qui Spiritus est, similes fiunt. Sunt ergo species Christi sicut species Libani. Libanus enim est Christus, nec tantum est candidus, sed etiam candidatio. Candidat enim et decorat electos. Libanus quoque nobilium ferax est arborum; sic Christus nobiles profert, eos scilicet quos per Spiritum suum regeneraverat in libertatem, ut filii sint Dei et vere liberi, ne faciant peccatum, ne servi sint peccati. Inter has arbores sublimior et nobilior fuit beata Virgo, quæ exaltata est sicut cedrus in Libano, *id* est Christo, quia non est sublimis per seipsam, sed per Christum, et ab illo sublimata et electa, ut sic excresceret et Creatori suo ipsa incrementum daret. Sublimis et nobilis arbor, quæ sublimem hunc protulit fructum, Dei videlicet Filium. Denique ipsa cedrus, quæ crevit in Libano, id est Christo, et dum Christum ipsa genuit, quasi Libanum cedrus produxit, et mons processit ex arbore cum Deus prodiit ex homine. Hoc est novum et inauditum, quod Deus fecit super terram, ut cedrus proferret Libanum, arbor montem, mulier circumdaret virum, id est Deum, et quem mundus non caperet hunc Virgo in utero suo concluderet. Species itaque Christi sunt virgines, sed beata Virgo specialis ejus species, quæ speciem suam nunquam per aliquod peccatum mortale, vel veniale maculavit. Unde speciem ejus Rex cœlestis concupivit, *in ea carnem* sumens, amplius hanc speciem decoravit, quia ampliori eam gratia replevit. Mundo itaque tenebris obvoluto et deformato, adeo Solem justitiæ speciosum forma præ filiis hominum edidit, et *ita lumen* cæcitatis, et speciem deformitatis speciosam restituit. Ipsa igitur singulariter species Christi præ omnibus speciosa, Christoque simillima, non solum

Digitized by Google

speciem Christi ipsa habens, sed etiam in aliis hanc restituens. Maria itaque supra homines est, in eo quod nunquam peccatum commisit, sicut homines, inter quos nullus inventus est qui faciat bonum et non peccet. Supra angelos quoque est, quia eos puritate supergreditur, dum divinitatem clarius illis contemplatur. Nec tantum peccatum non commisit, sed etiam aliorum peccata delevit; nec solum in se lucida fuit, sed etiam lucis radios ex se emisit, quia per eam mundus lumen gratiæ accepit. Inter divina itaque et humana media et mediatrix est Maria, ut humana supergrediatur, dum tam sublimia per Filium operatur. O mira dignitas, de muliere procedere solem mundum illuminantem, de terra lucem radiare, per feminam tenebras mundi in lucem clarescere! Per eam sol iste ex ea mundo fulsit, et clarior luxit, quia plenius corda illustravit. Ita lux æterna ex temporali nova surrexit, et radios suos amplius dilatavit. Nec solum per eam lux gratiæ in terris, sed etiam visio Dei animabus data est in cœlis. Hæc beata est illud signum magnum in cœlo, mulier amicta sole, quia sol divinitatis infulget ei, et circumfulget, et totam occupat, et post eam maxime illustratam cœli cives illuminat. Ipsa solis hujus splendorem primo, et præ omnibus suscepit. Ipsa amicta est hoc sole, et perfecte et præcipue divinitatis fruitione perfunditur. Et quasi hanc induit, dum tantam ejus plenitudinem accepit. Ideo vero hoc sole amicta est in cœlo, quia in terra perfecte Christum induerat, sicut dicit apostolus : Et *gratia plena* fuit (*Luc.* 1). Est autem luna sub pedibus ejus, id est, Ecclesia triumphans, quia inferior est, et post eam hoc sole illustrata luna defectum patitur, et ideo quia omnis homo præter eam defectum aliquem habuit, illustrari ab hoc potest, non æqualiter vestiri. Exaltata est hæc beata quasi cedrus, sublimata est sicut Christus, et si tantum quantum Christus, Christus minimus fuit in regno cœlorum, id est, in præsenti Ecclesia, Maria humillima fuit omnium quæ fuerunt in terra. Ideo ad hoc sublimata, ut summum omnium conciperet, et post eum summa omnium fieret. Bene se cum Christo humiliaverat, quæ cum Christo sublimanda erat. Sicut Christus ad dexteram Patris, ita ipsa ad dexteram Filii. Christus super omnia manuum suarum opera; Maria supra eadem opera post Christum, quia non solum exaltata est supra animas sanctorum, sed etiam super choros angelorum. In humillima igitur Maria se Christus ad susceptionem carnis humiliavit, et humiliatam ita secum exaltavit. Sublimis igitur Maria, sed sublimior Christus. Unde de eo sequitur :

Electus ut cedri. Cedrorum pulchritudini, fortitudini, sublimitati, atque odori omne silvarum decus cedit; ita Christo nec in terra summi homines, nec in cœlo angeli possunt æquari. Cogitare igitur volo quam sublimis et præcellens sit in se, et quantum se humiliaverit propter me : unde cum timeo judicem, cogitare volo fratrem, et naturæ meæ consortem. In humanitate namque judicabit, quam pro nobis misericorditer accepit. Ferat sententiam humanitatis et misericordiæ, fratris, et non judicis, vel justitiæ. Si justificare me voluero, judex sit, et condemnet me; si miserum confiteor, impendat misericordiam. Judex ipse esse volo pro judice, ut judex non sit ipse, sed frater pro judice, et judicare me volo ne judicet ipse. Si talis accedam ad judicium, et matrem misericordiæ in causa mea habuero mecum, quis judicem denegabit propitium? Maria facta est Mater Dei propter misericordiam; hanc quoque credo quod indesinenter exercet pro humano genere coram Patre et Filio, et maxime pro examinandis exercebit in judicio hoc judicium. Porta est in qua nobilis erit Christus vir Ecclesiæ, cum sederit ad judicandum cum senatoribus terræ. Tunc sublimitas hujus cedri apparebit, et quantum super homines emineat, quamque excelsus reputatus sit, cujus spiritus in naribus ejus erat, id est, in ore hominum spirabat. Mariam igitur matrem misericordiæ et portam cœli quæramus, et speremus in porta judicii misericordiam, ut per portam judicii ingrediamur ad vitam æternam.

CAPUT XL.

De Christo et meritis ejus.

Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis (*Cant.* v). Guttur sponsi est internus sapor ejus, et consolatio spiritualis, quæ suaviter gustantes expertos afficiunt. Si enim bonitatem Dei cogitando comprehendas, et ad saporem ejus pertingens, gutturis hujus suavitatem cum sponsa prædicabis. Amoris quoque ejus gustus adeo suavis est, ut non solum mentem reficiat, sed etiam corporis cibum oblivisci faciat. Si quoque spiritualia, et mystica contempleris, quidquid de eo comprehendere potueris, suave et delectabile comprobabis, adeo ut parum suavia omnia præter illum, imo nulla reputes, ipsum vero solum bonum, solum amplectendum et amandum judicabis. Ad superna vero consideranda si mente transeas, dulce erit meditari quale sit Deum videre, et ejus visione satiari, ipsum esse in nobis, et nos in ipso, et unum esse cum ipso, omni miseria carere, et cum ipso sine fine gaudere, horum internus sapor est sponsi guttur. A vitiosis autem affectibus purgatum esse oportet cor quod suavitatem hanc percipiet, quia nisi sincerum vas cordis fuerit, minus percipit, vel retinet hanc suavitatem spiritus, quia adhuc ex fæce carnalitatis accessit. Renuit igitur consolari nisi in Deo; memor sit Dei, et delectetur in eo, et in hac delectatione exerceatur, ut deficiat spiritus ejus, id est propria voluntas, et contemnat quod extra Deum delectat. Quantum exteriores delectationes contempserit, tantum in Deo delectari poterit. Delectationem mundanorum abjiciat, mundum, id est mundana, relinquat, solitudinem mentis adeat, sedeat solitarius, et levet se super se, levet corpus super corpus, ut corporalia transcendat, et superna et spiritualia comprehendat. Omne quod est

Digitized by Google

in mundo est concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitæ. Qui ista contemperit carnalem concupiscentiam devincendo, ab exterioribus ad interiora, et invisibilia revocando, et calcata superbia se humiliando, profecto mundum relinquit et ad solitudinem venit, ut spiritualium notitiam et saporem apprehendere possit. Hæc est Ægyptus de qua populus Dei egreditur, et hæc solitudo ad quam debet tendere. Ex hac solitudine mittuntur nuntii, et de fructibus terræ promissionis reportant. Hi nuntii sunt meditationes spirituales et desideria sancta. Isti ad considerandam terram hanc a devota anima mittuntur. Isti terram hanc investigando intrant, de ejus abundantia et dulcedine nuntiant, de fructu secum portant. Iste fructus est illius suavitatis gustus, dulcedinis illius prælibatio, fructus dulcis gutturi animæ devotæ hunc fructum gustantis, et ejus suavitatem experientis. Hunc qui gustat videt, id est cognoscit quam suave sit hoc guttur suavissimum sponsi, quod omnem suavitatem non solum excellit, sed etiam expellit. Hujus suavitas quo magis sentitur, eo magis desideratur. Esuriem habet in hac vita, non satietatem; refectionem, non plenitudinem. Tam dulcis est enim ut semper desideretur, tam immensa ut nunquam ad plenum comprehendatur, qui sic afficitur ut satiatum se dicat, et totum repletum, nescio an de gutture sponsi, vel de adulterio, et falso reficiatur nuntio: *Qui edunt me adhuc esurient*, ait sapientia Dei; *et qui bibunt me adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV). Hic bonitas Dei tenuis gustus est in futuro satietas, qui satiabimur cum manifestabitur gloria ejus, et replebimur in bonis domus Domini. Verus sapor sic a falso discernitur, quia non est vehemens, vel impetuosus, carnem non titillat, sed carnis motus compescit et mitigat. Modestus est, tranquillus, levis, dulcis, pacatus, spiritum roborat, carnem debilitat, mentem accendit et illuminat, non extollit, sed humiliat. Nam suavitas ejus desiderium excitat, et dum ampliora accendit de profectu semper humilem reddit. Cum enim parum est, quod habet, sicut semper se egentem reputat, ita semper humiliter de se sentit. Imperfectus sive falsus sapor divitem sibi hominem demonstrat, quia ad cognoscendum divitias bonitatis Dei non penetrat. Est autem imperfectus quem accipiunt adhuc novi et carnales, et nondum perfectam munditiam cordis consecuti, sed lippientes cordis oculos habentes, ut clare videre non possint, et spiritualia comprehendere. Inde igitur divites se putant, unde parum vident, et veram cognitionem non habent. Tales si plus illuminati plus cognoscerent, et immensitatem hujus suavitatis apprehenderent, potius humiliarentur, quam extollerentur, quia exiguum intelligerent quod de hac percipere potuerunt. Falsus sapor est, quem inimicus operatur, et hoc quod dulciter afficit, et mentem exhilarat; sed extollit, non humiliat; plenitudinem simulat, sed non habet: nam hunc percipientes quantum a vera gratia vacui sunt patebit si per adversa probentur. Unde thalamo comparari possunt, qui foris est nitidus, sed intus vacuus, foris nitent tales et lucent, quia speciem quamdam devotionis habent, sed intus vacui sunt a virtutibus et fervorem non habent. In hujus thalami secreto dormit, et quietem habet inimicus, quia non excitant, vel fugant eum desideria sancta, et ignitæ orationes, sed patitur eum, et fovet tepor mentis et falsus nitor religionis. Horum gloria non est ab intus, nec tam in conscientia quam in exteriori fama; et quia exterius fusi sunt, ideo interna non cognoscunt, vel percipiunt. Horum sapor etsi suavis sit, sed non est suavissimus, quia a sponso non est, sed ab adversario. Suavissimus est quem percipiunt boni, qui per cordis munditiam ad veram bonitatis ejus pervenerunt notitiam. Isti suavissimum guttur ejus prædicare possunt, quia, experientia docente, dulcedinem ejus gustaverunt. Si quoque humanitatem ejus cogitemus, suavissimum fuit guttur ejus per quod divinitatis verba processerunt, quia spiritus et vita fuerunt, sicut ipse dicit. Suavis igitur prædicatio, et verba illa quibus loquebatur de regno Dei. Suavissimum igitur fuit guttur ejus, et totus desiderabilis, desiderabilis humanitatis ejus visio in terris, sed multo desiderabilior glorificata ejus humanitas in cœlis, quæ etiam angelis est desiderabilis, qui in eam desiderant prospicere. Est enim ille vultu desiderabilis, cujus vultum desiderat universitas civium supernorum, desideratissima vero est divinitatis ejus contemplatio, cui omne quod desideratur non valet comparari. Est igitur totus desiderabilis, qui etiam desirabilis est in membris suis, tam adhuc in terra peregrinantibus quam in cœlo regnantibus, quia delectat tam eorum gratia quam considerata gloria. Hic namque habent fulgorem sanctitatis et illic glorificationis. Dilecta eorum sanctitas ad imitandum, et gaudium ad gaudendum cum eis et simul fruendum. Dulcis est gaudii eorum contemplatio quod nostrum quoque speramus, et quod exspectamus. Habet hæc exspectatio lætitiam, ut spe hujus gaudentes simus, et in tribulationibus patientes, vel laboribus quos pro hoc sustinemus. Est igitur desiderabilis Christus etiam in suis, quia eos de gloria sua et decore fecit decoros et desiderabiles, ut non solum propter se, sed propter electos desideretur, quos cum eo in gloria socios et consortes habebimus, et quorum gloria gaudebimus. Est igitur totus desiderabilis, quia in se et in membris suis. Et iste est amicus meus, o filiæ Hierusalem, hic est a quo diligor et quem diligo, non verbo, neque humana lingua, sed opere et veritate, quia mandata ejus audio et ea servo. Hujus pulchritudinem cogitate, amorem desiderate, filiæ Hierusalem, id est, animæ ad visionem pacis supernæ venire cupientes: per ejus enim amorem, et mandatorum impletionem, pervenitur ad pulchritudinis ejus visionem, supernam felicitatem et pacem, ad quam nos perducere dignetur Jesus Christus sponsus Ecclesiæ, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

CAPUT XLI.

Sponsus sponsam invitat ad hæreditatem suscipiendam.

Veni in hortum meum, soror mea sponsa (*Cant.* v). Hortus mihi facta es, anima, operando mihi in te diversa virtutum et boni operis odoramenta. Nunc quoque tempus est ut in hortum meum venias, horti mei delicias perceptura, quia soror es, hæres es; veni ad hæreditatem, quia sponsa; veni ad amplexus, veni ad somnum ut accipias hæreditatem; quia, cum dedero dilectis meis somnum, hæc est hæreditas eorum. Dormisti exterius, sed corde vigilasti et hæreditatem cogitasti; veni ad gaudium pro quo laborasti, quiesce post laborem, contemplare per speciem, quod contemplata es per fidem. Refecit te spes, reficiat nunc visio. In sinistra quievisti, amplexetur te dextera, nec te constringant, et circumdent terrena; veni in hortum meum. Hortus meus deliciarum. In horto meo miro decore rubent rosæ martyrum, miro candore nitent et redolent lilia confessorum et virginum. In horto meo diversorum fructuum sunt genera, et tot oblectamenta, quot beatorum in regno regnantium merita. In horto meo omnis plantatio Patrum antiquorum, sive novæ gratiæ. Quidquid unquam plantatum, quidquid boni actum est ab initio sæculi, huc omnium fructus ascendit. Huc finaliter venit, omnia hæc tibi profecerunt, te exspectant, te suscipient. Hic est fructus electorum meorum, qui semper manet, et non est solum facientium, sed etiam hunc in aliis amantium, hunc amando tuum fecisti, me enim amando omnia mea amasti, amando tua fecisti mea, atque meorum merita electis meis sunt communia. Non enim tantum sunt singula singulorum, sed omnia omnium. Veni ergo huc ad universa simul percipienda, quia tibi parata sunt omnia, nova cum veteribus servavi tibi, antiqua scilicet et recentia meorum merita, ut omnibus oblecteris, omnibus potiaris, de omnibus satieris. Messui myrrham meam cum aromatibus meis; myrrham messui in martyribus, aromata in confessoribus et bene viventibus. Martyrum myrrha ad messem venit: nam eorum amaritudo transit, et ad fructum pervenerunt; nam præmia pro labore perceperunt. Confessores de peccatorum suorum confessione, et laudis meæ, transierunt ad confitendum nomini meo ad laudem sine labore, ad laudem pacis et meæ visionis. Erant aromata confessores: nam bonæ vitæ exemplo alios refecerunt et bono odore fragraverunt. Myrrham quoque meam messui: nam mortis meæ acerbitatem et pœnam consummavi, sed per hanc membris meis suavia salutis gaudia comparavi. Cujus passionis gustus amore mihi sapiunt, sed confectum ex illa redemptionis humanæ aromate suavi me reficit, nec martyrum myrrha, nec confessorum aromata hæc gaudia percepissent, si non mortis meæ myrrha percepisset. Sanguis meus flammeum exstinxit gladium ante paradisum collocatum, quo exstincto cherubin quoque quem simul obstruxit homini non negat aditum, quem sui Creatoris novit sanguine redemptum. Nec solum hunc ad suam societatem, se I ad scientiæ recipit similitudinem, cherubin enim *plenitudo scientiæ* dicitur, et homo similitudinem scientiæ recipit, ut cognoscat perfecte, et sicuti cognitus est, qui hic experte cognovit. Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. In passione amara mea pertuli, sed nunc resurrectionis dulcia percipio. Tunc assatus quasi piscis, nunc mel glorificæ humanitatis comedo. Et qui eram quasi despectus et novissimus virorum, nunc gloria et honore coronatus super omnia Patris sum constitutus, et non tantum super omnia hominum, sed etiam angelorum, favum cum melle comedo, quia glorificata humanitate cum gloria divinitatis in me fruor, et in membris meis eadem percipio, hæc est dulcedo mea, hæ deliciæ meæ cum filiis hominum, hæ epulæ, hoc convivium. Hoc mihi cibus et potus est, ut melle dulcius hæc comedam, et vino et lacte jucundius ac delectabilius bibam. His deliciis fruor, et eisdem membra mea cibo et poto: nam favus mellis mihi erant dulces in moribus et operibus, vinum et lac sapientes et simplices, ad quod convivium soror et sponsa veni post labores.

CAPUT XLII.

De assumptione Mariæ, et ejus laudibus.

Quæ est ista quæ ascendit, et transiens deserta? (*Cant.* III). Quo tendit aut quid portendit floribus operta? Papæ, furem non offendit opibus referta, virgo singularis. O prædo, jam prædaris, præda factus virginis! Hæc est hostis Holoferni, mulier Hebræa, quid Judæos Aman spernis, Esther est Judæa, Mardochæo crucem sternis, punieris ea. Singularis ferus, rex est Assuerus, Esther magni nominis, hæc est illa virga Jesse, quam fert Isaias de radice natam esse, cujus flos Messias, passionis suæ messis stravit mundi vias, fructu centenario, cum sexagenario atque tricenario. Hæc est Sunamitis illa, quæ David servivit. Ista Jahel tam pusilla Sisarum contrivit. Hæc est regina Saba, quæ regis adivit Salomonis regna, cujus sapientiam audivit in sacrario, hæc de manu Pharaonis suum salvat masculum, hæc est vellus Gedeonis, rore ditans vasculum, hæc est veri Salomonis singulare ferculum et turris eburnea, a toto refulgens aurea tota delectabilis, hæc est in quo se rechinat rex, reclinatorium viatorum dum declinat, hæc est diversorium, caput super hanc inclinat, non habens tugurium, Rex æternæ gloriæ. O quam dulcis est memoriæ mater tam laudabilis! Hæc est arbor inflammata, sed comburi nescia, stella Jacob procreata, veri solis nuntia, porta semper obserata, soli regi pervia, sed et arca fœderis, allata David humeris, magno translata jubilo. Lunam tenens hæc sub planta, sole stat circumdata, talis exstat et tam sancta, tot habens charismata, tot figuras, signa tanta, tot gerens ænigmata, quot sunt cœli sidera. O quanta sit considera, tu quisquis es in jubilo, istis suffulta flosculis, istis malis stipata, stat cruta periculis, in portu laureata, desi-

Digitized by Google

deratis oculis jam fruitur beata conjuncta Trinitati! O plaudant jam renati! O jubilum quo jubilat, mater nato unita! O quam præclara rutilat duplicibus vestita, translator non sic ventilat, fides allegat ita quod regnet jam cum Deo! Ave, Maria, gratia plena; tecum sit Deus. Corruptionis nostræ quam somniat Judæus. Tabescat in fallacia seductor Sadducæus: nam vere surrexisti. O dulcis mater Christi reorum miserere! Ave, Maria, mater gratiæ, mundi regina, mater misericordiæ, salva nos a ruina, fons vitæ, vena veniæ, venire tunc festina cum morti appropinquamus, ut tecum valeamus perpetuc gaudere. Amen.

QUOMODO CHRISTUS PONITUR IN SIGNUM POPULORUM.

Radix Jesse qui stat in signum populorum (*Isa.* xi). Quis sit iste qui stat in signum populorum, quem gentes deprecabuntur, cujus jam quidem sepulcrum est gloriosum, nemo vestrum ignorat. Quis enim alius est cujus sepulcrum est gloriosum, nisi quem oportuit pati et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* xxiv), ut in hunc modum fieret sepulcrum ejus gloriosum? Quia mortuus mortis auctorem spoliavit, quod mors ejus mortem superavit, quod resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* vi), fecit sepulcrum ejus gloriosum. Tanta enim gloria sepulti sepulcrum ejus gloriosum reddidit, vel quis alius est quem gentes deprecantur, nisi ille de quo scriptum est: *Et adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei* (*Psal.* lxxi). Qui habet scriptum in vestimento et in femore: Rex regum et Dominus dominantium! (*Apoc.* xvi.) Et juste quidem ei omnes gentes deserviunt vel deprecantur, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* xxviii), in tantum ut merito ei flectatur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* ii). Et quem alium dicimus stare in signum populorum, nisi qui positus est in ruinam et in resurrectionem multorum, et in signum cui contradicetur? (*Luc.* ii.) De hoc signo iterum scribitur:

Levabit signum in nationes, et congregabit profugos Israel, et dispersos Juda colliget, ex quatuor plagis terræ (*Isa.* xi). Modum levationis audis, cum legis: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic oportet exaltari Filium hominis* (*Joan.* iii). Audis modum; attende et fructum. Levatur serpens in altum qui daret aspicientibus remedium. Levatur serpens æneus qui venenum non haberet, sed destrueret; qui venenum non inferret, sed auferret. Tali profecto signo primi parentes nostri, tali profecto omnes eorum posteri signo opus habebant, ut esset ad quod per devotionem aspicerent, et sententiam mortis evaderent quam ex veneno serpentinæ sibilationis ab antiquo contraxerant, et quotidie contrahere non cessant. Utinam Judæi, utinam Judaizantes nostri attendant et intelligant, retractent et recogitent hoc signum quale, quam sublime, quam insigne oporteat esse, si in hoc positum est ut possit profugos Israel, et dispersos Juda a quatuor plagis terræ colligere! Vere oportet esse sublime, ut possit omnium aspectibus patere, alioquin nec scire poterunt quo debeant currere. Vere oportet esse insigne, et omnino mirabile, quo possit cujusdam quasi miraculi novitate omnium aspectus in seipsum convertere, et omnium undique concursus in sui admirationem attrahere. Nunquid forte levabitur hoc signum in montem magnum et altum, ut sic pateat aspectibus omnium? Sed ubi, quæso, poterit ejus magnitudinis mons inveniri qui possit ab omnibus, et ab omni parte terrarum videri? An forte mons domus Domini in hoc ipsum elevabitur supra verticem montium? Sed si sic est, oportet ut mons iste quisquis est tangat, imo transcendat altitudinem nubium. Si omnino sic est, merito quærit Propheta, et dicit: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* (*Psal.* xxiii.) Sed si hoc de quo loquimur signum elevetur usque in cœlum, nunquid vel sic poterit patere aspectibus omnium, nisi fuerit præcipua quadam mirandæ claritatis novitate perspicuum? Audeo et dico, nisi hoc signum sit solis hujus luce insignius, præcelsius atque præclarius, nulla ratione videbitur posse concursus omnium, ut dictum est, in sui admirationem provocare. Nunquid ergo faciet Dominus novum super terram? Nunquid solem novum qui possit illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum, ita ut veraciter dicere possit ille qui stat in signum populorum: *Ego sum lux mundi?* (*Joan* viii.) Vide ne forte hæc lux sit lux illa quam designare voluit qui dixit: *Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis* (*Isa.* ix). Bona lux, et vere desiderabilis, si veraciter expellit, non dicam tenebras noctis, non dicam umbram caliginis, sed umbram mortis. Certe lux ista visibilis charitatis hujus solis nihil tale facere solet, nil simile facere valet. Vere necessarium erat eis qui in tenebris et in umbra mortis sedebant tale signum accipere; vere fuit dignum Patrem misericordiarum tale signum dare quod etiam umbram mortis de finibus nostris paulatim exterminaret, ita ut nullum tandem aliquando mortis vestigium apud nos remaneret, in tantum ut ille qui stat in signum populorum veraciter dicere posset:

Digitized by Google

mors, ero mors tua! (*Ose.* XIII.) Sed quæ, quæso, A dunt in hieme, recuperare solent, superveniente æstate. Datur ergo nobis spes integræ reparationis in omnibus quæ perdidimus sub tempore hujus hiemis. Quidquid tulit flatus aquilonis, totum recuperabimus sub æstate futuræ regenerationis. Quidquid infecit sibilus serpentis, totum reformabit semen mulieris. De quo Dominus ad serpentem: *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius* (*Gen.* III). Denique quidquid amisimus ex suggestione diaboli, totum reintegrabit nobis gratia Mediatoris nostri, in tantum ut sit omnibus mirabile quomodo de tanta miseria potuerit homo ad tantam gloriam assurgere: *Erit*, inquit, *in ostensionem, sicut terebinthus, et sicut quercus quæ expandit ramos suos* (*Isa.* VI). Erit itaque homo B angelis utique in ostensionem, angelorum Domino in ostentationem. Gloriabitur enim apud Patrem suum coram angelis suis de meritis nostris, et fructu sui laboris. Vis modum ostensionis audire? *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (*Matth.* X). Grandis honor. Et erit in ostensionem sicut quercus quæ expandit ramos suos. Ecce unde ostensio. De expansione ramorum. Expansio ramorum dilatatio meritorum. Dilatemini, fratres, in charitate, ut et digna sit quæ debeat esse in ostensione. Magna dilatatio charitatis, quæ se usque ad inimicos extendit, quæ latitudinis suæ sinu omnes includit. Magna dilatatio charitatis, omnia arbitrari ut stercora, ut C Christum lucrifacias. Magna dilatatio charitatis, quemlibet nostrum abnegare seipsum, tollere crucem suam et Christum sequi. Hæc profecto, hæc utique sunt quæ non immerito in ostensionem erunt. Multum ergo dilatemur in opere, ut multum dilatari debeamus in retributione. Sane secundum dilatationem meritorum, erit et dilatatio præmiorum. Quid homo non facere debeat, ut illud recuperare valeat quod jam in paradiso perdiderat? Sed quid illud dicimus quod accedente æstatis tempore quercus solent ramos suos longius extendere, multiplicius dilatare, firmius roborare, ita ut sint et numero plures et proceritate majores et robore fortiores. Nunquid et nos ex hac Domini promissione debemus tale aliquid exspectare? Absque D dubio. Peramplius enim atque perfectius erit multo quod recuperabimus in cœlo, quam quod perdidimus in paradiso. In paradiso erat posse peccare et posse non peccare; in cœlo erit omnino peccare non posse. In paradiso erat posse mori et posse non mori; in cœlo erit nunquam posse mori. In paradiso erat posse impugnari, et posse non expugnari; in cœlo erit nec posse impugnari. Ecce quomodo tandem aliquando homo ramos totius honoris et gratiæ supra primæ possibilitatis modum extendit. Quid ultra antiquæ conditionis jura dignitatis suæ magnitudine excrescit. Quis hoc unquam crederet? Quis credere potuisset quod putredo et vermis de tanta ignominia ad tantam gloriam quandoque assurgeret, nisi signum acciperet et tale qui-

erit lux ista quæ tenebras mortis expellere possit, si illa quam Propheta describit, cum dicit: Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, et miserator, et justus (*Psal.* CXI). De ortu hujus lucis alio loco legis: *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV). De terra sane nostræ humanitatis, de illius propagatione cui dictum est: *Terra es et in terram ibis* (*Gen.* III), nascitur lumen rectis, verbum et sapientia Patris. Nascitur, inquam, veritas de terra Christus Dei virtus, Christus Dei sapientia, etc., sapientia de carne humana. Deus Dei Filius de Virgine Maria, ut fieret nobis Emmanuel, et esset nobiscum Deus: *Ecce*, inquit, *virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isa.* VII), hoc est illud signum quod Dominus promisit et exhibuit. O signum singulare, o signum desiderabile, et ad quod digne debeant omnes pari voto concurrere, signum sane mirabile, et quale decuit Dominum majestatis dare! *Propter hoc*, inquit, *dabit Dominus ipse vobis signum* (*ibid.*): hoc utique est signum, hoc absque ulla contradictione quod veraciter possit veros Israelitas a quatuor plagis terræ colligere et veros Dei filios qui dispersi erant in unum congregare. Ad hoc sane signum datur, et ad hoc sane signum hoc elevatur, prius in patibulum, postmodum in cœlum, prius in patibulum crucis, postea ad dexteram Patris, et hujus rei testis fidelis: *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei* (*Act.* VII). Ecce ubi usque hodie Emmanuel noster, radix Jesse, erectus est in signum, et stat in signum populorum. Sed quale, inquiunt, signum, vel cujus rei signum? Audi, Judæe, hoc ne tibi videtur signum satis grande, satisque mirabile, quod virgo concipiet, virgo pariet, et talem filium qui sit nobiscum Deus, et quid hoc signo mirabilius? Sed cujus rei, inquis? Certe magnæ illius promissionis quam propheta paulo superius mystice designabat, cum de ea quæ in medio terræ derelicta erat prophetando dicebat: *Semen sanctum erit id quod steterit in ea* (*Isa* VI). Vere magnæ, vere mirandæ rei signum esse debuit et potuit semen quod virgo concepit, quod virgo peperit. Merito signum sanctitatis fuit semen quod virginis sanctitatem non abstulit, sed auxit, quod matris integritatem non minuit, sed sacravit: *Semen*, inquit, *sanctum erit quod steterit in ea.* Hujus sane futuræ sanctitatis modum exprimit nobis qui stat in signum populorum: *In resurrectione*, inquit, *non nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei* (*Matth.* XXII). Si ergo futuri sunt angelicæ sanctitatis, cur non et angelicæ felicitatis? Sed quomodo sicut angeli in cœlo, si similes in uno, dissimiles in altero. Sed æquitatis ratio non sinit similes in sanctimonia, dissimiles fore in gloria. Si tales futuri sunt, merito in ostensionem erunt. Et erunt in ostensionem sicut terebinthus, et sicut quercus quæ expandit ramos suos. Scimus quia ejusmodi arbores gratiam foliorum et viriditatis quam per-

Digitized by Google

dem quod ad tantæ dignationis mysterium digne sufficeret. Ad tantæ igitur promissionis certitudinem propheta signum supponit, et quod vere ad fidei nostræ securitatem sufficere possit.

IN VISIONEM EZECHIELIS.

PROLOGUS.

Animalium et rotarum litteralis explicatio.

Multis divinæ Scripturæ multo amplius dulcescunt, quando congruum in eis aliquem secundum litteram intellectum percipere possunt. Et tunc, ut eis videtur, spiritualis intelligentiæ structura firmius statuitur quando in historici sensus solido apte fundatur. Supervacuum enim et inane quis possit solidum aliquid fundare, vel firmiter statuere? Cum enim mystici sensus ex earum congrua rerum similitudine eruantur atque formentur, quæ in littera proponuntur, quomodo nos ad spiritualem intelligentiam instruat in his duntaxat locis, ubi ipsa sibi expugnat, vel nihil nisi frivolum resonat? Scandalizantur itaque sæpe potius quam ædificentur, qui ejusmodi sunt, cum hujusmodi Scripturarum loca incurrunt. Econtra autem antiqui Patres libenter accipiebant cum in hujusmodi Scripturarum loca inciderent, quæ juxta litteram stare non poterant. Ex his namque quosdam, quæ Scripturam sanctam recipiebant, sensus tamen allegoricos subsannabant, ex his, inquam, absurdis litteræ locis compellebant ad spiritalem intelligentiam confugere, cum negare non auderent Spiritum sanctum in quantalibet fatuitate litteræ nihil inaniter scripsisse. Hinc contigisse arbitror, ut litteræ expositionem in obscurioribus quibusdam locis antiqui Patres tacite præterirent, vel paulo negligentius tractarent, qui si plenius insisterent multo perfectius procul dubio, quam aliquis ex modernis id potuissent. Sed nec illud tacite prætereo, quod quidam quasi ob reverentiam Patrum nolunt ab illis omissa attentare, ne videantur aliquid ultra majores præsumere. Sed inertiæ suæ ejusmodi velamen habentes, otio torpent et aliorum industriam in veritatis investigatione et inventione deridient, subsannant, exsufflant. Sed qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Nos autem a Patribus pertractata cum omni aviditate suscipiamus, et ab ipsis omissa cum omni alacritate perquiramus, et sagaciter inventa cum omni liberalitate in commune proferamus, ut impleatur quod scriptum est: *Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia* (*Dan.* XII). Ecce mirabilem illam visionem de cœlestibus animalibus, quam propheta Ezechiel vidit, B. Gregorius, secundum mysticam intelligentiam, exponit. Sed quomodo ad litteram stare valeat, non dicit. De secunda visione dicit, quod juxta litteram stare non possit. Et hoc quidem verum, sed secundum eam acceptionem, quam ipse ibi assignavit; nam si eamdem de qua hoc dicit litteram velimus secundum aliam acceptionem discutere, fortassis, etiam juxta historicum sensum, ex ipsa poterimus congruum intellectum eruere. Certe, idem in eadem Ezechielis expositione dicit, plerumque in sacro eloquio ideo aliquid obscure dicitur, ut, dispensante mirabiliter Deo, multipliciter exponatur. Multiplex itaque sacræ Scripturæ expositio nunquam respuatur, in quantum rationi consentire, vel utilitati deservire videtur. In quantum ergo quisque in hoc gratiam accepit, nemo dubitet cum omni diligentia quærere ea quæ præcedentium Patrum sagacitas, vel ex industria præteriit, vel magis necessariorum occupatione implicata explicare non potuit. Dico itaque libenter quod mihi videtur de illa prophetica visione: nam fortassis hæc nostra qualiscunque expositio (et si non possit alienæ solertiæ satisfacere) poterit forte aliorum in hoc ipsum diligentiam, et quærendi studium nonnihil adjuvare.

Ecce de animalibus dicitur (*Ezech.* I): *Similitudo hominis erat in eis.* Hæc profecto hominis similitudo, quantum ad litteram pertinet, ex parte erat, et ex parte non erat, sicut subjuncta declarant. Ex parte erat, quia faciem et manus hominis habebant; et item ex parte non erat, quia pennas et pedes vitulinos, et plures facies habebant, unde et de eis additur: *Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni.* Si cœlestia animalia quatuor facies, et per quatuor partes habent, ergo contra terrestrium naturam sub eodem momento in omnem partem videre valent. Et *pedes eorum pedes recti.* Rectos pedes oportebat habere, ut possent in omnem partem, sicut ex sequentibus colligitur, sine ulla corporis conversione incedere: *Et planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Vitulinam plantam dicta animalia habere describuntur, ut non ex industria, velut hominum, sed naturaliter munita intelligantur. Ut autem possent pari modo in omnem partem incedere, oportebat formam pedum vitulinam similitudinem nonnulla ex parte excedere. In hoc autem quod dicitur, quia *scintillæ* erant in eis, vel potius ex eis quasi *æris candentis*, ostenditur quod facies igneas habebant quæ ardentes scintillas spargebant. *Et facies et pennas per quatuor partes habebant.* Certe si, ut superius dictum est, quatuor facies habebant; si eas, ut hic dicitur, per quatuor partes habebant, oportet ut in singulis partibus (quantum ad litteram spectat) nonnisi solam haberent. Quatuor autem pennas habebant, ut æque quocunque versi quaquaversum volare potuissent.

Notandum quod quatuor facies, quatuor pennas,

Digitized by Google

quatuor manus, et ejusdem numeri pedes habuere; numerum tamen pedum non videtur exprimere, eo quod nec rarum sit, nec insolitum quatuor pedes habere. Junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. Incedentium itaque animalium tanta distantia erat, quanta extensarum alarum copula pati poterat. Non revertebantur cum incederent, sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur. Cum in posterioribus dicturus sit: Ibant et revertebantur, quomodo hic dicitur quod incedentes non revertebantur? Sed vide ne forte revertebantur sub alio sensu ponatur hic, et sub alio ibi, si non facimus prophetam mentiri. Idem enim videtur hoc sonare revertebantur quod convertebantur. In sequentibus autem idem videtur sonare quod redire. Revertentes ergo non revertebantur, quia reverti, hoc est redire, volentes non revertebantur, hoc est non retro vertebantur, quia non convertebantur. Hinc est quod longe post de rotis loquens, dicit: *Cum ambularent in quatuor partes gradiebantur, et non revertebantur ambulantes.* Certe, si per quatuor partes ibant, fuit eis necesse ire et redire. Quomodo ergo ambulantes non revertebantur, nisi quo modo per subjuncta verba determinatur? Statim namque adjungitur: *Sed ad locum ad quem ire declinabat, quæ prima erat, sequebantur et cæteræ, nec convertebantur.* Ecce pro eo quod prius posuit revertebantur, eamdem sententiam repetens ponit convertebantur, et determinavit quod prius obscure posuit. Sed quid inter hæc dicimus, nisi quod ad sententiam beati Gregorii recurrimus, quod, dispensante Deo, idcirco obscure ponitur, ut multipliciter exponatur? Et absque dubio ex hac obscuritate Scripturæ agitur, ut quamvis fortassis una sit expositio secundum litteram, multiplex esse possit secundum mysticam intelligentiam: dicatur itaque de animalibus, non revertebantur cum incederent. Cur autem sine ulla corporis conversione ire et redire potuissent, ostenditur ex eo quod subjungitur: *Sed unumquodque ante faciem suam gradiebatur;* ac si aperte diceret: Idcirco non erat eis necesse corpus convertere cum redire vellent, quia in eam etiam partem faciem habebant. Nos cum ad posteriora redire volumus corporis conversione necesse habemus, qui solam unam faciem habemus. Sed illa revertebantur, nec retro vertebantur, sed ante faciem suam gradiebantur, illam videlicet quam ad eam partem habebant ad quam ire volebant. Sequitur:

Similitudo vultus eorum facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor. Facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor. Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Ecce in sua descriptione quomodo quibusdam gradibus incedit. Primo dixit quod haberent quatuor facies, postea dixit quod eas haberent pro quatuor partes. Dicit modo novissime qualem, inquam, partem habuere. Si dicta animalia pro more nostro dextram et sinistram et posteriora haberent, facile esset prophetæ singulas partes exprimere, et secundum eas sigillatim facies distinguere. Sed hoc idcirco non potuit, quia omnis in eis pars anterior fuit. Fecit ergo quomodo potuit, unam faciem primo ponit, et secundum illam cæteras distinguit. Dicit ergo: *Similitudo vultus eorum facies hominis.* Quis nesciat quod vultus in nobis præcipua et principalior pars esse soleat? Dicitur itaque quia vultus, hoc est prima et principalior facies, in eis erat facies, hominis. A dextris autem illius humanæ faciei ipsorum quatuor erat facies leonis. A sinistris autem ejusdem erat facies bovis.

Notandum quod de aquilina facie non dicit in qua parte et ipsa fuerit, quia ex præcedentibus hoc ipsum manifestum fuit. Illud solum dixit, de quo, si dictum non esset, dubitari potuit, quod ea utique facies cæteris eminentior fuit. *Et facies,* inquit, *aquilæ ipsorum quatuor erat desuper.* Hoc est cæteris superior. Et aves quidem solent habere, ut omnes novimus, longiora colla cæteris animalibus. *Et facies eorum, et pennæ eorum extentæ desuper.* Quod dicit, et facies eorum, defectiva oratio est, quasi dicat: et facies eorum in hunc modum erant, et pennæ eorum extentæ desuper illas facies. Nam ad hoc præmittit et facies eorum, ut competentius inferat quod de pennis dicere volebat: *Duæ pennæ singulorum jungebant.* Hoc idem aliis verbis superius dixerat, sed repetit, ut addat: *Et duæ tegebant corpora eorum.* Non sic intelligendum est, quasi eisdem semper duabus alis corpora tegerent, et duabus solummodo aliis volarent, cum utrumque utrisque sed vicissim facerent. Cum coram humana facie volare decrevissent, duabus illis alis quæ a dextris et a sinistris ejus erant id faciebant, et eisdem ipsis in contrariam partem, hoc est coram aquilina facie, volabant, duabus vero alis corpora tegebant. Cum vero coram leonina, vel bovina facie volare voluissent, econtrario faciebant: *Et unumquodque coram facie sua ambulabat.* Videtur superius positam sententiam repetere, sed credo aliud quiddam hic ostendere. Superius docuit quia corpus idcirco non convertebant, quia in ea parte ad quam ire volebant, faciem quam sequerentur habebant, et coram ea ambulabant. Hic mihi videtur hoc dicere velle, quoniam per tot partes irent in quot partes facies haberent. Idem est enim ac si diceret: Unumquodque eorum coram qualibet facie sua ambulabat. Huic sententiæ astipulatur, quod sequitur:

Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent. Vere coram unaquaque facie sua gradiebantur, quia ubicunque erat impetus spiritus, sive ad eundum, sive ad redeundum, sive in quamlibet partem divertendum, ita illuc gradiebantur, ut non converterentur, et inter eundum et redeundum nulla corporis conversione uterentur. *Et similitudo animalium aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, et quasi aspectus lampadarum.* Ecce quod superius jam diximus, quoniam igneas facies habebant, qui calorem in

Digitized by Google

modum carbonum ardentium, et lumen in modum lampadarum fundebant. Sequitur :

Hæc erat visio discurrens in medio animalium. Splendor ignis, et de igne fulgur egrediens. Ista satis patent. *Et animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Ecce quod superius jam diximus, quia animalia ibant et redibant. Sed quomodo putatis? In similitudinem fulguris coruscantis. Celeritas stupenda et solis cœlestibus animalibus attribuenda. *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia.* Non una sola tantum juxta omnia, sed singulæ juxta singula, sicut declarant sequentia. Apparuit itaque rota una juxta singula animalia. Sed qualis? *Habens*, inquit, *quatuor facies*. Quomodo autem quatuor facies habuerit melius ex sequentibus patebit : *Et aspectus rotarum, et opus earum, quasi visio maris.* Maris similitudinem dicuntur habere pro incredibili magnitudine. *Et una similitudo ipsarum quatuor, et aspectus earum, et opera quasi si sit rota in medio rotæ.* Cogitemus quasi duæ rotæ essent sibi invicem insertæ, et in unam operis facturam per transversum conjunctæ, et tunc intelligere poterimus quomodo dicatur unaquæque quatuor facies habere. *Per quatuor partes earum euntes ibant, et non revertebantur cum ambularent.* Hoc eodem modo de rotis dicimus quomodo superius de animalibus determinavimus. *Statura quoque erat in rotis, et altitudo, et horribilis aspectus.* Quantum mihi videtur, quoties stabant uniformiter id agebant, nec passim in omnem se partem, ut in rotis nostris videmus, ad standum erigebant; sed ubi superius designata illa, quasi duarum rotarum factura, hinc inde per transversum inserebatur, et invicem copulabatur. Cum stare vellent unam illarum partium semper in terra figebant, alteram in altum erigebant. Facile est ergo videre quam promptum eis esset post stationem in omnem se partem pari modo sine ulla corporis conversione volvere, quæ, ut dictum est, quatuor facies habuere. Possumus autem quod dicitur horribilis, et ad staturam, et ad altitudinem referre, ut intelligatur tantæ magnitudinis esse, ut esset horror aspicere, unde et superius dictum est de rotis, quod aspectus earum esset quasi visio maris. *Et totum corpus plenum oculis in circuitu ipsarum quatuor. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea; et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ.* Patent hæc omnia, nec egent expositione nostra. *Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, et rotæ pariter elevabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Videtur alius esse spiritus quem rotæ sequebantur, et alius qui eis inesse perhibetur. *Et similitudo super caput animalium firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis et extenti super capita eorum desuper.* Quod dicitur quasi crystalli horribilis, dictum puto pro enormitate magnitudinis : *Sub firmamento autem pennæ eorum recte alterius ad alterum. Unumquodque duabus alis velabat corpus suum, et alterum similiter velabatur.* Quando unum aliquod illorum duabus illis alis quæ a dextris et a sinistris humanæ faciei erant corpus suum velabat, similiter quodlibet cæterorum faciebat. Quando autem duabus aliis alis aliquod velabatur, eadem corporis velandi forma sub eodem tempore ab aliis servabatur. Quomodo ergo quodlibet unum corpus suum velabat, similiter quodlibet alterum velabatur. Sonum quasi sonum sublimis Dei dicit, eo quod tantæ magnitudinis esset, ut jure divinus dici debuisset, sicut carmen regium, vel regis digne dici debeat, quod regiam audientiam deceat.

Rursus de his rotis, vel animalibus alio loco legimus : *Rota una juxta cherub unum, et rota alia juxta cherub unum. Species autem erat rotarum quasi visio lapidis chrysolithi, et aspectus earum similitudo una quatuor, quasi si sit rota in medio rotæ. Cumque ambularent in quatuor partes gradiebantur. Non revertebantur ambulantes, sed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat sequebantur et cæteræ, nec convertebantur* (*Ezech.* x). Hæc omnia jam patent ex his quæ superius jam dicta sunt. Sequitur:

Et omne corpus earum et colla, et manus et pennæ, et circuli plena erant oculis in circuitu quatuor rotarum, et omne corpus earum. Quod dicit earum, intelligendum est factam relationem non ad rotas tantum, sed etiam ad animalia: nam de utrisque fuerat præmissum. Cum enim dicat earum, adnectit tamen quædam quæ conveniunt tam animalibus quam rotis, quædam vero quæ conveniunt rotis solis, quædam autem quæ congruunt solis animalibus, nisi forte qui putet rotas habere colla, pedes et manus. Usitatius autem loqueretur, si eorum, non earum posuisset. Sed quia novissimo loco de rotis locutus fuit, secundum genus quod proximo loco posuit relationem reddidit. Tale est illud in psalmo : *Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, et filiarum suarum quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan* (*Psal.* cv). Quas, non quos dixit, quamvis non ad solas filias relatio facta sit, nisi forte quis velit dicere solas filias sculptilibus sacrificatas fuisse. Sed quis hoc dicat? Quod hic dicitur, omne corpus earum, tam de rotis quam de animalibus intelligimus. Quod additur, et colla et manus et pennæ, de solis animalibus. Quod autem postea dicitur, et circuli, de solis rotis oportet intelligi, et quod novissime apponitur, in circuitu quatuor rotarum, et ad circulos tantummodo debet referri. Dicit ergo quia plena erant oculis, omne corpus earum, et colla et manus et pennæ, et circuli in circuitu quatuor rotarum. Addit adhuc quædam de rotis, quædam autem quæ conveniant animalibus solis : *Et rotas istas vocavit volubiles, audiente me.* Ecce de rotis. Et addit quod conveniat animalibus solis : *Quatuor autem facies habebat unum.* Si de solis rotis locutus fuit, quid est, vel unde quod unum dicit? Puto vel ex hoc manifestum fore eum non de solis rotis locutum fuisse. Sequitur :

Digitized by Google

Facies una, facies cherub et facies secunda, facies hominis, et in tertio facies leonis, et in quarto facies aquilæ. Sed ubi facies cherub legitur, in quibusdam codicibus facies vituli invenitur. Sed quamvis sit littera diversa, utrobique tamen est sententia una. Ex superioribus agnovimus quod dictorum animalium corpus in vitulum desinebat; et idcirco, si recte perpendimus, vituli facies corpori magis congruebat, in tantum ut quodam proprietatis jure hæc facies descripti animalis specialiter dici valeat, vel debeat. Sed forte quis ad hoc respondeat et dicat: Sicut ad naturam vituli magis accedebat in eo quod plantas vitulinas habebat, sic ex eo quod manus, vel pennas gerebat, in uno hominis, ex alio avis proprietatem præferebat. Sed scimus quia proprium est hominis manus habere. Non ergo potuit vitulinas manus, quemadmodum vitulinas plantas habere. Hoc idem est de pennis intelligere. Pedes autem habere commune est tam homini quam bovi, tam aquilæ quam leoni. Quid itaque est quod animal, quod quatuor facies habuit, vitulinos pedes accepit, nisi quod vitulina proprietas præ cæteris amplius aliquid sui juris in ejus corpore vindicavit, quæ in illis utique membris, quæ sunt æque et aliis communia, propriæ qualitatis similitudinem impressit? Propter hanc ergo proprietatis prærogativam, recte faciem vituli intelligimus, in eo quod faciem A cherub legimus. Non est autem diversum quod faciem bovis superius, hic faciem vituli invenimus. Est enim omnis vitulus bos, sed non convertitur cum bovis nomine, quo animalis species designatur.

Notandum autem quod idem positionis ordo hoc loco invenitur, qui superius exprimitur. Sed ibi facies hominis primo numeratur, eo quod sit principalior, secundum dignitatem. Hic autem facies vituli, eo quod sit principalior secundum proprietatem. Quoniam autem cæteris dignior non est facies vitulina, noluit dicere facies cherub, seu facies vituli, facies prima, sed facies una: *Facies*, inquit, *una facies cherub, et facies secunda facies hominis.* Erat ergo facies hominis facies secunda, hoc est secundo loco ab ea quæ primo est posita, et in tertio loco facies leonis, et in quarto facies aquilæ. B

CAPUT PRIMUM.

Compendiosa comprehensio eorum ædificiorum quæ ad unam medietatem pertinent.

Locuturus de Ezechielis ædificio, volo prius universa summatim perstringere, ut postmodum liceat in singularum partium descriptione quanto liberius, tanto latius vacare. Habebat itaque hoc ædificium triplicem murum. Primum sexcentorum cubitorum, secundum quingentorum cubitorum, tertium vero in medio horum, et omnium minimum, in hunc modum.



Intra intimum autem murum erat atrium interius; inter intimum et medium, erat atrium exterius. Inter medium vero et extimum erat vulgi locus. De atrio interiori legitur: *Et mensus est atrium, longitudinem centum cubitorum, et latitudinem centum cubitorum, per quadrum* (*Ezech.* XL). De secundo muro scribitur: *Per quatuor ventos mensus est illud murum ejus undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, et latitudinem quingentorum cubitorum, dividentem inter sanctuarium, et vulgi locum* (*Ezech.* XLII). De hoc sanctuario alio rursum loco scribitur: *Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum, et quinquaginta cubiti in suburbana ejus per gyrum* (*Ezech.* XLV). Eumdem sane locum per suburbana, et vulgi locum designat congrue satis, utpote metaphoram servans, qui in descriptionis suæ initio visum ædificium civitati comparaverat. Constat itaque inter medium murum et extimum quinquaginta cubitos fuisse, si per suburbana et vulgi locum oportet unum eumdemque locum intelligere. De hoc extimo muro in ipso descriptionis exordio dicitur: *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique* (*Ezech.* XL). C

Notandum sane quod hoc sanctificatum quod quingentos cubitos ex omni parte habere describitur, nunc ædificium, nunc sanctuarium, nunc do-

Digitized by Google

mus dicitur, nunc civitati assimilatur. Sane si consulas tam rationem quam Scripturam, invenies unumquemque trium horum murorum tres portas habuisse. Unam ab oriente, aliam ab aquilone, tertiam a meridie. De tribus siquidem portis atrii interioris, sive de tribus aliis atrii exterioris Scriptura multo sermone explicat. De una autem reliquarum trium breviter mentionem facit. Cæteras vero subintelligendas relinquit. Frustra namque muri interiores ab aquilone et meridie portas haberent, nisi e regione per murum extrinsecum ad illas aditus paterent. Habebant autem sex portæ interiores unaquæque porticum suam, quæ omnes fabricatæ erant juxta eamdem similitudinem, et ad mensuram unam, nisi quod portæ atrii interioris habebant porticus suas extrinsecus, et porticus atrii exterioris jacebant intrinsecus, et quod in gradibus septem ascendebatur in atrium exterius, et in gradibus octo in atrium interius. Ingredientibus itaque in atrium exterius prius occurrebant portæ quam porticus suæ. E converso autem ad ingressum atrii interioris, prius se offerebant porticus quam portæ, ita ut omnes sex porticus pariter jacerent in atrio exteriore. Has autem porticus Scriptura nunc porticus, nunc vestibula nominat ; et unam eamdemque porticum, nunc vestibulum, nunc vestibula vocat. In via sane orientali inter geminas porticus atrii exterioris et atrii interioris jacebat pavimentum stratum lapide, habens centum cubitos longitudinis, et centum cubitos latitudiuis; et triginta gazophylacia in gemino latere, quindecim a meridie, et quindecim ab aquilone. Erant autem et inter alias porticus duo alia pavimenta, unum ab aquilone, et aliud in via meridiana. Hæc utique duo ad prioris illius similitudinem constat habere centum cubitos in sua utique longitudine, et quindecim gazophylacia ab orientali latere. Cujus autem latitudinis fuerint, vel quæ gazophylacia in alio latere habuerint, melius patebit in subsequentium partium descriptione. Horum igitur quæ jam descripsimus formam taliter repræsentamus.



CAPUT II.

Compendiosa prælibatio eorum ædificiorum quæ ad aliam medietatem pertinent.

Nunc autem si totum hoc ædificium ducta linea de meridiana porta ad aquilonarem in gemina dividatur, ea quæ ad unam ejus medietatem, orientalem videlicet partem, pertinent, transcurrisse videmur. Nunc igitur de occidua ejus parte aliquid breviter perstringamus; nam de his omnibus in subsequenti opere latius disseremus. Eminebat itaque templum cum vestibulo suo a parte occidentali, situmque in atrio exteriori, cujus vestibulum ab orientali parte jungebatur atrio interiori. Per tres autem ejus partes, tres domus erant sitæ : una ab occidente cæteræ autem duæ, una ab aquilone, et alia a meridie. Erant autem omnes ejusdem longitudinis : nam unaquæque earum sicut et ipsum templum extendebatur centum cubitis. Quod autem ab occidente erat ædificium separatum Scriptura appellat, ex eo, ut arbitror, quod nulli alio ædificio cohærebat. Hujus ædificii longitudo prope medium murum extendebatur versus aquilonem et meridiem. Nam aliarum porrigebatur ab oriente in occidentem. Habebat sane domus aquilonaris porticum unam in quinquaginta cubitos porrectam, porticuique atrii interioris conjunctam. De quo loco Scriptura commemorat, cum dicit : *Ubi erat porticus juncta porticui triplici* (*Ezech.* XLII). A porticu itaque aquilonaris portæ atrii interioris, domus cum sua porticu occidentem versus extendebatur centum quadraginta quinque cubitis. Nam unus murus quinque cubitorum erat, tam domui quam ejus porticui communis. Domum autem australem ad eamdem similitudinem per omnia factam intelligimus, propter illud quod scriptum invenimus : *Omnis introitus eorum et similitudines, et ostia eorum secundum ostia gazophylaciorum quæ erant in via respiciente ad notum : ostium in capite viæ; quæ via erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus.* Ædificium autem separatum probatur duo vestibula habere, unum ab aquilone, et aliud a meridie, quod nos possumus ex hac eadem Scriptura convincere. Si enim in aquilonari parte vestibulum erat ante ædificium separatum, et via ante vestibulum, et in capite viæ ostium, ut sit similis introitus, et una similitudo utrobique, oportet totum hoc et australem plagam habere vestibulum et viam ante et ostium in capite viæ. Habebat itaque templum ab oriente interius atrium, ab occidente ædificium separatum, ab aquilone domum unam, et a meridie domum aliam. Inter tria autem illa ædificia et templum jacebat atrium undique per circuitum. In his vero tribus ædificiis erat mansio triplex. Nam in inferioribus gazophylacia, in superioribus autem erant cœnacula, et præter hæc adhuc ante ipsa solaria quædam deambulatoria de ipsis cœnaculorum parietibus eminentia, quæ Græci quidam exedras, Scriptura vero appellat ethecas. *Et mensus est,* inquit Scriptura, *ethecas in circuitu per tres partes*

Digitized by Google

contra uniuscujusque limen (*Ezech.* XLI). De quibusdam autem gazophylaciis ex industria hic præterimus, de quibus tamen sicut et de coquinis suo loco dicemus. Hæc itaque pauca ad dicendorum evidentiam A summatim prælibavimus, nunc ad singulorum discussionem latius vacabimus. Horum itaque quæ jam descripsimus formam hujusmodi repræsentamus.



CAPUT III

Quomodo, vel quam multis circumstantiis mystica hæc descriptio commendetur.

Notandum sane in primis quis, a quo, vel quomodo, unde, vel ubi ductus sit qui hæc vidit et scripsit, nobisque legenda reliquit : *Facta est*, inquit, *super me manus Domini, et adduxit me illuc. In visionibus Dei adduxit me in terram Israel* (*Ezech.* XL). Propheta sane Domini erat qui ista videbat. A quo tamen ductus est, nisi per manum Domini, vel quomodo, quæso, nisi quomodo scriptum est in visionibus Dei ? Adductus est autem in terram promissionis, haud dubium ante quod de terra Babylonis, de terra ad terram tot terrarum spatiis interjectam. Quem, quæso, non moveat, quem jure movere non debeat quod talis a tali, taliter, tamque C longe adductus est ut videret et audiret quæ postea scriberet, posterisque legenda relinqueret ? Quis nisi insensatus negligenter audiat, vel negligere audeat quod Scriptura sacra tot circumstantiis commendat ? Sed nec ipsum tempus quidem in quo hæc vidit propheta tacite præterire voluit. Nam et hoc ipsum fortassis ad visionis ipsius commendationem pertinere prævidit : *In vicesimo et quinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, de-* B *cima mensis, quartodecimo anno postquam percussa est civitas, in ipsa hac die facta est super me manus Domini, et adduxit me illuc in visionibus Dei.* Judaicæ jam captivitatis multa tempora fluxerant, jamdiu sub magna afflictione filii Israel laboraverant, et tam pium quam necessarium fuit eos inter tot dura et diuturna mala magnam aliquam consolationem recipere, et divinæ erga se pietatis argumenta sentire, ne inter tot calamitates penitus deficerent, et de divino adjutorio funditus desperarent. Sed quis magnum, imo supra hominem esse dubitet quod propheta Domini per manum Domini deductus in visionibus Dei videt ? *Adduxit me*, inquit, *in terram Israel, et dimisit me super montem excelsum nimis, super quem erat quasi ædificium civitatis vergentis ad austrum, et introduxit me illuc* (*Ezech.* XLIII). Non negligenter prætereundum quod ostensum ædificium in monte nimis excelso dicitur constitutum. Multorum siquidem nobis intelligentiam claudimus, si hæc negligenter consideramus; quod ex subsequentibus facile advertimus. In hoc sane ædificio interius atrium tenebat intimum locum; sed templum procul dubio tenebat summum. Hinc est quod in novissimis hujus descriptionis legitur, ubi dicitur : *Ista est lex domus, in summitate*

Digitized by Google

montis omnes fines ejus, in circuitu sanctum sanctorum est (*Ezech.* XLIII). Domum hic pro more suo dicit templum. Mons itaque usque in id loci in quo templum constructum erat paulatim ad altiora surgebat, et ad eum locum ab omni parte inclinabat, et ibi se in planam quamdam æqualemque planitiem expandebat, quæ templi structuram æquali eminentia circumquaque excipiebat. Si enim ab una qualibet parte templum altius emineret, omnis ejus finis procul dubio montis summitatem non teneret. Consideremus, si placet, prius hoc ædificium quasi in plano constitutum sit, ut forma montis ædificiorumque situs postmodum rectius intelligi possit. Ut ex superioribus colligitur medius murus quo atrium exterius cingitur ab omni latere in oppositum latus quingentos cubitos includere comprobatur.

Ut igitur incipiamus ab oriente ex his quingentis cubitis ducentos possidebat atrium exterius, in tertio vero centenario erat atrium interius, in quarto centenario templum situm fuit, et quintum centenarium, et eo amplius post tergum reliquit. Hoc tamen secundum plane superficiei considerationem dictum sit, nam ad hanc mensuram tumor montis nonnihil adjecit, de quibus in loco suo diligentius considerare oportebit. Ex hac tamen consideratione facile advertere licet contra quem locum mons altius intumesceret, vel cujusmodi formam haberet, vel ex qua parte devexior esset. Dicitur autem recte hoc ædificium habere similitudinem civitatis, eo quod esset undique cinctum muris, firmatum portis, multis stipatum ædificiis. *Et ecce vir, cujus erat species quasi species æris, et funiculus lineus in manu ejus, et calamus mensuræ in manu ejus. Stabat autem in porta.* Vir iste qui speciem æris habere describitur, imaginem non terreni sed cœlestis portare videtur. Cœlestia ergo de cœlesti, sublimia de sublimi sperare debemus, et ea quæ dicit vel facit studiosa mente pertractemus. Sed quod vir iste cœlestis funiculum, et calamum mensuræ ad ædificium dimetiendum in manu portat, utinam ad hoc saltem apud fastidiosos auditores valeat, ut nemo nos reprehendere audeat, cum nos viderit singulorum ædificiorum situm, qualitatem et mensuram subtiliter quærere et investigare, et cum tanta diligentia assignare et singula quæque prout possumus, vel Scripturæ auctoritate, vel rationis attestatione probare. Sed ne forte quod hucusque dictum est ad horum commendationem minus sufficiat, audiamus adhuc quid idem vir dicat, quid de his Domini propheta præcipiat. *Et locutus est*, inquit, *ad me idem vir: Fili hominis, vide oculis tuis, et auribus tuis audi, et pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi; quia, ut ostendantur tibi, adductus es huc; annuntia omnia quæ tu vides domui Israel.* Situs et mensuram ædificiorum visu, ritus et modum cæremoniarum auditu percipere jubetur, et ad singula cor apponere, subtiliter intelligere, memoriter retinere, nec sibi soli tantæ scientiæ talenta avare retinere, sed nec illi vel illi, imo domui Israel omnia annuntiare.

Quem, obsecro, nequeat cœlestis oraculi tanta contestatio attentum vel attonitum reddere, et ad horum intelligentiam desiderio inflammare? Sed ad id nunc redeamus, quod eumdem virum in porta stare audivimus, ad quem trium murorum prædictorum hæc porta videatur pertinere, ex eo quod in subsequentibus adjungitur, possumus advertere.

Et venit ad portam, inquit, *quæ respiciebat viam orientalem, et ascendit per gradus ejus.* Procul dubio alia est porta ad quam venit, et alia porta de qua venit, in qua et prius steterit. Sed luce clarius constat portam ad quam veniebat esse atrii exterioris, non atrii interioris. Hoc enim sequentia tam aperte indicant, ut nostra probatione non egeant. Sed si de aliqua atrii interioris porta ad hanc orientalem portam, quam primo loco metitur veniret, per ejus utique gradus descendere, non autem ascendere haberet. Sed dicitur: *Et ascendit per gradus ejus.* Sed, ne hoc de alia aliqua atrii exterioris porta possimus accipere, manifesta ratio videtur contraire. Primo enim in atrio exteriori orientalis portæ mensuram accipit, et postea ad alias dimetiendas per ordinem transit. Cur, quæso, primo loco ejus mensuras non caperet in qua primo stetisset, si hoc de alia aliqua atrii exterioris porta intelligi voluisset. Patet ergo quod extimi muri hæc porta fuerit in qua primo loco stetit, de quo muro dicitur: *Ecce murus foris secus in circuitu domus undique* (*Ezech.* XL). Sed quia de hoc muro ejusque mensura adjuncto Scripturæ testimonio sufficienter superius dixisse me credo, hic eadem replicare devito: *Et in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, et palmo* (*ibid.*). Mensuram calami hoc loco definit, quod superius cum de eo loqueretur minime determinavit. Cur, quæso, in hoc calamo ad sex cubitos palmus adjicitur, nisi quod inter metiendum ex ea parte apprehenditur atque tenetur? Quotiescunque igitur calami mensuram metientem prophetam colligere audimus, nihil aliud, quamvis quidam aliter autument, quam sex cubitos intelligere debemus. Hinc est quod thalamus calami mensuram prius habere describitur, et postea per recapitulationem de eodem scribitur. Thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde. Multipliciter sane idipsum probari valet, quod per seipsum satis diligens lector inveniet: *Et mensus est*, inquit, *latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.* Si ad totum refertur quod hic de quodam, nescio quo ædificio dicitur, totius descriptionis veritas et auctoritas evacuatur. Nonne, obsecro, multo rectius multoque convenientius est ad partem referre, quam ad totum referendo totum evacuare? Nonne magis congruum, rationique consentaneum videtur esse, credere Scripturam hoc loco cujusdam ædificii mensuras describere, quod juxta seu supra portam erat in qua virum stare, et necdum quoque recessisse commemorat? Sed nunquid quia semel Scriptura totum ædificium nominavit, hoc vocabulo deinceps partem designare non potuit, vel non de-

Digitized by Google

buit? Nonne totum similiter domum nominavit, et tamen hic nomen in subsequentibus ad partem referre non timuit, cum dicit: Et erat interior domus in lateribus domus? Quid si hoc ipsum ædificii nomen invenimus ubi ita positum sit, ut omnino ad totum referri non possit? Et erant ante ædificium gazophylacia, et via ante faciem eorum juxta similitudinem gazophylaciorum quæ erant in via aquilonis.

Sed vel hoc solum debet nobis in hac re fidem facere; quia, si hoc hic ædificii nomen volumus ad totum referre, omnium quæ hic dicuntur, ut dictum est, convincimur fidem cassare. Puto tamen neminem esse tam improbum, neminem tam posse inveniri protervum, quem in hac parte in tam aperta ratione nobis contraire non pudeat, qui in hac nos sententia reprehendere non erubescat, cum cætera omnia juxta nostram expositionem ad litteram posse stare perspexerit, si in tam perspicua veritate sanum intellectum non subsannaverit.

Sed hæc hactenus: nunc ad litteræ expositionem redeamus: *Et mensus est latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.* Si dixisset: Mensus est latitudinem cujusdam ædificii in eo loco quo prius stetit; si hoc, inquam, dixisset, omnem ambiguitatem tolleret. Nec tamen quia hoc non dixit veritatem abstulit, sed pro more suo obnubilavit. Sed unum ex subsequentibus intelligi cogit, alterum ex præcedentibus innuit: nam quoniam virum qui hæc metiebatur de porta qua prius steterat necdum recessisse memoratur, et loco hoc ædificium conjunctum fuisse manifeste innuitur. Quid autem illud dicimus esse quod cum dicat de latitudine et altitudine, omnino tacet de longitudine, cum naturaliter semper prior fit longitudo quam latitudo, vel altitudo?

Sed attende quam artificiose in eo quod latitudinem dixit, longitudinem non tacuit. Ubi enim longitudo et latitudo æqualis est in quamlibet partem, latitudo recte dici potest.

Tacendo ergo quod prius dicere debuit, eamdem esse longitudinem et latitudinem satis argute ostendit. Quod autem de hac una porta dicimus, hoc de duabus reliquis extimi muri portis recte intelligimus, quamvis Scriptura manifeste id non dicat, sed magis subintelligendum relinquat. Neque enim oportuit in his eum diutius morari quæ per se poterant satis subintelligi. Utrum autem hæc ædificia in janitorum vel excubiarum ministeria deputanda sint, incertum habemus; nos tamen ea quasi ad excubiarum officia supra portas locamus, secundum quod scriptum invenimus: *Super muros tuos, Hierusalem, constitui custodes, tota die et nocte non tacebunt laudare nomen Domini* (*Isa.* LXII).

Horum itaque quæ diximus tale exemplar formamus:



Notandum sane quod alia translatio non ædificium, sed murum habet, ad quem sensum, qui litteram nostram applicare voluerit, ab omni se quæstione absolvit, cum latitudinem ad muri spissitudinem referre possit.

Et venit ad portam quæ respicit viam orientalem, et ascendit per gradus ejus. Quia orientalis est porta ad quam venit, recte et orientalis esse creditur illa de qua venit. Nam si de alia aliqua veniret, tanto rectius quanto directius ad aliam, hoc est ad ante positam properaret.

Post hanc portam orientalem de quo modo loquitur aquilonaris, et meridiana atrii exterioris, et tunc demum tres aliæ portæ atrii interioris nominatim exprimuntur: unde hanc atrii exterioris esse, quamvis id Scriptura tacuerit, indubitanter colligitur.

Hanc portam gradus habere Scriptura commemorat, quot tamen habuerit aperte nusquam determinat. Sed quia octo habere leguntur simul omnes tres atrii interioris, et septem duæ aliæ atrii exterioris, admonemur de similibus similia æstimare, et idcirco credimus eam ad exteriorum similitudinem septem gradus habere.

Et ascendit, inquit, *pergradus ejus, et mensus est limen portæ calamo uno, latitudinem, id est limen unum calamo uno in latitudine, et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum, et inter thalamos quinque cubitos.*

CAPUT IV.

Collectis hinc inde Scripturæ testimoniis, hoc hic de una portica astruitur quod de cæteris omnibus jure intelligatur.

Quoniam ad portarum, seu etiam porticuum descriptionem ex ordine jam venimus, et multa de eis tam obscure prolata, tam ambigue dicta invenimus, libet tam ex hoc quam ex aliis Scripturæ locis hoc hic de una portica astruere, quod oporteat de cæteris aliis omnibus indubitanter intelligere. Erant

Digitized by Google

enim omnes sex per omnia similis facturæ, ejusdemque mensuræ, nihilque aliud, si bene recólo, habebant dissimile, nisi quod interiorum portarum porticus jacebant extrinsecus, exteriorum vero jacebant intrinsecus, et quod illorum ascensus in octo, istorum autem erat in septem gradibus. Quod autem omnes has sex porticus ejusdem mensuræ esse dicimus, non nostra auctoritate, sed Scripturæ attestatione probamus. Post hujus portæ dimensiones de qua modo loquitur de aquilonari porta statim subinfertur :

Portam quoque quæ respiciebat viam aquilonis atrii exterioris mensus est, tam in longitudine quam in latitudine, et thalamos ejus tres hinc, et tres inde, et frontem ejus, et vestibulum ejus secundum mensuram portæ prioris. Similiter de australi porta scribitur : *Et ecce porta quæ respiciebat ad austrum, et mensus est frontem ejus, et vestibulum ejus juxta mensuras superiores, et fenestras ejus, et vestibula in circuitu sicut fenestras cæteras.* Hæc sane sententia in omnium sex porticuum descriptione semper repetitur, unde una omnium eademque mensura esse convincitur. Unumquodque igitur horum vestibulorum seu porticuum multipliciter divisum erat. Unde et Scriptura sæpe unam eamdemque porticum, modo singulariter pro toto vestibulum, modo pluraliter pro partibus vestibula vocat. Principaliter tamen unaquæque porticus in tria dividebatur, unde et in sequentibus una illarum triplex nominatur, quæ sententia quidem ad omnes juxta prædictam rationem jure refertur :

Ubi erat, inquit, *porticus juncta porticui triplici*. De toto itaque videamus prius, et postea de partibus. Frontes itaque exteriorum porticuum respiciebant versus atrium interius, sicut e converso interiorum respiciebant versus atrium exterius. Harum frontium mensura describitur cum dicitur : *Et fecit frontes per sexaginta cubitos.* Hæc erat mensura longitudinis omnium porticuum, seu vestibulorum, cum tamen per hæc nomina intelligimus non partem, sed totum. Hujus itaque orientalis portæ porticus frontem habebat versus occidentem, cujus longitudo extendebatur versus aquilonem et meridiem. Extendebatur autem sexaginta cubitis juxta mensuram frontis. Latitudo vero ab oriente in occidentem dilatabatur quinquaginta cubitis. Unde est illud : *et ante faciem portæ quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos.* Habebat sane hæc porticus sicut cæteræ portam in fronte, hoc est in introitu atrii contra portam muri. Alioquin frustra in muro aditus pateret extrinsecus, si ex opposito in fronte vestibuli obstrueretur intrinsecus. Habebat itaque vestibulum portam contra portam, in muro unam, in fronte aliam. Ad utriusque itaque distinctionem vocetur una porta muri, alia dicatur porta vestibuli. Portam itaque interiorem hoc loco dicit portam vestibuli, non portam interioris atrii. Nam inter exteriorem et illam (excepto eo quod muri occupabant) erant ducenti cubiti. Faciem autem portæ dicit locum qui erat ante portam exteriorem, sed retro portam interiorem. Faciem vero vestibuli portæ interioris, dicit latus illud quod vestibulum habebat ad portam interiorem. Unde manifeste colligitur quod antedicta mensura intra parietes sumebatur.

Bene ergo dicitur : *Et ante faciem portæ quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos.* Si quis autem id quod diximus de hujus vestibuli fronte sive de ejus longitudine velit in aliam partem accipere, et longitudinem ipsius non ab aquilone in meridiem, sed ab oriente in occidentem velit extendere, omnino non poterit stare, et frivolum duco in tam aperta re frustra laborare. Hæc autem porticus sicut unaquæque aliarum in tria principaliter dividitur. Unde, ut dictum est, triplex porticus recte nominatur. Harum autem partium, seu porticuum quæ medium tenebat nihil aliud erat nisi spatium illud seu via illa, quæ inter portam et portam jacebat, a porta videlicet muri usque ad portam vestibuli, cujus latitudo erat secundum latitudinem portæ decem cubitorum. Longitudo vero secundum latitudinem totius porticus quinquaginta cubitorum. Hoc autem medium, et minimum circumjacebant duo alia ejusdem mensuræ, unum in uno, et aliud in alio latere, utrumque quinquaginta cubitorum in longitudine, et in latitudine cubitorum viginti quinque. Horum utique vestibulorum in aliarum omnium portarum descriptione Scriptura mentionem facit, et nunc ea singulari, nunc plurali numero designans eorum mensuras describit. Hinc est quod de aquilonari porta legitur, quæ statim post hanc subsequenter describitur :

Portam quoque quæ respiciebat viam aquilonis atrii exterioris mensus est tam in longitudine quam in latitudine, et thalamos ejus tres hinc, et tres inde, et frontem, et vestibulum ejus secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, et latitudinem viginti quinque cubitorum. In hoc ergo quod dicitur secundum mensuram prioris portæ, constat hanc de qua modo disserimus orientalem portam tale, hoc est tantæ magnitudinis vestibulum habere. Sed ne unum tantum tale habuisse credatur, audi quid postmodum de australi porta scribitur : *Et eduxit me ad portam australem, et mensus est frontem ejus, et vestibulum ejus juxta mensuras superiores, et fenestras ejus, et vestibula in circuitu sicut fenestras cæteras quinquaginta cubitorum longitudinem, et latitudinem viginti quinque cubitorum.* Quod prius dicit vestibulum, hoc refertur ad totum, ad partes autem quod repetitur vestibula : unde et ibi additur in circuitu, *eo quod* medio vestibulo, seu ipsi portæ adjacerent per duo ejus latera. Hæc itaque tria vestibula unum medium, et duo lateralia erant sibi invicem in hunc modum conjuncta, et implebant cubitos sexaginta.

Digitized by Google



CAPUT V.

De his quæ ad unam medietatem cujuslibet porticus pertinere videntur.

Sed adhuc in illis duobus lateralibus vestibulis aliæ sanæ subdivisiones esse probantur, quæ et ipsæ quidem in Scriptura vestibula nominantur. Invenio ibi vestibulum octo cubitorum, invenio et aliud quinque cubitorum. Vestibulum octo cubitorum invenio apud portam orientalem atrii exterioris ubi legitur: *Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum.* Vestibulum quinque cubitorum latitudinis invenio apud portam australem atrii interioris. De quo scribitur: *Et mensus est vestibulum per gyrum, longitudinem viginti quinque cubitorum, et latitudinem quinque cubitorum.* Sed superius Scripturæ auctoritate probavimus quia quidquid de una qualibet harum porticuum in his quæ ad mensuram pertinent, concedimus, de omnibus pariter pari ratione concedere debemus. Ergo apud omnes porticus erant vestibula octo cubitorum, similiter et apud omnes necesse est, inveniri vestibula quinque cubitorum. Sed nunc prius de situ thalamorum videamus, et tunc fortassis de istis rationem facilius inveniemus. Habet autem unaquæque porticus sex thalamos, tres hinc, et tres inde ab utraque parte viæ, quos, Scriptura docente, novimus intra ipsas porticus sitos fuisse. Porro thalami portæ ad viam orientalem tres hinc, et tres inde. Hæc de numero thalamorum, et in sequentibus de situ ipsorum. *Et fenestras*, inquit, *obliquas in thalamis, et in frontibus eorum quæ erant intra portam undique per circuitum.* Si fenestræ, quæ in thalamis erant, intra ipsam portam erant, ergo et ipsi thalami intra portam erant. Nam portam hic pro more suo portam ipsam cum tota porticu sua appellat. Nam quod dicit aliter omnino stare non posset. Tale est illud: *Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum ejus.* Similiter hic porticum sub nomine portæ designat. Constat autem quia unusquisque thalamus cum margine suo octo cubitos occupabat. Nam quilibet eorum sex cubitorum erat, et marginem unius cubiti non solum ante, sed et ab utroque latere habebat, Scriptura attestante, quæ ait: *Et mensus est marginem ante thalamos cubiti unius, et cubitus unus finis utrumque. Thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde.* Ter autem octo viginti quatuor reddunt, quibus x adjuncti XXXIV efficiunt. Idcirco autem prædictis viginti quatuor quos de tribus thalamis colligimus, adhuc alios decem cubitos adjicimus, quia quinque cubitos inter primum thalamum, et secundum, quinque vero alios inter secundum et tertium invenimus, secundum illud quod legimus: *Et inter thalamos quinque cubitos.* Erant itaque absque dubio triginta quatuor cubiti ab initio primi thalami usque ad extremitatem tertii. Debent autem esse juxta latera portæ tres hinc, et tres inde. Sed vestibula quæ in lateribus portæ erant quæ medio vestibulo decem cubitorum hinc inde adhærebant, non plus quam viginti quinque cubitos in latitudine tenebant. Non potuit ergo vestibulorum latitudo trium thalamorum situm capere, quem superius docuimus cubitos triginta quatuor occupare. Longitudo autem vestibulorum quia quinquaginta cubitorum erat, facile eos, et eo amplius capere poterat. Locentur itaque tres thalami in uno vestibuli latere, eo videlicet loci ubi parieti tectum videtur incumbere, ita ut parieti ipsi videantur inhærere, imo ipsum pro uno sui pariete, et quasi pro una fronte habere ubi intelligimus fenestras illas esse de quibus Scriptura loquitur, cum dicit: *Fenestras obliquas in thalamis, et in frontibus eorum, quæ erant intra portam undique per circuitum.* Exceptis enim aliis absurditatibus quæ videntur inde sequi, quas arbitror per se facile posse intelligi, non erat unde clarum lumen habere potuissent, nisi parietibus vestibuli hinc inde adhærerent, ubi fenestras haberent ut lumen reciperent. Unum igitur ex collateralibus vestibulis orientalis porticus quæ medio vestibulo lateribus portarum hinc inde adhærebant hic ponimus; ut quomodo thalami parietibus adhærerent, vel quomodo ipsum vestibulum in septem sectiones dividerent, sub oculis repræsentemus.



Digitized by Google

CAPUT VI.

De cæteris quæ de porticu restant, ad totius descriptionis completionem.

Hoc facto constat procul dubio inter duas exteriorum thalamorum extremitates triginta quatuor esse cubitos, et adhuc ab utraque parte octo cubitos superesse. Nam constat triginta quatuor et bis octo quinquaginta implere. Hoc itaque expleto, si contra laterales thalamorum margines modico prius muro subtracto, deinde columnis erectis quemadmodum in claustris videmus, quasi tot parietes usque ad medium vestibulum erigimus, unum procul dubio vestibulum in septem dividimus. Ecce quomodo situs thalamorum vestibulum unum in septem dividit; nec tamen ejusdem quantitatis omnia, sed alia majora, alia minora relinquit. Facta itaque hac divisione, quod superius quæsivimus hic possumus invenire, vestibula videlicet alia octo cubitorum in latitudine, alia autem cubitorum quinque, utraque tamen viginti quinque cubitorum in longitudine. Nam duo illa quæ inter tres thalamos erant quinque cubitos in latitudine, sed viginti quinque in longitudine habebant. Duo autem illa quæ hinc inde ultra thalamos fuerant, octo cubitos in latitudine, viginti quinque autem in longitudine tenebant. Sed et illa tria in quorum extremis tres thalami siti erant, sex tamen cubitis in latum se intra parietes expandebant. Quidquid autem de uno vestibulo ab una parte viæ jam diximus, totum hoc de alio ex alia parte viæ sentire debemus. Totidem enim thalamos eodem modo sitos habebat : et per totidem paresque partes per omnia divisum erat. Duo itaque vestibula hinc inde in quatuordecim subdividuntur, quibus dum medium adjungitur unius porticus juxta unamquamque portam quindecim subdivisiones numerantur. Post ista quæ de porticuum divisione jam diximus, restat hic illud adhuc quærere, quid de liminibus illis quæ Scriptura commemorat sentire debeamus. Tria enim limina Scriptura manifeste designat : et unumquodque illorum portæ limen esse denuntiat. Sed non potuit, sicut nec debuit una porta nisi unum limen habere, etsi unum ex his portæ muri, et alterum portæ vestibuli volumus assignare; restat tamen adhuc de tertio quærere. Quæramus itaque prius quod horum propriæ portæ dicatur, et quod propriæ portæ non est cur portæ esse asseratur. Sed nulla illarum quatuordecim subdivisionum quas superius ostendimus plusquam octo cubitos in latitudine habuit : nulla ergo illarum limen decem cubitorum latitudinis capere potuit, quarum introitus nonnisi a fronte earum juxta medium vestibulum fuit. Nulli ergo dubium illud limen proprie dici portæ quod legitur decem cubitos latitudinis habuisse. Hoc utique Scriptura satis aperte innuit, cum, post descriptionem liminis decem cubitorum, statim de longitudine portæ subintulit : ***Et mensus est latitudinem liminis portæ decem cubitorum, et longitudinem portæ tredecim cubitorum.*** Qui enim latitudinem portæ ex latitudine liminis designaverat, restabat solam ejus longitudinem describere quam necdum expresserat. Sed cum una porta ex una parte vestibuli contra aliam ex alia parte erigatur, ita ut una porta videatur, unaque quamplures frequentius dicatur, quid causæ, quæso, erit cur una major, altera autem minor esse credatur? Constat sane duo alia limina nonnisi sex cubitos latitudinis habuisse : quorum unum si volumus alteri portæ assignare, convincimur eam alia minorem astruere. Sed si hoc Scriptura sensit, seu nos sentire voluit, cur, quæso, post descriptionem liminis statim de longitudine non subintulit, sicut de alia fecit? Cur utriusque portæ latitudo ex liminum descriptione exprimitur, et alterius tantum longitudine diligenter expressa de alterius longitudine omnino tacetur? Sed tacendo de una, quod de altera tam diligenter expressit satis evidenter innuit, quia quod de una dixit, totum de alia intelligi voluit. Utraque itaque porta, vel si hoc melius sonat una utrinque porta limen decem cubitorum habebat, et decem cubitorum in latitudine erat et tredecim cubitos in longitudine tenebat. Restat nunc de aliis liminibus quærere vel quorum sint, vel quæ propriæ portæ non sunt, cur dicantur ejus esse? Sed secundum quod totam porticum portam sæpe nominat, quid mirum si ipsius vocat quod intra ipsam erat? Sic sane, si sensum scriptoris cupimus intelligere, oportet procul dubio magis locutionis ejus modos notare et nosse, quam de locutionum proprietate disputare. Limina itaque ista quæ sex cubitorum esse describuntur, quia intra portam erant, portæ dicantur; propriæ tamen aliquorum vestibulorum quæ in novissima subdivisione assignavimus esse creduntur. Manifestum est autem quod illorum quæ sex cubitorum erant dici non possint si tota fronte patebant; sin autem, jam omnino limen sex cubitorum capere non poterant. Sed nec illorum esse poterant quæ inter thalamos jacebant; quia quinque cubitos tantum in latitudine tenebant, et sex cubitorum limina procul dubio omnino capere non poterant. Relinquitur ergo duo illa prædicta limina illorum vestibulorum fuisse quæ superius probavimus in sua latitudine octo cubitos habuisse. Nam ex his quæ superius dicuntur duo illa vestibula quæ ultra thalamos hinc inde locantur sexdecim cubitos tenere convincuntur. Quæ si quis velit per duo inæqualia dividere, et uni minus, alteri majus tribuere, in tantum ut alterum eorum possit etiam limen decem cubitorum capere, et in hunc modum conetur priorem illam assertionem nostram evacuare, jam profecto neutrum illorum vestibulorum octo cubitorum erit, nec jam inveniri poterit cui Scriptura illa recte aptari possit : *Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum.* Si igitur unum istorum est octo cubitorum, profecto octo cubitorum erit et alterum. Quidquid enim ex sedecim numero uni detrahitur, procul dubio alteri relinquitur. Sed quia sufficienter, ut arbitror, de porticus descriptione jam diximus, et quæ de thalamis seu liminibus hoc loco dicenda videbantur ordine prosecuti

Digitized by Google

sumus, libet hoc loco ad majorem dictorum dicendorumque evidentiam, omnium quæ superius per partes prolata sunt formam in unam figuram colligere, ut intuentis animus eorum omnium locum, A situm et numerum, qualitatem, quantitatem, proportionem facile possit ex ejus contemplatione colligere.



Sed quia difficile, seu etiam impossibile est longitudinem, et latitudinem, et altitudinem ædificiorum in plano sub eadem figura repræsentare, sufficere arbitror horum omnium quæ diximus situm, locumque conformasse, et lineis proportionalibus ductis omnium eorum quasi quoddam fundamentum jecisse. Cum enim lineas proportionali commensuratione modificatas aspicimus, et per eas nihil aliud quam quædam parietum jacta seu designata fundamenta intelligimus, facile est subintelligere ab hac linearum deductione parietes in altum surgere, ipsisque parietibus tectum incumbere. Si quis me fortassis in hac nostra expositione prolixitatis arguat, videat, obsecro, quam recte id faciat. Sed ut verum fatear malo esse subtilioribus fastidiosus, quam tardioribus obscurus, præsertim in tam obscura re, ubi pene omnia quæ dicuntur B probatione indigent potius quam expositione. Sed jam ad expositionem litteræ redeamus, quam ex majori jam parte in his duntaxat quæ de porticibus dicuntur planam esse confidimus.

CAPUT VII.

Expositio litteræ super descriptionem orientalis portæ.

Et mensus est, inquit, *limen portæ calamo uno, latitudinem* (id est limen unum), *calamo uno in latitudine.* Sicut superius ostendimus, quamvis hoc limen proprium portæ non fuerit, idcirco tamen illud portæ esse dicit, quia intra ipsam ejus porticum fuit, quam etiam sæpe sub nomine portæ designare consuevit. Quam autem vir ille qui portam ingreditur hoc limen primo loco, et ante thalamos meti-

Digitized by Google

tur, patenter, ut arbitror, Scriptura innuit quod in primo prædictorum VII vestibulorum invenitur. Sed cum prius dictum sit Mensus est limen calamo uno latitudinem, quid est quod exponendo, vel quasi corrigendo quod quasi improprie dixerat, statim subintulit, id est, limen unum in latitudine? Sed diligentius consideranti quid aliud videtur esse hæc expositio, vel correctio sententiæ, nisi quædam declaratio propheticæ intelligentiæ, ne nos lateret quid propheta dicere voluisset? Ac si aperte dicat se limen improprie quidem portæ limen appellasse, sed quoddam limen seu unum limen dicere debuisse. Quod ergo secundum aliquem modum limen hoc dici possit portæ, monet per primam expositionem, quod propriæ dictum non sit portæ, docet per subjunctam expositionem. Quod ergo dicitur unum, permonet et alia limina ibi esse, nec hoc proprie dici portæ. Quod autem latitudinem bis ponit per inculcationem attentius commendare voluit, ne quis quod de hoc limine, et post de decem cubitorum limine dicitur ad idem limen referre velit, cum utrobique latitudinem dici invenerit. Si tamen longitudo non latitudo poneretur, fortassis magis propriæ dictum videretur. Denique ubi nos habemus latitudinem LXX, teste Hieronymo, posuerunt longitudinem. Sed sæpe latitudo ponitur, ut non quantitatis speciem, sed simpliciter quantitatem significare videatur. Sequitur :

Et thalamum uno calamo in longum, et uno calamo in latum, et inter thalamos quinque cubitos, in quibus verbis repetendum est *mensus est*. Attende nunc quam competenti ordine incedit, et quomodo paulatim, et per partes scientiæ semina spargit. Primo de limine dicit quod erat in primo vestibulo, postea de mensura thalami qui erat in secundo, deinde vero de mensura spatii quod erat inter thalamos addit, in quo jam quod plures sint ostendit, novissime autem ad ultimum vestibulum venit quod ultra omnes thalamos situm fuit, cujus limen prius, et postmodum ipsius vestibuli mensuram describit, cum dicit, et limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno. Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, et frontem ejus duobus cubitis. Quod autem hoc limen item portæ dicitur, eodem hic modo quo et superius accipitur. Manifeste autem determinat ubi hoc limen fuerit, juxta illud videlicet vestibulum quod intrinsecus erat, et inter duo circumadjacentia vestibula medium jacebat. Ex hoc loco, ut arbitror, manifeste ostenditur quod frontes minimorum vestibulorum medio vestibulo jungebantur.

Notandum sane quod postquam hoc limen, quemadmodum superius, portæ limen nominavit, statim per subjunctam determinationem ostendit quod portæ limen proprie dictum non sit. Si enim hoc limen esse portæ limen proprie dictum fuisset, procul dubio ubi esset per determinationem subjungere non oporteret. Modo autem ubi fuerit, determinatur in eo quod dicitur, *juxta vestibulum portæ intrinsecus*. Erat itaque illud limen cujus mensuram capiebat juxta illud vestibulum portæ quod intrinsecus erat, et in triplici porticu medium locum tenebat. Post mensuram liminis, mensuram ipsius vestibuli adnectit, cum dicit : *Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, et frontem ejus duobus cubitis*. Hæc utique mensura medio vestibulo convenire non poterat. Nihil aliud enim medium vestibulum erat, nisi transitus, seu via quæ de porta ad portam per medium porticum patebat. Longitudinem itaque ejus secundum latitudinem totius porticus quinquaginta cubitorum esse oportuit. Latitudo autem non minor quam latitudo portarum esse potuit, quæ procul dubio, ut postea liquebit, X cubitorum fuit. Liquet ergo quod prædicta mensura ejus vestibuli erat cujus limen prius descripserat. Sed cum vestibuli mensura sumitur, quid, quæso, est, quod cujus sit longitudinis videlicet an latitudinis non determinatur? Sed solet sæpe sine determinatione relinquere quod prævidet prudentem lectorem ex aliis circumstantiis per se posse intelligere. Postquam enim constiterit duo collateralia triplicis porticus vestibula hinc inde quinquagina cubitos longitudinis, et viginti quinque cubitos latitudinis habere, palam perpendi poterit minima vestibula viginti quinque cubitorum longitudinis fuisse. Nam minima vestibula nihil aliud quam maximorum vestibulorum quasdam sectiones per transversum oportet intelligere. Latitudo itaque ultimi vestibuli describitur in eo quod dicitur, Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum. Illud autem notandum quod pene quidquid hucusque de mensura est disputatum, determinare videtur latitudinem minimorum vestibulorum. Ubi autem nos habemus, *et frontem ejus duobus cubitis*, Hieronymus rursus aliam litteram ponit, *et in fronte ejusdem*, seu *in marginibus duos cubitos*. Ex quibus verbis manifeste colligitur, quod illi duo cubiti hoc loco designant, qui ostio sex cubitorum unus hinc et alius inde in marginibus superesse videbantur. Nam, si constat vestibulum octo cubitos latitudinis habere, necesse est ejus ostio sex cubitorum latitudinis duos cubitos in fronte superesse. Sed in duobus cubitis frontis secundum nostram litteram forsitan dat melius intelligi illud spatium quod supra ipsam portam fuit usque ad tabulatum supereminentis cœnaculi, et secundum hoc quod dicitur ejus, non ad vestibulum, sed ad portam debet referri : nam quomodo hæc sententia ad totius altitudinem complendam valeat, in sequentibus patebit. Quod autem sequitur Vestibulum portæ erat intrinsecus, ad totam porticum referre debemus. Hæc itaque porticus intrinsecus erat, quia intra murum cui adhærebat sita erat. Sequitur :

Porro thalami portæ ad viam orientalem tres hinc, et tres inde. Mensura una trium, et mensura una frontium ex utraque parte. Ecce quomodo paulatim se promovet. Thalamorum numerum determinat de quo nondum constabat, et ad unius thalami mensuram qui superius describitur trium mensura subiun-

Digitized by Google

fertur. Sed quia jam constat numerus thalamorum, constat æque etiam de numero vestibulorum, sed nondum constat de mensura omnium. Situs namque thalamorum (secundum quod superius patuit) unum latus porticus in VII sectiones dividit quas Scriptura vestibula dicere consuevit, quarum ultimam jam superius vestibulum nominavit. Duo siquidem quinque cubitorum spatia tres thalami inter se incluserant, et duo alia ultra se seclusa reliquerant, et ipsi tres tria tenebant, quæ omnia in septenarium redundant. Post ista limen ipsius portæ describitur cum dicitur: *Et mensus est latitudinem liminis portæ* X *cubitorum, et longitudinem portæ* XIII *cubitorum.* Ecce limen hoc ut superiora portæ limen dicitur, et tamen hic, ut in superioribus, nihil determinationis adjungitur, et ex eo ipso innuitur quod vere et proprie portæ dicatur. Quod autem vere et proprie portæ dictum sit, facile convinci poterit, cum omnium vestibulorum mensura constiterit. Sed omnium sane mensura facile convincitur ex eo quod illico subinfertur: Et marginem ante thalamos cubiti unius, et cubitus unus finis utrinque. Thalami autem sex cubitorum erant hinc et inde. Quod dicit marginem cubiti unius ante thalamos fuisse, et cubitum unum finem utrinque, debemus sub eodem sensu accipere scilicet marginem cubiti unius non solum in thalamorum fronte fuisse, sed etiam in utroque latere. Nihil autem aliud intelligimus hunc marginem circa thalamum, nisi ejecturam quamdam muri, quemadmodum fieri solet vel ad sedendum, vel ad muri firmamentum. Sæpe etenim paries in inferioribus latior fundatur, et cum paululum elevatus fuerit iterum restringitur. Si igitur thalami sex cubitorum erant, et adhuc cubitum unum utrinque sicut et ante in margine usque ad finem habebant, ergo a fine usque ad finem thalamorum octo cubiti erant. Tres itaque thalami ter octo, id est XXIV, cubitos occupabant, et inter primum et secundum thalamum V cubiti, et item inter secundum et tertium alii V erant, qui superioribus adjuncti XXXIV efficiunt. Sed et ultimum vestibulum octo cubitorum legitur, qui numerus si superiori adjungitur usque ad XLII aggregationis summa extenditur. Octonarius itaque qui adhuc superest de quinquaginta primo vestibulo remanet. Nam tota porticus a porta usque ad frontem vestibuli sicut postea legitur quinquaginta cubitos habet. Nullum ergo hujusmodi vestibulorum limen X cubitorum capere potuit. Patet ergo quia proprie portæ fuerit. Sed ex eo etiam, sicut superius dictum est, innuitur quod post mensuram liminis in qua et latitudo portæ continetur, statim de ejus longitudine subinfertur: *Et mensus est*, inquit, *latitudinem liminis portæ* X *cubitorum, et longitudinem portæ* XIII *cubitorum.*

Notandum quomodo post dimensionem thalamorum, vestibulorum, liminumque eorum hujus portæ describit mensuram, ex quo intelligi datur quod hæc quam metitur interior porta fuerit. Vide ergo quam artificiose primæ portæ mensura de qua nihil dicitur, ex hujus portæ descriptione docetur. Ratio siquidem non sinit credere exteriorem portam interiore esse minorem, nec Scripturæ auctoritas patitur eam esse latiorem. A lateribus namque portarum, et a lateribus medii vestibuli ubi frontes scilicet minimorum vestibulorum medio vestibulo adhærebant, usque ad geminos hinc inde parietes totius porticus XXV cubiti erant. Vestibula namque illa quæ hinc inde lateribus portarum medioque vestibulo adhærebant, ut ex cæterarum porticuum descriptione plenius deprehenditur, XXV cubitos latitudine tantummodo habebant. Si igitur bis XXV cubitis hinc inde sumptis X cubitos (latitudinem scilicet portarum) adjungimus, procul dubio mensuram frontium totius porticus LX videlicet cubitos implemus. Si igitur frontes hinc inde tantummodo LX cubitos habuerunt, portæ plus quam X cubitos omnino habere non poterunt. Superius ostendimus quam ordinate incederet dum unum latus per partes describeret donec ad interiorem portam ex ordine veniret. Descripto uno latere, breviter subinfert unam eamdemque mensuram esse thalamorum, tam hinc quam inde, ut compendiose doceret quidquid de uno latere dicitur de alio debere intelligere. Hinc est quod in aliarum porticuum descriptionibus dum brevitati studet, unum ex collateralibus vestibulis quinquaginta cubitorum longitudinis, et viginti quinque cubitorum latitudinis diligenter describit, et de alio tacite præteriens eadem subintelligenda relinquit.

CAPUT VIII.

De his quæ pertinent ad descriptionem totius.

Post partium descriptionem, tria sub una continuatione subinferuntur, in quibus mensura totius breviter comprehenditur, atque completur. Primum pertinet ad altitudinem, secundum complectitur totius porticus longitudinem, tertium totius latitudinem. Ad altitudinem pertinet quod dicitur: *Et mensus est a tecto thalami usque ad tectum ejus latitudinem viginti quinque cubitorum, portam ostium contra ostium.* Ad longitudinem pertinet quod sequitur: *Et fecit frontes per sexaginta cubitos.* Ad latitudinem quod novissime ponitur: *Et ante faciem portæ quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos.* Quomodo autem ex primo capitulo totius altitudo animadverti possit, ex novissimis hujus descriptionis plenius patebit. Per omnes autem cœnacula seu solaria esse credimus, sicut in cæteris domorum porticibus, seu cæteris ædificiis pene ubique invenimus. Nihil itaque aliud intelligimus tectum thalami, nisi pavimentum solarii, ita ut idem tabulatum esset et thalami tectum, et cœnaculi pavimentum, et forte secundum morem terræ Palæstinorum debemus intelligere tectum portæ planum esse, non erectum. Erat itaque superius cœnaculum altitudinis viginti quinque cubitorum, secundum altitudinem tecti ad tectum. Sed nota quod latitudinem posuit ubi altitudinem ponere debuit;

Digitized by Google

usus enim latitudinis nomine sæpe abuti solet : nam, cum sint tres dimensionis species, longitudo, latitudo et altitudo, sic sæpe latitudo ponitur ut solum spatii quantitatem, non autem aliquam dimensionis speciem determinare videatur. Latitudinem itaque hoc loco improprie posuit, quemadmodum superius ubi limina descripsit. Quod autem dicitur ostium contra ostium, defectiva oratio est, sed habentem, sive aliquid ejusmodi subaudiri potest. Mensus est itaque portam habentem in ipsis thalamis ostium contra ostium, quia ostia trium thalamorum ab uno latere erant opposita ostiis trium aliorum. Quod autem frontes ponitur in eo quod subsequenter adjungitur : *Et fecit frontes per sexaginta cubitos*, ad geminam porticus faciem refertur, unam qua ad interiora, alia qua ad exteriora respiciebat. De interiori autem ejus fronte intelligit quod subsequenter adjungitur : *Et ad frontem atrium portæ undique per circuitum.* Hoc itaque pavimentum, tria porticus latera ambiebat, sicut via altrinsecus jacens evidenter ostendit circa quod situs gazophylaciorum ordinatus fuit.

Notandum sane quod ex mensura frontium LX cubitorum intra parietes sumitur quemadmodum ex aliis locis facile colligitur, sicut ex eo loco ubi vestibulum XXV cubitorum longitudinis, et V cubitorum latitudinis describitur, sicut ibi monstrabitur. Debemus vel de mensura latitudinis sentire, intra parietes videlicet sumptam esse. In eo autem quod dictum est, et fecit frontes per LX cubitos, determinata est totius porticus longitudo, nunc autem in eo quod subinfertur, determinatur ejus latitudo, et ante faciem portæ quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos. Faciem portæ, interiorem muri superficiem vocat illam videlicet quam ad se habebat qui intus erat, et mensuram capiebat. Mensus est ergo ab interiori parte non ab exteriori, quia si ab exteriori mensuram caperet, tanto plus L cubitis inveniret quantum spissitudinis murus tenebat. Faciem autem vestibuli portæ interioris dicit illam partem vestibuli quam ad templum habuit, et portæ interiori cohæsit. In eo autem porta usque ad faciem vestibuli pertingebat, quod porticum suam usque in id loci extendebat. Quod autem usque ad faciem vestibuli dicitur, ad duo respondere videtur, et usquequo videlicet porta pertingeret, et quousque spatium quinquaginta cubitorum se extenderet. Fecit ergo, sive mensus est ante faciem portæ quæ pertingebat usque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos. Sequitur :

Et fenestras obliquas in thalamis, et in frontibus eorum quæ erant intra portam undique per circuitum fecit a superioribus. In his verbis repetitur, fecit ergo fenestras obliquas, id est interius latiores, et exterius angustiores. Fecit eas in thalamis et in frontibus eorum, hoc est maxime in frontibus, quæ fenestræ intra portam, hoc est intra porticum erant, quia thalami in quibus ipse fenestræ erant intra ipsam porticum consistebant. Nam de fenestris, quæ ipsorum vestibulorum non autem thalamorum fuere, curavit consequenter adjungere : *Similiter autem*, inquit, *erant et in vestibulis fenestræ per gyrum intrinsecus*, ubi et additur : *et ante frontes pictura palmarum*, quod expositione non eget.

Notandum quod dicit pluraliter in vestibulis et intrinsecus ; puto autem quod ex hoc loco facile innotesceat, quod totam porticum sub portæ appellatione quandoque comprehendat. Quamvis enim porta decem cubitorum unum thalamum facile comprehenderet, plures tamen comprehendere minime posset ut de eo dici debuisset : Et fenestras obliquas in thalamis quæ erant intra portam. Sequitur :

Eduxit me ad atrium exterius. Ad interiora quidem dicitur, et tamen educitur qui porticum in qua prius erat egreditur. Educitur autem ad atrium exterius, quia erat et alius interius, *et ecce gazophylacia ; et pavimentum stratum lapide in atrio undique per circuitum. Triginta gazophylacia in circuitu pavimenti.* De his interim gazophylaciis nihil aliud volumus dicere, nisi quod decem et quinque erant hinc, et decem et quinque erant inde. Pavimentum autem hoc habebat XV gazophylacia ab Aquilone, et decem et quinque a Meridie. Porticum atrii exterioris ab Oriente, porticum atrii interioris ab Occidente, unde est illud quod postea additur : *Et pavimentum in fronte portarum secundum longitudinem portarum erat inferius*, ideo autem inferius, quia portæ, sive ipsa porticus magna proceritate supra illud attollebantur sursum, et illud in imo inter illas jacebat deorsum. Ex hoc item loco patet in quam partem longitudo porticuum accipi debeat. Nam, si pavimentum erat in fronte portarum secundum longitudinem earum, constat quia longitudo porticuum erat quæ se extendebat juxta pavimentum. Mensuram pavimenti deinceps determinat quam nondum expresserat : *Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris extrinsecus centum cubitos ad Orientem, et ad Aquilonem.* Portam inferiorem vocat portam atrii exterioris ; nam in loco eminentiori erat porta atrii interioris. Ædificium siquidem supra montem excelsum nimis constitutum erat, sicut in ipso descriptionis exordio Scriptura commemorat. Portæ ergo quæ erant exteriores, et ipsæ inferiores, et quæ erant interiores, eædem et superiores. Per faciem itaque portæ inferioris vult intelligi frontem vestibuli exterioris, per frontem atrii interioris extrinsecus faciem exteriorem superioris porticus intelligere debemus. Nam interior porticus convertebat faciem suam ad exteriora, et exterior nihilominus convertebat suam ad interiora

Notandum sane ex hoc loco quod locum in quo interiores porticus erant, nunc atrio interiori, nunc exteriori attribuat. Unde et in inferioribus de eadem porticu seu vestibulo dicet : *Et vestibulum ejus, id est atrii exterioris. Erat autem ab Oriente porta inferior, ab Occidente vero porta interior.* Quomodo

Digitized by Google

ergo mensus est a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii interioris centum cubitos ad Orientem, cum hoc sit ab Oriente in Occidentem, non ab Occidente versus Orientem? Quapropter distinctio ibi est facienda, et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem interioris extrinsecus. Ibique alia sententia inchoanda, et a superioribus quidem mensus est, repetendum est ita : *Mensus est autem centum cubitos ad Orientem, et ad Aquilonem*, hoc est centum cubitos ab Occidente versus Orientem, et similiter centum cubitos a Meridie versus Aquilonem; vel quod dicit ad Orientem, et ad Aquilonem, sic intelligere possumus : Ad Orientem, id est ad orientalem plagam, mensus est centum cubitos inter portam et portam. Et ad Aquilonem, id est aquilonarem plagam, similiter mensus est centum cubitos inter portam et portam, ita ut hoc ultimum dictum sit, per anticipationem. Jam sufficienter, ut arbitror, hucusque de unius porticus descriptione dictum est, et quod de reliquis sequitur, sine expositione pene per omnia ex prædictis facile intelligi potest. Sciat autem qui hæc legerit omnia pene quæ de porticibus disseruimus ex Scripturæ auctoritate posse convinci, et multa a nobis etiam potuisse ampliore ratione probari, quæ sponte prætermimus, dum fastidium vitamus.

CAPUT IX.

De aquilonari et australi porticu exterioris atrii.

Post descriptionem ergo portæ orientalis describitur mensura portæ aquilonaris, in his verbis : *Portam quoque quæ respiciebat viam Aquilonis atrii exterioris mensus est tam in longitudine quam in latitudine, et thalamos ejus tres hinc, et tres inde, et frontem ejus et vestibulum ejus secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, et latitudinem viginti quinque cubitorum.* Portam hic accipit proprie quam mensus est, sicut superiorem tredecim cubitorum in longitudine, et decem cubitorum in latitudine, et thalamos ejus tres hinc, et tres inde, omnes sex cubitorum, et frontem ejus sexaginta cubitorum, et vestibulum ejus secundum mensuram portæ prioris, quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, et latitudinem ejus viginti quinque cubitorum. Tale vestibulum nusquam ibi aperte descripsit, et tamen tale ut ex hoc loco convincitur, ibi fuit, nec solum unum, sed duo, quia unum in latere uno, et aliud in latere alio, excepto eo, quod jacebat in medio : nec idcirco minus ibi fuit quale ibi describit unum magnum vestibulum, quia partes non auferunt, sed constituunt totum. Hinc est quod, descriptis partibus prius, postea de toto subinfertur, cum dicitur : *Fenestræ autem ejus, et vestibulum, et sculpturæ secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad Orientem.* Ecce hic vestibulum repetitur, sed prius ponitur ad partes quod postea ad totum refertur. Quod ergo prius vestibulum, non vestibula dicit, numerum pro numero quemadmodum in sequentibus thalamum, non thalamos ponit. Possumus tamen ex superioribus hinc et inde repetere, et ad vestibulum referre. Post hæc quiddam hic additur, quod de superiori porta non legitur, quod tamen de illa etiam recte intelligitur, ad cujus mensuram ista describitur : *Et septem graduum*, inquit, *erat ascensus ejus.* Commune est utrique quod sequitur, *et vestibulum ante eam.* Omnes sane portæ exteriores porticus ante se habebant. Nam interiores, sicut jam diximus, post se porticus suas habebant. Sequitur :

Et porta atrii interioris contra portam Aquilonis. Hæc enim interior porta Aquilonis frontem habebat contra exteriorem portam aquilonarem, et dextrum latus contra prius descriptam portam orientalem. Vel quod dicit portam atrii interioris esse contra portam Orientis et Aquilonis, possumus de diversis portis accipere, ut intelligamus quod porta atrii interioris sit contra portam Aquilonis, sicut porta atrii interioris erat contra portam Orientis, et tunc quod de porta Orientis dicit, repetitio sit ejus sententiæ quam superius de eodem posuit. Quamvis autem nolit hic ejus mensuram describere, voluit tamen hic de ea breviter tangere, ut pavimenti mensuram, quod inter ipsam et exteriorem jacebat, posset congruentius subinferre : *Et mensus est*, inquit, *a porta usque ad portam centum cubitos.*

Notandum quod solam longitudinem centum cubitorum describit. Nam latitudo pavimenti quanta fuerit, vel quid de ea sentiendum sit, melius ex sequentibus patebit. Descripta porta aquilonari, postea sequitur de porta australi : *Et eduxit me ad viam australem, et ecce porta quæ respiciebat ad austrum, et mensus est frontem ejus, et vestibulum ejus juxta mensuras superiores, et fenestras, et vestibula ejus in circuitu, sicut fenestras cæteras quinquaginta cubitorum longitudinem, et latitudinem viginti quinque cubitorum.*

Notandum quod dicitur secundum mensuras superiores. Nam, si ejusdem mensuræ sunt omnes, quidquid in una minus dicitur, ex alterius descriptionis adjectione suppleri videtur, quod prius ponitur vestibulum, referri debet ad totum. Ad partes autem, quod repetitur vestibula, quod liquido patet ex descriptionis eorum mensura. Ad secundum enim non autem ad primum subinfertur, quod dicitur quinquaginta cubitorum longitudinem et latitudinem viginti quinque cubitorum.

Notandum in hac ultima sententia quomodo ad duo præmissa duo sunt subjuncta, et fenestras ejus, et vestibula ejus in circuitu. Ecce duo; sequuntur alia duo : Sicut fenestras cæteras quinquaginta cubitorum longitudinem, et latitudinem xxv cubitorum. Ad id quod prius præmittitur fenestras ejus, primo respondetur sicut fenestras cæteras, ad illud quod secundo præmittitur, et vestibula ejus, secundo respondetur, quinquaginta cubitorum longitudinem, et latitudinem viginti quinque cubitorum. Nullum tale vestibulum videtur descripsisse

Digitized by Google

apud portam primam, nec nisi unum apud secundam. Ex hujus tamen descriptione ostenditur ibi sicut et hic plura fuisse. Sed plus quam duo talia fuisse apud singulas primæ descriptionis ratio non patitur, propter illud quod de longitudinis, vel latitudinis mensura ibi legitur, de longitudine, et fecit frontes per quadraginta cubitos, de latitudine, et ante faciem portæ usque ad faciem vestibuli portæ interioris quinquaginta cubitos. Si autem constat duo talis magnitudinis vestibula apud omnes fuisse, relinquitur apud singulas et tertium quinquaginta cubitorum longitudinis et decem cubitorum latitudinis superesse, ut totum simul jure triplex porticus dici debeat, et prædictam mensuram possit implere. Sequitur :

Et in gradibus septem ascendebatur ad eam : quod quidem legitur et apud secundam portam · *Et vestibulum*, inquit, *ante fores ejus*, non post fores sicut in portis interioribus. Sequitur :

Et cælatæ palmæ erant, una hinc, et altera inde in fronte ejus. Palmæ frontium modo dicuntur cælatæ, modo depictæ. Sed forte utrobique intelligendum est utrumque, hoc est, ut sint cælatæ et coloribus superductæ. Apud superiores etiam portas de cælatura palmarum dixerat. Sed quod una hinc, et altera esset inde, non determinaverat. Sicut superius vero post descriptionem exterioris portæ mentionem facit de porta interiore, ut mensuram interjacentis pavimenti possit competentius inferre: *Et porta*, inquit, *atrii interioris in via australi, et mensus est a porta usque ad portam in via australi centum cubitos.* Notandum quod porticum per portam intelligit, et quod pavimenti solam longitudinem describit : nam ejus longitudo ex alio melius patebit.

CAPUT X.

De tribus porticibus interioris atrii.

Post portas exteriores, ecce describit portas interiores. Post ultimam autem quam descripsit, ad sibi proximam transit, cum dicit : *Et introduxit me in atrium interius ad portam australem, et mensus est portam juxta mensuras superiores, thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus, eisdem mensuris, et fenestras ejus, et vestibulum ejus in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, et latitudinis viginti quinque cubitos.* Quod de portis exterioribus superius legitur, hoc de portis interioribus repetitur : et mensus est, inquit, portam juxta mensuras superiores. Quod autem thalamum, non thalamos dicit, numerum pro numero ponit. Quod autem subjunctum est, et frontem ejus, et vestibulum ejus eisdem mensuris, ad totum referri potest, et tunc in sequentibus, habentia, vel aliquid ejusmodi subaudiendum est : Et mensus est fenestras ejus, et vestibulum ejus in circuitu habenta L *cubitos longitudinis, et latitudinis* XXV *cubitos.* Fenestras ejus, hoc est vestibuli, dicit fenestras parietum totum extrinsecus ambientium. Fenestras vero vestibulorum ejus, hoc est vestibuli, dicit fenestras parietum minima vestibula intersecantium. Nec illud debet præteriri, quod partes totius vocat vestibula vestibuli. Si autem vestibuli, non vestibulorum legitur (nam utraque littera invenitur), ad eumdem sensum refertur, et hoc de vestibulo vestibuli unius lateris dicitur, quod de utroque intelligatur. Sciendum tamen quod ab Hieronymo non vestibuli, sed vestibulorum ponitur. Sequitur :

Et vestibulum per gyrum longitudinem viginti quinque cubitorum, et latitudinem quinque cubitorum. Videte quomodo in omni adhuc descriptione novi aliquid additur quod in præcedentibus non dixerat. Vestibulum quinque cubitorum latitudinis superius nusquam descripserat, et tamen si apud hanc portam, ergo apud omnes alias erat, quia omnium unam mensuram fuisse liquido constat. Sed ubi, quæso, hujus vestibulum nisi inter thalamos fuit? Nam spatium quinque cubitorum inter thalamos Scriptura describit. Nec unum tantummodo, sed inter tres thalamos duo in latere uno, et duo in latere alio. Quomodo igitur de vestibulo octo cubitorum legitur in descriptione prima, quod de vestibulo quinque cubitorum legitur in descriptione ista, de singulis intelligendum est per omnia. Per istud vestibulum viginti quinque cubitorum longitudinis facile probari poterit, quod mensura illa frontium quadraginta cubitorum intra parietes sumpta fuerit. Sequitur illud in quo interiores porticus differunt a superioribus. *Et vestibulum ejus*, inquit, *ad atrium exterius.* Nam superiores respiciebant intrinsecus, et iste extrinsecus. *Et palmas*, inquit, *ejus in fronte.* Ubi subauditur habebat, sed et hoc ei cum cæteris commune erat. Sequitur :

Et octo gradus erant quibus ascendebatur per eam. In hoc iterum interiores a superioribus differunt, quæ solummodo septem habuerunt. Post portam australem transit ad orientalem : *Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem, et mensus est portam secundum mensuras superiores, thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibula ejus, sicut supra, et fenestras ejus, et vestibula in circuitu longitudinem quinquaginta cubitorum, et latitudinem viginti quinque cubitorum.* In hac solum descriptione vestibula pluraliter bis ponitur, et recte quidem, quia minimorum etiam vestibulorum descriptio ex descriptione præcedenti completur. Videtur itaque in hac descriptione geminæ divisionis mentionem facere in eo quod voluit vestibula bis ponere. Una siquidem porticus primo dividitur in tria vestibula. Deinde duo ex his majora subdividuntur in quatuordecim alia. Post dimensionem itaque minimorum videtur ille qui metitur accedere ad dimensionem majorum. Primum ergo referatur ad minima, secundum ad maxima, quorum illic mensura subjungitur in eo quod adnectitur, longitudinem quinquaginta cubitorum, et latitudinem viginti quinque cubitorum. Sequitur : *et vestibulum ejus, id est atrii exterioris*, id ejus,

Digitized by Google

vestibulum, inquit, est atrii exterioris, ac si aperte diceret, id ipsum vestibulum quod est ejus, id est atrii interioris, secundum aliquid recte dicitur atrii exterioris, cujus utique omnino dici non debuisset, si juxta similitudinem exteriorum porticuum intra suam portam jacuisset; sed nunc recte ejus dicitur cui inhæret, deinde subjungitur id quod in præcedenti legitur : *Et palmæ cælatæ in fronte ejus hinc et inde, et in octo gradibus ascensus ejus.* Deinde ultima portarum descriptio sequitur cum dicitur :

Et introduxit me ad portam quæ respiciebat ad Aquilonem, et mensus est secundum mensuras superiores thalamum ejus, et frontem ejus, et vestibulum ejus, et fenestras ejus per circuitum longitudinem quinquaginta cubitorum, et latitudinem viginti quinque cubitorum. Vestibulum ejus respiciebat in atrium exterius, et cælatura palmarum in fronte illius hinc et inde, et in octo gradibus ascensus ejus. Hic quia nihil novi additur, expositio quidem superflua videtur. Sequitur : *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum. Ibi lavabant holocaustum.* Quod dicit gazophylacia, vel gazophylaciorum ostia, in frontibus portarum esse, debemus de interioribus porticibus intelligere. Nam quoniam ostia in frontibus gazophylaciorum erant, et ad pavimenta quæ ante interiores porticus jacebant omnia respiciebant, recte nunc dicitur quia ostia gazophylaciorum in frontibus portarum erant. Situs ergo gazophylaciorum determinatur in eo, quod dicitur : Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum. Linea ergo qua frontes portarum terminantur protrahatur, et ab ea usque ad murum exteriorem gazophylacia ordinentur. Nam quidquid post illam fuerit, in frontibus portarum non erit. In prima omnium descriptione de gazophylaciis locutus fuit, sed per omnes alias nullam de eis mentionem facit. Cur ergo hoc quod hic de gazophylaciis dicitur, huic ultimæ descriptioni adnectitur, nisi ut per hoc idem de omnibus intelligi daretur. Similiter et quod de octo mensis adnectit, de omnibus tribus interioribus portis, ut arbitror, intelligi voluit. Omnes tres interiores portæ octo mensas per vestibulorum suorum latera habuere, quamvis Scriptura hoc non videatur aperte determinare. Sed videte quam argute Scriptura in quibusdam locis quædam tacite præterire voluit, quæ ratio quidem diligentius requisita latere non sinit. Sane de gazophylaciis dicitur : Ibi lavabant holocaustum. Sed et de mensis scribitur : *Super mensas autem carnes oblationis.* Si quis ergo putet solam orientalem portam gazophylacia habere, vel apud aquilonarem portam solummodo mensas fuisse, videat, obsecro, utrum ratio patiatur orientalem portam non habere, ubi reponi debeant quæ ibi lavantur ? An aquilonarem portam non habere, ubi lavari queant quæ ibi reponantur ? Nunquid quæ ad aquilonarem portam immolantur apud orientalem lavantur, et quæ ad orientalem lavantur ad aquilonarem immolantur? Nunquidnam horum neutram ad australem portam fit, quia in ejus descriptione de gazophylaciis mentio nulla facta fuit ? Scio quidem Patres quædam Scripturarum loca quæ facile possent penetrare negligenter tamen præterire, dum invenisse desiderarent, atque gauderent quæ juxta litteram stare non possent, ut per hoc saltem convincerentur homines allegoriam recipi debere, quam illis adhuc temporibus admodum pauci vix voluissent recipere. Neminem ergo scandalizet si quid dicimus aliud, vel aliter quam in glossis invenerit. Nemo dedignetur nos remanentes spicas velle colligere, nemo miretur illis elabi aliquas potuisse, vel illos potius pauperibus eas sponte reliquisse, quibus hoc divinitus præceptum est, quibus divinitus datum est tot voluminum horrea de Scripturarum messe replesse. Sed tu vis honorare, et defendere veterum auctoritatem, sed nunquam verius honoramus veritatis amatores, quam quærendo, inveniendo, docendo, defendendo, diligendo veritatem. Attende ergo non utrum dicam aliquid novum, sed verum. Parum timeo dicere aliquid diversum, dum tamen nihil dicam perversum. Sed ecce iterum ad expositionem litteræ redeo, et magis quid ipsa dicere velit, quam quid alii de me dicturi sint attendo.

CAPUT XI.

De mensis ubi immolabatur holocaustum, et de gazophylaciis cantorum.

Et in vestibulo portæ duæ mensæ hinc, et duæ mensæ inde, ut immoletur super eas holocaustum et pro peccato, et pro delicto. Quid sit holocaustum pro peccato, et pro delicto, et cætera multa in hunc modum quæ ad expositionem litteræ pertinent, ex industria prætereo, quia in id solum interim quod alias non reperi totus intendo, quomodo, juxta litteram stare valeat, vel intelligi debeat ista prophetæ tam subtilis descriptio. Sed si hoc, ut hic dicitur, mensarum officium erat, ut super eas holocaustum immolari debeat, eligat quisque quid magis oporteat sentire, an apud hanc solam portam victimas immolari debere, an alias etiam portas similes mensas in id officii habere. Si ad hanc solam immolabatur, quid fiet de victima principis qui ad solam orientalem portam ingrediebatur, et egrediebatur ? Si ad solam orientalem victimæ lavantur in diebus non festis, quid fiet de victima populi, quando orientalis porta claudebatur, quæ soli principi aperiebatur? Ejusmodi allegationibus possumus colligere divinam Scripturam multa ex quadam industria tacite innuere. Dixit jam quatuor mensas, duas hinc, et duas inde esse intra vestibulum. Dicit adhuc et alias quatuor esse extra vestibulum, duas similiter ad latus unum, et duas ad alterum. *Et ad latus, inquit, exterius, quod ascendit ostium portæ quæ pergit ad Aquilonem, duæ mensæ, et ad latus alterum ante vestibulum portæ duæ mensæ. Quatuor mensæ hinc, et quatuor mensæ inde. Per latera portæ octo mensæ erant, super quas immolabant.* Quoniam,

Digitized by Google

ut superius dictum est, templum summitatem montis tenebat, et ab omni parte mons ipse usque ad eum locum paulatim se ad altiora erigebat, hæc porta (nec mirum) unum latus altius, alterum demissius habebat. Ab uno itaque ad portam ascendebatur, ab alio ad portam descendebatur. Nam quia aquilonaris porta hæc erat, sicut Scriptura ipsa determinat, templum procul dubio ab occidentali latere habebat, quod quidem latus orientali lateri altius eminebat. Orientale latus determinatur, cum dicitur: *Et ad latus exterius quod ascendit ad ostium portæ quæ pergit ad Aquilonem duæ mensæ.* Nam quod sequitur, dicitur de alio latere : *Et ad latus alterum ante vestibulum portæ duæ mensæ.* Erant itaque, ut subinfertur, quatuor mensæ hinc, et quatuor mensæ inde. Quatuor enim erant ad latus unum, duo intra vestibulum, et duo extra vestibulum. Similiter duo interius, et duo exterius ad latus alterum. Ergo per latera portæ octo mensæ erant super quas immolabant. Quæ sequuntur satis per se patent, et expositione non indigent. *Quatuor autem mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris exstructæ, longitudine cubiti unius et dimidii, et latitudine cubiti unius et dimidii, et altitudine unius cubiti, super quas ponant vasa in quibus immolatur holocaustum, et victima; et labia earum palmi unius, reflexa intrinsecus per circuitum. Super mensas autem carnes oblationis.* Hucusque de mensis. Sequitur autem de quibusdam gazophylaciis, de quibus nihil dictum est in præcedentibus.

Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem, et facies eorum contra viam australem, una ex latere portæ orientalis quæ respiciebat ad viam Aquilonis. Mirum est quod dicitur : In atrio interiori quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem. Atrium namque interius non erat in latere hujus portæ, sed potius ante ipsam situm fuit, quia inter tres portas interiores medium jacuit. Sed cum dicitur atrium interius, vel atrium exterius, non uniformiter hoc semper accipere debemus. Dictum est atrium interius quod centum cubitorum quaquaversum in medio locatur, et atrium exterius quo interius atrium ex omni parte cingebatur. In atrio autem interiore nihil aliud erat nisi unum altare, cætera autem omnia porticus, gazophylacia, templum, domus, erant in atrio exteriore. Secundum aliam tamen considerationem locus in quo templum et domus illæ erant quæ templo per tria ejus latera coadjacebant, atrium interius dicitur, sicut in sequentibus legitur. Ibi enim gazophylacia sanctuarii erant in quibus sacerdotes carnes oblationis reponebant atque comedebant, quas tamen in atrium exterius efferre non licebat, Scriptura prohibente, quæ dicit : *Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro peccato atque delicto, ubi coquent sacrificium, ut non efferant in atrium exterius, et sanctificetur populus* (*Ezech.* XLVI). Hæ tamen carnes quæ in exterius atrium efferri prohibebantur in prædictis gazophylaciis reponebant, et comedebantur, sicut de ipsis legitur : *Hæc sunt gazophylacia sancta in quibus vescuntur sacerdotes qui appropinquant in Sancta sanctorum ad Dominum. Ibi ponent Sancta sanctorum et oblationes pro peccato et pro delicto* (*Ezech.* XLI). Alia itaque ratione dicitur atrium interius quod ante templum erat, quia, ut dictum est, in medio jacebat. Alia autem ratione illud quo templum per tria latera cingebatur, quia in ipsum per illud etiam quod proprie dictum est atrium interius intrabatur. Sic thalamus interior aula dici solet, non quod intra ipsam sit, sed quod secretiorem locum teneat, et quod per illam ad ipsum aditus pateat. Sic utique sic nullus locus secretior et ab aditu portarum nullus remotior exstitit, quam ille in quo templum constructum fuit. Secundum hanc itaque considerationem in hujus loci comparatione potest dici atrium exterius etiam illud quod Scriptura pro more solet appellare atrium interius. Alia ergo ratione atrium interius dicitur locus in quo templum fuit, et alia ille qui medium tenuit, et altare holocausti habuit. Nihil itaque prohibet illum locum intelligere in quo templum, vel adjacentes domus fuere, in eo quod dicitur, et contra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem. In hoc atrio quod prædictæ portæ ab occidentali latere adjacebat illud quod modo describitur gazophylacium cantorum erat, eidemque portæ sive porticui lateraliter adhærebat. De hoc gazophylacio in subsequentibus latius agitur, ipsumque, ni fallor, in his verbis describitur : *Et introduxit me in gazophylacium quod erat contra separatum ædificium, et contra ædem vergentem ad Aquilonem,* et cætera de quibus latius suo loco dicemus. Hoc autem interim de hoc gazophylacio dicendum videtur, quod ejus latitudo ab hac porta incipiebat, et versus Occidentem se expandebat. Longitudo autem ab Aquilone in Austrum se extendebat. Unde est illud quod de eisdem gazophylaciis subsequenter adjungitur, cum dicitur : Et facies eorum contra viam australem. Habebat itaque porta hujusmodi gazophylacia cantorum, ut dictum est, ab occidentali latere. Habebat et alia ab orientali latere, quæ utique sita erant e regione tam orientalis quam aquilonaris portæ. Si itaque e regione portæ orientalis frontem habebant ad portam Aquilonis, unde est quod eisdem subditur, una ex latere portæ orientalis quæ respiciebat ad viam Aquilonis ? Dicit itaque quia hujusmodi gazophylaciorum una facies erat ex latere portæ orientalis, quæ facies respiciebat ad viam Aquilonis. Planior autem littera esset, si dictum fuisset, quorumdam facies, non quædam facies, sive una facies eorum erat ex latere portæ orientalis. Nunc autem non solum ibi una pro quorumdam facies ponitur, sed etiam facies eorum ex superioribus subauditur. Hæc vero gazophylacia quæ aquilonari portæ ab Oriente erant ad viam, non contra viam Aquilonis faciem habebant, quia per ante ipsa in transversum ibat, et non contra ea, sicut australem viam

Digitized by Google

illa quæ ab Occidente erant contraeuntem habebant. Debemus autem idem de utroque latere orientalis portæ intelligere, similiter vero et de uno latere australis portæ. Sed solet Scriptura ex industria præterire quæ scit per se facile intelligi posse. Sequitur :

Et dixit ad me : Hoc est gazophylacium, quod respicit adȝviam meridianam, sacerdotum, qui excubant in custodiis templi. Porro gazophylacium quod respicit ad viam Aquilonis sacerdotum erit qui excubant ad ministerium altaris. Gazophylacium quod contra viam meridianam respiciebat, vicinius templo erat, et idcirco juste illorum sacerdotum esse debebat qui in custodiis templi excubabant : nam altari servientibus dignitate præeminebant. Commune autem est utrisque sacerdotibus quod sequitur cum dicitur : *Isti sunt filii Sadoch qui accedunt de filiis Levi ad Dominum ut ministrent ei.*

CAPUT XII.

De coquinis quæ subter porticus fabricatæ erant et de atrio interiori.

Hoc loco considerare oportet quod ad viam orientalem hinc inde circa porticus tam exterioris quam interioris atrii quoddam adhuc spatium inter ipsas et gazophylacia vacuum remanet, sicut ex supra positis figuris oculis subjectum patet, in quibus locis coquinæ illæ esse poterant, de quibus Scriptura in subsequentibus commemorat, cum dicat : *Et culinæ fabricatæ erant subter porticus per gyrum* (*Ezech.* XLVI). Ad viam autem Aquilonis porticus exterior unum ejusdem quantitatis spatium tantummodo habebat, quod ei ab orientali latere adhærebat. Nam ab occidentali latere gazophylacia cohærentia habebat. Constat autem et australem porticum exterioris atrii ab orientali latere simile spatium ad idem officium habere, et gazophylacia ei ab alio latere adhærere. De similibus ergo similia æstimamus, et idcirco duobus porticibus interioris atrii hinc inde utrum utrobique simile spatium in coquinarum officium relinquimus. Post hæc gazophylacia cantorum quinquaginta cubitorum tam longitudinis quam latitudinis ordinamus, ut secundum longitudinem eorum sic sit et latitudo eorum, sicut de quibusdam gazophylaciis legimus. Nam de longitudine omnium gazophylaciorum atrii exterioris una sententia datur, cum longe post in sequentibus dicitur : Quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum. Post ista gazophylacia cantorum interjecta quadam via decem cubitorum latitudinis ordinantur hinc inde quindecim gazophylacia in via orientali, ut sint, sicut scriptum est, triginta in circuitu pavimenti. Erant autem similiter quindecim ab uno tantum latere, id est ab orientali parte tam in via aquilonari quam in via australi. Sunt vero a frontibus interiorum portarum, ut postea docebitur usque ad locum vulgi, centum quadraginta cubiti. Ex his si demus muro cubitos quinque cæteris per quindecim æqualiter divisis, inveniemus unumquodque gazophylacium novem cubitos latitudinis tenere. Sequitur :

Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum per quadrum, et altare ante faciem templi. Ex hoc loco satis patet quod interius atrium secundum latitudinem totum illud centum cubitorum spatium tenebat, quod erat medium in illis quingentis cubitis, quos ab Aquilone in Austrum murus ille quingentorum cubitorum includebat. Sed quia orientales porticus cæteris porticibus similes per omnia mensuras habebant, ejusdemque longitudinis atrium includebant, totitemque gradibus assurgebant, constat procul dubio eorum mensuram usque ad medium centenarium se extendere, et ab ejus initio interius atrium initium sumere. Sed quot ex illis centum cubitis versus Occidentem secundum plani considerationem dico intra se apprehenderit, nondum ex prædictis puto posse probare. Nam, licet versus illam etiam partem centum cubitos superficietenus haberet, quid tamen vel quantum de illo medio centenario ab Occidente secundum rationem plani tumor montis detraxerit, qui ibi ad eam partem attollebatur, necdum patet. Centum siquidem cubitorum linea una jacens, et alia oblique se erigens ab eodem puncto emergentes in eumdem cathetum non concurrunt, nec secundum planum æquale spatium includunt, sed hæc quomodo se habeant ex sequentibus patebunt. Et altare, inquit, ante faciem templi. Hoc idcirco hic adnectit, quia altare in hoc atrio fuit quod ante templum jacuit. De hujus mensura nihil hic dicitur, sed longe inferius subtiliter explicatur. In hoc atrio facimus aquam illam, quæ de templo egrediebatur decurrere, et a dextro altaris descendere. Circa atrii vero inferiora in quatuor eam secamus, et per medias coquinas traducimus, ita ut per ante gazophylacia transeat, ut sit ubi holocaustum lavari queat, quemadmodum scriptum est : *Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum, et ibi lavabant holocaustum.* Horum omnium quæ diximus in novissima, et magna figura, sicut ibi videri potest, formam et exemplar latius expressimus.

CAPUT XIII.

De quantitate vel ædificiorum quæ templo adjacebant.

Quia igitur de anteriori hujus ædificii parte interim quæ dicenda videbantur explevimus, nunc ad occiduam ejus partem describendam stylum vertimus, et quæ de prædictis ad prædicta supplenda fuerint loco suo supplebimus. Libet hic, sicut et supra, in descriptione porticuum hinc inde Scripturæ testimonia in unum colligere, et describendorum ædificiorum situm, modum et ordinem ex eorum collatione astruere, et quid ex his sentiendum sit, hinc auctoritate, hinc ratione probante monstrare. Sicut superius docuimus, templum cum sua porticu

Digitized by Google

post atrium interius ab occidentali ejus latere eminebat, et per alia tria latera idem templum tres domos cum suis porticibus, interjecto tamen quodam atrio, habebat, quarum unaquæque centum cubitos longitudinis tenebat. Nam de eo ædificio quod ad dorsum templi ab Occidente fuit, quod et separatum Scriptura vocare consuevit, ex eo quod nulli cæterorum cohæsit, legitur : *Et mensus est dorsum longitudinem centum cubitorum, et quod separatum erat ædificium, et parietes ejus, longitudinis centum cubitorum.* De cæteris autem ædificiis quæ ex utroque latere erant subinfertur, cum dicitur : *Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus quod separatum erat ad dorsum, ethecas ex utraque parte centum cubitorum.* Dum enim centum cubitorum longitudinis ædificium ex utraque parte mensurari dicitur, ejusdem longitudinis ædificium utrinque fuisse comprobatur. Ecce de tribus domibus ; videamus nunc de earum porticibus. Quod apud aquilonare ædificium porticus esset, Scriptura manifestat, cum dicat : *Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora, quia supportabant porticus quæ ex illis eminebant de inferioribus et de mediis ædificii.* Quod autem hoc de aquilonari ædificio, ejusque porticu dictum sit circumstantia litteræ patenter ostendit, sicut postmodum in expositione litteræ manifestum erit. Hanc quam prælocuti sumus porticum quinquaginta cubitorum fuisse possumus sane inde convincere, quod ejus peribolus, id est, murus qui ejus gazophylacia quæ ipsam supportabant cingebat, legitur quinquaginta cubitorum fuisse : *Et peribolus*, inquit, *exterior secundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia, longitudo ejus quinquaginta cubitorum, quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum.* Hujus porticus latitudo postea exprimitur in eo quod alio loco scribitur : *Secundum longitudinem eorum sic et latitudo eorum.* Illud sane ex hujus porticus gazophylaciorumque ejus descriptione consequens est, quod et ampliori ratione ex aliis itidem locis probari potest, quia aquilonare ædificium gazophylacia in suis inferioribus, cœnacula in superioribus haberet. Nam frustra ejus porticus quinquaginta cubitis a terra emineret, nisi et cœnaculum post se haberet quod sibi congrua altitudine responderet. Quid enim ait Scriptura de hujus ædificii porticibus? *Propterea*, inquit, *eminebant de inferioribus et de mediis ædificii a terræ cubitis quinquaginta.* Denique horum gazophylaciorum quæ in inferioribus ædificii erant comparatione, murus qui gazophylacia porticus amplectitur, peribolus exterior nominatur, eo quod atrio exteriori vicinius, imo etiam immediate conjungitur. Hæc autem porticus juncta erat porticui aquilonari interioris atrii, unde et scriptum est : *Ubi erat porticus juncta porticui triplici.* Sed ab ea porticu atrii interioris si ei mensuræ quam intra parietes habuit de qua sola superius locuti sumus quinque cubitos quasi pro muri spissitudine adjicimus, procul dubio usque ad vulgi locum ducentos quindecim cubitos invenimus. Ab eo itaque loco prædicta domus cum sua porticu versus Occidentem in centum quadraginta quinque cubitos se extendebat, ultra quod usque ad eumdem vulgi locum, adhuc septuaginta cubiti supererant. In ea enim parte, sicut postmodum docebitur, qua conjunctæ erant, communem parietem habebant, et idcirco non centum quinquaginta, sed tantummodo centum quadraginta quinque cubitos tenebant. Inter hoc ædificium et templum erat quoddam spatium centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis. Cujus mensura determinatur cum dicitur : *In facie longitudinis centum cubitos ostii Aquilonis, et latitudinis quinquaginta cubitos.* Quidquid autem de aquilonaris ædificii modo atque mensura diximus, totum de australi ædificio juxta eamdem similitudinem sentire debemus, quod quidem ex his quæ superius jam dicta sunt satis patere putamus. Habemus jam quousque hæc ædificia cum porticibus suis extendebant, sed nondum constat quantum intercapedinis includebant. Sed hoc sane, ut arbitror, palam erit, cum constiterit quomodo illud ædificium, quod separatum dicitur, inter hæc duo ordinatum fuit. Habebat sane centum cubitos longitudinis et octoginta cubitos latitudinis. Nam intra parietes nonaginta cubitos longitudinis, et septuaginta latitudinis habebat et paries ipse undique per circuitum quinque cubitorum erat, sicut Scriptura demonstrat : *Et quod separatum erat ædificium, versumque ad viam respicientem ad mare latitudinis septuaginta cubitorum. Paries autem ædificii quinque cubitorum erat latitudinis per circuitum, et longitudo ejus nonaginta cubitorum ;* unde et infertur : *Et mensus est domus longitudinem centum cubitorum, et quod separatum erat ædificium et parietes ejus centum cubitorum.* Ad dorsum itaque templi prope murum qui dividebat vulgi locum situm erat, et longitudinem suam absque omni dubio in Aquilonem et Austrum extendebat. Sed latitudinem suam ab Occidente in Orientem expandebat. Quia igitur ultra prædicta ædificia altrinsecus jacentia spatium septuaginta cubitorum tantummodo fuit, necesse est ut latitudo ædificii quod octoginta cubitorum exstitit prædictorum ædificiorum intercapedinem ex magna sui parte occupaverit. Longitudo igitur separati ædificii inter prædictas illas domos extenditur, et adhuc utrumque spatium viginti cubitorum adjicitur, propter illud, quod de eorum gazophylaciis legitur : *Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique.*

Constat igitur inter duo ædificia quæ templo adjacebant hinc inde spatium centum quadraginta cubitorum secundum planum utique inclusum fuisse. Domus autem aquilonaris sicut et australis porticum suam non contra medium, sed contra exteriorem, sive inferiorem sui partem habuit, et ab Aquilone utraque ab una et eadem linea incœpit. Nam ubi gazophylacia quæ hujus domus porticum suppor-

Digitized by Google

tabant describuntur, statim de eorum introitu adnectitur : *Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori in latitudine periboli atrii quod erat contra viam orientalem in facie ædificii separati.* Hoc atrium, cujus hoc loco mentionem facit, aquilonaris domus profecto ab Aquilone habuit, a qua domo usque ad vulgi locum, latitudinem suam in Aquilonem extendit. Non igitur contra hujus atrii latitudinem quin potius contra domum dicta gazophylacia introitum haberent nisi porticus cum sua domo ab aquilonari plaga ex uno loco inciperet. Ab aquilonari autem latere ejusdem porticus usque ad interius atrium centum cubiti erant, quorum quinquaginta ejus latitudo tenebat. Deinde interjecta quadam deambulatione decem cubitorum latitudinis prædictum illud gazophylacium cantorum incipiebat, et se usque ad vicesimum cubitum atrii interioris extendebat. Unde constat quia ejus longitudo quinquaginta cubitorum erat. Hoc gazophylacium in subsequentibus describitur, cum dicitur : *Et induxit me in gazophylacium quod erat contra separatum ædificium, et contra ædem vergentem ad Aquilonem in facie longitudinis centum cubitos ostii Aquilonis, et latitudinis quinquaginta cubitos contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum stratum lapide ubi erat porticus juncta porticui triplici.* Palam esse puto quomodo hoc gazophylacium contra ædificium separatum erat, vel quomodo in facie interstitii centum cubitorum longitudinis, et quinquaginta cubitorum latitudinis erat. Quod templum et aquilonare ædificium interjacebat, si hoc gazophylacium usque ad vicesimum cubitum atrii interioris se extendebat. Palam nihilominus quomodo contra ædem vergentem ad Aquilonem erat, si a decimo cubito post illius ædis porticum incipiebat. Sed illud modo oportet considerare quod contra pavimentum atrii exterioris dicitur esse et ne aliud quam aquilonare pavimentum atrii exterioris intelligere possimus, litteræ illius adjectione constringimur, in eo quod legimus : *Ubi erat porticus juncta porticui triplici.* Nam apud orientalem regionem nusquam invenimus porticum junctam porticui. Sed aquilonaris porticus atrii interioris, ut ex superioribus patet, ab Oriente habebat gazophylacia cantorum, ab Austro interius atrium, ab Aquilone hoc de quo modo loquimur pavimentum. Patet ergo quod porticus, quæ huic porticui juncta fuerat, ei procul dubio ab Occidente adhærebat, et ex parte eam tangens, et ex majore sui relinquens, versus Aquilonem se extendebat, et hoc pavimentum ab Occidente limitabat. Ut igitur prædictum gazophylacium contra hoc pavimentum possit aliquam sui partem habere, oportet ipsum triplici porticum adhærere, quin potius communem parietem cum ea in ipso conjunctionis loco habere. Post quem parietem si porticus aquilonaris domus incœpit, darietemque post parietem habuit, profecto gazophylacium in tantum dicto pavimento oppositum fuit, quantum spissitudinis ejus murus habuit. Quod autem illa quam diximus deambulatio ante ipsum gazophylacium fuerit, Scriptura subsequenter ostendit, cum subjungit : *Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis.* Nec nos movere debet quod idem ædificium, modo gazophylacia, modo gazophylacium dicitur, sicut eadem porticus modo vestibula, modo vestibulum nominatur. Nam unum ad distinctiones, aliud ad totum referatur.

Notandum sane quod in eo loco ubi aquilonaris domus et ejus porticus faciebant angulum ante prædictum gazophylacium, et hunc deambulationis locum, locus quidam erat triginta cubitorum longitudinis et viginti cubitorum latitudinis, de quo quod videbitur suo loco dicetur. Nam secundum quod ex superioribus patet, quoniam ab orientali latere ejus gazophylacii usque ad aquilonare ædificium quinquaginta cubiti tantummodo erant, ipsum quidem gazophylacium plus quam triginta cubitos latitudinis habere non poterat, ubi viginti cubitos superesse oportuit, ut constaret quod Scriptura de his gazophylaciis quæ circa templum jacebant, dicit : *Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique.* Constat autem quia ab eodem orientali latere ejusdem gazophylacii usque ad terminum sanctificati quingentorum cubitorum ducentum viginti cubiti erant, quorum triginta, ut dictum est, latitudo gazophylacii prædicti tenebat. Deinde spatium seu atrium quod inter ipsum et ædificium separatum juxta longitudinem templi se extendebat, centum cubitos secundum prædictam Scripturæ auctoritatem occupabat. Latitudo autem ædificii separati octoginta cubitos habuit, a quo loco decem cubitorum latitudo superfuit. Quorum quinque, ut postea monstrabitur, muri latitudo tenebat : nam cæteros quinque via quædam habebat, quæ inter ipsum murum et ædificium media jacebat. Sed si hi numeri in unum conveniunt, procul dubio in ducentos viginti consurgunt. Nunc est facile videre quousque templum se extendit, quod cum suo vestibulo, quemadmodum in posterioribus docebitur, centum cubitorum longitudinis fuit. Sed quia vestibulum templi sine dubio atrio interiori adhærebat, ab eadem linea ipsum et præscriptum gazophylacium incipiebat. Sed quia gazophylacium, ut dictum est, et ante positum atrium centum triginta cubitis usque ad ædificium separatum se extendebant, et templum cum vestibulo suo centum cubitos tantummodo tenebat, constat quia inter templum et ædificium separatum interstitium fuerit triginta cubitorum.

CAPUT XIV.

De situ vel ratione cæterorum ædificiorum quæ ad occidentalem plagam erant.

Sed ut ad cætera quæ adhuc restant describenda transeamus, ultra porticum jam sæpedicti aquilonaris ædificii ab Aquilone erant decem gazophylacia

Digitized by Google

e regione ipsius porticus versus Aquilonem usque ad murum exteriorem juxta pavimenti latus ordinata, longitudinis secundum longitudinem porticus cubitorum quinquaginta. Hæc sunt illa gazophylacia atrii exterioris, de quibus Scriptura similitudinem tralit, ubi ipsius porticus, seu gazophylaciorum quæ sub ipsa erant longitudinem describit, cum dicit : *Et peribolus exterior secundum gazophylacia quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia, longitudo ejus quinquaginta cubitorum, quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum.* Secundum gazophylacia, inquit, quæ erant ante gazophylacia. Ante quæ gazophylacia, quæso, nisi ante ea de quibus tunc agebat, et multa jam dixerat, quæ sub porticibus erant, et ipsas, ut ibi dictum est, aquilonaris ædificii porticus supportabant? Ante porticum igitur prædictam esse describuntur, et atrii exterioris eadem ipsa gazophylacia dicuntur, ut ubi fuerint aperte determinetur. Inter hæc tamen gazophylacia, et adjacentem porticum, via quædam interjecta erat latitudinis, ut arbitror, quinque cubitorum, ubi erat introitus ad gazophylacia quæ erant ante ædificium separatum. Descriptis namque gazophylaciis quæ porticus supportabant, de hoc statim introitu adnectitur, cum dicitur : *Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori in latitudine periboli atrii quod erat contra viam orientalem in facie ædificii separati.* Hic sane est ille introitus de quo superius jam aliqua locuti sumus. Ab hac via usque ad murum exterioris atrii erant nonaginta cubiti. Qui si per x gazophylacia dividantur, unumquodque eorum novem cubitorum latitudinis invenitur. Quod autem dictum est de plaga aquilonari, intelligendum est per omnia juxta eamdem similitudinem de plaga australi. Erant itaque decem gazophylacia ex parte una, et decem ex parte alia. Hæc sunt viginti illa gazophylacia, ut credimus, de quibus in sequentibus legimus. Ecce in istis gazophylaciis eamdem mensuram invenimus quam in superioribus illis, quæ in novem cubitos extendimus, ut sint omnia unius latitudinis, sicut sunt, et unius longitudinis. Restat nunc de illa porticu seu vestibulo ædificii separati dicere quod inter aquilonarem domum et exteriorem murum ei adhærebat ab Aquilone. Quam autem vestibulum habebat, Scriptura illa determinat. Quæ via erat ante vestibulum separatum. Hoc itaque vestibulum, vel porticus tam longitudinis, quam latitudinis quinquaginta cubitorum erat, et sub se gazophylacia habebat, et super illa de inferioribus, et de mediis ædificiis eminebat, et a superiori ejus latere, id est ab Oriente, deambulationem, seu viam, decem cubitorum latitudinis habebat. Quod totum paucis quidem verbis Scriptura determinare videtur, ubi legitur : *Et erant ante ædificium gazophylacia, et via ante faciem eorum juxta similitudinem gazophylaciorum quæ erant in via Aquilonis.* Si gazophylacia ista, et via ante posita per omnia similitudinem habebant eorum quæ ad viam aquilonis erant : ergo ista sicut et illa conjuncte sibi domui sub porticu, et simili modo adhærebant, et quidquid de illis sibi in situ, qualitate et quantitate legimus juxta propositam similitudinis normulam ad ista accommodare debemus.

Et nota quod, quamvis alia gazophylacia ad viam Aquilonis essent, ad illa intelligenda circumstantia litteræ constringit, de quibus proximo loco tractaverat, et non illa de quibus nihil dixit. Viam autem Aquilonis pro amore suo nominat viam quæ ab Aquilone de porta per portam ad interiora tendebat, quæ quidem via per ante situm prædictorum gazophylaciorum transibat. Sed ultra ædificium separatum decem cubitos superesse superius docuimus, quos partim muro, partim viæ interjectæ superius assignavimus. Porticus itaque ipsius eodem modo ultra se ab Occidente decem cubitos habebit, si ad similitudinem aquilonaris ædificii contra exteriora domus sita fuit. Et quia ultra aquilonarem domum septuaginta cubiti ad Occidentem fuerunt, inter ipsam utique, et separatum vestibulum decem cubiti erunt, ut ad similitudinem superioris porticus teneat, et hæc porticus quinquaginta cubitorum spatium, et habeat a superiori seu interiori sui parte deambulationem decem cubitorum. Ab inferiori autem seu exteriori sui parte viam quinque cubitorum esse secundum superiorem modum debemus intelligere, ut hoc vestibulum habeat gazophylaciorum suorum introitum subter se, id est ab inferiori et exteriori sui latere ad similitudinem porticus supradictæ. Sed et ut in hoc quoque utrinque una similitudo concurrat, attende ubi separatum ædificium cum hoc ejus vestibulo angulum faciat, et invenies hic quemadmodum ibi spatium quoddam triginta cubitorum longitudinis, et viginti cubitorum latitudinis. Hic est ille locus de quo longe post legitur in subsequentibus : *Et erat ibi locus vergens ad Occidentem, et dixit ad me : Iste est locus ubi coquent sacerdotes pro delicto et pro peccato, ubi coquent sacrificium ut non efferant in atrium exterius, et sanctificetur populus.* Quia autem iste coquendi locus in atrio illo fuerit, quod gazophylacia sanctuarii habuerit, Scriptura sane diligenter requisita latere non sinit. Attende namque quid ibi præmittitur ubi iste locus describitur : *Et introduxit me*, inquit, *per ingressum qui erat ex latere portæ in gazophylacia sanctuarii ad sacerdotes quæ respiciebant ad Aquilonem.* Et additur : *Et erat ibi locus vergens ad Occidentem.* De his autem gazophylaciis alias legitur : *Gazophylacia Aquilonis, et gazophylacia Austri quæ sunt ante ædificium separatum, hæc sunt gazophylacia sancta in quibus vestiuntur sacerdotes qui appropinquant ad Dominum in Sancta sanctorum. Ibi ponent Sancta sanctorum, et oblationem pro peccato et pro delicto.* Profecto si hos, vel alios Scripturæ locos diligenter discutimus, nullum alium prædictæ coquinæ locum invenire poterimus, nisi quem antea designavimus.

Digitized by Google

Notandum sane quod de hoc loco dicitur, quia esset vergens ad Occidentem. Ex quibus verbis manifeste colligitur quod mons quidem post tergum templi ad inferiora vergebat, ubi ædificium separatum gestabat. Diximus jam quod designatus ille locus triginta cubitos habuerit longitudinis, et viginti cubitos latitudinis. Horum medietas triginta cubitorum longitudinis, et decem cubitorum latitudinis, quæ ædificio separato adhærebat coquinas habebat, reliquam medietatem illa scilicet decem cubitorum latitudinis deambulatio tenebat, ita ut via illa per ante faciem coquinarum transiret, et se in ea parte in atrium sanctuarii reflecteret. Juxta hanc similitudinem per omnia credimus, et illud superius designatum ejusdem magnitudini spatium coquinas habere, et illam decem cubitorum deambulationem per ante earum faciem se in atrium sanctuarii reflectere, et ad templum respicere.

Sed quidquid de aquilonari latere diximus totum hoc de australi latere in ædificiorum situ, et modo juxta eamdem similitudinis congruentiam intelligere debemus, secundum quod de eo legimus: *Et omnis introitus eorum, et similitudines, et ostia eorum secundum ostia gazophylaciorum quæ erant in via respiciente ad Notum. Ostium in capite viæ, quæ via erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus.* Habebat itaque australis plaga simile vestibulum ante ædificium separatum, similem domum, similem porticum, simile gazophylacium juxta interius atrium. Erat itaque una extremitas prædicti gazophylacii contra viginti extremos cubitos atrii interioris, sicut superius dictum est, ex parte una, erat eodem modo et aliud contra viginti extremos cubitos atrii interioris ex parte alia, et inter illa duo interstitium cubitorum sexaginta. In hoc interstitio vestibulum templi situm erat, quod ab Oriente atrio interiori adhærebat, ab Occidente, ut dictum est, templum adhærens habebat.

CAPUT XV

Quomodo, vel unde colligitur, quæ sit arduitas montis.

Sed quoniam ea quæ de ædificiorum situ interim dicenda videbantur explevimus, locus postulat ut ea quæ ad superiorum expletionem addenda promisimus modo vel ex parte loquamur, et sic ad expositionem litteræ revertemur. Primo itaque consideremus, quot cubitos interius atrium ab Oriente in Occidentem secundum considerationem plani habeat, quod superficietenus in omnem partem absque omni ambiguo centum cubitorum erat, sed illud: *Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, et latitudine centum cubitorum, per quadrum.* Sed, sicut superius monstratum est, ab Aquilone versus Austrum etiam secundum planum centum cubitos hoc atrium includebat. Ducentos autem cubitos hinc, et ducentos A inde, duæ porticus cum interjecto atrio tenebant, et in hunc modum ab una extremitate in aliam quingenti cubiti erant. Propter eamdem autem similitudinem, et quantitatem porticuum animadvertimus, et orientales porticus cum interjecto atrio ducentos æque cubitos secundum planum occupare, et usque ad centenarium medium se extendere. Omnes ergo interiores porticus juxta unam similitudinem illi medio centenario, et contra ejus medium adhærebant, et quia sexaginta cubitorum mensuram intra parietes tenebant, ab hac mensura in utroque latere viginti cubiti de illo medio centenario supererant.

Sed superius docuimus gazophylacia sanctuarii duobus porticibus interioris atrii, aquilonari B videlicet et australi, immediate adhærere, et atrii interioris latus occidentale limitare. Unde constat atrium interius ab Oriente in Occidentem secundum rationem plani non plus quam octoginta cubitos occupare. Sed si orientalis via ab exteriori porta usque ad templi situm uniformiter ascendit, profecto pavimentum quod inter duas porticus centum cubitorum jacuit, non plus quam octoginta cubitos secundum considerationem plani obtinebit, quamvis superficietenus centum absque ambiguo habuerit.

Hinc ergo datur intelligere, parietes porticuum quemadmodum trium prædictarum domorum quinque cubitorum latitudinis esse. Nam C constat unamquamque quinquaginta cubitos tantum intra parietes habere. Hæc erat causa cur superius quinque cubitos muro deputandos censuimus, cæteros quinque viæ deputavimus ex illis decem quos ultra ædificium separatum esse deprehendimus.

Hoc loco sane illud admonere volumus, quod ubique pro certo, et quasi pro regula tenere debemus, quoniam sive in plano, sive in pendulo quodlibet ædificium situm sit, nihil ejus mensuræ confert, vel detrahit. Quidquid enim de ædificiorum mensura Scriptura docet, etiam secundum plani considerationem accipere oportet. Quoniam ergo aquilonares porticus, seu etiam australes orientalibus porticibus in mensura et qualitate per omnia D similes fuere, oportet de interjectis pavimentis similia æstimare, et nonnisi octoginta cubitos, secundum planum occupasse. Hoc tamen inter ista et orientale et pavimentum fuit, quod illud secundum unam dimensionem octoginta cubitos, ut dictum est, habuerit, secundum aliam vero dimensionem centum cubitos, etiam secundum planum possedit. Istorum autem mensura secundum unam dimensionem octoginta cubitorum, secundum aliam autem octoginta quinque cubitorum, juxta plani considerationem fuit. Nam hæc duo pavimenta ab una et eadem linea qua et interius atrium videntur incipere ab Oriente, quinque tamen cubitis, ultra ejus terminum videntur se extendere ab Occidente, quod ex supe-

Digitized by Google

rioribus evidentissimum est intelligere. Ad similitudinem tamen interioris atrii possunt ipsa etiam in eam partem centum cubitos superficietenus habere. Elevantur itaque a gemino latere aquilonare, et australe pavimentum, sed orientale quidem et interius atrium ab uno latere tantum. Si autem quæritur de interiori atrio quantum ab una parte elevabatur, facile hoc et absque scrupulo a geometricæ disciplinæ perito deprehenditur. Absque dubio atrium, quod octoginta cubitos habuit in base, et centum in superficie sexaginta cubitis excelsius fuit in eminentiori parte. Hujus rei certissimas regulas tradere possumus, sed simplicioribus onerosi esse timemus. Dabimus interim hujus rei aliquod documentum, per quod possit quivis quantumlibet simplex assertionis nostræ capere experimentum.



Protrahatur cujuslibet magnitudinis linea in quinque æquas sectiones divisa, et ad singulas sectiones singulis litteris insignita. Sitque linea jacens A B C D E F. Supra hanc ad quartam sectionem, id est, super E alia linea erigatur, ita ut in nullam partem pronior inclinetur, sed hinc inde rectos, et adinvicem pares angulos efficiat, et tres mensuras prædictis sectionibus singulas singulis æquales contineat. Sitque linea super E erecta E G H K. Protrahatur adhuc tertia linea de A in K oblique elevata. Hoc itaque facto accepto circino, si primam et tertiam lineam, id est, A F et A K æquales inveneris, assertionis nostræ fidem proprio experimento tenebis. Ponatur itaque ut unaquæque sectio sit viginti cubitorum. Erit ergo A F, id est, prima linea cubitorum centum, et A K ejus videlicet æqualis, id est, tertia linea erit totidem cubitorum. Linea vero erecta, id est, E K, habebit cubitos sexaginta. Atrium igitur, quemadmodum dictum est, quod octoginta cubitos habuit in base, et centum cubitos in superficie absque dubio sexaginta cubitis elevatior fuit in eminentiori parte, cujus rei formam manifeste habes in triangulo A K E. Hujus autem trianguli basim, id est, lineam jacentem, ejus quæ hypotemisam, id est, lineam inclinatam si quantumlibet protraxeris, et eis cathetum, id est, lineam orthogonaliter erectam applicaveris, cujuscunque magnitudinis triangulos effeceris, tres ejus lineas eadem sibi semper proportione respondere videbis. Nam semper erit hypotemisa ad basim sexquiquarta, et basis ad cathetum sexquitertia. Ab exteriori itaque latere orientalis portæ usque ad frontem vestibuli templi altitudo montis ducentis decem cubitis excrevit, si ejusdem montis arduitas in eam partem uniformiter ascendit. Quoniam igitur quælibet porticus ab exteriori latere usque ad interius latus sexaginta cubitos tenebat, terra ab interiori latere secundum prædictum arduitatis tenorem quadraginta quinque cubitis eminentior erat. Septem autem, vel octo ascensionis gradus, de quibus superius legimus, solam muri latitudinem, quæ quinque cubitorum, vel septem pedum et semis erat tenere credimus, ita ut ad singulos pedes gradus sit, et octavus gradus aliis septem connumerari, vel non connumerari possit.

Hinc est, quod de australi porticu exteriori legitur : *Et in gradibus septem ascendebatur ad eam;* et item de australi interiori : *Et octo gradus erant quibus ascendebatur per eam.* Nunquid extra eam erant in quibus ascendebatur ad eam et intra eam erant in quibus ascendebatur per eam, ita ut latitudo quinquaginta cubitorum, quæ intra parietes, erat octo gradus tantummodo habeat? quis sic sapiat? sed eis ipsis gradibus ascendebatur ad eam et per eam quos muri latitudo tenebat. In ipsis ascendebatur per eam, quia murus de ipsa erat, et in ipsis ascendebatur ad eam, quia per ipsos ad ejus interiora aditus erat.

Nunc itaque quanta sit altitudo unius porticus ex prædictis conjicere possumus. Porta namque interior, ut legimus, tredecim cubitos altitudinis habuit, quibus si illos duos cubitos adjungimus, quos porta, ut superius dictum est, in fronte usque ad cœnaculum habuit, in decimum quintum numerum summa consurgit. A tecto autem thalami, id est, a pavimento cœnaculi usque ad tectum portæ fuerunt, ut legitur, cubiti viginti quinque. Jungantur isti viginti quinque superioribus, et quadraginta habemus. His omnibus et adhuc supra tectum ipsius portæ quasi ad propugnacula facienda quinque cubitos adjicimus, et sic quadraginta quinque cubitos altitudinis ab interiori parte implemus. Erat autem, ut superius dictum est, quadraginta quinque cubitis demissior in exteriori latere, et secundum hoc tota ejus altitudo ab exteriori parte videtur in nonaginta cubitos consurgere. Videtur vero ab exteriori parte duo cœnacula, unum autem ab interiori parte habere, et de tertio et intimo thalamo dicitur esse :

Et mensus est portam a tecto thalami usque ad tectum ejus.

Digitized by Google



Digitized by Google



CAPUT XVI.

Descriptio templi ipsiusque vestibuli.

Et introduxit me in vestibulum templi et mensus est vestibulum quinque cubitis hinc et quinque cubitis inde. Quod dicit hinc et inde, non circa templi, sed vestibuli portam debemus intelligere. Latitudo autem portæ, ut postea legitur, decem cubitorum fuit. Unde constat quia tota longitudo vestibuli, ut postea determinatur, viginti cubitorum fuerit. Sequitur

Et latitudinem portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde. Si usum loquendi consulimus, nomen portæ ad triplicem sensum accommodare consuevimus. Nomine enim portæ aliquando designamus ipsum ostium quod aperitur et clauditur. Aliquando ipsum hiatum seu aditum per quem transitur. Aliquando ipsum ambitum quo hiatus ipse cingitur.

Digitized by Google

ca videlicet pars muri quæ ostium amplectitur, et reliquo parieti in materia vel forma ornatus causa dissimilis et supereminens cernitur. Aliter enim atque aliter intelligimus cum audimus, vel legimus portas civitatis tulit, vel in porta civitatis stetit, vel portas civitatis vario marmore et variis cælaturis ornavit. Hujusmodi æquivocatione et hoc loco sensus confunditur, nisi subtiliter discernatur. Sed constat ex sequentibus latitudinem portæ decem cubitorum fuisse, et latera portæ (id est utramque valvam) quinque cubitos latitudinis tenere. Quod ergo hoc loco legitur, mensus est latitudinem portæ trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde, secundum tertiam acceptionem oportet intelligere. Mensus est itaque latitudinem portæ trium cubitorum, id est ipsum murum variis cælaturis usque in id spatii ornatum. Quem etiam sensum Scriptura ipsa videtur determinare in eo quod dicit hinc et inde. Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, et latitudinem undecim cubitorum. Longitudo vestibuli juxta latitudinem templi extendebatur, et idcirco utriusque una mensura invenitur, et octo gradibus ascendebatur ad eam, hoc est ad portam, et columnæ erant in frontibus una hinc et una inde. Has columnas credimus sitas hinc inde, e regione contra tres prædictos cubitos portæ ubi mensus est latitudinem trium cubitorum hinc, et trium cubitorum inde. *Et introduxit me in templum, et mensus est frontes sex cubitos latitudinis hinc, et sex cubitos altitudinis inde latitudinem tabernaculi* (*Ezech.* XLI). Videant illi quomodo hunc locum de tabernaculi latitudine intelligant, qui de tabernaculi constructione disputant. Nam id hoc loco determinare non puto præsentis negotii esse. Quod autem dicitur frontes mensurasse sex cubitorum latitudinis hinc, et sex cubitorum altitudinis inde, possumus hoc modo intelligere: Primo mensus est quantum latitudinis in latere portæ fuerit usque ad parietem ligneum qui latera quæ postea describuntur ab interiori portæ portavit. Secundum metitur non quid latitudinis ex alio latere exstiterit: nam hoc ex jam sumpta mensura perpendit, sed quid altitudinis a superioribus portæ usque ad primum cœnaculum fuerit; sed si explicatio valvarum decem cubitos habuit, et latitudo templi intra parietes solummodo viginti cubitorum fuit, consequens est ut ejecturas illas hinc et inde ad quas valvæ reverberabantur, quando porta claudebatur, intelligamus unius cubiti latitudinis esse, et ipsum hiatum inter ejecturas ipsas octo cubitos habere. Alioquin non possumus hinc inde sex cubitos invenire. Sequitur: *Et latitudo portæ decem cubitorum et latera portæ quinque cubitorum hinc, et quinque cubitorum inde.* Ecce quod de portæ, seu valvarum latitudine superius diximus. Post hæc longitudo et latitudo ipsius templi determinatur cum dicitur: *Et mensus est longitudinem quadraginta cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum.* Descripta exteriori domo, ad interiorem domum transit, et quod dicitur sanctum sanctorum in his verbis describit: *Et introgressus intrinsecus mensus est in fronte duos cubitos, et portam sex cubitorum.* Sicut in superiori descriptione primo loco mensus est latitudinem portæ trium cubitorum hinc et trium cubitorum inde, sic hic primo omnium mensus est duos cubitos in fronte, eam videlicet muri partem quæ ad portæ ornatum videbatur pertinere.

Notandum autem quod ejusmodi ornamenti ambitus tam hujus quam superioris portæ videtur eas per tres partes cingere, hoc est a superioribus, et ab utroque latere. Sed ad superiorem portam in utroque latere mensura sumitur, et quid de superioribus portæ sentiendum sit tacite innuitur. Hic autem videtur qui metitur in superioribus portæ mensuram capere, et quid de utroque latere sentiri debeat innuendo ostendere, hoc esse videtur quod ibi metiri dicitur hinc et inde, hic autem in fronte. Sequitur:

Et portam sex cubitorum, et latitudinem portæ, septem cubitorum. Si ejecturæ hinc et inde circa hiatum ad quas valvæ reverberabantur non unius cubiti, sicut superius, sed dimidii esse intelligantur, manifestum erit quod dicitur. Quod igitur dicit portam sex cubitorum, ipsum hiatum inter ejecturas intelligere. Quod autem adjungit, et latitudinem portæ septem cubitorum, ad latitudinem valvarum oportet referre. Si enim hiatus inter ipsas ejecturas sex cubitorum fuit, et ejecturam dimidii cubiti hinc inde habuit, manifestum est quia copula valvarum septem cubitos latitudinis tenuit. Superius dixit quid latitudinis in latere portæ fuerit, sed quantum latitudinis hiatus habuerit aperte non dixit, quod tamen subintelligendum reliquit. Hic autem e converso mensuram hiatus determinavit, et quid latitudinis in utroque latere habuerit subintelligendum dedit. Nam, si hiatus ipse in sex tantum cubitos extenditur, procul dubio ab utroque latere septem cubiti latitudinis inveniuntur. Quæ autem eadem latitudo in superioribus portæ, et in latere fuerit superius ostendit. Quam vero hoc loco diversa fuerit, omnino non dicit. Quid ergo aliud videtur tacendo innuere, nisi quod debeamus de similibus similia æstimare? Datur ergo intelligi septem cubitos latitudinis esse in superioribus hujus portæ, sicut et in utroque latere.

Notandum sane quomodo alia aperte dicit, alia tacendo innuit. Et quomodo hunc ipsum dicendi modum alternat, et artis suæ peritiam, ut sic dicam, ostentat. Nam quod primo loco aperte exprimit, hoc in sequentibus cum ad similem locum venerit tacite innuit, et e converso quod in superioribus tacendo innuerat, hoc in sequentibus manifeste determinat. Hoc est quod in cælaturis miramur, ubi nodorum perplexa texuntur. Nam quod in una perplexionum copula superponitur ut appareat, in subsequenti supponitur ut dispareat. Sequitur:

Et mensus est longitudinem viginti cubitorum, et latitudinem viginti cubitorum ante faciem templi.

Digitized by Google

Quam autem longitudo et latitudo interioris domus in his verbis describitur, subsequenti determinatione ostenditur, cum dicitur : *Et dixit ad me : Hoc est sanctum sanctorum.*

Notandum autem quod hæc mensura longitudinis seu latitudinis, tam exterioris quam interioris domus, æqualis est illi mensuræ quam de templo Salomonis legimus. Dupla vero ad illam quam de tabernaculo invenimus. Sed quoniam Scriptura hoc loco omnino de altitudine tacet, dubitari de exteriori domo potest, cuinam respondere debeat, an templo Salomonis juxta æqualitatem, an tabernaculo fœderis juxta dictam proportionem. Habebit namque cubitos viginti si fuerit dupla ad mensuram tabernaculi, triginta vero si fuerit æqualis ad mensuram prædicti templi. Sed, si dicimus triginta cubitos altitudinis usque ad primum cœnaculum fuisse, oportet ut concedamus portam decem cubitorum latitudinis nimis proceram, et latitudini valde incongruam, id est viginti quatuor cubitorum altitudinem habere. Nam ex prædictis habemus sex cubitos altitudinis tantum supra portam fuisse. Si vero dicatur quod viginti cubitorum altitudo usque ad primum cœnaculum fuerit, consequenter tam exterioris quam interioris domus porta altitudinem aptam et suæ latitudini congruam habebit. Nam exterior decem et quatuor, interior decem et trium cubitorum erit. Ecce quomodo ex altitudine sex cubitorum quam supra portam superius sumpserat, tam utriusque portæ, quam cœnaculi altitudo colligitur, quas aperte non dixerat. Quantum autem spissitudinis murus templi habuerit, determinat cum subjungit : *Et mensus est parietem domus sex cubitorum.* Sequitur : *Et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus.* Per latera ista quæ modo describit, nihil aliud intelligo, quam quædam deambulatoria intus et exterius in duobus templi lateribus per parietem ordinata, erantque ab inferioribus usque ad superiora unum post unum sibi invicem immediate conjuncta. Unde est illud quod sequitur :

Latera autem latus ad latus, bis triginta tria. Et forte latera inde dicta sunt, quod in solis templi lateribus, non autem in frontibus essent. Sed quoniam viginti cubitorum solummodo altitudo sub primo templi cœnaculo fuit, non plus quam tria latera capere potuit. Sicut enim in sequentibus legitur, a fundamento unius usque ad fundamentum alterius, solum sex cubitorum spatium fuit. Erant itaque tria interius ab imo usque ad cœnaculum, et triginta exterius ab imo usque ad summum. Interiora autem templi in suis superioribus ejusmodi latera non habebant, sicut sequentia manifestant. Bene ergo dicitur bis triginta tria, eo quod triginta tria essent ex parte una, et triginta tria ex parte altera. Adhuc autem de horum laterum descriptione addit, cum dicit : *Et erant eminentia quæ ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum ut continerent, et non attingerent parietem templi.* A Trabes itaque de parietibus proeminebant, et latera supportabant; sed idcirco tabulata quæ super ipsas fundata erant non usquequaque usque ad parietem pertingebant, ut videlicet visum admitterent; et intuentium obtutus ab imis usque ad superiora libere percurreret, et totum sub uno aspectu comprehendens de toto judicare potuisset. Sequitur :

Et platea erat in rotundum ascendens sursum per cocleam, et in cœnaculum templi deferebat per gyrum. Idcirco satius erat templum in superioribus, et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium. Hujusmodi viam gradibus ascendentem, et se in gyrum flectentem videmus quotidie in ascensionibus turrium, vel ejusmodi sublimium ædificiorum. Quod autem ait, idcirco latius erat templum B in superioribus, manifeste determinat, quod descripta latera usque ad cœnaculorum suprema non usquequaque pertingebant, vel in superioribus templi omnino non erant, et idcirco, templi amplitudo ibi latior erat, ubi ejusmodi obstacula inter parietes nulla habebat. Quod autem dicitur, et sic de inferioribus ascendebatur ad superiora in medium, videtur ostendere templum hoc duo cœnacula habere, et ipsum in tres mansiones dividere. In eo autem quod dicitur medium, intelligimus primum cœnaculum, eo quod ipsum primum cœnaculum esset medium trium mansionum. Superius latitudinem laterum descripserat in eo quod dicebat : *Et latitudinem lateris quatuor cubitorum undique per circuitum domus.* Nunc autem eorum altitudinem describit in C eo quod hic adjungit : *Et vidi in domo altitudinem, fundata latera ad mensuram calami sex cubitorum spatio.* Non dicit sex cubitorum et palmo, cum tamen mensuram calami præmiserit. Unde et ex hoc item loco notare possumus quod superius de calami mensura jam diximus, et vidi, inquit. Sed ubi ea vidit? In domo. Quemadmodum autem vidit altitudinem per circuitum fundata latera ; ergo in domo erant, et secundum altitudinem domus alia supra alia fundata erant. Sequitur :

Et latitudinem per parietem lateris forinsecus quinque cubitorum. Videtur mihi locus idem designari in his verbis qui postea dicitur locus orationis. Erat itaque quinque cubitorum latitudinis quasi D quoddam appendicium juxta parietem primi, et infimi lateris factum, ut illic orationis gratia convenirent qui templum ingredi vel non possent, vel non auderent. Mensus est itaque quinque cubitorum latitudinem primo lateri a fine usque ad finem per omnem ejus parietem forinsecus adhærentem. Sequitur : *Et interior domus in lateribus domus.* Hoc idcirco dicitur ne circa interiorem domum latera deesse putarentur, et intra gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique. De his gazophylaciis nihil adhuc dixit, sed quibusdam de loco orationis interpositis, statim eorum descriptionem adnectit. *Et ostium*, inquit, *lateris ad orationem, ostium unum ad viam Aquilonis, et ostium unum ad viam australem, et latitudinem loci ad ora-*

Digitized by Google

tionem quinque cubitorum in circuitu. Ecce de loco orationis repetit, ut addat. Nam superius ipsum locum, nec locum orationis dixerat, nec quod in circuitu, hoc est per tria latera templum ambiebat. Congregemus modo in unum quæ de templi mensura audivimus, et prius de ejus latitudine videamus. Primo loco ipsum templum intra parietes, imo intra latera viginti cubitos latitudinis tenuit. Latera autem interiora hinc inde quatuor cubitorum, et parietes sex cubitorum latitudinis habuit. Horum summa in quadraginta surgit. Latera autem exteriora habuerunt similiter utrinque quatuor cubitos latitudinis, quinque vero utrobique habuit locus orationis. Quæ omnia si in unum colligis, procul dubio quinquaginta octo invenis. Remanet A ergo utrinque via cubiti unius inter templum et gazophylacia, quæ contra viginti cubitos atrii interioris esse superius legimus. Hæc autem via subjectura tecti quæ locum orationis operuit esse potuit, et tunc frons templi sexaginta cubitos implevit. Longitudo autem templi centum cubitorum fuisse legitur, sicut in consequentibus exprimitur, et ex præcedentibus colligitur. Nam quadraginta cubitos longitudinis intra parietes habuit ipsum templum, viginti vero sanctum sanctorum, undecim autem latitudinis templi vestibulum. Quatuor autem parietes viginti quatuor cubitos tenuere, et locus orationis cubitos quinque. Hæc omnia, si in unum redigis, centenarii summam implebis.



Digitized by Google

CAPUT XVII.

Descriptio ædificiorum quæ templo adjacebant.

Nunc autem de gazophylaciis illis dicendum videtur, de quibus dicitur :

Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique (*Ezech.* XLI).

Docuimus autem longe superius de his gazophylaciis, quæ circa templum jacebant, quomodo ab invicem viginti cubitis distabant. Sed quia ædificium separatum, ut superius monstratum est, centum cubitis se inter aquilonarem et australem domum extendebat, et spatium viginti cubitorum adhuc utrinque interjacebat, patet quod inter aquilonarem et australem domum centum quadraginta cubiti secundum planum erant, unde constat inter templum et utramque domum hinc inde quadraginta cubitos fuisse : nam cæteros sexaginta monstratum est templi latitudinem tenere.

Quomodo autem poterit quadraginta cubitorum spatium capere illud, de quo superius dictum est, quinquaginta cubitorum latitudinis atrium? Sed plane quod secundum planum locus non habuit, ei ex tumore montis accrevit. Si igitur intelligimus illud atrium quadraginta cubitos secundum planum habere, et quinquaginta in superficie, videbimus montis devexitatem in hoc loco, et in supradictis atriis eadem sibi proportione respondere. Nam eadem proportione se habent centum ad octoginta, et quinquaginta ad quadraginta.

Post descriptionem templi adjungitur descriptio ædificii separati, et ædificium quod erat separatum versumque ad viam respicientem ad mare latitudinis septuaginta cubitorum. Paries autem ædificii quinque cubitorum latitudinis per circuitum, et longitudo nonaginta cubitorum. Ista omnia, ut arbitror, satis ex superioribus patent, et idcirco alia expositione non indigent.

Mare autem hic dicit illud quod longe post vocat magnum quod erat ab Occidente : nam aliud erat ab Oriente, quod vocat orientale.

Postquam autem dixerat hoc ædificium versum ad mare, statim infert de ejus latitudine, ut ex eo ipso innueret, secundum quam dimensionem ad mare versum esset.

Notandum autem quod quia templum ædificium separatum, atrium adjunctum, tam aquilonare quam australe ædificium unius longitudinis erant, omnium longitudinem sub una continuatione commemorat :

Et mensus est, inquit, *domus* (id est templi) *longitudinem centum cubitorum, et quod separatum erat ædificium, et parietes ejus longitudinis centum cubitorum.*

Latitudo ante faciem domus, et ejus quod erat separatum contra Orientem centum cubitorum.

Et mensus est longitudinem ædificii contra faciem ejus quod erat separatum ad dorsum ethecas ex utraque parte centum cubitorum.

A Notandum sane quod latitudo illa centum cubitorum, quam metitur ante faciem domus, id est templi, possit dici latitudo, et longitudo, sed diversis respectibus. Si enim totum illud atrium consideres in quo templum situm fuit inter aquilonarem et australem domum, ab Austro in Aquilonem centum quadraginta cubitorum longitudinis erit, et centum cubitorum latitudinis contra Orientem, quemadmodum hic dicit. Si autem non totum attendas, sed unam quamlibet a quovis templi latere partem, erit, ut in sequentibus legitur, longitudinis centum cubitorum, et latitudinis quinquaginta cubitorum.

Sub sequenti autem sententia situm ædificiorum determinat. Nam ædificium superius descriptum ad dorsum templi separatum erat, et contra faciem
B suam hinc inde ex utraque parte templi quoddam ædificium habebat.

Et mensus est, inquit, *longitudinem ædificii contra faciem ejus quod erat separatum ad dorsum ethecas ex utraque parte centum cubitorum.*

Vides certe quod ex utraque parte ædificium fuit, et utrumque ethecas habuit, et eo ipso quo ethecas mensus fuit, etiam domorum mensuras accepit.

Ante solaria quædam intelligimus esse istas ethecas, quas, ut Hieronymus in his verbis testatur, Romæ vocant solaria de cœnaculorum parietibus eminentia, quæ nonnulli Græcorum exedras vocant.

Recapitulatio cum additione videtur esse quod
C sequitur :

Et templum interius, et vestibula atrii, limina et fenestras obliquas, ethecas in circuitu per tres partes contra uniuscujusque limen, stratumque ligno per gyrum in circuitu.

Patet autem cur templum interius esse dixerit, quia inter prædicta ædificia medium locum tenuit. Vestibula atrii nominat, quia atrio adjacebant.

Superius autem designaverat ethecas ex utraque parte, hic autem dicit per tres partes esse, unde constat ædificium etiam separatum ethecas habuisse. Qua ex re convincimus eamdem in tribus similitudinem esse tam in qualitate quam in quantitate. Ethecæ autem, ut dicitur, contra limen unius cujusque erant, quia de ipsis cœnaculis extrinsecus pro-
D eminebant. Ne enim altiores vel demissiores ipsis cœnaculis putarentur, per limina solariorum situs antesolariorum exprimuntur.

Stratum lignorum per gyrum dicit tabulatum quo ethecarum inferiora sternebantur, quæ tres templi partes, ut dictum est, cingere videbantur :

Terra autem, inquit, *usque ad fenestras erat.*

Unde convinci potest quanta devexitas montis fuerit, quandoquidem parietes ædificiorum quæ ex parte templi erant, terram usque ad fenestras habebant.

Quod autem dicit cherubin, et palmas usque ad interiorem domum, hoc sanctum sanctorum fuisse, videtur determinare velle interius sanctuarium ejusmodi cælaturas non habere. Erant itaque, ut dici-

Digitized by Google

tur, usque ad interiorem domum, in exteriori videlicet templo, et forinsecus, id est in vestibulo quod eadem consideratione videtur dici posse forinsecus, qua domus interior dicitur intrinsecus. Erant, inquam, in templo et in vestibulo per omnem parietem in circuitu non solum interius, sed etiam extrinsecus fabrefacta ad mensuram et cherubin, et palmæ.

Sequitur :

Et palma inter cherub et cherub, duasque facies habebat cherub.

Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, et faciem leonis juxta palmam ex alia parte expressam per omnem domum in circuitu.

De terra usque ad superiora portæ cherubin, et palmæ cælatæ erant in pariete templi.

Limen quadrangulum, et facies sanctuarii aspectus contra aspectum altaris lignei.

Hæc omnia per se, ut arbitror, patent, et nostra expositione non indigent.

Ultima autem sententia situm altaris interioris exprimit, eo quod in medio templi contra portam sanctuarii positum fuerit. Hoc erat altare incensi. Nam illud de quo superius breviter tetigit, et de quo in sequentibus latius agit, erat altare holocausti.

Sequentibus autem verbis videtur exprimere non tantummodo modum quantitatis, sed etiam facturam operis

Ait itaque :

Trium cubitorum altitudo, et longitudo ejus duorum cubitorum.

Hæc ad quantitatem, sequentia referuntur ad qualitatem :

Et anguli ejus, et longitudo ejus, et parietes ejus lignei.

Forte idcirco de latitudine tacuit, quod longitudo et latitudo eadem fuerit, et in utramlibet partem longitudo, sicut et in utramlibet latitudo dici potuit. Videtur autem quatuor ligna per quatuor angulos erecta habere secundum altitudinem, quibus alia quatuor copulabantur tam superius quam inferius, directa secundum longitudinem et latitudinem, quibus tabulæ affigebantur, et conjungebantur in unam compagem. Angulos itaque vocat, eo quod angulos tenerent ligna illa, quæ in angulis erigebantur. Longitudinem vero nominat ligna illa quæ altaris longitudinem metiebantur.

Parietes autem dicit juncturam tabularum quibus earum hiatus texebatur.

Sequitur :

Et locutus est ad me hæc est mensa coram Domino.

Et post hæc additur descriptio ostiorum tam templi quam sanctuarii :

A *Et duo ostia erant in templo, et in sanctuario.*

Et in duobus ostiis ex utraque parte bina erant ostiola quæ in se invicem plicabantur. Bina enim ostia erant ex utraque parte ostiorum.

Puto ex hoc loco manifestum esse, quod idem nomen ponitur in diversa acceptione. Alioquin quomodo stabit, quod dicit : Bina ostia erant ex utraque parte ostiorum ? Quod igitur prius dicit ostia, referendum est ad fabricam quæ erat ex ligno. Quod postea dicit ostiorum, referendum est ad aditum, qui patebat in muro. Murus autem sex cubitorum spissitudinis erat, et ipsa ejus spissitudo tam in templo quam in sanctuario duo ostia tenebat. Nam unum erat in muro ex parte interiori et alterum ab
B exteriori. Pendebat autem ex his duobus ostiis unum a dextris et alterum a sinistris, juxta quem modum per omnia erat et in templo Salomonis.

Hoc est quod ibi dicitur : « Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus, utrumque autem ostium erat in gemina divisum (*III Reg.* VI, 34), » hoc est quod superius dixerat : Latera quinque cubitorum. Quod ibi dicit latera, hic dicit ostiola. Hæc latera ferreis nexibus copulabantur, et cum portæ aperirentur invicem plicabantur. Quemadmodum et hic dicitur, et ibi dictum est, quod se invicem tenendo aperiebantur. Idcirco autem unum ostium in duo dividebatur, et invicem plicabatur, ne muri latitudinem excederet dum aperiretur.

C *Et celata erant in ipsis ostiis templi cherubin, et sculptura palmarum sicut in parietibus quoque expressa erant.*

Ista omnia per se satis patent.

Recte autem subjungitur :

Quamobrem erant grossiora ligna in vestibuli fronte forinsecus super quæ fenestræ obliquæ.

Ibi namque grossiora ligna esse res exigebat, ubi ornatus causa digniores et excellentes cælaturas esse oportebat. Datur autem intelligi ex his verbis, parietes opertos esse lignis quemadmodum in templo Salomonis.

Sequitur :

D *Et similitudo palmarum hinc atque inde in humerulis vestibuli secundum latera domus, latitudinemque parietum.*

Patent ista :

Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem, et introduxit in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium.

De vestibuli fronte templi constat eum novissimo loco egisse, de quo loco videtur modo per aquilonarem portam atrii interioris in descriptum gazophylacium transire. Recte sane. Nam hoc utique gazophylacium ad prædictam decem cubitorum latitudinis deambulationem faciem habebat, quæ ab eo loco incipiebat ubi sta porticus porticui aquilonaris domus.

Digitized by Google

juncta erat, et ubi, ut ex hoc loco colligitur, in latere videlicet triplicis porticus aditus ad illud gazophylacium patebat :

Et induxit me, inquit, *in gazophylacium quod erat contra separatum ædificium, et contra ædem vergentem ad Aquilonem.*

In facie longitudinis centum cubitos ostii Aquilonis et latitudinis quinquaginta cubitos.

Contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum stratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici.

Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis ad interiora respiciens viæ cubiti unius, et ostia eorum ad Aquilonem.

Horum omnium descriptionem superius tam diligenter exposuimus, ut nesciamus utrum aliquid (nisi forte pro litteræ expositione) ad prædicta addere debeamus. Ostium Aquilonis dicit illud ostium templi de quo superius dixerat, et ostium lateris ad orationem. Ostium unum ad Aquilonem. Nondum sane, quia quod prius quasi singulariter posuit, postea pluraliter designavit. Et induxit me, inquit, in gazophylacium, et in sequentibus, et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis ad interiora respiciens viæ cubiti unius. Quod autem sequitur : Et ostia earum ad Aquilonem, si earum ibi legitur, referendum est ad porticus; si vero eorum, referendum est ad gazophylacia. Nam utrobique poterit esse sententia vera.

Sequitur :

Ubi erant gazophylacia in superioribus humiliora.

Quia supportabant porticus quæ ex illis eminebant de inferioribus et de mediis ædificii. Præmissa descriptione deambulationis, bene additur ubi erant gazophylacia; nam juxta deambulationem erant, et ei ab Aquilone adhærebant.

Illud quoque notandum, quia pluraliter porticus dicit, quod prius porticum dixit. Sane ut his verbis facile perpenditur, tam domus quam ejus porticus in triplicem mansionem distinguebatur. Si enim ædificium habebat inferiora et media, habebat utique et suprema. Medium namque non dicitur nisi ad duo extrema. Habebat itaque domus sicut et sua porticus gazophylacia in imo, cœnaculum unum in medio, et cœnaculum aliud in summo. Habebat et porticus gazophylacia in inferioribus contra gazophylacia domus, quæ porticus supportabant. Erant namque porticus in horum superioribus, una contra cœnaculum primum, et alia contra cœnaculum secundum, quæ a gazophylaciis supportabantur. Inferior porticus de interioribus ædificii eminebat, quia supra gazophylacia sita erat, quæ inferioribus ædificiis respondebant. Superior porticus de mediis ædificii eminebat, quia supra primam porticum sita erat, quæ mediis ædificii respondebat. Illud nunc quale sit consideremus, quod gazophylacia dicuntur esse humiliora in superioribus. Sane si arduitatem montis circa hunc locum secundum priorem modum æstimemus, terram in uno ædificii latere ex parte templi sexaginta cubitis excelsiorem, quam in alio latere inveniemus. Sed quis nesciat, ratione id exigente, pavimenta ædificiorum in æqualem quamdam superficiem sternere oportere? Ne ergo putaremus terram ab una parte sexaginta cubitis cavatam fuisse, dicit Scriptura gazophylacia in superioribus humiliora esse, ut intelligamus unum gazophylacium divisum in plura, et singula habere pavimenta, in seipsis quidem æqualia, sed alia aliis eminentiora, et secundum ascensum montis graduum more alia supra alia elevata. Ubi ergo pavimenta elevatiora, ibi gazophylacia erant humiliora, id est minus altitudinis habentia, hoc idem intelligimus de gazophylaciis illis quæ erant sub porticibus. Hoc idem de divisione illa sex porticuum quas in septem portiones secundum latitudinem, montisque ascensum distinximus. Hoc idem de gazophylaciis, quæ circa pavimenta erant sentimus. Idcireo autem hæ distinctiones erant utique longæ, sed parum latæ. Nam gazophylacia eadem leguntur quinquaginta cubitorum longitudinis fuisse, quæ tamen non plus quam novem cubitorum latitudinis videntur habere. Hæ tamen gazophylaciorum divisiones non tam videntur parietibus interseptæ, quam columnis distinctæ, ita tamen ut has columnas (quemadmodum in claustris fieri solet) nonnullius altitudinis murus supportaret, qui pavimentorum elevationes susciperet, elevationumque degradationes dispararet. In hoc itaque gazophylacia exterioris atrii ab istis gazophylaciis discrepabant, quod illa columnas habebant, in his vero nullæ erant.

Tristega enim, inquit, *erant et columnas non habebant, sicut erant columnæ atriorum.*

Bene autem de his porticibus additur, propterea eminebant. Quoniam supportabantur a gazophylaciis, idcirco eminebant, et subditur quidem quomodo, vel quantum eminebant a terra.

Eminebant, inquit, *de inferioribus, et de mediis ædificii a terra cubitis quinquaginta.*

Si ista porticuum supereminentia a terra sursum quinquaginta et quinquaginta cubitis distinguitur, tota altitudo domus centum quinquaginta cubitos habere videtur. Inferior autem porticus non ubique a terra quinquaginta cubitis eminebat, sed in eo latere ubi terra dimissior erat. Sed quia secundum prædictam rationem terra in uno latere domus ex parte templi elevatior erat cubitis sexaginta, et primum cœnaculum domus secundum descriptionem porticus eminebat, ex parte alia tantummodo cubitis quinquaginta videtur terra decem cubitis exterius eminere ex parte templi supra pavimentum primi cœnaculi. Quod igitur superius legimus, quia terra usque ad fenestras erat : de fenestris primi cœnaculi intelligere debemus, ita ut quibusdam gradibus ejus ostia descenderetur, quemadmodum in cellariis videmus. Thecas autem contra superius cœnaculum esse perpendimus.

Digitized by Google



Sed quoniam gazophylacia quæ sub porticibus erant cum eis ipsis domui adhærebant, ab interiori parte parietem unum cum ipsa domo communem habebant; qui quidem gazophylaciis porticuum tanto longior erat, quanto longitudinem illorum latitudo domus superabat. Per exteriorem ergo parietem qui atrio exteriori adhærebat, longitudo gazophylaciorum exprimitur, cum adjungitur: *Et peribolus exterior secundum gazophylacia quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia longitudo ejus quinquaginta cubitorum.*

Notandum sane quod non dicit porticum ipsam B quinquaginta cubitos longitudinis habere, sed peribolum ejus exteriorem, id est parietem illum quem ad exteriora habebat quinquaginta cubitorum longitudinis fuisse, ne putetur hæc mensura intra parietes, quemadmodum in superioribus porticibus sumpta fuisse. Patet ergo, quod superius jam diximus, quia unum parietem cum domo communem habebat, ita ut utriusque mensuræ annumerari debeat, ut constet de hujus porticus gazophylaciis, quod illis gazophylaciis legitur quæ ad horum similitudinem describuntur. *Secundum longitudinem eorum*, inquit, *sic et latitudo eorum.* Generalis autem

Digitized by Google

sententia esse videtur quæ subinfertur, cum dicitur: Quia longitudo erat gazophylaciorum atrii exterioris quinquaginta cubitorum. Cum enim dicatur, non eorum, sed gazophylaciorum, non videtur ad prædicta relatio facta, sed generalis sententia prolata, ut omnium gazophylaciorum exterioris atrii intelligatur longitudo una.

CAPUT XVIII.

De cæteris quæ restant usque ad finem descriptionis.

Post descriptionem gazophylacii quod erat contra viginti cubitos atrii interioris, et contra pavimentum atrii exterioris, et post descriptionem porticus tam pavimento quam triplici porticui adhærentis, vide quam miranda ratione repetit quod longe superius dixit. *Et longitudo*, inquit, *ante faciem templi centum cubitorum.* Nonne hoc idem expressit, quando atrii interioris tam longitudinem quam latitudinem definivit? Sed intellexit propheta secundum prædictorum descriptionem consequens esse, longitudinem ante templum centum cubitos, secundum planum habere non posse. Sed idem iterum repetendo per inculcationem admonuit quod absque dubio aliquo modo habuit quod secundum plani considerationem omnino habere non potuit. Sequitur:

Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab Oriente ingredientium in ea de atrio exteriori in latitudine periboli atrii, quod erat contra viam orientalem in facie ædificii separati. Quæ sint gazophylacia ante gazophylacia ista, et quis sit introitus subter ista et super illa, id est inter utraque gazophylacia superius jam diximus, et eadem replicare vitamus; atrium autem de quo hic commemorat, non solum in facie ædificii separati, sed etiam in facie aquilonaris domus, et ex majori parte erat. Sed quia ædificium separatum ab eo longius distabat, de eo maxime dicitur de quo minus videbatur. Descriptis gazophylaciis, quæ sub porticibus aquilonaris domus in via Aquilonis erant, quorum similitudinem illa quæ sub porticibus separati ædificii fuerant per omnia tenebant, compendiose satis eorum descriptionem ex similitudinis adjunctione subintulit, cum dicit: *Et erant ante ædificium gazophylacia, et via ante faciem eorum juxta similitudinem gazophylaciorum quæ erant in via Aquilonis.* Si ista gazophylacia per omnia eorum similitudinem habebant quæ in via Aquilonis ante aquilonarem domum erant, ergo porticus supportabant quæ de illis eminebant de inferioribus, et de mediis ædificii. Similiter in cæteris unam in utrisque similitudinem intelligimus, sicut superius docuimus, et eadem replicare non debemus. Unum quod superius prætermisse videbatur, latitudinem videlicet eorum, hoc loco determinare videtur, et tam istorum quam illorum mensuram uno sermone complectitur, cum dicitur: *Secundum longitudinem eorum, sic et latitudo eorum.*

Completa descriptione omnium ædificiorum quæ ad Aquilonem erant, eorum quæ ad Austrum consistebant brevi sententia comprehendit, cum dicit: A *Et omnis introitus eorum, et similitudines, et ostia eorum secundum ostia gazophylaciorum, quæ erant in via respiciente ad Notum.* Ostium in capite viæ, quæ via erat ante vestibulum separatum per viam orientalem ingredientibus. Quidquid de gazophylacio quod erat contra viginti cubitos atrii interioris diximus, quidquid de æde vergente ad Aquilonem, vel ejus porticibus, quidquid de ambulatione, vel de introitu superius docuimus, totum de his quæ ad austrum erant secundum situs sui modum intelligere debemus, ut sit in istis et illis introitus secundum introitum, et similitudines secundum similitudines, et ostia secundum ostia, ut sit in omnibus per omnia utrobique similitudo una. Vide tamen quam argute unum nominatim expressit, B de quo maxime dubitari potuit. Forte enim aliquis difficile crederet quod ædificium separatum duo vestibula haberet, ne duo habendo aliarum in hoc ædium formam excederet, quod in cæteris omnibus eamdem cum eis similitudinem tenuisset. Ait ergo: *Ostium in capite viæ, quæ via erat ante vestibulum separatum.* Si via erat ante vestibulum separatum ex parte una, erit procul dubio, et via, et vestibulum ex parte altera, ut utrobique sit similitudo una. Illud autem palam est, quod caput viæ illius ad Orientem respiciebat, quæ ab atrio exteriore juxta porticum aquilonaris ædificii incipiebat. Manifesta autem sunt cætera quæ sequuntur, usque ad eum locum, ubi dicitur: *Cumque complesset mensuras domus interioris, eduxit me per viam portæ quæ* C *respiciebat ad viam orientalem, et mensus est eam undique per circuitum.* Domum interiorem dicit templum quod inter cætera ædificia locum tenebat medium. Quod dicit, mensus est eam, intelligendum est aut eam interiorem domum, aut eam viam, aut eam portam. Sed quomodo mensuras domus interioris compleverat, si adhuc eam metiri oportebat? Sed quod murum dividentem inter sanctuarium, et vulgi locum hoc loco metiatur, manifestissime determinatur. Portam itaque orientalis viæ exteriorem undique in eo mensurabat, quod muri ipsius hinc inde mensuras capiebat. Mensus est autem contra ventum orientalem calamo mensuræ quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum. Et mensus est contra ventum D aquilonarem quingentos calamos in calamo mensuræ per gyrum. Et ad ventum australem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitum, et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos in calamo mensuræ. Per quatuor ventos mensus est illud. Quid sit autem illud, uti jam dictum est, cujus mensuram accepit subjuncta determinatione ostendit, cum dicit: *Murum ejus*, inquit, *undique per circuitum longitudinem quingentorum cubitorum, et latitudinem quingentorum cubitorum dividentem inter sanctuarium, et vulgi locum.* Conturbat fortassis aliquem, quod idem murus quingentos calamos et quingentos cubitos dicitur habere, cum calamus superius legatur sex

Digitized by Google

cubitorum fuisse. Sed diversitatem calamorum intelligere nil obstat, cum manifesta prophetæ sententia in hoc ipsum nos cogat. Sed si iste Scripturæ locus pro diversitate calamorum ad sui testimonium minus sufficere videtur, videamus quid in sequentibus dicitur, ubi post pauca altaris mensura describitur : *Istæ autem*, inquit, *mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum et palmum.* Quis est iste cubitus verissimus, in quo erat cubitus et palmus ? Aut hoc de instrumento, id est calamo, dicitur, per quod mensuratur, aut de mensura quæ instrumento sumitur. Nam perticam quidem dicimus, et illud quo mensuramus et mensuram quam accipimus. Sic palmus, sic cubitus, sic sextarius dicitur, et mensura qua mensuratur, et mensura quæ mensuratur. Si itaque hoc loco cubitum non instrumentum, sed mensuratum accipimus, quomodo erit cubitus verissimus ubi erat cubitus et palmus, hoc est plus quam cubitus ? Si autem per cubitum intelligimus instrumentum, hoc est calamum, in hoc dicimus ipsum verissimum, quia habebat cubitum quo metiretur, et palmum unde inter metiendum teneretur. Potuit autem (quod et ipse credo) in sex cubitorum calamo ex ea parte qua supererat palmus, unus cubitus cum eodem palmo esse segregatus, atque aliquo signo determinatus, in quo sane metiri oportebat, quod infra pleni calami mensuram remanebat. Sicut igitur pars panis dicitur panis, et pars domus dicitur domus, sic pars calami potuit dici calamus. Octoginta autem, et tres calami cum triente de majoribus complent quingentos de minoribus. Forte ergo ut inimicitias vitaret, imo absque dubio certi causa mysterii, ut plenum mysticumque numerum exprimeret, minores hoc loco calamos posuit et quod mystice docere oportuit, mystico numero expressit.

CAPUT XIX.

De descriptione altaris holocausti.

Restat adhuc de altari dicere, et ejus descriptionem explanare. *Istæ autem*, inquit, *mensuræ altaris in cubito verissimo qui habebat cubitum et palmum.* (*Ezech.* XLIII). De hoc cubito jam superius docuimus et eadem replicare non debemus. In sinu ejus erat cubitus, et cubitus in latitudine, et definitio usque ad labium ejus in circuitu palmi unius. Ut totius altaris mensuram breviter perstringam, erat quinque cubitorum altitudinis, et habebat usque ad extremum quarti cubiti duodecim cubitos tam longitudinis quam latitudinis. A quarto vero cubito sursum habebat ejecturam quamdam unius cubiti in omnem partem, ita ut in supremis ejus contra quintum cubitum esset altare quatuordecim cubitorum longitudinis, et quatuordecim latitudinis. Habebat ergo ejectura illa cubitum unum altitudinis, et cubitum unum latitudinis, in omnem partem extra mensuram altaris, ut de eo intelligi possit quod dicit, in sinu ejus erat cubitus, et cubitus in latitudine. Hujus autem supremi cubiti superiorem medietatem corona altaris tenebat, reliqua medietas sub corona erat. Habebat autem corona ipsa unum palmum spissitudinis. Unde est illud : *Et definitio usque ad labium ejus in circuitu palmi unius.* Hoc loco definitio idem est quod terminatio. Erat itaque suprema extremitas altaris, vel coronæ, ubi altare terminabatur, vel finiebatur palmi unius scilicet spissitudinis. Erat autem adhuc circa eamdem coronæ extremitatem alia quædam parva ejectura circumquaque dependens, quam et labium vocat. Unde et dicit : *Et definitio usque ad labium ejus in circuitu palmi unius.* Vel rectius fortassis quoddam foramen, quod erat in medio altaris a summo usque in ima describitur in eo quod dicitur : *In sinu ejus erat cubitus et cubitus in latitudine.* Cætera autem quæ sequuntur secundum priorem sensum exponantur. Erat etiam sub ipso altari quædam fossa duorum cubitorum profunditatis, quæ cineres qui per illud foramen defluebant, excipiebat. Unde et addit : *Hæc quoque erat fossa altaris, et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti, et latitudo unius cubiti.* Profunditatem et latitudinem describit, et de longitudine tacet ; innuit tamen in eo quod duos cubitos ad crepidinem novissimam, id est ad basim altaris, terminari ostendit. Videtur itaque mihi longitudo ejus ab anteriori parte sub basi altaris incipere, et usque post tergum altaris se extendere, ita ut sanguinem qui ad basim fundebatur, excipere posset, et post tergum altaris quasi ad extrahendos influentes cineres pateret. Sequitur :

Et a crepidine majori usque ad crepidinem minorem quatuor cubiti, et latitudo unius cubiti. Crepidinem possumus dicere præruptionem, vel præcisionem alicujus planitiei, vel superficiei. Crepidinem igitur minorem vocat basim altaris quæ erat cubitorum duodecim ; crepidinem vero majorem vocat basim ejecturæ supradictæ, quæ erat cubitorum quatuordecim. Erant itaque ab una usque ad aliam crepidinem quatuor cubiti, secundum ejus quod dictum est, Ariel altitudinem, et latitudo unius cubiti secundum ejectionis latitudinem. Bene autem cubitum unum seorsum, et cum determinatione posuit. Nam positio quatuor cubitorum in altum surrexit, situs vero unius cubiti se in latus deflexit, et in latum expandit. Sed a crepidine majori incipiens, cur cubitum unum prius non posuit, qui secundum hunc ordinem prius occurrit, nisi quod majorem numerum Latinorum more prius ponere voluit ? Ordinatius autem videretur posuisse, si sic voluisset dicere, et a crepidine minori usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti, et latitudo unius cubiti. Hunc ordinem Septuaginta secuti sunt, qui sic ponunt : *A propitiatorio minori usque ad propitiatorium majus*, eosdem locos per propitiatorium et propitiatorium designantes, quos nos in crepidinibus intelligimus. Et recte quidem satis hæc duo loca poterant propitiatoria dici, quia in his duobus locis solebat sanguis ad expiationem et propitiationem poni, vel effundi : *Ipse autem Ariel quatuor*

Digitized by Google

cubitorum. Ariel dicit ipsum corpus altaris, quod quatuor cubitorum altitudinis, ut dictum est, erat, cui dicta illa superius ejectura supereminebat. Quod ideo forsitan Ariel quod est *leo fortis* nominavit, quia leonis more populi victimas per illud jam dictum foramen devoravit et absorbuit. Et ab Ariel sursum cornua quatuor, per quatuor videlicet angulos altaris. *Et Ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis, quadrangulum æquis lateribus.* Hoc dictum est de corpore altaris, ut superius jam docuimus. *Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus.* Et de hoc item superius diximus, quod ejusmodi mensura erat circa superiora altaris. Et corona in circuitu ejus dimidii cubiti, scilicet altitudinis. Nam de spissitudine superius dictum est : *Et sinus ejus unius cubiti per circuitum.* Recole duas quas superius posuimus sententias; secundum primam erit quod modo dicitur superflua repetitio, secundum secundam erit ad altitudinem altaris complendam necessaria adjectio.



CAPUT XX.

Terræ promissionis descriptio seu divisio, et quæ portio debeatur sacerdotibus, et quæ levitis.

De hoc sanctificato statim pauca adjungit quod sit Sanctificatum de terra longitudinem viginti quin-
sacerdotibus, et longe post in sequentibus.
que millia, et latitudinem decem millia. San-
quasi diceret, erit
ctificatum erit in omni termino ejus per circui-
in omni prædicto sanctific. aliud sanctific. in quo
tum. Et erit ex omni parte sanctificatum quin-
erit sanctuar. et templum, ita ut ipsum possit recte
gentos per quingentos quadrifariam per cir-
dici sanctificatum sanctificati, quemadmodum
cuitum, et quinquaginta cubitis in suburbana
dici solet sanctum sanctorum.
ejus per circuitum.

Quod dicit a mensura ista, non est referendum ad proximum tantum, sed ad totum quod superioribus vèr-
Et a mensura ista mensurabis longitudinem vi-
sibus est comprehensum. Quod modo mensurari ju-
ginti quinque millium, et latitudinem decem mil-
betur, est illud quod post paululum dicitur debere esse
lium.
levitarum.

Palam est ex posterioribus quod templum erat in
Et in ipso erit templum, Sanctumque sanctorum.
sorte sacerdotum. Quod igitur dicit in ipso, referendum est ad illud mensuratum de quo præmittitur, et a mensura ista. In medio namque ejus mensuræ erat templum. Sed subjuncta interpositio, et neutraliter facta relatio facit litteram obscuram.

Duobus istis subsequentibus versibus determinat
Sanctificatum de terra erit sacerdotibus ministris
quorum debeant esse duæ illæ prædictæ mensuræ, et
sanctuarii, qui accedunt ad ministerium.
in primo quidem de prima. Sanctificatum, inquit,
de terra erit sacerdotibus, ac si diceret : Illud quod superius nominavi sanctificatum; illud, inquam, erit
sacerdotibus.

Et erit eis locus in domos, et sanctuarium sancti-
Hæc est illa mensura quam secundo loco posuit,
tatis, viginti quinque autem millia longitudinis, et
ubi ait : Mensurabis longitudinem viginti quinque
decem millia latitudinis erunt levitis, qui mini-
millium, et latitudinem decem millium.
strant domui.

Digitized by Google

DE EMMANUELE

LIBRI DUO.

PROLOGUS.

In quemdam magistri Andreæ tractatum, quem in Isaiæ explanationem scripserat, simul et ediderat, incidi, in quo nonnulla minus caute posita, minus catholice disputata inveni. In multis namque scripturæ illius locis ponitur Judæorum sententia quasi sit non tam Judæorum quam propria, et velut vera. Super illum autem locum: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium*, Judæorum objectiones vel quæstiones ponit, nec solvit, et videtur velut eis palmam dedisse, dum eas veluti insolubiles relinquit. In ejusmodi itaque positionibus scandalizantur peritiores, infamantur imperitiores, in tantum ut usque hodie ex ejus discipulis existant qui supra positam prophetiam non de beata Maria, quin potius de prophetissa dictam contendant. Ad tollendum ergo errorem vel eorum qui jam decepti sunt, vel adhuc decipi possunt, statui aliqua scribere, et positis objectionibus obviare. Prima itaque operis hujus fronte libet ipsas objectiones ponere, quemadmodum inveniuntur in jam dicta explanatione. Secundo vero quasi pro testimonio adjungo quædam verba beati Hieronymi, quemadmodum ab ipso edita sunt in explanationem ejusdem loci. Ultimo autem loco libet ex meo addere quantum puto ad refellendas objectiones posse sufficere.

OBJECTIONES MAGISTRI ANDREÆ

Secunaum quod Judæi solent nobis opponere de nostro Emmanuele.

Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII). Hanc de conceptione et Nativitate Salvatoris nostri, et integritate, et virginitate matris ejus semper virginis apertissimam prophetiam, prout justum est cum de ipsis exponimus. Insurgentes in nos Judæi, veritatis inimici, suæ cavillationis ariete firmissimum fidei nostræ murum labefactare conantur. Primo dicunt quod in Hebraico non habetur becula, quæ vox virginem, sed alma, quæ nunc juvenculam, nunc absconsam significat. A quibus cum opponentes quærimus quomodo futuræ liberationis signum esse possit, quod junioris ætatis femina, vel abscondita et secreta concipiat, et pariat cum hoc frequentissime fieri videamus, respondent dicentes: In hoc signum erat quod ea quæ nondum conceperat in prima ad eam viri accessione conceptura erat, et masculum paritura, qui ab ipso populo, vel matre Emmanuel nominaretur. Ac si a propheta diceretur: O domus David, si videris hanc juvenculam quæ nondum concepit in proximo concipere, et filium parere, scias hoc tibi signum futuræ liberationis de manu supradictorum regum a Domino datum. Vos autem, inquiunt, qui hoc de Virginis vestri Jesu matris conceptione, et partu exponitis, respondete quomodo quod post sexcentos vel eo amplius factum est annos domui David, et Acham, quod de manu Rasin, tunc regis Syriæ, et Phacee filiis Romeliæ liberandi essent signum esse potuit. Quomodo illis signum esse potuit quod nunquam A viderint vel visuri erant? Vos per abrupta, nos per planam incedimus viam quibus tota capituli continentia consonat; vos, tota litteræ circumstantia reclamante, uni versiculo adhæretis. Quod, ut melius pateat, ab exordio usque ad finem totum prosequimur capitulum. Mandavit Dominus per prophetam Acham quod signum peteret, per quod certus esse posset, quod non oporteret eum timere a duabus caudis titionum fumigantium. Quo signum petere nolente, convertit se propheta ad populum, cui dicit ipsum Dominum signum esse daturum, ipsumque signum statim supponit, dicens: Ecce virgo concipiet, etc. Subjungit et cibum ipsius pueri ex virgine concepti et nati, et causam quare tali cibo utatur. Post hæc interponitur de adventu Assyriorum in terram Juda, et quid in ea facturi sint ad B extremum post enumerationem eorum quæ vastitatem sequuntur, imperat Dominus prophetæ ut in grandi libro plane et legibiliter scribat nasciturі de juvencula, vel abscondita pueri nomina duo hæc: Velociter spolia detrahe, cito prædare. Et ne qua fraus, vel dolus subesse putaretur, vel ne alio quam ad prophetissam (Isaiæ videlicet uxorem, et filium ex ea natum) quod de virgine, vel potius juvencula paritura dicitur inverteretur, adhibuit et duos quibus bene credi deberet testes, et sub his testibus ad prophetissam maritali officio accessit, et concepit, et peperit cujus nomen Domino præcipiente, sicut subjungitur, appellat, causamque quare sic debeat appellari supponit. Ecce, inquit, omnia rationabili-

Digitized by Google

ter procedunt, omnia quæ promittuntur fiunt; promittitur juvencula quæ nondum conceperat in signum paritura filium. Adhibentur testes duo fideles, qui visu et auditu prophetissam ad quam Isaias accessit, adolescentulam esse dignoscere, et ex ea viri ad illam accessione concepisse, cum tempus pariendi advenit, certissime scire valerent. Si dubitatis de juvencula, fideles fidem facient testes. Prædicitur conceptura, concepit paritura filium, peperit et masculum. Cibos comedit quos comesturus fuit prædictus. Ecce datum est signum quod se daturum Dominus promisit. Nam non res signum secuta est? In diebus infantiæ filii virginis, vel juvenculæ duo reges a quorum facie Judas trepidabat, alter ab Assyriis interfectus, alter ab Osee filio Elam trucidatus occubuerunt. Ecce signum præcessit, secuta est res. Liberatus est Judas a metu, propter quem tollendum datum est signum. Vestræ autem virginis partus nec signum fuit, quibus tollendus erat metus, sed nec esse potuit. Nec res propter quam signum datum est secuta est. Sed quingentis et eo amplius annis signum quod vos ponitis præcessit. Explicate, si potestis, quomodo Isaias propheta sub notis et nominatis testibus ad prophetissam accesserit, ex qua accessione ipsa conceperit, et filium peperit quem Dominus idcirco vocari jusserit accelera, spolia detrahe, festina prædare. Quod in diebus infantiæ ejus a regionibus Assyriorum tollenda esse fortitudo Damasci, ubi regnabat Rasin, et spolia Samariæ, ubi sceptra gerebat Phacee filius Romeliæ. Apertissime loquitur sacra Scriptura Dominum qui mentiri non potest dicere, quod antequam puer quem prophetissa peperit Isaiæ, sciat patrem suum et matrem vocare, Damascus et Samaria ab Assyriis destruenda sit. Si virginem vestram hujus pueri matrem dixeritis, consequenter et Isaiam ejus patrem esse dicere vos oportebit.

Si statim post natum Isaiæ de prophetissa filium, mortuis duobus regibus, Judas a metu quem illi incutiebant liberatus est, cujus rei gratia signum dabatur, luce clarius elucet quia ejusdem pueri matris et conceptus et partus prædictæ liberationis signum fuerit. Hæc sunt quæ in nos tela jaciunt Judæi, sacrarum nos litterarum depravatores, et violentos distortores appellantes. Quibus ut respondeamus nec opus est, cum alii hoc ante nos fecerint. Sed an sufficienter responsum sit, ipsi qui responderunt viderint. Nec utile, ne si forte anceps certamen imparibus ineuntes viribus succumbamus, non nobis solis, sed et illis quorum acutissimi vivacitate ingenii, si cum eis congressi fuissent facile superarentur, victores insultent. Nos itaque nostris viribus emensis, fortiora fortioribus relinquentes, A cœptam litteralis sensus explanationem exsequamur. Dabit gratuita voluntate sua, non vestris perversorum, et incredulorum meritis signum. Facturus est Dominus quiddam vobisque in signum daturus, quod cum videritis, significabit vobis quod a metu prædictorum regum liberamini. Ecce virgo concipiet et pariet. Juvenculæ vel absconditæ partus et conceptus, quando eum videritis, significabit vobis quod a prædicto metu liberabimini, et vocabis tu domus Juda, vel quæ concepisti, Emmanuel. Ideo tali nomine, vel domo Juda, vel matre vocante, puer nominabitur, quia Deum propitium et adjutorem sibi futurum intelligent, cum puerum quem sibi in signum se daturum promisit jam natum perspexerint. Vel quia in diebus nativitatis ejus B jam illis Dominus benefacere cœperat. *Butyrum et mel comedet.* Si, ut causalem facimus conjunctionem, scientia reprobandi malum et eligendi bonum causa est quare butyrum et mel comedat. An talis comestio talem scientiam conferre potest? Nonne et stulti butyrum et mel comedunt? Si ergo ut consecutivum facimus ut dicamus: Butyrum et mel comedet, et sciet reprobare malum, et eligere bonum, quomodo exponetur quod sequitur, quia antequam sciat puer, etc., nisi forte quia ibi, sicut in plerisque copulativa accipiatur, et sic legatur: Butyrum et mel comedet, et sciet reprobare malum, et eligere bonum, et antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum? Sunt qui C ita legunt: Butyrum et mel comedet, ut qui sciat reprobare malum et eligere bonum, et antequam hujusmodi scientiam habeat derelinquetur, etc. Hoc etiam partem signi putant, quod in infantia positus quæ nihil eorum quæ apponuntur rejicere solet, immundis tanquam sordibus refutatis, mundos tantum cibos (quæ synodochice in butyro et melle accipiuntur) in cibum sumpturus sit. In eo quod dicitur butyrum et mel comedet, Hebræi futuræ fertilitatis promissionem esse dicunt. Ubi nos habemus, ut sciat reprobare malum, illi habent, ut dicunt, ad scientiam abominari in malum et eligere in bonum. Quod est dicere: prophetissæ filius butyrum et mel comedet cum venerit ad scientiam qua possit abo- D minari malum et eligere bonum. Unde autem quando ille ad annos discretionis perveneri!, tanta sit futura copia in terra hostiliter vastata, ut lacte (quod per butyrum intelligimus) et melle fluat, subjungit, quia antequam sciat, etc. Bene poterit tunc puer butyrum et mel comedere, quia in infantili ætate illius derelinquetur Syria et decem tribuum terra a duobus regibus quos tu, domus Juda, formidas.

VERBA HIERONYMI.

(2) Quando autem dicitur, dabit Dominus ipse vobis signum, novum debet esse atque mirabile. Sin autem juvencula, vel puella, ut Judæi volunt, et non virgo pariat: quale signum poterit appellari

(2) Lib. III Comment. in cap. VII Isa.

Digitized by Google

cum hoc nomen ætatis sit, non integritatis? et revera ut cum Judæis conferamus pedem, et nequaquam contemptioso fine præbeamus eis risum nostræ imperitiæ. Virgo Hebraice בחילא appellatur, quæ in præsenti loco non scribitur. Sed pro hoc verbo positum est, עלמה quod præter LXX qui posuerunt ἡ παρθένος omnes adolescentulam transtulerunt. Porro עלמה apud eos verbum ambignum est, dicitur enim et adolescentula, et abscondita, id est ἀποκρυφή. Unde et in titulo psalmi noni, ubi in Hebraico positum est alma, nomen quod cæteri interpretes transtulerunt pro adolescentula, quod LXX interpretati sunt pro absconditis, et in Genesi legimus ubi Rebecca dicitur alma aquilam non adolescentulam, nec puellam, sed absconditam transtulisse (*Gen.* XXIV). Sunamitis quoque mulier amisso filio cum Elisei fuisset pedibus provoluta, et prohiberet eam Giezi, audit a propheta : Dimitte eam quia in dolore est, et Dominus abscondit a me (*IV Reg.* IV). In Hebræo scriptum est, חעלים ממני. Ergo alma non solum puella, sed et virgo; sed cum ἀποκρύφῃ virgo abscondita dicitur, et secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. Lingua quoque Punica quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, proprie virgo alma appellatur, et ut risum præbeamus Judæis, nostro quoque sermone alma sancta dicitur. Omniumque pene linguarum verbis utuntur Hebræi, ut est illud in Cantico canticorum de φορείον, id est ferculum sibi Salomon fecit, quod et in Hebræo ita legimus. Verbum quoque nugas, et mensuram, Hebræi eodem modo, eisdem appellant sensibus, et quantum cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror alma in muliere nupta legisse, sed in ea quæ virgo est, ut non solum virgo sit, sed virgo junioris ætatis, et in annis adolescentiæ. Potest enim fieri ut virgo sit vetula. Ista autem virgo erat in annis puellaribus, vel certe virgo, non puella, et quæ adhuc virum nosse non posset, sed jam nubilis. Denique et in Deuteronomio sub puellæ et adolescentulæ nomine virgo intelligitur. *Si invenerit, inquit, homo in campo puellam desponsatam, et vi opprimens eam dormierit cum ea, interficietis virum solum qui concubuit cum ea, et puellæ nihil facietis. Non est adolescentulæ peccatum mortis, quia quomodo si quis insurgat contra proximum suum, et interficiat animam ejus, sic hoc negotio accidit* (*Deut.* XXII), etc.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Refellitur Judæorum sententia et Christianorum confirmatur.

Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel ; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum (*Isai.* VII). O quam merito videntes dicti sunt qui in tam longinquum videre potuerunt ! Qui enim hodie dicitur propheta, olim dicebatur videns. Sexcentis certe, et eo amplius annis, si nos chronographi non fallunt, sunt ista prævisa atque prædicta antequam facta. Vide ergo in quam longinquum prospexit qui ista prædixit. Miraris, ut arbitror, de perspicacia prævidentiæ, mirare nihilominus in verbis prophetæ profunditatem intelligentiæ. Mira sane vis illa prævidendi, sed non minus mirabilis modus ipse dicendi. Ecce in eisdem ipsis verbis prophetæ unde Christianus illuminatur, inde Judæus excæcatur, diabolus infatuatur. Ecce ubi agnus ambulat, elephas natat, sed non enatat. Ecce ubi Christiana simplicitas planam viam invenit, currit, nec offendit, Judaica perfidia submergitur, diabolus suffocatur. In tantum autem illuminatur Christianus, ut malit mori quam veritatem diffiteri, in tantum excæcatur Judæus ut paratior sit mori quam veritatem fateri, in tantum infatuatur diabolus, ut præsumat posse fieri peccatorem quem constat esse omnium Redemptorem. *Hæc omnia, inquit, tibi dabo si, procidens, adoraveris me* (*Matth.* IV). Illum provocat ad se adorandum cui flectitur omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philip.* II). Ecce quomodo stulti facti sunt principes Taneos. Et quidem necesse erat ut redemptionis nostræ sacramenta verborum ambiguitate obnubilarentur, ne a malignis spiritibus vel hominibus intelligerentur, et impedirentur. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Non sum tam prompti eloquii, vel profundi ingenii, ut me arbitrer posse propheticæ sententiæ profunditatem sermone explicare vel cogitatione comprehendere. Sufficit mihi hoc loco, si detur in simplicis litteræ expositione devotioni fidelium satisfacere, et quomodo debeat hæc Isaiæ prophetia ad Verbi incarnationem referri ostendere : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et hanc quidem prophetiam, etsi nunquam detur vobis secundum dictam sententiam circumjacenti litteræ posse coaptare, nihilominus tamen debetis eam credere de Christo prædictam, et in Christo completam fuisse. Qui non potest intelligere vocem prophetantis, audiat vel sensum exponentis. Qui non intelligit sensum vaticinantis prophetæ, credat vel sententiæ exponentis evangelistæ. Audi proponentem : *Ecce virgo concipiet.* Attende exponentem : *Hoc totum actum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam : Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus.* Quod totum ? *Noli timere, Joseph,*

Digitized by Google

accipere Mariam conjugem tuam : quod enim ex ea natum est, de Spiritu sancto est. Ecce evangelista dicit dictam prophetiam in beata Maria completam fuisse. Quis audeat contradicere? Ibi prædicitur conceptura virgo, hic dicitur concepisse de Spiritu sancto; concepit ergo de Spiritu sancto, non de viro. Non novit Spiritus sanctus virginem corrumpere, sed sanctificare. Nescit Spiritus sanctus munditiam virginis minuere, sed augere; nescit fœdare, sed glorificare. Qui ergo necdum habet cor illuminatum ad intelligendum sensum vaticinantis prophetæ, afferat saltem aures non graves ad obaudiendum exponenti evangelistæ, ne incurrat illud ejusdem Isaiæ : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava* (*Isai.* VI). Qui necdum intelligit quod legit, saltem credat ex corde, ut sic mereatur intelligere : *Si non credideritis*, inquit, *non intelligetis* (*Isai.* VII). Firmissimum argumentum fidei nostræ quod idem tam concorditer nuntiant prophetæ et evangelistæ. Quod propheta prænuntiat : Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Hoc est quod Evangelista aliis verbis enuntiat : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Habitavit, inquit, in nobis. Habitavit sane ut fieret noster Emmanuel, et esset nobiscum Deus. Quod propheta uno verbo exprimit cum eum Emmanuel dicit, hoc est quod angelus ad Mariam latius explicat, cum ei divinitus annuntiat : *Quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I).

CAPUT II.

Quæ sunt illa quæ nobis solent Judæi, vel judaizantes opponere ad ea quæ sentimus de nostro Emmanuele.

Sed huic nostræ assertioni reclamant Judæi, submurmurant, imo acclamant illis judaizantes nostri. Objiciunt multa quibus putant refellere assertionem nostram. Adducunt hinc inde argumenta quibus nituntur astruere assertionem suam. Primum itaque est arguere cæcitatem Judæorum. Secundum, rumpere surditatem judaizantium. Tertium, si detur satisfacere devotioni fidelium, et pie quærentium. Videamus itaque nunc qualia vel quanti pendenda sunt quæ nobis cavillatores opponunt. Dicunt itaque hoc quod nos sentimus de puerpera, vel puero nostro nullo modo posse esse ejus rei signum pro qua dictum est : *pete tibi signum a Domino Deo tuo.* Refert sane Isaias quod Rasin rex Syriæ, et Phacee filius Romeliæ parabant civitatem Jerusalem debellare, et rege Acham dejecto, alium ei substituere. Præ timore autem hujus periculi commotum est cor populi quomodo moventur ligna silvarum a facie venti. Ad tollendum itaque hunc timorem missus est Isaias a Domino in occursum Acham ut diceret : Vide ut sileas, et cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum, eo quod absque dubio liberandus esset a facie duorum regum illorum. In argumentum igitur futuræ liberationis proponitur signum juxta arbitrium postulantis : *Pete tibi*, ait, *signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Nolente eo signum petere, nihilominus signum promittitur, cum dicitur : *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo concipiet, et pariet filium*, etc. Si hoc, inquiunt, de Christo vestro recte intelligitur, quod pro signo promittitur, ostendite quomodo ejus conceptio, vel nativitas quæ tanto post tempore futura erat, potuerit esse signum ejus rei quæ in proximo futura erat. Debet enim signum rem ipsam præcedere, res autem ipsa signo succedere. Si autem alterius rei signum dicitur, nihilominus quæstio non tollitur. Ad hoc enim signum propositum et dandum erat ut instantem metum tolleret. Quomodo autem potuit instantem metum tollere rei exitus post tot tempora futuræ? Denique quomodo vel qualiscunque rei signum eis esse poterat res, quam nunquam viderant, nunquam visuri erant? Ecce qualia objiciunt ad refellendam veritatem assertionis nostræ. Videamus et quæ sint illa quibus dealbare nituntur opinionem assertionis suæ.

CAPUT III.

Quomodo Judæi putant totum quod dicitur de Emmanuele intelligi debere de filio prophetissæ.

Tollatur, inquiunt, de medio quod ponitis ex vestro, et videbitis cuncta quæ dicuntur convenire prophetissæ filio. Becula in Hebræo idem sonat quod apud nos virgo. Sed in Hebræo hoc loco non legitur becula, sed alma, quod interpretatur *juvencula*, vel *abscondita*. Attendite ergo quia illa quæ prædicuntur, de filio juvenculæ replicantur, et impleta videntur in filio prophetissæ. Prædicitur juvencula quod sit conceptura et paritura filium, de prophetissa in sequentibus legitur quia concepit et peperit filium masculum. De puero juvenculæ prædicitur quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum. De puero prophetissæ promissio non dissimilis verbis aliis replicatur, cum dicitur quia antequam sciat puer vocare patrem suum aut matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Ecce, ut aiunt, tota capituli continentia nobis consonat. Vos per abrupta, nos per planam incedimus viam. Nam tota litteræ circumstantia reclamante, universiculo adhæretis. Cum autem ab eis quæritur quomodo futuræ liberationis signum esse possit quod junioris ætatis femina, vel abscondita et secreta concipiat, et pariat, cum hoc frequentissime fieri videamus, respondent dicentes : In hoc signum erat quod ea quæ nunquam conceperat in prima ad eam viri accessione conceptura erat, et masculum paritura, quæ ab ipso populo vel matre Emmanuel nominaretur. Ad hoc etiam adhibiti sunt duo testes fideles, ut ex eorum testimonio palam innotesceret quod ex prima ad eam viri accessione concepisset, sicut postmodum, cum tempus pariendi adveniret, certissime colligere possent.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quam impudens omnino hoc loco videatur Judæorum assertio.

Sed dico, nunquid, quæso, et si viderunt quod propheta cum prophetissa coiret, nunquid, inquam, et æque videre potuerunt utrumnam illa concepisset? Nunquidnam natura nunquam patitur partum legitimam pariendi horam præterire, vel prævenire, intantum ut peritus quilibet legitimam concipiendi non dicam diem, sed horam, sed etiam momentum ex hora pariendi possit colligere? Sed forte dicturi sunt quod diligentia testium tanta erat circa idipsum, ut non posset eos iteratio concubitus latere, et quod idem concubitus, cujus testes erant, primus esset viri accessus ad eam ex signis virginitatis ejus poterant deprehendere, hoc est quod innuunt qui eam in prima ad eam viri accessione concepisse dicunt. Miror professionis impudentiam. Ecce inquantum pro eis agit, designatam puerperam virginem esse volunt, inquantum autem pro nobis agit, virginem esse nolunt. Sed videant Judæi, videant judaizantes nostri, utrum eorum sententia sit vera. Constat namque satis quod sit multa turpitudine plena. Fœdum valde, et nimis deforme concumbenti assistere, et signa virginitatis curiosis oculis quærere. Ecce, ut volunt, sub aspectibus honestarum personarum tantus propheta et prophetissa coeunt, quod lenones et publice prostitutæ vix vel nullo modo facere possunt. O quanto honestius, o quanto rectius testes adhibiti dicerentur non ad id quod subjungitur, sed ad id quod præmittitur! Præmittitur autem: *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis, velociter spolia detrahe, cito prædare* (*Isa.*, VIII). Sed cur, quæso, libro grandi quod brevissima membranula potest comprehendi, nisi forte quod sæpe brevis materia solet latius explanari, et unum atque idem multifarie, multisque modis replicari? An forte facit grandem librum quamvis sit brevis, sermo interpretabilis ad dicendum, secundum illud de quo mihi grandis sermo et interpretabilis ad dicendum, et sane quod profundum est per mysterium merito dicitur tam magnum quam profundum. Erit tamen planius atque apertius, si dicimus, quod idcirco in grandi quod fieri solet libro scribi præcipitur, ut memoriter teneatur, et ad posterorum notitiam transmittatur. Nam grandes libri non tam facile amittuntur, vel de loco ad locum transferuntur. Sed quod prius in libro scribitur, postmodum prophetissæ puero pro nomine imponitur, et tam scripturæ quam nominis ratio adjungitur, cum dicitur: *Voca nomen ejus, accelera, spolia detrahe, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem suum et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum* (*ibid.*) Ecce propheta ventura prædixit, scripto commendavit, testes adhibuit, ut postquam cœpissent esse completa, hinc scripto, hinc testimonio comprobarentur esse prædicta; et sic ex his quæ in proximo ventura prædixerat et probari poterant, probarentur et illa vera esse quæ in longinquum ventura prædixerat et probari non poterant. Nonne itaque, ut dictum est, rectius videtur dicere quod ad hujusmodi testimonium dicti testes adducti essent, quam ut turpitudinis testes existerent?

CAPUT V.

Quomodo propriæ objectionis argumentis refellitur sententia Judaicæ assertionis.

Nunc itaque ut cum Judæis vel Judaizantibus congrediamur ex æquo, sicut illi volunt nos nihil addere ex nostro, sic et eodem æquitatis jure exigimus ab illis ad verba prophetiæ nihil addere ex suo. Dicit ergo propheta: Ecce virgo concipiet, vel interim, ut ipsi volunt: Ecce juvencula concipiet et pariet filium. Non dicit: Ecce prophetissa concipiet; non dicit: Ecce illa, aut illa concipiet; non dicit denique juvenculam suam illam concepturam ad primam viri accessionem ad eam. Simpliciter dicit: Ecce concipiet, et pariet filium, et additur: Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, butyrum et mel, etc. Nunquid eatenus soli filii vetularum, non autem juvencularum comedere butyrum et mel consueverunt? Nam nostris temporibus indifferenter hoc faciunt. Nam illud reliquum quis non videat quam sit facile cuilibet juvenculæ filio nomen pro arbitrio imponere? Filium a juvencula concipi, de juvencula nasci, nomen juxta libitum accipere, butyrum et mel comedere, quid horum magnum, quid mirum, quid horum novum vel insolitum? Quid horum quod debeat accipi pro signo, ut quasi merito dicatur de ipso: Propter hoc Dominus dabit ipse vobis signum? Dominus, inquit, ipse, quasi tale sit, ac tantum quod digne daturus sit non per hominem, non per angelum, sed Dominus per semetipsum. Sed sane sapienti satis patet quod nihil in his omnibus sit præter quotidianæ consuetudinis usum, vel quod debeat jure dici, non dicam magnæ, sed nec mediocris alicujus rei signum, nisi forte dicere velint puerum hunc, præter usum et contra jura naturæ, scientiam boni et mali, intempestive et ante discretionis tempora, ex comestione butyri et mellis percepisse, propter illud quod legitur, butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. Comedet, inquit, ut sciat. Sed si vere constat quod discretionis tempora puer ille anticipavit ex tali comestione, fateor et ipse hoc ipsum non contemnendæ rei signum exstitisse. Sed videamus quod sequitur. Nam ibi consequenter adjungitur, quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum. Vide ergo et animadverte, quia prius liberanda erat a facie duorum regum illorum, quam puer accepisset scientiam discernendi bonum et malum. Liberatio itaque ejusmodi scientiam præcessit. Non ergo intempestiva illa scientia præteritæ liberationis signum esse potuit. Nam signum, ut volunt, debet rem ipsam præcedere. Res autem significata, signo suc-

Digitized by Google

cedere. Hac itaque ratione sicut illius liberationis signum esse non potuit quod dicimus de Emmanuele nostro, sic nec illius signum esse potuit quod illi asserunt de Emmanuele suo. Nam dicta illa pueri scientia quæ sola inventa est pro signo esse potuisse ex lectione prophetica probatur liberationi succedere. Libenter, ni fallor, fratres, accipitis ut caput Goliæ proprio trucidetur mucrone, et præsumptio assertionis Judaicæ propria refellatur argumentatione. Sed dicunt item quod signum illud ad hoc dandum erat, ut instantem tunc temporis timorem tollere potuisset. Sed non potuit res quæ post tot annos futura erat timorem tollere qui tunc instabat. Ad hoc ipse respondeo, quia instantis periculi metum sicut tollere non potuit res post multos annos futura, sic nec eum auferre potuit res post aliquos menses ventura. Si dato signo, ut dicunt, Deus metum illum tollere voluit, nunquid manus ejus adeo invalida fuit ut eodem die, vel hebdomada, vel eodem saltem mense signum dare non posset quod ad tollendum timorem omnibus satisfaceret? Quid illis contulit, vel conferre potuit sub tanta trepidatione diu præstolari signum, quod, cum accideret, esset serum, vel penitus nullum? Sexto certe Ezechiæ anno, ut ex Regnorum libro habemus, Samaria capta fuit. Quid ergo dicturi sunt? Nunquid quod eorum puer sex annis mutus permansit, quia antequam sciret vocare patrem aut matrem Samaria capienda fuit? An forte illud magis quod non probant, quia quinto Ezechiæ anno prophetia de prophetissæ puero facta, vel eodem sexto ejus anno, et facta, et impleta fuit? Videant ergo Judæi quomodo idem signum sit quod Acham promittitur, nec exhibitur, et quod sub Ezechia proponitur atque completur? Ad ultimum autem dicunt, quia res quam nunquam viderant, nunquam visuri erant, nullius omnino rei signum eis potuit esse, et idcirco nec illum sub quo tunc laborabant potuit timorem auferre. Ad hoc iterum respondeo quia dicta prophetia, sive intelligatur de illo suo puero, sive de nostro, sive de quolibet alio, non poterat omnino illum timorem tollere, ob quem tollendum contendunt signum datum fuisse, nisi forte dicturi sunt juvenculam suam sub tanta festinatione concepisse et peperisse, ut novitas ipsa miraculi, et præcipitatio inopinatæ rei facile posset dejectos animos ad fiduciam erigere, et in spei certitudine solidare. Sed consulte quidem hoc Judæi dicere nolunt quod Scripturæ auctoritate probare non possunt, sicut nec illud utique audent affirmare, designatum puerum ex butyri et mellis comestione discretionis scientiam anticipasse, nec accepisse quidem, quamvis Scriptura videatur hoc ipsum velle : *Butyrum*, inquit, *et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum* (*Isa.*, VII). Sed ut in hoc loco consecutivum, non causale interpretantur, et ipsum ut, prout dicunt, hic proponitur, ac si dicatur : Butyrum et mel comedet, et sciet reprobare malum et eligere bonum. Et hoc, quæso, quid magni erit, quod scientiam reprobandi malum et eligendi bonum habebit? Nunquid est totum hoc quod dicere volunt quod Emmanuel eorum insani capitis non erit? Ecce iterum dico, juvenculam concipere et parere, juvenculæ filium butyrum et mel comedere, et insani capitis non esse; quid horum magnum, quid horum mirum, quid horum quod debeat credi magnæ alicujus rei signum? Nihil sane. Alioquin in eo quod dico me quasi prophetam habere, ecce prædico, ecce futurum promitto, quia juvencula concipiet, et pariet filium qui butyrum et mel comedet, et qui sciat reprobare malum et eligere bonum. Credite ergo in hoc signo; credite, inquam, quod dico, quia vestra de vestro Emmanuele sententia est falsa, quia nostra de nostro Emmanuele est vera. Nam, si signo quod promitto parati estis credere, ut omnis tergiversatio pareat, procurabimus et hoc ipsum ne promisso puero Emmanuelis nomen possit deesse.

CAPUT VI.

Quomodo ex beati Hieronymi responsione sufficienter refellitur quod nobis opponunt de virgine.

Quid autem ad illud respondebitur quod nobis opponunt de virgine? Nam alma, ut dicunt, quod in hoc loco apud eos legitur, non videtur virginem sonare. Sed debuit in hoc eis certe beati Hieronymi responsio satisfecisse. Nam alma quidem non simpliciter virginem sonat, sed cum determinatione, sed cum expressione, talem denique virginem ut dedit intelligere, talem, inquam, quæ sit juvencula, vel quæ fuerit abscondita, et tanta parentum diligentia custodita, ut dubium non sit quod virgo sit et intacta. Certe, qui Aaron pontificem dicit, non simpliciter sacerdotem dicit, et tamen sacerdotem dicit; nam dicit sacerdotem summum, et sacerdotem sacerdotum. Sed et hoc loco debemus intelligere alma, hoc nomen non simpliciter, nec nisi per expressionem virginem significare. Denique B. Hieronymus : « Quantum, inquit, cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror alma in muliere nupta legisse. Libenter, fratres, accipiamus ut nomine alma, non simpliciter virginem, sed virginem absconditam intelligamus. Ecce, fratres, quid Judæus opponendo effecit, ecce quomodo sua oppositione intelligere dedit Spiritum sanctum (videlicet) designasse virginem, non qualemcunque, sed absconsam, et a virorum aspectibus penitus sequestratam, quæ suorum cura tam diligenter sit custodita, ut indubitabile constet quod veraciter virgo sit intacta. » Talem profecto virginem designare voluit Evangelicus sermo, cum dixit : *Joseph, cum esset vir justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam* (*Matth.*, I). Si dixisset cum esset vir pius, possemus credere ex quadam pietate descendere quod eam quam adulteram putabat, nolebat traducere. Sed ait, cum esset justus. Non itaque tam ex pietate quam ex æquitate descendit quod ei parcere voluit. Profecto justus non esset si contra æquitatis judicium, legisque præceptum illi

Digitized by Google

parceret quam adulteram credidisset. Vide ergo quid de ejus integritate senserit, quantum de ejus sanctitate præsumpserit, qui nec tunc eam credidit adulteram cum veraciter sciret, et non de suo semine imprægnatam. O quam merito Spiritus sanctus almam dixit, de qua tam certa quam sancta opinio futura fuit! Sed, si putant Judæi Hieronymum nostrum errasse, qui se dicit alma in muliere nupta nusquam legisse, deberent testimonio Scripturæ prolato errorem illius convincere. Sed etsi hoc possent, nec sic quidem sententiam nostram refellerent. Nam, teste eodem Hieronymo, lingua Punica, quæ de Hebræorum fontibus ducitur, proprie virgo alma appellatur. Ecce vel hoc saltem Judæos oportet concedere, hoc nomen alma secundum diversas linguas æquivocum esse. Quid ergo dicturi sunt Judæi, si dicimus Spiritum sanctum posito æquivoco sacramentum consilii sui sub verbi ambiguitate velle celari, ut esset unde Judæus posset excæcari, secundum illud : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava?* (*Isa.*, VI.) Quid autem dicturi sunt contentiosi Christiani, si dicimus altitudinem arcani divini sub verborum ambage abscondi, ut esset unde contingeret diabolum infatuari, propter illud : *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent?* (*I Cor.* II.) Sed vel hoc solum coget Judæos ambiguitatem vocali sub hac quam acceptamus acceptione recipere, quia aliter signum quod propheta ponit omnino nullum erit.

CAPUT VII.

Quomodo Christiani confutandi sunt qui in Isaiæ verbis de sententiæ nostræ veritate diffidunt.

Hucusque contra Judæos. Dicamus et aliquid vel breviter contra contentiosos Christianos. Nunquidnam dicturi sunt prophetam Domini spiritum Dei non habuisse, nec in Spiritu sancto locutum fuisse? Sed absit ut hoc dicant vel credant! Quid autem dicturi sunt de Domini evangelista? Idem profecto quod de Domini propheta, uterque absque dubio eumdem veritatis spiritum habuit, uterque in uno spiritu locutus fuit. Si ergo unus spiritus utrobique fuit, contraria sibi ipsi sentire non potuit. Si igitur aliam quam beatam Mariam intelligere voluit, cum per prophetam dicit : *Ecce virgo concipiet et pariet filium;* quid est quod postea per evangelistam eamdem exponit prophetiam, cum dicit : *Hoc totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per prophetam : Ecce virgo concipiet et pariet filium*, etc.? (*Matth.*, I). Sicut ergo superius diximus, qui non potest intelligere proponentem, audiat vel exponentem. Qui non habet oculos ad videndum, habeat vel aures ad audiendum. Nunquid et vos sic cæci estis, ut et surdi sitis? Quod non potestis intelligere, nunquid non potestis vel credere? Si autem creditis, cur fidem vestram vanis cavillationibus impugnatis? Quid juvat perfidiæ argumenta contra fidem adducere, et pro fide vestra nullum fidei testimonium dare? Quid prodest quæstionem movere quam nolitis, aut non possitis solvere? Nonne hoc est cisternam aperire, et sine operculo relinquere? Quid est ambiguitatis opacum perplexionisque profundum argumentando ostendere, quam puteum effodere, vel cisternam aperire? Ad quæstionem antepropositam nullam solutionem reddere, sed quasi insolubilem relinquere, quid aliud est quam cisternam apertam et sine operculo relinquere? Sed si ceciderit bos aut asinus in eam, secundum legis præceptum, dominus cisternæ reddet pretium jumentorum (*Exod.* XXI). Sed quid est bovem aut asinum in hujusmodi cisternam cadere, nisi simplices quosque dubitationis laqueos incidere, et perfidiæ periculum incurrere? Si autem in scientia nostra perit anima pro qua mortuus est Christus, quale, quæso, pretium pro illius multatione daturi sumus? Quæ ergo explanare non possumus, aut nolumus, nonne melius est tacendo præterire, quam veritatem absolvere, et perfidiæ laqueos spargere?

CAPUT VIII.

Quomodo ad ea quæ dicuntur de nostro Emmanuele circumstantia litteræ videtur non reclamare sed acclamare.

Restat nunc studio pie quærentium occurrere, et eorum desiderio inquantum possumus satisfacere. Primo itaque monstrandum est quomodo non tam nostræ quam cavillatorum nostrorum sententiæ videatur circumstantia litteræ non reclamare, sed acclamare, postea autem quibus circumstantiis signum ipsum commendetur diligenter attendere. Ad ultimum vero signum ipsum discutere, et hoc puto posse sufficere. Illud autem in primis fatendum est, nec omnino negari potest, quod sacratiora quæque fidei nostræ sacramenta in dictis prophetarum erant obscure prolata. *Tenebrosa* enim *aqua in nubibus aeris* (*Psal.* XVII). Erant enim quædam quæ scire oportebat, et similiter quædam quæ pro tempore nesciri ratio exigebat. Propter illud quod et superius jam significavimus, ne opus redemptionis nostræ impediretur a malignis spiritibus vel hominibus. Nam, uti jam dictum est, *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Quæ igitur in Christi sacramentis ad tempus oportebat latere, partim obnubilantur figurarum velamine, partim ambiguitate et obscuritate ipsius litteræ. Et illorum quidem quæ litteræ circumjacentis perplexione obnubilantur, quædam hujusmodi sunt ut nunquam nisi Spiritu sancto interpretante Christum sonare intelligerentur quale est illud : *Ex Egypto vocavi filium meum.* Quædam autem ejusmodi sunt, ut superficie tenus inspecta videantur aliud quam Christum sonare, diligentius autem discussa et plenius intellecta inveniuntur nullo modo posse alienum sensum recipere. Talis sane est iste Scripturæ locus quem modo inter manus habemus. Nam ubi dictum est : Ecce virgo concipiet, quædam præmittuntur, quædam subjunguntur in quibus sententiæ veritas obnubilatur, non tollitur. Ad obnubilandum veritatem juxta arbitrium regis signum proponitur. Illo autem petere nolente, nihilominus signum pro-

Digitized by Google

mittitur, et negligentius inspicienti de eodem dictum videtur. Plenius autem intelligenti perspicuum apparebit illud quod dicitur de Emmanuele ejus rei signum non esse. Sed nec esse debere, ejus, inquam, rei pro qua dictum est : *Pete tibi signum a Domino Deo tuo* (*Isa.* VII). Quod ejus rei signum esse non possit superius monstrata ratio perdocuit. Quod autem ejusdem rei signum esse non debeat, ratio manifesta probat. Nam quod rex signum petere noluit, non ex pietate, sed impietate descendit. Intellexit enim rex astutus et idololatra quomodo idololatriam condemnaret, quantum idolólatras omnes confunderet, ad quantam Domini gloriam assurgeret si, signum a Domino petens, accepisset. Ex magna itaque malitia signum petere noluit, sed non minori astutia impietatis suæ negotium fictæ religionis simulatione palliavit : *Non petam*, inquit, *et non tentabo Dominum.* Indignum ergo de cætero fuit talem regem tollendi timoris gratia signum accipere, qui maluit sub instantis periculi trepidatione diutius laborare, quam illud fieri unde posset Domini gloriam accrescere. Obnubilatio item quædam veritatis videtur, quod puero promisso, puer postmodum natus introducitur, ita ut de eodem intelligi posse putetur. Sed semper juxta hoc quod ob veritatis obnubilationem ponitur, aliquid adjungitur unde veritas convincatur. Inveniuntur itaque quædam similia, quædam dissimilia, quædam omnino contraria. Ecce de Emmanuele dicitur quia antequam puer sciat reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra a facie duorum regum suorum. Simile est quod de prophetissæ filio legitur quia, antequam puer sciat vocare patrem suum aut matrem suam, auferentur fortitudo Damasci et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. De illo dicitur quod vocabitur nomen ejus Emmanuel. Diversum est autem quod de illo præcipitur, voca nomen ejus, accelera, spolia detrahe, cito prædare. Non dicit, voca nomen ejus Emmanuel. Si et hoc eum nomen habuisse contendunt, prolato Scripturæ testimonio probent quod dicunt. Ibi legimus quod virgo concipiet et pariet. Omnino contrarium est quod hic invenimus, quia ex viri accessione ad eam legitur puerpera concepisse. Non dicam virgo, sed juvencula, vel abscondita. Quomodo esse potuit quæ juvenculos filios jam habuit, illum videlicet qui Isaiæ relictus fuit, et illum qui secundum Judæos ad hostes fugiens patrem dereliquit, nisi forte ex Scripturis probare potuerint ex alia eos uxore genuisse, et illa mortua istam duxisse, vel illa adhuc vivente cum ista adulterasse? Ecce cum quanta mentiendi impudentia verum esse volunt omne quod procaciter fingunt. Ecce quomodo tota circumstantia litteræ non nobis, ut ipsi volunt, sed illis inventa est reclamare.

CAPUT IX.

De his quæ ad signi commendationem pertinere videntur, a quo, quare, vel qualibus detur.

Sed antequam signum ipsum discutiatur, consideremus prius quibus circumstantiis commendetur. Videamus ergo quibus, vel quare datum sit, quis signi dator, vel quale signum quod dedit. Certe domui David signum promittitur cum dicitur : *Audite ergo domus David* (*Isa.* VII). Nonne David erat qui hanc a Domino promissionem acceperat : *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI). Quanta, quæso, gloria domus David erat, quod de David progenie Messias mediator Dei et hominum nasciturus erat? Imo ad singularem gloriam, vel ignominiam eorum hoc ipsum proficiebat, gloriam quidem eorum qui grati futuri erant, ignominiam eorum qui ingrati futuri erant. Datum est ergo domui David signum, non quidem quod tunc intelligeret, sed quod illud quod magni cujusdam sacramenti signum futurum erat, quiddam singularis prærogativæ illis conferret. Quibus datum sit audivimus, nunc et quare datum sit audiamus : *Nunquid parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo?* Propter quod Dominus dabit, ipse vobis signum. Propter quid? Quia molesti erant. In quo molesti erant? In eo quod illi qui de domo David idololatræ erant, ejus gloriæ invidebant, et idcirco signum petere sicut ad illius gloriam fieri nolebant. Dabitur itaque signum ad id maxime ad quod maxime fieri nolebant. Dabitur autem ad maximam gloriam divinam, dabitur illis ad magnam confusionem suam. Dabitur procul dubio ad destructionem idololatriæ, ad confusionem omnis idololatræ. Confundentur autem alii ad pœnam, alii in pœnitentiam. Propter hoc quia ei molesti estis, quia ejus gloriam detrectatis, dabit Dominus ipse vobis signum; signum, inquam, in quo sit quædam admiratio divinæ potentiæ, commendatio sapientiæ, exhibitio et comprobatio misericordiæ, accumulatio et consummatio gloriæ. Et vere gloria Domini magis cumulatur ex hoc signo, quam in eo quod creavit cœlum et terram ex nihilo. Ecce quibus datur, ecce propter quid datur. Nunc consideremus et a quo datur: *Dabit*, inquit, *Dominus ipse.* Non ei potuit sufficere ut diceret Dominus, nisi adderet Dominus ipse. Quid est Dominus ipse, nisi Dominus per semetipsum? Dabit ergo Dominus non per hominem, non per angelum, sed per semetipsum. Dabit, inquam, Dominus ipse, cui dictum est a Domino : Sede a dextris meis : *Dixit*, inquit, *Dominus Domino meo, sede a dextris meis* (*Psal.*, CIX). Dabit ergo Dominus ipse, non per subjectam creaturam, sed per propriam præsentiam. Dominus ipse in propria substantia, in propria persona. Dabit Dominus ipse vobis. Cur, quæso, in commune dicit vobis, cum non prosit nisi solis bonis? Sed merito dicitur vobis in commune cum signum quod datur quantum in ipso est omnibus sit utile, omnibus pariter possit prodesse. Ecce jam habemus, quis, quare dederit, et quibus. Sed signum quod tantum effertur, quod tot circumstantiis commendatur, ex cujus commendatione, vel comparatione primum illud despicitur, debet dignioris liberationis præsagium esse, quam ejus cujus probatur, nec esse posse, nec esse debere. Nunquid

Digitized by Google

forte erit signum liberationis de manibus regis Babylonis ? Sed audi quid in sequentibus dicitur : *Adducet Dominus super te, et super populum tuum, et super domum patris tui dies qui non venerunt a diebus separationis Ephraim Juda cum rege Assyriorum.* Dicit itaque eos non liberandos, sed opprimendos in manibus regis Babyloniæ, ne forte putetur ejus rei signum fore, quin potius in ultionem illatæ molestiæ, in vindictam divinæ injuriæ videtur propheta ejusmodi minas intonasse. Radet Dominus in novacula conducta in his qui trans flumen sunt in rege Assyriorum caput, et pilos pedum, et barbam universam. Cujus ergo rei signum dicetur id quod de Emmanuele nostro legitur ?

CAPUT X.

Quomodo ex signi qualitate perpenditur quod tollendæ primæ prævaricationis causa datum videatur.

Sed cum cœperimus signi ipsius qualitatem discutere, dabitur fortassis ipsum quod quærimus ex qualitatis ipsius modo posse perpendere. Libet ergo signum ipsum inspicere, et ejusmodi considerationi diligentius insistere : *Ecce*, inquit, *virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel; butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum* (*Isa.* VII). Ecce totum hoc quod de Emmanuele nostro dicitur ad originalem culpam quasi ex obliquo respicere et velut ex opposito respondere videtur, ibi per serpentem de ligno scientiæ boni et mali dicitur : *Quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri et eritis sicut dii scientes bonum et malum* (*Gen.* III). Hic e regione simile aliquid ponitur, nisi quod hic veraciter, quod ibi fallaciter repromittitur. Sane comestio hic ad meritum, illic fuit ad reatum, quod illic prævaricationis, hic fuit virtutis. Iste noster Emmanuel scientiam boni ac mali comedendo obtinuit, ille promissam sibi scientiam comedendo obtinere non potuit. Ibi legitur quod homo ejectus sit de paradiso, quasi de Domini contubernio atque consortio, hic de hoc nostro puero dicitur quod Emmanuel sit dictus, quod interpretatur *nobiscum Deus.*

Ubi notandum quod non dicitur de Deo, quod nos simus secum. Sed e converso de nobis dicitur quod ipse sit nobiscum, ut intelligamus non quasi hominem reversum ad Deum, sed Deum quasi evestigio hominem secutum usque in exsilium, sicut scriptum est : *Visitavit nos oriens ex alto* (*Luc.* I). Quod igitur homo perdidit, in primo homine, scilicet cum Deo esse, hoc videtur in novo homine recuperasse, ibi ad mulierem dicitur : *In dolore paries filios* (*Gen.* III), hic de hac nostra puerpera dicitur : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium.* Sed quare illa peperit non sine dolore, nisi quia non concepit sine libidine? Libido sane causa doloris, et dolor effectus libidinis. Ex effectu igitur causa innuitur in eo quod dicitur in dolore paries filios. Econtrario autem simul et e converso hic ex sublatione causæ perpenditur effectus ipsius sublatio. Quæ enim concepit cum virginitate concepit sine libidine, consequenter intelligitur peperisse sine dolore. Ibi nec conceptus sine culpa nec partus sine pœna, hic quia conceptio sine concupiscentia, et parturitio sine pressura. Quod igitur humana natura perdidit in puerpera prima (scilicet concipere et parere sine corruptione) hoc in hac puerpera nostra, velut quasdam reparationis suæ primitias videtur recepisse. Videtis quomodo homo contra hominem, mulier contra mulierem ponitur ; et modo ex opposito, modo ordine contrario, et simili quadam dissimilitudine sibi invicem respondere videntur. Illic femina de viro solo, hic vir de femina sola. Ibi ex fortiori sexu fragiliori fortior fructificatur, qui utrumque repararet. Videsne tanta similitudinis dissimilitudo, dissimilitudinisque similitudo quomodo nos admonet quoddam novitatis principium in istis sicut quoddam vetustatis principium exstitisse in illis ? In primo homine quædam vetustatis inchoatio in posteritatis suæ condemnationem. In secundo homine quædam novitatis inchoatio in generis sui restaurationem. Ille itaque Adam primus caput est et origo omnium percuntium, iste velut quidam alter Adam caput est et principium omnium in ipso resurgentium. Ipsum enim caput habemus, ipsius omnes nos membra sumus quotquot in ipso resurgimus. Ecce qualitas ipsius signi ostendit quod tollendæ primæ prævaricationis causa datum fuerit. Ecce quod de Emmanuele dicitur datum est ad remedium : sed quomodo in signum? An forte quod factum est in capite, signum est ejus quod futurum est in corpore? An forte quod in capite præcessit in corpore ipsius aliud agit, aliud præsagit, atque aliud est quod interim actitat atque aliud quod in futurum præsignat? Operatur interim quæ sunt ad justificationem, præsignat in posterum quæ sunt ad glorificationem.

CAPUT XI.

Quomodo ex prima prævaricatione triplex damnum, et secundum damnum triplex, triplex promissum, et item secundum triplicem promissionem triplex signum.

Sed quia hæc, ut dictum est, quæ dicuntur de nostro Emmanuele primæ hominis prævaricationi quasi ex opposito videntur respondere, videamus quæ sint illa quæ ex eadem originali culpa perdiderit, et tunc forte videbimus in cujusmodi spei firmamentum, argumentumque certissimum hoc quod loquimur signum promissum, vel præstitum fuerit. Perdidit sane ex culpa suæ prævaricationis gloriam incorruptionis, prærogativam dignitatis, abundantiam plenitudinis : gloriam incorruptionis qua immortalis factus est, prærogativam dignitatis qua ad Dei similitudinem factus est, abundantiam plenitudinis qua in loco voluptatis positus est. Denudationem immortalitatis audi ubi de ligno vetito legis : *Quacunque die comederis ex eo, morte morieris* (*Gen.* II), honoris degradatio dignitatisque detractio fuit, ubi de illa sublimitate similitudinis Dei recidit in similitudinem jumenti : *Homo*, inquit, *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis*

Digitized by Google

insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). Evacuatus est autem abundantia plenitudinis, quando ejectus de loco voluptatis incurrit in illam sententiam maledictionis : *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III). Ecce triplex damnum in exspoliatione incorruptibilitatis, dignitatis, beatitudinis. Sed misericors et miserator Dominus secundum divitias bonitatis ejus noluit tenere in ira sua misericordias suas, sed tam pius inventus est ad subveniendum, quam pronus inventus est diabolus ad perdendum, quia apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Copiosa autem redemptio non esset, nisi reparator noster dejectum hominem ad plenum restauraret. Secundum itaque triplex damnum, ex miseratoris sui munere accipit triplex promissum : Promissum recuperandæ immortalitatis, promissum recuperandæ dignitatis, promissum recuperandæ beatitudinis : *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent* (*Isa.* XXVI). Ecce repromissio sperandæ immortalitatis : *Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus* (*Isai.* LVI). Ecce repromissio reparandæ dignitatis : *Oculus non vidit absque te, Deus, quæ præparasti diligentibus te* (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II). Ecce repromissio restaurandæ felicitatis. Ecce, ut dictum est, triplex promissum, secundum triplex damnum; et ecce nunc item secundum triplex promissum, accipe et animadverte in his triplex signum : *Ecce virgo concipiet et pariet filium*, ecce primum. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, ecce secundum. *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*, ecce tertium. Habes igitur unum signum in matre, duo in prole. Signum incorruptionis in matre; signum recuperandæ dignitatis et plenitudinis in prole.

CAPUT XII.

De signo recuperandæ incorruptibilitatis.

Audi de matre : *Ecce virgo concipiet, et pariet filium* (*Isa.* VII). Quantum hoc esse putas? Quam magnum, quam mirum, quam insolitum, quam stupendum quale vel quam magnæ rei signum? A sæculo non est auditum virginem concepisse, virginem parere, et post partum inviolatam permanere. Accipit ergo natura humana in B. Virgine Maria quasdam quasi arrhas vel primitias futuræ incorruptibilitatis suæ, integritatem incorruptionis virgineæ. Quare, quæso, in hac vita sine corruptione non vivitur, nisi quia natura humana sine corruptione non seminatur? Radix enim nostræ corruptibilitatis germinare incipit ab ipsa hora conceptionis. Sed ecce in beata Maria ibi præcipitur unde germinasse videbatur. Et scimus quidem quoniam cum radix præciditur, tota ex ea fructificatio postmodum exsiccatur : *Ecce*, inquit, *virgo concipiet, et pariet filium*. In eo sane quod dicitur virgo conceptura, et virgo paritura, aperte monstratur quod utraque futura erat munda, et caro generans, et caro generata. Potuit ergo solus hujus puerperæ filius pro hac parte cantare canticum novum Domino. Sine iniquitatibus conceptus sum, et sine peccatis concepit me mater mea. Manifestum est itaque quod ad destructionem peccati venit, qui in ipso mundi ingressu maculam peccati de materna carne non contraxit, sed delevit. Si tantum sola ejus conceptio valuit ut concupiscentiæ fomitem, totiusque corruptionis radicem deleret, quid, quæso, in expiationem corporis sui valere potuit nativitas, humilitas, circumcisio, conversatio, patientia, obedientia, passio, crucifixio? Si tantum valuit quod gestum est una hora vel unius potius horæ portiuncula, quid valere potuerunt tot annorum tempora in mysterium nostræ redemptionis impensa? Qui potuit sub conceptionis suæ tempora ex infusione gratiæ suæ materna viscera purgare, cur non credatur eos qui ejusdem gratiæ participes esse voluerunt quando et quomodo voluerit posse mundare? Cur non credatur in quolibet nostrum naturam illam mundare posse, quam in B. Virgine potuit non solum purgare, sed et honorare, sed et glorificare? In eo enim eam glorificavit quod ei aliquid supra naturam dedit. Fecit siquidem in ea aliquid quod fuit contra naturam, aliquid quod fuit secundum naturam, aliquid quod fuit supra naturam. Contra naturam infirmitatis nostræ fuit, quod virgo concepit. Secundum naturam fuit, quod in vulva conceptus et formatus, et tandem secundum legitima nascendi tempora natus fuit. Supra naturam non solum hujus infirmitatis nostræ, sed etiam supra naturam conditionis primæ fuit, quod sine virili semine virgo concepit. Puritatis fuit, quam sine concupiscientia seminare potuit. Honoris, quod prolem ab omni peccati contagio mundam effudit. Gloriæ, quod non de viro, sed de Spiritu sancto concepit. Certe, si Emmanuel noster de utroque sexu nasci voluisset, et hoc ratio exigeret, utrumque ad mundam prolem seminandam mundare potuisset. Sed, si de utroque carnem assumeret, utique et a proprietatis suæ similitudine longius recederet, et ad nostram minus appropinquaret. Proprietati enim suæ esset dissimile, si patrem et matrem haberet in humanitate, qui solummodo patrem habebat in divinitate. In hoc item et nobis dissimilior esset si duos (quod nos non possumus) partes haberet. Sed et ratio sane exigebat, ut sicut unum principium erat in generis nostri propagatione, sic esset et unum principium in generis nostri reparatione. Oportuit ergo reparatorem generis nostri, aut de solo viro, aut de sola femina nasci. Sed, si de viro sexum femineum assumeret, ordinem naturæ confunderet, qui femineum sexum supra virilem extolleret : et idem ipse diceretur filius ex divinitate, et filia ex humanitate. Sed, si virilis esset sexus quem assumeret, et virilis de quo assumeret, haberet sane vir geminum pro hac parte honoris solatium; femina nullum. Et certe, si de viro formari voluisset, ma-

Digitized by Google

teriam quidem de carnis nostræ substantia traheret; sed in ejus incarnatione naturæ operatio nihil haberet; et in hoc a naturæ nostræ proprietate longius discederet. O quantum honoris vel dignitatis mulieribus, vel ex mulieribus natis in eo contulit quod Creator omnium, et Salvator hominum nascentium more ex muliere nasci voluit! Ex muliere itaque debuit nasci, quem oportuit in quantum ratio sustinuit per omnia fratribus assimilari. Sed quod muliebrem de muliebri sexu assumere non debuit, ratio superius monstrata ostendit. Nam et ordinem, ut dictum est, naturæ confunderet et geminato in hoc mulierum solatio virilis sexus singularis privilegii nil simile haberet.

Notandum autem quod Deus præscius futurorum ordinavit hinc inde geminum sexum secundum congruentiam duorum statuum sibi succedentium. Ibi de sexu fortiori fragilior producitur, quando de Adam et Eva formatur. Sic et status statum subsequitur, et meliore sublato deterior subintroducitur. Prior fuit ante peccatum, quando potuit homo viriliter stare et fortiter agere. Secundus post peccatum, quando oportuit eum muliebriter vivere, et carnali illecebræ multiformiter subservire. Hic autem e converso de infirmiori sexu fortior gignitur, quando de altera quasi Eva quæ vere est mater omnium vere viventium secundus Adam generatur. Sic hic post unum statum alius exsurgit, et deteriori melior succedit. Et prior quidem ante resurrectionem, in quo oportet sæpe cadere, sæpe resurgere, et muliebriter titubare. Secundus autem post resurrectionem, quando poterit homo in perfectionis suæ integritate immobiliter permanere. Et sicut de inferiori sexu in virgine creditur, quia fuit quando peccare potuit, et fuit quando peccare non timuit; sic et in priori statu quilibet electus ante mortem lapsum timet, post mortem omnino peccati lapsum non timet. Et sicut fortior sexus in Christo omnino peccare non potuit, sic in secundo statu homo in æternum peccare non timebit.

Et notandum in matre, ejusque prole; quia in matre caro mundata, in prole non mundata, sed unda; in illa purgata, in ista para: sic in primo statu natura nostra purgatur, in secundo penitus pura invenitur. In priori sanctificatur, in posteriori glorificatur. Prior itaque est purificationis et sanctificationis; secundus puritatis et glorificationis. Habemus itaque in matre signum purificationis et sanctificationis nostræ, habemus in prole signum futuræ puritatis et glorificationis nostræ. Signum tamen utriusque status in sola virgine matre notare possumus. Signum purificationis nostræ quando aliquid adhuc habuit quod emundari oportuit, signum puritatis nostræ, quando post Spiritus sancti obumbrationem, peccati fomite exstincto in sua puritate permansit.

CAPUT XIII.

De signo recuperandæ dignitatis.

Ecce jam unum signum habemus in matre; habemus et aliud in eo quod dicitur de ejus prole: *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai.* VII). Certe secundum quod ab evangelista dicitur, hæc prophetia in Christo impletur. Ergo Emmanuel vocatur. Sed, quæro, nuncupative an substantive? Sed quis nuncupative eum Emmanuel dicit, quin potius Jesum secundum quod angelus docuit? Non igitur nuncupative, sed substantive hoc dicitur. Emmanuel autem interpretatur *nobiscum Deus*. Si ergo substantialiter, si veraciter hoc dictum est; ergo veraciter et substantialiter hoc est. Ergo puer hic noster substantialiter Deus est, et substantialiter nobiscum est. Si autem substantialiter nobiscum est, consequenter et Deus, et homo est. Sed quid hoc loco Judæi dicturi sunt, vel quid dicere poterunt? Nunquid probare poterunt ex testimonio alicujus scripturæ puerum suum vel Emmanuel dictum nuncupative, vel ex professione alicujus sectæ dictum Emmanuel substantive? Aut quæ erit ratio nominis, ut pro illo puero dicatur esse Deus cum eis? Quomodo ergo cum eis? Præsentia majestatis suæ, an participatione gratiæ? Sed quid magnum est esse cum hominibus, quomodo est cum dæmonibus? Essentialiter namque ubique est, et ejus præsentiam nihil effugere potest. An forte cum sanctis Patribus secundum participationem gratiæ eatenus non fuit, sed sub præsentia illius eorum pueri esse cœpit? Quis hoc, nisi insanus, dicat, vel dicere præsumat? Sed certe, nisi fallor, nec hoc dicere audebunt, quod abundantiorem præ cæteris qui ante eum fuerunt gratiam, vel acceperit per semetipsum, vel alii propter ipsum. Quid ergo dicetur? Qua ratione ex præsentia hujus pueri Deus veraciter et substantialiter nobiscum, ut dictum est, esse credetur, nisi quomodo omnes Christiani fatentur ex conjunctione suæ naturæ et nostræ in unitatem unius ejusdemque personæ? Recte ergo Emmanuel; recte nobiscum Deus dicitur, qui in unitate nostræ naturæ verus Deus comprobatur. Audi et evangelistam quomodo concurrit in eamdem sententiam. *Idcoque quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I). Ecce quomodo Deus. Sed quomodo nobiscum Deus, nisi quomodo alius evangelista exponit, cum dicit, quia *Verbum factum est et habitavit in nobis?* (*Joan.* I.) Si Verbum caro factum est, si vere Dei Filius incarnatus est, advertis, ut arbitror, quomodo quam vere Deus nobiscum est, nisi forte putes Dei Verbum, Dei Filium aliud esse quam Deum. Sed audi docentem: *In principio*, inquit, *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*ibid.*). Ecce item magnum, ecce mirabile signum, et quod vere esse possit magnæ et admirandæ rei signum. Magnum sane signum, et mirabile sacramentum, Filium Dei fieri Filium hominis, Dominum majestatis participem fieri nostræ infirmitatis. Quis ergo diffidat, imo quis merito non præsumat hominem per Deum participem posse et debere fieri Divinitatis, si Deus propter homines factus est particeps nostræ humanitatis? Alioquin gratis Christus semetipsum

Digitized by Google

exinanivit formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo. Nunc igitur si Deus propter homines factus est Filius hominis per nativitatem, cur non multo magis homo per Deum fiat Filius Dei per adoptionem? Ecce quomodo dignatio illa divinæ humiliationis data sit in signum futuræ nostræ exaltationis. Sed illud quoque non negligenter prætereundum, quod Emmanuel noster factus est nobiscum Deus, non solum nostræ susceptione naturæ, verum etiam cohabitatione peregrinationis nostræ. Sed cur, quæso, Deus hominem prosecutus est usque in exsilium, nisi ut eum post se revocaret ad regnum? Habemus ergo certissimum repatriandi signum, familiare illud in hac nostra peregrinatione divinæ cohabitationis contubernium. Certe quoquot Christi tempora præcesserunt, post mortem ad inferni claustra descenderunt. Ecce exsilium post exsilium, captivitas post captivitatem : *Quis est*, inquit, *homo qui vivet, et non videbit mortem : eruet animam suam de manu inferi?* (*Isa.* LXXXVIII.) Ad tollendum itaque timorem tantæ captivitatis, ad removendum metum futuræ damnationis datus est nobis noster Emmanuel in signum, exhibens nobis, ut dictum est, familiare contubernium. Nam, ecce post passionem et resurrectionem Christi, nemo creditur descendere ad inferos ex his qui sunt ad vitam prædestinati. Ecce ad qualem liberationem sperandam; ecce ad qualem timorem tollendum datum est illud quod loquimur signum. O quanto satius! o quanto salubrius datum est signum in redemptionem captivitatis diabolicæ, quam in liberationem de manu regis Syriæ et filii Romeliæ! Hoc est sacramentum quod dæmones latere oportebat; hoc est mysterium quod perfidos Judæos scire non expediebat.

A

B

C

CAPUT XIV.

De signo recuperandæ felicitatis.

Ecce jam habemus signum post signum. Restat autem adhuc et tertium : *Butyrum*, inquit, *et mel comedet* (*Isa.* VII). Si intelligis quæ legis, si recolis quæ audis, citius animadvertis quam magnum, quam profundum mysterium, et quam admirandæ rei signum, cum puerum qui vere nobiscum Deus est; eum qui vere Dei unigenitus est, comedere, et bibere, et humanis necessitatibus seipsum sponte subjicere. Ille, cujus gloriam vidimus, gloriam quasi unigeniti a Patre, ille dicitur butyrum et mel comedere. Ecce tremenda illa potestas potestatibus angelicis comedendo et bibendo communicavit hominibus et jumentis. Si Dominus itaque angelorum propter homines factus est particeps jumentorum, cur e diverso homo per ipsum non multo magis fiat particeps angelorum? *Butyrum*, inquit, *et mel comedet*. Cur non potius panem et carnem dicit? Nam et hoc veraciter dicere potuit. Aliquid fortassis in eo innuere voluit, qui ista specialiter expressit. Quid sunt autem mel atque butyrum, nisi deliciæ muscarum? et certe hoc immundarum, illud venenosarum. Nam apes aculeum portant, et venenum habent. Et vide quomodo pro melle laborant, vel pugnant, ita ut sæpe etiam animas in vulnere ponant. Butyrum autem, ut nostis, pinguedo est lactis, et scimus certe quomodo muscæ ex nimia ingluvie lacti se ingerunt et immergunt, modo et vitam deponunt. Emmanuel itaque noster butyrum et mel comedit, et propter nos usque ad muscarum participationem descendit. Siccine Deo parum fuit propter homines participare cum jumentis, nisi propter eos etiam participaret cum muscis? Audiant Judæi, audiant hoc Christiani, audiant universi. Ecce una in Trinitate personarum propter homines facta est particeps muscarum. Quis ergo desperet de cætero hominem posse fieri participem æternarum deliciarum, si Dominus majestatis, ut dictum est, propter homines descendit usque ad delicias muscarum? Ecce quantum semetipsum propter nos exinanivit, qui se tali indigentiæ sponte subjecit. Sed hæc, ut dictum est, exinanitio nostri Redemptoris data est in signum, et certissimum argumentum futuræ nostræ plenitudinis. Ecce juxta triplex promissum habes et triplex signum. Unum in matre, duo in prole. Hinc integritatem virginis, illinc humiliationem et exinanitionem divinæ prolis. Vides et illud jam, ut æstimo, quomodo hoc triplex signum respondet e regione triplici promisso. Promissum est Judæo : *O mors, ero mors tua; morsus tuus, inferne* (*Ose.* XIII). Promissum est Christiano : *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XV). In signum autem hujus repromissionis, et velut quamdam arrham muneris accipit uterque integritatem virgineæ incorruptionis. Promissum est Judæo : *In loco ubi dictum est : Non populus meus vos; dicetur eis : Filii Dei viventis* (*Osee.* I). Promissum est Christiano : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). In signum autem hujus repromissionis accipit uterque humiliationem sui Redemptoris, susceptionem scilicet nostræ infirmitatis. Dictum est Judæo : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV). Dictum est Christiano : *Ego dispono vos sicut disposuit mihi Pater, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno Patris mei* (*Luc.* XXII). Signum vero hujus muneris accipit uterque in exinanitione summæ majestatis. Ecce quomodo triplex illa promissio confirmatur in hoc triplici signo : Ut sit signum incorruptio incorruptionis, humiliatio exaltationis, exinanitio futuræ plenitudinis.

D

CAPUT XV.

Ad quam humilem scientiam Deus propter hominem descendit, qui et bonorum et malorum nostrorum experientiam suscepit.

Ad hoc autem quod dictum est, butyrum et mel comedet, statim adjungitur : *Ut sciat reprobare malum, et eligere bonum* (*Isa.* VII). Nunquid ergo credendum est quod comedendo ullam ejusmodi scientiam obtinuerit? Utique non ego, sed propheta hoc dicit. Non est nostrum propheticum sensum pervertere, sed investigare; et si datur explanare, et quæ penetrare non possumus, saltem venerari debemus.

Digitized by Google

Sed dicit mihi contentiosus Christianus : Si Christus Dei Verbum Dei sapientia fuit, scientiam aliquam quomodo ex tempore obtinere potuit quam prius non habuit? Interrogat hoc Christianus, interrogo et ego Christianum quomodo Christus ex his quæ passus est didicit obedientiam (*Hebr.* v). Nam et Apostolus hoc dicit, quis contradicat? Dicat autem mihi, quomodo ex his quæ passus est Christus obedientiam didicit, et ego dicam ei quomodo secundum aliquem modum aliquam scientiam obtinuit, quam secundum eumdem modum eatenus non habuit. Dicit mihi Judæus, dicitis quia Emmanuel vester Deus fuit. Cum ergo scriptum sit : *Quia omnis sapientia a Domino Deo est, et cum ipso fuit semper* (*Eccli.* i), quomodo ex tempore aliquam scientiam accepit? Sed dicat Judæus quomodo lignum vetitum, lignum scientiæ boni et mali dictum sit, et tunc forte simul inveniemus quod quærit. Certe lignum vitæ ex eo nomen habuit, quod ex insita sibi natura ex eo comedentium vitam servare posse accepit. Sed de ligno scientiæ nihil simile credere oportet. Alioquin ex ejus esu hominis scientia cresceret, non decresceret. Non ergo ejus rei effectum, sed occasionem præstitit. Nam bona quidem ante esum vetitum per intelligentiam simul et experientiam noverat, mala autem per experientiam omnino nesciebat. Ad hanc autem malorum scientiam quæ per experientiam est, ex ligni comestione pervenit. Similiter erant quædam egena et infima bona ad quorum usum peccando descendit, quorum experientiam prius felicius ignoravit. Sic et Christus postquam semetipsum exinanivit et formam servi accipiens factus est obediens Deo Patri, per experientiam didicit, quod prius per experientiam nescivit juxta hunc modum didicit ex usu comestionis quid esset inter malum famis et bonum refectionis. Butyrum et mel comedendo eodem modo cœpit edoceri quale sit ad similitudinem Dei creatum muscis assimilari. Experiendo didicit quam indigna soleat nobilis illa creatura Dei pati, et eo ipso quomodo oporteat illi compati, vel illius misereri. Debuit enim, ut ait Apostolus per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret (*Hebr.* ii). Comedendo ergo secundum aliquem modum scire potuit quod secundum eumdem modum prius ignoravit. Certe post resurrectionem suam legitur Emmanuel noster mel comedisse, obtulerunt enim ei partem piscis assi, et favum mellis. Quod ante passionem et resurrectionem comedit, fuit ad refectionem, quod post resurrectionem comedit, fuit ad solam dispensationem. Quod igitur ante resurrectionem comedit, potuit valere ad reprobationem mali : nam malum non solum cognoscitur ex qualitate sui, sed plenius atque perfectius cognoscitur ex comparatione et collatione boni. Comestio igitur quæ fuit ad refectionem potuit esse ad reprobationem mali, seu etiam ad approbationem boni. Sed non ibi dictum est, ut sciat reprobare malum et approbare bonum, sed eligere bonum. Eligere autem est proprie de bonis optima secernere. Illa ergo comestio post resurrectionem ad electionem boni fuit, in qua quod optimum fuit probavit. Ibi experiendo probavit quid sit inter illum statum quo infirmitas comedere compellit ad carnis refectionem, et inter illum quo charitas comedere consentit ad solam dispensationem. Sed quia malum, ut dictum est, plenius cognoscitur ex comparatione boni, et bonum eadem ratione ex comparatione optimi : illa sane resuscitati comestio non solum valuit ad mali reprobationem, verum et ad boni approbationem, et ad ejusdem electionem. Ad plenitudinem itaque ejus scientiæ, quæ per experientiam est, Christus pervenit, quando post gloriam resurrectionis cum discipulis comedit. Certe, ut superius dictum est, in hanc experientiam malorum, vel egenorum bonorum Adam primus comedendo noscitur cecidisse; ecce ad eamdem Adam secundus comedendo agnoscitur descendisse.

CAPUT XVI.

Quod per humilem illam quam suscepit supereminentis scientiæ plenitudinem naturæ nostræ acquisivit.

Ecce ad qualem, ecce ad quam humilem scientiam Deus propter homines descendit, qui et malorum et bonorum nostrorum experientiam suscepit, sed in eo ipso naturæ nostræ acquisivit, non solum illam quam primus homo perdidit, verum etiam illam quam quidem non vetitum edendo, sed abstinendo acquirere potuit. Certe, ante prævaricationis reatum per experientiam, novit homo quid esset interesse gaudiis paradisi. Sed necdum per experientiam noverat quid esset interesse gaudiis cœli. Novit quid sit esse in loco voluptatis, nescivit quid sit fore in gloria æternitatis. Nonne priorem illam recuperavit homo, quando audivit homo ab Homine Deo : *Hodie mecum eris in paradiso?* (*Luc.* xxiii.) Nonne et istam sublimem accipere meruit homo per Hominem Deum, quando Homo Deus elevatis manibus ferebatur in cœlum, ascendensque in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus? (*Psal.* lxvii.) Illam accepit homo post Christi resurrectionem, istam accepit homo post Christi ascensionem. Emmanuel itaque noster, ut dictum est, per primam illam humilem acquisivit naturæ nostræ novissimam istam sublimem. Sed si comedendo obtinuit illam, nunquid non et istam? Utique quia istam obtinuit illa mediante, de qua igitur intelligitur, quod ibi dicitur : *Quacunque die comederitis ex eo, eritis sicut dii scientes bonum ac malum* (*Gen.* ii) ; de eadem intelligamus, quod in hoc loco legimus : *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum* (*Isa.* vii). Nunquidnam Scriptura non videtur hoc tacite innuere quæ dicit hic ex comestione provenisse quod ibi fallaciter promittitur ex comestione posse provenire? Hanc autem sublimem et supereminentem Christus in sua ascensione obtinuit, quando in gloriam suam in æternum intravit. Attende quid dicitur, quomodo ibi legitur : *Et convescens*, inquit,

Digitized by Google

præcepit illis ab Hierosolymis ne discederent, et paucis interjectis additur : *Videntibus illis, elevatus est* (*Act.* I). Ecce quia comedit et ascendit. Adam comedendo ab illa sublimitate quam habere poterat, ad abjectam istam et humilem scientiam recidit ; Emmanuel noster comedendo et ascendendo, humilem istam deposuit, et sublimem illam apprehendit. Dicitis quia oportuit Christum pati, et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam. Quid si dicimus oportere Christum comedere, et ascendere, et ita apprehendere illam quam locuti sumus sublimem scientiam? Dicitis quia tanti meriti fuit passio Christi, ut ex virtute patientiæ meruerit in omnem plenitudinem gloriæ introire, vel alios introducere. Quid si nos dicimus quoniam tanti ponderis apud Deum fuit, quod Emmanuel noster butyrum et mel comedit, quod muscis etiam communicavit, ut ex humilitatis ejus merito in omnem plenitudinem scientiæ jure jam debeat, vel ipse intrare, vel alios introducere? Sed quod dictum est nostrum puerum comedendo didicisse reprobare malum et eligere bonum, non sic accipere oportet quasi scientiam illam, quæ per experientiam est, ex sola comestione obtinuisset. Nam et Apostolus dicit quia Christus in his quæ passus est obedientiam didicerit (*Hebr.* v). Sed nunquid ex his tantum quæ passus est, et non etiam ex his quæ per semetipsum operatus est? Imo certe ex his et ex illis; quia in utrisque exsecutus est non voluntatem suam, sed voluntatem Patris. Sic sane non solum comedendo et bibendo, verum etiam esuriendo et sitiendo, sine alio quolibet experiendi modo didicit quæ prius per experientiam nescivit, et comedendo quidem non solum ex esu butyri et mellis, imo et ex esu cujusque comestionis. Potuit ergo et de aliis cibis hoc dici, quod dictum est de cibo butyri et mellis. Sed Scriptura divina quædam ex industria tacuit, quæ tamen veraciter dicere potuit : quædam vero ex multis quæ dici poterant, dicenda elegit quæ certi mysterii gratia singulariter exprimenda cognovit. Cur igitur dicit huic homini ex comestione provenisse quod primo homini fallaciter promissum est ex comestione posse provenire, nisi ut intelligamus hic fuisse ad meritum, seu etiam ad remedium, quod absque dubio ibi fuit ad reatum? Vides certe quomodo seductor noster fraudulentiæ suæ lucra quæ per mulierem acquisivit, iterum per semen mulieris amisit. Utinam tandem aliquando Judæi evigilent! Utinam tandem aliquando sapiant, et intelligant hanc esse mulierem, hanc ejus esse prolem de quibus a Domino dictum est ad serpentem : *Inimicitias ponam inter te et mulierem, inter semen tuum et semen illius!* (*Gen.* III.) Cur non intelligunt hoc mulieris semen prædictas inimicitias exercuisse, et victoriam obtinuisse, cum audiant hunc ex comestione ad illud profecisse, unde constat ad serpentis suasionem primum hominem defecisse? Ecce quomodo impugnatoris nostri sententia per istum omnino in contrarium est versa. Quidquid ille homini fraudulenter abstulit, iste multiplicius reparavit. Facile igitur perpendi potest ex qualitate signi, quod per ipsum liberandi sumus ex captivitate et oppressione diaboli.

CAPUT XVII.

Quod in passione nostri Emmanuelis multi captivati sunt ex spiritibus malignis.

Sed quomodo illud intelligitur quod statim ad ista subjungitur : *Quia antequam puer sciat reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum?* (*Isa.* VII.) Quod dicit antequam sciat reprobare malum et eligere bonum, idem valet ac si diceret : Antequam resurgat et ascendat in cœlum, quoniam, sicut jam dictum est, antequam a mortuis resurrexerit plenitudinem illius scientiæ quæ per experientiam est non accepit, sicut nec illam quam per istam naturæ nostræ acquisivit. Cur ergo dicit ante resurrectionem, vel ascensionem Emmanuelis nostri a facie duorum regum terram eorum liberari oportere, cum constet non solum ante resurrectionem, sed etiam sexcentis, vel eo amplius annis ante ejus nativitatem liberatam fuisse? Sed quod constat præcessisse nativitatem, consequenter constat præcessisse resurrectionem. Si juxta hunc modum quod propheta dicit dicimus esse verum, nihilominus tamen Judæus contendet illud quod dicitur esse frivolum. Sed in verbis tanti prophetæ, sicut nec falsum, ita nec frivolum creditur aliquid fuisse. Sed quid si ad hæc dicimus Spiritum sanctum sub quadam quasi fatuitate litteræ profunditate tanti mysterii ex industria adumbrasse? Sic sane etsi frivolum videatur secundum quod sic dicitur frivolum, tamen non erit in eo propter quod sic dicitur. Verumtamen si tales reges hoc loco accipere velimus quales in Daniele legimus, erit sane in verbis prophetæ quod nec Judæus possit refellere, nec Christianus audeat negare : *Et nunc*, inquit, *revertar ut prælier adversus principem Persarum. Cum ergo egrederer apparuit princeps Græcorum veniens* (*Dan.* X). Quis autem non videat spiritus malignos hoc loco in his principibus debere intelligi? Possumus itaque, imo, ut arbitror, omnino debemus ejusmodi reges in hoc loco accipere, nisi forte hoc movet quod hic reges ibi nominantur principes. Sed advertendum quod idem ipse qui dictus est princeps Persarum, in superioribus nominatus est rex Persarum : *Ecce*, inquit, *Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum* (*ibid.*) Similiter et ille qui in Evangelio dictus et princeps mundi (*Joan.* XII), et in alio Scripturæ loco dictus est rex super omnes filios superbiæ (*Job* XLI). Hujusmodi ergo reges illis præsidebant, qui sive in Syria, sive in Samaria idololatriæ serviebant. Nec hoc quidem dico, tales videlicet reges hoc loco per regem Syriæ, et Filium Romeliæ mystice designatos, sed ipsos in his verbis proprie et historice expressos : *Derelinquetur*, inquit,

Digitized by Google

terra a facie duorum regum suorum (*Isa.* VII). Nihil sane hic dicitur quod te in alium sensum compellere videatur. Non dicitur a facie duorum regum istorum, sed a facie duorum regum suorum, ne te relatio cogat ad superiora respicere et prædictos reges intelligere. Non dicit de his regibus, in terra sua interficientur, non dicit captivabuntur, non dicit in his omnibus aliquid fieri in manu regis Assyriorum, sicut in sequentibus legis, quia auferetur fortitudo Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Nihil horum nec tale aliquid dicit quod de regibus spiritalis nequitiæ in cœlestibus intelligi non possit. Sed ita sane deprehenditur Scriptura de quibusdam regibus loqui, ut quod dicitur et spiritalibus et carnalibus regibus possit aptari, ut in uno eodemque sit et unde infidelitas infatuetur, et fidelitas illuminetur. Nam ipsa quidem litteræ ambiguitas veritatem obvolvit. E diverso autem sacramenti profunditas, prophetiæ auctoritas, sententiæ gravitas fidei tramite ad veritatem conducit, et intrare compellit. Quis enim non videat pro mysterii dignitate eorum quæ dicta sunt, illa quæ adduntur magnum aliquid continere, et ad illa quæ promissa sunt debere respondere? Videamus ergo quid de ejusmodi quos diximus regibus Scriptura denuntiet, et videbimus quam convenienter quod dicitur superioribus respondeat. Dicit ergo : *Quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra a facie duorum regum suorum* (*ibid.*). Certe in libro Judicum loquente Jephte ad Seon regem Amorrhæorum, possessio dæmonis terra illa dicitur, in qua velut deus colebatur : *Nonne*, inquit, *ea quæ possidet Chamos deus tuus, tibi jure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem* (*Jud.* XI). Quare ergo spiritus erroris illius terræ reges non dicantur, qui in ea per infidelitatis et pravitatis magisterium usque ad tempora Christi principabantur? Hujusmodi enim regnum malorum, malignorumque spirituum, alii dicuntur spiritus erroris, alii spiritus fornicationis. Hujusmodi regum multi in passione Christi sunt captivati, et de sua tandem tyrannide dejecti. Illi videlicet qui in spiritibus malignis præ cæteris erant majoris astutiæ et vehementioris audaciæ. Illi denique per quos salus eorum impediri poterat, de quibus primitiva Ecclesia congreganda, et fidei seges propaganda erat, ut designata illa divinæ propagationis messio in divina horrea congregaretur, de qua in Evangelio legitur : *Respicite regiones quoniam jam albæ sunt ad messem* (*Joan.* IV).

CAPUT XVIII.

Quid in signum generalis damnationis in Christi passione inchoata est quædam captivitas dæmonum, sicut in Christi ascensione glorificatio resurgentium.

Tale aliquid habemus in Evangelio, ubi dictum est a Domino : Jam *princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). Ecce unde ejectus, sed quo, quæso, projectus? Sed quo melius projectus creditur quam quo per Joannem in Apocalypsi designatur? *Et apprehendit*, inquit, *draconem serpentem antiquum qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit eum in abyssum, et clausit, et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, et post hæc oportet illum solvi modico tempore* (*Apoc.* XX). Quod hic dicit abyssum, hoc postea vocat stagnum, *et diabolus*, inquit, *missus est in stagnum ignis et sulphuris* (*ibid.*). De hoc autem abysso rogant dæmones Dominum in Evangelio, ne præciperet eos in abyssum ire (*Luc.* VIII). Ecce quomodo in capite iniquorum omnium captivitas dæmonum inchoata est quando in Christi passione princeps mundi de mundo ejectus, et in abyssum missus est. Et sicut Christus creditur non solus surrexisse a mortuis, quoniam sicut scriptum est multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt, et apparuerunt multis; sicut Christus, inquam, creditur non solus resurrexisse, sic nec creditur in cœlum solus ascendisse. Ascendens namque in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Sicut ergo Christus caput omnium bonorum non solus resurrexit, vel solus ascendit, sic caput omnium iniquorum diabolus non solus creditur de mundo ejectus, et in abyssum projectus. De numero autem eorum qui in Christi passione cum mundi principe captivantur recte hi creduntur de quibus modo dicitur : *Derelinquetur terra a facie duorum regum suorum* (*Isa.* VII). Quomodo terra in qua diu principabantur ab eis derelinquetur, nisi quia ab ea ejicientur, et in abyssum mittentur? Hoc autem quia in Christi passione factum est inter nativitatem et ejus assensionem impletum est, quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra? Antequam puer, inquit, per experientiam sciat non solum mala reprobare, vel bona approbare, verum etiam bona eligere et inferioribus bonis sepositis optima apprehendere, antequam ad cœlos ascendat, et per experientiam addiscat quid sit, vel quantum terrenis oblectamentis præemineat corporali etiam præsentia gaudiis cœlestibus præsidere, et choris angelicis interesse, ante istam utique electionem bonorum derelinquetur terra quam rex Achab detestabatur a facie duorum regum suorum. Nam hoc, ut dictum est, factum est in passione, illud in ascensione, et nota quod dicitur, quia : Quia, inquit, antequam puer sciat. Ac si dicat : Dixi quia dabit Dominus vobis signum, et quod vere sit signum futuræ vestræ liberationis. Sed antequam ex toto compleatur, fiet quod in diabolo et angelis ejus erit, signum æternæ captivitatis. Nam, sicut in ascensione Christi vel coascendentium inchoata est liberatio et exaltatio captivorum, sic sane in ejectione et projectione diaboli atque concadentium inchoata est captivitas captivantium. Et sicut gloria quæ præcessit in bonorum omnium capite vel membrorum ipsius parte signum est generalis glorificationis, sic dejectio quæ præ-

Digitized by Google

cessit in reproborum capite, membrorumque ipsius A parte, signum est generalis damnationis.

Et notandum sane quod sicut in generali resurrectione prius futura est reprobatio malorum et postea glorificatio justorum secundum illud : *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* (*Isa.* XXVI), sic circa primitivæ resurrectionis tempora prius captivatæ sunt, quasi quædam primitiæ dæmonum, postea autem glorificatæ sunt primitiæ electorum.

CAPUT XIX.

Quod ex incarnatione nostri Emmanuelis factus est Deus quasi unus ex nobis.

Ecce, fratres, quid contulit, ecce quid profuit puerperium virginis, incarnatio nostri Emmanuelis. Iste est puer qui solus matris suæ integritatem B non abstulit, sed sacravit. In isto puero factus est nobiscum Deus, per hunc puerum genus humanum recepit quod in primo omnium parente amisit. Ab hoc puero dejectus est qui prius dejecit, ab hoc erectus qui prius dejectus fuit. In hoc puero recuperavit homo honorem suum, ipse est qui abstulit opprobrium nostrum. Sed quale, inquit, opprobrium : *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Factus est autem homo ad imaginem et similitudinem Dei, grandis honor. Sed homo non intellexit, ideoque despexit. Despecta vero atque rejecta similitudine Dei, transfiguravit se ad similitudinem jumenti. Ecce quale dedecus, juxta magnitudinem honoris magnitudo dedecoris, C inde opprobrium, inde improperium; et juste jam quidem opprobria exprobrantium ceciderunt super eum. Merito ergo clamat : Aufer a me opprobrium et contemptum. Penset homo pietatem Dei, si possit. Contemptus a nobis, contemptum nostrum sustinere non potuit. Despectus ab homine, despicientis opprobrium portare non sustinuit. Rejecit homo ad quam formatus est similitudinem divinam, Deus evestigio conformavit se ad illam qua homo transformaverat se similitudinem humanam. O qualis reformatio honoris! O qualis detersio exprobrationis, transformatum similitudini jumenti, habere jam Deum similem sui! Ecce ad extergendum opprobrium nostrum, Deus Dei Filius factus est nobis Emmanuel, comedens mel atque butyrum, ut juxta simi- D litudinem hominum sciret reprobare malum et eligere bonum. Cesset ergo jam vetus opprobrium, cesset illud antiquum improperium. Ecce enim audio unam aliquam ex tribus in Trinitate personis personare in voce exprobrationis. Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis. Merito certe exprobrastis, sed nunquid adhuc exprobraturi estis? Certe si dicitis ironice quia homo factus est quasi unus ex nobis, nos de cætero dicemus tam fidenter quam veraciter, quia Deus factus est quasi unus ex nobis. Dictum est illud et merito cum exprobratione, dicamus nos jam istud cum gratiarum actione. Dictum est illud in voce exprobrantis et obloquentis, dicamus modo istud in voce exsultationis et confessionis. Ecce quid contulit nobis proles puerperæ nostræ unigenitus ille Dei genitricis Mariæ. Merito dictum et merito dicendum : Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Felix conceptus, felix et partus nati ex ea nostri Emmanuelis, in quo Deus absque dubio similis factus est nobis.

CAPUT XX.

Quod homo factus est velut Deus, et quod homo verus factus est verus Deus.

Ad hoc autem factus est Deus quasi homo sciens reprobare malum et eligere bonum, ut fieret homo sicut Deus, sciens bonum et malum. Quomodo autem scit Deus bonum, aut quomodo scit malum? Malum quidem plena intelligentia absque omni experientia, bonum vero plena intelligentia et sempiterna experientia. In malo est ei experientia inaccessibilis, in bono experientia imperturbabilis. Futurum est autem ut fiat homo in hunc modum sciens bonum et malum, quando confirmatus in bono et consummatus in gaudio in æternum, sicut peccare non poterit, sic nec mori vel pati timebit. Mors enim non erit ultra, neque luctus, neque clamor; sed nec dolor erit ultra, quoniam prima transierunt, sed lætitia sempiterna erit super capita eorum (*Apoc.* XXI; *Isa.* XXV). Sed quid mirum est si homo factus est velut Deus, quandoquidem homo factus est verus Deus? Certe si homo Christus est Deus, imo quia veraciter est Deus, eamdem divinitatem habet quam habet Pater, et Spiritus sanctus, ergo et eamdem potentiam, ergo et eamdem sapientiam; ergo eodem modo sapit homo Christus quo Pater et Spiritus sanctus. Quod igitur dictum est per ironiam de Adam primo, jam dicere possunt ex sententia Pater et Spiritus sanctus de Adam secundo. Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis sciens bonum et malum. Vox illa exprobrationis jam versa est in materiam laudis. Ecce jam audemus, et dicimus quia homo factus est quasi unus ex nobis propter suam divinitatem, Deus factus est quasi unus ex nobis propter suam humanitatem. Ecce quid nobis contulit, ecce quid nobis profuit fructus virginis, fecunditas virginitatis. Merito dictum, merito dicendum : Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

CAPUT XXI

Quod sit versum in materiam laudis, illud opprobrium exprobantis; ecce Adam factus est quasi unus ex nobis.

Ecce monstratum est per veritatem jam posse dici de Adam secundo, quod per exprobrationem prius dictum est de Adam primo. Quid autem dicemus de eodem homine primo claritati Christi configurato, et in Christo glorificato, secundum quod scriptum est : *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ?* (*Philip.* III.) Adam itaque sic clarificatus, et in divinum simile transfiguratus nonne veraciter erit velut unus ex illis a quibus per improperium audivit : Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis? Si Christus est una ex tribus

Digitized by Google

in Trinitate personis, nonne claritati Christi confi- A guratus erit quasi unus ex ipsis ? Cesset jam ironia, dicatur jam ex sententia. Dictum est hoc exprobrando, dicamus modo hoc gloriando et glorificando Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, ex quo factum est, per quem factum est, in quo factum est totum quod propter nos factum est. Dic, impie Zabulon, quid valet nunc fraus tua ? Plus est quod nobis contulit Christi misericordia, quam quod nobis abstulit illa tua fraudulenta malitia. Ecce homo factus est quasi Deus sciens bonum et malum quod tu fraudulenter promisisti. Ecce homo factus est verus Deus, quod tu quidem nec cogitare potuisti. Dic ergo, dic, impie Zabulon, quid tibi jam valet illa quondam tua cruenta victoria ? Ecce quondam victor, jam nunc victus jaces a Christi B victoria. Mulierem decepisti, et per mulierem dejecisti, et ecce in muliere deceptus, et per mulierem dejectus corruisti. Ecce quales inimicitias exercuit ; quomodo pugnavit, vicit, triumphavit semen mulieris, fructus Virginis matris. Dicamus ei omnes, dicamus singuli : *Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui* (*Luc.* 1). Nemo miretur, nemo indignetur nos quidem tam brevem materiam longa expositione extendere, sermonem protrahere, verba multiplicare, tam jugi diligentia, tam diligenti vigilantia objecta refellere, sentienda astruere, veritatis sententiam hinc inde roborare. Nemo, inquam, indignetur, nemo miretur cum videat prophetam in paucis admodum verbis fidei nostræ fundamenta jecisse. Quoties a sanctis doctoribus, scriptoribus, prædicatoribus, incarnationis mysterium ventilatur, discutitur, commendatur, hæc auctoritas semper in argumentum adducitur ; et certe, si in solido veritatis fidei nostræ structura non fundatur, non potest esse stabile quod superædificatur. Si hoc quod dicimus ad excusationem nostram non sufficit, addam adhuc quod sufficere possit. Materia certe dulcis est, et nobis vacat, et de dulci materia diu loqui delectat.

LIBER SECUNDUS

In quo introducuntur Hugo et Richardus altercantes

PROLOGUS.

Post illum tractatum quem de partu Virginis, vel infantia nostri Emmanuelis contra quorumdam errorem dictaveram, simul et edideram, quemdam C ex magistri Andreæ discipulis offendi, quem adhuc eodem errore implicitum inveni. Exarsit itaque animus meus ad illa quæ ante jam dixeram adhuc aliquid addere, unde possem eorum etiam infirmitati satisfacere, qui sub hoc erroris contagio videbantur pene usque ad desperationem laborasse. Credo autem devotis mentibus admodum placere, parvitatem meam tam excellenti materiæ cum tanta diligentia insistere, et ad tollendum errorem de tam immenso tanti mysterii profundo libenter desudare. Sub forma autem dialogi totam subsequentis operis seriem digessi, eo quod hic modus dicendi, vel docendi præ cæteris sit, vel ad audiendum jucundior, vel ad persuadendum efficacior. Unum itaque ex magistri Andreæ discipulis D mecum altercantem introduxi, ut sub forma ratiocinandi, servata vicissitudine interrogandi et respondendi, melius elucesceret quidquid in dubium venire potuisset. Neminem vero conturbet si unum eumdemque Scripturæ locum videat me aliter et aliter exponere, cum sciat apud Scripturæ sacræ expositores hoc frequens esse et celebre. Nam datam illam superius de duobus regibus sententiam volui primo ponere, eo quod videatur magnorum quorumdam virorum expositioni magis accedere. Ad ultimum autem illam ponere placuit, ad quam animus meus amplius accedit. Lectoris autem judicio relinquitur eligere quod rectius judicaverit.

CAPUT PRIMUM.

Prælibatio materiæ de qua agitur in hoc opere.

Hugo. Inspecto illo quem de Emmanuelis conceptu vel partu scripsistis tractatu, multa admodum placuerunt. Verumtamen, ut vera fatear, mihi ad plenum satisfacere non potuerunt. Nam exquisita illa altercationis nostræ ratiocinatio jam me an ancipitem quidem sententiam traxit, sed in contrariæ partis assertione solidare non potuit. Ricu. Puto, mi Hugo, quia intentionis nostræ studium nonnihil effecit, si jam te de pertinaci ad ancipitem sententiam perduxit. Nam multo tolerabilius est dubitare de veritatis assertione, quam falsa confidenter astruere. Supra modum autem miratus sum pariter et indignatus quod te, quod tuum illud ingenium tam tenuis aranceæ tela potuit irretire, et pene insolubiliter illaqueare. Ista procul dubio illaqueatio tua præcipua causa fuit, quæ me ad confutandum erroris seminarium scribere coegit. Veritus sum sane ne alios involveret error qui te irretire potuit, et ecce quod verebar accidit. Nam alium quemdam ex magistri tui Andreæ discipulis postmodum offendi, quem eodem erroris laqueo, quo etiam te prius irretitum inveni. Huco. Nescio qua fronte telam araneæ dicitis, quam totis machinationis vestræ conatibus disrumpere non sufficitis. Sed ne me æstimet quis contentiosa fine pugnas verborum quærere, paratus sum ea quæ me movent exponere, et in omnibus rationem apertam recipere, rationi acquiescere, et ut animum meum plenius exponam, paratior sum ob reverentiam tanti sacramenti, paratior, inquam, a veritate vinci, quam

Digitized by Google

sophistico vincere, et contentiose agere. Rich. Placet admodum, frater, placet quod te vel sero tanti sacramenti reverentia tangit. Sed jam exspecto a teipso audire quæ sint illa quæ juste debeant vel valeant animum tuum movere. Hugo. Primo quidem quod rationes quibus illum quem vocatis errorem convincere tentatis, videntur infirmæ, nec satis necessariæ. Verum illæ quas ad dandi signi commendationem refertis, satis placent per se consideratæ. Sed si circumstantiam litteræ cogitemus, nil omnino videntur ad rem pertinere. Nam illa quam de electione boni ponitis sententia, videtur mihi violenta, et illa quam de duobus regibus datis satis peregrina. Rich. Nescio quid sit illud quod te in illo tractatu nostro tibi placuisse dicis, qui pene totum quod diximus reprehendis. Sed debes singula eorum quæ te movent explicare plenius, si quæris ut ad singula tibi sufficienter respondeamus. Hugo. Gratum habeo quod proponitis.

CAPUT II.

Quod dicta prophetia non possit veraciter intelligi, nisi de sola beata Virgine Maria.

Hugo. Primo itaque illud adhuc animum pulsat, quod tollendi timoris gratia signum dandum erat, secundum quod Dominus per prophetam proposuerat. Ecce concedimus quod dicitis quia ex magna malitia descendit, quod rex signum petere noluit; unde et de cætero indignum fuit talem regem tollendi timoris gratia signum accipere, quia maluit, ut superius docuistis, sub instantis periculi trepidatione diutius laborare, quam illud fieri unde gloria Domini posset accrescere. Ecce, inquam, concedamus ista vera esse, non tamen consequens est Deum pœnituisse promissionis suæ. Sæpe etenim ubi abundat malitia, superabundat et gratia. Ex superabundanti itaque gratia, etiam contra regis meritum promissum signum dare potuit, qua solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Partus autem virginalis, sicut enim ipsi conceditis, non potuit esse signum illius quæ tunc desiderabatur liberationis. Quod ergo regi Acham tollendi timoris gratia proponitur, et domui David promittitur et exhibetur, ut signum esse possit ejus rei ob quam dandum fuit, recte intelligitur dictum de prophetissa, et nihilominus completum in beata virgine Maria, ne quis nos æstimet judaizare, et erroneos esse. Nam et id quod scriptum est: *Os non comminuetis ex eo* (*Exod.* XII; *Joan.* XIX), dictum utique est de paschali agno: nihilominus juxta evangelistam impletum est in Christo. Rich. Illud quæro audire ex te, utrumnam credas aliam aliquam præter solam beatam virginem Mariam, virginem concepisse, virginem peperisse? Hugo. De alia certe nec credo factum, nec spero futurum. Rich. Non ergo recte intelligitur de prophetissa dictum: *Ecce virgo concipiet et pariet filium.* Hugo. Recte hoc dixeritis, si in Hebræo hoc loco virginem legeretis. Sed utique jam audistis quod hoc loco legitur in Hebræo, non idem sonat quod virgo. Rich. Quantum nobis videtur, quidquid in superiori tractatu vociferavimus, surdis auribus locuti sumus. Vociferabimus ergo certe adhuc majori, si oportuerit, clamore, si vel sic detur surditatem tuam rumpere. Dic illud, obsecro, unde animadvertis illam de qua loquimur prophetiam in beata virgine Maria completam? Hugo. Cum evangelista manifeste hoc dicat, quis nisi infidelis negare præsumat? *Hoc autem totum*, inquit evangelista, *factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit et pariet filium* (*Matth.* I). Rich. Quod per prophetam a Domino dictum, et in beata Virgine completum dixisti, vellem a te iterari voce grandiori. Hugo. O quam justo Dei judicio surditatis notam incurristis, quam nobis quidem injuste satis impingere tentastis! Erigite itaque aures, et audite vociferantem si non potestis sermocinantem. Ecce virgo in utero habebit. Rich. Ego sane id exegi a te cum iteratione et vociferatione, non ad rumpendam surditatem nostram, sed tuam. Nunquidnam vel adhuc intelligentiæ aure percepisti quæ ipse iterato dixisti? Quid jam taces? Cur pro more non illico respondes? Hugo. Utque intumesco adversum meipsum præ ira et indignatione, quod recolo me ista toties legisse et audisse, et quod modo animadverto minime advertisse. Nam, sicut intellexi et credidi prophetiam illam in beata Dei Genitrice impletam, quoniam hoc evangelista denuntiat, sic debueram intellexisse et credidisse puerperam quam loquimur, virginem per prophetam a Domino dictam. Nam et hoc evangelista affirmat. Rich. Cum pro eo quod propheta dicit, concipiet, evangelista ponat in utero habebit, cur, quæso, nemo evangelistam mendacii arguit, et in Hebræo non sic scriptum contendit? Hugo. Quia utrobique est una eademque substantia, quamvis sint verba diversa. Rich. Similiter sane sentiendum est in eo quod alma ponitur in Hebræo, et virgo in Latino. Hujus siquidem verbi expressionem, quod est alma, in una dictione Latinus sermo non habet, nunquam tamen de nupta, nunquam nisi de ea quæ virgo est, dici solet. Vim ergo solam sententiæ cogitavit, et exprimere voluit quomodo potuit, vel oportuit qui dixit: Ecce virgo concipiet, vel ecce virgo in utero habebit. Hugo. Ecce libenter accipio, ut alma non dicatur nisi de ea quæ sit virgo; libenter in hoc defero evangelistæ vel beato Hieronymo, maxime cum hoc satisfaciat pro Judæo. Nam illud quidem quod solum juxta sententiam suam inventum est pro signo esse potuisse, puerperam videlicet suam in prima viri ad eam accessione concepisse; illud, inquam, non habet unde ostendat, nisi prophetam in verbis suis virginem designasse concedat. Rich. Bene facis illud inde maxime concedendo, quia satisfacit pro Judæo. Hugo. Quantum mihi videtur, putatis vos aliquid effecisse; sed nolite gloriari præpropere. Rich. Audi ergo. Superius dixisti illam de qua loquimur prophetiam de prophetissa dictam, et nihilominus in

Digitized by Google

beata Maria completam. Si itaque dicis hoc esse virginem concipere, gravidam fieri in prima ad eam viri accessione, et hoc prophetam sensisse, utique aut dicta prophetia in beata Virgine secundum hoc completa non erit; aut de prima viri accessione ad eam, et non de Spiritu sancto concepit; et in uno horum mendacem facis evangelistam qua utrumque dixit. Si autem fateris quod non nisi falso diffiteri potes; quoniam hoc sit virginem concipere et parere, sine virili scilicet semine concipiendo, in conceptu, et partu virginem perseverare; vel dicta prophetia de prophetissa intelligenda non erit; aut mendacem facis prophetam qui eam de suo semine concepisse describit. Hugo. Procul dubio ista debent sufficere Christiano, sed non satisfaciunt Judæo, qui nec evangelistæ testimonium pro auctoritate recipit, nec beatam Mariam sine virili semine concepisse consentit. Ricn. Bene facis, mi frater, nunc sub Christianorum, nunc sub Judæorum umbraculo subterfugii tui latibula quærendo.

CAPUT III.

Post datam rationem quæ satisfaciat Christiano, datur et alia quæ satisfacere debeat Judæo.

Ricn. Sed audi adhuc quod Judæo quidem etsi non satisfaciat, ad satisfactionem tamen sufficere debeat. Nonne Judæus, quæso, tecum sentit quod conceptus ille, et partus in signum a Domino datum fuerit? Hugo. Sentit utique in hoc mecum, et ego secum: et si audes negare damus propheticum testimonium. Ricn. Qui ergo dicitis hoc esse virginem concipere, in primo videlicet coitu hoc ille contingere, potestis, quæso, probare hoc esse contra legem naturæ, vel præter usum multiplicis experientiæ. Hugo. Minime. Ricn. Qua ergo ratione, quæso, dicetur rei alicujus signum esse debere, si promittat futurum feminam in primo coitu concipere, quam si prædicat sub ortu solis leporem currere, vel canem latrare, cum indifferenter possint hæc omni die, omni hora per diversas regiones contingere? Hugo. Hic do locum Judæo ut respondeat pro semetipso. Ricn. Quæro item a te, pariter et a Judæo utrumnam credatis aliquam concipere a viro quæ possit remanere virgo. Hugo. Minime absque dubio. Ricn. Quomodo ergo dici potest quod aliqua de viro virgo concipit, quæ quamvis in primo coitu concipiat, hoc ipsum quod virgo est ante conceptionem amittit? Hugo. Ut secundum Judæum dicatur, illa virgo concipit quam hora concipiendi virginem invenit. Ricn. Sed, si quam in coeundo invenit virginem hora concipiendi nunquid et æque virginem invenit hora pariendi? Hugo. Absit a nobis hoc dicere, vel ullo modo credere! Ricn. Certe utrumque dictum est de Virgine: Concipiet, et, pariet. Non dictum est: Ecce virgo concipiet, et non virgo pariet, sed ait: Ecce virgo concipiet, et pariet filium. Videte quam caute, videte quam provide Spiritus sanctus prævenit corda malignantia, et obstruxit os loquentium iniqua. Quid hic habes, quæso, quod respondeas pro Judæo? Hugo. Respondeo me Judæum non esse, nec necessarium habere pro ipso respondere: hic iterum do ei locum respondendi per semetipsum. Verum, si vultis ut vestra assertio palmam obtinere possit, probare oportet vel quod signum illud in conceptu et partu Virginis non sit datum gratia tollendi timoris, vel quomodo res, quæ post tot tempora futura erat, tollere possit timorem illum qui tunc instabat. Ricn. Bene facis quærendo quod nescis, quamvis hoc ipsum ex iam dictis et scriptis nosse debueris.

CAPUT IV.

Quomodo auctoritas libri Regum convincit quod partus virginis tollendi timoris gratia datus non sit.

Ricn. Sed, si non vis acquiescere rationi, nunquid saltem acquiesces auctoritati? Hugo. Cur rationes vestras non receperim ex parte jam dixi: paratus iterum audire utrumnam possit quod proponitis, vel auctoritate probari. Ricn. Ecce interim concedatur Deum tale signum dedisse quale judicabat ad tollendum timorem posse sufficere. Nunquid æstimandum est Deum in sua æstimatione aliquando decipi posse? Hugo. Absit! Ricn. Ergo si tollendi timoris gratia signum dedit, timorem tulit. Si non tulit, ad tollendum timorem non dedit. Hugo. Nil hac allegatione verius, nihil omnino manifestius. Ricn. Consulamus itaque super hac re librum Regum, ut intelligamus quid sit inde sentiendum. Refert ergo in hæc verba liber Regum: *Tunc ascendit Rasin rex Syriæ et Phacee filius Romeliæ rex Israel in Hierusalem ad prælian-dum* (*IV Reg.* XVI). Et iterum paucis interjectis: *Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar regem Assyriorum, dicens: Servus tuus et filius tuus ego sum, ascende et salvum me fac de manu regis Syriæ, et de manu regis Israel, qui consurrexerunt adversum me: et cum collegisset argentum et aurum quod inveniri poterat in domo Domini, et in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera* (*ibid.*) Certe si non timeret, tam humiliter auxilium in salutis suæ præsidium non postulasset. Certe si non timeret in ejusmodi munera thesauros suos, thesauros domus Domini non exhauriret. Dic ergo si potes promissum illud signum quando fuerit datum. Si ante dationem, datio ipsa convincit quod timorem non tulerit; si post liberationem, quomodo timorem tollere potuit qui jam non fuit? An forte inter donationem et liberationem? Sed quis dicat eo tempore a Domino datum fuisse, quando et in vanum daret qui daret, et in vanum acciperet qui acciperet? Hugo. Nolo vos in hac allegatione amplius laborare. Video certe tam rationi quam auctoritati repugnare, vel quod de Emmanuele scribitur interpretari de filio Isaiæ vel ipsum in ejusmodi signum, et quasi ad tollendum timorem datum fuisse. Ricn. Ecce jam accepisti quomodo ratiocinatio magistri tui repugnat tam rationi quam auctoritati. Vis autem adhuc audire quomodo repugnat et sibi ipsi! Hugo. Nolite dicere magistri mei, sed Judæorum. Nam ponit eam sane, non quasi suam, sed quasi illorum. Ricn. Et hoc ipsum quæratur ex ipsa, utrumnam sua sit, an

Digitized by Google

aliena. Hugo. Ecce paratus sum audire quidnam sit illud quod velitis dicere. Rich. Veniant itaque magistri tui verba in medium. Proponit itaque in hunc modum.

CAPUT V.

Quomodo cavillatorum controversia sit sibi ipsi contraria.

Rich. Ecce virgo concipiet et pariet filium. Et subjungens de suo ait : Hanc de conceptione et nativitate Salvatoris nostri, et integritate, et virginitate Matris ejus semper virginis apertissimam prophetiam, prout justum est, cum de ipsis exponimus, insurgentes in nos Judæi veritatis inimici, suæ cavillationis ariete firmissimum fidei nostræ murum labefactare conantur. Sed ex aliis ejus verbis plenius intelligi poterit qua simplicitate hoc dixerit. In fine argumentationis suæ ponit rationem quare non sit ei utile Judæis respondere. Ne si forte, ait, anceps certamen imparibus ineuntes viribus succumbamus. Cur anceps certamen dicit, non dicam de aperta, sed de apertissima, ut ipse prædicat, prophetia? Sed forte humilitatis verba sunt ista. Videamus ergo sequentia. Nos, inquam, ait nostris viribus emensis, fortiora fortioribus relinquentes, cœptam litteralis sensus explanationem exsequamur. Ecce jam nobis litteralis sensus explanationem promittit. Modo non Judæorum, sed suam, ut audis, sententiam proponit. Ait ergo : Ecce virgo concipiet et pariet filium. Juvenculæ vel absconditæ partus et conceptus, quando eum videritis, significabit vobis quod a prædicto metu liberamini. Ecce quomodo expunitur apertissima, ut dixerat, prophetia de conceptione et nativitate Salvatoris, et integritate et virginitate Matris, audiamus adhuc apertius. Multis interjectis, longe post dicit in sequentibus, prophetissæ filius butyrum et mel comedet, cum venerit ad scientiam qua possit abominari malum et eligere bonum. Quod legimus de butyri vel mellis comestione, procul dubio scriptum est de Emmanuele : Quid ergo, hic erit ille fidei nostræ murus firmissimus, si Emmanuel dicatur prophetissæ filius? Certe sola inter mulieres beata Maria virgo et mater est. Si dicta itaque prophetia, prout illi placet, apertissime est de integritate et virginitate ejus quæ mater est, apertissime quidem vera est in beata Virgine Maria, apertissime nihilominus falsa in prophetissa. Quare ergo ibi eam exponendo accommodat, ubi apertissime falsa est, et non potius ubi apertissime vera est. Si illi qui eam de Salvatore, et ejus matre exponunt, faciunt, prout justum est, cur ipse eam de prophetissa exponit, prout justum non est. Vides certe quomodo expositio sua sibi ipsi est contraria. Nonne rectius philosophasset, si ista tacuisset? Hugo. Utinam, fateor, non dixisset! Sed prout ipse nostris fatetur multa se non juxta suam, sed juxta Judæorum sententiam exposuisse. Rich. Certe hoc ipsum manifeste determinare debuisset, quando suam, et veram, quando Judæorum, et falsam posuisset. Hugo. Nunc illud quod jam proposuistis exspecto adhuc a vobis audire, quomodo rationes illæ quas sub Judeorum nomine potuit, videntur sibi contrariæ, et mutuis vulneribus jugulare. Rich. Longum est nimis de singulis agere, sed libet ex his quædam excipere, et ex his id quod quæris evidenter ostendere.

CAPUT VI.

Quomodo rationes sub Judæorum nomine positæ videntur sibi contrariæ.

Rich. Multis itaque præmissis, adjungit, et dicit : In diebus infantiæ filii virginis, vel juveniculæ, duo reges a quorum facie Judas trepidabat, alter ab Assyriis interfectus, alter ab Osee filio Elam trucidatus occubuerunt. Ecce signum præcessit, secuta est res. Item alio loco : Apertissime, inquit, loquitur sacra Scriptura Dominum qui mentiri non potest dicere, quod antequam puer quem prophetissa peperit Isaiæ sciat patrem suum et matrem vocare, Damascus et Samaria ab Assyriis destruenda sit. Hic intendite, juxta priorem sententiam ante mortem Phacee Emmanuel natus fuit. Nam, re subsequente, ut dictum est, signum præcessit. Juxta posteriorem sententiam nono anno post mortem Phacee, filius Isaiæ, necdum adhuc scivit patrem et matrem vocare. Nam regi Phacee, rex Osee successit, cujus nono regni anno Samaria ab Assyriis destructa fuit. Alius itaque erit filius Isaiæ qui sub tempore destructionis Samariæ nescivit patrem et matrem vocare, et alius Emmanuel quem juxta priorem sententiam constat tunc temporis novem vel amplius annorum fuisse. Item alio loco in longe sequentibus magister tuus dicit : Hoc etiam partem signi putant, quod in infantia positus, quæ nihil eorum quæ apponuntur rejicere solet immundis tanquam sordibus refutatis, mundos tantum cibos, quæ synecdochice in butyro et melle accipiuntur, in cibum sumpturus sit. Si hæc ergo pars signi fuit, et rem signum præcessit, demus ut vel unum annum habuerit, quando hanc discernendi cibos scientiam in signum futuræ liberationis accepit. Juxta hoc utique decimo ætatis ejus anno, Samaria eversa fuit. Si ergo eumdem dicunt Emmanuel quem filium Isaiæ, quomodo unus idemque erit tam sciolus, ut in primo ætatis suæ anno sciat munda ab immundis secernere, tam stultus, ut in decimo ætatis suæ anno nesciat patrem et matrem vocare? Audi et illud. Certe regi Achaz Ezechias in regnum successit, cujus sexto regni anno Samaria destructa fuit. Unde ergo monstrabunt quod eum puerum viderit, qui sexto post mortem ipsius anno patrem et matrem vocare non norit? Quomodo ergo juxta argumentationis suæ rationem, alicujus rei signum regi esse poterat puer quem nunquam viderat, nunquam visurus erat? Animadvertis ex his, ut arbitror, quam anxium, quam anceps certamen sit, quod magister tuus subire non præsumpsit. Hugo. Videte ne forte erretis si eum hæc aliter quam per ironiam dixisse putatis. Rich. Versute satis defendis magistrum tuum, sed eo ipso agis dum nescis contra temetipsum. Nam ubi est illud

Digitized by Google

ingeniolum tuum, nec muscæ quidem viribus præferendum, si te adeo irretire potuit quod ille quasi per ironiam texuit? Hugo. Jam, ut mihi videor, videre creditis vos magni aliquid effecisse in eo quod potuistis illa quæ magister meus sub ironia vel ego argumentandi gratia proposuimus, vix aliquando cum summo labore dissolvere. Rich. Bene, quod prius pertinaciter defendebas, modo ironiam vocas. Quo tenebam nodo mutantem protea vultus? Sed cum te in arcto positum conspicis, non est multum mirandum si tergiversatione qua potes evadendi exitum quæris. Hugo. Non nos oportet sermone detinere diem : nam multa sunt adhuc in his quæ animum pulsant ad quæstionem. Rich. Antequam ad alia discutienda transeamus, fateri te volumus an adhuc veraciter constet apud te dictum Emmanuel non esse filium Isaiæ, nec ipsum in signum tollendi timoris gratia datum fuisse. Hugo. Judæus sit, Chistianus sit, insani capitis se esse ostendit, qui super his ulterius hæsitaverit. Rich. Quære ergo consequenter quod vis. Nam ad singula discutienda quæ proposueris, in quantum Dominus dederit, paratum habebis. Videtur siquidem prophetia in his quæ inter manus habemus, quædam fidei nostræ quasi fundamenta jecisse, et idcirco operosum erit singula quæque quæstione digna, cum summa diligentia pertractare. Hugo. Placet satis quod dicitis.

CAPUT VII.

Cujus rei signum convenienter dici possit partus quem Dominus proponit.

Hugo. Sicut superius jam dixi, ea quæ a nobis dicta sunt de signi qualitate, vel commendatione, admodum placent considerata per se, sed circumjacenti litteræ nullo modo videntur cohærere, et eo ipso nil ad rem pertinere. Rich. Putas, quæso, in prophetis ubique hoc debere vel posse observari, ut quidquid in eis ubicunque dicitur, oporteat præcedentibus et subsequentibus coaptari? Hugo. Scio utrumque in prophetis frequens esse, et sequentia præcedentibus modo cohærere, modo non cohærere. Sed quamvis ista sententiarum cohærentia ubique observari non valeat, non tamen consequens est ut idcirco hic observari non debeat. Cum enim certæ rei gratia signum propositum fuerit, videte quam absurdum sit, ut repente rei alterius signum exhiberi dicatur, et rei quidem de qua nulla mentio fit. Rich. Diximus jam, et audisti occultandi sacramenti gratia factum fuisse, et hoc tibi deberet sufficere. Hugo. Nemo mihi potest persuadere quod Spiritui sancto, qui in Isaia loquebatur, esset difficile rem cujus signum promissus puer esse possit, latenter tangere, et nihilominus secreti sui arcanum sub aliquo verborum integumento abscondere. Neque hoc posito, quod dico erit illa quæ de signi multiplicitate dixistis evacuare, sed solidare. Nam unum idemque signum potest multiplex esse, et multa significare. Imo ita fiet ut id, quod a vobis exigo, sit, ut sic dicam, ad fundationem, illa vero, quæ superius dixistis, ad superædificationem. Rich. Oportet tandem instantiæ tuæ, ne dicam pertinaciæ, morem gerere, et velut delicato puero juxta desiderium satisfacere. Recole ergo quid reges illi qui Hierusalem debellare venerant, proposuerint, vel quid Dominus per prophetam consequenter promiserit : *Ascendamus*, inquiunt, *ad Judam, et suscitemus eum, et avellamus eum ad nos, et ponamus regem in medio ejus filium Tabeel.* Et Dominus ad hæc : *Non stabit, et non erit istud* (*Isa.* VII). Pro qua, quæso, causa putas eos convenisse ad Judam debellandum? Hugo. Dixissem certe ad dilatandum regnum suum, nisi proposuissent evestigio substituere ibi regem alium. Magis itaque mihi videntur intendere, et laborare ad eversionem cultus divini, quam ad dilatationem regni sui. Avellamus, inquiunt, Judam ad nos. Unde, quæso, et quo? Unde, inquam, nisi ab eo in quo Judas ab eis diversus erat? Vel quo, inquam, nisi ad id in quo ipsi unum erant? Pluralitatem certe deorum recipiebant, et in hoc unanimiter consentiebant, et in hoc ipso unius professionis erant. In eo ipso vero Judas ab eis diversus erat, quod juxta professionem suam unum, et verum Deum colere debebat. Principaliter itaque ad hoc niti videntur, ut possent in eis unius Dei cultum evertere, et eatenus ut non esset unde iterum posset repullulare. Avellamus, inquiunt : aliud est avellere, aliud est præcidere. Arbor certe cum in ramis, vel in trunco præciditur, remanet ei radix adhuc unde reparetur. Sed cum radicitus avulsa fuerit, jam non ei superest unde reparari possit. Qui igitur Judam a fidelitatis suæ loco, ut sic dicam, ad infidelitatis suæ participationem avellere tentabant, quid aliud in eis quam veræ Divinitatis cultum irreparabiliter evertere parabant? Rich. Acute satis in his omnibus vidisti, nec occurrit modo unde jure debeas reprehendi. Unius itaque et veri Dei cultum ab hominibus deleri cupiebant, qui Judam quidem (qui solus tunc temporis inter homines hujus professionis erat) ad se avellere, et suo errori implicari volebant. De hujus sane culturæ abolitione Dominus repromittit, cum dicit : *Non stabit, et non erit istud.* Amodo, inquit, et usque in sæculum non erit, ut Judas avellatur, et cultus veræ Deitatis ab hominibus deleatur. Quod modo hic promittitur de Juda, hoc est quod alias aliis verbis promittitur de Ecclesia : *Et portæ inferni non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Sicut in evellenda Dei cultura nemo prævalere potest adversus Judam, sic in evertenda fide catholica nemo prævalere potest adversus Ecclesiam. Hugo. Animadverto quid velitis dicere. Sed quod dicitur, non erit istud, puto gemino modo intelligi posse. Cum enim ad id quod præmissum est evellamus, respondetur non erit istud, potest specialiter intelligi quod non ab eis avelletur, vel generaliter, quod nullo modo, nullo tempore avelletur. Rich. Ex his itaque duobus quid tibi videtur majus? Hugo. Cum illa promissio sit specialis, vel potius singularis, ista generalis; illa parvi temporis, ista perennis; incomparabiliter est major ista, quam illa. Rich. Hoc

Digitized by Google

absque dubio Dominus promittit quod majus fuit, et ad hujus promissionis confirmationem signum proponit, in eo quod dicit : *Ecce virgo concipiet, et pariet* (*Isa.* VII).

CAPUT VIII.

Unde perpendi possit in cujus rei signum datum non sit, vel quomodo sit illis datum a quibus nunquam est visum.

Hugo. Video certe generalem illam, ut diximus, promissionem reliqua incomparabiliter digniorem, et quanto digniorem, tanto dignationi divinæ competentiorem. Sed vellem, si fieri posset, ex ipsa Scriptura habere, unde possem illum quem præfertis sensum, quia præferendus esset conjicere. Rich. Justa satis nobis videtur hæc tua postulatio : nam mos sacræ Scripturæ est quod tacet in uno loco, sæpe innuere ex alio. Ex signo ergo quod ad promissionis confirmationem proponitur, quod quæris facile determinatur. Nam partus virginis qui post tot sæcula futurus fuit, illius rei quæ tunc temporis instabat signum esse non potuit. Alterius vero promissionis quæ usque in finem sæculi durabit, idem virginis partus, tam idoneum tam certum signum fuit, ex quo esse et cognosci cœpit, ut per mille jam, et eo amplius annos votis fidelium satisfecit, et usque in finem satisfacere poterit.

Nota et illud in verbis prophetæ, quod et tibi sicut jam significasti, ut fieret placuit, quomodo sub verborum involucro altitudinem divini arcani abscondit. Eo siquidem modo oraculum suum texuit, ut et aliud intelligere possit cui promissio fit, et aliud ille qui promissionem facit. Nam cum regi Achaz detur intelligi posse ex verbis prophetæ, quod dicti reges nullo modo possint regnum ejus evertere, vel ei alium regem substituere, Dominus tamen absque dubio promittit nulla persecutione, nullo tempore suos fideles posse avelli a sua fidelitate. Rex sane aspirabat, et sperabat liberationem de instanti persecutione a facie duorum regum, Dominus autem promittebat tam de instanti quam de futuro liberationem ab infidelitatis persecutionibus, tam hominum quam dæmonum. Et vide quam miranda ratione cum Dominus utrumque facere proponeret, et illud quod ipse, et illud quod rex intendebat ad utrumque signum daret, si rex signum petere voluisset. Sed quia ex multa malitia signum petere noluit, ad illud solum Dominus signum quomodo et quando voluit exhibuit, quod principaliter intendit. Hugo. Quomodo, quæso, dicimus signum illis a Domino datum, quibus fuerat promissum ; signum, inquam, post tot sæcula futurum, et ab illis quibus promittebatur nunquam videndum? Rich. Certe Abrahæ Dominus terram Chananæorum dandam in hæreditatem promisit, quam tamen nunquam nisi in suis hæredibus accepit. Nemo tamen contendit eum promissam hæreditatem non accepisse, vel Dominum in sua promissione defecisse. Accepit ergo Abraham terram promissam post annos fere quadringentos in suis hæredibus. Accepit domus David signum promissum post annos sexcentos in suis successoribus. Si tanta exspectatione digna fuit illa promissio, quanto magis ista multo majore, per quam homo Deus, et Deus factus est homo? Per illam homines facti sunt hæredes terræ Chananæorum, per istam homines facti sunt cohæredes angelorum. Per illam facti sunt filii Abrahæ hæredes regni terreni, et transitorii, per istam facti sunt filii adoptionis hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Hugo. Video vos per omnia ad interrogationes meas satisfacere, ut non occurrat super proposito capitulo quid amplius oporteat interrogare. Rich. Ut illud quod modo de dato a Domino signo locuti sumus, cum illis quæ in superiori tractatu dicta sunt conferamus. Juxta hanc lectionem habemus quod plebs fidelis nullo modo, nullo tempore possit avelli a bono fidelitatis. Juxta illam lectionem tenemus quod iterum replantabitur in loco voluptatis et inconcusse radicabitur in bono felicitatis. Hinc habemus, quia bonum quod per Salvatoris gratiam post primum peccatum recuperavit, omnino amittere non possit. Inde tenemus, quia ad plenum recuperabit quidquid per malitiam seductoris amisit. Juxta hoc quod de dicto signo hic jam dictum est, securi sumus de stabilitate perceptæ gratiæ. Juxta id quod ibi de eodem signo dictum est, securi sumus de plenitudine, et perpetuitate percipiendæ gloriæ.

CAPUT IX.

Quod electio boni soleat diversis modis accipi.

Hugo. Fateor, incipio vos jam non solum libenter sed et desideranter audire, et quia de istis jam dicta sufficiunt, vellem vos ad cætera quæ me movent discutienda transire. Rich. Propone quod vis, et juxta quod vires suppeditant promptum habebis. Hugo. Sicut superius jam dixi, illa sententia quam de boni electione ponitis videtur mihi nimis violenter extorta, et illa similiter quam de regibus ponitis aliquantulum peregrina. Vultis ibi electionem boni esse, ex bonis optima excipere. Hinc consequenter ostendere nitimini quia Emmanuel noster secundum illam scientiam, quæ per experientiam est, usque ad resurrectionem suam electionem boni non habuit, quoniam bonum immortalitatis, impassibilitatis, incorruptibilitatis, bonum cœlestis et supermundanæ jucunditatis quæ sunt optima exterioris hominis bona eatenus per experientiam nescivit. Rich. Quid, juxta id quod videtur tibi, dicendum est esse electionem boni? Hugo. Certe non solum ex bonis optima excipere, verum etiam bona a malis secernere et acceptare. Rich. Nec non negamus juxta hanc acceptionem dici solere. Nam, juxta loquendi usum, solemus sæpe verborum significationem modo extendere, modo restringere, vel alio quolibet modo variare. Sed inter hæc diligentem lectorem oportet caute discutere, et ex adjunctis colligere quid, qualiter, et juxta quam acceptionem suis quibusque locis debeat exponere. Aliquid sane debet esse inter boni approbationem, et boni electionem. Illud namque est discretionis, istud deli-

Digitized by Google

berationis. Discretionis est bona a malis secernere, et illa approbare, ista reprobare. Deliberationis est, ex bonis quidem excipere ea quæ meliora sunt, vel quæ unicuique magis expediunt. Non ergo possumus jure reprehendi, si magis usi sumus proprietate verbi, quam licentia loquendi.

CAPUT X.

Unde perpendi possit quod de regibus Rasim, et Phacee, dictum non sit : Derelinquetur terra a facie duorum regum suorum.

Rich. Sed et illam sententiam quam de regibus posuimus, prolato de Daniele exemplo probavimus. Et nunquam certe expositio merito reprehenditur, quæ Scripturarum auctoritate comprobatur. Hugo. Certe si reges ibi, juxta communem consuetudinem, designaretis secundum historiam ; et illam vestram quam de regibus spiritualibus ponitis sententiam extenderetis secundum allegoriam, mihi utique placeret, et omnibus, ut credo, merito placere debuisset. Rich. Ecce et in hoc ipso studebimus satisfacere desiderio tuo. Nam illa, ut credimus, littera aliam expositionem recipit, ad quam, ut vera fateamur, opinio nostra magis accedit. Hugo. Oportuit itaque magis posuisse istam quam illam. Rich. Imo ut confundantur qui ex adverso stant, et suis nos cavillationibus impugnant, oportet et illam posuisse, et istam non omittere, ut videant, et erubescant nos plures rationabiles exitus invenire, ubi nos putant suis argumentationibus circumcludere, ubi nec sibi, nec nobis putant aliquem evadendi exitum patere. Hugo. Nolite, obsecro, diutina exspectatione animum meum suspendere, celerius audire vellem quid debeam de regibus istis sentire. Rich. Volumus prius audire a te quid tu sentias inde. Hugo. Ego absque dubio non alios intelligo quam Rasin regem Syriæ, et Phacee filium Romeliæ. Rich. Adde et illud, quæ sit illa terra quam rex Achaz detestabatur, cujus duo illi designati reges, reges esse dicuntur, et a quibus derelinquenda prædicitur. Hugo. Miror quam de facili me de constanti ad ancipitem sententiam sola et simplici interrogatione perduxistis, et quod prius advertere debueram, nec adverteram, advertere fecistis. Nam, sive de terra Syriæ, sive de terra Israel hoc dicatur, utramlibet quidem detestabatur, qui ab utraque impie impugnabatur; neutra tamen illarum duos reges habebat, ut de eo merito dici debeat : *Antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum* (*Isa.* VII)

CAPUT XI.

Quod in his duobus regibus non illos duos qui in regno Israel adhuc supererant intelligere debemus.

Hugo. Sed hic jam mihi occurrit quid illi valeant dicere, qui Emmanuel putant eumdem esse quem filium Isaiæ. Rich. Et hoc ipsum quid sit vellem audire. Hugo. Certe illi qui de Israel, et qui de Juda erant de eadem progenie descenderant, et ejusdem professionis esse debuerant. Oportuit ergo eos qui de Israel erant et sub Phacee militabant, tum debito cognationis, tum debito professionis fratres suos filios Juda non impugnare, sed defensare, et contra regem Syriæ quoties opus esset, vel contra quoslibet oppugnatores se murum opponere. Terram igitur in qua Phacee principabatur, rex Achaz, ni fallor, principaliter detestabatur, cujus malitiam quanto circa se abominabiliorem sentiebat, tanto detestabiliorem habebat. Scimus autem quia adhuc de regno Israelitico usque ad ipsius destructionem duo tantummodo reges supererant : Phacee scilicet qui tunc sceptra gerebat, et Osee sub quo destruendum erat. Possunt ergo Judæi non inconvenienter, ut arbitror, quod de duobus regibus dicitur, ad hos reges referre, qui jam post modicum temporis de cætero non poterunt terram illam regi Achab detestabilem, neque in seipsis, neque in suis hæredibus regere vel defensare, quia depopulanda erat antequam promissus puer quem putant filium Isaiæ, sciret patrem et matrem vocare. Rich. Si illud quod superior disputatio invenit menti tuæ non excidisset, hæc quam ponis sententia locum non haberet. Hugo. Quid illud? Rich. Certe si eorum puer sub Phacee tempore natus fuerat, sub imperii eversione, si non amplius, fere decennis erat : et quomodo dicemus Puer patrem et matrem vocare nesciret? Si vero sub Osee natus fuit, jam solus rex regno Israelitico superfuit, et de eo dici non potuit, quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum. Hugo. Pudet me dixisse, et jam non video quid debeam de his regibus sentire, nisi dicamus prophetam numerum pro numero ponere, et terræ nomine, tam terram Israel quam terram Syriæ oporteat intelligere. Rich. Nisi illud quod propheta hoc loco posuit secundum aliquem dicendi modum de his terris, vel earum regibus spiritualibus posuimus, sententia nulla esset. Hugo. Tempus jam est, si placet, vestram illam ad quam animus vester, ut dicitis, magis accedit sententiam explicare. Nam mihi quidem non videtur probabile prophetam hoc in loco numerum pro numero posuisse, et in una eademque sententia hinc numerum confundere, illinc tamen diligenter expressisse. Nam de regibus loquens, etiam numerum expressit cum dixit : *A facie duorum regum suorum.* Rich. Fiat tibi prout postulasti.

CAPUT XII.

Quod in duobus regibus non intelliguntur duæ personæ tantum, sed gemina series regum secundum geminum regnandi modum.

Rich. Sed prius vellem ex te, si placet, audire quomodo intelligis quod in propheta audis : *Si fuerint tres isti viri in medio ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi in justitia sua liberabunt animas suas* (*Ezech.* XIV). Nunquid in tribus istis viris tres tantum personas accipis? Hugo. Minime; imo triplex genus hominum juxta virorum illorum mores viventium. Rich. Quid de illo dicis quod legis in Evangelio : *Erunt duo in*

Digitized by Google

lecto unde? (*Luc.* XVII.) Hugo. Et hic eodem modo duo hominum genera intelligo. Rich. Quid si hoc quod dicitur de duobus regibus juxta eamdem acceptionem intelligimus? Hugo. Certe nec hic eam oportet respuere, si viderimus adjacentia huic acceptioni concinere. Rich. Scimus certe quia terra Israel regem habuit secundum geminum modum. Nam modo, ut sic dicam, legitimum, modo habebat adulterinum. Legitimum de tribu Juda, et stirpe Davidica; adulterinum, de qualibet tribu alia. Illum juxta Dei institutionem, istum secundum usurpationem. Nam primum modum instituit propitius; secundum permisit iratus. Quando autem illi qui de Israel erant, secundum primam institutionem regem habebant, regnabant super ipsos simul, et super Judam; quando vero secundum usurpationem regnum obtinebant, super ipsos tantummodo regnabant, non autem super Judam. Pro hujusmodi itaque regibus regi Achaz prædicitur de terra quam, sicut superius docuisti, principaliter detestabatur: *Antequam puer sciat reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum* (*Isa.* VII). Quod est apertius dicere: Antequam puer, secundum quod puer est, incipiat malorum et bonorum nostrorum experientiam capere, et ejusmodi experientiæ peritiam habere, incipiet in Israel carnale regnum deficere, et de cætero nunquam continget, vel de tribu Juda, vel de qualibet sui generis tribu alia, illis regem habere. Circa nascendi namque Emmanuelis nostri tempora regnum Israel ad alienigenam transiit. Nam Herodes jam in Judaico populo imperialia jura suscepit.

CAPUT XIII.

Quomodo defectus Israelitici regni prædicitur, vel qua ex causa ad alienigenam transfertur.

Rich. Notandum sane quale quid sit quod sermo propheticus futurum prædicat et sub qua occasione tales minas intentat. Eo utique tempore quo uterque rex, et ille videlicet qui de Israel, et ille qui de Juda erant, ad tam magnum et manifestum divinæ religionis odium proruperant; eo, inquam, tempore futurum prædicitur quod utrique displiceat, quod utrique odiosum existat. Nam vera religio tam odiosa erat Israelitico regi ut contra fratres suos magis decertaret, sicut superius docuimus, pro eversione cultus divini quam pro dilatatione, vel locupletatione regni sui. Regi vero Juda, sicut superiori tractatu probatur, invenitur tam odiosa existere, ut mallet sub instantis periculi metu trepidare quam signum suæ liberationis accipere, tam provide quam impie cavens ne illud a Domino fieret quod ad ejus gloriam accederet, et quod ad cultus ipsius confirmationem proficeret. Utroque igitur rege impie in Deum agente, merito futurum prædicitur, quod utrique absque dubio odiosum comprobatur. Nam regi Israel, et eis qui de Israel erant, erat utique odiosum quod in eis deficienda erat series regum secundum posteriorem modum. Et regi Juda, et eis qui de Juda erant erat abominandum, quod nec regem habere possent secundum priorem modum. Rege itaque Israel in regem Achaz impie sæviente, et rege Achaz signum suæ liberationis impie respuente, utroque autem in Deum perverse agente, Israelitici regni defectus tam secundum legitimum, quam secundum adulterinum ordinem prædicitur, ut inde detur intelligi ex qua culpa regalis potestas ad alienigenam transferatur.

CAPUT XIV.

Defectus Israelitici regni, et adventus Emmanuelis nostri, quomodo possunt alterutrum ex altero perpendi.

Rich. Attendendum autem quomodo ista duo respondent sibi mutuo, ut alterutrum possit perpendi ex altero, Israelitici videlicet regni defectus, et Emmanuelis nostri adventus: nam, postquam in Israel cœperit alienigena regnare, certum sit promissi pueri, virgineique puerperii tempora instare. E converso autem, postquam virginei uteri puerperium prædicari cœperit, certum sit quia Israeliticum regnum ad defectum venit, et de cætero quidem in pristinum statum nunquam reformari poterit. Mille pro certo, et eo amplius anni jam sunt transacti ex quo cœpit virginalis partus prædicari, et illa utique Israelitici regni desolatio quæ jam præcesserat, usque hodie perseverat.

Nota et illud, quomodo hoc loco propheta tacet quod patriarcha prædixit, et e converso, quod ille tacuit, iste futurum prædicit. Nam, quod iste de regni defectu in Juda omnino tacuit, in terra utique Israel futurum prædicit: *Derelinquetur*, inquit, *terra a facie duorum regum suorum* (*Isa.* VII). Econtra de Juda ab illo prædicitur quod ab isto tacetur: *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLIX). Aliud est prælationem aliquod ad tempus vacare, atque aliud omnino deficere. Aliud utique successionem regum interpolari, atque aliud regiam potestatem de gente in gentem transferri. Tunc sceptrum sane aufertur, quando alienis datur. Certe ex quo datum est illis qui de Juda erant sceptrum gerere et imperium exercere, nemo alienigena super Judam in regem unctus fuit usque ad Herodem, sub quo Emmanuel noster per virgineum partum in mundum venit. Tunc igitur bis qui de Juda erant sceptrum aufertur, quando Herodi datur, et ad ejus hæredes transfertur. Tunc Judas cum ipsa re etiam jus repetendi amisit, quando Herodes regiam potestatem sine reclamatione possedit, et ad hæredes transmisit. Vides certe quomodo sub uno, eodemque tempore impletur et quod per patriarcham de Juda, et quod de Israel per prophetam prædicitur. Hugo. Quamvis nonnihil sit adhuc quod me moveat in hac nostra sententia, illud tamen admodum placet quod videtur concordare cum illa prophetia, quæ jam ubique terrarum lectitatur in Christi Ecclesia: *Cum venerit Sanctus sanctorum, cessabit unctio* (*Dan.* IX). Rich. Nunc et illud

Digitized by Google

attende, de hac ultima de promisso puero sententia, quomodo, vel quam convenienter respondeat ad superiora.

CAPUT XV.

Quomodo concordet electio temporis cum qualitate personæ adventantis.

Rich. Cum igitur præmiserit quod promissus puer Emmanuelis nomen accipiet, et quod malorum, et bonorum nostrorum experientiam capiet, et ejusmodi scientiam experiendo addiscet; cum hæc, inquam, præmiserit, statim adnectit, quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra quam Achaz detestatur a facie duorum regum suorum. Ac si apertius propheta pronuntiet, et dicat : Promissa persona videte quanta, vel qualis sit, et tunc intelligetis quam congruo, quam necessario tempore venit. Attendite diligenter et considerate vehementer, danda persona quam sit sublimis, quam sit humilis, cujus sit potestatis, quantæ compassionis. Cujus, quæso, sublimitatis, quantæ, inquam, potestatis persona in qua nobiscum Deus, persona cujus imperium super humerum ejus; persona, inquam, cujus imperium non in multis millibus subjectorum, non in multitudine innumerabili exercituum, sed totum super humerum proprium. Cujus itidem humilitatis, quantæ, obsecro, compassionis, quæ sublimitatis suæ oblita, quæ potestatis suæ majestate dissimulata, butyrum et mel comedendo, propter nos ad participationem muscarum descendit, et tam malorum quam bonorum nostrorum experientiam sponte suscepit. Quid nobis facere non possit persona in qua Deus sit, imo persona quæ Deus nobiscum sit? Quid pro nobis quod ad salutem nostram spectet facere nolit, qui ad passiones nostras ex sola compassione descendit? Ecce in his habes quanta, vel qualis persona hæc sit, qui potestate prædita, et ad compassionem prona suis fidelibus prodesse, et efficaciter possit, et indubitanter velit. Videamus modo quomodo consonet, vel concordet electio temporis cum qualitate personæ adventantis. Videamus ergo quando venerit. Eo certe tempore venit, quando maxime necessarium fuit. Eo tempore venit, quando in populo fidelium regale præsidium defecit. Venit, quando in populo Dei defecit utraque successio regum, juxta geminum quem prædiximus modum, quando propter malitiam regnantium sublatum est ab eis sceptrum, et alienigenis et infidelibus datum. Quando ergo in plebe fidelium cœpit omnino deficere humanum solatium atque præsidium, superabundavit divinum, ut ubi abundavit malitia, superabundaret et gratia. Causa ergo adventus promissæ personæ redditur, in eo quod dicitur, *Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra a facie duorum regum suorum.* Ac si aperte diceretur : Idcirco futurum est ut detur nobis puer, qui juxta nomen suum sit nobiscum Deus, quia sub ejus adventu destituetur terra ab omni regali præsidio, utpote derelicta a facie duorum regum suorum.

CAPUT XVI.

Quod ab hora conceptionis suæ cœpit bonorum et malorum nostrorum experientiam capere et habere.

Hugo. Diu certe sustinui loquentem, ne ante expletam sententiam vestrum sermonem interrumperem, quamvis in hac vestra de regibus sententia nonnihil esset quod animum meum ad quæstionem pulsaret. Rich. Ecce parati sumus audire, si quid affers quod te jure debeat movere. Hugo. Certe si duo illi quales designatis reges, id est, gemina regum series, quarum unam dicis legitimam, alteram vocas adulterinam; si ista, inquam, gemina regum series ad ultimum defectum sub Emmanuelis infantia veniret, antequam ad annos discretionis juxta ætatem venisset, non esset in illa quam ponitis sententia, ut mihi videtur, quod jure reprehendi debuisset. Sed constat satis quia ante Emmanuelis nostri nativitatem, imo et ante ejus conceptionem, regalis jam in Judaismo potestas ad alienigenam transierat : nam ante ejus adventum Herodes jam per aliquot annos regnarat. Si itaque propheta illud tempus designare voluit, quo Israeliticum regnum defecit, cur dicit : *Antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra a facie duorum regum suorum?* Vel cur non potius dicit : Antequam nascatur, imo antequam in utero concipiatur, derelinquetur terra a facie duorum regum suorum? Rich. Hoccine est illud, frater, quod te movet, vel merito movere debet? Quando ergo putas hunc puerum, de quo jam multa audisti; quando, inquam, putas hujus nostræ egenæ scientiæ quæ per experientiam est, primo participem fieri? Hugo. Jam video quæstionem meam esse solutam, jam video quod ante prævidisse debueram; sed hunc puerum nimis negligenter, et velut unum e cæteris attendebam. Dicite tamen quæ proposuistis; libenter audio quæ minime ignoro, si forte cum eo quod scio contingat et illud audire quod nescio. Rich. Dic ergo quando Emmanuelem nostrum hujus nostræ egenæ scientiæ primo putas participem fuisse? Hugo. Scio quia anima Christi ab hora conceptionis suæ tam sapientiæ, quam scientiæ plenitudinem accepit; nihilominus tamen ad eam, quæ per experientiam est, scientiam, per temporum intervalla perfecit. Rich. Profecto et in scientia, et sapientia per accessum temporis proficiebat; sed de scientiæ ejus primordiis, non de profectu quæstio inter nos erat. Hugo. Paratior sum in hac re vestram audire, quam meam sententiam ponere. Rich. Certe si anima Christi ab hora conceptionis suæ plenitudinem scientiæ et sapientiæ habuit, quid circa carnem suam, quid circa semetipsam ageretur ignorare non potuit. Hugo. Nil verius. Rich. Qui igitur formam servi accepit, qui in similitudinem carnis peccati venit, profecto ab ipsa hora conceptionis per experientiam didicit, et novit quid esset bonum

Digitized by Google

sensibilitatis, et malum passibilitatis, utpote qui carnem sensibilem et passibilem accepit. Nec solum secundum carnem, sed et secundum mentem tam bonorum quam malorum nostrorum absque peccato particeps fuit. Nam ordinatos quidem, sed tamen passibiles affectus habuit. Testatur hoc, quod videns civitatem cœpit super eam flere, quod sub tempore passionis cœpit pavere et tædere. Ab ipso itaque incarnationis exordio experiendo didicit, et per experientiam scivit quid esset juxta aliquid malum corruptibilitatis, et juxta aliquid quid esset bonum incorruptibilitatis, malum corruptibilitatis secundum pœnam, bonum incorruptibilitatis secundum culpam. Quantum itaque ad temporis expressionem, et sententiæ veritatem nihil aliud est dicere : *Antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum*, quam si diceretur : Ante pueri conceptum *derelinquetur terra a facie duorum regum suorum.*

Et nota quia cum præmiserit : *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*, [non repetit quia antequam butyrum et mel comedat; nec dicit : Antequam butyrum et mel comedendo sciat reprobare malum, et eligere bonum. Nihil dicit in quo nos cogat infantiæ ejus tempora intelligere, vel quod non possumus congrue ad conceptionis ejus tempora referre.

CAPUT XVII.

Quod illum dicendi modum propheta elegit, qui ad occultandum sacramentum convenientior fuit.

Hugo. Secundum eam conceptionem quam ego de boni electione posui, hæc vestra solutio sufficit. Sed secundum illam acceptionem quæ a vobis in superiori tractatu posita est, nulla erit. Rich. Accipe ergo et aliam, quæ secundum utramque sufficere possit. Hugo. Nec hanc quæ secundum meam sententiam est reprobo, et illam quam proponitis audire exspecto. Rich. Uti alias jam diximus, oportuit ut oraculum suum propheta de hoc puero eo modo texeret, ut pro tempore lateret et puer iste quis esset, et cur vel quando veniret, et nihilominus hoc totum ex eadem Scriptura suo tempore cognosci et probari potuisset, ut modo mirabili in uno eodemque Scripturæ loco inveniretur, et unde infidelitas excæcaretur, et fidelitas illuminaretur. Quære ex hac Scriptura diligenter in cujus rei signum hic puer datus sit, et habes cur venerit. Attende quale nomen prophetia ei imposuerit, simul et perpende quia nuncupative nunquam sic dictus sit, et intelliges quis fuerit. Inquire attentius quando terra quam Achaz detestabatur a facie duorum regum suorum destituta sit, et invenies quomodo adventantis Emmanuelis tempus perpendi possit. Ut enim excæcandos lateret, ut illuminandis suo tempore innotesceret quod ad divinæ culturæ confirmationem promissus puer daretur, et in ejusmodi rei signum promitteretur, ad illud quod præmissum est, avellamus Judam ad nos : non est subjunctum, non avelletur, sicut nec avelletur a vobis, sed subjunctum est in quo utrumlibet subintelligi potest, scilicet *non stabit, neque erit istud.* Ut æque excæcandos lateret, ut illuminandis innotesceret, quod qui promittebatur futurus esset et homo et Deus, non est dictum quod de Virgine conceptus et natus esset nobis cum Deus, sed quod vocaretur nobiscum Deus. Simili ratione ut tempus divini adventus propter pios prædiceretur, et nihilominus tam impiis hominibus quam dæmonibus absconderetur, non est dictum quod ante ejus adventum derelinquetur terra Israel a duobus generibus regum suorum, sed *derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.* Factum est autem ex hac verborum ambiguitate ut Judæi putent, usque hodie, Emmanuel promissum in signum liberationis de manibus Rasin atque Phacee. Hinc factum est ut a quibusdam putetur, usque hodie, idem esse Emmanuel qui filius Isaiæ. Occultandi itaque sacramenti gratia et hoc est factum, ut non diceretur quia ante Emmanuelis ortum, vel conceptum, sed potius dictum est *antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris a facie duorum regum suorum.* Nam si illo modo potius quam isto dictum fuisset, procul dubio manifestum esset quod illius liberationis signum esse non posset, quæ non solum ejus nativitatem, sed et conceptionem præcessisset. Illud itaque propheta ex divino instinctu dicendum elegit, quod quidem occultandi sacramenti gratia ad dicendum congruentius fuit, quod et ipsum quidem æque verum fuit. Nam quod præcessit tempus conceptionis, absque dubio præcessit et tempus discretionis. Hugo. Video vos ad ea quæ me movebant per omnia mihi satisfecisse, ut interim non habeam juxta historicum sensum quid ultra debeam quærere.

CAPUT XVIII.

Quomodo Jesus intelligitur non solum ætate, verum etiam sapientia profecisse.

Hugo. Sed illud de provectu sapientiæ quod superius tetigistis, quasi a latere vellem a vobis quomodo intelligendum sit audire. Nam mihi videtur omnino aliter esse. Rich. Cum evangelista hoc dicat, negare quis audeat? Jesus, inquit, *proficiebat sapientia, ætate, et gratia apud Deum et apud homines* (*Luc.* II). Hugo. Sed dicunt ipsum profecisse secundum opinionem solam. Rich. Falsam, quæso, an veram? Hugo. Ut mihi videtur, falsam. Rich. Nunquid et ætate proficiebat secundum solam opinionem? Hugo. Imo secundum veritatem. Rich. Bene. Placet ergo tibi ut dicatur in sapientia profecisse secundum falsitatem, et ætate quidem secundum veritatem? Hugo. Nollem de hac re disputare, sed simpliciter audire, et quid sentiendum sit ratione manifesta colligere. Rich. Dic prius utrum tibi placeat unam eamdemque dictionem in una et eadem positione, juxta historicum sensum ad diversas acceptiones accommodare. Hugo. Scio quid responderem, si quomodo aliter exponere invenirem. Sed nolo improbare illam quam interim teneo sententiam, donec meliorem et certiorem inveniam.

Digitized by Google

Rich. Virtutum notitiam, et exercendi peritiam putas, obsecro, ad ipsam pertinere sapientiam? Hugo. Utique puto, imo pro certo habeo. Scio nihilominus animam Christi ab hora conceptionis suæ omnium virtutum notitiam simul et efficaciam habuisse, et utriusque plenitudinem simul et semel accepisse. Unde nec credo per temporum intervalla ad sapientiam profecisse, vel proficere potuisse. Rich. Pro certo virtutum omnium efficaciam ab initio habuit, sed non omnium simul efficentiam exhibuit, sed juxta singularum congruentiam suo tempore dispensavit. Exercendi peritiam ab initio habuit, sed ad experientiæ notionem per accessum temporis accrevit. Ab ipsa incarnatione per experientiam didicit, cujus humilitatis fuerit Dominum majestatis ad servilis formæ susceptionem seipsum inclinare. Sub hora circumcidendi et baptizandi per experientiam didicit, cujus dignationis fuerit totius peccati immunem, de manibus peccatorum sacramenta salutis nostræ, sine ulla sui utilitate suscipere. Sub hora tentationis per experientiam didicit, cujus discretionis fuerit diabolicis suggestionibus non cedere, nec inter esuriendum appetitui deservire. Sub hora passionis per experientiam didicit, cujus perfectionis fuerit inter contumelias et terrores internam pacem, et animi tranquillitatem non amittere, et inter crucifigendum pro suis interfectoribus orare. Et ut breviter dicatur quid nobis inde videatur, quemadmodum secundum Apostolum ex his quæ passus est didicit obedientiam (*Hebr.* v), juxta eumdem modum proficit ad scientiam, profecit ad sapientiam. Hugo. Pro illa quam proposui quæstione debent ista sufficere

CAPUT XIX.

Quid in dictis duobus juxta allegoriam intelligere debeamus.

Hugo. Sed quoniam jam dictum est quid de duobus regibus sentiendum sit secundum historiam, superest ut dicatis quid de eis sentiri debeat etiam secundum allegoriam. Rich. Sicut in hominibus videmus, sic et in spiritibus malignis perpendere possumus, alios videlicet aliis præsidere, et qui in eis astutiores vel audaciores sunt, inferiorum officia disponere, et in eis quasi quædam imperii jura exercere. Ejusmodi autem reges etiam in hominibus jus domini et principatus accipiunt, cum eis ad crimina et flagitia ex libero arbitrio consentiunt. Hinc est quod secundum Danielem alius dicitur princeps Persarum, alius vero princeps Græcorum (*Dan.* x).

Notandum autem de ejusmodi regibus, quod quando eis homines leviter atque libenter ad culpam consentiunt, quasi quodam æquitatis jure regnum in eis, et dominandi potestatem accipiunt. Quando vero nimia tentationum importunitate, et quasi violenta manu ad casum impellunt, tunc velut per invasionem in eis regnum arripiunt. Hæc gemina ejusmodi regum differentia recte intelligitur in duobus illis regibus de quibus ad Achaz dicitur : *Derelinquetur terra quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum* (*Isa.* vii). Nam sive carnales, sive spirituales reges cogites in illa terra quam rex Achaz detestabatur, alii juste, alii autem injuste regnum obtinuisse videbantur. Credimus autem quod et in illo priori tractatu locuti sumus, et ibi super eodem capitulo docuimus multos dæmones in Christi passione fuisse captivatos, et ab hominum insectatione relegatos; nec tamen qualecunque, sicut nec omnes sed qui in eis erant ad malignandum efficaciores, et quales Scriptura voluit designare per reges, illos denique, per quos multorum salus impediri potuit, de quibus primitiva Ecclesia construenda fuit. Cum igitur ad id quod dictum est, *derelinquetur terra a facie duorum regum suorum*, præmissum sit, *antequam puer sciat reprobare malum et eligere bonum*, si boni electionem secundum eam assignationem quam nos determinavimus velis accipere, videbis omnia in eam sententiam quam ibi posuimus concurrere. Hugo. Video sane, nec vos oportet pro hac re ulterius laborare. Si enim ut vobis placet dicatur boni electio esse, optima quæque ab inferioribus bonis secernere, et apprehendere, profecto liquebit quia Emmanuel noster juxta id quod puer fuit, ad hujus scientiæ plenitudinem pro experiendi modo per resurrectionem et ascensionem profecit. Ante resurrectionem siquidem per experientiam novit quale bonum esset vita carnis mortalis atque passibilitas. Sed per experientiam non novit quæ esset immortalitas et impassibilitas carnis. Ante ascensionem per experientiam didicit quæ esset conversatio mundi, sed per experientiam non noverat quæ esset conversatio cœli : prius experiendo didicerat quæ esset cohabitatio hominum, postea experiendo novit quæ esset cohabitatio angelorum. Quoniam ergo dictus puer optima exterioris hominis bona ante suam resurrectionem per experientiam non novit, si illa, uti videtur, dæmonum captivatio sub ejus passione facta fuit, merito de eo Scriptura dicit : *Quia antequam puer sciat reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum.* Sed hæc in superiori tractatu diffusius dicta sunt, inde repetat cui ista non sufficiunt. Rich. Ecce jam vides, ut credimus, sub quanto ambiguitatis profundo veritas tegitur, et quam difficile eruitur, nisi a quibus fide et simplicitate quæritur. Sic certe debuit altitudo consilii divini et infidelibus abscondi, et fidelibus reservari, ut esset et unde fides exerceretur, et infidelitas excæcaretur.

CAPUT XX.

Quod oportet, si fieri posset, hanc materiam semper præ oculis habere, et in ejus admirationem jugi occupatione animos suspendere.

Rich. Sed jam tempus est diu protracto sermoni finem imponere, nisi forte occurrit quod super his amplius velis interrogare. Hugo. Non occurrit, fateor, quod ultra jam quærere debeam, nisi forte ad manum habetis quod juxta mysticam intelligentiam recte intelligi possit, de cibo nostri Emmanuelis,

Digitized by Google

Rich. Studeremus et in hoc tuæ satisfacere voluntati, nisi timeremus nimiæ prolixitatis argui ab his qui student brevitati. Hugo. O quam frustra timemus circa illam materiam studiorum nostrorum moras impendere, quam semper oporteret si fieri posset præ oculis habere, et in ejus admirationem jugi occupatione animos suspendere! Rich. Verissimum procul dubio constat quod dicis, etiam facimus quod vis, et primum videamus de comestione butyri et mellis.

CAPUT XXI.

Quid mystice intelligendum sit de butyro, vel quæ sit ejusmodi cibi comestio.

Rich. Mel, ut dicitur, de cœlo descendit; butyrum, ut novimus, de carne venit. Mel de cœlo, mediante rore; butyrum de carne, mediante lacte. Quid est enim butyrum, nisi quædam pinguedo lactis, et quid est mel, nisi quædam dulciflua, ut sic dicam, crassitudo roris? In lacte, propter sui dulcedinem, recte intelligitur cordis dulcedo; in butyro, propter sui originem, recte intelligitur cordis exsultatio. Butyrum de lacte colligitur, et vera cordis exsultatio de vera cordis dulcedine generatur. Quanto abundamus lacte, tanto et butyro possumus abundare. Sic et juxta abundantiam benignitatis erit et abundantia jucunditatis. Si cor Christi attendimus, nihil illo dulcius, nihil illo benignius. Nil uspiam creaturarum illo corde dulcius esse potuit, nil unquam dulcius esse poterit; nullum cor corde illo uberius exsultavit: vera cordium nostrorum exsultatio solet esse de testimonio conscientiæ. *Gloria nostra*, inquit, *hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* 1). Testimonium conscientiæ bonæ in nostro corde, concupiscentiæ non consentire. Testimonium conscientiæ in illo corde, nullam concupiscentiam sentire. Quid illa conscientia mundius fuit, quæ nullam concupiscentiam sensit? Quid illo corde dulcius fuit, quod nulla malitia tetigit, quod nihil fellis, nil amaritudinis vel habuit vel habere potuit? Secundum autem magnitudinem dulcoris, erat et in ipso magnitudo exsultationis. Perpende, si potes, quanta dulcedo cordis illius fuerit, quam tanta passionis acerbitas interpolare vel attenuare non potuit. Inter patiendum magis compatiebatur inimicis suis, quam misereretur membris suis. Præ cæteris omnibus Emmanuel cor carneum ad compatiendum habuit, quoniam ad omnem pietatis affectum nihil illo unquam tenerius fuit. Solus Emmanuel potuit de veræ dulcedinis plenitudine, et perpetuitate gaudere, et hoc illi fuit, mediante lacte, butyrum de carne trahere et abundare. Quæ enim alia apud illum fuit comestio butyri, quam internæ dulcedinis gaudio jugi celebritate perfrui?

CAPUT XXII.

Quomodo in butyro summa et intima suavitas intelligi possit, vel unde hic cibus Emmanueli nostro abundavit.

Illud quoque in butyro attendendum, quod nullus cibus est illo suavior ad vescendum. Panis, piscis et cæteri cibi ejusmodi prius masticantur ut postmodum trajiciantur. Butyrum vero nihil duritiæ, nihil tenaciæ habet, unde nec masticari oportet. Et sicut melle nihil est dulcius, sic butyro ad vescendum nihil suavius. Interroga gustum, et invenies quia illo nihil dulcius ad gustandum. Interroga tactum, et agnosces quia isto nihil suavius ad trajiciendum. Intellige ergo in melle summam dulcedinem, in butyro intimam suavitatem. Vis ergo scire quomodo Emmanuel noster ex quo homo esse cœpit, et in eo quod homo fuit, intimæ suavitatis butyrum ad copiam habuerit, vel quomodo ei hoc ipsum de lactis plenitudine abundaverit, attende itaque hæc duo in lacte. Solet namque esse præcipui candoris, et eximii dulcoris. Sic utique, sic lac veræ bonitatis, ut proprietatis suæ qualitatem servet, hæc duo habere solet et debet, candorem videlicet intimæ munditiæ, et dulcorem plenæ benevolentiæ. Candorem munditiæ, apud semetipsum; dulcorem benevolentiæ, erga proximum. Illud itaque Dominicum pectus nostri Emmanuelis, lacteum candorem habuit in integritate summæ et intimæ puritatis, lacteum dulcorem in plenitudine summæ et intimæ pietatis. Lacteum candorem in nobis modo minuit, modo tollit fœditas concupiscentiæ: lacteum vero dulcorem minuit, vel tollit acerbitas malitiæ. Emmanuel autem noster quia neutram sensit, sed nec sentire potuit, utriusque jugitatem in omni plenitudine servavit. Nos vero sine magna industria, sine multa violentia non possumus vel concupiscentiæ resistere, ver malitiam repellere, et lactei liquoris integritatem incorruptam servare. Emmanueli autem suave et delectabile erat quidquid summa puritas, quidquid summa pietas exigebat. In regula ergo bonitatis, quod nobis est sæpe durum atque difficile, illi omnino erat suave atque delectabile: et hoc illi erat summæ suavitatis butyrum de veræ bonitatis lacte colligere, et abundanter habere. Cum autem in nobis corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem, erit utique et nobis suave quidquid salubre et solum delectabile quod summe laudabile, et tunc dabitur nobis illius escæ plena et sempiterna refectio, cujus assumptio atque perfruitio erit absque omni labore, et qualicunque fagitatione. Quod igitur accepturi sumus in vita futura, ille accepit in vita ista, quod nobis dabitur in consummatione, illi datum est ab hora conceptionis suæ. Summæ itaque suavitatis butyrum, cujus participationem exspectamus in nostra glorificatione, ipse accepit in ipso ingressu hujus mortalis vitæ, nec nostro more ex parte, sed in omni plenitudine. Ecce jam de butyro audivimus, nunc de melle videamus.

CAPUT XXIII.

De spirituali, et summæ dulcedinis melle, et quod ejusmodi cibo Emmanuel satiatus sit ab hora conceptionis suæ.

Rich. Mel, ut dictum est, de cœlo venit, et de

Digitized by Google

summis in ima descendit, cujus dulcedo dulcedinem omnem incomparabiliter excedit. Sed a quo cœlo descendit putamus mel illud, unde noster Emmanuel est cibatus, et pastus? Credimus quia a summo cœlo egressio ejus. De summi Patris apotheca melliflua illa dulcedo descendit, unde Emmanuelis infantia educata fuit. Absque dubio quidquid dulcoris, quidquid suavitatis, quidquid jucunditatis Pater habuit, totum Emmanueli illi instillavit. Ecce a quo cœlo ros ille descendit, unde cor illud irrigatum fuit? Roravit Pater, nec solus roravit, sed et Spiritus sanctus. Roravit Pater gignendo, roravit Spiritus sanctus uniendo. *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem* (*Isa.* XLV). Roravit Pater, mittendo quem genuit; roravit Spiritus sanctus, inspirando qui univit. Nam unus idemque Emmanuel est et a Patre genitus, et de Spiritu sancto conceptus. De Patre genitus secundum Divinitatem, et de Spiritu sancto conceptus secundum humanitatem. Unus idemque a Patre missus, et a Spiritu sancto unctus. *Propterea*, inquit, *unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Cogita, si potes, qualis vel quanta fuerit ista lætitia, et quid dicturi sumus, vel quid digne dicere possumus de ipsa? Si vis, oleum est; si vis, mel est. Oleum est, quia ungit; mel, quia pascit. Adde et illud, si placet, quia hæc mellea dulcedo illi pro cibo et pro potu fuit. De hac satiatus, de hac inebriatus fuit. Totus ille torrens voluptatis ejus usibus cessit, et mirum quomodo homo unus, imo puer parvulus, totum absorbere potuit. De hoc torrente et cæteri potantur, et satiantur, sed in patria; iste hoc ipso potatus est etiam in peregrinatione sua. De torrente in via bibit, propterea exaltavit caput. Sed, ut adhuc mireris amplius, iste de quo loquimur parvulus qui nobis est datus, mellea quidem, et supercœlesti dulcedine prius est cibatus quam natus. Quando enim putas primum cœpit Emmanuel noster butyrum et mel comedere? Certe ex quo cœpit homo esse, certe ab ipsa hora conceptionis suæ repletus est totius dulcedinis, totius suavitatis plenitudine.

CAPUT XXIV.

Quomodo Emmanuel ex accepta beatitudine confirmatus sit in omni bonitate.

Rich. Ecce jam audivimus de cibo Emmanuelis quam sit suavis vel dulcis, audiamus adhuc et quam sit utilis. Audivimus quantum sapiat, audiamus adhuc et quid conferat, vel quid valeat. *Butyrum*, inquit, *et mel comedet* (*Isa.* VII). Sed ad quid? *Ut sciat reprobare malum et eligere bonum* (*ibid.*). Quid ad ista dicemus? Qualis est iste cibus, qualis est ejus usus, si comestionis ipsius talis est fructus? *Ut sciat*, inquit, *reprobare malum, et eligere bonum.* Certe sapientiæ est ista scire, justitiæ ista exercere. Intuemini quantus, vel qualis sit gloriosus iste, vel quid debeatis de ejus cibo sentire. Qualis puer qui ad sapientiam, simul et justitiam comedendo profecit, qualis cibus qui comestorem suum tam ad sapientiam quam ad justitiam in comedendo promovit. Cæteri homines jejunando, abstinendo, gemendo, suspirando, laborando, solent ad ista proficere; iste autem plenitudinem utriusque meruit comedendo obtinere. Nos primo discimus, ut sciamus; scimus, ut faciamus; facimus, ut æternas delicias meritis obtineamus, ut butyrum intimæ suavitatis, et mel summæ et sempiternæ dulcedinis tandem aliquando comedere valeamus: *Ego*, inquit, *dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno Patris mei* (*Luc.* XXII). Nos igitur primo scimus ut tandem comedamus, iste comedit ut sciret. Nos sane primo illuminamur ut justificemur, justificamur ut confirmemur, confirmamur ut beatificari mereamur. Ille ex quo homo fuit, secundum id quod homo fuit, plenitudinem æternæ beatitudinis accepit. Nam ex eo quod Deus fuit, ab æterno habuit; imo ab æterno plena et perfecta beatitudo fuit. Puer itaque noster qui factus est nobis Emmanuel, ab ipsa hora suæ conceptionis accepit plenitudinem divinitatis, et eo ipso plenitudinem beatitudinis. Ex eo autem quod plenam beatitudinem accepit, in omni bonitate confirmatus fuit. Quod itaque in nobis est ultimum, in illo fuit primum. Nec tamen sic primum, quasi istud præcederet, illud succederet, sed quia beatitudinem quam accepit, nullum meritum præcessit. Butyrum itaque et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum. Vis apertius nosse quomodo ex beatitudine quam accepit, in omni bonitate confirmatus fuit? Vis, inquam, nosse quomodo ex deliciarum affluentia, sit in sapientia consummatus et confirmatus in justitia? Certe, ut jam diximus, ex quo homo fuit, intimæ suavitatis butyro satiari meruit: statim procul dubio internam pacem, internam quietem, intimam tranquillitatem, securitatem, et ejusmodi omnem suavitatem per experientiam probavit, approbavit, gustavit, amavit, et quanto ferventius in ejusmodi suavitatis concupiscentias exarsit, tanto plenius, tanto perfectius ejus privationem reprobavit, et exosam habuit. Quid enim est cordis amaritudo, mentis perturbatio, animi inquietudo et fatigatio, nisi intimæ suavitatis privatio? Quo ergo intimam suavitatem gustavit et amavit, eo ipso ejus privationem abhorruit, et velut verum malum reprobavit. Ira, invidia, tristitia, et quælibet malitia, et quidquid intimam suavitatem tollit, vel minuit, quam sit abominandum ejusdem cum suavitatis experientia docuit, et abominari fecit. Comedendo itaque butyrum, didicit reprobare malum. Sic sane et ad mellis esum, didicit eligere bonum. Qui enim statim ad ingressum hujus vitæ summa dulcedine satiatus fuit, gustando et experiendo agnovit, omnibus inferioribus bonis quam præferenda, quam præeligenda fuit. Ex ejus itaque comparatione didicit, quævis inferior delectatio quam parva, quam nulla et quam parvipendenda sit. Emmanuel itaque in hunc modum didicit reprobare malum, et eligere bonum,

Digitized by Google

Sic utique, sic per summarum deliciarum affluentiam eruditus est ad sapientiam, sed et nihilominus roboratus ad omnem justitiam. Quod enim illi summe dulce fuit, summa dilectione dignum invenit, et quod summe diligendum judicavit, summa illi dilectione inhæsit. Ex accepta itaque beatitudine confirmatus est in omni bonitate, et ut mireris amplius, sicut ex percepta gloria est ad omnem justitiam solidatus, sic et ex inviscerata sibi justitia est ad omnem gloriam sublimatus. Nam, quoniam summam justitiam summe dilexit, ad summam lætitiam, et gloriam exaltari meruit: *Propterea*, inquit, *unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV); et quoniam summe suaves et summe dulces sempiternæ beatitudinis delicias per experientiam didicit, earum contemplationi pariter et dilectioni insolubiliter inhæsit, ut merito de eo intelligatur quod legitur: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.*

CAPUT XXV.

Quomodo Deus beatam Virginem mirificaverit, quæ talem fructum facere meruit.

RICH. Intellexistis ex prædictis, ut arbitror, quomodo Deus mirificavit ancillam suam, quomodo de tali partu glorificavit beatam Virginem Mariam, ita ut veraciter possit gloriari et libere confiteri, quoniam *ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (*Luc.* I). Audistis quomodo Deus magnificavit partum ipsius, ut esset et diceretur Emmanuel, id est *nobiscum Deus*, et idem ipse esset Dei Unigenitus, et suus. Vere et incomparabiliter mirificavit matrem, vere et incomprehensibiliter magnificavit et prolem. Pensa, si potes, quæ vel quanta sit ista mirificentia, virginem concipere, virginem parere, et post partum virginem permanere. Æstima, si vales, quæ vel qualis sit ista magnificentia, partum virginis ab hora conceptionis suæ omnem plenitudinem accipere, et in humanitatis veritate plenitudinem Divinitatis obtinere. Singularis gloria, specialis et gratia beatæ Virginis Mariæ, quæ cum virginitatis honore genuit, et peperit filium nec qualemcunque, sed Deum. Merito dictum, merito dicendum: *Benedicta tu in mulieribus... et benedictus fructus ventris tui* (*ibid.*). Quis crederet, quis credere potuisset quod talem fructum propheta de Dei dono promitteret, cum diceret: *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum* (*Psal.* LXXXIV)? cum scriptum sit, quia: *Omnis homo mendax* (*Psal.* CXV), quam magnificum esset genuisse hominem veracem, quale, quæso, ergo, vel quantum erit genuisse ipsam Veritatem? *Veritas*, inquit, *de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV). Ad veritatis itaque ortum terra dedit fructum suum. O qualis fructus, fructus magnificus, fructus gloriosus, fructus desiderabilis, fructus sublimis! Ni fallor, recolis quod in propheta legis: *In die illa erit germen Domini in magnificentia, et gloria, et fructus terræ sublimis* (*Isa.* IV). Et unde hoc huic miseræ terræ nostræ, ut possit talem fructum facere?

(5*) Hic deest aliquid.

CAPUT XXVI.

Quod nisi ad plenum purgata fuisset, talem fructum facere non posset.

RICH. Certe et ipsa beata Virgo Maria etiam tunc secundum carnem terra erat, quando ab angelo audiebat: *Ave, gratia plena; ecce concipies, et paries filium* (*Luc.* I). Absque dubio etiam tunc secundum carnem terra erat, et in terram ibat: terra erat per mortalitatem, et in terram ibat per mortem. Unde hoc ergo, illam tali terræ talem fructum facere posse? Sed constat pro certo quia, nisi ad plenum purgata fuisset, fructum talem, itaque sublimem facere non posset? Quod diximus, dicamus apertius. Nisi ab omni vitiorum contagione penitus purgata fuisset, Deum Dei Filium generare non posset. Ut enim virgo conciperet, virgo pareret, summa sanctitate, summa puritate opus habebat. Quo itaque ordine, quave ratione ad tantæ sublimitatis gratiam Virgo gloriosa promovetur, mystico eloquio describitur, cum per prophetam ad Achaz dicitur: *Quia antequam puer sciat reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum* (*Isa.* VII). Terra sane a terendo dicitur, et merito ex ea contritionis nostræ malum figuratur. Dicitur itaque hæc terra reges suos (5*), et utinam tam bonos quam malos. In duobus utique regibus intelligimus tyrannidem duorum principalium vitiorum, sicut in terra contritionis et captivitatis nostræ malum. Ut autem melius cognoscas qualitatem hujus miseriæ de qua loquimur terræ, cogita triplicem illam regionem inhabitationis nostræ, non dico Asiam, Europam et Africam, sed triplicem contritionem conditionis humanæ. Prima regio miseræ hujus inhabitationis nostræ est humana corruptibilitas, secunda autem humana passibilitas, tertia vero humana mortalitas. Nam sæpe ex corruptione primo quidem insensibili deducitur ad quamlibet molestam et anxiam passionem; passiones autem variæ deducunt ad mortem. Hæc autem terra misera, et inhabitatio molesta habet duos exactores malignos reges trucem tyrannidem exercentes: in vitio concupiscentiæ, habet regem fortem. In vitio ignorantiæ, regem fallacem. Ille opprimit, iste seducit. Huic gemino regi militat quidquid in nobis rationi repugnat. Uterque itaque in terra jam dicta regnum sibi vendicat, et de die in diem dilatare festinat; sed ille per violentiam, iste per fraudulentiam. Iste subjugavit sibi infideles omnes, sed utinam solos; ille sibi subjecit fidelium etiam quoslibet malos, et utinam minime vexaret vel bonos. Sed quos, quæso, non vexat ardor concupiscentiæ; quos, quæso, quandoque non circumvenit error ignorantiæ? Qui post concupiscentias eunt, uni istorum regum deserviunt. Alteri autem deserviunt ad nutum qui dicunt bonum malum, et malum bonum, ponentes dulce in amarum et amarum in dulce, ponentes lucem tenebras et tenebras lucem. Taliter utique,

Digitized by Google

et talibus regibus contingit nos sæpe subservire in terra captivitatis nostræ. Habemus itaque in duobus regibus duplex vitium, tenemus in terra contritionis nostræ triplex malum. Illa ad culpam, ista ad pœnam. Sed piæ mentis est illa patienter sustinere quæ sunt ad pœnam, abominari autem et detestari ea quæ sunt ad culpam. Impietatis vero est illa quæ ad culpam sunt libenter amplecti, ea autem quæ ad pœnam sunt, funditus detestari. Hinc est quod ad impium regem per Isaiam dicitur : *Terra*, inquit, *quam tu detestaris.* Absque dubio impii detestantur mortalitatem, quia semper vivere vellent, ut semper peccare possent. Detestantur passibilitatem, quia vellent transire impune quod committunt cum desiderio et delectatione. Bene ergo ad Achaz regem impium dicitur : *Terra, quam tu detestaris.* Et additur : *Derelinquetur a facie duorum regum suorum.*

CAPUT XXVII.

Quod ante Emmanuelis conceptum liberata sit a gemina radice vitiorum omnium.

Terra utique mortalitatis et passibilitatis nostræ a facie duorum regum suorum derelinquitur, quando natura mortalis atque passibilis tam a vitio concupiscentiæ, quam a vitio ignorantiæ penitus emundatur. Hoc est utique quod beatæ Mariæ promittitur, cum ei ab angelo dicitur : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I). Legitur de discipulis Salvatoris, et testibus transfigurationis, quia : *Nubes lucida obumbravit eos* (*Matth.* VII). Si lucida fuit quæ obumbravit discipulos Christi, quam lucida recte creditur quæ obumbravit matrem Christi ? Sed, si illud ejus umbraculum lucidum erat, ergo et lucem et umbram exhibebat. Lucem ad depellendam ignorantiam, umbram ad exstinguendam concupiscentiam. Mira illa obumbratio Spiritus sancti, quæ sub uno momento detersit et exterminavit a Virgine tam ignorantiam boni, quam concupiscentiam mali. Quam integre in ea omnis concupiscentia exstincta fuerit, probat profecto quod cum virginitatis integritate postmodum concepit, et peperit! Quam profunde illuminata fuerit, probat quod illud tantæ profunditatis sacramentum tam veraciter, tam velociter credidit, quod hujus mundi sapientibus vix tandem aliquando per tot et tanta miracula persuaderi potuit. Credenti itaque Virgini, sed modum quo id fieri oporteret quærenti, recte respondetur, cum ab angelo dicitur : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ac si aperte dicatur ei : Ut ad tantum sacramentum efficiaris digna, et inveniaris idonea, virtus Altissimi obumbrabit tibi, tam ad omnem concupiscentiam exstinguendam quam ad illuminandam ignorantiam. Hoc est quod per Isaiam sub alio schemate promittitur, et futurum prophetatur, cum dicitur : *Quia antequam puer sciat reprobare malum, et eligere bonum*, et cætera (*Isa.* VII). Certe, ut superius jam diximus, puer iste ab ipsa hora, vel momento conceptionis suæ, plenitudinem scientiæ accepit, quæ ipsi Verbo in unitate personæ unita fuit. Tempus itaque conceptionis exprimitur in eo quod dicitur : *Antequam sciat.* Ac si apertius dicat : Antequam Emmanuel concipiatur in ejus matre, conditionis nostræ terra de qua Veritas oritur, a gemina peccatorum omnium radice liberabitur.

CAPUT XXVIII.

Quod solum illud remansit in Virgine quod erat ad pœnam ; illud recessit, quod erat ad culpam.

Derelinquetur, inquit, *terra a facie duorum regum suorum.* Notandum valde quod dicitur : *Derelinquetur terra*, nec qualiscunque, sed qualem impietas detestatur. Nihil hic agitur de miseræ hujus terræ nostræ innovatione, sed tantummodo de ejus liberatione. Libertas redditur, sed immortalitatis gloria non reformatur. Videtis certe quia illud remansit in Virgine quod erat ad pœnam, illud recessit quod erat ad culpam. Vitiositas recessit, pœnalitas remansit. Carnalitas tollitur, sed calamitas non amovetur. Quæ, quæso, est, quæve justitia, ut remaneat pœna ubi jam nulla est culpa ? Et utique, si diligenter attendimus, inveniemus quia vitiositas ipsa nostræ est mortalitatis et passibilitatis effectus. Contra naturam itaque videtur, ut perdurans suo effectu privetur. Sed forte quæris nosse quomodo vitiositas ipsa sit nostræ mortalitatis effectus. Certe ex inflicta mortalitate sensus hominis decrevit, exinde ignorantia. Certe ex contracta infirmitate appetitus carnis crevit, et inde concupiscentia. Nam quo interiores, et spirituales delicias homo peccando amisit, eo in inferiorum concupiscentias per appetitum carnis vehementius exarsit, et quanto infirmior fuit, tanto pluribus opus habuit, tam ad infirmitatem fovendam, quam ad sanitatem reparandam. Quod igitur remanente mortalitate et passibilitate in natura humana, vitium tam concupiscentiæ quam ignorantiæ recessit, videtur esse contra naturam. Quod recedente tam vitio concupiscentiæ quam vitio ignorantiæ mortalitas et passibilitas remansit, videtur esse contra justitiam. Quam mirum, quam stupendum, quod matrem suam quæ ab omni vitio ad plenum purgata fuit, fons ipse pietatis filius ejus, sub jugo captivitatis nostræ laborare permisit! Econtra vero, quid, quæso, miraculi, quid prodigii fuit quod terra maledictioni addicta, miseriis exposita, ab omni vitiorum exactione et inquietudine liberrima, plenam pro hac parte pacem obtinere potuit?

CAPUT XXIX.

Quod Emmanuelis nostri puerpera in omni fuerit virtutum consummatione perfecta.

Attendite, obsecro, quam magnum, quam mirabile fuerit hoc prodigium in oculis Prophetæ, in cujus considerationem simul et admirationem pariter omnes invitavit, cum dicit : *Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram* (*Psal.* XLV). Quæ autem sint illa prodigia quæ tantopere mirabitur, consequenter adjungitur, cum dicitur : *Auferens*

Digitized by Google

bella usque ad finem terræ, arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni (*Psal.* XLV). Quæ est ista, obsecro, terra de qua bella omnia finetenus auferuntur, nisi illa de qua idem Propheta alibi protestatur: *Veritas de terra orta est, et justitia cœlo prospexit?* (*Psal.* LXXXIV.) De hac itaque terra omnis pugna tollitur; in hac terra pax plena reparatur: *Arcum*, inquit, *conteret, et confringet arma.* In arcu, et sagitta percussio quidem est, non tam virtuosa quam artificiosa. Econtra in gladio et hasta percussio profecto est, non tam artificiosa quam virtuosa. Per arcus ergo intelligimus tentationes fraudulentas, per arma vero tentationes violentas. Attende itaque in quantæ securitatis arcem se erexit, ad quam tam violenta, quam fraudulenta tentatio, nullum de cætero accessum habere jam potuit: *Arcum*, inquit, *conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni.* Sicut per arcum seductiones, sicut per arma oppressiones, sic et in scutis intelligimus excusationes. De quibus in Propheta sic habes: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis* (*Psal.* CXL). Excusationes sane quasi quædam vitiorum scuta sunt, quibus se contra veritatis jacula muniunt, et contra virtutum jaculationes non mediocriter defendunt. Sed illud oportet sciri, quia ubi non est locus accusationi, nullus procul dubio relinquitur excusationi. Quem sua namque conscientia in nullo accusat, non est unde se excusare oporteat. Virginalis itaque illa puerpera cui nihil de plena virtutum consummatione defuit, in nullo omnino excusatione aliqua eguit. Nam, si vel impossibilitas ipsa aliquid in ea de aliqua virtutum perfectione minuit, profecto pro ea parte eadem ipsa impossibilitas ei ad excusationem fuit. In eo ipso itaque supereminentis, et supra modum æstuantis amoris datus cœlitus ignis, designata excusationum omnium scuta exussit, quia plenitudo gratiæ charitatisque consummatio nihil spiritualis infirmitatis, nihil imperfectionis reliquit, quod vel per impossibilitatem excusari oportuit. Ex his itaque advertere licet, quod Emmanuelis nostri puerpera in omni fuerit virtutum consummatione perfecta. Quis illud primum, et maximum mandatum sic unquam implevit? quis sic unquam implere poterit? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua* (*Deut.* VI; *Matth.* XXII; *Luc.* X): ex hac utique exæstuantis amoris flamma exusta sunt scuta illa jam dicta.

CAPUT XXX.

Quod dicta puerpera in omni dono quod acceperat videtur consummata, pariter et confirmata.

Notandum autem quia illud quod igne comburitur, ita consumitur, ut nihil materiæ remaneat, unde vel ex parte reparari queat. Unde juxta hanc prophetiam intelligi datur, quod divinus amor in ea adeo convaluit, adeo eam ipsam in omni bono solidavit, ut de cætero spiritualis qualiscunque defectus in eam incidere omnino non posset, nec aliquid quod qualicunque excusationi subjaceret. Videtur itaque juxta hoc ab hora supervenientis Spiritus sancti, ab hora superobumbrantis virtutis Altissimi; videtur, inquam, beata Virgo Maria non solum in omni gratia consummata, verum etiam in omni bono et dono quod acceperat confirmata. Sed, ne quis existimet dictam prophetiam potius intelligendam de ipso utique Emmanuele quam de ejus matre, debet qui ejusmodi est diligenter attendere, quia scuta quæ nunquam fuerunt, et nunquam futura sunt, comburi non possunt. Emmanuel itaque noster quid in se, quæso, unquam habuit quod comburi oportuit vel potuit, qui ab hora conceptionis suæ omnem plenitudinem accipiendo, in omni bono consummatus et confirmatus fuit? Dicta ergo prophetia intelligenda videtur de sola Virgine Maria. In ipsa sane ab omni vitiorum impugnatione terra miseræ conditionis nostræ plenam pacem obtinuit, quantum ad ipsam terra qualem Achaz detestabilem habebat, a facie duorum regum suorum derelicta fuit.

CAPUT XXXI.

Quod præ cæteris sanctis hoc singulariter habuit, quod a vitiis quidem nec impugnari potuit.

In cæteris sanctis magnificum habetur quod a vitiis non possunt expugnari, in ista mirificum videtur quod a vitiis non potest ipsa vel in modico impugnari. Cæteris sanctis in commune præcipitur ut in mortali eorum corpore peccatum non regnet, soli isti singulariter datur ut mortale corpus ejus peccatum non inhabitet: *Non regnet*, inquit, *amplius peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* VI). Ecce præcipit ut non regnet, sed nunquid ut non inhabitet? Attende super hoc quid alibi dicat: *Si enim quod nolo malum, id ago, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII). Sed quod de exterminio peccati in beata Virgine Maria factum creditur, in futurum omnibus sanctis speratur. Futurum, inquam, sed non in corpore eorum adhuc mortali, sed in corpore eorum jam facto immortali: prius siquidem oportebit corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc immortalitatem. Sed hoc fuit in beata Virgine supra modum mirabile, et præ cæteris sanctis omnibus singulare, quod in ea simul convenire potuit tanta corruptibilitas cum tanta incorruptibilitate, tanta incorruptibilitas cum tanta corruptibilitate. Corruptibilitas in his quæ pertinent ad pœnam, incorruptibilitas in his quæ pertinent ad culpam. Sed sibi ad futuræ gloriæ cumulum, nobis autem ad patientiæ documentum profuit, quod passibilitatis nostræ jugum cum tanta puritate portavit. Sed quia ea quæ nobis de mystica intelligentia videbantur, juxta petitionem tuam, mi Hugo, explevimus, hic, si placet, loquendi finem faciamus. Si quis autem prolixitatis nos arguat pro assumptæ materiæ brevitate, fateor, non me pœnitet in laudibus Verbi, in laudibus Virginis matris, vel verbosum fuisse. Hugo. Tanta, fateor, in verbis prophetiæ mysteriorum profunditate stupefactus, et in eorum consideratione

Digitized by Google

multa admiratione suspensus diutius loquentem libenter sustinui, et cursum sermonum vestrorum interrumpere indignum judicavi, et eo ipso ista A elegi tandem tacita venerari admiratione, quo mihi videntur nullo ad plenum posse explicari sermone.

EXPLICATIO

ALIQUORUM PASSUUM DIFFICILIUM APOSTOLI.

Si ea quæ de lege ab Apostolo diversis in locis dicuntur ad invicem conferantur, multa eis contrarietas inesse videtur. Videtur namque esse contrarius sibi ipsi, contrarius rationi, contrarius veritati, et quod his omnibus amplius est, sententiæ ipsius Domini. Audi itaque clamantem atque protestantem: *Quia ex operibus legis non justificabitur omnis homo* (*Rom.* III). Quomodo non est in hoc contrarius sibi, cum ipse protestetur alibi, quoniam: *Non auditores, sed factores legis justificabuntur* (*Rom.* II). Item alio loco: *Lex*, inquit, *sancta est, et mandatum sanctum, et justum, et bonum* (*Rom.* VII). Iterum alias ab eodem dicitur: *Lex iram operatur* (*Rom.* IV). Quid magis contra rationem videtur, quam quod mandatum quod sanctum, justum et bonum dicitur apud justum et pium Dominum, iram, non gratiam potius operetur? Alias autem dicit, quod: *Lex neminem ad perfectum adduxit* (*Hebr.* VII). Quomodo, quæso, id veraciter dici potuit, vel quomodo in hoc veritati contrarius non fuit, cum tempus legis tot justos, et tam perfectos habuerit? Nunquid Elias perfectus non fuit, in cujus spiritu et virtute, juxta Dominicum testimonium, venit quo inter natos mulierum major nemo surrexit? (*Matth.* XI.) Quid de cæteris prophetis, quid de justis et regibus dicturi sumus, qui quod apostoli viderunt, videre voluerunt, nec potuerunt? Si legis prævaricatores erant, nunquid justi esse poterant? si observatores, nunquid inde justi non erant? Sententiæ vero Domini contraria sentire videtur in eo quod alias loquitur: *Si enim lex data esset quæ justificare posset, vere ex lege esset justitia* (*Galat.* III). Legisperito autem quærenti quid faciendo vitam æternam possideret, et ad illius interrogationem Domino prima et maxima legis mandata proferenti Dominus respondit: *Hoc fac, et vives* (*Luc.* X). Quid ergo? Nunquid non potest obtineri justitia unde obtinetur vita æterna? an vita æterna poterit haberi sine justitia? Quis quid horum dicat, vel dicere præsumat? *Hoc*, inquit, *fac, et vives.* Vives haud dubio diligendo ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum tuum, et proximum tuum sicut teipsum. Sunt qui dicant opera legis esse quæ fiunt ex timore, opera vero Evangelii quæ fiunt ex amore. Servire autem sine dilectione non potest hominem justificare. Unde et secundum eos dicitur merito quia ex operibus legis non justificabitur omnis homo. In testimonium vero assertionis suæ adducunt quod alias in Apostolo legunt: *Non enim accepistis iterum spiritum servitutis in timore, sed accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus: Abba* (*Pater*) (*Rom.* VIII). Constat itaque, inquiunt, quia sub timore serviebant qui spiritum timoris, non amoris acceperant. Hinc est quod adhuc addunt, quod lex sit mandatum sine gratia, Evangelium vero mandatum cum gratia. Fateor, non me recolo legisse ubi lex præcipiat servire ex solo timore, ubi prohibeat implere mandata ex vera dilectione. Nunquid, quæso, legis opera non erunt quæ ipsa injungit, et ejus opera erunt quæ ipsa non tradit? Sed dicunt quia spiritum servitutis acceperunt qui sub lege fuerunt. Audacter dico, et indubitanter affirmo, quoniam eorum qui tempore legis, et eorum qui tempore Evangelii hucusque fuerunt, alii spiritum timoris, alii vero spiritum dilectionis acceperunt. Nunquid soli illi legem non tenuerunt, qui, abundante charitate et timorem foras mittente, ex sola dilectione observaverunt? Legis certe est, et Evangelii doctrinam exhibere: Domini vero gratiam dare, vel subtrahere, et spiritum pro beneplacito infundere. Quid ergo sibi volunt qui dicunt legem esse mandatum sine gratia, Evangelium vero mandatum cum gratia? Quam sæpe videmus temporibus nostris habere majorem gratiam in exsequendis mandatis imperitos auditores, quam quosdam peritissimos Evangelii prædicatores. Nunquidnam Evangelium non est quod docent qui apostolicam doctrinam eruditissime prædicant, sed implendi gratiam nec ipsi habent, nec aliis dare valent? Nunquid antiqui illi sine lege vivebant qui legis doctrinam simul et gratiam acceperant?

Sunt item qui dicunt sola illa recte dici legis opera quæ cum lege sunt inchoata, et cum lege terminata. Sed dico interim quod sentio, et ad hæc succincta brevitate respondeo. Opera illa legis quæ cum lege sunt inchoata, et cum lege terminata, aut justificabant impleta, aut non. Si itaque justificare potuit eorum impletio, quomodo verum erit quia ex operibus legis non justificabitur? Sunt forte qui dicunt, et si non dicunt, non inepte dicere potuerunt, quod merito distinguendum sit inter opera naturalia, legalia atque evangelica. Merito namque opera illa specialiter Evangelio conscribenda sunt quæ ex Evangelio institutionem acceperunt, quemadmodum sunt regeneratio, confirmatio et Dominici corporis

Digitized by Google

et sanguinis communio, et nova quorumlibet institutio. Legalia vero sola illa modo quodam speciali sunt dicenda, quæ, uti jam dictum est, cum lege sunt inchoata, et cum lege terminata. Naturalia vero illa merito dici debent, quæ ab hominibus per legem naturalem intelligi potuissent, etiamsi lex et Evangelium nunquam instituta fuissent. Juxta hanc utique distinctionem forte dicturus est aliquis, quia per legis opera debemus intelligere illa sola legalia instituta de quibus tenemus pro certo quoniam ex sola illorum impletione non justificabitur omnis caro. Legis autem nomine, ut alicui forte videbitur, oportet intelligi tam naturalia decreta, quam legalia instituta, quantum utraque in lege sunt scripta. Dicit enim Apostolus : *Factores legis*, non factores operum legalium justificari. Sed quod de lege affirmat, de operibus legis negat. *Ex operibus legis*, inquit, *non justificabitur omnis homo*. Non dicit ex lege, sed ex operibus legis non justificabitur omnis caro. Et item alio loco : *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis* (*Rom.* III). Ibi dicit quoniam ex legis operibus homo justificari non potest. Hic dicit, quantum sine legis operibus justificari potest. Si quis Apostolum sic sensisse existimat, quæro ut super hoc mihi respondeat, utrum Apostolus hoc dicat de statu præsenti, an potius de statu priori? Si hoc dixit de tempore prioris status, videbitur adversari testimonio legis et prophetarum textus sermonis illius. Nonne quotidie lex clamabat ut peccator, et pœnitens juxta modum quantitatemque peccati hoc vel illud tum pro peccato, tum pro delicto offerat, et remittetur, inquit, ei, et propitius ei erit Dominus (*Num.* XXX)? Quomodo, quæso, homo inde non justificatur unde ei peccatum dimittitur, et Dominus propitiatur? Si vero hoc quod de operibus legis dixit pro statu hujus temporis intelligi voluit, quid, quæso, magnum dixit? Nam, si adhuc animalia sacrificamus, procul dubio aut judaizamus, aut gentium more idololatriæ ritus prætendimus. Dico itaque pro istis quod Apostolus dicit de sacramento circumcisionis; quoniam, si adhuc sacrificiis et cæteris legis cæremoniis insistimus, Christus nihil proderit nobis. Vultis autem apertius nosse quæ dico? Certe quæ in lege ad expiationem peccati immolabantur, in figura futurorum sacrificabantur. Nam Christi passionem et mortem in redemptionem peccatorum futuram præfigurabant, et eo ipso virtutem expiationis et sanctificationis habebant. Si igitur adhuc in figura futurorum sacrificamus, falsitati non veritati deservimus. Nam, *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*I Cor.* XV). Si absque redemptionis nostræ figura sacrificamus, idololatriæ, ut dictum est, formam prætendimus, et in eo ipso animalium sacrificia Christo conferimus, et (quod sceleratius est,) ipsi præferimus. Nam si sola illa contempto divino sacrificio offerimus, Christo procul dubio ea præferimus. Si cum divina hostia, et illa (velut ex utrisque salutem quærentes) offerimus, procul dubio ea Christo conferimus, et Christi hostiam velut minus sufficientem judicamus. Quid ergo magnum est Apostolo dicere quod ex legalibus operibus nemo justificabitur, cum ex eorum exercitiis quilibet reprobabitur, potius quam justificabitur?

Sed ad ista fortasse respondes, et dicis : Propter quosdam legis zelatores, quos lucrifacere potius quam scandalizare cupiebat, parcius quidem dicebat, sed tamen vera dicebat. Nam quantum ad præsentem statum, legalia instituta inquinant potius quam sanctificant. Quantum vero ad priorem statum sine naturalibus decretis, sola legalia hominum ad salutem sufficere non valebant. Hinc est quod non dicit ex lege, sed *exoperibus legis non justificabitur omnis caro*. Et iterum : *Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis*. Sine operibus legis, inquit, non sine lege, sub nomine operum intelligere volens sola legalia, sub nomine legis tam legalia quam naturalia, utpote quæ continebat ista et illa. Hinc est quod dicit, quia *factores legis* justificabuntur. Quid enim sanctius, quid justius, quid denique perfectius esse potest, quam diligere Deum ex toto corde, tota anima, tota mente, et proximum sicut seipsum? Conferre itaque lex potuit justitiam, nec qualemcunque, sed plenam atque perfectam. Ad hæc breviter ipse respondeo et dico : Si Apostolus ita sensit quod lex perfectam justitiam conferre potuit, quid alias dicit quod *lex neminem ad perfectum adduxit*? Si ex lege justitia confertur, quomodo *iram operatur*? Nunquid conferendo justitiam operatur iram, et iram operando conferre potest justitiam? Quantum mihi videtur, aliam ab antedictis expositionem quærere oportebit qui sensum apostolicum intelligere voluerit. Quantum mihi videtur, in his omnibus necdum perierunt illæ quæstiones, in quibus aliquando, ut Augustinus scribit, sibi visus est adversari testimoniis legis et prophetarum textus apostolici sermonis. Qui enim dicit ex legalibus operibus hominem non posse justificari, nonne adversari videtur Moysi scribenti, imo Domino jubenti : Homo qui cognoverit peccatum suum offerat hoc vel illud et remittetur ei, et propitius erit ei Dominus.

Compellit me importuna vestra petitio super his quæ proposita sunt dicere quæ sentio, et fidenter spero ubi Joannes quærit, gratia non deerit, tam ad veraciter sentiendum quam ad utiliter proferendum. Non est nostri moris maxime in rebus magnis, et multum profundis, aliquid de nostro sensu præsumere, vel quasi auctoritate nostra aliquid statuere, vel affirmare. Itaque de ipsius sacræ Scripturæ testimoniis, in quantum dederit Dominus, eliciamus unde dubitationis nostræ nodos dissolvere possimus. Illud autem certissimum est, et de quo nemo dubitare potest, quia lex aut talis erat quæ impleta justificare poterat, aut talis quæ nec impleta quidem justificare poterat. Sed, si impleta justificare non posset, nullo modo Apostolus diceret,

Digitized by Google

quod factores legis justificarentur. In eamdem sententiam currit quod Dominus de duobus maximis mandatis legisperito dixit: *Hoc fac et vives.* Ecce quomodo certa auctoritas probat quod lex impleta justificat. Iterum dico quod lex aut talis erat quæ ab illis quibus data est impleri poterat, aut talis quæ ab eis impleri non poterat. Sed hoc ipsum quod quærimus apostolico iterum testimonio comprobemus: *Quod impossibile erat*, inquit, *legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens, in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justitia legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum* (*Rom.* VIII). Perpendis, ut arbitror, ex his quam impossibile fuit legi justificare, quamque necessarium nobis erat pro tali remedio ut Deus Filium suum mitteret, ut Dei Filius seipsum exinaniret, et in similitudinem carnis peccati veniret, et de peccato peccatum damnaret, ut vel sic justitia legis impleretur in nobis. Sed nunquid totum quod legis erat, etiam impossibile erat? Minime, sed in ea parte qua lex infirmabatur per carnem. Vultis et illud audire, quomodo infirmabatur ex carne: *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum* (*Galat.* V); et alibi: *Scio quia non habitat in me* (hoc est in carne mea) *bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (*Rom.* VII). Si itaque prolata testimonia diligenter discutimus, absque dubio inveniemus quod quædam præcepta legis talia erant quæ impleta justificabant; quædam autem, quamvis impleta, minime justificabant. Nihilominus vero quædam talia erant quæ impleri poterant, et quædam, quæ procul dubio impleri non poterant. Sed quæ impleri poterant absque dubio justificare non poterant, et e converso quæ justificare poterant impleri non poterant. Merito ergo clamat Apostolus: *Quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Si nulla caro, nullus homo, quantum omnis homo caro; quia carnalis venundatus sub peccato. Quomodo, quæso, caro factus et carnalis effectus justificari potest, vel ex eo quod facere potest, et justificare non potest, vel ex eo quod justificare potest et facere non potest? Lex namque docet quid homo debeat facere, sed non æque docet quomodo quod præcipitur possit implere. Ex sola itaque lege sola cognitio, non autem et impletio. Hinc est quod cum præmissum sit ab Apostolo quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro, statim subjungit et adnectit: *Per legem enim cognitio peccati* (*Rom.* III). Ecce habes utrumque et quid non sit ex lege, et quid sit ex lege. Per legem peccati cognitio, utinam et abolitio. Si enim abolitio, procul dubio et justificatio. Dico itaque: Si nemo justificatur ex lege, ergo aliunde. Nam quod nemo justus sit vel fuerit quis audeat dicere. Audi quid Dominus dicat apostolis: *Multi justi et prophetæ voluerunt videre quæ videtis, et non viderunt* (*Luc.* X). Si justi, utique et justificati. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius* (*Rom.* III). Ipse est enim *qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem* (*ibid*). Ecce ex his aperte cognoscitur unde homo justificatur. Procul dubio per fidem, non autem per legem. *Justitia* enim *Dei per fidem Jesu Christi* (*ibid.*). Ecce aperte habes quod ex fide est justitia.

Sed restat quærendum utrum semper ex fide sola, an aliquando ex sola fide sine operibus, et aliquando ex fide simul et operibus. Quæramus, si placet, super hoc ipsum ipsius Apostoli testimonium: *Arbitramur*, inquit, *justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Ecce iterum habes aperte quod possit homo aliquando justificari ex sola fide absque legis opere. Sed nunquid semper ex sola fide, et sine omni legis opere? Minime. Nam si tempus operandi habet, *fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II). Non enim auditores legis, sed factores justificabuntur. Absque dubio quandiu homini tempus operandi conceditur, ab eo, nec immerito, divinitus exigitur fides quæ per dilectionem operetur. Ex prolatis itaque testimoniis manifesto colligitur quod homo quidem justificetur quandoque ex sola fide, quandoque ex fide simul et legis opere, nunquam vero ex sola lege. Ex his itaque, ut arbitror, perpendi potest quod Apostolus in suis dictis sibi contrarius non est. In eo siquidem quod dicit uno loco, quoniam ex operibus legis non justificabitur omnis caro, aperte dat intelligere quod humanæ industriæ omnino non sufficit sola legis doctrina sine fide Christi et gratia: *Gratia*, inquit, *Dei sum in quod sum* (*I Cor.* XV). Sed item, ne lex talis esse putetur quæ impleta justificare non possit, ideo de eadem alio loco dicit: *Non enim auditores, sed factores legis justificabuntur.* Nam sive concedatur, sive non concedatur quod alicui homini tanta gratia data, vel danda sit, quod eam implere possit, nihilominus tamen verum est quod ejus impletio sit hominum justificatio. Docet ergo Apostolus quod lex per se sola nunquam homini confert justitiam, imo quod adhuc gravius est, operatur et iram. Sed unde hoc utique contingat, Apostolus ipse subjungendo manifestat: *Ubi enim non est lex, nec prævaricatio* (*Rom.* IV). Inde enim iram operatur, quoniam ex sola legis doctrina sine adjuncta gratia auditores legis non tam factores quam prævaricatores efficiuntur. Nam, ne legis mandata inepta potius quam impossibilia putarentur, ideo ab Apostolo alio loco dicitur: *Lex quidem sancta et mandatum sanctum, et justum et bonum.* Putas fortassis de solis moralibus mandatis hoc dictum. Ego audacter dico de quolibet legis instituto quod tempore suo fuerit sanctum, et justum et bonum utpote a Deo institutum, et homini divinitus injunctum.

Quid, quæso, fuerunt sacrificia, nisi passionis Christi et mortis figura, eo ipso ejusdem sacramenta? Erat itaque in uno eodemque opere et redemptionis nostræ figura et debita obedientia. Certe si Abraham filium suum sine divino præcepto mactare voluisset, summa impietas et horrendum flagitium esset. Si ergo sanctum, et justum, et pium

Digitized by Google

fuit filium suum ad Domini mandatum sacrificare, cur non eodem modo dicatur sanctum, et justum, et bonum pecus quod sine peccato occidi potest, ad Domini mandatum Domino offerre et immolare? Quod igitur lex iram operabatur, non fuit ex legis imperfectione, vel inordinatione, sed ex hominis infirmitate et imperfectione. Vultis et hoc ipsum non ex me, sed ab ipso Apostolo audire: *Scimus*, inquit, *quod lex spiritualis, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio* (*Rom.* VII). Ecce jam habes unde prævaricatio, ecce jam tenes quod non sit ex legis, sed hominis vitio. Nihil igitur contra rationem dicitur in eo quod clamat quod mandatum sanctum et justum iram operatur. Juxta Dominicum testimonium verum est, nec possumus negare quod ante adventum Christi multi justi fuerunt et prophetæ, non tamen veritati contrarium fuit quod Apostolus dixit, quia lex neminem ad perfectum adduxit. Quod enim justi fuerunt, et quidquid perfectionis habere potuerunt, hoc eis contulit non nuda legis doctrina, sed adjuncta gratia divina. *Non* enim *est volentis neque currentis, sed miserentis Dei* (*Rom.* IX). Nam nequaquam sunt justificati sine fide et gratia Christi. Nam, nisi Christum venturum crederent atque sperarent, nullo modo ejus adventum tanto tempore desiderarent. Quid enim aliud sonat quod Dominus apostolis dicit: *Multi reges, et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt?* (*Luc.* X.) Eorum itaque justificatio non tam ascribitur legi quam fidei, et gratiæ Christi. Nunc illud consideremus, quomodo Dominicæ sententiæ non sit contrarium hoc quod Apostolus de lege sentit cum dicit: *Si enim data esset lex quæ posset justificare, vere ex lege esset justitia.* Vides quia secundum Apostolum lex nec vivificare, nec justificare potest; sed ut quid hoc, nisi quia impleri non potest? Non enim potest homo non concupiscere, sicut nec toto corde, tota anima, tota mente diligere, quo tamen nihil est sanctius, nihil utique est justius. Certe si ignaris, sed sanis, et ad perficiendum robustis talis lex data fuisset, absque dubio obedire volentes et justificare et eo ipso sanctificare potuisset. Sed data est pro certo infirmis, et multum imperitis, et ad implendum minus idoneis. Item si doceret ignaros quid eos oportet facere, et infirmos similiter quomodo possent imperata perficere, procul dubio quod fateri oportet et justificare et vivificare potuisset. Docet autem lex tantum quid debeat fieri, sed non docet quomodo ab infirmis posset impleri. Negat autem Apostolus quod ex sola cognitione sive doctrina perficiendi; negat, inquam, et merito, hominem non posse vivificari. Sed quod Apostolus negat de sola mandati cognitione, Dominus affirmat de mandati impletione: *Hoc*, inquit, *fac, et vives.* Non dicit, si hoc scis, vives; sed, hoc fac, et vives. Quod igitur Dominus affirmat, Apostolus non negat; et quod Apostolus negat, Dominus non affirmat. Nam, ut dictum est, Apostolus loquitur de sola mandati cognitione, Dominus autem de ipsius impletione.

Hic non immerito quæritur qua ratione illis imputetur, vel quomodo in eis iram operetur quod legem non impleverunt qui eam implere non potuerunt, vel quid eis profuit talem legem accepisse quam nullo modo potuerunt implere? Talem certe, nec immerito, legem accipere debebant, qui omnia de propriis viribus, non de divino adjutorio præsumebant, juxta quod ad Moysen fiducialiter dicebant: *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus* (*Exod.* XXIV). Quid tibi videtur, qui post tantam et tam constantem promissionem omnino neglexerunt? Nunquid eos excusare poterit tanta negligentia, vel qui fortiter insistentes, sed deficientes per proprium defectum et multiplex experimentum humiliari non potuerunt, nunquid eos excusare potest tanta superbia? An illos, quæso, qui per multam experientiam infirmitatem suam agnoverunt, sed ad impetrandam adjutricem gratiam desides fuerunt, poterit excusare tanta desidia? Quis hoc dicat, vel dicere audeat? Ex his itaque facile perpendere potes acceptæ legis prævaricatores quam sint inexcusabiles. Nam illi quidem qui pro viribus satagentes, et deficientes tum per proprium, tum per alienum defectum suam infirmitatem et impossibilitatem agnoverunt, et in divino adjutorio de cætero totam spem suam posuerunt, impetrata et accepta divinitus gratia, justificari meruerunt. Data itaque lex aliis profuit, et aliis omnino non profuit. Sane profuit viventibus bene, obfuit autem utentibus male. Ubi vero obfuit, non fuit vitium legis, sed vitium abutentis. Ad hoc namque lex data erat, quæ impleri debuerat, et impleri non poterat ut satagentes et deficientes intelligerent quam frustra de suis viribus præsumerent, quod sine gratia divina implere non possent.

Adhuc fortassis insistitis, et dicitis quia quidquid de lege dictum est, etiam de Evangelio dici potest. Nam, sicut non sufficit ad justitiam legis doctrina sine gratia divina, sic procul dubio nec doctrina evangelica sine gratia divina, neutra impleri potest, neutra justificare potest. Cur ergo quod de lege dicitur non dicatur de Evangelio, quod ex operibus Evangelii non justificabitur omnis caro? Nunquid et ipsum neminem ad perfectum adducit de quo constat quod sine gratia impleri non possit? Juxta eamdem considerationem possumus æstimare quod omnino non possit aliquem vivificare, sicut nec justificare. Ad hæc autem respondeo, et dico quod doctrina legis est simplex, evangelica triplex. Evangelium siquidem docet quid debeat fieri, quomodo possit impleri, et quod impletum non fuerit quomodo possit suppleri. Docet autem solummodo lex, ut dictum est, quid homo debeat facere, nec addit quomodo possit implere, et ea propter neminem potest justificare. Evangelica autem doctrina ut sit usquequaque perfecta, docet tria illa jam dicta. Quid facere debeas doceris cum a Domino au-

Digitized by Google

dis : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos* (*Joan.* XVIII). Sed, ne quis idipsum de suis viribus præsumat, ab eodem magistro docetur, cum alias ab eodem dicitur : *Sine me nihil potestis facere. Sicut palmes non potest fructus facere nisi manserit in vite, sic et vos sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). In acquirenda igitur gratia per quam possimus implere quod volumus, quis, quæso, erit obtinendi modus? *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis* (*Joan.* XIV). Si gratia egetis, petite secundum quod debetis, et accipietis. Sed quomodo in ejus nomine petimus si in ipsum credimus? Hoc est quod te docere voluit, cum dicit : *Creditis in Deum, et in me credite* (*ibid.*). Qui igitur quod debet implere non potest, in Christum credat, in Christo petat Patrem qui omnia potest. Postulet itaque Spiritum illum qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. Spiritum, inquam, qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult. Si fide qua oportet hunc petitis, procul dubio accipietis. Si enim nostis cum sitis mali bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se? (*Luc.* XI.) Ecce aperte habes, ut arbitror, quod a te debet fieri, quomodo, vel qua ratione possit impleri.

Sed adhuc tibi quæris ostendi unde hoc quod per negligentiam, vel alio quolibet modo impletum non fuerit, possit suppleri. Dic tu prius quantum debes Domino tuo. An forte centum cados olei? Debitum grande, et ad solvendum difficile. Debitum grande diligere Deum ex toto corde, tota mente, tota anima. Ecce debitum decem millium talentorum. Non mirum, si multum times et trepidas, sed breviter audi quid facias. Dimitte denarios centum qui debentur tibi, et omne debitum dimittetur tibi, et cum fiducia pro te tuique similibus orare poteris, dimitte nobis debita nostra sicut et nos, etc. Quid, inquis, si mihi nil debetur, quomodo quod ipse debeo mihi dimittetur? Eodem ordine, ex eodem fonte unde hausisti in exsequendis gratiam, hauri et in miserendis miserationis indulgentiam. Videre potes ex his certe ad perfectionem doctrinæ Evangelio nihil deesse. Habes in eo unde possis justificari, habes ex eo unde possis vivificari. *Qui manducat*, inquit, *carnem meam et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* (*Joan.* VI).

Quid adhuc amplius quæris? Nunquid tale aliquid potuit agnus ille legalis? Ecce Evangelium exhibet unde homo justificari possit, quod legalis doctrina omnino non potest. Sane sub lege multi fuerunt perfecti, certe sub tempore Evangelii multi sunt imperfecti. Legi tamen non ascribitur illorum perfectio, sic nec Evangelio istorum imperfectio. Nam hoc illis contulit gratia divina, non autem legis doctrina.

Ex operibus legis non justificabitur omnis caro (*Galat.* II). Aliud est esse justum et aliud est esse justificatum. Siquidem Deus est justus, nec tamen justificatus. Constat autem quoniam peccatum facit hominem injustum. Quid itaque est peccatorem justificari, nisi a peccato liberari? Ex peccato namque fit homo tam obnoxius vitio quam supplicio. In uno obligatur ad culpam; in alio obligatur ad pœnam. In uno incurrit debitum servitutis, in alio vero debitum æternæ damnationis : *Qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* III) Qui autem servus est, eget redemptione ut possit liber exire. Lex autem nec docet unde homo redimi debeat, nec exhibet unde liberari valeat. Legis itaque doctrina non liberat a peccato, et (quod consequens est) ex ea non justificabitur omnis caro. Quid tamen lex facit? Docet quid homo debeat facere, docet quid debeat cavere, sed non docet quomodo possit implere. Prohibet concupiscere, præcipit Deum ex toto corde diligere; præcipit amorem ordinatum, prohibet inordinatum. Audistis quid facit, audite quid efficit. Quod prohibet a carne omni hora agitur; quod præcipit vero nunquam a carne impletur. Unde et ex ejus operibus nemo justificatur. Quidquid enim docet aut tale est quod facere non potest, aut tale quod justificare non potest. Ex his, ut arbitror intellexisti quæ sit frequentia peccandi. Attende nunc quæ sit violentia peccati. Præcipitur in lege pro certis quibusdam peccatis ut prævaricatorum alius lapidetur, alius comburatur, alius alia quacunque morte moriatur. Verumtamen multa ejusmodi crimina a legis auditoribus committebantur. Facile itaque perpendi potest quanta violentia peccati, quæ in quibusdam nec ipso mortis periculo potuit coerceri. Data itaque lege et sequente frequenti et multiformi prævaricatione, manifeste innotuit quanta sit frequentia peccandi, quantave violentia peccati. Hinc est quod cum præmissum sit ex operibus legis non justificabitur omnis caro, statim subjungitur ab Apostolo : *Per legem enim cognitio peccati* (*Rom.* III). Aperte itaque datur intelligi vel dat intelligere, quoniam per legem est sola cognitio peccati, non autem et abolitio. Nam, si abolitio, utique justificatio. Mirabitur fortassis aliquis cur non dicatur potius cognitio mandati, quam cognitio peccati; nam et illud æque veraciter potuit dici. Nam, sicut per legem sola peccati cognitio, non autem abolitio; ita per legem sola mandati cognitio, non autem ejus impletio. Sed quantum mihi videtur, si præmisisset quod ex operibus legis nemo justus esset, vel justitiam haberet, convenientius subjungeret : Per legem enim cognitio mandati, quam si diceret, per legem enim cognitio peccati. Quid enim rectius dicitur justitia quam divini mandati observantia? Hominis justificatio idem est quod ejus liberatio a peccato. Cum igitur de hominis justificatione præmiserit, facile est videre quam convenienter subjungit : Per legem cognitio peccati, potius quam cognitio mandati.

Scimus enim quod lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato (*Rom.* VII). Meritо quæritur in quorum persona Apostolus hæc dicat,

Digitized by Google

maxime propter illa, quæ consequenter adjunguntur.

Quæritur ergo utrum dicatur an in persona infirmorum vel imperfectorum, an potius in persona tam istorum quam illorum. Nam quantum mihi videtur, luce clarius constat quid de criminosis, hæc nec exponi debeant, nec recte omnino intelligi valeant. Quis enim deinceps poterit criminosum quemlibet de suo crimine rationabiliter arguere, si potest in sui excusationem apostolicum testimonium adducere, et arguenti audacter respondere: Non ego operor illud, sed quod habebat in me peccatum? Quid est enim hæc apostolica verba sic exponere ut possint etiam impiis convenire? Quid, inquam, aliud est quam operarios iniquitatis docere declinare cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis? Sed illud in his Apostoli verbis videtur esse quærendum, utrum sit dictum sub forma perfectorum, an imperfectorum? Sed quomodo potest convenire Apostolo, vel cuilibet perfecto viro, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato? Qui namque merito dicerentur spirituales, si Paulus, vel Pauli similes creduntur esse carnales? Si solis infirmioribus convenit quod hoc loco Apostolus disserit, procul dubio non efficit quod ex his verbis probare contendit. Dixerat namque de lege quod non possit conferre justitiam, quin potius quod operetur iram. Sed ne hoc crederetur esse ex vitio legis, non hominis, ideo consequenter adjungit et dicit, quoniam lex quidem sancta est, et mandatum sanctum, et justum, et bonum. Hic autem Apostolus manifeste ostendit quod ex vitio hominis sit quod ex lege justificari non possit, quoniam ad ejus implectionem omnino non sufficit. Sciendum itaque in primis quod secundum diversos respectus positiones verborum diversis modis accipimns. Aliter ergo de homine secundum præsentem statum judicamus, aliter vero secundum illum qui fuit ante peccatum. Secundum præsentem statum alii dicuntur spirituales, alii vero carnales. Sed procul dubio respectu primæ conditionis quantumlibet religiosus non immerito dicitur carnalis. Quantum autem ad præsentem statum, carnales dicuntur qui post concupiscentias suas eunt, et carnalibus desideriis deserviunt. Spirituales qui carnis desideriis fortiter resistunt, et spiritualibus studiis vehementer insistunt. Carnalium est carnis concupiscentias sentire et consentire. Spiritualium sentire, nec consentire; sed resistere, sed repugnare, sed mortificare. Sed, si ad primæ conditionis statum respicimus, in eo ipso carnales sumus quod carnis concupiscentias, et fœdas, et inordinatas delectationes sentimus. Si enim homo non peccasset, nec carnalia magis quam liceret, nec spiritualia minus diligeret quam deceret; sed in utrisque diligendis et modestiæ metas, et æquitatis mensuram, et agnoscere simul et observare potuisset. Sed postquam status sui rectitudinem homo sponte deseruit, jam semel sub peccato venundatus, et carnalis effectus ad neutrum sufficit: nam multiformiter quidem et errat judicio, et effrenatur desiderio. Quam vera itaque est illa prophetica sententia: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII), quam verum est et illud apostolicum: *Si dixerimus quod peccatum non habemus, nosipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Tam vere potest intelligi de quolibet religioso, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, unde autem et in quibus carnalis sit ostendit, cum subjungit: Quod enim operor, non intelligo. Non quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Ecce tria mala in quibus consistit carnalitas nostra. Quod facimus non intelligimus; non facimus quod volumus, facimus quod nolumus. Sed duo posteriora Apostolus conjungit, quoniam utrumque ex uno vitio descendit. Ex vitio namque concupiscentiæ descendit utrumque et quod tepidi sumus ad bonum, et fervidi ad malum: *Quod operor, inquit, non intelligo* (*Rom.* VII), et hoc illi utique ex ignorantiæ vitio. Non, inquit, quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Ex hoc utique gemino vitio accipimus, ut carnales simus quandiu in carne vivimus.

Notandum autem quod Apostolus ad unum quod præmisit duo subsequenter adjungit. Præmisit quod carnalis fuerit, et unde hoc ei inesset ex duobus subjunctis ostendit. Repetenda itaque est prima sententia, et ad utrumque subjectum in hunc modum conjungenda. Carnalis sum venundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Carnalis, inquam, sum venundatus sub peccato, non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Quisque potest experiri in semetipso quam veraciter dicatur, quod operor non intelligo. Nunquid quid operabatur intelligebat qui Domino in oratione dicebat: *Gratias ago tibi, Domine, quia non sum sicut cæteri hominum?* (*Luc.* XVIII.) Nunquid et illi quid dicerent bene intelligebant: *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus?* (*Exod.* XLII.) Verba enim videntur magnæ devotionis, et sunt vere verba magnæ præsumptionis. Sæpe unde homo putat excitare devotionem, nutrit elationem, pascit præsumptionem. Sed unde hoc, quæso, nisi quia quod agit non intelligit? Sæpe superbit homo, et nescit. Sæpe præsumit, et interim non intelligit. Pro utraque ignorantia solet subtrahi gratia divina. Nam, dum præsumptuose agit et nescit, subtrahitur gratia ne efficiat quod cupit. Dum superbit et nescit, permittitur sæpe in id cadere quod erubescit et odit, et potest dicere qui ejusmodi est: Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Errat autem non solum in discernendo, verum etiam in deliberando quantumlibet homo spiritualis, dum quod putat cooperari sibi in bonum, cooperatur sibi in malum, et quod sibi credit cooperari in malum, cooperatur in bonum. Sed unde hoc bonum accidit, nisi quia quod operatur non intelligit? Sed quid mirum si quod operamur non intelligimus, qui quid oremus, prout oportet, nescimus. Quis enim in orando decipi non

Digitized by Google

possit si apostolus Paulus in hoc ipso decipi potuit? Nam illud a se auferri ter postulavit, quod illi ob humilitatis custodiam tam misericorditer quam utiliter inflictum fuit.

Ut sapiens architectus fundamentum posui. Si quis autem superædificaverit supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam, uniuscujusque opus manifestum erit (*I Cor.* III). Sunt qui diffiniunt hoc loco fundamentum esse fidem ex dilectione operantem. Fidenter dico quod fundamentum tale nemo hominum in corde humano potest ponere. Quid credendum sit homo hominem docere potest. Sed dilectionem homo homini infundere non potest. Charitas siquidem Dei diffusa est in cordibus nostris, non per hominem, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Ut sapiens, inquit, architectus fundamentum posui. Quod, quæso, est illud fundamentum quod Paulus posuit, et a Paulo poni potuit? Certe quomodo in Christum credi oporteat Paulus docere potuit, et absque ambiguo docuit. Hoc fidei nostræ documentum constat pro certo spiritualis ædificii fore fundamentum. Primo omnium est ut sciat homo quid debeat credere, vel facere, et hoc potest homo per hominem nosse. Debet itaque prædicator veritatis diligenter edocere quid oporteat credere, quibus operibus debeat homo insistere, vel quomodo perpetrata mala per veram pœnitentiam possit delere, et hoc erit ei fundamentum ponere. Quam multi sunt qui hoc catholicæ doctrinæ fundamentum et habent, et memoriter tenent, sed multum diversa superædificant! Nam alii bona actitant, alii in spe resipiscendi peccant. Utrique ergo veræ fidei fundamentum habent, sed diversa superædificant. Alii aurum, argentum, lapides pretiosos; alii ligna, fenum, stipulam. Aurum, argentum, lapides pretiosi non possunt igne consumi. Ista sane possunt per ignem transire, et post incendium manere : *Si cujus*, inquit, *opus manserit, quod superædificavit mercedem accipiet.* Si igitur per hujusmodi mercedem acquirimus, quid aliud per aurum, argentum, et lapides pretiosos quam bona opera intelligere debemus. In lignis autem, feno et stipula quid, quæso, intelligi oportet, bona opera an mala? Ligna vero, fenum et stipulam solet ignis consumere, et velut in nihilum redigere. Sed absit ut ignis ille futurus bona opera consumere, et annihilare possit. In lignis itaque, feno et stipula non recte intelliguntur, nisi opera concrematione digna, et ad consumendum, non ad remanendum idonea. Quæ sunt ergo ista arsura et igne consumenda, nisi opera mala? *Si cujus*, inquit, *opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Qui, quæso, sunt isti operarii qui salvantur quidem non quasi per bonam operationem, sed sic utique quasi per ignem? Illud pro certo tenemus quod quilibet malus operarius per ignem purgatorium purgari non possit, nisi de perpetratis malis veraciter pœnituerit. Sola siquidem vera pœnitentia facit ut malorum perpetratio A purgatorio igne consumi atque deleri possit. Nulla autem crimina sunt adeo detestanda quæ vera pœnitentia non faciat solubilia. Videntur itaque esse duo genera operum insolubilium, unum autem genus operum solubilium, vera perseverantium bona, perseverantia non pœnitentium mala, et nullo termino delenda. Mala autem vere pœnitentium absque dubio solubilia sunt, et quæ absque dubio igne purgatorio deleri possunt. In lignis itaque, feno et stipula intelligimus quælibet mala solubilia. Sed quoniam igne consumi nequeant, sed in æternum maneant, non solum bona permansura, verum etiam mala insolubilia, quid est quod dicit, cujus opus manserit quod superædificat mercedem accipiet? Sed ad illos solummodo operarios de quibus jam antea B præmisit referendum est quod subjungit, si cujus opus manserit. Eorum itaque operariorum qui ædificant non ferrum, plumbum et stagnum, sed aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam; ejusmodi, inquam, operariorum si cujus opus manserit mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Per aurum itaque, argentum et lapides pretiosos intelligimus, ut diximus, bona perseverantia. Per ligna, fenum et stipulam mala solubilia. In auro recte satis intelligitur speculatio veritatis; in argento verbum prædicationis; in lapidibus pretiosis exercitia virtutis; in lignis, feno et stipula intellige perversitatis, superfluitatis et vanitatis opera, per veram pœnitentiam facta remissibilia. C

Mirandum fortassis videtur quibusdam quomodo Apostolus judicat flagitiosum illum qui patris sui uxorem habebat tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in diem Domini nostri Jesu Christi. Illud vero non potest in dubium venire, quod virtute, qua potuit dæmoniacum a dæmonio liberare, eadem etiam posset (ubi ratio hoc exigeret) dæmoniacæ vexationi tradere. Sed, si flagitiosus aliquis Satanæ traditur et dæmoniacus efficitur, non ei in hoc via salutis aperiri, sed intercludi videtur. Commissa siquidem crimina non possunt deleri sine vera pœnitentia. Dæmoniacus autem, cui sensus deest, quomodo veram pœnitentiam habere potest? Quomodo ergo flagitiosum illum Satanæ D tradendum Apostolus judicat, ut spiritus salvus fiat? Sciendum itaque quod vexatio dæmoniaca alia continua, alia interpolata. Continuam vexationem patitur qui nunquam quiescere sinitur, sed continuis furiis agitatur. Interpolatam autem vexationem incurrit, qui pro diversis temporibus sensum quandoque amittit, quandoque recipit, et inter multiplices fatigationes animus fatigati aliquoties ad semetipsum redit. Qui igitur interpolatæ infamiæ traditus fuerit, pro certo habet quomodo pœnitere, et eo ipso quomodo salvari possit. Quis enim poterit tam obduratæ, tam obstinatæ mentis esse, ut in ipsa suæ vexationis interpolatione, cum animus redierit ad se non doleat, et intime pœniteat illud commisisse; unde contingit et dæmoniacam vexationem incur-

Digitized by Google

risse, et omni ludibrio patere. Vide ergo quomodo ex vexationis interpolatione sæpe agitur ut ipsa vexatio fiat ei in pœnitudinem, et ex pœnitudine ipsa efficitur ut ipsa vexatio sit ei ad purgationem. Dat ergo Apostolus patenter intelligi cujusmodi vexationi criminosum illum tradi voluerit in eo quod dicit, ut spiritus salvus sit. Nam, sicut ex continua dæmonis vexatione via salutis potuit intercludi potius quam aperiri, sic e converso ex interpolata vexatione videbatur oportere aperiri, potius quam intercludi.

Notandum autem quod tradi in interitum carnis, pro certo quando homo moritur de cætero spiritus ipse carnis obsequiis pro voto non utitur. Caro itaque dæmoniaci suo quodammodo spiritui moritur, quando spiritus malignus ejus obsequiis violenter abutitur, et spiritus proprius debito sibi corporis famulatu privatur.

Mirum tibi videtur quod ab Apostolo dicitur: *Omnia mihi*, inquit, *licent* (*I Cor.* VI). Multa siquidem sunt licita, non tamen omnia. Nam multa sunt omni homini omnino illicita. Sed quod dicimus licere, duobus modis solemus accipere. Eamdem enim positionem quandoque strictius, quandoque largius accipimus. Dicimus licere quod potest fieri ordinate. Aliquando dicimus licere quod est nobis liberum facere, sive possit, sive non possit fieri ordinate. Hinc est quod de facinoroso dici solet, hoc vel illud facinus libenter fecisset, si ei hoc facere licuisset; quod est dicere, si facultatem vel opportunitatem faciendi habuisset. Hinc est quod B. Gregorius in suo Dialogo de quibusdam minus religiosis fratribus dicit, qui beatum Benedictum in abbatem elegerant, sed jam eos propter arctioris vitæ disciplinam elegisse pœnitebat, unde et eum veneno exstinguere parabant, quia videbant sibi sub eo illicita non licere. Quid est, quod dicit eis illicita non licere, nisi eos ad illicita facienda nullam sub eo licentiam, vel libertatem habere? Scimus quoniam Deus in hominis posuit libertate utrum velit bona an mala eligere. Hinc est illud Sapientis de Domino dictum: *Apposuit tibi ignem et aquam, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit dubitur ei* (*Eccli.* XV). Hinc est quod Apostolus enumeratis tot malis, subjungit, et dicit: *Omnia mihi licent*, licent utique non secundum concessionem, sed secundum solum permissionem. Secundum concessionem licent sola ordinata, secundum solam permissionem etiam inordinata. Multa enim Dominus fieri permittit, quæ tamen nulli facere concedit. Omnia, inquit, mihi licent procul dubio quantum ad permissionem, sed non omnia expediunt, nec eorum quidem quæ fiunt secundum concessionem. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate, sub nullius videlicet eorum quæ fiunt ex sola permissione. Quod enim dicit non omnia expediunt, respicit ad illam licentiam quæ est secundum concessionem. Quod vero dicit, sed ego sub nullius redigar potestate, respicit ad eam licentiam quæ est secundum solam permissionem. Multa namque eorum quæ concessa sunt majora bona impediunt, et idcirco non expediunt, nec tamen utentem servituti addicunt. Sed qui facit peccatum, servus est peccati. Si ergo volumus hanc servitutem vitare, et sub nullius redigi potestate, caute declinanda sunt quæ licent ex sola permissione. Quod autem non omnia expediunt quæ secundum concessionem licita sunt, evidenter ostendit, cum subjungit: *Esca ventri, et venter escis; Deus autem et hunc, et has destruet* (*I Cor.* VI). Escæ utique ad ventris refectionem sunt factæ, et idcirco secundum concessionem licitæ, nec tamen expedit eis nimis indulgere, et studia necessariora omittere. Nimia namque eorum indulgentia ad quid valet, cum veraciter constet quod Deus hunc et has destruet. Quod autem non omnia quæ licent secundum permissionem, liceant secundum concessionem, subsequenter ostendit cum protinus adjungit: *Corpus autem non fornicationi sed Domino, et Dominus corpori* (*ibid.*). Escæ quidem ad vescendum, venter autem ad utendum. Sed corpus non ad fornicandum, sed suo Domino ad serviendum. Quod enim fornicari possumus sæpe cum volumus, non est indulgentia concedentis, sed probatio, vel desertio permittentis. Superius dixerat quod fornicarii regnum Dei non possidebunt, sed quia prævidebat multos fore qui hoc difficile crederent, et qui fornicationis malum non adeo damnabile putarent, ideo consequenter ostendit in duobus quid de hoc malo sentire debemus. Ostendit namque hujusmodi malum quam sit profundum, et quam sit præ omnibus intimum. Ex opere siquidem fornicationis tolluntur membra Christi, et fiunt membra meretricis. Hinc est videre hujusmodi malum quam sit profundum, quod de tanta sublimitate dejicit in hoc imum et fœdum. Audi et hoc ipsum quam sit præ omnibus intimum: *Omne*, inquit, *peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur, in corpus suum peccat* (*I Cor.* VI). Sed, si volumus jura apostolicæ sententiæ plenius intelligere, oportet nos considerationem nostram altius attollere. Homo, ut in commune novimus, consistit ex gemina substantia, una corporea, alia incorporea. Corporea mori potest: incorporea non potest. Incorporea sine alimento subsistere potest, corporea vero omnino non potest. Sed corporea quidem substantia, quæ naturam suam de seipsa servare non potest, de seipsa instaurare, imo et multiplicare potest, quod spiritualis substantia omnino non potest. Vides certe quia alia est prærogativa corporeæ substantiæ, alia est prærogativa substantiæ incorporeæ. Prærogativa incorporeæ substantiæ, quod potest in æternum, et sine subsidio subsistere. Prærogativa corporeæ substantiæ, quod potest de sua substantia conformem sibi substantiam producere, et sui generis naturam seminando multiplicare. Hanc autem conformitatem substantiæ non possumus de nobis producere sine

Digitized by Google

distractione, ut sic dicam, propriæ substantiæ. Generatio namque prolis non fit sine quadam decisione generantis. In quo et illud notandum quod hæc parentis in hoc opus decisio non fit, sed nec fieri potest de quolibet corporis membro, sed eruitur ab intimo et velut de quodam sui generis thesauro in intimis misso, et in id officii recondito. Sed cum nihil excellentius datum videatur corporeæ substantiæ hac dote naturæ, gloriosius tamen est ab hoc officio cessare, quam exercere, eo quod post corruptionem naturæ impleri non possit sine libidine, et fœda delectatione. Nam quod licet hoc exercere in propria conjuge, et causa tantum prolis generandæ, hoc ipsum si bene attendas, indulgentiæ est potius quam pudicitiæ. Est autem in potu et cibo non modica delectatio, nec tamen est vitiosa, nisi cui nimia fuerit, et in crapulam, vel ebrietatem transit. In crapula autem et ebrietate est quædam distractio alienæ substantiæ. In opere vero libidinis est quædam distractio et decisio propriæ substantiæ. Ibi quidem vitiositatis exactio fit in corpore alieno. Hic autem in corpore proprio, imo ab ipsius corporis intimo. Bene itaque de reliquis dictum est, quoniam omne peccatum extra corpus est. Peccat autem non modo in intimo sui, sed et in ipsum corpus suum qui fornicatur, quoniam in turpitudinis usus corpus suum exinanire videtur et divini muneris prærogativa tam in suas quam in alienas sordes abutitur.

Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quomodo oporteat eum scire (*I Cor.* VIII). Quid, quæso, ad ista dicemus? Ut de cæteris taceamus, quid de ipso Apostolo dicturi sumus? Si Apostolus se aliquid scire non æstimabat, qua fronte cæteros prædicando, scribendo, docere satagebat? Et si verum esse non existimat quod ex verbis præmissis denuntiat, quid, quæso, idipsum tam constanter affirmat? Si se aliquid scire non existimavit, quid est quod superius præmisit, cum dicit: De his autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus? Sed hoc ipsum quod hoc loco videtur dicere in sequentibus videtur contradicere. Sed non in omnibus, inquit, est scientia. Quomodo, quæso, omnes scientiam habent, si in omnibus scientia non est, et eam habentibus quomodo deesse potest? Sciendum itaque est quod alia est illa scientia quam habent omnes. Alia autem quam quidam non habent, sed habere valent. Alia vero quam in hac vita nemo habet, sed nec habere valet. Omnes scientiam habemus, ecce de prima. Non in omnibus est scientia, ecce de secunda. Ad tertiam autem respicit Apostolus in eo quod dicit: *Si quis autem se existimat aliquid scire, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire* (*Rom.* II). Scientiam discernendi inter verum et falsum, bonum et malum, justum et injustum, quamvis alii perfectius, alii imperfectius, omnes tamen in commune habemus Judæi, Græci, Barbari et Latini. Nam si ista scientia fidelibus et infidelibus communis non esset, nullo modo Apostolus dixisset: *Cum enim gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis* (*ibid.*). Ecce de scientia quam omnes habent. Sed scientiam quæ cum accepta gratia cuique sufficiat ad salutem multi non habent, adhuc tamen habere valent. De ejusmodi scientia intelligitur quod rectum ab Apostolo dicitur: *Sed non in omnibus est scientia* (*I Cor.* VIII). Quam ejusmodi scientiam ibi intelligi voluit, ostenditur in eo quod præmisit. Nam, etsi sunt qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illo; et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, et nos per ipsum. Ad hoc autem illam quæ omnibus est communis accipimus, ut illam quæ sufficiat ad salutem quærere et invenire possimus. Hanc autem vere salutis scientiam, alii habent majorem, alii minorem, et contingit sæpe salvari eos qui habent minorem, et perire eos qui habent majorem. Magnitudo namque scientiæ quibusdam est fomes superbiæ, et eo ipso causa ruinæ. Hoc ipsum innuit qui dicit: *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi angelus Satanas stimulus carnis meæ qui me colaphizet* (*II Cor.* XII). Nemo autem qui est in hac vita ad plenum potest scire utrum jam cum accepta gratia, scientia quam habet possit sibi ad salutem sufficere. Hæc est scientia quam in hac vita nemo habet, nemo apprehendere valet: *Et si simplex*, inquit Job, *fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea* (*Job* IX). In eamdem sententiam currit quod Salomon dicit: *Nescit homo utrum amore an odio dignus sit* (*Eccle.* IX). Habemus ex ejus sententia quod ignoret homo quid conducat sibi in vita sua. Habemus secundum eumdem: *Quia nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo sic*, etc. (*Ibid.*) Ex his itaque verbis pro certo intelligimus quod certe securitatis scientiam in hac vita habere non possumus. Si igitur secundum Salomonem omnia in futuro incerta servantur, vide quid tibi sentiendum sit de scientia tua. Certe etsi magnum quid videatur secundum quantitatem, nescis si vel modicum quid sit, nescis si vel aliquid sit omnino tibi ad utilitatem. Qualis, quæso, dicenda illa existimatio rei de qua nescis quantum ad te, utrum sit aliquanti vel nihili. Debemus itaque quantum possumus ad scientiam proficere, quantumcunque tamen profecerimus pro nihilo reputare, quandiu non possumus de ejus fine certum judicium habere. Juxta hanc itaque considerationem recte intelligitur quod per Apostolum dicitur: *Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire.*

Omnis amor aut est solum gratuitus, aut solum debitus, aut debitus simul et gratuitus. Modis autem duobus intelligi potest amor gratuitus. Recte dicimus dilectionem gratuitam quæ est secundum solam gratiam. Plenitudo veri et summi amoris est

Digitized by Google

quando tantus et talis est quo major vel melior esse non potest. Ubi non est summa perfectio, non valet, sed nec debet esse summa dilectio. Secundum solam gratiam est quod pro beneplacito tribuentis juste impendi, vel non impendi potest. Sed a divina excellentia omnino alienum est quidquid secundum solam gratiam dici potest. Item amor gratuitus non incongrue dicitur, ubi tribuenti omnia nil nisi amor retribuitur.

IN APOCALYPSIM JOANNIS LIBRI SEPTEM.

PRIMUS PROLOGUS IN SEPTEM LIBROS

Accipe, frater charissime, hoc sententiarum munus, quas tibi de verbis Apocalypsis beati Joannis apostoli et evangelistæ fieri postulasti. Libenter enim in hoc opere studii nostri labores impendimus, ut habeas ex hoc quoque libro, sicut ex cæteris plerisque Novi vel Veteris Testamenti libris quod sensum tuum erudiat, affectum accendat, studium ad majora promoveat, et perducat; et, sicut alibi diximus, ex his omnibus nobis gratiam non damus, sed Deo, de cujus dono, et sanctis doctoribus, de quorum plenitudine haurimus quæ propinamus. Liber iste per septiformem Spiritus sancti gratiam editus, septem episcopis, et septem Ecclesiis Asiæ directus, ac potius universali Ecclesiæ sanctæ per orbem circumquaque dilatatæ septem spiritualibus donis ditatæ divina providentia ad eruditionem et consolationem datus per septem divisiones distinguitur. Posito namque titulo libri ubi additum est, Joannes septem Ecclesiis. Prima visio sic incipit, ubi dicitur : *Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Jesu.* Secunda visio incipit, ubi scriptum est : *Post hæc vidi et ecce ostium apertum in cœlo, et vox prima quam audivi tanquam tubæ loquentis mecum.* Tertia, sic incipit : *Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ.* Quarta visio incipit, ubi ait : *Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus.* Quinta visio incipit, ubi dicit : *Et vidi aliud signum in cœlo, magnum et mirabile, septem angelos habentes plagas novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei.* Sexta visio incipit his verbis : *Et post hæc vidi alium angelum descendentem de cœlo habentem potestatem magnam.* Septima visio incipit, ubi scriptum est : *Et vidi cœlum novum et terram novam.* Secundum istarum itaque septem visionum distinctionem, quidquid exponendo dicimus, per septem libros dividimus. Primus etenim liber tractat de visione prima. Secundus liber tractat de visione secunda. Tertius liber tractat de visione tertia. Quartus liber tractat de visione quarta. Quintus liber tractat de visione quinta. Sextus liber tractat de visione sexta. Septimus de visione septima. Accipe itaque, charissime frater, schedulam istam, in qua et si tantam medullam mirabilium mysteriorum non valeam attingere, aliqua tamen circa superficiem studeo carpere, in quibus invenies plurima tuæ prudentiæ utilia, si ea quæ scripta sunt legere, et memoriæ commendare curaveris.

PROLOGUS ALTER

Joannis evangelistæ vitam brevi stringens sermone, necnon et causam suscepti operis.

Beatus Joannes cœlestium mysteriorum theologus, quem Christus de nuptiis revocavit, apostolum et evangelistam constituit, qui privilegio dilectus amoris, supra pectus Domini familiariter in cœna recubuit, cui Christus in cruce matrem commendavit. Post divisionem apostolorum in orbem universum, divina disponente providentia, in Asia Minori sacræ fidei verbum post beatum Paulum, sicut legitur, prædicavit. Habet Asia septem civitates : Ephesum, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardin, Philadelphiam, Loadiciam, inter quas Ephesus metropolis est aliarum. Ordinatis itaque episcopis in præfatis civitatibus cum archiepiscopo, ipse sanctus Joannes vacabat prædicationi; unde audita hac beati apostoli evangelizandi constantia, in ferventis olei dolium Domitianus imperator eum misit, et cum inde illæsus exisset, in Patmos insulam quæ in mari Syrico sita est, eum

Digitized by Google

in exsilium relegavit. Et dum ibi detineretur, per negligentiam pastorum in Ecclesiis Asiæ quædam vitia pullulaverunt, de quorum emendatione, et de præsenti ac futuro statu Ecclesiæ universalis visionem sibi a Domino revelatam scripsit, et suis Ecclesiis seriatim legendam misit. Domitiano autem a senatu interfecto, cum omnia decreta ejus Romani irrita fieri jussissent, Joannes ab exsilio liberatus, cum magno gaudio Ephesum est reversus. Post aliquantum vero temporis, insurgentibus in eadem provincia hæresibus de fide Trinitatis, rogatus a fratribus ad confirmandam fidem quam docuerat, scripsit Evangelium. Postmodum multis virtutibus claruit, ac deinde in pace quievit.

LIBER PRIMUS.

DE VISIONE PRIMA.

PROLOGUS

Deus immensus et æternus, qui loco non capitur, nec tempore mutatur, qui immensa Deitate sua et æterna cuncta potenter condidit, ipse idem bonitate sua sponsam suam, sanctam videlicet Ecclesiam de culpa et pœna misericorditer redemit, et eam de exsilio servatam, et ad beatitudinem supernam sub cursu et mutabilitate temporis præparatam spiritualibus bonis ditat, et in aliis electis ejus in mundo circumquaque dilatat, et in aliis in cœlo beatificat et exaltat. Quam quoque ipse Pater luminum, id est auctor donorum spiritualium, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit quotidie, per idoneos ministros Novi Testamenti instituit et regit, et per arctam et arduam viam quæ ducit ad vitam, ad cœlestia bona ducit. In hac via pedibus sanctæ Ecclesiæ de valle lacrymarum ad superna gaudia scandentis, lucerna est sermo propheticus, cui ne hujus vitæ ignorantia deviet incendit quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco. In quo prophetia beati Joannis quæ in hoc libro continetur, quam ei mediator Dei et hominum homo Christus Jesus ad illuminandam sanctam Ecclesiam revelavit, tanto gloriosior et lucidior enitescit, quanto sublimiora et lucidiora de Christo et Ecclesia oracula describit. In hoc etenim est aliis excellentior prophetiis quod de Christo et Ecclesia magna ex parte sacramenta adimpleta denuntiat, et sicut Evangelium legis observantias, sic ista prophetia excellit veteres a longe respicientes prophetias, quæ fere tot habet sacramenta quot habet verba. Et parum dictum est, quia pro merito voluminis omnis laus inferior est. In singulis etenim verbis ejus multiplices latent intelligentiæ. Exhortando autem hæc Apocalypsis, id est revelatio, sanctam Ecclesiam ad patientiam, multiplices describit tribulationes, pressuras et persecutiones quas in mundo patitur, et præmia superna quæ post decursum temporum in cœlo consequetur. Primum vero ad declarationem operis consequentis titulum proponit. Deinde salutationem septem Ecclesiarum Asiæ, quibus librum istum mittit, adjungit, et sic ad narrationem septem visionum per quas liber idem distinguitur accedit.

CAPUT PRIMUM.

De titulo, et de quatuor generibus visionum.

Apocalypsis Jesu Christi. Quatuor sunt visionum modi, ex quibus duo sunt intra, et duo foris. Duo sunt corporales, duo sunt spirituales. Visio namque prima corporalis est, quando oculos ad exteriora et visibilia aperimus, et cœlum, et terram, figuras et colores rerum visibilium videmus. Sed hæc visio infima et infirma est : quæ, quia angusta est, maxima non comprehendit; et quia hebes est, minima non discernit, et quia pigra est, non attingit remota; et quia perspicax non est, non penetrat occulta. Quæ nihil denique mysticæ significationis continet, sed tantummodo corporei sensus motum et actionem habet. Alia quoque visio corporalis est, quando species, vel actio sensui visus foris ostenditur, et intus magna mysticæ significationis virtus continetur, qualis fuit visio quæ Moysi in rubo quidem extrinsecus visibiliter apparuit, sed typica significatione plena fuit. Quid namque accipimus per flammam, nisi Spiritus sancti gratiam? Quid per rubum arborem parvulam, asperam, viridem, floridam, nisi beatam Mariam virginem per sui contemptum humilem, per exercitium virtutum asperam contra mollitiem, viridem per fidem, floridam per castitatem. Domino itaque apparente in rubo, flamma rubum non læsit, et Filio Dei carnem in virgine sumente, obumbrante Spiritus sancti gratia, pudor virginalis illæsus permansit. Longe igitur sublimior et excellentior est iste visionis modus secundus quam primus; quia primus a mysterio penitus vacat, secundus cœlestis sacramenti virtute redundat. Unde et Moyses de eadem visione dixit : Vadam, et videbo visionem hanc magnam. Revera etenim visio magna fuit quæ et præsens tunc miraculum exhibuit, et incarnationem Verbi, et Virginis matris perpetuam integritatem designavit. Tertius visionis modus non fit oculis carnis, sed oculis cordis : quando videlicet animus per Spiritum sanctum illuminatus formalibus rerum visibilium similitudinibus, et imaginibus præsentatis quasi quibusdam figuris et signis ad invisibilium ducitur cognitionem. Quartus visionis modus est, cum spiritus humanus per internam aspirationem

Digitized by Google

subtiliter ac suaviter tactus nullis mediantibus rerum visibilium figuris sive qualitatibus spiritualiter erigitur ad cœlestium contemplationem. De istis duobus modis visionum qui non corporaliter, sed spiritualiter fiunt, sic intulit B. Dionysius Areopagita in libro Hierarchiæ, dicens : « In sacratissimorum eloquiorum præter radiatas illuminationes quando possibile est respiciemus symbolice nobis et anagogice manifestas cœlestium animorum, id est, spirituum hierarchias, id est, quantum ad sensum cœlestes pontificatus, quantum possumus considerabimus. » Symbolum est collectio formarum visibilium ad invisibilium demonstrationem. Anagoge, ascensio sive elevatio mentis ad superna contemplanda.

Notat autem hic duplicem modum revelationis divinæ, quæ theologorum et prophetarum mentibus infusa est per visiones et demonstrationes, quas Græci vocant theophanias, id est divinas apparitiones, quæ aliquando per signa sensibilibus similia invisibilia demonstrata sunt. Aliquando per solam anagogen, id est mentis ascensum in superna pure contemplata. Ex his vero duobus generibus visionum duo quoque descriptionum genera in sacro eloquio sunt formata. Unum quo formis, et figuris, et similitudinibus rerum occultarum veritas obumbratur. Aliud quo nude et pure sicut est absque integumento exprimitur. Cum itaque formis, et signis, et similitudinibus manifestatur quod occultum est, vel quod manifestum est describitur, symbolica demonstratio est ; cum vero pura et nuda revelatione ostenditur, vel plana et aperta ratione docetur, anagogica. Cum vero secundum ea quæ dicta sunt quatuor sint visionum modi, duo foris et duo intus duo corporales et duo spirituales, quærendum est quonam modo sanctus Joannes hanc Apocalypsim, id est revelationem, viderit ? Sed constat quod duobus primis videndi modis quæ foris corporaliter fiunt eam minime viderit, cum ipse eam in spiritu se vidisse testatur, dicens : *Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Jesu, fui in insula quæ appellatur Patmos propter verbum Dei, et testimonium Jesu Christi ; fui in spiritu in die Dominica.* Qui enim in spiritu vidit, non oculis carnis vidit, sed oculis cordis. Sed nec quarto modo illum hanc vidisse probatur, cum ipse quartus visionis modus nullis mediantibus corporalium substantiarum formis fieri credatur, scilicet, ne ipse valeret hoc modo visa malis abscondere, nec nos possemus absque cognitis verbis et usitatis visibilium figuris quæ nullis characterizantibus figuris vidisset tam convenienter intelligere. Liquet igitur quod eam tertio videndi modo contemplatus sit, eo præsertim quod liber iste formalibus rerum temporalium plenus sit similitudinibus, videlicet cœli, solis, lunæ, nubium, imbrium, grandinum, fulgurum, tonitruorum, ventorum, avium, piscium, bestiarum, animalium, serpentium, reptilium, arborum, montium, collium, aeris, maris, terræ et aliarum rerum, quæ modo sensui non occurrunt. Necessarium erat enim nostræ infirmitati quæ summa nonnisi per ima, spiritualia nonnisi per corporalia valet capere, non ignota per ignotiora, sed ignota per cognita noscere. Unde B. Dionysius in libro prædicto, ait : « Neque possibile est animum nostrum ad non materialem illam ascendere cœlestium hierarchiarum et imitationem et contemplationem, nisi ea quæ secundum ipsum est materiali manuductione utatur. » Materialem manuductionem vocat rerum corporalium imagines, per quas in sacra Scriptura ea quæ incorporea et invisibilia sunt, figurantur. Ex quibus quasdam ipse S. Dionysius mirabili subtilitate exponit, declarans quæ sint formativæ angelicarum virtutum imagines, qui digiti, quæ humana effigies, qui oculi, quæ nares, quæ aures, quæ ora, quis tactus, quæ palpebræ, quæ supercilia, quis auditus, qui dentes, qui humeri, quæ brachia et manus, quod cor, quæ pectora, quæ dorsa, qui pedes, quæ alæ, quæ nuditas, quis lucidus amictus, quis habitus sacerdotalis, quæ zonæ, quæ virgæ, quæ arma, quæ secures, qui geometrici fines, qui venti, quæ nube, quod æs, quod electrum, qui colores diversorum lapidum, quæ leonis forma, quæ aquilæ species, qui equi, quæ differentiæ equinorum colorum ; quæ flumina, qui currus, quæ rotæ, quod dicunt gaudium angelorum. Animus itaque noster quia visibilia novit, invisibilia non novit, nisi uteretur manuductione materiali, id est rerum corporalium similitudine, quæ secundum ipsum est, id est, quam novit, ad immaterialem minime posset ascendere contemplationem. Ideo tam multiformes in sacris revelationibus repræsentantur visibilium imagines, ut mens nostra per assueta ad occulta discat penetrare bona quæ videre consuevit. Nec solum excellentissimarum rerum visibilium præclaris et lucidis similitudinibus, quæ invisibilia sunt figurantur, sed mediarum et infirmarum rerum qualitatibus multoties convenientissime designantur. Nam quia nihil eorum quæ sunt, est universaliter boni participatione privatum, quia teste Scriptura : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et valde bona erant* (*Gen.* I). Possunt etiam quælibet infima et minima, et quæ respectu aliorum videntur deformia non inconvenienter invisibilia figurare, et de his prædictus theologus sic ait : « Aliquando, inquit, theologi illi (id est, qui de Scripturis divinis loquuntur) ipsam invisibilem videlicet sapientiam ex luminibus pretiosis laudant, ut solem justitiæ, ut stellam matutinam, ut animum sancte orientem, ut lumen incircumvolute et invisibiliter resplendens. Aliquando vero ex mediis, ut ignem innocue splendentem, ut aquam vitalis plenitudinis datricem, et symbolice dicendum, id est, ut figurative dicantur in ventrem subeuntem, fluminaque redundantem immensurabiliter refluentia. Aliquando autem ex novissimis (id est infimis) ut unguentum suave, ut lapidem angularem. Sed et bestialem ipsi formam circumponunt, et leonis ei et pantheræ specialitatem coaptant, et pardalem eam esse dicunt ut ursam sævientem. Addam, inquit, et

Digitized by Google

quod omnium vilius est, esse et magis significare visum est, quia et vermis speciem ipsam seipsum circumformantem divina sapientes (id est ipsi theologi) tradiderunt.

Notate quod dicitur, quod omnium vilius est, hoc magis visum est significare, vermis videlicet qui Christum significat, ubi ipse Christus per prophetam de se secundum carnem assumptam ait: *Ego sum vermis* (*Psal.* XXI). Sicut enim vermis sine coitu nascitur de terra, sic Christus sine virili semine natus est de Maria. Vermis ergo qui vilior omnium dicitur, magis, id est convenientius, significare videtur. Quia omnis figura tanto evidentius veritatem demonstrat, quanto per dissimilem similitudinem figurat se esse et non veritatem probat atque nostrum animum in hoc magis dissimiles similitudines ad veritatem reducunt, quo ipsum in sola similitudine manere non permittunt. Unde sacra Scriptura mira providentia ad deformium deformes rerum qualitates descendit, et ex immaterialium et invisibilium significatione sunt quæ non sinant nostrum animum in se quiescere, sed ad immaterialia ab omni materialium similitudine longe remota sua deformitate cogant pertransire justo et non probante tam deformibus, et sic temporalibus rerum qualitatibus divina et spiritualia similia non esse illis, nec quidquam de istis inesse posse. Nam, si semper ex lucidis, claris et pretiosis significativæ similitudines in sacro eloquio ponerentur, leviter seduceretur animus humanus, illorum animus maxime qui nihil altius visibilibus bonis intelligunt, et secundum eumdem theologum Dionysium æstimaremus forsitan in cœlestibus esse quasdam auriformes essentias, et quosdam viros fulgureos decora indutos vestimenta, et cætera talia quibuscunque sacra theologia mysticos velat intellectus. Aliquando vero superessentialis divinitatis beatitudinem laudant in Scripturis, ut rationem et intellectum, et essentiam divinam, rationalitatem et intellectum, et sapientiam ejus declarantes, et vere ipsam esse existentem subsistentiam, et veram causam subsistentiæ eorum quæ sunt eam esse demonstrantes, et quasi lumen eam formam, et vitam vocant. Et quamvis ista materiales formationes superare quoque modo probentur, et castiorem videantur habere significationem ad illam ineffabilem et incomprehensibilem et interminabilem divinitatem, deficiunt tamen et ipsa ad veritatem, sicut est, exprimendam. Etenim super omnem essentiam, et vitam nullo lumine ipsam caracterizantem, omnique ratione et intellectu ab ipsius similitudine incomparabiliter derelictis et longe remotis. Quamvis namque creatura rationalis ad imaginem et similitudinem sui facta sit Creatoris, magna enim differentia est inter creaturam et Creatorem, et deficit comparatio ejus ad illum. Beatus igitur Joannes relegatus in exsilio, a strepitu mundi et inquietudine remotus, et quieti deditus, hanc Apocalypsim a Domino tertio videndi modo, ut supra probatum est, ad utilitatem Ecclesiæ sanctæ accepit et scripsit. In eo autem quod in quiete positus revelationem accepit, significetur nobis quod illi qui internam quietem diligunt, ipsi de invisibilibus bonis mira cognoscunt, et quanto se a temporalibus amplius elongant, tanto magis æternis appropinquant. Qui enim se negotiis sæcularibus implicant, ab internis et æternis semetipsos alienant, nec valent de invisibilibus magna considerare, qui a visibilibus animum nesciunt revocare. Si ergo Deo propinquare volumus, ab exterioribus ad interiora mentem reducamus, ut sic in secreto quietis positi, possimus cœlestia contemplari. Hinc nos admonet sermo divinus dicens: *Vacate et videte quoniam ego sum Deus* (*Psal.* XLV), quasi diceret: Nisi a mundi perturbationibus vacetis, me contemplari non valebitis. Ab exterioribus igitur vosmetipsos colligite, et interius per quietem quis ego sum videte. Tanto namque mens humana spiritualibus viciniorem facit, quanto longius post se temporalia derelinquit vel corporalia, et tanto clarius atque perspicacius summis intendit, quanto ab infimis proprii luminis radios avertit. Et quamvis mare sæcularium perturbationum foris per circuitum fluctuet, ipsa tamen si per internam aspirationem intra semetipsam fuerit collecta, quasi in cujusdam insulæ stabilitate posita divinis per contemplationem inhæret: *Apocalypsis Jesu Christi*. Jesus, et Christus duo principalia Salvatoris nomina sæpissime recitantur in divina pagina. Sed Jesus quamvis in se habeat magnam significationem, dignoscitur tamen esse nomen proprii vocabuli. Christus autem nomen tantum sacramenti. Jesus interpretatur *Salvator*. Multi fuerunt ante eum hoc vocabulo Jesus nuncupati, sed nullus eorum salvavit aliquem a peccato suo. Iste vero salvum fecit populum suum a peccatis eorum.

Peccatum aliud originale, aliud actuale. Originale est quod nascendo a parentibus contrahimus. Actuale, quod postmodum ipsi operamur. Sed Jesus noster Salvator ab utroque nos salvat, quia per gratiam baptismi ab utroque nos liberat. Item duo videntur esse vitia principalia: malitia et luxuria, ex quibus quasi fontibus duobus cætera mala quasi flumina sunt profluentia. Nam, licet etiam gula sit vitium carnis, luxuria tamen magis videtur esse gulæ, quia luxuria non cessat effundere quidquid gula potest deglutire. Et sic probatur gula velut famulatrix, et ministra luxuriæ ad luxuriam pertinere. Gula enim in ventrem congregat, unde luxuria voluptates spargat; et quanto luxuria satagit congregata dissipare, tanto laborat amplius gula per cibos dissipata restaurare. Malitia corruptio totius animi spirituale est vitium, et spiritualium fons, et origo vitiorum. Sunt ergo duo maxima vitia malorum omnium causa: malitia et luxuria. Intus est malitia, foris est luxuria; malitia in corde, luxuria in carne. Malitia est inquinamentum spiritus, luxuria inquinamentum carnis. Malitia generat rugam, luxuria maculam. Malitia fomes est vitiorum

Digitized by Google

spiritualium, luxuria vero carnalium. Ista duo vitia bene distinguit, et designat sacra Scriptura ubi ait : *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap.* I). Ubi enim ait, in malevolam animam non introibit sapientia, designat malitiam. Ubi vero ait, in corpore subdito peccatis, designat luxuriam. De his quoque Psalmista ait : *Incensa igni, et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt* (*Psal.* LXXIX). Incensa namque in carne per luxuriam, et suffossa in corde per malitiam, ab increpatione vultus Domini peribunt ; quia, cum Dominus manifestabitur ad judicandum, ibunt luxuriosi et malitiosi, ipso increpante, in ignem æternum. Hæc duo etiam vitia in Ismael qui reproborum figuram tenet recte significantur. Ibi namque scriptum est : *Hic erit ferus homo. Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum, et e regione fratrum suorum figet tabernacula* (*Gen.* XVI), hic designatur malitia. Ubi vero scriptum est, quod mater sua accipiet ei uxorem de terra Ægypti, exprimitur luxuria. Quid est enim Ægyptus, quæ interpretatur *tenebræ*, nisi cæcus ubi se non videat esse cæcum? Quid est uxor Ægyptia, nisi luxuria cæca? Reprobi ergo quique cæci sunt, et manus eorum contra omnes sunt, et manus eorum provocant adversum se, et e regione fratrum suorum figunt tabernacula per superbiam cordis malitiam et uxorem sortiuntur de Ægypto per luxuriam carnis cæcam. Sic et Nehemias ista duo mala exprimit, ubi se egressum ante fontem draconis et portam stercoris ad considerandum murum Hierusalem dissipatum describit (*II Esdr.* II). Quid etenim per fontem draconis significatur, nisi fons malitiæ? Quid per portam stercoris nisi fetor luxuriæ? Quid per murum Hierusalem figuratur nisi illi qui in sancta Ecclesia firmiores existimantur? Ad fontem itaque draconis, et ad portam stercoris murus Hierusalem dissipatus demonstratur, cum illi qui videbantur fortiores et sublimiores in sancta Ecclesia, per malitiam, sive per luxuriam labuntur ad inferiora. Sunt duo ergo ista vitia maxima, videlicet malitia, quæ ideo malitia potest dici, quia mala quibus spiritus corrumpitur nomine designat, et luxuria, quæ carnalium vitiorum materia videtur existere. Sed Deus noster, Salvator noster, ab omnibus nos salvat, quia ab omni inquinamento carnis et spiritus per suam gratiam potenter nos emundat. Merito ergo tali vocatus est nomine, qui tam mirabilis et tam magnificus est potestate. Christus autem non est nomen proprii vocabuli, sed est nomen solummodo sacramenti : Christi namque in Veteri Testamento dicebantur qui unctione materiali in reges, vel sacerdotes ungebantur. Sed Redemptor noster non est unctus materiali unctione, sed Spiritus sancti plenitudine. Unde scriptum est : *Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV). Et non solum in se ipse est unctus per Spiritus plenitudinem, sed electos suos ungit per ejusdem Spiritus participationem. De plenitudine enim ejus nos omnes accepimus (*Joan.* I). Ascendens enim Christus in altum dedit dona hominibus (*Psal.* LXVII). Et Apostolus ait : *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem datur sermo sapientiæ* (*I Cor.* XII), etc. Hæc est unctio in capite, quæ descendit in barbam, et in oram vestimenti (*Psal.* CXXXII). Caput signat Christum qui est caput omnium fidelium. Barba quæ capiti inhæret, et est signum virilitatis, apostolos designat qui Christo, dum in mundo conversatus est adhæserunt, et adhærendo cum eo comederunt, et biberunt, etiam ejus salutiferam doctrinam audierunt, et miracula viderunt, et post ascensionem ejus, accepto plenius Spiritu sancto, confortati viriliter egerunt, quia fidem ipsius per regna mundi confidenter prædicaverunt, propter nomen ejus in consiliis traditi, in synagogis flagellati, ante reges et præsides ducti. Et in his omnibus viriliter vicerunt, euntes a conspectu concilii gaudentes, quando digni habiti sunt pro nomine ejus contumeliam pati. Ora vestimenti ultimos figurat justos qui erunt in fine sæculi. Unctio itaque Spiritus sancti quæ est in capite, id est in Christo, secundum plenitudinem, in barbam, id est in apostolos, descendit secundum participationem quando illis ait : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX), et quando post ascensionem suam illis eumdem Spiritum misit, et gratiam linguarum distribuit. Descendit quoque in oram vestimenti, quia idem Spiritus sanctus tribuetur etiam illis qui futuri sunt in fine mundi. Possumus etiam per barbam superiores quosque et perfectos accipere, et per oram vestimenti inferiores. Sed unctio in utroque descendit, quia Dominus per gratiam suam pusillis cum majoribus benedixit. Ista ergo duo nomina Redemptoris humani generis Jesus Christus, in Novo Testamento crebrius quam in alio recitantur. Jesus, quia salvos nos facit a peccatis nostris; Christus, quia unctus est Spiritu sancto præ cunctis participibus suis. Sequitur :

Quam dedit illi Deus palam facere servis suis. Notandus ordo dandi. Deus enim dedit Christo, Christus angelo, angelus Joanni, Joannes septem Ecclesiis Asiæ, Ecclesiæ Asiæ universali matri Ecclesiæ. Universalis mater Ecclesia quotidie per voces doctorum dispensat et distribuit eam mentibus fidelium singulorum. Si omne datum optimum, et omne donum perfectum quod desursum a Patre est in prædestinatos ad vitam descendit, et in eos varie et pulchre multiformiterque procedit, et eos ad sinum matris vocantis congregat, et ad ipsius simplicitatem coadunat. Sed bonum cœleste quod nos videmus per speculum et in ænigmate hoc spiritus angelici contemplantur facie a faciem. Quod nos cognoscimus ex parte, hoc illi cognoscunt sicut et cogniti sunt. Nam, quemadmodum oculi sani solarem fulgorem pure conspiciunt, infirmi vero nonnisi obstaculo interposito illum cernere nequeunt, sic invisibiles cœlestium essentiarum spiri-

Digitized by Google

tus quos labentibus reprobis angelis nulla potuit malitia corrumpere, divinæ claritatis splendorem immediate suscipiunt, homines vero qui peccatorum obtenebrantur caligine, plerumque nisi mediantibus figuris illum conspicere non possunt. Sed cum mortale hoc induerit immortalitatem et corruptibile incorruptionem, tunc homines translati ad sortem angelicæ mansionis, participes etiam erunt ejusdem contemplationis, et bonum divinum quod modo sæpe ministrantibus angelis, et mediantibus figuris suscipiunt in tempore, cessantibus ministris et figuris sublatis possidebunt in æternitate. Interim autem donec occurramus in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi datum optimum et donum perfectum quod a Deo fonte boni derivatur, plerumque per angelos et per ea quæ sensibilibus sunt similia hominibus gradu sive merito superioribus ministratur, et per superiores inferioribus dispensatur. Causa quoque revelationis divinæ in titulo libri declaratur cum dicitur : *Palam facere.* Ad hoc namque dedit illi Deus ipsam Apocalypsim, ut eam palam faceret. Vult etenim Deus ut talentum expandatur, vult ut lucrum referatur. Vult ut bonum quod cognoscimus palam faciamus, et quod ab aliis didicimus alios doceamus. Vult ut quod aure et in cubilibus audivimus super tecta prædicemus et lucerna divinæ cognitionis in animo accensa non abscondatur sub modio taciturnitatis, sed ponatur super candelabrum prædicationis, sicut in fine Apocalypsis ipsius scriptum est : Qui *audit dicat : Veni* (*Apoc.* XXII). In scientia enim abscondita, et in thesauro inviso nulla est utilitas. Sicut ergo scienti bonum facere et non facienti peccatum est illi, ita et scienti bonum dicere, et non dicenti peccatum est. Quibus etiam manifestari sacra revelatio debeat, demonstratur cum subjungitur : *Servis suis.* Non superbis philosophis, non incredulis Judæis, non immundis Christianis. Non enim debent sancta canibus dari, nec margaritæ ante porcos spargi. Canes sunt infideles fidei sacræ persecutores, et ipsam oblatrantes. Porci falsi Christiani, fidem quidem quantum ad credulitatem habentes, sed semetipsos vitiis more porcorum sordidantes. Utrisque ergo sacra mysteria sunt celanda, illis propter cæcam nequitiam, istis propter vitam pollutam. Servis autem Domini studiose sunt revelanda, quia et quæ dicuntur patienter audiunt, et audita devote faciunt. Sicut itaque bonum divinum malis non debet manifestari, sic bonis minime debet celari. Et sicut est gravis culpa sacra mysteria revelare reprobis, ita gravis culpa est hoc abscondere electis. Non sit ergo securus servus inutilis, qui modo torpescit ab officio docendi, quia de lucro talenti sibi commissi redditurus est rationem in die judicii. Sequitur :

Quæ oportet fieri cito. Cito fiunt quæcunque in præsenti fiunt, quia et tempora, et quæ sub temporibus aguntur cito transeunt. Brevis enim est vita ista, via lubrica, mors incerta. Quæ oportet fieri cito, id est de his quæ Ecclesiæ in hoc sæculo sunt ventura sive prospera, sive adversa, sive de his quæ in fine sæculi sunt retribuenda. Cito itaque cuncta fiunt, quia et præsentia cito discedunt, et futura cito succedunt. Quanto vero citius urgente necessitate temporis ea quæ in hoc libro continentur sunt complenda, tanto citius ac studiosius sunt annuntianda, ne, ingruente articulo mortis, ille qui per auditum debuisset justificari, non audiendo pereat, et de manu prædicatoris Dominus peccatorem perditum requirat. Unicuique enim sacra doctrina cum fine vitæ suæ completur, quæ viventibus quandiu vixerint complenda retinentur. Sequitur :

Et significavit mittens per angelum suum servo suo Joanni. Modum sacræ revelationis ostendit ubi dicit : Significavit. Significavit, quia per signa quædam figuras et sigilla sensibilibus consimilia sacra mysteria revelavit. Voluit namque mysteria sua per figuras ostendi, ut sine exercitio non possent intelligi, quia gravius et firmius tenetur quod cum labore acquiritur. Voluit etiam figuras alicubi exponi, ut per hoc innueret expositionem in aliis sensibus esse quærendam, ut sic et fideles quærentes inveniant, et infideles qui pervertere et conculcare nituntur sacra mysteria non intelligant. *Per angelum suum servo suo Joanni.* Per angelum enim in similitudine filii hominis apparentem, visio ipsa S. Joanni monstrata est, sicut ipse in sequentibus declarat, ubi dicit : *Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis.* Christus itaque secundum humanitatem ipsum sacramentum accepit a Patre, et per angelum ipsius Christi speciem præferentem, quasi spirituale quoddam munus diversis figurarum velaminibus obtectum, ut electorum mentes exerceret, et reprobis minime pateret, sancto Joanni, et per ipsum septem Ecclesiis, imo universali sanctæ Ecclesiæ transmisit. Cujus (beatissimi videlicet Joannis) qualis quantaque fuerit auctoritas manifestatur, cum subinfertur : *Qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi quæcunque vidit.* Revera etenim magnus fuit qui de Christo secundum utramque naturam divinitatis et humanitatis testimonium perhibuit. De utraque quippe Redemptoris testimonium perhibuisse illum sermo præsens designat, qui eum testimonium verbo Dei et testimonium Jesu Christi perhibuisse denuntiat. Divinitati etenim testimonium perhibuit ubi cœlestia secreta contemplatus dicit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Humanitati quoque testimonium perhibuit, ubi Christum turbis prædicasse, et miracula fecisse, mortuum et sepultum resurrexisse, et discipulis apparuisse describit. In præsenti sermone quidem, ubi dicitur Verbo Dei, designatur divinitas. Ubi vero subditur, Jesu Christi, signatur humanitas, et Joannes testimonium perhibuit Verbo Dei, et testimonium Jesu Christi quæcunque vidit ; quia, quæ de arcanis sempiternæ Deitatis spiritualibus

Digitized by Google

oculis per contemplationem intellexit, sive quæ de operibus humanitatis carnis oculis in quantum potuit, et verbo prædicavit, et scripto commendavit. Sequitur :

Beatus qui legit, et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt. In fine tituli ad captandam benevolentiam, et provocandam diligentiam legentium, et audientium servantium prophetiam istam præmium ponit, beatitudinem videlicet æternam. Et in eo quidem quod dicit : *Qui legit*, designat litteratos sive doctores. In eo autem quod dicit : *Qui audit*, exprimit laicos sive auditores. In eo quod dicit : *Qui servat*, electos ex utrisque. Nihil itaque prodest ad salvationem quod legitur, vel quod auditur, nisi per actionem diligenter servetur. Si igitur ad beatitudinem pertingere desideramus, ea quæ scripta sunt studeamus non solum legendo vel audiendo cognoscere, sed quæ cognoscimus bene vivendo studiosius adimplere. Melius etiam esset veritatem non cognoscere quam post cognitionem a sancto mandato recedere. Servus enim qui scit voluntatem Domini sui, et non facit, plagis vapulabit multis. Intellectus quippe bonus (id est utilis) illis qui faciunt eum. Ea autem quæ scripta sunt servat qui fidem Christi et Ecclesiæ inviolatam custodit, qui timet mandata quærit promissa. Sequitur :

Tempus enim prope est : tempus scilicet laborum finiendorum, ac recipiendorum præmiorum. Quia igitur prope est tempus ut mala finiantur, et bona subsequantur, non nos in via vitæ præsentis adversa frangant, nec prospera emolliant, ut sub brevitate temporis pervenire valeamus ad diuturnitatem æternitatis. Hæc circa ingressum libri velut qui ostium aperit, ut quæ in domo sunt patenter cernere possit. De titulo succincte prælibavimus, ut arcana quæ interius continentur evidentius deinceps inspiciamus.

CAPUT II.

De salutatione.

Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia gratia vobis et pax ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. Præmisso titulo, ad declarationem et evidentiam sequentium subjungit salutationem, in qua demonstratur quibus specialiter ipsa prophetia dirigatur. In principio quoque salutationis tria præcipue determinat, videlicet quibus salutem mandet, et quam eisdem salutem exoptet, et unde denique illis ipsam salutem venire desideret. Ubi enim dicit Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, quibus salutem mandet declarat; ubi vero subdit, gratia vobis et pax, quam ipsis salutem exoptet insinuat. Ubi autem deinceps infert, ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, unde illam his venire desiderat manifestat. Joannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia sibi principaliter commissis, et ab ipso specialiter dilectis in hac prophetia nominatim designatis, gratia vobis, et pax, gratia vobis per peccatorum remissionem, pax per divinam reconciliationem. Gratia ut vobis culpa auferatur, pax ut justitia conferatur. Gratia ut liberemini de servitute diaboli, pax ut maneatis in servitio Domini. Posita gratia, statim pax subjungitur, quia qui de peccatorum miseria adjuvante gratia murum pravitatis suæ ad Deum revertendo transgreditur, protinus inter ipsum, et Deum pax firmissima reformatur. De hoc muro Psalmista sic ait : *In Deo meo transgrediar murum* (*Psal.* XVII). Ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt. Quod dicit ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, pertinet ad personam Filii; et quod subdit, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, pertinet ad personam Spiritus sancti. De Patre namque tacet, quia de Creatore nemo male senserat, nec de ipso error aliquis surrexerat. De persona vero Filii, et Spiritus sancti idcirco facit mentionem, ut de fide legentium sinistram si oborta fuerit dubitationem dissipet. Dicit de persona Filii et Spiritus sancti, quia de ipsis cunctæ fere hæreses oriuntur in Ecclesiis : *Qui est, et qui erat, et qui venturus est.* Qui est essentialiter coæternus Patri, qui erat cum Patre in creatione mundi. Qui venturus est, in gloria Patris in die judicii. Qui est per incomputabilitatem æternitatis, qui erat per potentiam creationis. Qui venturus est per justitiam retributionis. Qui est, quia super omnia Deus benedictus in sæcula idem subsistit. Qui erat, quia de nihilo cuncta creavit. Qui venturus est, quia vivos et mortuos in fine mundi judicabit. Et a septem spiritibus, id est, a septiformi spiritu, qui simplex quidem est per naturam, septiformis per gratiam. Dividit autem dona singulis prout vult. Thronus Dei sunt sancti angeli, et homines sancti, in quibus Deus residet, et per quos judicia sua mirabiliter exercet. Sed in conspectu throni ejus septem spiritus sunt, quia invisibiles invisibilium animorum oculos septiformis spiritus per suam gratiam invisibiliter illuminat, et quæ agenda sunt illis invisibiliter demonstrat, ipsum semper ante conspectum suæ contemplationis habent, et quæ, ipso docente, facienda didicerint per actionem completur. Sequitur :

Et ab Jesu Christo, qui est testis fidelis primogenitus ex mortuis, et princeps regum terræ. Item revertitur ad personam Filii, quia de ipso maxime sermo est sequens habendus; et ea præcipue ponit, quæ ad naturam humanitatis, et dispensationem humanæ redemptionis pertinent, ut dum quanta pro nobis in suscepta carnis nostræ natura sustinuit audimus, quantum ipsum debeamus diligere perpendamus. Quamvis autem in præcedentibus secundum prædictam rationem personam Patris excluserimus, possumus tamen id, quod dicitur : Qui est, et qui erat, et qui venturus est, ad personam Patris referre, et per tria tempora, præsens, præteritum et

Digitized by Google

futurum, quibus omne tempus comprehenditur, immensam ejus Deitatis æternitatem figurare. Nam quod additur : Et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, ad personam Spiritus sancti; et quod sequitur : Et a Jesu Christo qui est testis fidelis, ad personam pertinet Filii. Et siquidem sententiam isto modo disponamus, intelligimus et dicimus personam Filii non secundo loco post illa quæ de Patre, sed tertio post illa quæ de Spiritu sancto dicta sunt, ad ultimum idcirco posita, quod de ipso principaliter subsequens sermo præsentis capituli sit habendus. Qui est testis fidelis veritatem prædicando, primogenitus ex mortuis resurgendo, princeps regum terræ in cœlo regnando; testis fidelis, quia de omnibus quæ per eum testificanda erant in mundo testimonium fidele perhibuit; testis fidelis, quia quæcunque audivit a Patre fideliter discipulis suis nota fecit; testis fidelis, quia viam Dei in veritate docuit, nec ei cura de aliquo fuit, nec personas hominum respexit; testis fidelis, quia reprobis damnationem, et electis salvationem nuntiavit; testis fidelis, quia veritatem quam verbis docuit, miraculis confirmavit; testis fidelis, quia testimonium sibi a Patre nec in morte negavit; testis fidelis, quia de operibus malorum et bonorum in die judicii testimonium verum dabit. Primogenitus ex mortuis. Quidam leguntur et Veteri Testamento prophetarum orationibus suscitati. Sed rursus, redeunte morte, reversi sunt in pulverem; Christus autem resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod enim vivit, vivit Deo; qui in carne sua resuscitata, et in cœlesti gloria collocata nobis certam spem dedit resurgendi, et ad cœlestem ac beatam mansionem perveniendi. Et princeps regum terræ, id est regum qui in terra sunt. Alii sunt reges regendo sibi per divinam dispositionem subjectos; alii sunt reges regendo fideles a Deo sibi commissos; alii sunt reges, auxiliante Deo, regendo tantummodo semetipsos. Primi sunt principes sæculares, secundi Ecclesiarum pastores; tertii singuli quique fideles. Sed Christum omnium princeps est, quia quidquid agitur in mundo rectam accipit ab ipso ordinationem, et in futuro, justam ab ipso recipiet retributionem. Omnium princeps est, quia ab ipso est, potestas sæcularis, et cura pastoralis, et singularis solertia cujuslibet fidelis. Quæ cuncta sicut ab ipso habent originem, sic secundum ipsum habere debent actionem, ut principes per potestatem sæcularem inter subjectos sibi homines teneant justitiam, pastores per curam pastoralem fidelibus sibi commissis præbeant doctrinam, et singuli fideles per singularem solertiam in semetipsos fervent sanctimoniam. Principes debent subjectis sibi contra rapaces homines defensionem, et pastores sibi commissis contra impugnantes dæmones instructionem. Singuli autem sibimetipsis debent contra vitia reluctationem. Non ergo debent isti reges, si suo principi adhæserint, in præliis hostes formidare, qui talem habent principem, qui ipsos solo nutu suæ voluntatis potest debellare. Sunt enim quædam de duobus primis supradictis generibus regum qui summo principio adhærere contemnunt, qui acceptam ab ipso potestatem secundum ipsum exercere nolunt, qui in subditos sæviunt, et eos devorant, et quia supra se principem habeant qui eripit inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripientibus cum minime pensant. Qui videlicet princeps regum ad exercitationem et purgationem electorum eos ad tempus sævire permittit. Sed in tempore retributionis eos de hac sævitia graviter judicabit. Redeant ergo tales reges (si tamen reges) ad conscientiam, et quod super se principem habeant, cui de actibus suis sunt reddituri rationem, recognoscant. Qui etiam sicut potestatem potest conferre, sic potest et auferre. Balteum enim solvit regum Dominus, et percingit funes renes eorum. Sequitur :

Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos Deo, et Patri suo regnum et sacerdotes. Qui dilexit nos per charitatem, lavit nos per passionem. Dilexit nos compatiendo, lavit patiendo. Quia dilexit nos, ideo lavit : non enim lavisset, nisi dilexisset nos; lavit nos a peccatis nostris, originalibus et actualibus, spiritualibus et carnalibus, criminalibus et venialibus; lavit nos in sanguine suo, non in sanguine animalium, sicut in veteri lege vel testamento, qui sanguis scilicet veteris testamenti virtutem purgandi nullam habuisset, nisi eam in hoc, quod hujus sanguinis sacramentum erat, accepisset. Et fecit nos regnum et sacerdotes Patri, id est divinæ paternitati, sive paternæ divinitati; fecit nos regnum, ut qui primo eramus regnum diaboli, modo simus regnum Dei, et in quibus prius regnabat diabolus, in eis modo regnet Deus; fecit nos regnum, ut in nobis destruamus mala, ædificemus bona, vitia deprimamus, virtutes erigamus; fecit sacerdotes, ut qui prius dæmoniis immolavimus, Deo deinceps immolemus, et qui ante obtulimus diabolo sacrificia peccatorum, amodo offeramus Deo sacrificia bonorum operum. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen. Ipsi gloria quantum ad electos, imperium quantum ad reprobos; gloria ut eum electi glorificent, imperium ut eum reprobi formident; gloria ut laudetur a bonis pro collatis beneficiis, imperium ut a pravis timeatur pro perpetratis malis; gloria qua glorificat electos pro justitia, imperium quo condemnat reprobos pro culpa; vel gloria in propria natura, imperium in creatura subjecta; gloria, quia ipse est super omnia; imperium, quia sub ipso sunt omnia. Sed licet ista ad decorem et evidentiam sententiæ non irrationabiliter distinguamus, in summa tamen et in divina Deitate unum et idem esse veraciter credere debemus. In sæcula sæculorum, id est semper, vere sive fideliter. Gloria igitur et imperium ei vere, et semper sit, qui talia et tanta pro nobis fecit. Sequitur :

Digitized by Google

Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt, et plangent se super eum omnes tribus terræ, etiam amen. Post salutationem adjungit quædam de adventu Christi et terrore judicii futuri, ut si ex beneficiis quæ in salutatione continentur, Deum diligere negligimus, saltem ex minis, quæ sequuntur, ipsum timeamus. Si propter dulcia quæ præcedunt contemnimus bona facere, propter amara quæ sequuntur formidemus mala perpetrare. Si non trahit ad Deum hoc quod demulcet, saltem ab adversa parte nos repellat id quod terret. Tribus autem modis exponere possumus, quod dicit venit cum nubibus, id est ad locum ad quem nubes ascendunt, ut semetipsum manifestans in loco sublimi ab omnibus resurgentibus patenter posset videri. Aliter, venit cum nubibus, id est cum sanctis qui nubes fuerunt, pluendo per prædicationem, coruscando per miraculorum operationem, volando per contemplationem, protegendo per intercessionem. Aliter : Venit cum nubibus, quia credi potest ut sicut per nubem ascendit in cœlum, ita veniet ad faciendum judicium, sicut scriptum est : *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I). Sequitur :

Et videbit eum omnis oculus, videbit eum omnis, quia videbit eum bonus et malus corporalis et spiritualis, videbit eum bonus ad gloriam suam, malus ad ignominiam suam. Videbit eum corporalis oculus hominem verum. Spiritualis oculus Deum verum. Videbit eum oculus bonus velut dignus clarificari, malus sicut dignus excæcari. Videbit eum oculus corporalis ejus claritatem admirando. Spiritualis semetipsum de merito subtiliter dijudicando. Et quod etiam mali visuri sunt, declarat, cum subdit, et qui eum pupugerunt, ac si dicat : Non solum eum visuri electi sunt qui ab eo præmium beatitudinis recepturi sunt, sed etiam nequissimi qui eum crucifigendo pupugerunt. Sed quamvis reprobi illum visuri sint, non tamen gloriam ejus sicut electi contemplabuntur. Scriptum namque est : *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* (*Isai.* XXVI). Generalem namque calamitatem describit, cum adjungit : *Et plangent super eum omnes tribus terræ, etiam amen.* Tribus terræ vocat omnes terrena diligentes, et terrena Christo præferentes quasi diceret : Nec tantum illi qui eum pupugerunt eum dolentes videbunt, sed et omnes iniqui. Etiam amen, id est vere, ut certius credatur, eum videndo dolebunt, et plangent se super eum, eo quod, ipso judicante, amittent gaudium, ibunt ad supplicium, plangent se super eum, quia sive per ignorantiam infidelitatis, sive per prævaricationem legis se cognoscent ab eo promeruisse sententiam damnationis. Sequitur :

Ego sum alpha et omega, principium et finis, dicit Dominus Deus, qui est, et qui erat, et qui venturus est omnipotens. Ne de his quæ supra dicta sunt dubitemus, sed ejus adventum, et futurum in fine judicium certissime credamus, inducit ipsum Christum loquentem, et prædictum sermonem Græca et Latina lingua ut firmius ab audientibus credatur confirmantem. Nam alpha primum elementum in Græco pro principio ponitur, et omega ultimum pro fine ponitur. Ego sum alpha et omega, principium et finis, ac si patenter ipse Christus confirmans dicat : Non dubitetis de his quæ auditis ; quia, sicut sum principium creando vos per potentiam, sic sum finis judicando per justitiam, et qui vobis dedi subsistendi originem, ipse dabo meriti retributionem.

Notandum vero quod Græcum ante Latinum ponit propter prærogativam, scilicet auctoritatem antiquitatis, sive ut sequens Latinum nobis declaratio sit Græci præcedentis : Dicit Dominus Deus. Quod ait Dominus, potest referri ad subjectam creaturam; quod dicit Deus, ad ipsam divinitatis essentiam. Qui est, et qui erat, et qui venturus est, hoc supra expositum est. Omnipotens omnipotens est, quia omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in angelis, in hominibus, in factorum creatione et electorum redemptione, et quæcunque voluerit in glorificatione salvandorum, et perditione damnatorum, omnibus providens creaturæ gubernationem, justitiæ glorificationem, malitiæ damnationem. Ipse qui omnium Creator est, solus omnipotens est; quia omne quod creatum est ex parte est, et ex parte potens sicut ex parte sapiens est, et ex parte liberum, quia non omnis effectus potestatis creaturæ subjicitur, sicut nec omne occultum sapientiæ manifestatur, nec omnis electus electionem sequitur.

Et notandum, quod in salvatione ubi ista verba, videlicet qui est, et qui erat, et qui venturus est posuit, nequaquam omnipotens adjecit. Hoc autem in loco post eadem verba omnipotens posuit. Illic etenim in salutatione ubi de beneficiis divinis dicere voluit, ne erga largitorem nostra dilectio ex terrore omnipotentiæ illius minui posset omnipotens tacuit. Quod hic ubi de adventu ejus, et de ultimi districtione judicii dixit, ad incutiendum contemptoribus et negligentibus terrorem in fine terribiliter exclamavit : Omnipotens, quasi dicat : Qui modo benignus est per pietatem largiendo gratiam, ipse in fine terribilis per omnipotentiam apparebit in contemptores faciendo vindictam. Qui igitur eum non diligit propter jam exhibitam bonitatem, timeat eum propter exercendam potestatem. Qui non vult eum amare propter beneficia quæ in salutatione præmittuntur, timeat eum propter terrores qui ipsam salutationem sequuntur. Sed multo levius et utilius est, charissimi, blandientem diligere, quam comminantem formidare. Diligamus itaque mansuetum, ut non contingat timere iratum. Sordes peccatorum per fletum et confessionem diluamus, ut venientem ad judicium non timidi, sed securi suscipiamus.

CAPUT III.

Generalis sententia de septem visionibus sacris.

Sancta et universalis mater Ecclesia, quæ septiformi Spiritus sancti gratia regeneratur, et sub

Digitized by Google

tempore quod septem dierum numero volvitur justificatur, ac per septem Ecclesias Asiæ figuratur, prophetiæ libri hujus septem visionibus perfecte eruditur, ut præsentia adversa velut cito transitura patienter sustineat, et futura bona, utpote semper permansura ardenter concupiscat. Quamvis etenim ipsa prophetia septem Ecclesiis specialiter dirigatur, sancta tamen catholica Ecclesia et de præsenti statu suo, ac de futuro in ipsa generaliter docetur. Et recte septenario, ad designandam perfectionem doctrinæ quam continet ista prophetia distinguitur, quia septenario universitas designatur, quod ipse septenarius ex quaternario qui visibilium, et ternario qui invisibilium forma est, consummatur. Quia vero profundissimas cœlestium sacramentorum obscuritates intramus, ad declarationem sequentium unde singulæ visiones agant breviter aperiemus, velut qui silvam condensam et umbrosam ingreditur, prius agendam viam diligenter considerat, ut consideratam melius perficiat. Sic et nos obscura loca hujus libri percurrentes aliquos sententiarum ramusculos attingimus, ne totum frustra legisse videamur. Prima visio agit de similitudine Filii hominis, quæ per angelum sancto Joanni apparuit, et ei cœlestia mysteria manifestavit, et scribere præcepit. Agit et de septem Ecclesiis, et de septem Ecclesiarum episcopis, et de eorumdem episcoporum increpatione, sive etiam in quibusdam laude, et commendatione, et de præmiis quæ dabuntur vincentibus. Secunda visio agit de sedente in throno, et ornatu ejus. De quatuor animalibus, et viginti quatuor senioribus. Agit quoque de libro scripto intus, septem sigillis signato, et de apertione libri, et septem sigillorum ejus, et de his sacramentis quæ sub apertione sigillorum continentur. Tertia visio agit de septem angelis, et de septem tubis, quæ illis datæ sunt ad canendum, et de cantu singulorum per ordinem angelorum. Agit et de aliis sacramentis quæ sub ordine cantus illorum continentur. Quarta visio agit de muliere ornata quæ peperit masculum, de dracone qui paratus erat ad devorandum filium ejus, et de Michaele et angelis ejus, qui vicerunt draconem. Agit de bestia cui draco dedit potestatem suam, et de pugna ejus adversus sanctos, et de alia bestia quæ primam bestiam adjuvabat, et de damnatione malorum. Quinta visio agit de septem angelis qui habebant plagas novissimas, et de effusione septem phialarum iracundiæ Dei, et de muliere purpura circumdata, et de bestia coccinea supra quam mulier ipsa sedebat, et de sacramento mulieris, et bestiæ. Sexta visio agit de ultimis pœnis quas patientur impii in inferno, et hoc primum ostendit de Babylone, describens ruinam ejus, et dolorem, et luctum quem habebunt de casu ejus, et qui eam diligebant, et de exsultatione, et gratiarum actione, quam agent de ejus interitu sancti. Agit etiam de Christo, qui malos reget in virga ferrea, et quod calcabit eos torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, et de convocatione avium ad cœnam magnam Dei, ut manducent carnes superborum et iniquorum, et de damnatione bestiæ et pseudoprophetæ ejus, et omnium qui imaginem bestiæ adoraverunt. Deinceps iterum rationem reddit, et describit quomodo ligandus sit Satanas, ut non seducat amplius gentes donec consummentur mille anni et quomodo solutus iterum adversus sanctos in extremis desæviet, et quod demum cum illis, qui non sunt scripti in libro vitæ in stagnum ignis mittentur, et hanc damnationem diaboli, et omnium iniquorum describens, a Christo dicit prædictam, ut de ea certior fides habeatur. Septima visio agit de fine sæculi, et de innovatione elementorum, quando Deus nova faciet omnia, et de glorificatione omnium sanctorum, et de meritis quibus glorificandi sunt. Agit et de Hierusalem civitate superna, secundum illum statum quem habebit post diem judicii, congregatis ad se cunctis civibus suis, describens claritatem ejus, fundamentum, murum et portas ejus, longitudinem quoque et altitudinem ejus, et cætera mirabilia sacramenta ejus, quæ in fine libri continentur. Et quidem circa principium sigillatim de septem visionibus breviter patefecimus, ut postmodum obscuritates earum facilius transeamus.

CAPUT IV.

De visione prima.

Ego Joannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu, fui in insula quæ vocatur Patmos propter verbum Dei, et testimonium Jesu Christi, fui in Spiritu in Dominica die (*Apoc.* 1). Positis superius his, quæ circa ingressum hujus libri erant præscribenda, titulo videlicet et salutatione : titulo, ut quid ; salutatione, ut quibus mitteret statim in ipso principio cognosceremus, narrationem suam de sequentibus visionibus ingreditur, et in initio visionis primæ cuncta sequentia per quatuor commendat, scilicet per personam, per locum, per causam, per tempus. Per personam etenim ea quæ sequuntur commendat, ubi dicit : Ego Joannes frater vester et particeps in tribulatione et regno et patientia in Jesu ; per locum, ubi adjungit : Fui in insula quæ appellatur Patmos ; per causam, ubi subdit : Propter verbum Dei et testimonium Jesu Christi ; per tempus denique sequentia commendat, ubi dicit : Fui in spiritu in Dominica die. Ego Joannes, ac si dicat : Istam prophetiam a me vobis nissam gratanter debetis audire, et quæ continet diligenter perficere. Quia ego Joannes a Christo dilectus, et in apostolum, et evangelistam electus, qui supra pectus Domini in cœna recubui, ego eam ab ipso ad vestram utilitatem et correptionem accepi. Ad cujus rei commendationem addit, dicens : Frater vester, quasi diceret : Ergo quoque libentius illam accipere debetis, quod non a noto et amico tantum, sed et a fratre eam vobis directam auditis.

Et notandum quod cum posset dicere : Magister, propter prælationem, dixit, frater, propter humilitatem. Tacuit ergo magister, ne videretur per præ-

Digitized by Google

lationem terrere. Dixit frater, ut per humilitatem facilius persuadere posset. Frater noster non solum per naturam, sed etiam per gratiam. Non solum in Adam, sed in Christo. Non tantum per carnem humanitatis, sed per spiritum adoptionis, id est, non tantum secundum generationem, sed etiam secundum regenerationem, et ut adhuc altius per personam suam, ea quæ scribit apud auditores commendet, subdit, dicens : Et particeps in regno, et tribulatione, et patientia in Christo Jesu; ac si patenter dicat : Si propter illa quæ superius de mea scribo persona, prophetiam istam non dignamini audire, saltem propterea quæ sequuntur illam audite. Tanto namque libentius me debetis audire doctorem, quanto amplius me auditis in his quæ dicta sunt vobiscum esse participem. Particeps in tribulatione et regno. Recte præmisit in tribulatione, et post addit, et regno; quia si compatimur, et conregnabimus. Qui enim non vult propter Jesum in via præsentis vitæ contraria tolerare, non potest in patria cum illo regnare. Sed quoniam et mali multas tribulationes in hoc mundo sustinent, quæ quidem habent supplicium, sed non perducunt ad regnum, et inferunt pœnam, sed non conferunt coronam, patenter declaratur quæ tribulatio perducat ad consensum regni cum adjungitur, et patientia in Christo Jesu. Tunc etenim revera ad supernam coronam tendimus, si de foris in corpore tribulationem sustinemus, et intro in corde pro amore Jesu virtutem patienter inviolabilem conservemus. Nam qui sortis tribulatione quatitur, et intus furore turbatur, iste minime viam ambulat per quam ad regnandum cum Jesu pertingat. Qui ergo desiderat venire ad regni coronam, habeat in Jesu patientiam. sed quoniam audistis qualitatem personæ quæ tanta potuit mysteria cognoscere, et cui debetis fidem de his quæ dicit, audite et loci aptitudinem, in quo talia potuit convenienter videre. Fui in insula quæ appellatur Patmos. Persona authentica et nota, honesta et amica, locus remotus et quietus et secretus, et privatus. In quibus duobus, persona videlicet et loco, nobis ostenditur quia quisquis cœlestia concupiscit contemplari in arca sanctitatis, se debet custodire, et semetipsum a sæcularibus negotiis elongando quieti vacare. Sed quia de persona et loco superius scriptum est, et de his latius disseruimus, succincte pertransimus, et ad alia discutienda festinamus. Sequitur :

Propter verbum Dei, et testimonium Jesu Christi. Ubi dicit verbum Dei, exprimit Salvatoris divinitatem; ubi vero dicit, Jesu Christi, humanitatem. Quasi diceret : Propter testimonium divinitati et humanitati Christi exhibitum missus sum in exsilium, et eo debetis gratius recipere, firmius credere, efficacius perficere istam revelationem quod propter eum, qui revelavit, exsilii subii relegationem patiorque propter justitiam, non propter culpam. Fui in spiritu, id est spirituali visioni, in Dominica die. Solet rerum qualitas, sicut testatur Gregorius, tempore denotari, ut Abraham vidit angelum in meridie, quia fide fervebat. Adam vidit eum in persona Dei post meridiem, quia a calore dilectionis intimæ deciderat. Lot perditionem Sodomæ vespere, quia cito futura erat. Salomon accepit sapientiam nocte, quia in ea minime perseveraturus erat. In Dominica die, ac si patenter dicat : Sicut persona, locus, causa, commendant veritatem sacræ dilectionis, sic et qualitas temporis; quia, quanto dies sanctior, tanto divinæ revelationi convenientior, et quanto tranquillior per exteriorum laborum cessationem, tanto per requiem altior ad internam contemplationem. In causa itaque et tempore nobis innuitur, quod qui propter Deum persecutionem didicerunt sustinere, et a servilibus peccatorum operibus feriare, ipsi cœlestia secreta merentur agnoscere. Sunt quatuor per quæ commendantur cætera quæ sequuntur, persona, locus, causa, tempus. Persona digna, locus idoneus, causa innocens, tempus conveniens. Sequitur :

Audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis : Quod vides, scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, Epheso, Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, Sardini, Laodiciæ, et Philadelphiæ. Superius ad spiritualem visionem se translatum dixit, nunc quæ cognoverit, et quibus cognita specialiter revelare debuerit consequenter describitur. Utrum autem simul et uno intuitu, sive per diversa tempora in die ipso Dominico hanc visionem viderit, aut quo angelus ei ostendit, convenientius atque veracius esse videtur illum hanc succedenter intellexisse, quam simul et uno intuitu comprehendisse. Primum vero usque ad illum locum ubi dicit: Angelo Ephesi scribe, cum sacramento septem episcoporum, septem Ecclesiarum, ipsam, quæ sibi per angelicam apparuit administrationem Filii hominis describit similitudinem, et episcopis, et Ecclesiis communem de omnibus his præmittit eruditionem, ac deinceps per ordinem singulis singularem subjungit usque in finem hujus visionis admonitionem. Et his ad evidentiam eorum quæ in hac visione continentur ita dispositis, quid scriptor dicat, diligentius inspiciamus, et subtilius discutiamus : *Et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ.* Credibile est, quod sicut spiritualiter vidit, ita etiam spiritualiter audivit, et sicut fuit spiritualis visio, sic quoque fuit spiritalis auditio.

Hoc tamen modis omnibus quærendum est, quare qui in spiritu sublevatus erat, non ante, sed post vocem audiebat. Sed hanc quæstionem citius solvimus, si rerum causam atque modum studiosius attendamus. Nam a subditis elongatus, et in exsilium relegatus, a strepitu mundi remotus, et quieti deditus, omnem pastoralem sollicitudinem, cunctaque visibilia, et visibilibus similia post se longe reliquerat, et jam in anteriora semetipsum extendens per puram intelligentiam omni imaginatione remota solis supernis ac invisibilibus intendebat, et dum ad subditorum eruditionem reducitur, ac de his

Digitized by Google

quæ scribenda erant secundum sensibilium similitudines edocetur, quasi de anterioribus ad posteriora revocatur, et dum eum Spiritus sanctus ad illos quos cœlestibus per simplicem contemplationem intentus non respiciebat, secundum formales rerum qualitates respicere monuit, quasi post tergum vocem audivit. Sed quantitas sive qualitas vocis virtutem exprimit significationis. Dum enim dicit, magnam, innuit magna significantem. Dum vero subdit, tanquam tubæ, demonstrat ad confligendum contra vitia timidos, et ignavos exhortantem. Et quia, quod istæ septem Ecclesiæ sanctam universalem Ecclesiam, septiformi Spiritu regnante, significent, superius diximus; nunc iterum de ipsis disserere superfluum censemus. Quod autem dicit: Quod vides, scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis, hoc nobis innuit, quod si qua utilia atque præcipua de cognitione veritatis accipimus, aliis, non solum verbo, sed exemplo manifestare debemus. Sequitur:

Et conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. Conversus sum ab anterioribus quibus per contemplationem inhærebam ad subditorum eruditionem, quod propter exsilium postposueram. Conversus a contemplatione Dei ad necessitatem proximi, ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. Spiritualiter enim videre, intelligere est. Sicut enim oculo carnis videmus visibilia, sic per intelligentiam invisibilia intelligimus. Quid autem viderit, subjungit, dicens: *Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis vestitum podere, et præcinctum ad mammillas zona aurea.* Septem candelabra, septem Ecclesiæ sunt, sicut in sequentibus declaratur, ubi dicitur: *Candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.* Sed subtilius discutiendum esse videtur cur ipsæ Ecclesiæ candelabris aureis comparentur. Aurum per ignem probatur, malleis extunditur, et in candelabri formam producitur, et instrumentum ignis, et luminis efficitur. Et Ecclesiæ tentationibus probatæ, tunsionibus persecutionum extenuatæ, ardent igne sapientiæ cœlestis, et lucent opere charitatis. Candelabra super tres pedes stabiliuntur, et Ecclesiæ sanctæ super Trinitatis fidem fundantur. Possumus etiam ipsas Ecclesias dicere esse candelabra per cognitionem veritatis, aurea per amorem virtutis. Quod autem dicit in medio candelabrorum aureorum, id est in medio Ecclesiarum similitudinem Filii hominis quæ sibi apparuit, concordat verbis Dominicis, ubi Dominus ait: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII). Christus igitur in medio suorum est, ut omnes ad ipsum respiciant, et de plenitudine ejus accipiant. In medio est, quia omnes electi opera illius recta cogitatione pariter contemplantur, et eum pro viribus communiter imitantur. In medio est, quia sic bonis confert gloriam ut malos damnet per pœnam. In medio est, quia omnes æqualiter cognoscit, et merita singulorum ponderat et discernit. Quia vero testatur se vidisse non Filium hominis, sed similem Filio hominis, angelum designat, qui in persona Christi et similitudine demonstrabat sacramentum divinæ revelationis. Qui scilicet angelus eo amplius habuit auctoritatis, quod apparuit in ipsa similitudine Salvatoris. De qua similitudine mystice subjungit, dicens: Vestitum podere. Poderis est vestis sacerdotalis, et significat susceptæ humanitatis formam, in qua Christus Patri semetipsum obtulit pro nobis, et culpam generis humani expiavit. Angelus igitur in podere similis Christo extitit, quia podere humanitatem ejus significavit, et præcinctum ad mammillas zona aurea. Zona ad renes significat cohibitionem vitiorum carnalium ad conservandam virtutem castitatis. Zona ad mamillas cohibitionem invisibilium cogitationum ad custodiendam virtutem charitatis. In veteri testamento visus est angelus prophetæ cinctus renes, quia ibi carnis opera prohibeantur. In novo sancto Joanni visus est angelus præcinctus ad mammillas, quia nunc etiam cogitationes illicitæ refrenantur. Qui enim non tantum inquinamentum carnis, quod in veteri testamento jam fuerat interdictum, sed inquinamentum spiritus, quod in novo arctius est prohibitum, restringendum esse venit innuere, non renes, sed ad mammillas præcinctus debet apparere. Unde recte cum dixisset, præcinctum, quod significat cohibitionem vitiositatis, et addidisset ad mammillas, quod designat cohibitionem et contritionem fluxæ cogitationis, nequaquam dixit byssina, quod candorem corporalis munditiæ etiam antiquitus servatum exprimeret. Sed adjecit, aurea, quod fulgorem internæ charitatis tempore moderno servandum figuraret. Dum enim charitas Dei per Spiritum sanctum, qui datus est nobis in cordibus nostris diffunditur, omnis immundæ cogitationis fluxus refrenatur. Sed quoniam quod de habitu apparentis dixerit audivimus, nunc quid de forma illius subjungat, audiamus. Sequitur:

Caput autem ejus et capilli erant candidi tanquam lana alba, et tanquam nix, et oculi ejus velut flamma ignis, et pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ardenti, et vox illius tanquam vox aquarum multarum. Caput significat divinitatem, capilli creaturam rationalem, candor immortalitatem. Caput significat divinitatem, sicut scriptum est: *Caput Christi Deus* (*I Cor.* XII). Capilli significant creaturam rationalem, quia sicut capilli a capite habent originem, et accipiunt crescendi vegetationem, sic creatura rationalis a Deo substantiam et per conditionem, et incrementum justitiæ per gratiæ cœlestis susceptionem. Capilli inhærent capiti, et creatura rationalis summæ inhæret Divinitati. Sed et capilli recte dicuntur habere colorem capitis, quia spiritualis creatura sive angelica, sive humana per divinam gratiam candorem habet immortalitatis, quæ, dum dono sui Factoris immortalitate subsistit, quasi nulla mortis corruptione nigrescit. Quod autem non solum natura angelica, verum etiam humana divinitati conjuncta immortalitatis pulchritudine can-

Digitized by Google

dent, in sequentibus patenter manifestat. Ait enim, tanquam lana alba, et tanquam nix. Quid enim accipimus per lanam, quæ de terrenis animalibus oritur, nisi humanam naturam? Et quid per nivem, quæ de supernis est, rectius intelligimus quam naturam angelicam? Quia ergo utraque natura dono immortalitatis apud Conditorem decoratur, apte capilli capitis hujus tanquam lana alba, et tanquam nix candidi perhibentur. Et bene cum dixisset, tanquam lana, adjunxit, alba, ad differentiam malorum, quantum qui per culpam nigrescunt ad mortis æternæ nigredinem descendunt. Sancti vero, qui habent in mundo albedinem sanctitatis, in cœlo meruerunt candorem immortalitatis.

Sciendum tamen quod hunc candorem quem habet caput per naturam, ipsi habent capilli per gratiam. Quamvis enim et Spiritus creati immortaliter subsistant secundum naturam, quia tamen quodammodo sine confirmatione gratiæ mori possent per culpam, dum ex gratia in justitia sine culpa perseverant, in omnimoda et perfecta immortalitate ex gratia perdurant. Secundum igitur supradicta recte significat caput Divinitatem, capilli rationalem creaturam, candor immortalitatem, lana naturam humanam, nix naturam angelicam. Et oculi ejus velut flamma ignis. Flamma ignis lucem et calorem tribuit, terrorem incutit, et exurit. Oculi ergo ejus velut flamma ignis sunt, quia electos respiciens illustrat eos luce sapientiæ, calefacit amore justitiæ, et respiciens reprobos terret ferocitate comminationis, et incorreptos exurit incendio damnationis. Et pedes ejus similes aurichalco. Sicut per caput Divinitatem accipimus, ita per pedes infirmos quosque, et imperfectos fideles accipere debemus, qui, dum a terrenis perfecte semetipsos erigere non possunt, more pedum terram tangunt. Qui nequaquam similes auro, sed similes aurichalco sunt, quia ad perfectorum quidem sapientium fulgorem non pertingunt, sed eos a longe imitantur in quantum possunt. Sed quoniam quanto magis adhuc terrenis inhærent, tanto majorem tribulationem sustinent, recte subjungitur, sicut in camino ardenti. In camino namque tentationum imperfecti et infirmi examinantur, ut per tentationum tribulationem probati Deo digni inveniantur. Extra caminum etenim sunt perfecti, quia probati. In camino imperfecti, quia probandi. Pedes ergo ejus similes sunt aurichalco, non auro, quia infirmi quique, et sanctitate adhuc infirmi in sua imperfectione consistunt, et ad perfectionem nondum venerunt. Et sunt sicut in camino ardenti, quia sunt in probatorio adhuc non probati. Et vox ejus tanquam vox aquarum multarum. Aquæ multæ, scripturæ multæ. Sicut enim aquæ a sordibus lavant, ita verba Scripturarum a vitiis purgant. Unde Dominus in Evangelio discipulis suis dicit : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* (*Joan.* xv). Vox aquarum est prædicatio Scripturarum. De hac voce scriptum est. *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* xix). Vox igitur ejus est tanquam vox aquarum multarum. Vox ejus ad modum aquarum per orbem currentium et eum irrigantium sonat, dum multiformis auctoritatis Scripturæ in omni terra, et populo, et tribu, et lingua per ora credentium fidem ejus clamant. Et quemadmodum sonus aquarum aliis est amabilis, aliis odibilis : sic prædicatio Scripturarum bonis placet, malis displicet, bonos mulcet, malos terret. Demulcet per cœlestium præmiorum promissionem, terret per tormentorum infernalium comminationem. Sed quia superius audivimus de habitu et forma, nunc audiamus de potentia.

Et habebat in dextera sua septem stellas, et de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat. Septem stellæ septem Ecclesiarum episcopi sunt, sicut ipse liber in sequentibus exponet, qui videlicet episcopi universos matris Ecclesiæ pastores designant. Qui recte stellis comparantur, non planetis; quia in eodem statu justitiæ debebant stare, non per diversa vitia semetipsos permutare, et conversationem habere in cœlo per contemplationem, et subditis præbere lucem per cœlestis sapientiæ prædicationem, et bonorum operum claritatem. Qui etiam bene in manu Redemptoris, id est in potestate, dicuntur fuisse, ut, ipso cooperante, Ecclesias sibi commissas digne possent gubernare. Quod autem eos habent in manu non ad puniendum malum, sed ad bonum conficiendum declaratur cum dicitur, in dextera sua. In dextera namque sunt electi, quia adjuti in bono. In sinistra ejus sunt reprobi, quia derelicti in malo. Per dexteram enim bonum, per sinistram vero malum nonnunquam solet figurari. Illi ergo non immerito dicuntur esse in dextera ejus, qui statuendi videntur ad dexteram, illi autem in sinistra, qui statuendi creduntur ad sinistram. Sed quia per negligentiam episcoporum in Ecclesiis ipsis commissis quædam vitia pullulaverant, postquam dixit quod habebat septem stellas in dextera sua, ut hoc esset eis ad consolationem, statim addidit quod gladius ex utraque parte acutus de ore ejus exibat, quod esset ad correptionem, ut illud conferret fiduciam de gratia, istud incuteret terrorem de negligentia, ut inde sumerent securitatem, ne desperarent, hinc cautelam, ut semetipsos emendarent. Quod etiam ad universos referri potest, quia sic quisque debet præsumere de venia ut nunquam tamen cesset se purgare de culpa. Sic debet confidere se esse in dextera Dei, ut caveat illius sinistra feriri. Debet etiam propter misericordiam Deo exsultare, sed tamen propter districtam justitiam cum tremore. Per gladium accipimus sermonem divinum de quo scriptum est : *Vivus est sermo Dei*, etc., usque *intentionum cordis* (*Hebr.* iv). Qui utraque parte dicitur acutus, quia in veteri Testamento amputavit vitia carnalia, in novo etiam spiritualia. Utraque parte acutus est, quia qui foris in nobis amputat luxuriam carnis, intus resecat malitiam cordis. Utraque parte acutus est, quia in his qui contemnunt quæ præcepit,

Digitized by Google

corpus et animam punit; utraque parte acutus est, quia malos et a bonis discernit, et singulis quod merentur reddit. Sed quia supradictum est de habitu et de forma, et de potentia, nunc consequenter subjungit, de gloria.

Dicit enim : *Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.* Notate quod dicit, cum dixisset, facies ejus sicut sol lucet, statim addidit, dicens : In virtute sua. Quod potuit dixit; si plus potuisset, plus dixisset. Nam, si in rebus visilibus lucidiorem substantiam ad significandam ulterius ejus gloriam invenire potuisset, per eam utique illam significasset. Clarissimam ergo creaturam ad exprimendam claritatis suæ gloriam posuit, dum faciem ejus sicut solem lucere dixit. Sed quoniam nequaquam hoc sufficere, sed adhuc se plus posse dicere cognovit, cum dixisset, sicut sol lucet, protinus adjecit, in virtute sua. Sol autem in virtute sua lucet, quando circa meridiem nubibus ablatis, aere purificato, per ejusdem aeris spatia clarissimo fulgore splendet. Perpendat ergo qui potest qualis sit immensa et æterna claritas incomprehensibilis atque ineffabilis divinitatis, si tam mirabilis fuit apparens similitudo susceptæ et glorificatæ humanitatis. Sed quis valet in Christo Redemptore nostro, vel saltem beatæ humanitatis gloriam verbis exprimere, cum sanctus theologus visam illius similitudinem vix sufficiat, vel valeat declarare? Quia igitur humana intelligentia ad humanitatis ejus gloriam non sufficit comprehendere, nec lingua potest digne manifestare, non simus scrutatores majestatis, ne opprimamur a gloria; scrutemur interim, et sanemus, adjuvante gratia, nostram infirmitatem, ut ad ejus gloriæ mereamur quandoque pertingere contemplationem. Laboremus totis viribus ad illius claritatem lucis meritis pervenire, quæ et in omnibus tenebris lucet, et quam nullæ unquam tenebræ valeant comprehendere, et manifestatæ similitudinis Christi gloriam, secundum virtutem in mente retineamus, ut desiderium illius gloriæ quæ per istam figurata est, in nobis ardentius accendamus. Ad hoc namque nobis visibilis in sacra visione fulgor proponitur saltem ut ejus claritatis significatione infirma mens nostra invisibilis pulchritudinis bonum contempletur, quæ dum tantam videt esse, tanquam incomprehensibilem pulchritudinem Creatoris, erubescat illi præferre aliquam pulchritudinem creaturæ. Cujus pulchritudinis desiderabilem similitudinem nobis sacra Scriptura promittit, ubi dicit : *Fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum* (*Sap.* XXXI; *Matth.* XIII). Quatuor ergo sunt principalia quibus nobis describit similitudinem Filii hominis, qui sibi apparuit : habitus, forma, potestas, gloria. Visa autem tanta majestate, quid ipse fecerit adjungit, dicens : *Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus?* Æstimet qui potest quid homo iste fecisset, si gloriam divinitatis Christi vidisset, qui dum similitudinem glorificatæ humanitatis ejus vidit, ad pedes ejus tanquam mortuus cecidit. Consideret qui potest quantum sit infirmatus humani cordis oculus, qui ad contemplandam divinitatem conditus fuit, et tamen humanitatis ejus similitudinem contemplari vix sustinuit. Et cum vidissem eum cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus, quia mens humana quanto perfectius invisibilia bona cognoscit, tanto amplius ipsa sibi vilescit, et quanto sublimius Creatoris potentiam contemplatur, tanto magis apud semetipsam humiliatur. Quod bene nobis Esther historia innuit, si quod secundum litteram narrat omittamus, et quid spiritualiter contineat attendamus (*Esther.* V). Legimus namque quod Esther regem Assuerum contra basilicam suam in throno sedentem, virgam in manu tenentem, ardentibus oculis furorem pectoris indicantem, contemplata pene exanimata sit, in tantum ut rege et ministris ejus illam consolantibus vix valuerit relevari. Quem ergo (ut in uno multa et brevi colligamus longa) quem, inquam, in hoc loco Assuerus rex significat nisi Deum, quem Esther nisi animam, quid basilica nisi divinitatem, quid thronus nisi majestatem, quid virga nisi pacem, quid ardor oculorum nisi superni judicii figurat terrorem? Esther intuita regem expavefacta cecidit, et anima Deum, et districta Dei judicia contemplando coram divina majestate contremiscit. Dicat ergo sanctus ad contemplandam Salvatoris similitudinem sublimatus, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus Quod dicit, cecidi ad pedes ejus, significat humiliatione. Quod vero addidit, tanquam mortuus, correptionem timoris.

Et notandum quod non dicit, omnino mortuus. Si enim desperasset, omnino mortuus fuisset; sed quia tantum expavit, non autem desperavit; non vere mortuus, sed tanquam mortuus cecidit. Tali namque discretione mens humana in contemplatione Conditoris se librare debet, ut dum mira de invisibilibus videt, se de imperfectione sua funditus per timorem humiliet, non per desperationem præcipitet, et sic pallescat per timorem ut nequaquam moriatur. Sic humiliationis reverentiam exhibeat, ut confidentiam de salute nullatenus amittat. Aliter, tanquam mortuus scilicet mundo, vivus Deo. Vivere nimirum oportet mundo quandiu sumus in corpore propter necessitatem corporis, et mori mundo propter oblivionem superfluitatis. Non omnino mortuus propter corporis necessitatem, sed tanquam mortuus propter superfluitatis amputationem. Quisquis igitur isto modo, vel illo semetipsum humiliare, vel se novit mortificare, statim meretur a Deo donum cœlestis auxilii, ut ad altiora pro humiliatione sublimetur, et gratiam divinæ consolationis ut pro timore confortetur; unde recte subditur : *Et posuit dexteram suam super me dicens : Noli timere.* In eo quippe, quod dexteram suam super eum posuit, exprimitur auxilium sublevationis. In eo quod dixit, noli timere, cognoscitur gratia consolationis. Ut autem cognoscamus eum in neutro deficere, sed in utroque omnipotentem existere, quis, qualis et quantus sit in sequentibus

Digitized by Google

innotescit, ac de utroque confidentiam tribuit. Dicit enim : *Ego sum primus, et novissimus, et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, et habeo clavem mortis et inferni.* Quasi dicat : Cum me talem ac tantum audiatis, videte ut de neutro diffidatis, sed de utroque fiduciam habeatis. Ideo me vobis qui sim describo, ut dum meam auditis sublimitatem et potentiam, de his quæ dico sumatis fiduciam. Ego sum primus et novissimus. Primus per creationem, novissimus per retributionem ; primus, quia ante me non est formatus Deus; novissimus, quia post me alius non erit. Primus, quia a me sunt omnia; novissimus, quia ad me sunt omnia. A me, principio; ad me, finem. Primus, quia ego sum causa originis ; novissimus, quia ego judex et finis. Et vivus et fui mortuus. In his verbis (sicut plerisque locutionibus et locis Scripturarum fieri solet) ordo præposterus est; quia, si scriptor, quod subjunxit mortuus præmisisset, et quod præmisit vivus subjunxisset, sententiam rectius ordinasset. Sed licet iste ordo præposterus multis in locis inveniatur, non est magnopere curandum ; quia, etsi sit contra consuetudinem locutionis, nequaquam tamen minuit integritatem veritatis, et quod non est observatum in narratione, observari potest in narrationis expositione. Et vivus et fui mortuus. Mortuus per passionem, vivus per resurrectionem; mortuus pro electis patiendo, vivus ex mortuis resurgendo. Et quia, sicut supra in quodam loco diximus, quidam in Scriptura leguntur resuscitari, qui iterum leguntur postea fuisse mortui. Ad demonstrandam igitur suæ vitæ interminabilem perpetuitatem adjungit, dicens : Ecce sum vivens in sæcula sæculorum, id est semper. Christus enim resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, quod enim vivit, vivit Deo. Et quia potens dignoscitur ex his quæ præmissa sunt, et in creatione sanctorum, et in redemptione electorum, recte subditur : Et habeo claves mortis et inferni, ut etiam potens agnoscatur in damnatione reproborum. Quid nimirum per claves accipimus, nisi potestatem aperiendi et claudendi? Ipse itaque claves mortis et inferni habet, quia per potestatem suam portas mortis et inferni aperiet, ubi diabolum et ejus complices sine fine cruciandos includet. Qui ergo per potentiam tantus est, suos pro ipso humiliatos exaltare, et ipsius timore trepidos confortare veraciter potest. Talem vero differentiam inter mortem et infernum possumus habere, ut per mortem intelligamus tormentum reprobis præparatum. Per infernum autem locum ipsi tormento deputatum. Nec solum hæc verba apparentis et loquentis, ubi ait : Ego sum primus et novissimus, et cætera verba quæ sequuntur commendant ea quæ præcedunt, sed et confirmant ea quæ succedunt. Nam dicit : *Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc.* Merito quippe scribere quæ præcepta sunt debuit qui omnipotentem sese illum agnovit, qui visa scribere præcepit.

A Notandum ergo est quod tria tempora determinat : præsens, præteritum et futurum. Præteritum etenim tempus designat ubi dixit : quæ vidisti; præsens, ubi ait : et quæ sunt; futurum, ubi intulit : et quæ oportet fieri post hæc. Scribe quæ vidisti sive oculo carnis, sive intelligentia contemplationis, dispensationem scilicet incarnationis et mysterium divinitatis. Scribe quæ sunt, mundanam tribulationem et divinam consolationem. Scribe quæ oportet fieri post hæc, ultimam persecutionem vere fidelium probationem, fiete fidelium reprobationem, utrorumque manifestationem, malorum damnationem, bonorum glorificationem. Scribe ut sicut tu erudiris per cœlestem visionem, sic et alii erudiantur per ejusdem visionis descriptionem. Quid autem primum scribere debeat consequenter ostendit, ea nimirum, quæ jam superius vidit. Nam sequitur :

B *Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea*, subauditur *scribe*. Sacramentum dicitur quasi sacræ rei signum, ubi videlicet aliud videtur, et aliud intelligitur, sicut in hoc loco ubi stellæ et candelabra videbantur, et episcopi et Ecclesiæ intelligebantur. Quod sacramentum, ipse qui apparuit sancto Joanni, aperuit, ut in aliis quoque locis Scripturarum allegoriam significaret quærendam. Ait ergo : *Septem stellæ, episcopi sunt septem Ecclesiarum, et candelabra septem sunt Ecclesiæ.* Sed quoniam qua ratione designet stellæ episcopos, et candelabra Ecclesias in præcedentibus disseruimus, nunc iterum supersedendum minime judicamus. Sub quanta igitur potuimus brevitate principium hujus primæ visionis exposuimus, ut per brevitatem lectionis auferamus tædium, et per veritatis expositionem conferamus documentum. Et quoniam illa quæ pertinent ad generalem instructionem jam discussimus, nunc ad ea quæ ad singulares singulorum episcoporum, et singularum Ecclesiarum pertinent admonitiones discutienda transeamus.

CAPUT V.

De episcopo Ephesi.

D *Et angelo Ecclesiæ Ephesi scribe : Hoc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio candelabrorum aureorum : Scio opera tua, et laborem tuum, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos, et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt, et invenisti eos mendaces, et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti* (*Apoc.* II). Facta superius instructione generali de eo qui sibi similis Filio hominis apparuit, ad singulares admonitiones, quæ singulis episcopis, sive Ecclesiis factæ sunt describendas accedit. In quibus videlicet admonitionibus universales omnium episcoporum atque pastorum Ecclesiarum Christi exhortationes continentur, et per has recte significantur. Multa namque quæ in his admonitionibus singulariter scribuntur, ad omnes qui intra sanctam Ecclesiam negligenter agunt pluraliter referuntur. Scriptum quippe est : *Quod uni dico, om-*

Digitized by Google

nibus dico (*Marc.* XIII). Primum quidem de episcopo Ecclesiæ Ephesi agit, qui cæteris prælatione et dignitate sublimior exstitit, ut dum ille, qui in civitate metropoli residebat increpatur, omnibus aliis emendatus in exemplum correptionis proponatur. Ipsi autem episcopi in prophetia angeli, id est nuntii, nuncupantur, quia per eos præcepta divina nuntiantur. Sed et in sequentibus hujus visionis verbis aliquando ipsos quibus diriguntur laudat, et aliquando increpat, ut laudando in bono confortet, increpando de malo castiget. Et angelo Ephesi Ecclesiæ, scribe, quasi diceret : Non solum quæ tibi superius præcepta sunt scribendo perfice, sed ea quæ sequuntur diligenter scribe, ut bonum quod tibi sacra visio manifestat, per scriptum tuum aliis notum fiat, et qui hic geris personam dicentis, illic geras personam docentis, hic videndo in persona discipuli, illic scribendo existens in persona magistri. Scribe autem primum metropolitano, quia dignitate cæteris emicat, ut correptus cæteris correptionis forma fiat. Quid vero scribere debeat subjungit, dicens : *Hoc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, et qui ambulat in medio candelabrorum aureorum.* In medio præcedentis capituli expositum est capituli præsentis principium. In istis videlicet verbis fiduciam consequendæ gratiæ suæ proponit, septem episcopis, et septem Ecclesiis Asiæ, et in illis omnibus prælatis, fidelibus universalis matris Ecclesiæ. In eo namque quod dicit, qui tenet septem stellas, præbet fiduciam septem episcopis, et in ipsis omnibus prælatis. In eo autem quod dicit : Qui ambulat in medio candelabrorum aureorum, præbet fiduciam septem Ecclesiis, et septem episcopis, et in episcopis sanctæ Ecclesiæ fidelibus universis. Ac si dicat : Si quis superiorem gradum amiserit, et per negligentiam ad inferiora deciderit, non desperet, sed ad superiora se sublevet, agat pœnitentiam et inveniet priorem gratiam. Quia ego qui septem stellas etiam post commissam negligentiam teneo, qui in medio septem candelabrorum aureorum ambulo, ego eos qui peccant, si pœniteant, minime desero, minime contemno. Sed ad bonum amissum recuperandum manu teneo, et ad potiora promovenda promoveo, eripio clementer de malo, adjuvo potenter in bono: ipsi enim jam peccaverant, ipsi enim negligenter egerant, quos adhuc in dextera tenebat, et in quorum medio ambulat, et tamen nequaquam eos deserebat ad pœnam, sed monebat ad pœnitentiam.

O quam mira circa nos divinæ pietatis dignatio, quæ, in sanctissimis etiamsi districte vellet erga eos agere inveniret unde eos juste damnaret, peccantes conservat, fugientes revocat, dispersos congregat, pereuntes liberat, mortuos vivificat, impios justificat, negligentes increpat, torpentes excitat, lapsos erigit, ignorantes instruit, devios reducit, redeuntes suscipit, susceptos custodit! Quisquis ergo divinam clementiam considerat, de venia nullatenus diffidat. Sed quoniam quid stellæ significent, quid dextera, A quid candelabra aurea, quid quoque quod dicit in medio, superius disseruimus, nunc eadem iterare non curamus. Hoc nimirum tantummodo dicendum restat, quid sit quod dicit, ambulat. Christus itaque in medio servorum suorum ambulat, quia omnibus gratiam ad perfectionem virtutum et bonorum operum dispensat. In medio ambulat; quia, dum ad alios venit, aliis bona sua distribuit. Aliter, sta per divinitatis æternitatem, ambulat per humanitatis conversationem. Ambulat ergo in medio candelabrorum aureorum, dum electis omnibus humanæ conversationis suæ ad imitationem sanctitatis proponit exemplum. Quid autem dicat audiamus : Scio opera tua et laborem tuum. Primum laudat, deinde increpat, ut laudando ad bonum erigat, B increpando de malo corrigat. Laudat ut confortet, increpat ut castiget. Laudat de bono, increpat de malo. Laudat, ubi dicit : Scio opera tua, et laborem tuum, et patientiam tuam. Increpat, ubi ait : Sed habeo adversus te, quod charitatem primam reliquisti. Scio opera tua; scio, id est approbo. Quasi namque ignoramus quod improbamus. Unde Dominus qui omnes vias diaboli per suam sapientiam cognoscit, quodammodo eas nescit ubi eum in vita B. Job interrogat unde venit (*Job* I). Opera tua bona, scilicet in necessitate exhibita proximis; laborem tuum, in afflictione corporis, patientiam tuam, in tolerantia cordis, et hæc tria ponit. Sunt enim quidam, qui bona a Deo accepta proximis non dispensant, sed corpus delicate nutriendo minime laC borant, et cum quid adversum contigerit, impatienter portant. Et sunt, qui cum distributione bonorum suorum corpus affligunt, sed in adversis patientiam servare non noverunt. Sed de his omnibus iste laudatur cum dicitur : Scio opera tua, et laborem tuum, et patientiam tuam; quasi diceret : Scio quia bona accepta libenter indigentibus erogas, et corpus affligendo laboras; et, quod his excellentius est, in adversitatibus patientiam servas. Sed quoniam qualis iste pastor in bono fuerit audivimus, nunc qualis etiam circa malum fuerit audiamus. Nam sequitur :

Et non potes sustinere malos. Non posse sustinere malos non est vitium, sed magnæ virtutis instrumentum. Nam nequaquam bonus es perfecte, si D malos in sua malitia æquanimiter sustines. Quisquis etenim malos in malitia sua sustinet patienter, ipse malitiæ eorum consensum præbet, et sic evidenter ostendit quod ad culmen bonitatis nondum ascendit. Debemus ergo hoc exemplo malis in quantum possumus resistere, debemus malitiam eorum in quantum valemus refrenare, sicut et beatus Paulus apostolorum Principi, id est Petro, in faciem restitit in eo in quo reprehensibilis erat (*Galat.* II). Debemus itaque, si in hac re perfecti esse volumus, impugnare ea quæ contra Deum esse cognoscimus, ne quod de quibusdam dicit audiamus : *Qui non est mecum, contra me est* (*Matth.* XII; *Luc.* VIII). Nullatenus igitur mali sunt sustinendi, sed cum dilectione hominum, et odio vitiorum sunt corripiendi, et si

Digitized by Google

corripi nolunt, de collegio bonorum sunt expellendi, ne contagione pestifera plurimos perdant. Valde itaque credibile est, et imitatione dignum, quod prædictus episcopus, et in bonis operibus laudabilis exstitit, et malos sustinere non potuit. Malos namque hoc modo sustinere non posse quin eos videlicet corrigamus, vel si incorrigibiles sint, eos expellamus, non est vitium impatientiæ, sed zelus justitiæ. Sic ergo zelus domus Dei nos comedat, ut in malis pravitatem consumat, sic et in nobismetipsis studeamus virtutes exercere, ut et in aliis curemus vitia debellare. Et quidem laudabile est quod superius continetur; sed minus laudabile est quod sequitur. Nam subditur: *Et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt; et invenisti eos mendaces.* Sunt qui intra sanctam Ecclesiam boni videntur in manifesto, sed mali sunt in occulto, et foris monstrant sanctitatis speciem, sed intus non habent sanctitatis veritatem. Quorum malitia tanto nonnunquam pernicioslus lædit, quanto occultior existit, et quanto minus potest cognosci, tanto difficilius potest vitari. Hujusmodi igitur hominum, qui se bonos verbo, vel opere fingunt, sed cordis intentione mali sunt, pravam debemus vitam diligenter investigare et examinare, et eorum occultam malitiam, nisi se corrigant, omnibus propalare, ut quanto manifestius agnoscitur, tanto melius caveatur. Debemus ergo hujus exemplo doceri non solum aperte debellare, sed et ficte bonos diligenter tentare, et comprobatos si corrigi velint corrigere. Si non, aliis, ad cautelam, ipsorum pravitatem detegere. Utrumque enim rector Ephesi Ecclesiæ laudabiliter adimplevit, qui et malos sustinere non potuit, et eos, qui se dicebant apostolos esse, et non erant, tentavit, et mendaces invenit. Ubi namque dicitur quod non potuit sustinere malos, intelligitur quod illos impugnabat, qui erant mali; ubi vero subditur quod eos, qui se apostolos esse dicebant, et non erant, tentavit et mendaces invenit, aperte monstratur quod illorum quoque simulationem discutiebat, qui ficte erant boni. Et invenisti, inquit, eos mendaces. Invenit eos mendaces non solum lingua sed etiam vita. Non solum prædicationis falsitate, sed etiam simulatione justitiæ. Si ergo recte ac perfecte vivere volumus, non tantum in nobismetipsis virtutes exerceamus, nec tantummodo electos pro viribus manu teneamus, sed etiam aperte malos ab incœpta nequitia curemus refrenare, et simulatorum fraudulentiam studeamus prudenti examinatione discutere, utrorumque malitiam si possumus corrigere. Si non, saltem improbitatem illorum verbis acriter impugnare. Sed quoniam dum quilibet electus reprobis persecutionem patitur, apte subditur, et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti.

Tria hic discernere videtur: Primum videlicet quod patientiam habuit, secundum quod propter nomen ejus sustinuit, tertium quod in ipsa patientia minime defecit. In eo itaque quod dicit, et patientiam habes, innuit *In nobis ipsum ab impiis quibus* contradicebat passum esse persecutionem. In eo vero quod conclusit, et non defecisti perseverantiæ longanimitatem, et patientiam habes, quasi diceret: Quamvis reprobi tibi intulerint propter justitiam persecutionem, tamen non amisisti patientiæ virtutem, propter nomen meum, non propter terreni lucri cupiditatem, non propter vulgi laudem inanem, nec passus hoc propter culpam, sed propter justitiam. Et non defecisti. Perpendat ergo quisque, quantus qualisque ille fuerit qui tot et tantis operibus et virtutibus refulsit, qui bona sua indigentibus erogavit, qui corpus affligendo laboravit, qui patientiam in quibuslibet adversis in corde suo servavit, qui aperte malos sustinere non potuit, qui ficte bonos tentavit, et comprobavit, qui patientiam in persecutione non amisit, qui non propter aliud nisi propter nomen Domini glorificandum persecutionem sustinuit, qui in nullo defecit, sed in omnibus viriliter vicit. Sed tamen a perfecta justitia minus habuit. Unde et per increpationem subinfertur: *Sed habeo adversus te quod charitatem tuam primam reliquisti.* Superius præmisit laudem, nec subjungit increpationem. In qua evidenter edocemur ut si quem nostris verbis emendare volumus, prius si qua habet bona, ei commemorare debemus, ne si eum primum per increpationem exasperemus, non ad recuperandum amissum bonum erigamus, sed in barathrum desperationis præcipitemus. Sunt namque quidem pusillanimes, qui, si aspere arguantur de eo quod deliquerunt, pondere timoris depressi in mœrorem nimiæ tristitiæ semetipsos mergunt. Magna ergo discretione circa hujusmodi homines est agendum, ne quod facimus ad bonum illis vertatur in malum. Habeo adversum te quod charitatem tuam primam reliquisti, id est, quod te sive in dilectione Dei, sive in dilectione proximi minorasti. Non dixit absolute quod charitatem reliquisti, sed distinxit, dicens, quod charitatem primam reliquisti. Hinc ergo animadvertere possumus quod in bono quidem fuerit minoratus, sed [non] omnino bono evacuatus. In gratia accepta minus secure vixerat, et quædam negligenter egerat, et ideo de culmine suæ perfectionis deciderat ad minorationem suæ perfectionis. Sed Dominus, cujus oculi nostrum vident imperfectum, eum admonet ut pœnitendo gradum amissum recuperet. Ait ergo: *Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam et prima opera fac.* Quasi diceret: Attende quod de fastigio tuæ perfectionis excideris, et ad imum imperfectionis decideris, et age pœnitentiam de negligentia, et prima opera faciendo recupera primam gratiam. Sequitur:

Sin autem, veniam tibi cito, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris. Post admonitionem, addit comminationem, ut si admonitionem contemneret, saltem comminationem formidaret.

Et notandum quod non tantummodo dixit, ve-

Digitized by Google

niam tibi, sed adjecit cito, ut ex certa designatione et festinatione adventus sui majorem timorem inculeret negligenti : Et movebo candelabrum tuum de loco suo. Movebo candelabrum tuum de loco suo, id est auferam Ecclesiam tibi commissam de manu tua ne eam amplius manu teneas, nec custodias. Dictum etenim est supra per candelabra Ecclesias figurari. Recte ergo candelabrum ejus de loco suo moveretur, si Ecclesia de manu ejus auferretur, et alteri ad gubernandum traderetur. Aliter, auferam tibi dona et virtutes quas adhuc habes, et præmium tibi promissum alteri dabo. Ex prædicta igitur increpatione et comminatione perpendite quanta sit culpa post acceptam gratiam negligenter agere, nec in ipsa proficere, sed magis deficere. Unde Paulus nos admonet, dicens : *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (*II Cor.* VI). In vanum gratiam Dei accipit, qui in ea proficere negligit, sed magis deficit. Sed sequitur :

Sed hoc habes bonum, quod odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. Iterum revertitur ad eum laudandum et commendandum, ut si animus ejus ex his quæ præcedunt nimio terrore concuteretur, per laudem, quæ sequitur confortaretur. Nicolaus unus de septem diaconibus, qui de apostolis constituti leguntur exstitit, qui uxorem omnibus communem fecit. Hoc modo iste cum prædictis in principio bonis laudabile habuit, et in hoc Domino concors fuit, quod cum Domino facta Nicolaitarum (id est hæresim Nicolai tenentium) odio habuit. Multum itaque confortari debuit, qui se post increpationem de negligentia, de bono laudari cognovit. Sed hoc habes bonum quod odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi, quasi ad ea quæ dicta sunt respiciens dicat, quamvis te audias increpari, noli in desperationem præcipitari, quia cum supradictis bonis etiam hoc habes bonum, quod odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. Sequitur :

Qui habet aurem audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Ille revera habet aurem, qui sensum habet intelligendi et retinendi, et affectum diligendi ac promerendi ea quæ promittuntur. Ille namque quodammodo auribus caret, qui de cœlestibus bonis quæ sibi promittuntur curam non habet. Quid Spiritus dicat Ecclesiis. Spiritus in hoc loco nequaquam personam Spiritus sancti tantum, sed ipsam sanctam et individuam Trinitatem designat, quæ una Deitas creditur, et unus Deus adoratur. Spiritus enim est Deus. Ait ergo : Quid Spiritus dicat, id est quid Deus promittat, et bene in fine singularum admonitionum, quæ singulis episcopis fiunt ubi subjungit præmium quod dabitur, non dicit, quid Spiritus dicat huic Ecclesiæ, vel illi, aut Ephesi scilicet, aut Smyrnæ singulariter, et sic cæteris, sed quid Spiritus dicat Ecclesiis pluraliter. Quia etenim promissum præmium omnibus erat commune, in singulis admonitionibus non ad unam tantum, sed omnes simul Ecclesias debuit comprehendere, ut dum omnes communem audirent promissionem, festinarent ad retributionem. Quid autem Spiritus dicat Ecclesiis audiamus : *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Lignum vitæ Christus est, qui suis electis semetipsum participando per gratiam vitam æternam præbet. Paradisus Dei, sancta Ecclesia propter securitatem, et jucunditatem, quam a Deo et in Deo habet. Qui ergo vicerit, scilicet malignum, de ligno quod est in paradiso edit, quia multitudine dulcedinis Christi quæ est in sancta Ecclesia cibabitur et satiabitur, ipsum participando, modo in gratia, in futuro illum contemplando in gloria. Sed quantam dulcedinem, quantum saporem, quantam jucunditatem, quantam voluptatem, quantam suavitatem esus hujus ligni habeat, nemo novit nisi qui gustat unde scriptum est : *Gustate et videte* (*Psal.* XXXIV); quia, nisi gustetur, non videtur. Hujus esum ligni etiam in præsenti suaviter degustat, qui visibilibus non solum sensibus corporis, sed affectibus cordis renuntiant. Quis, qualis, quantusve sit, nequaquam potest verbo declarari, cum nullius boni virtus illi digne queat comparari. Cujus dulcedine illi perfecte satiantur, qui ejus vultum in cœlo semper contemplantur.

Et notandum quod cum dixisset, in paradiso Dei, subjunxit, mei, propter humanitatem videlicet qua minor est Patre. Possumus itaque sex distinctionibus discernere ea quæ in præcedenti capitulo continentur. Primum namque ubi dicit : Scio opera tua, illius ad quem sermo dirigitur posuit laudem; ubi vero ait : Sed habeo adversum te, increpationem; ubi veroadjicit : Memor esto unde excideris, et age pœnitentiam, admonitionem; ubi subjunxit, sin autem veniam tibi cito et movebo candelabrum tuum, comminationem; ubi addit, sed hoc habes bonum quod odisti facta Nicolaitarum, iterum redit ad ejus commendationem; ubi demum intulit, vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei, communem electorum insinuavit retributionem. Nos ergo, fratres, quæ scripta sunt diligenter attendamus, bona faciamus, mala caveamus, ut ad propositam retributionem quandoque pertingamus, quæramus in sacra pagina non solum eruditionem, sed etiam ædificationem, quia illa sola utilis atque laudabilis est scientia, quam commendat comes justitia.

CAPUT VI.

De episcopo Smyrnæ.

Et angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe : Hoc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit : Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives es et blasphemaris ab his qui dicunt se Judæos esse et non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ. Nihil horum timeas, quæ passurus es. Ecce missurus est ex vobis diabolus in carcerem ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ (*Apoc.* II). Exsecuto superiore capitulo episcopo Ephesi, qui metropolitanus inter alios erat, de-

Digitized by Google

recto ad pastorem Smyrnæ sermonem vertit. Sed utrum de isto, sive de aliis aliarum Ecclesiarum episcopis ordinem, qui in sacra pagina continetur, secundum distantiam sicut locorum, sive secundum differentiam meritorum servet ignoramus. Ad episcopum ergo Smyrnæ ea quæ in præsenti capitulo continentur dirigens, eum de bonis actibus laudat, et laudando ad meliora provocat, futuras tribulationes prædicit, et fideliter pugnanti coronam promittit. Hæc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit, in principio sermonis talem Christum describit, qui in tribulationibus subvenire possit, et si contingat pro ipso occumbere, speremus per ipsum iterum ad vitam redire. In eo namque quod dicit, primus et novissimus, ostendit eum tribulatis posse subvenire; in eo autem quod subjungit, qui fuit mortuus et vivit, innuit eum mortuos posse suscitare. Hoc dicit, primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit, quasi diceret: Ne deficiatis si contingat pro nomine meo tribulationem sustinere, vel mortem subire, quia ego sum primus et novissimus, potens sum in tribulatione adjuvare, et qui fui mortuus et vivo, potens sum de morte suscitare. Dum ergo me talem auditis, de utroque fiduciam sumite, et si quid propter me contigerit adversi, viriliter sustinete. Sed quia superius hæc verba diligentius discussimus, ad sequentia transeamus. Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam. Duo ponit, tribulationem et paupertatem, tribulationem corporis, et paupertatem rei corporalis. Sed cum altera istarum sola graviter pungat, si altera adjungatur dolorem duplicat. Grave namque est in corpore tribulari, sed gravius est cum tribulatione corporis penuriam pati substantiæ corporalis. Duplici itaque laude iste dignus exstitit, qui duplicia mala pro Christo sustinuit. Nisi enim pro Christo sustinuisset, ipse Christus ejus tribulationem et paupertatem se scire minime dixisset, quia in hoc quod dixit, Scio, illum utramque monstravit propter se sustinere, et sic utramque designavit approbare. Sed inter corporis bona commemorat gratiam spiritualem, ut in eo quod bona commemorat contra mala sustinenda robustiorem reddat. Ait ergo, sed dives es, ac si diceret: Quamvis angusteris in corporalibus, ne timeas, quia dilataris in bonis spiritualibus, in plenitudine doni cœlestis, in exercitatione virtutis, in exhibitione boni operis, in verbo prædicationis, in spe remunerationis. Et quoniam cœtui malorum semper est odiosa vita bonorum, et quem Deus commendat sermo pravorum blasphemat, recte subditur: Et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt; sed sunt Synagoga Satanæ, id est congregatio adversarii, videlicet diaboli. Habuit itaque iste adversarios falsos Judæos, sicut rector Ephesi apostolos falsos, qui, si veri Judæi sive apostoli essent, Christum non simulatione justitiæ confiterentur et prædicarent. Patet autem in istis verbis sicut in aliis plerisque Scripturæ locis, quod antiquus hostis bonum quod non potest impedire, ac malum quod non valet efficere per suæ superbiæ complices dæmones, hoc conatur perficere per suæ pravitatis imitatores homines. Qui, quanto sunt numerosiores, tanto sunt ad utrumque complendum fortiores. Unde non inconvenienter Synagoga Satanæ dicuntur, quia, eos Satanas in unam malitiam congregat, ut per eos circa robustos sanctos robustus confligat. Et quia nonnunquam tabes impiorum per ipsum diabolum excitata, non solum ad blasphemiam oris, sed ad insectationem manifeste persecutionis prorumpit, apte sacra visio eum contra futuram persecutionem præmuniens, et corroborans adjecit:

Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, et habebitis tribulationem diebus decem, quasi ad superiora respiciens patenter diceret: Quandoquidem audis te ex meis bonis divitem esse, et non tantum præsentem adversitatem in qua nunc es sustinere, sed futuram quoque persecutionem debes patienter ac secure pro nomine meo tolerare, quam tibi idcirco prædico ut interim vires colligas, et adversis irruentibus invictus persistas, ut eos qui tibi sunt commissi contra eam præmunias. Debes ergo vires sumere, et temetipsum animare, quia ego qui te conforto, ego adjuvabo. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est ex vobis diabolus in carcerem. Diabolus ea quæ ministri ejus, eo investigante, faciunt facere dicitur. Quemadmodum rex aliquis civitatem aliquam expugnare, vel succendere dicitur, cum non hoc vel illud ipse, sed, ipso præcipiente, ejus exercitus potius operetur. In carcerem, id est in quamlibet tribulationem. Carcer namque pro qualibet tribulatione accipi potest, ut tentemini, id est ut per tentationem probemini utrum vere sitis mei, et virtutes habeatis modo ad propriam utilitatem, et ut aliis manifestentur ad imitationem. Virtutes etenim quæ patent *non solum* possidentibus valent ad meritum, sed intuentibus ad exemplum. In tentatione namque, *non tantum* ille qui per eam exercetur et probatur proficit, sed et alii multi quibus ejus patientiæ virtus *innotescit*. Et habebitis tribulationem diebus decem. Quid rectius accipimus per dies decem quam Decalogi claritatem? Diebus igitur decem electi quique tribulationem habent, qui pro divinæ legis quæ in Decalogo continetur custodia in præsenti vita persecutionem sustinent. Dicat ergo: Et habebitis tribulationem diebus decem, quasi dixerit: Quandiu in luce meæ legis ambulaveritis, semper in ejus observantia pro me tribulationem habebitis. Scriptum quippe est: *Omnes qui volunt in Christo pie vivere persecutionem patiuntur* (*II. Tim.* II). Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Prædicta persecutione hortatur eum ad longanimitatem patientiæ, et obtinenti victoriam spondet coronam, quasi diceret: Quidquid mali ingerant, tu patienter sustine. Tolerantia namque transitoria, corona æterna, pugna modica, merces immensa, pœna

Digitized by Google

levis, gloria inæstimabilis. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi, post mortem, pro morte vitæ æternitatem. *Qui habet aurem audiat quid dicat Spiritus Ecclesiis.* Hoc, quia supra dictum est, hic iterum exponi necesse non est. Sequitur :

Qui vicerit non lædatur a morte secunda. Prima mors est culpa, secunda, pœna. Aliter prima mors est in mundo, secunda in inferno. Prima mors est quando anima a corpore separatur, secunda quando anima cum corpore condemnabitur. Qui ergo vicerit videlicet malignum dæmonem, pravum hominem, carnem, vitium, mundum, a morte secunda non lædetur, quia damnatione perpetua non punietur. Possumus itaque ea quæ in prædicto capitulo continentur quinque generaliter divisionibus distinguere. Ubi namque dicit in principio : Scio tribulationem tuam, et paupertatem suam, sed dives es, eum ad quem sermo dirigitur de bono laudavit. Ubi ait : Nihil horum timeas quæ passurus es, futuram ei persecutionem prædixit. Ubi intulit : Esto fidelis usque ad mortem, de patientia eum admonuit. Ubi consequenter adjecit : Et dabo tibi coronam vitæ, præmium promisit. Ubi denique conclusit, quia vicerit non lædetur a morte secunda, et hunc, et electos securos a damnatione fecit. In isto ergo qui in omnibus exstitit laudabilis, in nullo reprehensibilis laudem admiremur, justitiam imitemur.

CAPUT VII.

De angelo Pergami.

Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui habet romphæam ex utraque parte acutam : Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam, et in diebus illis Antipas testis meus fidelis qui occisus est apud vos ubi sedes est Satanæ (*Apoc.* II). Tertio hoc in loco in episcoporum numero episcopum Pergami sacra visio ponit, et ad ipsum præsentis capituli sermonem divertit, quem quidem de bono laudat primum, deinde de malo increpat more prudentis agens medici, qui pusillanimis, impatientis tenelli et timentis infirmi apostema, primum circumquaque suaviter tractat et tangit, et postea ferrum infigit, et latentem et ferventem putredinem sapienter educit, et educta putredine locum sanum reddit. Sic verus animarum medicus, ubi eum commendat dicens: Scio ubi habitas, ægrotum palpat; ac deinde ubi eum increpat, dicens : Habeo pauca adversum te, ferro vulnerat ut ad sanitatem reducat.

Et notandum quod quia iste de malo redarguendus erat, talem in principio sermonis describit ipsa visio Christum qui non tantum vitia corporis, sed vitia quoque cordis si vellet corrigi resecaret. At si nollet emendari, non solum corpus ejus, sed animam puniret, quemadmodum in capite superioris capituli ad pastorem Smyrnæ directi, eo quod illi persecutio superventura erat talem describit Christum, ubi ait : Hæc dicit primus et novissimus qui fuit mortuus et vivit, qui posset tribulatos adjuvare, et pro se mortificatos resuscitare. Talem itaque apparens similitudo Filii hominis, Filium hominis ipso initio sermonis episcopo Pergami designavit, ut si vellet ea quæ corrigenda erant corrigere, fiduciam de adjutorio posset sumere, si nollet, de vitio posset formidare. Hic ergo : Hæc dicit qui habet romphæam ex utraque parte acutam. Potens est adjuvare, si velis corrigi in corpore et spiritu, utriusque vitia resecare, si non vis corrigi, potens est te in utroque condemnare. Romphæam ex utraque parte acutam, diximus superius verbum Dei significare. Romphæa enim ex utraque parte acuta est sermo Dei vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, qui non solum pravam actionem corporis, verum etiam pravam cogitationem cordis resecat, et incorrigibiles permanentes in utroque condemnat. Sed quod iste qui habet hanc romphæam dicat audiamus. Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Primum de bonis actibus eum laudat, et laudando ad meliora roborat, et in utroque præparat ut sequentem increpationem melius sustineat. Scio ubi habitas, ubi sedes est Satanæ, id est, approbo quod justus conversaris in medio pravæ nationis. Non enim minima laus est justo inter impios immunem se custodire, inter perversos rectam viam agere.

Et notandum quod non dixit, ubi via, sed ubi sedes est Satanæ. Per quosdam enim transeundo Satanas cursim ambulat, per eos scilicet quos subito et improviso in malum præcipitat. Sed nequaquam sedem ponit, quia illis per pœnitentiam cito resurgentibus dominium regnandi in eis amittit. Alios per culpam non tantum calcat, sed per pravam consuetudinem in illis gratia regnandi sedem locat : quibus præsidens non solum eos refrenat a bono exercendo, sed et in eis suam voluntatem complet in malo proficiendo. Super illos ergo per culpam ambulat, aut transvolat, in istis per consuetudinem diutius sedet, et regnat. Liquet igitur istos longe a Deo remotos fuisse, in quibus Satanas non viam, sed sedem perhibetur habuisse. Qualis autem, quantusque iste in bono inter malos exstiterit, manifeste declarat cum subditur, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Vere enim magnum et laudabile fuit inter infideles nomen ejus tenere, et in persecutione eorum fidem ejus non negare. Sed quod præmisit, tenes nomen meum, hoc subsequenter exposuit cum subjunxit, et non negasti fidem meam. Nomen namque Domini, et fidem Domini idem esse intelligimus. Quid est enim baptizari in sanctæ Trinitatis nomine, nisi baptizari in ejus fide? Sicut etiam aliqua res innotescit in nomine, ita Deus a nobis cognoscitur fide. In hoc itaque rector Pergami valde laudabilis exstitit, quod inter malos bonus fuit, et inter infideles fidem Christi tenuit, et non negavit. Nam multo levius est inter bonos bene agere, quam inter infideles fidem servare. Sicut valde facilius est, nemine obstante, quam repugnantibus hostibus, civitatem introire. Et ne solum inter infideles fidem servasse, vel se æstimet solum

Digitized by Google

inter malos bene vixisse, et ob hoc in utroque citius deficiat, proponitur ei Antipas testis Christi fidelis, qui propter Christum, et fidem Christi pœnas sustinuit occisionis, ut ipsum Antipas imitando etiam mortem pro Christo, si necesse fuerit, sustineat. Nam sequitur: Et in diebus illis, videlicet tuis, subaudiendum fuit, Antipas testis meus fidelis qui occisus est apud vos, id est in Pergamo ubi sedes est Satanæ, non a bonis, sed a malis in quibus Satanas regnat. Quasi eum per Antipam corroborando, patenter diceret, laudo quidem quod inter malos usque modo bene vixisti, quod in fide mea perseverasti. Sed cave ne te solidum esse credas, et in hoc, vel in illo deficias, sed memento Antipas testis mei fidelis, et pro me usque ad mortem sustine illius exemplo persecutionem pravæ nationis. Nec etiam de merito glorieris si in alterutro profeceris, quia Antipas, qui majorem pœnam quam tu sustinuit, in virtute meriti te longe præcessit. Nunc tibi propono hujus imitationem, admoneo ut ejus exemplo vires colligas, et ad patientiæ coronam pertingas. Sequitur:

Sed habeo adversus te pauca, quoniam habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat filios Israel edere et fornicari. Præmisit laudem, subjungit increpationem, ac si diceret in his quæ præcedunt, existis laudabilis, in his quæ sequuntur, reprehensibilis. De illis te laudo, de his te deprehendo. Quod autem dicit: Habes hic tenentes doctrinam Balaam qui docebat filios Israel edere et fornicari. Luculenter exponit, dicens, ita habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Sicut enim, secundum doctrinam Balaam, Moabitæ docuerunt filios Israel edere de idolothytis et fornicari, ita Nicolaitæ, secundum doctrinam Nicolai, docebant Christianos commessationibus vacare, et fornicari cum mulieribus. Iste ergo, quamvis laudabilis in semetipso exstitit, in eo tamen quod male viventes viriliter non redarguebat, reprehensibilis fuit, qui in hoc tenentes doctrinam Nicolaitarum habuit, quod illos novit male agere, et non correxit. Attendant hæc quarumdam Ecclesiarum præsules, qui et ipsi male vivunt, et alios non corrigunt. Emendent semetipsos, corrigant subjectos. Sed illi qui circa semetipsos vigilant, male viventes castigare non desistant. De manibus namque prælatorum requirit Deus animas pereuntium subditorum. Sequitur:

Similiter pœnitentiam age, si quominus veniam tibi cito. Post asperitatem increpationis subjungit admonitionem emendationis, et si nollet corrigi, terrorem comminationis. Nam, ubi dicit, pœnitentiam age, pœnitentiam admonet. Ubi vero subdit, si quominus veniam tibi cito, per comminationem terret. Subditur hic similiter, id est, sicut præcepi episcopo Ephesi pœnitentiam agere, qui et ipse reprehensibilis erat, eo quod charitatem primam reliquerat. Nam episcopum Smyrnæ minime increpavit, et ideo de pœnitentia ei nihil indixit. Si quominus videlicet feceris, si pœnitentiam non egeris, si malos non correxeris, veniam tibi scilicet ad judicium, et ad detrimentum, et hoc cito, ne propter prolixitatem temporis innectas moras emendationis. Sequitur: *Et pugnabo cum illis in gladio oris mei*, quasi diceret: Si tu contemnis mihi obedire, et malos corrigere, veniam non solum tibi, sed et illis, et curabo eos per vindictam punire in gladio oris, id est in verbo, dicens: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xxv). Hæc est romphæa ex utraque parte acuta quam in principio capituli istius posuit ad terrendam negligentiam pastoris, et hanc omnes Ecclesiarum rectores habere debent ad bonos et malos secernendum, bonos defendendum, malos puniendum: *Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis: Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum quod nemo novit, nisi qui accipit.* Absconditum manna, Divinitas occulta. Deum nemo vidit unquam, de hoc iterum scriptum est: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* (*Psal.* xxx). Et iterum: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*I Cor.* ii), etc. Istud manna nobis dabit quando gloria divinitatis suæ nos satiabit. Quid est etiam, dabo calculum candidum, nisi cœleste præmium? Calculum propter firmitatem, candidum propter candorem immortalitatis. Quid nomen novum in calculo, nisi divina notitia modo mentibus humanis inusitata, in præmio æterno revelata? In calculo igitur æterno candido nomen novum scriptum nobis dabit, quia in æterno et immortali præmio divinitatis suæ notitiam nunc a nobis valde remotam nobis manifestabit. In præsenti autem sæculo multa possumus cognoscere, quæ non possumus habere. Sed in cœlesti patria quod de Deo intelligendo cognoscemus, amando possidebimus. Nec aliquis poterit cognoscere, nisi cui contigerit habere. Unde et ait: Quod nemo scit, nisi qui accipit. Possumus autem quinque distinctionibus disponere ea quæ in hoc capitulo continentur. Nam, ubi dixit, scio ubi habitas, præmisit consolationem laudis; et ubi ait, habeo adversus te pauca, addit rigorem increpationis; ubi subjunxit: Age pœnitentiam, admonitionem emendationis; ubi dixit, si quominus veniam tibi cito, terrorem comminationis; ubi tandem intulit: Vincenti dabo manna absconditum, præmium beatitudinis.

CAPUT VIII.

De episcopo Thyatiræ.

Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Filius Dei qui habet oculos sicut flamma ignis, et pedes similes aurichalco: Novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam, ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus (*Apoc.* ii). More solito auctoritatem Salvatoris anteponit, et titulum describit qualem sequentis capituli sententia rationem deposcit. Quia enim erant in Thyatira quidam falsi Christiani qui semetipsos cum mulieribus seu dæmonibus fornicando polluebant, et

Digitized by Google

alios exemplo vel verbo ad eadem scelera pertrahentes seducebant, recte dixit habere eum oculos sicut flamma ignis, ut eum ostenderet omnia quæcunque gererent per suam sapientiam penetrando contemplari, et pedes ejus similes aurichalco, ut eum significaret illos admonere de pravitatibus suis exire debere, et vel infirmos electos (qui per pedes similes aurichalco figurantur) debere viriliter imitari. Ait quoque : Hæc dicit Filius Dei qui habet oculos sicut flamma ignis, et pedes similes aurichalco, quasi diceret : Vos in Thyatira Christum contemnendo male vivitis, et hunc sermonem audituri estis. Dum eum audieritis oculos habere sicut flamma ignis, animadvertite eum occulta pravitatis vestræ agnoscere, et dum audieritis eum habere pedes similes aurichalco, perpendite eum saltem ad infirmorum electorum ejus imitationem vos provocare. Sed quia superius de oculis ejus et pedibus plura diximus, ad sequentia transeamus. Sequitur : Novi opera tua, et fidem, et charitatem. More solito præmittit laudem ut eum confirmet. Deinde subjungit increpationem, ut castiget. Novi opera tua, et fidem, et charitatem. Non est hoc in loco rectus ordo verborum secundum ordinem rerum, sicut in quibusdam sacræ Scripturæ locis quandoque contingit, ut videlicet prius ponatur in sermone quod posterius est ordinis veritate. Nam fides prima est bonorum omnium quæ per justitiam comprehenduntur, et ex fide nascitur charitas, ex charitate opera bona. Dicit ergo ordine præpostero quantum ad verborum positionem, non quantum ad rerum qualitatem : Novi opera tua, et fidem, et charitatem tuam, id est quantum ad rerum rectum ordinem, fidem tuam qua in me credis, charitatem qua me diligis, opera quibus mihi servis. Et quia is qui fide in Deum credit charitate, cum diligit, operibus servit, etiam de rebus suis ministrare sollicite debet pauperibus, recte additur, et ministerium tuum. Sed, quoniam omnes qui in Christo volunt pie vivere in eum credendo, ipsum diligendo, ipsi serviendo, pauperibus propter Deum ministrando, persecutionem patiuntur, bene subditur, et patientiam tuam, scilicet in adversis, quæ quidem omnia novit, quia approbavit. Et opera tua novissima plura prioribus. In principio opera laudat, et hic iterum opera commendat. Sed ibi opera inchoationis, hic opera perfectionis. Non enim laudat eum de culmine perfectionis, sed de augmento, quia nequaquam dixit, perfecta, vel multa, aut absolute plura, sed per comparationem, plura prioribus. Unde quod ait, novissima, non est referendum ad perfectionis sublimitatem, sed ad præcedentium operum præteritam exhibitionem. Sequitur :

Sed habeo adversum te, quia permittis mulierem manducare de idolothytis. Postquam eum ad laudem et constantiam roboravit, statim increpationem de ejus negligentia subjunxit, dicens : Sed habeo adversum te pauca, quia permittis mulierem Jezabel quæ se dicit prophetare, docere et seducere servos meos, quasi diceret : Laudo quod tu bene vivis, sed reprehendo quod alios non corrigis. Sed quid per Jezabel, quæ interpretatur *fluxus sanguinis*, rectius quam carnis voluptatibus illectos, idololatriæ cultibus debitos accipimus, qui se prophetas esse dicebant, et ideo facilius alios seducebant ? fornicari, id est ad fornicandum cum mulieribus, vel cum dæmonibus, et manducare de idolothytis, id est ad manducandum veneratione idolorum de his quæ immolata erant idolis. Aliter. Manducare de idolothytis, id est delectari in peccatorum sordibus quas immolant dæmonibus. Alii dicunt per Jezabel uxorem istius episcopi designari, quæ luxuriæ vel idololatriæ dedita erat, et alios suis suasionibus ad imitationem suæ pravitatis pertrahebat. Sequitur :

Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret et non vult pœnitere de fornicatione sua. Mira Dei pietas, mira clementia ! Quando committimus culpam non statim infert pœnam, sed confert medelam, et revocat ad integritatem justitiæ, ut perducat ad jucunditatem gloriæ. Sed, quoniam contemptus pœnitentiæ generat incrementum culpæ, et provocat iram vindictæ, recte post increpationem propter neglectam emendationem, adjecit comminationem. Nam sequitur :

Ecce ego mitto eam in lectum, et qui mœchantur cum ea in tribulationem maximam, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis. Alia translatio habet, mitto eam in luctum, sed sive dicamus luctum, sive lectum, hic exprimitur quod subjungitur in tribulationem maximam, id est in damnationem æternam, ut qui sunt ei conformes in scelere, illi socientur in damnatione.

Notandum quoque quod non dixit, mittam sed mitto, ut per præsentiam temporis formidinem incuteret timoris. Sed et diligenter est intuendum, et gratanter amplectendum quod divinæ pietatis miseratio nequaquam absolute et simpliciter dixit, mitto. Sed temperavit comminationem, dicens : Nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis (*Luc.* XIII). Noluit enim per effrenatum terrorem peccatores præcipitari in desperationem. Sed per temperamentum comminationis eos revocare, si pœnitere vellent, ad confidentiam suæ miserationis. Sequitur :

Et filios ejus interficiam in mortem, et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes et corda. Et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Quos convenientius intelligimus per filios quam sequaces ejus qui doctrina et exemplo matris in longinquum exercent turpitudinem maternæ pravitatis ? Qui et ipsi vere in mortem interficientur, quando æterna damnatione punientur. Et omnes Ecclesiæ, id est congregationes bonæ scient, scilicet in futuro, re, quod modo credunt fide, quia ego sum scrutans renes, id est carnales concupiscentias, et corda, id est cogitationes malas. Hoc est ergo quod in principio sermonis ait eum habere oculos sicut flammam ignis, quod non solum possit cognoscere exteriora

Digitized by Google

nostra, sed etiam interiora per suam sapientiam penetrare. Potest quoque quod dixit : Scrutans renes et corda (*Jer.* VII), referri non tantum ad malos, sed et ad bonos. Ipse nimirum scrutatur bonorum renes, quia eorum diligit castitatem. Scrutatur et corda, quia eorum amat mundam cogitationem. Unde id quod superius in hac comminatione continetur, videtur ad malos tantum pertinere. Hoc vero quod dicit, ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique vestrum secundum opera vestra, videtur etiam pertinere ad bonos, et dabo unicuique secundum opera vestra, bona bonis, mala malis. Hoc autem quod sequitur ad bonos tantum pertinet : *Vobis autem dico cæteris qui Thyatiræ estis : Quicunque non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus, tantum id quod habetis, tenete, donec veniam.* Erant in Thyatira quidam electi qui supradictis pravitatibus non communicabant, sed Christo soli fideliter serviebant. Alii egressi ex Judæa eis evangelica præcepta non posse sufficere dicebant, et eis carnales legis observantias esse tenendas prædicabant. Electos ergo instruit, et eos quod tenere debeant certos reddit. Admonet gratiæ præcepta tantum tenere et testatur se pondus legis illis minime imponere. Dicit itaque : Vobis autem dico cæteris qui Thyatiræ estis, vobis cæteris qui pravis operibus non communicatis, sed sobrie, et juste, et pie vivitis, omnibus qui non habent doctrinam hanc, videlicet doctrinam Jezabel eam imitando. Qui non cognoverunt, id est, non approbaverunt, vel amaverunt altitudinem, id est superbiam Satanæ, illi serviendo, me contemnendo. Quemadmodum dicunt, id est, sicut vobis minantur illi qui egressi sunt de Judæa. Non mittam super vos aliud pondus, id est non exigam a vobis veteres observantias legis, tantum id quod habetis tenete, donec veniam. Evangelium quod habetis per fidem tenete per operationem bonam, donec veniam ad retributionem. Sequitur :

Et qui vicerit, et qui custodierit usque in finem verba mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo, et dabo illi stellam matutinam. Superius locutus est de bonis et malis, nunc subjungit de munere et præmio vincentis. Qui vicerit, scilicet malignum, sicut supra expositum est, et qui custodierit usque in finem, scilicet vitæ, usque in finem victoriæ, vel usque in finem, id est consummationem justitiæ, opera mea quæ ego præcipio operari dabo illi (subauditur etiam in hoc sæculo) potestatem super gentes, id est gentiliter viventes, et reget illas in virga ferrea, id est inflexibili justitia, et tanquam vas figuli confringentur, ita ut alii omnino ejus judicio condemnentur, alii in melius ejus verbo permutentur. Ille etenim qui ad perfectionem sanctitatis curat pertingere, ipse est dignus alios regere, malos damnatione dignos judicare, bonos salvatione dignos. Sicut et ego accepi a Patre meo, accepi scilicet secundum humanitatem a Patre meo regendi potestatem. Magna promissio, magnum donum. Hoc promittit, hoc tribuit quod ipse accepit. Hoc quod habet ipse per plenitudinem, ut electi ejus habeant per plenitudinis participationem. Potest etiam id quod dicit, dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea (*Psal.* II), et tanquam vas figuli confringentur, tantum referri ad malorum damnationem, ut ille qui in victoria fuerit perfectus, malos cum Christo judicet et condemnet, sicut de apostolis scriptum est : *Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Et dabo illi stellam matutinam, stella matutina stola prima, stella propter claritatem contemplationis, matutina propter inchoationem beatitudinis. Dabitur ergo vincenti in mundo stella matutina, id est stola in cœlo, ut accepta prima securus sit de reliqua. Ista stella matutina mutabitur in solem meridianum in resurrectione, quando anima glorificabitur in resurgenti corpore. Scriptum quippe est : *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII). Possumus autem ea quæ in hoc capitulo continentur quinque distinctionibus discernere. Nam, ubi dixit : Scio opera tua, et fidem, et charitatem, illum de quo sermo est laudavit. Ubi dixit : Sed habeo adversum te, quia permittis mulierem Jezabel quæ se dicit prophetam docere et seducere servos meos, eum increpavit. Ubi adjecit : Ecce mitto eum in lectum, et qui mœchantur cum ea in tribulationem maximam, comminatus est malos. Ubi subjunxit : Vobis autem dico cæteris qui Thyatiræ estis, de tenendis solis gratiæ præceptis erudivit bonos. Ubi deinde intulit : Qui vicerit et qui custodierit usque in finem opera mea, dignitatem potestatis spiritualis atque cœlestis et primam stellam promisit. Qui habet aures audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis, id est quid promittat Ecclesiis Deus. Aures, fratres charissimi, non solum ad audiendum, sed ad intelligendum habeamus, scripta legamus, prohibita caveamus, ut ad promissa perveniamus.

CAPUT IX.

De episcopo Sardis.

Et angelo Ecclesiæ Sardis scribe : Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, et septem stellas : Scio opera tua ; quia nomen habes quod vivas et mortuus es. Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inveni opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis, et audieris, et serva, et pœnitentiam age (*Apoc.* III). Quinto loco singularium admonitionum episcopus Sardis non sicut cæteri qui præmissi sunt de aliqua virtute, vel bona operatione laudatur, sed de ficta, et simulata justitia gravi et dura animadversione per sacram visionem redarguitur, et ut pœniteat misericorditer admonetur, et quia idem episcopus in conspectu hominum quarumdam virtutum et bonorum operum simulatione palliatus de foris appare-

Digitized by Google

bat, sed intus in conspectu Dei nulla veritate justitiæ fultus erat, talis in principio describitur ei Christus, qui omnia etiam occulta possit cognoscere, et qui potens sit eum quando deliquerit de peccato punire. Ait ergo : Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei, et septem stellas, quasi diceret : Tu qui te coram hominibus per hypocrisim bonum facis, sed in oculto me contemnendo malus existi, dum me audis septem Spiritus Dei habere, animadverte me per meam sapientiam non solum manifesta, sed et occulta, non solum opera, sed et cogitationes spiritualiter penetrando videre. Et dum me audis habere septem stellas, intellige me ad puniendum te et alios episcopos, si deliquerint, potentem esse. Sed quia de septem Spiritibus, et septem stellis superius elucidavimus, ad sequentia transeamus. Sequitur : Scio opera tua, quod dicit, scio, nequaquam accipiendum est sicut in supradictis capitulis, ubi se dicit aliorum opera scire, id est sciendo approbare. Scio opera tua, id est cognosco. Omnipotentem namque Deum sicut nemo potest vel pretio corrumpere quia justus est, vel excedere quia æternus est, vel loco effugere quia ubique est, vel virtute superare quia fortissimus est : sic nemo potest eum absconsione latere, quia sapientissimus est. Dicat ergo. Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas et mortuus es. Scio opera tua per meam sapientiam, quod nomen habes, videlicet in vulgo per inutilem famam, quod vivas per justitiam, et tu e converso mortuus es per culpam. In hoc capitulo quia iste omnino reprehensibilis erat, nequaquam sicut in prædictis præmisit laudem, sed statim intulit increpationem. Nam quod in aliis præmissis admonitionibus post dictam laudem per increpationem dicitur : Sed habeo adversum te, hoc agit in ista a principio ubi nulla facta mentione de laude, scriptum est : Scio opera tua quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es. Sequitur : Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant. Post increpationem subjungit admonitionem. Esto vigilans, id est sollicitus de salute tua. Ille namque non vigilat qui, semetipsum negligens, de salute sua non cogitat, et confirma cætera quæ moritura erant, præcipua bona in quibus laus consistit, sicut est charitas, humilitas, in ipso erant jam mortua ; minora vero quæ, etsi salutem non contineant, tamen ad salutem juvant, sicut scientia Scripturarum, doctrina, prædicatio et cætera talia, si mala permanerent, erant moritura.

Justo nimirum judicio qui majora quæ prorsus sunt ad salutem necessaria custodire contemnit, minora, etsi ad salutem non necessaria, tamen utilia, funditus amittit. Et qui ea quibus coram Deo vere bonus erat negligit, ea quibus coram hominibus laudabilis erat jure perdidit. Sunt quippe nonnulli qui ea quibus apud homines magni videntur magis diligunt, et ea sine quibus in conspectu Dei justificari non possunt parvipendunt, quærentes de minimo crescere, et maximo minui. Sed postquam maxima dona virtutum spernunt, minora in quibus confidebant et gloriabantur perdunt, ut se divina gratia nudatos cernant, et de negligentia citius resipiscant. At vero divina miseratio episcopo Sardis quædam de minoribus bonis adhuc concesserat, de quorum confirmatione illum admonebat. Ait ergo : Confirma cætera quæ moritura erant. Sequitur : Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In eo quod dicit, non invenio opera tua plena, patenter eum redarguit de charitate amissa. Ubi enim charitas est, plenitudo est. Nam, non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur. Plenitudo enim legis est dilectio. Dicit itaque : Non invenio opera tua plena, quia cuncta quæ facis charitate sunt vacua, in qua qui offenderit multa opera perdit, et omnium reus existit. Igitur quamvis opera tua coram hominibus videantur per ostentationem plena, coram Deo meo propter absentiam charitatis sunt vacua. Quia ergo opera tua pro humana laude exhibita, charitate amissa coram Deo meo propter absentiam dilectionis fraternæ minime sunt plena, in mente habe qualiter acceperis a Deo per gratiæ spiritualis infusionem, et audieris ab homine per evangelicam prædicationem, et serva utrumque per bonam actionem, et pœnitentiam age de amisso bono, et de commisso malo per emendationis satisfactionem. Sequitur :

Si ergo non vigilaveris veniam ad te tanquam fur, et nescies quando veniam ad te. Post monitionem emendationis, addit, nisi se corrigat, comminationem damnationis. Si non vigilaveris, id est nisi de te in his quæ dicta sunt sollicitus fueris, veniam ad te tanquam fur qui venit ut bona auferat, et possessorem occidat ; ita veniam ad te, et auferam tibi gratiam et inferam pœnam. Et quantum tanquam fur latenter, et ex improviso veniam, non poteris præcavere adventum meum. Et hoc est quod dicit, nescies qua hora veniam ad te. Huic, quia nimis a vera justitia remotus in culpam erat lapsus, sicut aliis ubi dixit, veniam cito, minime, vel parvum spatium determinat, ut magis timeat, citius resipiscat, studiosius se corrigat. Sequitur :

Sed habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, et ambulabunt mecum in albis quia digni sunt. Post increpationem, admonitionem et comminationem, proponitur ei vita bonorum sibi subjectorum, sive ad levamen consolationis, sive ad exemplum imitationis, ut ipse qui magis debuit et minus fecit, in grege suo bonos esse audiat, et de se non desperet, sed erubescat, et sumpta spe, illorum exemplo, ad justitiam resurgat. Sed habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, quasi diceret : Paucos bonos qui tibi subjecti sunt attende, et vel ex tantillo residui boni confortare, et eorum exemplo

Digitized by Google

cum eis recte vive. Habes pauca nomina, id est paucas personas virtute justitiæ mihi notas.

Et notandum quod dicit, pauca, quia quamvis ubique multi sint vocati, pauci sunt tamen electi. Sed quia in Sardis pauci sunt, culpa forsitan fuit episcopi; quia, dum pastor terrenis intendit, lupus ovile rumpit, oves rapit et dispergit, et rapiendo, et dispergendo gregem minuit. Qui vestimenta sua non inquinaverunt, qui dona innocentiæ et immortalitatis in baptismate accepta ad pristina mala revertendo non contaminaverunt. Aliter. Non contaminaverunt vestimenta sua, quia, post baptismum, per luxuriam et incontinentiam non contaminaverunt corpora sua. Aliter: Vestimenta sua nequaquam contaminaverunt, quia munda opera sua sordibus vitiorum non polluerunt. Sunt qui, post baptismum, vestimenta sua male vivendo inquinant, sed ea iterum lacrymis lavant, sed hoc inquinamentum non reputatur illis ad pœnam quod diligenter lavant per pœnitentiam. Et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Et ambulabunt mecum, quia ego præivi ad exemplum, et informationem, et ipsi me sequuntur per imitationem. Aliter: Ambulabo cum eis per gratiam, et ipsi mecum per justitiam, quia nisi per singula eis retribuerem gratiam, non possent proficere per justitiam, quia sine me nihil possunt facere. Ambulabunt mecum in mundo juste vivendo, virtutes operando, bona opera exercendo, justitiam aliis prædicando, multaque alia bona faciendo. Sedebunt mecum in cœlo in æternum mecum regnando, in albis, in spe futuræ innocentiæ et immortalitatis, in corporibus castis, in operibus mundis. Opera namque per vestimenta designantur, quia sancti sicut vestimentis, sic operibus designantur, circumdantur, muniuntur et ornantur. Quia sunt digni. Dignos etenim socios assumo, indignos relinquo. Sed qui sunt digni, nullatenus digni forent, nisi a me dignitatem accepissent. Sequitur:

Qui vicerit sic, vestimentis albis vestietur, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram angelis ejus. Omnibus quæ ad exemplum pertinebant exactis, subdit de munere vincentis, sumpto exemplo promissionis ex illorum justorum laude qui erant in Sardis. Qui vicerit. Supra expositum est, sic vestietur vestimentis albis sicut illi videlicet electi qui sunt in Sardis. Et non delebo nomen ejus de libro vitæ. Minus dicit, majus intelligit, et dum unum negat, aliud confirmat. Liber vitæ est sapientia Dei in qua omnes electi, recte dicuntur scripti, et ad vitam æternam sunt prædestinati. Ipsa namque prædestinatio ipsa est scriptio. In hoc libro damnandi etsi videantur scripti propter gratiam atque justitiam ad tempus sibi collatam, agnoscuntur postmodum deleri quando labuntur per culpam, et damnantur per pœnam. Unde scriptum est: *Deleantur de libro viventium, et cum justis non scribantur* (*Psal.* LXVIII), id est, agnoscantur deleti, imo potius nunquam scripti. Damnandi quippe quamvis cum salvandis videantur scripti, eo quod fidem quæ per dilectionem operatur ad tempus habentes sunt justi. Sed licet aliquandiu sint scripti per sanctitatem, nunquam tamen sunt per prædestinationem. Qui quodammodo de isto libro delentur, quando a justis per culpam sive damnationem dividuntur, et si non re quasi aliquando scripti, tamen manifestatione, quia scripti æstimabantur, nunquam tamen scripti fuisse manifestantur. Pagani vero sive Judæi qui sine fide Christi moriuntur nullatenus in hoc libro aliquando scripti creduntur. Sunt etiam multi salvandi qui, dum ad tempus sceleribus involvuntur, ab hoc libro videntur deleti; qui tamen sicut semper sunt prædestinati, sic semper in libro vitæ sunt scripti. Quod ergo dicit: Non delebo nomen ejus de libro vitæ, tantumdem valet ac si diceret: Nomen ejus quod semper mihi in mea sapientia est notum per prædestinationem, nequaquam hominibus manifestabitur deletum, sive nunquam fuisse non scriptum, sicut nomina impiorum quæ delentur, et non scribuntur, id est manifestantur deleta vel potius nunquam scripta per damnationem, sed semper apud me scriptum, et nunquam deletum monstrabitur omnibus per salvationem. Et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis ejus (*Matth.* x), quando dicam: Venite, benedicti Patris mei; percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, quia esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere (*Matth.* xv). Confitebor nomen, quia testificabor notum mihi per justitiam fuisse in via, quem pro justitia exaltabo in patria. Et hoc coram Patre meo et angelis ejus, quia coram Patre meo et coram angelis dabo ei præmium secundum merita, reddam mercedem secundum laborem. *Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Quod enim uni dicit, omnibus dicit, sicut bona docendo, mala cohibendo, recta præcipiendo, pœnam comminando, gloriam promittendo. Possumus ergo quinque distinctionibus dividere cuncta quæ in hoc capitulo continentur. Ubi enim ait: Scio opera tua quod vivas, et mortuus es, posuit asperitatem increpationis. Et ubi dixit: Esto vigilans, admonitionem emendationis; ubi dicit: Si non vigilaveris veniam ad te tanquam fur, terrorem comminationis; ubi subjungit: Sed habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, exemplum imitationis; ubi ait: Qui vicerit, munus in præmium vincentis.

CAPUT X.

De episcopo Philadelphiæ.

Et angelo Philadelphiæ Ecclesiæ scribe: Hæc dicit Sanctus et Verus qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit: Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem, et servasti nomen meum, et non negasti fidem meam (*Apoc.* III). Episcopum Philadelphiæ visio cœlestis alloquens in hoc sermone laudibus justitiæ attollit, nec

Digitized by Google

de aliqua negligentia, vel culpa, sicut nec episcopum Smyrnæ reprehendit. Promittit ei gratiam sapientiæ ad prædicandum, et adversarios Judæos se illi submissurum, et in hora tentationis suæ perfectionis auxilium. Ad ultimum hortatur eum ad perseverantiam, ne perdat coronam. Et quemadmodum in aliis capitulis solet facere, talem Christum in principio describit qualem subsequens sermo requirit, et ut in principio sermonis episcopus ipse animadvertat quantum de sequenti promissione confidere queat. Nam quia in sacra prædicatione et nec in angustiis in ipsa Verbi administratione cessanti gratiæ divinæ doctrina promittitur, recte promissor, et largitor boni Sanctus et Verus, et clavem David habere, et solus aperire et claudere secreta sapientiæ perhibetur. Ait ergo : Hæc dicit Sanctus et Verus qui habet clavem David quasi diceret : Hæc dicit Sanctus et Verus. Sanctus in bonitate, Verus in promissione, qui eo quod Sanctus non peccat, et quia Verus nunquam mentitur. Et quia habet clavem David, cui vult mysteria sapientiæ aperit et largitur. Quem dum Verum et Sanctum audis, crede pium et veracem in promissis. Et dum audis eum clavem habere David, crede potentem in exhibendis. Quid enim per clavem David apparens Filii hominis similitudo nobis rectius designavit, quam gratiam spiritualis sapientiæ, quæ et David quam aliis prophetis mysterium humanæ redemptionis luculentius aperuit? Quæ specialiter, et proprie non inconvenienter dicitur David, et propter promissionem sibi factam, et propter prærogativam manifestationis, quia David non sicut plerisque prophetis per ænigmata, et formas visibilium, sed nude, et pure, et absque tegumento in secreto cordis reseravit adventum Redemptoris. Unde et ipse ait : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV). In me, non in symbolis et in formis, sed immediate et familiariter in conclavi, et in sinu meæ mentis. Quod ergo ait : Qui habet clavem David potentem se esse ad reserandum arcana doctrinæ quæ promissurus ac daturus erat, et quibus ipse episcopus in officio suo indigebat manifeste significavit. Hoc dicit Sanctus et Verus qui habet clavem David, ac si diceret : Intellige quæ in principio sermonis de Christo prædicantur, et de illis confide quæ tibi in sequentibus ab ipso promittuntur. Audi esse Sanctum et Verum, et perpende benignum et veracem bona promittendo. Audi eum habere clavem David, et agnosce potentem eadem retribuendo. Et ne credas alium eamdem potentiam habere, audi ipsum solum potentem esse; qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Aperit corda ad intelligentiam fidei, aperit ora ad prædicationem verbi. Aperit affectum ad dilectionem, aperit linguas doctorum ad prædicationem docendum. Aperit corda populorum ad credendum. Et quantum quæ electis aperit reprobis claudit, recte dicitur, claudit et nemo aperit. Quam autem ipso aperiente nemo potest claudere, testantur apostoli in Actibus suis dicentes : *Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui.* Et post pauca de Judæis : *Non poterant sapientiæ resistere, et Spiritui qui loquebatur* (*Act.* IV). Ipso vero claudente reprobis ea quæ recta sunt, exigentibus peccatis suis, nemo potest aperire, quia nemo potest corrigere quem ille despexerit. Sequitur : Scio opera tua, scio, approbo, diligo, recipio. In brevi laudem ipsius comprehendit, ubi dicit : Scio opera tua. Statimque post laudem infert divini muneris promissionem. Ecce dedi coram te ostium apertum, dedi, id est dabo, præteritum pro futuro, ut dono certum redderet, ne de promissione dubius remaneret, vel præteritum posuit, quia Deus per futurum tam ratum habet quasi jam factum est. Dedi coram te ostium apertum. Quid est ostium apertum nisi verbum liberum? Sicut namque apertam domum intramus, ita per verbum libere prædicatum cor humanum penetramus, et hostem, et hospitem antiquum eliminamus, et factorem cordis in ipso habitatorem collocamus. Aliter : Dedi coram te ostium apertum, id est aperiam tibi intellectum ad Scripturarum cognitionem, os ad earum prædicationem, corda audientium ad fidei susceptionem. Ecce dedi coram te ostium apertum, quod, me aperiente, nemo potest claudere, quia divinam sapientiam ubi vult operari, nemo potest impedire. Quare autem tantam gratiam dare disponat, illi consequenter manifestat. Quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum. Donum quippe prædicationis superna providente gratia largius habere promeruit eo quod modicam sive in corpore, sive in corde virtutem habuit, et tamen verbum Dei et in actione et in prædicatione servavit, et nomen ejus, subintelligitur in angustia persecutionis, non negavit. Valde etenim laudabile exstitit apud Deum quod per modicam virtutem tanta complevit, et tanto Salvator sublimius illum etiam præconio laudis extulit, et dono gratiæ cumulavit, quanto propter pravitatem virtutis in ejus obsequio difficilius laboravit. Sequitur :

Ecce dabo tibi de Synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur. Post promissum donum prædicationis, illi spondet piam victoriam se donaturum de inimicis. Erant enim, sicut ex præsenti Epistola potest æstimari, Judæi in Philadelphia, de quorum Synagoga quidem episcopi prædicationi contradicebant; et ejus humilitatem deridebant, quasi si veram in Deo fidem haberet cum signis evidentioribus suum eum esse famulum manifestaret. Qui forsitan minime personæ ejus odio per malitiam, sed legis suæ zelo per ignorantiam ad hoc ducebantur. Istos itaque promittit illi ad fidem esse convertendos, et ejus magisterio esse subjiciendos. Ait ergo : Ecce dabo de Synagoga Satanæ, quasi præcedentia sequentibus jungens dicat, quia quæ supradicta sunt peregisti, et mihi placita fecisti, et illos qui sunt Satanæ tibi dabo, et apud eos a quibus adversaris te magnificabo. Ecce dabo tibi de

Digitized by Google

Judæis, scilicet qui sunt Satanæ per infidelitatem, qui se dicunt Judæos esse per divini nominis confessionem, et non sunt per veritatem, sed mentiuntur per falsitatem. Quomodo autem illi dabit, subjungit, dicens : *Ecce faciam illos*, videlicet tales, *ut veniant, et adorent ante pedes tuos.* Faciam ut veniant ad fidem in me credendo, et adorent ante pedes tuos se humiliando, te venerando, et se a te baptizari, instrui, et regi simpliciter exorando. Sequitur :

Et scient quod ego dilexi te. Scient tunc conversi quod nunc ignorant aversi, scient amici quod ignorant inimici, scient intromissi quod ignorant extra positi. Scient tunc quod ego dilexi te per veram charitatem, quod tunc ignorant, dum te permitto examinari per tribulationem, cujus dilectionis causam subdit, dicens : Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, verbum, id est præceptum servasti, dum adversa propter me patienter sustinuisti. Propter hanc etiam eamdem causam post subjectionem adversantium illi, suæ protectionis in tentatione promittit auxilium, dicens : *Et ego servabo te ad horam tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra.* Servabo te, non ab hora tentationis, sed a læsione tentationis. Servabo te, non ut tentationem non videas, sed ut tentationi non cedas, non ut eam non sentias, sed ut ei minime consentias. Tentationem dicit persecutionem, in qua quidam reprobantur, non servantur. Quæ ventura est in orbem universum. Postquam enim sonus apostolorum in omnem terram exivit, statim persecutio per universum orbem ebullivit. Tentare habitantes in terra : In cœlo quodammodo jam habitant perfecti, qui terrenis et mundo perfecte renuntiant, illi sunt probati, isti probandi. Persecutio ergo habitantes in terra, id est possessores terrenorum, vel imperfectos tentat, et utrum vere justi sint omnibus manifestat. Idcirco namque, divina disponente providentia, tentantur, ut qui sint demonstretur. Nam perfecti quique, si a pravis et ipsi persecutionem sustineant et sentiant, sunt probati et justi esse manifestati. Nec tales persecutio gravat, sed delectat, nec ipsa irruente dolent, sed magis gaudent. Scriptum quippe est : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* v). Hunc ergo episcopum divina bonitas propter patientiam ab ipso patienter servatam a ventura persecutionis tentatione servandum promisit, non ut cum aliis electis persecutionem non sustineret, sed ut sustinendo non deficeret, sed magis proficeret. Hoc est enim servari cum augmento virtutis, illæsum a culpa custodiri. Sequitur :

Ecce venio cito, tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Circa finem allocutionis hortatur ad patientiam, ne perdat coronam. Sed quia in tribulatione positus erat, utpote qui inter infideles, et in medio nationis pravæ et perversæ manebat, et tentationem esse venturam audiebat, recte ne in pressuris deficiat se cito venturum, videlicet ad remunerandum, denuntiat. Ait ergo : Ecce venio cito, quasi diceret : Viriliter omnem sustine tribulationem pro me, quia ecce venio cito ad remunerationem. Tene quod habes, fidem scilicet, et bona opera, et in eis persevera, ne si non habueris perseverantiam alius accipiat coronam tuam. Cum enim sit Deo certus suorum numerus, quando alius per culpam labitur, alius per misericordiam subinducitur, ut in loco unde lapsi sunt dæmones ascendant homines, et in cultum divinum quem Judæa reliquit gentilitas introivit. Sequitur : *Qui vicerit faciam eum columnam in templo meo, et foras non egredietur amplius, et scribam super illum nomen Dei mei, et nomen civitatis novæ Hierusalem quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum.* Cunctis superius quæ ad commendationem episcopi pertinent exsecutis, ad ultimum ponit donum vincentis : *Qui vicerit*, sicuti supra expositum est, *faciam illum columnam in templo Dei mei*, ut sicut columna in materiali templo, ita ipse in spirituali ædificio sit firmus per fidem, rectus per æquitatem, erectus per intentionem, sublimis per contemplationem, et alios quidem sustentet verbo consolationis, alios suffragio orationis, alios exemplo actionis. In hoc autem ædificio in quo perfecti quilibet sunt columnæ, alii sunt columnæ lapideæ per firmitatem credulitatis, alii columnæ æneæ per sonum prædicationis, alii argenteæ per eloquentiam, alii aureæ per sapientiam. Et, re idem verbum sæpius oporteat exponere, ubicunque dicit, Dei, et adjungit, mei, sive aliud hujusmodi, propter humanitatem hoc dicit qua Patre minor existit. Et foras non egredietur amplius, id est, si in justitia stare voluerit, criminaliter amplius non peccabit, nec de consortio justorum emigrabit. *Et scribam super eum nomen Dei mei.* Quod dicitur, cito transit, quod scribitur, diu permanet. Quod ergo dicit, scribam, tantumdem valet ac si diceret, in sempiternum tribuam.

Et notandum quod dicit, super eum, non in eo; quia quidem bonum divinum supra nos apprehendere possumus, intra nos autem illud comprehendere non valemus. Nomen Dei ergo super electos scribitur, quando illud quidem apprehensibile, sed incomprehensibile bonum quod Deus dicitur et est per naturam, illis esse et dici datur per gratiam, sicuti scriptum est : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi sunt omnes* (*Psal.* LXXXI). Et nomen civitatis novæ Hierusalem, scilicet scribam, sicut supra dictum est, ut sic et nominetur nomen ejus Hierusalem, non in terra in qua non est visio pacis vera, et quæ multum habet adhuc vetustatis, quæ non est tota Dei, eo quod multi sunt in ea qui sunt diaboli. Sed illius quæ, etsi adhuc ex parte in terris est, tamen sursum est, et cœlestis mater nostra est, in qua nulla visio est litis, sed solius pacis, quæ nihil habet vetustatis, sed totum novitatis, in qua totum possidet Deus, nihil diabolus. Quæ descendit de cœlo a Deo meo, quia omne datum optimum,

Digitized by Google

et omne donum perfectum desursum est, quo sancta mater nostra Hierusalem in electis suis ad æternitatem præparatur, in tempore descendens a Patre luminum, ab auctore donorum. Et nomen meum novum, subauditur scribam super eum, videlicet Christianitatis quod est totum novitatis, nihil habens vetustatis. Possunt autem cuncta quæ in hac promissione continentur et vincenti promittuntur, non solum in cœlo, sed etiam in mundo a vincente haberi, et non solum in futuro, sed in præsenti quoque statu ab ipso possideri. *Qui habet aures audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Istud ideo crebro repetitur, ut audientibus arctius commendetur. Possumus ergo cuncta quæ in hoc sermone continentur generaliter sex distinctionibus disponere. Ubi quippe dixit : Scio opera tua, ipsum episcopum laudavit; ubi subjunxit : Ecce dedi coram te ostium apertum, gratiam illi prædicandi promisit; ubi ait : Ecce dabo tibi de synagoga Satanæ, spopondit ei infidelium et adversantium Judæorum conversionem et subjectionem; ubi addidit : Servabo te ad horam tentationis, in persecutione protectionem; ubi adjecit : Ecce venio cito, tene quod habes, de perseverantia intulit admonitionem; ubi ait tandem : Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, vincentis remunerationem.

CAPUT XI.

De episcopo Laodiceæ.

Et angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit : Amen, testis fidelis, et verus qui est principium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus, utinam frigidus esses, aut calidus, sed, quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo; quia dicis : Quia dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus (*Apoc.* III). Episcopum Laodiceæ septimo loco singularum admonitionum, et visionis primæ sacra visio ponit, et eum de tepore, et arrogantia, et jactantia, et penuria virtutum, et operum justitiæ graviter reprehendit, admonens ad pœnitentiam, et pœnitenti de scelere promittit indulgentiam. Et, quoniam iste propter quædam dona, et donorum opera quæ magis patent, sed veræ justitiæ minus habent, se et a semetipso justitiam qua vacuus erat habere existimabat, et se divitiis, et locupletatione sanctitatis apud alios magnificabat, recte Christus a quo de his omnibus redarguitur fidelis, et verus in principio sermonis illi præscribitur, qui non possit mentiri, et principium esse creaturæ Dei denuntiatur convenienter, sine quo justitia non possit haberi, ut dum fidelem, et verum et principium boni increpantem se audiret, ad semetipsum citius rediret, et verbis loquentis ex ipsius loquentis consideratione fidem adhiberet, et quid esset, vel quid esse deberet perpenderet, et se justitia vacuum esse, et a semetipso habere non posse, sed ab eo qui est principium creaturæ Dei, non tantum in rebus creatis per conditionem, sed et in recreatis per redemptionem agnosceret, et sic ageret pœnitentiam, et consequeretur misericordiam, reciperet gratiam, et ageret justitiam, mereretur que gloriam. Ait ergo : Hæc dicit : Amen, id est vere, fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei, quasi patenter dicat : Quis, qualis ac quantus tibi loquatur diligenter ab ipso sermonis exordio attende, et ore veritatis reprehensus te veræ bonitatis inopem esse cognosce, et in principio allocutionis animadverte te sine illo ditari non posse. Hæc dicit : Amen, fidelis et verus, qui in eo quod vere fidelis est, nulla celanda celat, et in eo quod est verus, falsa, et non dicenda nunquam pronuntiat. Hæc dicit, qui est principium creaturæ Dei. Sine quo sicut non potes habere originem existentiæ, sic non potes sine ipso habere nec initium justitiæ. Ipse qui est principium creationis : nam ab ipso est esse, et ab ipso bonum esse. Quia igitur fidelis est et verus, te malum esse (quod ipse testatur) veraciter crede. Et quia principium est boni, te ab ipso bonum fieri quod non es simpliciter deposce. Quia autem malus sit manifestat cum dicit : Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus. In isto nullam justitiæ laudem, sed statim eum aggreditur per increpationem. Scio opera tua, tantum videlicet cognosco non approbando sicut quorumdam aliorum, sed reprobando. Quia neque frigidus, neque calidus, utinam frigidus esses, aut calidus. Sed, quia tepidus es, nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere de ore meo. Frigidus esset per infidelitatem, calidus per charitatem. Sed neutrum existens, et inter utrumque tepidus erat per solam credulitatem. Existimabat namque solam sibi sufficere fidem, non animadvertens necessariam esse charitatem, et charitatis actionem, in sola confidens fidei cognitione, et sacramentorum perceptione. Meliusque illi fuisset in infidelitate permansisse, quam accepta fide tepide vivere, nec opera fidei exercere, non quod esset hoc bonum, sed quia minus esset malum, et forsitan ad fidem aliquando conversus citius ac levius ad veram justitiam consurgeret quam nunquam diu in sola fide per teporem resolutus, et inutilem securitatem deceptus acciperet, inaniter confideret ac superbiret. Dicit ergo : Utinam frigidus esses, aut calidus, quasi diceret : Utinam in fide esses sicut esse deberes; quia tunc vere justus esses, vel saltem adhuc in infidelitate positus esses, quia et propter ignorantiam minus peccatum haberes, et gratia quandoque conversionis accepta citius ad veram justitiam pertingere posses. Quia autem malum ipsius teporem sequatur adjungit, dicens : Sed, quia tepidus es, et nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

Notandum quod non dixit, evomam, sed incipiam evomere, quia qui per teporem resolvitur, non subito, nec ex toto a gratia deseritur, ut raptim ad malum relabatur. Sed, gratia deserente, et ipso primum minima, deinde majora contemnente, paulatim succiditur, et gradatim a summis ad ima descendit, et

Digitized by Google

tandem præcipitanter ad ima ruit, et pulchre ad similitudinem tibi dixit : Incipiam te evomere ex ore meo, quia electi quique in fide quasi cibus in stomacho per naturalem calorem decocti per dilectionem membra Christi fiunt per veram justificationem, et tepidi sine dilectione crudi evomuntur per reprobationem. Quia dicis, quia dives sum, et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu miser es, et miserabilis, et pauper, cæcus et nudus ; ac si diceret : Quia, cum sis miser per tui teporis desidiam et bonorum spiritualium penuriam, te divitem æstimas et jactitas per superbiam et inanem gloriam, merito incipiam te evomere ex ore meo. Nam, si tuam paupertatem cognosceres, et de culpa temetipsum humiliares, diutius ad pœnitentiam te exspectarem, nec de ore meo penitus te evomerem. Dives, et locupletatus idem est, sed ideo dupliciter pronuntiatur, ut sublimius rerum quantitas attollatur. Dicis quod sum dives et locupletatus, sive videlicet per scientiæ cognitionem, sive per Scripturæ prædicationem, sive per sæcularis eloquentiæ nitorem, sive per sacramentorum administrationem, sive per pontificalis apicis dignitatem, sive per vulgi laudem inanem. Ex hujusmodi quippe bonis in quibus perfecta salus minime consistit apud se extollebatur, et coram hominibus gloriabatur, quorum bonorum cumulus declaratur cum subditur, Et nullius egeo. Multum enim dives est qui nullius eget. Sed perpendat qui potest quam longe præsul iste a perfecto bono recesserat qui in imperfecto bono perfecte confidebat, qui solummodo quod insufficiens ad salutem habebat contemplabatur, et alterius se non indigere testabatur, qui vere non tantum affectus vapore tepidus sed et in sensu rationis hebes erat, qui hoc sibi sufficere, nec aliud necessarium fore credebat. Unde recte subditur : Et nescis quia tu es miser et miserabilis : miser in te, miserabilis aliis. Illis namque, qui vitam tuam subtiliter discutientes te miserum vident miserabilis appares, et de tua miseria compassionem habent. Cujus miseriæ pondus per tria sequentia distinguitur : et pauper, et cæcus, et nudus. Pauper per amissionem charitatis, quia et, si quis charitate caret, pauper est, etsi alia bona possidet. Cæcus per amissionem cognitionis, quia, qui veritatem cognitionis non habet, nec se, nec sibi utilia videt. Nudus per amissionem boni operis, quia, quem diabolus bono opere denudat, nequaquam habet unde se coram proximo exornet, aut operiat. Iste ergo miser erat, et miserabilis apparebat, quia virtute charitatis, cognitione veritatis, amictu boni operis amissis, pauper, cæcus remanserat et nudus. Sequitur :

Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Post increpationem adjungit admonitionem, et distinguit hæc tria mutato ordine contra tria quæ superius dixerat. Ibi etenim dicit hunc de quo sermo est esse pauperem, cæcum et nudum ; hic vero suadet illi aurum a se emere, vestimentis albis indui, collyrio oculos inungere, quasi diceret : Quia pauper es, suadeo tibi a me aurum emere, ut diteris, et, quia nudus es, suadeo ut vestimentis albis induaris, ut operiaris, et orneris, et, quia cæcus es, per meam suasionem collyrio oculos tuos inunge, ut possis recta videre. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum. Quid per aurum ignitum rectius designatur quam charitas, quæ ut aurum per claritatem fulget, et ut ignis per dilectionem fervet, quæ quoque in electis in fornace tribulationis judicium subit examinationis? Dicat ergo : Suadeo tibi a me emere aurum, id est charitatem luce intimi splendoris fulgidam, fervore dilectionis ignitam, in electis meis per fornacem tribulationis probatam. Eme impensis orationis, a me, a quo sunt certa bona spiritualis gratiæ, ut locuples fias. Quandiu namque sine charitate fueris, cæteris bonis ditari non poteris, sed sine ipsa semper pauper eris. Vestimentis vero albis induitur quisquis operibus mundis extrinsecus circumdatur, et ornatur. Et bene post aurum de vestimentis subjunxit, quia charitas prior est, et de charitate omnis actio bona procedit. Unde non appareat confusio nuditatis tuæ. Quem nimirum bona actio non tegit, hunc sua nuditas apud alios confundit, quia in hoc coram aliis habet confusionem quod amisit bonam actionem. Recte igitur iste qui bona opera non habebat admonetur ut vestimentis albis, id est operibus mundis, induatur, ut per hoc ejus nuditas contegatur, ne amplius apud intuentes de nuditate sua, id est, de bonorum operum amissione confundatur. Et collyrio inunge oculos. Quid rectius accipimus per collyrium quam eloquium divinum? Et quid aptius intelligimus per oculos, quam spirituales sensus nostros? Quemadmodum enim collyrio oculos sanamus, ita sacro eloquio sensus nostros illuminamus. Inunge collyrio oculos tuos ut videas, id est, scrutare scripturam ut veritatem cognoscas. Præceptum enim Domini lucidum illuminans oculos, id est, sensus nostros. Collyrium per amaritudinem suam, oculos, id est sensus nostros, purgat, præceptum Domini per terrorem suum sensus elucidat, collyrio clarificantur oculi ad videndum solem, præcepto Domini sensus ad divinam contemplationem. Aliter. Collyrium est spirituale donum quo quando sensus nostri per ignorantiam prius clausi liniuntur, ad supernæ claritatis fulgorem intuendum aperiuntur. Aliter. Collyrium est amaritudo pœnitentiæ quæ per compunctionem clarificat sensus cordis, sicut collyrium per effusionem lacrymarum oculos carnis. Quemadmodum ergo qui collyrio inungit oculos recipit visum, ita qui aliquod istorum sensibus cordis adhibet recipit intellectum. Sequitur : *Ego quos amo, arguo et castigo :* æmulare ergo et pœnitentiam age, ut ad id quod suadet perducat, cum ipsa admonitione proponit ei electos suos quos amat, quod eos arguit et castigat, ut eorum in divino flagello tolerantiam videat, et ad agendam pœnitentiam minime torpescat. Dicit ergo : *Ecce quos*

Digitized by Google

amo, arguo et castigo : æmulare ergo, et pœnitentiam age; quasi diceret : Si suasio præmissa te de torpore ac tepore tuo non potest excitare, illos quos amo me verbis arguere, et flagellis castigare, illosque dicta et flagella tolerare diligenter animadverte, et ab illis exemplum sume, et æmulare in bono illos, id est, æmulando imitare, et tribulationem quæ in agenda pœnitentia sustinetur noli formidare. Unde, si tibi non sufficit verbum admonitionis, addatur verbo exemplum imitationis. Sequitur :

Ecce sto ad ostium, et pulso. Si quis audierit vocem, et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Post admonitionem pœnitentiæ, ad ipsum roborandum ei proponit fiduciam indulgentiæ. Ecce sto ad ostium et pulso, ac si diceret : Noli diffidere quia paratus sum per misericordiam ad te intrare, ut simus ambo sicut esse debemus in una dilectione. Quod enim indifferenter promitto, non denego. Ecce sto, paratus quasi ad intrandum, ad ostium, id est, ad cordis introitum, et pulso per prædicationis verbum. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit, id est, receperit prædicationem meam, et aperuerit mihi januam per veram fidem, introibo ad illum per gratiæ spiritualis infusionem, et cœnabo cum illo, per ejus justificationem, et ipse mecum, per bonæ conscientiæ jucunditatem, per augmentum quoque gratiæ, et spem futuræ gloriæ.

Et notandum quod dicit si quis, quia pauci sunt qui obedienter vocem suam audiunt, et cordis ostium illi aperiunt. Nec dicit prandebo, sed cœnabo, ut videlicet ejus bonum quod in mundo incipitur per charitatem, in cœlo perficiatur per beatitudinem, et semper perseverare ostendatur per æternitatem, nec aliud succedere per alicujus temporis mutabilitatem. Sequitur :

Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedeo cum Patre meo in throno ejus. Omnibus quæ ad episcopum pertinebant ordinatis, sicut et in aliis capitulis subjungit munus vincentis, consessum videlicet regni spiritualis atque cœlestis, et ponit suam victoriam, atque consessum in throno Patris pugnantibus in exemplum ut festinent ad præmium : *Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis*, quid Deus promittit sanctis congregationibus. Cuncta quoque quæ in hoc capitulo continentur quatuor generaliter divisionibus discernere possumus. Ubi quippe dicit : Scio opera tua, quia neque frigidus es, redarguit ipsius pontificis tepore ; ubi ait : Suadeo tibi a me emere aurum, admonuit eum ad emendationem ; ubi adjecit : Sto ad ostium, et pulso, si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, pœnitenti proposuit fiduciam suæ miserationis ; ubi tandem intulit : Qui vicerit, faciam illum sedere in throno meo, promisit vincenti consessum regni spiritualis atque cœlestis. Et, ut omnia quæ in hac prima visione continentur ad evidentiam per recordationem recapitulemus, primum posuit auctor titulum libri, et Ecclesiarum salutationem. Deinde apparentem sibi descripsit Filii hominis similitudinem. Tertio loco ad singulares singulis episcopis sanctas admonitiones descendit : et episcopum Ephesi, et episcopum Pergami, et episcopum Thyatiræ. Episcopum vero primum de bono laudavit, deinde de malo redarguit ; episcopum Smyrnæ et episcopum Philadelphiæ de justitia tantum laudavit ; episcopum vero Sardis et Laodiceæ tantum de malo increpavit. Si quis interpretationes nominum septem civitatum quæ in hac visione continentur voluerit investigare, videbit actus rerum, et interpretationes nominum rationabiliter ac mirabiliter concordare. Ephesus interpretatur *lapsus* sive *consilium*, quæ utraque interpretatio pontifici civitatis, et ejus actibus rectissime consonat, qui primam charitatem relinquendo ad minorationem virtutis lapsus erat, et cui divina admonitio consilium præbet, ut prima opera faciendo, ad primum gradum iterum ascendat. Smyrna interpretatur *canticum ;* quæ interpretatio ejus bene convenit episcopo, quem divina revelatio de negligentia irreprehensibilium judicans etiam laudibus attollit. Pergamus interpretatur *divisio cornuum*, quod ipsius episcopo optime concordat, quem sermo divinus commonet, ut Nicolaitarum superba cornua rigore justitiæ dissipet, ac dividat. Thyatira *illuminata* vel *vivens hostia* interpretatur, quod utrumque ab ejus episcopo minime dissidet qui per doctrinam spiritualem illuminatur, et ut fornicarios corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem doceat exhibere, per reprehensionem subtiliter admonetur. Sardis interpretatur *principium pulchritudinis*, quod nequaquam a vita pontificis discrepat, qui inchoativa solummodo bona, et nomen solummodo, non rem habebat sanctitatis. Philadelphia interpretatur *amor fratris* vel *salvans hæreditatem*, quod utrumque ejus episcopo, et ejus conversation. congruit, qui per amorem fraternum ad convertendum electos, qui hæreditas sunt Domini in prædicationem viriliter laboravit. Laodicea interpretatur *vomitus*, quod ipsius præsuli aptissime congruit, quia illum propter suum tepore, nisi pœniteret ipse Redemptor incipere emovere ex ore suo disponebat. Sic non solum ex gestis rerum, sed etiam ex interpretationibus nominum diligens sacræ paginæ scrutator potest invenire, unde ad lucem scientiæ valeat pervenire. Huc usque de prima visione libri hujus non sicut debuimus, sed sicut potuimus locuti, stylum ponimus, ut otio recreati ad secundam ingrediendam illum alacrius resumamus.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

DE VISIONE SECUNDA.

PROLOGUS.

Deus summe bonus a quo bona cuncta procedunt, quæ in subjectam creaturam varie et multipliciter descendunt, a quo cuncta habent, non solum quod sunt per existentiam, sed etiam quod bona sunt quantum ad naturam. A quo creatura rationalis singulariter possidet, quod recta est per justitiam, ipse spiritualis sapientiæ gratiam suis multiformiter distribuit in diversitate et cursu temporis ut eos congreget ad unum statum æternitatis. Mens nimirum humana quæ multiplici rerum visibilium concupiscentia excæcatur, ad spiritualium bonorum simplicem contemplationem difficile renovatur, nisi diversitate doctrinæ cœlestis, et lectionis varietate doceatur. Quapropter, non solum universitas sacræ Scripturæ per diversos codices perpulchre distinguitur, sed unus idemque liber diversarum significationum divisione distinguitur, ut mens per diversa et falsa bona distracta diversis sacræ paginæ lectionibus illuminata, ad illius veri boni visionem, et amorem reducatur. Unde et sacra Apocalypsis ista per diversas visiones dirimitur, ut diligens lector ejus per majorem exercitationem roboretur, et ad ejusdem boni cognitionem, et appetitum erigatur. Sciendum est tamen quod non omnes æqualiter eruditant, et quod cœlestium sacramentorum arcana differenter contineant. Prima quippe quæ cæteras præcedit visiones majora et planiora quam reliqua (quamvis et ipsa magna sint) continet documenta, utpote quæ ad unius regionis, videlicet Asiæ, speciaLiter missa est correptionem. Istæ vero quæ sequuntur longe majora, obscuriora et sublimiora continent sacramenta, sicut quæ ad universam generaliter Ecclesiæ pertinent eruditionem. Unde in hujus sanctæ visionis ingressu sancto theologo recte dicitur : *Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc* (*Apoc.* IV). In imo namque positi minora perspicue cernimus. Sed in altum ascendimus, ut majora videamus. Liquet igitur ex eo quod dicitur : Ascende, excellentiora esse ea quæ visurus erat quam ea quæ viderat. Agit autem ista visio, sicut supra prælibatum est de sedente in throno. De libro septem sigillis signato, et de agno librum aperiente. Describit etiam multiplices sanctæ Ecclesiæ ab inchoatione gratiæ, usque in finem tribulationes, et sequentes beatitudinis retributiones, ut electi ex auditu tribulationum contra eas præmuniantur, et ex promissione retributionum robustiores efficiantur.

CAPUT PRIMUM.

De sedente in throno, et ornatu ejus, quantum ad textum capitulum IV.

Post hæc vidi : Et ecce ostium apertum in cœlo, et vox prima quam audivi tanquam tubæ loquentis mecum dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc (*Apoc.* IV). Postquam primæ visionis descripsit sacramenta, in secundæ visionis sacramentis procedit. Post hæc, post, ordine videndi, non mutatione dicendi. Hæc videlicet quæ in prima visione continentur, vidi, id est intellexi, et ecce ostium apertum in cœlo. Cœlum est sancta Ecclesia quæ sicut cœlum per cœlestem conversationem est exaltata per fidei firmitatem, et constantiam solidata, corporali mansione usque ad terminos terræ, et spirituali dilectione ad amicos et inimicos circumquaque dilatata, solis justitiæ qui eam illustrat claritate, et justitiæ divinitus sibi collatæ splendore, et sanctorum doctorum atque perfectorum virorum præclara actione quasi lumine solis et lunæ, sive innumerabilium stellarum lucidissima quæ etiam divina mysteria reprobis prudenter celat quæ justis clare manifestat. Item cœlum est, quia terrena sub se jam longe deseruit, et per fidem, spem, et charitatem cœlestibus sublimiter inhæsit. Ostium est sacra Scriptura cujus doctrina et prædicatione omnis electus eruditur, et per eam quid sit credendum edoctus, sanctam Ecclesiam ingreditur. Istud ostium eloquium scilicet sacrum reprobis semper est clausum. Sed ab electis videtur, et intratur quia apertum. Unde et nunc recte a sancto theologo dicitur : Vidi ostium, non clausum, sed apertum in cœlo. Ostium quippe apertum in cœlo conspicit quisquis sacram Scripturam secundum rectitudinem fidei intelligens aditum in sanctam Ecclesiam hanc cognoscit. Et vox prima quam audivi tanquam tubæ loquentis mecum, dicens. Voces sunt divinæ admonitiones, inter quas est ordine prima doctrina prophetica. Lex etenim in eo muta fuit quia temporalia bona non cœlestia promisit. Unde scriptum est : *Dum medium*, id est summum et perfectum, *silentium tenerent omnia* (*Sap.* XVIII), scilicet lex et natura, quia in hoc silebant quod vera bona nec promittebant, nec exhibebant. *Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit.* Primum prophetas ad prædicanda spiritualia, ac cœlestia aspirando. Deinde ad ea exhibenda semetipsum in carne manifestando. Vox ergo prophetica de internis et æternis bonis prima sonuit, quia illa nobis sua prædicatione primo manifestavit, et ad illa quærenda primo invitavit. Ipsa legem spiri-

Digitized by Google

tualiter intelligendam, et servandam esse prima docuit, et temporale ac transitorium esse bonum quod per litteram promittebat et conferebat. Sed spirituale et æternum fore quod mystice significabat luce clarius demonstravit. Ipsa itaque ordine quidem prima est, non dignitate, quia vox evangelica sive apostolica tanto eam dignitate præcedunt quanto supernæ plenitudinis bonum evidentius ostendunt, quæ et ipse toties in cœlo, scilicet in Ecclesia sonant, quoties ad cœlestis beatitudinis suavitatem nos invitant. Vox prima, id est prophetica doctrina, tanquam tubæ loquentis esse describitur, quia spiritualem militiam sono suo contra hostes ad bellum fortiter exhortatur. Tanquam tuba sonat, quia gaudia sunt propter quæ nos admonendo clamat. Quid autem sancto theologo dicat, declaratur cum subditur : Ascende huc; quasi diceret in præcedenti visione, quamvis inferius constitutus : Vidisti magna, sed modo intellectu et devotione ascende huc, quia visurus es majora. Ibi vidisti statum septem Ecclesiarum Asiæ, videbis hic statum universalis Ecclesiæ. Et ostendam tibi in brevi, videlicet revelationis demonstratione, quæ oportet fieri, sive in tempore agenda, sive in æternitate. Sciendum vero est in eo quod dicit, ostendam tibi quæ oportet fieri, non quod jam non essent denegatur, sed quod deinceps mansura essent declaratur. Dignitas enim sanctæ Ecclesiæ exaltata erat, quando sanctus Joannes ista cernebat. Quædam ergo dicit oportere fieri quæ jam erant præterita, utpote in eodem statu quo cœperunt permansura. Sequitur :

Et statim fui in Spiritu et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens, et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardini, et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ. In prima visione dicit se in spiritu fuisse, et ea quæ in ipsa visione continentur vidisse. Utrum autem post contemplationem primæ visionis ab ipso spiritu exierit, et aliquo spatio temporis in semetipso fuerit, et sic denuo ad secundam contemplandam conscenderit, aut quod verisimilius est, et rectius credendum quod videlicet in spiritu constiterit forsitan quæri potest. Mihi vero verissimum videtur eum in spirituali visione perseverasse semper, nec a principio revelationis usque ad finem omnium visionum eum unquam descendisse. Sed utrum sic exstiterit, vel non, incertum est : omnino tamen probabile videtur, sicut supra monstratum est, eum sublimius dono Spiritus fuisse sublevatum ad contemplationem eorum quæ succedunt, quam fuit ad illorum visionem quæ præcedunt. Dicit ergo iterum in initio hujus visionis : Statim fui in spiritu, ut subintelligatur, valde excellentius quam fui prius. In eo autem quod *statim* dicit, animadvertendam et admittendam simul esse sancti Spiritus cooperante gratia velocitatem, atque suam obedientiam imitandam significavit. Quanta denique mirabilia et quam cœlestia Christi et Ecclesiæ sacramenta deinceps viderit, in sequentibus declarat. Et ecce sedes posita erat in cœlo. Sedes summæ et incomprehensibilis ac divinæ majestatis in cœlo posita, sunt sancti angeli, perfecti doctores et prælati per divinam providentiam positi et ordinati in sancta Ecclesia. In quibus Deus principaliter residendo regnat, et per quos alios minores juste et pie gubernat, qui eo apud Deum merito sunt sublimiores, et apud homines honore digniores, quod eos sibi thronum facere, et in eis dignatur specialiter quiescere, et eorum magisterio cæteros judicare. Et supra sedem sedens, subauditur, erat. Qui Deus supra sedem bene sedet, qui per suæ divinitatis potentiam omnibus creaturis eminet. Recte nimirum supra sedem memoratur qui omnibus majestatis dignitate dominatur, qui cuncta sub se sua virtute continet, merito supra sedet. Cujus quoque quanta sit, qualisque gloria fuerit, non illa in qua naturaliter æternaliter incomprehensibilis ineffabiliter subsistit, sed illa in qua ad horam figuraliter sancto Joanni apparuit manifeste declaratur cum subditur : Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardini. Similis erat aspectui lapidis qui firmus in semetipso perseverat per suæ naturam immutabilitatis. Similis erat aspectui lapidis, quia et inseparabiliter et firmiter omnia regit per potentiam propriæ virtutis. Similis erat aspectui lapidis, quia et in se soliditatem habet immortalitatis, et suis hanc habere tribuit dono gratiæ spiritualis. Aliter : Similis erat aspectui lapidis, quia duritiam confringit humani cordis. Aliter : Similis erat aspectui lapidis, quia suis electis firmum ac stabile fundamentum est justificationis. Aliter : Similis erat aspectui lapidis, quia et erga bonos, et erga malos firmiter servat veritatem suæ locutionis. Jaspidis et sardini, isti duo lapides pretiosi, duos et diversos habent colores. Primus viret, secundus rubet. Viror significat immarcessibilitatem æternitatis, rubor ignem damnationis. Apparet ergo per rerum visibilium similitudines divinæ gloria majestatis. Similis aspectui lapidis et sardini perhibetur, et quia firmiter et inconcusse, et electis promittit æternitatem, et reprobis minatur damnationem. Electos per promissum virorem nunquam marcescentem æternitatis demulcet; reprobos per minarum ruborem ignis semper ardentis terret. Quod ergo dicitur : Similis erat aspectui lapidis, æqualiter spectat, et ad bonos et ad malos. Quod dicitur jaspidis, ad solos bonos. Quod dicitur sardini, ad solos malos. Redemptor etenim noster similis est aspectui lapidis conservando firmitatem, et erga bonos et erga malos verbi sui charitatem. Jaspidis, promittendo bonis æternitatem; sardini, malis comminando damnationem. Et, ut talem credamus esse judicando, qualem audivimus in sacro eloquio, apte subditur : Et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ. Iris namque significat judicium, eo quod in eo continet judicii signum. Smaragdus vero viret et

Digitized by Google

rubet. Iris itaque in circuitu apparens judicium majestatis esse describitur, quia hinc inde a dextris, et a sinistris, id est, bonis et malis, justo judice judicante, debita merces donatur. Sed iris similis visionis smaragdinæ dicitur, quia bonis et malis divino judicio examinatis justi introducuntur ad pascua virentis æternitatis, mali traduntur in ignem rubentis conflagrationis. Qualis ergo prædicatur in sacro eloquio, talis existit in judicando.

Et notandum quod non tam in circuitu sedentis quam sedis iris esse dicitur, quia perfectorum est in quibus Deus residendo regnat, et minores gubernat, nunc ipsum judicium prædicare undique, ut mereantur in fine sedendo mundum judicare. Quod autem cum ipso sedebunt, et judicandos judicabunt aperte monstratur cum subditur : *Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super, id est super sedilia, viginti quatuor seniores sedentes circumamicti stolis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ.* Sedilia sunt merita. Unusquisque enim perfectus sedem habet in judicio secundum quod meretur in mundo. Viginti quatuor seniores sunt omnes veteris et novi testamenti sancti et perfecti doctores, qui pariter recte sub tali numero comprehenduntur propter duodecim patriarcharum prærogativam, et propter auctoritatem, et dignitatem apostolicam, qui nimirum perfecti super sedilia singula sedere dicuntur, quia et in præsenti Ecclesia quandiu præsens vita agitur, et in ultimo judicio secundum sua merita sedem judicandi cum judice ipso disponente sortiuntur. Apte ergo superius, ubi ait : Iris erat in circuitu sedis, de judicio mentionem fecit; hic ubi dixit, viginti quatuor seniores super thronos sedere, de perfectis cum Domino divina judicia exercentibus subjunxit. Sed, ne scrupulum generet, quod superius quosque perfectos cum angelis electis sedere diximus, et hic eosdem scilicet perfectos homines in circuitu sedis sedentes exponimus, possumus ad commoditatem in præsenti loco parumper sine perversitate intellectum vertere, ut dicamus quod hic per sedem Dei principaliter angeli (utpote in quibus Deus excellentius valde quam in hominibus residet, et per quos sublimius, et forsitan crebrius quam per homines sua judicia exercet) debent intelligi, et in ipsis scilicet angelis beatis singularius, propinquius, familiarius divinitati intrinsecus subjectis, et velut in medio dignitate positis, homines perfectos (quamvis et ipsi secundum primam et superiorem expositionem sint sedes Dei), quasi minores et in divino ministerio angelis remotiores, extrinsecus adjunctos per circuitum sedentis debere in hoc loco describi, ut superius probatum est, quod sunt sedes Dei, qui in ipsis Deus residendo non tantum ipsos, sed minores per ipsos regit. Ita hic demonstretur per hoc quod in eo super singula sedilia sedere dicuntur quod eos secum super alios judices facit. Sancti igitur perfecti doctores atque prælati sedes sunt Dei, quia subjecti sunt summæ

A

B

C

D

vinitati; et tamen in circuitu sedis sunt, quia angeli, qui sunt intrinsecus et invisibiliter Deo subjecti et principaliter sunt sedes Dei, creduntur in ministerio conjuncti ut super sedilia juxta judicem sedeant per auctoritatem et dignitatem magisterii. Seniores sunt propter gravitatem maturitatis, amicti stolis albis, propter munditiam castitatis, atque boni operis, et spe immortalitatis. In capitibus habent coronas in mundo sperando, in cœlo possidendo gloriam, decorem et infinalitatem regni cœlestis; aureas, propter fulgorem contemplationis divinæ. Quod autem iris, sive seniores per prædictæ sedis describuntur esse circuitum, significat divinum judicium continue exercendum, et eos qui illud debent exercere qualiter sit agendum imprætermisse debere considerare. Quod vero iris primum per circuitum sedis Dei esse describitur, ac deinde seniores per ejusdem sedis circuitum esse memorantur, exprimit ipsos seniores supernum judicium quod inter se et Deum audiunt describi semper debere pertimescere, et ipsum semper attendendo semetipsos districte judicare, et formam alios judicandi sumere debere. Sequitur:

Et de throno procedunt fulgura, voces et tonitrua. De throno, id est, de sede Dei, videlicet de perfecte justis, in quibus Deus residet per quos alios regit. Fulgura significant miraculorum claritatem longe lateque coruscantem. Voces exprimunt temperatas admonitiones mediocriter audientibus sonantes; tonitrua, duras et terribiles de pœnis reprobornm comminationes. De throno ergo Dei fulgura, et voces, et tonitrua procedere memorantur, quia perfecti quique miraculis coruscant, vocibus prædicant, minis terribiliter sonant. Fulgura procedunt quando per eos cæci illuminantur, leprosi mundantur, mortui suscitantur. Voces procedunt quæ dicunt : Obsecramus vos ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile sit obsequium vestrum (*Rom.* xii). Tonitrua procedunt quando terribiliter reprobis minantur quod sine ulla miseratione peribunt. Sequitur:

Et septem lampades ardentes ante thronum, subauditur *sunt. Quæ sunt septem Spiritus Dei*, id est septiformis Spiritus sancti, illustrationes. Septem lampades ardentes ante thronum Dei sunt, quia perfecti septiformis Spiritus illustrationibus semper intendunt, et per illuminationem ipsius quæ sunt intima luce clarius cognoscunt. Qui scilicet Spiritus sanctus per lampades ardentes figuratur, qui ad agnitionem illuminat et ad amorem inflammat omnes quos illustrat. Qui etiam per hoc septempliciter lucet quod septem spiritualia dona suis præbet, ante eos lucet quando viam justitiæ docet. Sequitur:

Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo. Per mare vitreum intelligimus baptismum. Baptismus namque tanquam mare, quia in ipso amaritudo remittitur iniquitatis. Vitreum, quia in ipso puritas et claritas confertur divinæ cognitionis : quod bene simile crystallo dicitur, quia per ipsum omnis electus ad splendorem et fir-

Digitized by Google

nitatem justitiæ confirmatur. Quod recte quoque in conspectu sedis esse perhibetur, quia perfecti, sicut sæpe dictum est, sedes sunt Dei, ejus virtutem perfecte intelligunt, et per ipsum nonnisi dignos et idoneos introducunt. Sed, ut in brevi colligamus cuncta quæ dicta sunt : Ostium apertum, est sacra Scriptura ; cœlum, sancta Ecclesia ; vox prima, doctrina prophetica ; sedes Dei angeli et sancti perfecti. Qui Deus similis est lapidi, propter firmitatem veritatis; jaspidis propter promissionem æternitatis ; sardini, per comminationem damnationis, et iris qui continet judicii signum, judicium divinum. Viginti quatuor seniores, Veteris et Novi Testamenti prædicatores. Sedilia significant magisteria, sive merita ; coronæ, præmia ; fulgura, miracula; voces, admonitiones; tonitrua, comminationes. Septem lampades ardentes, gratiæ septiformis illuminationes ; mare vitreum, id est baptismus, propter amaræ iniquitatis remissionem ; vitreum, per puram divinitatis cognitionem. Simile crystallo, per splendidam justitiæ firmitatem. Ante sedem Dei, id est ante perfectos, qui per considerationem et intelligentiam spiritualem dignos dividunt ab indignis. Nam perfecti ante se habent mare vitreum, dum diligenter et spiritualiter attendunt et intelligunt baptismi sacramentum, et indignos ab ejus ingressu caute repellunt, dignos misericorditer introducunt.

CAPUT II

De quatuor animalibus.

Et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro (*Apoc.* IV). Divinæ visionis mirabile sacramentum sacra prophetia varie describit, et cœlestis boni pulchritudinem multiformiter nobis ostendit. In superiori namque capitulo rerum visibilium et corporalium qualitatibus mirabiliter et pulchre de sedente in throno et ejus ornatu compositis profunditatem ipsius mystice legentibus revelavit. In isto vero per quatuor evangelistarum typicam descriptionem ejus excellentiam sublimiter et subtiliter adhuc aperit. Per quatuor enim animalia in hac visione descripta, sicut crebra Patrum et sanctorum doctorum traditio docet, quatuor evangelistæ figurantur, quæ idcirco animalibus non inconvenienter comparantur, quod eorum verbo et exemplo omnes justi ad cœlestium vitam capessendam animantur, qui etiam in eo quaternario debuerunt præsignari, quod eorum quatuor Evangelia prædicanda erant per quatuor partes mundi. In medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia. In medio sedis, id est perfectorum prædicatorum, quatuor animalia, sancti scilicet evangelistæ sunt velut sustentatores. In circuitu velut defensores. Vel in medio sedis sunt, quia perfecti quique ipsis quasi in medio positis intendunt, dum evangelicæ sapientiæ lectionibus unanimiter vacant. In circuitu sunt, quia quæ legendo sive meditando intus didicerunt foris circumquaque prædicant. Quasi etenim in medio sunt, quando ab omnibus eorum scripta discuntur. In circuitu sunt quando circumquaque dicuntur. Plena oculis ante et retro; plena sunt sancta animalia oculis per plenam contemplationem boni cœlestis. Ante per cognitionem futurorum, retro per cognitionem præteritorum : *Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti.* Primum animal Marcus, secundum Lucas, tertium Matthæus, quartum Joannes. Primum animal, id est Marcus, simile est leoni, quia in principio sui Evangelii ait : *Vox clamantis in deserto* (*Luc.* I), per quod significatur leo, cujus natura dicitur quod mortuus nascitur, sed rugitu patris die tertia suscitatur. Sic Christus postquam pro humano genere mortem gustavit præcepto Patris, die tertia resurrexit. Recte ergo Marcus describitur similis leoni, quia sic suum Evangelium incœpit, ut intelligatur exprimere mysterium resurrectionis Christi.

Et notandum quod Ezechiel propheta qui quatuor evangelistas per hæc eadem animalia descripsit, primum faciem hominis quæ figurat incarnationem posuit, quia adhuc longe futura erant quæ vidit. Joannes vero, qui post ipsam sacramentorum contemplationem eos figuraliter contemplatus est similitudinem leonis, per quam resurrectio significatur primam conspexisse perhibetur, ad majorem videlicet Christianæ fidei jam exhibitæ confirmationem, quia totum nostræ fidei et spei fundamentum maxime virtuti resurrectionis innititur. Et secundum animal simile vitulo. Ezechiel post faciem hominis posuit faciem leonis, propter quod utrasque a dextris videt, quæ idcirco a dextris esse visæ sunt, quia incarnatio et resurrectio electos lætificaverunt. Deinde faciem vituli, sive bovis ponit quam etiam a sinistris describit : quæ facies apte a sinistris fuit, quia passio Christi quæ per eam figuratur discipulos contristavit. Sed beatus Joannes hunc ordinem minime servavit, quia de hac lætitia sive tristitia hoc in loco nihil insinuavit. Secundum itaque animal, id est Lucas, simile est vitulo, quia Lucas in principio Evangelii sui de Zacharia sacerdote, cujus officium erat vitulum offerre, mentionem fecit, per quod passionem Christi designavit. Qui quadam prærogativa ante Matthæum in sacra visione ponitur, quia in passione pretium nostræ redemptionis continetur. Nihil enim nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset. Et tertium animal habens faciem quasi hominis. Tertium animal, id est Matthæus, quasi faciem hominis habuit, quia ipse in principio Evangelii sui dixit : *Liber generationis Jesu Christi* (*Matth.* I), per quod incarnationem Verbi non figuraliter significavit, sed patenter enarravit. Sed diligenter est attendendum, quod non ait, habens faciem hominis, sed faciem quasi hominis. Homo in sacra Scriptura diversis modis intelligitur, aliquando dicitur homo secundum etymologiam nominis, aliquando secundum dignitatem conditionis, aliquando secundum affectum vel effectum iniquitatis, aliquando secundum typum si-

Digitized by Google

gnificationis, aliquando secundum defectum fragilitatis, aliquando secundum rectitudinem æquitatis. Secundum etymologiam nominis homo dicitur, quando sic dicitur, eo quod sit ab humo, declaratur, secundum dignitatem conditionis, ut ubi ad imaginem et similitudinem Dei conditus legitur, secundum affectum vel effectum iniquitatis, ut ubi per Apostolum delinquentibus dicitur : *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis? (I Cor.* XIII.) Homines estis, id est, mali et iniqui estis. Secundum typum significationis in Evangelio ubi malus homo dicitur super bonum semen seminasse zizaniam (*Matth.* XIII). Quem enim rectius secundum typum significationis hunc hominem esse dicimus quam diabolum, qui ad similitudinem hominis zizaniam super bonum semen seminavit, postquam verbum super corda hominum seminatum cognovit, quibusdam diversam hæresim, et vitiorum semina injecit. Secundum defectum fragilitatis ut per Jeremiam dicitur : *Maledictus homo qui confidit in homine* (*Jer.* XVII). In homine, id est fragili, et tam leviter et cito deficiente. Secundum rectitudinem æquitatis, ut ibi per Salomonem dicitur : *Deum time, et mandata ejus observa, hoc est omnis homo* (*Eccle.* XII). Quisquis enim Deum timet, et mandata ejus observat, quia per æquitatem justitiæ rectus est, homo est. Quisquis hoc non facit, quasi nequaquam homo est; quia, si scienter delinquit propter contemptum, diabolus esse dicendus est. Sanctus igitur Matthæus evangelista qui humanitatem Christi in principio Evangelii descripsit, recte in sacra visione secundum hoc quod homo aliquando in malo accipitur, non faciem hominis, sed faciem quasi hominis habuit, quia Redemptor noster de quo agit non in carnem peccati, sed in similitudinem carnis peccati venit. Quantum namque ad malum nihil de homine habuit, quia peccatum non fecit. Et quartum animal simile aquilæ volanti. Quartum animal, id est, ipsemet sanctus Joannes cui ista visio comparuit similis aquilæ volanti fuit ; qui ad contemplanda sanctæ et summæ divinitatis arcana, cæteris omnibus altius volavit. Cujus faciem Ezechiel propheta etiam desuper ipsorum quatuor esse describit. Et quia beatus Joannes per hoc quod in initio sui Evangelii Verbum in principio fuisse dixit, non solum alios, sed et semetipsum transcendit. Quia igitur sanctorum evangelistarum in principio sui Evangelii egit unus de resurrectione Salvatoris, alius de passione, alius de incarnatione, alius de divinitate, recte sanctorum animalium quibus isti evangelistæ figurantur dicitur aliud simile leoni, aliud simile vitulo, aliud similem habens faciem quasi hominis, aliud simile aquilæ volanti. Quam eorum figurativam similitudinem postquam descripsit, perfectam eorum plenitudinem subjungit, et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas. Quid enim aptius accipimus per figuram alarum, quam scientiam Scripturarum, per quam quasi per quasdam alas relinquimus terrena et ascendimus ad cœlestia ? quæ videlicet sacra scientia apte per senarium designatur, ut perfectionis ejus virtus ostendatur. Senarius perfectionem significat, vel quia in sex diebus opus suum complevit Deus, vel quia perfectus est numerus. Aliter : Prima ala est in lege naturæ, secunda in lectione legis scriptæ, tertia in lectione prophetiæ, quarta in lectione legis evangelicæ, quinta in lectione institutionis apostolicæ, sexta in scientia doctorum apostolos tempore sequentium, et obscura loca Scripturarum exponentium. Quamvis etenim sancti evangelistæ istis doctoribus priores fuerunt, nequaquam tamen minorem eis intelligentiam habuisse credendi sunt, utpote de quibus sacra auctoritas testatur, quod ipse Jesus aperuit eis sensum ut Scripturas intelligerent, et non solum ex illis esse verissime credantur quibus sensum ad intelligentiam Scripturarum aperuit, sed ex illis quoque, et cum illis fuisse quibus primitias spiritus dedit. Bene itaque sancta animalia singula senas alas dicuntur habere, propter perfectionem et plenitudinem scientiæ. Istis alis per mundum volaverunt, istis in cœlum ascenderunt. Sequitur :

Et in circuitu, et intus plena sunt oculis. Iste sensus superiori conjungitur, et ad illum refertur ubi dicitur, plena oculis ante et retro. Sancta quippe animalia plena sunt oculis per plenitudinem claritatis, cognitionis : ante per scientiam futurorum, retro per scientiam præteritorum. In circuitu per morum circumspectionem, intus per mundam et rectam cogitationum discretionem : *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui est, qui erat, et qui venturus est.* Sancta animalia in laude Dei non habent requiem, quia nunquam cessant divinam laudare majestatem. Laudaverunt eum in vita sua verbo, laudant adhuc scripto, laudant per ora fidelium auctoritatis et sanctitatis suæ testimonio, et contemplando, et amando in cœlo laudant. Quod autem dicit, non habebant requiem, minime designat laborem. Hoc est nimirum summe et perfecte quiescere a Creatoris pia laude nunquam cessare. Et requiem non habebant die ac nocte, id est nunquam. Dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens. O quam felicia bonorum angelorum et omnium electorum agmina hujus laudis præconia coram Deo sine fine canentia ! Felices quoque qui in via præsentis miseriæ ad illius suavem harmoniam norunt suspirare. Quanto namque crebrius ad illam suspirant, tanto dulcedini illius vicinius appropinquant. Et jam in via (licet tenuiter) prægustant cœlestis harmoniæ jucunditatem, qua plenarie saturabuntur in patria. Clamant vero sancta animalia Sanctus ter, quia Trinitas est in personis ; Dominus Deus omnipotens, semel, quia unitas est in simplicitate Deitatis ; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. Sanctus justitia, Dominus gloria, omnipotens virtute, qui erat, et qui

Digitized by Google

est, et qui venturus est æternitate. In eo enim quod dicitur, qui erat, nota eum sine principio esse. In eo quod dicitur, est, nota eum immutabiliter permanere. In eo quod dicitur, qui venturus est, nota eum omnium finem sine fine subsistere. Per præteritum namque, præsens, et futurum, quibus omne tempus comprehenditur, non inconvenienter æternitas designatur, qua etiam tota mutabilitas concluditur. Salvo tamen id quod dicitur, qui venturus est, in alio sensu proprie ad humanitatem pertinere probatur. Totum autem quod de sanctis animalibus dicitur, de perfectis prædicatoribus intelligitur; ipsi enim in medio sedis sunt alios sustentando, in circuitu defendendo. Ipsi sunt animalia sancta, quia ad virtutes nos animant; oculis undique plena, quia intus et foris semetipsos diligenter considerant. Aliter : Intus, quantum ad Vetus Testamentum, ubi scientia de mysterio redemptionis occulta latet, foris quantum ad Novum, ubi manifesta patet. Habent faciem leoninam Salvatoris salutiferam, prædicando resurrectionem; vitulinam, prædicando ejus passionem; humanam, prædicando ejus humanitatem; aquilinam, prædicando ejus divinitatem. Habent alas sensus, per perfectam scientiam sacræ Scripturæ. Non habent requiem die ac nocte, id est nunquam, sive in prosperis, sive in adversis dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, per sacræ fidei prædicationem et decantationem laudis divinæ. Sequitur :

Et cum darent illa quatuor animalia gloriam, et honorem et benedictionem sedenti super thronum viventi in sæcula sæculorum procidebant viginti, quatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. Sanctæ et individuæ Trinitatis laudem ministerio vel scripto evangelistarum quatuor probatam superius descripsit. Nunc quid eorum prædicatio sive Scriptura universis prædicatoribus, et universalis Ecclesiæ judicibus contulerit, subjungit. Quod videlicet viginti quatuor seniores, id est omnes veteris ac novi testamenti, sicut supra monstratum est, prædicatores, judices, rectores, sacramento redemptionis humanæ, sive per spiritum prophetiæ, sicut antiqui, sive per lectionem evangelicæ Scripturæ, sicut moderni, cognitionem fidei receperunt, suas Deo justitias atque victorias attribuerunt, laudes cantaverunt, gratias egerunt. Recte igitur sancti evangelistæ præcedunt prædicatores per hoc quod mysterium nostræ salutis soli scribere meruerunt. Nam, et si antiqui eos præcesserunt tempore, eis tamen longe sunt posteriores dignitate. Qui et ipsi post eos apte laudem Divinitatis cantare dicuntur, quia nequaquam auctoritate eos præcedunt, sed sequuntur. Bene ergo dicitur : Et cum darent illa quatuor animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum viventi in sæcula sæculorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno quia in sacro eloquio salus humana scripta continetur, et per ejus prædicationem cunctis dispensatur. Sancta autem animalia sedenti super thronum viventi in sæcula sæculorum gloriam, et honorem, et benedictionem dant, quia ipsum solum singulariter glorificandum, honorandum, benedicendum prædicant, et in ipso singulariter, et excellenter gloriam, et honorem, et benedictionem consistere, et ab ipso in subjectam creaturam descendere pronuntiant : viginti quatuor etiam seniores ante sedentem in throno procidunt, quia perfecti quique, cognito sacramento divinitatis, summæ majestati se subjiciunt, et adorant per rectam fidem viventem in sæcula sæculorum per æternitatem; et mittunt coronas suas ante thronum, Deo victorias suas attribuendo, et dant illi soli gloriam et honorem, gratias referendo, illum solum benedicendo : Dignus es, Domine Deus, accipere gloriam, et honorem, et virtutem. Dignus es accipere per gratiarum actionem, laudem et gloriam, et honorem et virtutem, a subjecta creatura, qui cuncta semper et immortaliter possides per tuam divinitatem in propria natura. Gloriam enim et virtutem, et honorem Deo damus, quando ipsum solum gloriosum, honorabilem, et insuperabilem prædicamus. Ipse a nobis quæ damus accipit quando nostris laudibus dignanter annuit. Causam denique, unde laude dignus est, sic patenter subjungit : Quia tu creasti omnia. Dignus est enim accipere ab omnibus laudem, qui omnibus subsistendi dedit originem. Sed, quia omnia prius erant in voluntate divina quam essent creata, aperte subditur : Et propter voluntatem erant et creata sunt. Omnium namque rerum numerus, pondus, et mensura, et quæcunque de rebus conditis dici possunt incomprehensibiliter, et ineffabiliter semper erant in voluntate divina antequam originem acceperint et apparuerint creata. Propter voluntatem tuam, id est juxta voluntatem tuam, sive in voluntate tua. Vere ergo omni laude dignus existit, quia omnia et semper per bonitatem in voluntate habuit, et per potentiam aliquando creavit. Sed quia superius ubi ea quæ de sanctis animalibus dicta sunt perfectis prædicatoribus assignavimus, ibi maxima quæque quæ in hoc capitulo continentur recapitulavimus. Nunc in fine more solito supradicta recolligere non curavimus.

CAPUT III.

De libro septem sigillis signato, et agno aperiente librum.

Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus, et foris signatum sigillis septem, et vidi angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus accipere librum, et resolvere signacula ejus? Et nemo poterat in cœlo et in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum, et ego flebam multum, quia nemo dignus inventus est aperire librum nec videre illum. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris. Ecce vicit leo de tribu Juda radix

Digitized by Google

David aperire librum, et solvere signacula ejus (*Apoc.* v). Postquam sedentem in throno, et ornatum ejus, et similitudines quatuor animalium descripsit, de libro quem in dextera sedentis in throno vidit, et de Agno qui librum aperuit narrationem subjungit. Et vidi in dextera sedentis super thronum librum. Liber qui in dextera Dei tenetur, est sacra Scriptura, in qua universalis scientia, quæ ad salutem proficit continetur. Quam et bene tenet, quia Deus scientiarum Dominus est, et quibus vult illam præbet. Tenet autem non in sinistra, sed in dextera, quia bonum spirituale, quod in ipsa latet, malis absconditur, bonis aperitur. De hac dextera, et de hoc libri scriptum est : *In dextera Dei ignea lex* (*Deut.* xxxiii). Sacra namque Scriptura lex ignea est. Lex quia nos refrenando ligat ; ignea, quia ad amorem Creatoris ardenter inflammat. Scriptum intus et foris : intus scriptus est liber iste per allegoriam, foris per historiam, intus per spiritualem intelligentiam, foris per litteram. Intus ad spiritualium perfectorum exercitationem, foris ad simplicium et minorum eruditionem. Intus ut secretum sapientiæ immundis occultetur, foris ut veritas mundis revelctur. Aliter intus quantum ad Vetus Testamentum ubi scientia de mysterio Redemptoris occulta latet, foris quantum ad Novum ubi manifesta patet. Signatum sigillis septem. Quia septem diebus omne tempus volvitur, recte septenario universitas figuratur. Septem ergo sigillis liber usque ad consummationem redemptionis humanæ, quam signis et promissionibus pronuntiabat signatus erat, quia usque ad adventum Redemptoris personam per quam, et modum quo genus humanum redimeretur, exceptis paucis electis, universus mundus ignorabat. Liber itaque signatus erat septem sigillis, id est obscuritatibus universis, quia redemptionis nostræ modus paucissimis notus, omnibus aliis erat incognitus. Bene autem sub figura Patrum antiquorum subditur : Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus? Quis est enim iste angelus fortis, nisi antiquorum Patrum cœtus? Angelus, bona aliis nuntiando, fortis, carnem, mundum, diabolumque vincendo, quia magna voce conquerendo quis dignus esset librum accipere, et signacula ejus solvere prædicavit, quia personam venturi redemptoris videre magnis suspiriis desideravit. Unde Dominus in Evangelio : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Dico autem vobis, quod multi reges et prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ vos auditis, et non audierunt* (*Luc.* x). Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Quærentibus antiquis de persona Redemptoris occulte prædicta a prophetis, nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram librum aperire. Quia neque angelus, neque homo, neque spiritus humanus corpore jam exutus sacræ Scripturæ de venturo jam Redemptore poterat promissionem solvere, scilicet redimendo genus humanum, nec Redemptorem in sacra pagina promissum mundo demonstrare. Nemo quoque poterat illum respicere, quia nemo poterat generationem Redemptoris, vel intellectu capere perfecte, vel verbis enarrare. Unde Isaias ait : *Generationem ejus quis enarrabit?* (*Isa.* liii.) Et beatus Joannes : *Non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere* (*Joan.* i) ; id est non possum digne, sive perfecte generationem ejus sensu intelligere, vel verbis explicare. Ipse namque potuit solus librum aperire, qui solus genus humanum potuit redimere, et qui solus redemptionem in sacra Scriptura, vel pagina velata promissam completam potuit ostendere. Ipse solus mirabilem suæ generationis perfecte intellexit operationem, qui solus omnia novit. Et ego flebam multum, quia nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre illum. Hoc in persona antiquorum dictum est, quia vel non intelligebant, vel dilatam ipsam reparationem dolebant. Sequitur : Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris. Senior iste chorum significat prophetarum antiquos Patres de futuro Redemptore consolantium et certificantium. Non solum quippe consolatio, sed magna de redemptione fuit certificatio. Non tantum audire, quod Redemptor noster venturus esset, sed etiam designate audire de qua tribu esset nasciturus. Ecce vicit leo de tribu Juda radix David aperire librum, et resolvere signacula ejus. Christus leo. Leo apertis oculis dormit, Christus, vivente divinitate, exspiravit, qui de Juda secundum carnem fuit sicut antiqua prophetia prænuntiavit : *Tu, Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel* (*Matth.* ii). Qui in hoc ad aperiendum librum, et solvere ejus signacula vicit, quod carnem suam ab omni peccato liberam pro peccatoribus tradens promissum Scripturæ solvit. Qui radix David exstitit, quia David in eum venturum firmiter credidit. Sequitur :

Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum Agnum stantem tanquam occisum habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et venit, et accepit de manu sedentis in throno librum. Superius posuit promissionem, hic subjungit promissionis exhibitionem. Sed magna differentia videtur esse inter promissionem et exhibitionem. Nam leonem audivit in promissione, agnum videt in exhibitione. Magna est enim differentia inter leonem et agnum. Leo est magnus, agnus est parvus. Sed, si utrumque consideramus, utrumque Redemptorem nostrum comprobamus. Ipse est enim leo magnus per divinitatem, agnus parvus per humanitatem. Leo per potentiam majestatis, agnus per mansuetudinem. Leo malos puniendo, agnus bonos redimendo. Leo fortitudine, agnus pietate. Leo in promissione ut spes infirma se roboret, agnus in exhibitione ne pavida conscientia formidaret. Quem videlicet Agnum videt in medio throni, et quatuor

Digitized by Google

animalium, et seniorum, quia Christus est firmamentum, et substentamentum omnium electorum suorum. Omnes ad eum velut in medio positum intendunt, et ab ipso pariter, etsi non æqualiter dona gratiæ spiritualis accipiunt. Quem quoque apte stantem vidit, quasi paratum ad id perficiendum ad quod venit; tanquam occisum, quia, etsi mortuus est ex infirmitate, vivit tamen ex virtute Dei. Habentem cornua septem, et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Cornua significant eminentiam regni spiritualis, oculi contemplationem veritatis. Agnus ergo, id est Christus, septem cornua, et septem oculos qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram habet, quia per septiformem Spiritus sancti gratiam quibus vult regni spiritualis sublimitatem, et suæ veritatis agnitionem præbet. Quos vult ad regnandum exaltat, quos vult ad contemplandum fontem boni spiritualium bonorum radiis illustrat. Missi in omnem terram, ut de omni terra aliquos ad spiritualis regni celsitudinem exaltent et ad spiritualium bonorum contemplationem illuminent. Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum. Per carnis assumptionem venit ad humanam cognitionem. Accepit secundum humanitatem de dextera sedentis in throno (id est a Verbo sibi unito) librum aperiendum, id est promissum solvendum. *Et, cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno.* Cum librum aperuisset, id est, genus humanum redimendo Patribus promissum in sacra Scriptura significatum in se completum ostendisset, quatuor animalia, id est quatuor evangelistæ, sive universi prædicatores, et viginti quatuor seniores, videlicet omnes universalis Ecclesiæ judices, et quicunque sub illis comprehenduntur fideles, septem prophetarum et apostolorum doctrinis et exemplis innitentes, cognito redemptionis humanæ sacramento per ipsum velut priores implendo, et sicut posteriores impleto ceciderunt coram Agno humiliando se, illum exaltando, per ipsum se justificari humiliter poscentes, ipsum esse solum per quem cœleste bonum tribuitur tali signo confitentes. Et quia perfecti quique sua bona opera Redemptori debent attribuere, et aliorum preces illi commendare, recte subditur : *Habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Citharæ namque, quæ pulsibus manuum suaviter sonant, apte opera bona figurant, quæ suis effectibus quasi quibusdam sonis proximos ad cœlestem patriam excitant et invitant. Phialæ, quæ sunt latæ, et lucidæ sanctorum corda significant, per sapientiam lucida, per charitatem dilatata. Quæ non inconvenienter propter splendorem contemplationis dicuntur aureæ, et propter redundantiam devotarum orationum odoramentorum plenæ. Odoramenta enim orationes, quia quemadmodum odoramenta sursum ascendunt, ita orationes ad præsentiam divinitatis pertingunt. Sic ergo perfecti citharas habent, quia Deo sua opera ascribunt, et phialas, quia orationes offerunt : *Et cantabant canticum novum dicentes : Dignus es, Domine Deus, accipere librum, et aperire signacula ejus.* Sicut sancti citharas habent, opera sua Divinitati ascribendo, phialas, aliorum orationes offerendo, ita quoque canticum novum cantant pro acceptis beneficiis, ipsa collaudando. Quod bene novum dicitur, quia de rebus semper novis, et nunquam veterascentibus, de reparatione et glorificatione videlicet generis humani cantatur : Dignus es, Domine Deus, accipere librum, et aperire signacula. Dignus, quia solus a peccato alienus occisus es, et redemisti nos, non te, qui sine peccato exstitisti. Deo, ut simus Dei quod prius eramus diaboli. In sanguine tuo, quia pro nobis eum effundi permisisti. Redemisti, non ex una gente, sed ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione. Tribus dicitur a tribus ordinibus gentium filiorum Noe in quibus sunt septuaginta linguæ. In singulis autem linguis plurimi sunt populi, et in unoquoque populo plurimæ nationes. A generalibus ergo incipit, ubi dicit : Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione. Et ad singula descendit ubi dicit : Et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes. Regnum, ut Deus regnet super nos per gratiam super quos diabolus regnabat per culpam ; sacerdotes, ut qui nosmetipsos prius obtulimus diabolo, deinceps nos offeramus Deo ; et regnabimus super terram, id est in terra, vel super terram regnabimus, id est quidquid terrenum et malum in nobis est subjiciemus. Dignus es, Domine, ergo aperire librum, quia tu exhibuisti in libro promissum beneficium. Et quoniam de reparatione generis humani non solum homines lætantur, sed et angeli quoque virtute, divinitate, sapientia, fortitudine, honore, gloria, benedictione et potestate super omnem creaturam dignum prædicant, bene sequitur :

Et vidi, et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, et animalium, et seniorum. Et vidi, et audivi. Sicut spiritualiter vidit, ita spiritualiter audivit, quia spiritualis fuit visio, spiritualis fuit etiam auditio, vocem angelorum multorum. Aliter fit vox corporalis, aliter spiritualis. Vox spiritualis fit affectu devotionis, vox autem corporalis ictu aeris. Angeli ergo, qui tantum spiritus sunt, eo laudem Creatoris sublimius concinunt quo se in ejus amore sublimiter extendunt. Intra quos eum singulariter laudant, qui eum omnibus sublimius amant. Qui pariter laudem illi pro reparatione generis humani concinunt, quia illum pro largitate originis gratia diligunt, et intuitu fervoris vocem attollunt. Qui in circuitu throni animalium, et seniorum sunt, quia virtutes angelicæ sanctos adhuc in labentis sæculi periculo constitutos muniunt, et contra reproborum spirituum impetus defendunt : *Et erat numerus eorum millia millium.* Quod dicit numerum eorum millia millium, nequaquam se comprehendisse cœlestium spirituum numerum insinuat, sed maximos numeros ponendo innumerabiles esse designat. Et de hujusmodi angelorum numeris, qui in sacro elo-

Digitized by Google

quio ponuntur beatus Dionysius sic ait : « Dignum, inquit, æstimo intellectuali cogitatione quia eloquiorum (subauditur divinorum) de angelis traditio millies millia ait. Et decem millia decies millies, secundum hos sublimissimos numerorum in seipsam revolvens, et multiplicans, et per hos aperte significans innumerabiles cœlestium essentiarum ordinationes. » Multæ sunt enim beatæ militiæ supermundialium intellectuum, id est angelorum, infirmam, et coarctatam superantes materialium secundum nos numerorum, id est numeri qui apud nos subest, commensurationi. Quod ergo numerum angelorum millia millium dicit, non homini, sed Deo numerabiles angelos ostendit. Voce magna dicentium. Vox laudantium angelorum magna esse dicitur, ut exsultatio et congratulatio eorum de salvatione generis humani, et laus ab eis impensa Salvatori magna designetur. Si enim gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, perpendat qui potest quantum eis gaudium sit omnium electorum salvatione : *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.* Ac si dicerent angelicæ potestates mediatorem Dei, et hominum supra se collaudantes, ejus dignitatem prædicare non erubescentes. Redemptor mundi, qui est Agnus per innocentiam, qui est occisus per indebitam pœnam, et redemit captivam catervam, dignus est per singularem excellentiam accipere a subjecta creatura diversa gratiarum præconia, dignus est accipere a creatura per laudem exhibitam, quod habet secundum divinitatem per naturam, secundum humanitatem per gratiam ; dignus est accipere virtutem, ut Dei virtus prædicetur, divinitatem, sapientiam, fortitudinem, honorem, gloriam et benedictionem, ut Deus sapiens, fortis, honorificandus, gloriosus, benedictus credatur et laudetur. Sequitur :

Et omnem creaturam quæ in cælo est, et quæ super terram, et subtus terram, et quæ in mari, et quæ in eis sunt. Quasi cunctis breviter comprehensis, et distinctis dicant : Non solum dignus est Salvator virtutem, et quæ supradicta sunt accipere per laudem et gratiarum actionem, sed omnem creaturam per potestatem : *Omnes audivi dicentes sedenti in throno et Agno.* Verba laudis præcedentia magis pertinere videntur ad divinitatem, quæ tamen exhibentur humanitati propter unitam sibi divinitatem. Hinc autem ubi dicit : Omnes audivi dicentes, ipsos auditores simul colligit, et laudem divinitati et humanitati pariter exhibitam ponit. Omnes audivi dicentes, sedenti in throno regnanti Trinitati, et Agno, id est humanitati unitæ divinitati, benedictio, honor et gloria, quia benedictus, honorificandus, gloriosus et glorificandus est singulariter ; potestas, quia potens excellenter in sæcula sæculorum, id est semper. Sequitur :

Et quatuor animalia dicebant : Amen ; et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt, audita laude a cœlestibus spiritibus sedenti in throno, et Agno dignanter impensa. Quatuor animalia dicebant : Amen, quia ad prædicatorum maxime pertinet officium sacræ confessionis, et divinæ laudis testimonia confirmare. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt, quia universi Ecclesiæ judices dum divinam majestatem audiunt, omnibus creaturis eminere, ac summis spiritibus prædicabilem, et laudabilem esse, nequaquam de prælatione sua debent superbire, sed semetipsos humiliare, et dignum Creatori ac Redemptori Deo venerationis cultum impendere. Pauca et minima, charissime frater, de cœlestibus sacramentis utcunque tibi perstringimus, quia multa et maxima comprehendere non valemus. Magna flumina spiritualium mysteriorum pernatamus, sed vix paucas guttas latentis dulcedinis ad ripas deportamus. Sed, licet ad multas hauriendas aquas non sufficimus, ad littus tamen ore sicco non venimus. Aliqua est enim utilitas in sacro eloquio tractare, et ipso dicendo studiose laborare. Ubi namque dicit : Vidi in dextera sedentis super thronum librum, egit actor de sacra Scriptura promissum redemptionis humanæ continente. Ubi ait : Vidi in medio throni, et quatuor animalium, et seniorum Agnum stantem tanquam occisum, egit de Agno librum aperiente, id est de Redemptore promissum solvente ; ubi dixit, quatuor animalia et seniores cantare canticum novum, posuit de ipsa redemptione testimonium, et gratiarum actionem sanctorum hominum ; ubi addit : Et audivi vocem angelorum multorum, testificationem et laudem cœlestium spirituum ; ubi deinde intulit : Et quatuor animalia dicebant : Amen, et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, universorum prædicatorum confirmationem, et ecclesiasticorum judicum humiliationem.

CAPUT IV.

De primo sigillo, et apertione ejus.

Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus dicens tanquam vocem tonitrui : Veni, et vide ; et vidi ; et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret (*Apoc.* VI). Cuncta quæ in tribus præcedentibus hujus secundæ visionis capitulis continentur, maxime ad redemptionis humanæ sacramentum pertinere videntur. Quæ vero in septem succedentibus capitulis sequuntur, et septem sigillorum apertione distinguuntur, ad sequentis temporis redemptionem, et ordinem referuntur. In quibus videlicet sequentibus electorum virtutes et reproborum in electos persecutiones, et patientium tribulationes ab exordio nascentis Ecclesiæ usque in finem mundi describuntur, et non simul, et semel, sed secundum dispositionem, et apertionem sigillorum, et processum temporum paulatim et succedenter prædicta compleri, et occulta manifestari multiformiter ostendunt. Apte enim descripto mysterio redemptionis humanæ, subjungit merita justorum, persecutiones reproborum, retributiones præmiorum, ut in his

Digitized by Google

omnibus electis provideat, et eos de futuris erudiat diligenter. Nam, si pronuntiata reparatione de futura persecutionis tribulatione, et patientium mercede taceret, nequaquam electos contra adversa præmuniret, nec per promissa præmia ad tolerantiam animaret. In hoc autem capitulo agit de ortu, et primo statu Ecclesiæ renascentis, de vetustatis per baptismum in Christo ad vitæ novitatem resurgentis per spiritualium donorum susceptionem et ad cœlestia bona tendentis. Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem signaculis. Primum sacræ Scripturæ signaculum Christus aperuit, dum mundum redimendo, et primitivæ Ecclesiæ dona Spiritus infundendo, paternæ promissionis primordia usque ad illud tempus latentia in se, et per se completa et exhibita manifestavit. Et audivi unum, id est primum de quatuor animalibus dicens, tanquam vocem tonitrui: Veni et vide. Primum animal in hac visione simile leoni Marcus exstitit, qui in principio Evangelii sui de resurrectione Christi mentionem fecit, et ejusdem resurrectionis prædicatores figuravit. Recte ergo in apertione sigilli primi dicit, quod ei primum animal locutum sit, quia primus ordo in Novo Testamento, prædicatorum resurrectionem Christi corporalem, et nascentis Ecclesiæ resurrectionem spiritualem circumquaque prædicavit. Nam, quia primus ordo de resurrectione testimonium dedit, apte in apertione primi sigilli in quo de resurrectione renascentis Ecclesiæ agitur, unum de quatuor animalibus, id est primum locutum dicit. Cujus vox quasi vox tonitrui sonuit, quia subito nova, mirabilia, grandia coruscantibus miraculis pronuntiavit: Veni et vide. Veni per majorem intentionem, et vide per intelligentiam spiritualem, jam aperire mysticam promissionem Dei per regenerationem generis humani. Sed quæ in hoc loco spiritualiter sancto Joanni ostenduntur, ad eligendorum et convertendorum personam spiritualiter referuntur. Ipsis enim in his verbis dicitur ut per conversionem veniant, et per fidem videant gratiam regenerationis primitivæ Ecclesiæ collatam quam ignorant, et gratiam per baptismum suscipiendo, et Ecclesiam imitando ad vitam pergant; et quia quæ sequuntur de primitiva Ecclesia per baptismum dealbata intelliguntur, recte sequitur: Et ecce equus albus. Equus enim albus est primitivorum electorum numerus ab omnibus pariter peccatis in unda baptismatis purificatus, et donis spiritualibus super nivem dealbatus. Qui Christum in primitivis recenter renatis prædicatoribus sessorem habuit, et eum ad mittenda jacula prædicationis per mundum circumtulit. Unde bene sequitur: Et qui sedebat super eum habebat arcum. Arcus enim virtutem prædicationis significat. Sicut namque arcus sagittas jacit, sic prædicator prædicationis verba mittit. Sagittæ occidunt inimicum, verba prædicationis diabolum. Et data est corona. Quemadmodum enim arcus designat officium prædicationis, ita corona figurat præmium æternæ retributionis, in qua nullus est finis. Data est ei corona secundum humanitatem, quia omnia possidet secundum divinitatem. Ipse enim secundum humanitatem omnia accipit, qui secundum divinitatem omnia tribuit. Sed quotidie ei corona datur quando in suis electis coronatur. Aliter: Ipse habet arcum ut malos dimicando vulneret, coronam ut bonos glorificando coronet. Arcum habet, quia dicet: *Ite, maledicti, in ignem æternum;* corona, quia dicet: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV). Aliter: Habebat arcum per potentiam divinitatis. Data est ei corona per glorificationem humanitatis. Magna enim differentia videtur inter hoc, quod dicitur de arcu, quod eum habuit, et illud quod dicitur de corona, quod ei data sit. Quod enim dicitur quod arcum habebat, pertinere videtur ad divinitatis potentiam secundum quam omnia possidet per naturam. Quod vero dicitur corona ei data esse, ad humanitatis conditionem secundum quam omnia accepit per gratiam. Et exivit vincens, ut vinceret, et exivit in prædicto equo albo, id est, in primitivorum electorum numero nuper regenerato. Exivit de Judæis Judæos derelinquendo. Exivit vincens in ipsis convertendo quos prædestinaverat, ut vinceret in gentibus in ipsis convertendo quos eligere volebat. Apertio ergo signaculi est revelatio mysterii cum exhibitione promissi. Animal primum ordo prædicatorum resurrectionem prædicantium. Equus albus primitivorum electorum numerus; sessor Christus; arcus prædicatio, corona retributio; vel arcus malorum damnatio, corona bonorum salvatio; vel arcus potentia divinitatis, corona glorificatio humanitatis. Sessor, id est Christus, de Judæis, Judæos relinquendo, exivit vincens, quia de ipsis elegit quos voluit, ut vinceret in gentibus, eligendo in ipsis quos præscivit. Et bene dixit: Exivit vincens ut vinceret, quia per eos quos in Judæa elegit, gentes convertit.

CAPUT V.

De secundo sigillo, et apertione ejus.

Et cum aperuisset secundum sigillum audivi secundum animal dicens: Veni et vide. Et ecce alius equus rufus, et qui sedebat super eum datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus (*Apoc.* VI). Postquam diabolus genus humanum ejus invidia in primis parentibus deceptum de paradisi jucunditate in hanc miseriam projectum (promissione redemptionis jam exhibita) mysteriis sacræ Scripturæ incipientibus jam aperiri, ad summum et invisibile bonum unde ipse corruit per Redemptoris gratiam resurgere conspexit. Iterum invidia succensus in hominem graviter exarsit, et contractis undique viribus impios sæculi principes ipsius cultibus deditos in electorum persecutione patenter studuit excitare, et eos ab ingressu patriæ cœlestis tentavit cohibere. Dicitur ergo: Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal dicens: Veni et vide, et ecce alius equus rufus. Equus rufus, id est sæculi principes crudeles, sanguine martyrum rubentes. Et cum aperuisset sigil-

Digitized by Google

lum secundum, id est, cum, crescente gratia, amplius cœpisset exhiberi et compleri promissio divina, et aperiri et manifestari quod præmissum, et promissum erat in Scripturis, audivi secundum animal dicens : Veni et vide. Secundum animal in hac visione simile vitulo, Lucas exstitit, qui in principio Evangelii sui passionem Christi insinuavit, et secundum ordinem in hac visione prædicatorum temporibus, martyrum passionem, Christi ipsius ad exemplum prædicantium, et illos ad ejus imitationem exhortantium figuravit. Apto igitur sicut primum animal simile leoni, id est Marcus, qui in principio Evangelii sui resurrectionem Christi expressit, et primum ordinem prædicatorum in primitiva Ecclesia designavit, in apertione primi sigilli in qua spiritualis resurrectio describitur locutum perhibetur. Ita secundum animal simile vitulo per quod Lucas designatur, qui in principio sui sermonis typice de passione egit, et ejusdem passionis Christi prædicatores figuravit, in apertione secundi sigilli, in qua de passione martyrum agitur locutum memoratur ; quia, quemadmodum primus ordo prædicatorum per Marcum designatus in primitiva Ecclesia ad jaciendum Christianæ fidei fundamentum resurrectionem prædicavit, ita secundus, temporibus martyrum ad eorum tolerantiam roborandam eis passionem Christi prædicando proposuit. Illic namque principaliter creditur prædicata resurrectio, ut auditores ad fidem resurgerent. Hic passio, ut electi in patientia perseverarent. Sicut igitur ibi locutum est animal primum, ita hic animal secundum, quia quæ ibi continentur pertinent ad resurrectionem, et quæ hic continentur ad passionem. Ibi designatur spiritualis resurrectio credentium. Illic corporalis passio martyrum. Veni, et vide. In eo quod illi iterum Veni et vide dicitur, spiritualis augmentatio visionis, et promotio designatur. Et ecce alius equus rufus. Vere alius, et ab alio valde diversus. Ille albus, iste rufus. In illo præferebatur candidus primitivorum renatorum numerus, in isto crudelium principum exercitus. Ille candebat per novitatem regenerationis, iste rubebat per effusionem sanguinis. Illius sessor erat Christus, istius diabolus. Ille ad eruditionem hominum undique circumferebat Christum ; iste ad destructionem eorum circumferebat diabolum. Unde de isto diabolo dicitur : Et qui sedebat super eum datum est ei ut sumeret pacem de terra. Ei namque ipsi diabolo, qui sedebat super eum crudelium videlicet principum exercitus datus est, id est permissum est pacem de terra sumere illata persecutione. Cujus persecutionis crudelitas a tempore Neronis incœpit, et usque ad tempus Constantini Magni non quievit. Cæsa sunt ergo multa martyrum millia, et pro gloriosa victoria a Deo coronata. Sequitur : ut invicem se interficiant, subauditur, homines. Interficiebant homines alios alii sive gladio materiali per occisionem, sive spirituali per malam suasionem. Nec solum interficiebant ipsi persecutores alienos incognitos et remotos, sed et parentes, notos et vicinos. Et hoc totum datum, id est permissum est diabolo, ut tantam videlicet persecutionem fidelibus inferret, ut pacem de terra sumeret. Cujus persecutionis quantitas exprimitur cum subditur : Et datus est ei gladius magnus. Vere etenim magnus, quia hæc persecutio eousque flagravit, ut etiam Oceani limbum pertransiret. Vere magnus, quia intra solam urbem Romam quodam tempore ab impiissimo Diocletiano decem, et septem millia martyrum, in non multis diebus pro Christo cæsa leguntur. Vere magnus, quia non tantum minores, et universali Ecclesiæ minus utiliores, sed majores, et universitatis fidelium sustentatores et gubernatores, ut apostolos, et excellentissimos doctores interfecit. Apte ergo dicitur, quod equus diaboli sessoris rufus apparuit, dum impiorum principum exercitus tot sanctorum sanguine se rubricavit. Apte dicitur quod sessori ejus diabolo ad sumendam pacem de terra gladius magnus datus sit, dum tot sanctorum stragem fecit. Apertio secundi sigilli evidens demonstratio sacri eloquii, de persecutione diaboli in effusione sanguinis martyrum Christi. Animal secundum, secundus ordo prædicatorum temporibus martyrum martyres ad passionis Christi imitationem exhortantium. Equus rufus, crudelis principum exercitus effusione sanguinis sanctorum rubicundus. Sessor, diabolus ; ablatio pacis, illatio persecutionis ; magnitudo gladii, quantitas tormenti.

CAPUT VI.

De tertio sigillo, et apertione ejus.

Et cum aperuisset tertium sigillum, audivi tertium animal, dicens : Veni, et vide. Et ecce equus niger, et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua. Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentem : Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario, et vinum, et oleum ne læseris (*Apoc.* VI). Sancta mater Ecclesia Spiritu sancto roborata per illatam persecutionem, et fidelium suorum necem minime detrimentum sustinuit. Sed more sinapis quo magis atterebatur magis augmentum accepit. Nam occisis martyribus, coruscantibus post mortem ipsorum per eos miraculis, multi populi ad fidem conversi sunt, qui postmodum Deo intra sanctam Ecclesiam fideliter servierunt. Sed cernens se diabolus per apertam persecutionem nequaquam profecisse, ad nocendum argumenta quæsivit, et servorum Dei numerum quem per manifestam impiorum persecutionem principum minuere non potuit, per occultam hæreticorum malitiam infirmare tentavit. Unde apte sub apertione hujus tertii sigilli dicitur : Ecce equus niger. Niger significat occultum. Equus ergo niger occultam hæreticorum versutiam quibusdam sacræ Scripturæ verbis, et quibusdam falsis virtutibus et operibus designat palliatam, et ne manifeste videatur obfuscatam. Ait ergo : Et cum aperuisset tertium sigillum audivi tertium animal, dicens : Veni, et vide. Et ecce equus niger. Et cum ape-

Digitized by Google

ruisset sigillum, id est, cum secundum processum temporis magis ac magis in sacra Scriptura aperiri, et cognosci cœpisset effectus divinæ promissionis, et profectus humanæ salvationis, audivi tertium animal, dicens : Veni, et vide. Tertium animal in hac visione habens faciem quasi hominis, Matthæus exstitit, qui de humanitate Christi suam narrationem incœpit, et tertium ordinem prædicatorum veram humanitatem Christi temporibus hæreticorum sua prædicatione attestantium figuravit. Bene igitur sub apertione sigilli tertii, tertium animal auditum dicitur, ut sicut primum animal, id est, Marcus agens in principio sui sermonis de resurrectione sub apertione primi sigilli, in qua de spirituali resurrectione agitur locutum memoratur; et secundum animal, id est Lucas, qui mentionem passionis typice facit sub apertione secundi sigilli, in qua de passionibus martyrum agitur, locutum perhibetur. Ita tertium animal, id est Matthæus qui de humanitate incipit sub apertione tertii sigilli, in qua de hæreticis ipsam humanitatem Salvatoris suis mendaciis oblatrantibus, et tertiis prædicatoribus ipsam attestantibus agitur locutum, vel auditum describitur. Quod ergo, Veni et vide, sub singulis apertionibus repetitur, spiritualis visionis multiplicatio figuratur. Et ecce equus niger. Equus niger est hæreticorum cuneus sua vitia simulatis virtutibus, et operibus occultando intuentibus obscurus. Primus equus albus per regenerationis candorem. Secundus rufus per principum persecutionem. Tertius niger per vitiorum suorum occultationem. Et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua. Sessor diabolus. Statera significat rectam et æquam discretionem in intelligentia, et prædicatione Scripturarum. Manus significat hæreticos ipsos per quos diabolus operatur. Sessor ergo stateram in manu habuisse dicitur; quia discretio et intelligentia quam hæretici sese habere dicunt, diabolo ascribitur, qui malitiam adversus fideles conceptam dum super equum rufum sedendo implere non potuit, super nigrum equum perficere seducendo tentavit, quia quod non valuit per principum furorem, hoc efficere voluit per hæreticorum pravitatem. Prius principes extrapositos, et alienos contra Ecclesiam inflammavit. Domesticos deinde diversis ejus hæresibus corrupit, ut postquam exterius bella cessarent, bellum interius ebulliret. Cujus videlicet hæreticæ pravitatis impietas maxime a diebus Constantini Magni, et sequentium imperatorum temporibus pullulavit. Sed auctoritate sanctæ Ecclesiæ, et ecclesiasticorum doctorum disputatione compressa, tandem cessavit. Sed quia divina miseratio circa majorum periculorum illationem majorem solet adhibere consolationem, recte dicitur : Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentem : Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario. In medio quatuor animalium, id est, in medio communi testimonio quatuor evangelistarum, et omnium prædicatorum. Bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario, quasi diceret :

A Ne timeatis, o fideles, quamvis videatis persecutioni succedere diversas hæreses, quia non poterunt vos lædere, nec annonam sacræ Scripturæ minuere si in perfecta fide volueritis stare. Quid enim per denarium in quo computatio correctionis facit finem aptius accipimus quam fidei perfectionem? Quid per triticum, nisi sacrum Evangelium? Quid per hordeum, nisi Vetus Testamentum? Quid per bilibris sive per bilibrem significationem, nisi Novi vel Veteris Testamenti intelligentiam duplicem, historialem scilicet et spiritualem. Pullulantibus igitur hæriticis et hæresibus in medio quatuor animalium, bilibris tritici denario, et tres bilibres hordei denario haberi proclamantur, quia communi testimonio evangelistarum, et omnium prædicatorum fidelibus
B in perfecta fide perseverantibus, et contra hæreticorum pravitates disputantibus perfecta, et duplex in utroque Testamento intelligentia pro fidei integritate et perfectione donatur. Bilibris autem vas duos capiens sextarios esse dicitur, in quo duplicis intelligentiæ, historialis videlicet et spiritualis, perfectio figuratur. Sed tritici unum, et singularem bilibrem denario uno, id est, propter denarium posuit, videlicet propter unitatem evangelici sacramenti; et tres bilibres hordei, propter quod in Veteri Testamento continentur lex, et prophetæ, et psalmi. Et vinum et oleum ne læseris. Vinum sunt perfecti doctores, male viventes mordaciter et acriter increpantes. Oleum sunt æque perfecti doctores, pusillanimes, dulciter et suaviter consolantes. Interdi-
C citur itaque sessori nigri equi, diabolo videlicet hæreticorum dominatori, ne vinum, et oleum lædat, id est, ne perfectos doctores malos arguentes, pios consolantes hæretica pravitate corrumpere præsumat. Non ergo debent fideles equum vel sessorem formidare, dum et eis plenitudo, et perfectio divinæ sapientiæ promittitur. Et diabolo ne perfectiores, et totius Ecclesiæ sustentatores lædat prohibetur. Apertio ergo tertii sigilli est major secundum tempus cognitio mystici eloquii. Tertium animal Matthæus, vel tertius ordo prædicatorum temporibus hæreticorum humanitatem Christi prædicantium. Equus niger, hæreticorum cuneus; sessor, diabolus. Statera intelligentia et prædicatio discreta, et æqua
D vox in medio quatuor animalium, commune evangelistarum et prædicatorum testimonium. Denarius, fides; bilibris tritici, perfecta intelligentia Evangelii; bilibres tres hordei, perfecta cognitio Veteris Testamenti; vinum et oleum, perfecti increpatores, et consolatores. Prohibitio læsionis, refrenatio tentationis.

CAPUT VII.

De quarto sigillo, et apertione ejus.

Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni, et vide. Et ecce equus pallidus, et qui sedebat super illum nomen illi mors et infernus, sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes mundi, interficere gladio, et fame, et morte, et bestiis terræ (Apoc. VI). Postquam hostis antiquus intellexit nec principum persecu-

Digitized by Google

tionem, nec hæreticorum pravitatem ad exercendam malitiam suam sibi posse proficere, sed magis nocere, quia sancta mater Ecclesia quanto magis adversis atteritur, tanto magis virtutibus roboratur, statim falsos fratres in hypocrisi ambulantes subintroduxit, et per eos domesticos ejus secretius et familiarius tentavit turbare. Quod bene in prædictis verbis designatur, ut prius rufus, inde niger, post equus pallidus in sacra visione monstretur. Quid est enim equus pallidus, nisi hypocritarum populus, qui, dum ut de religione laudetur, per jejunia, et diversas incommoditates semetipsum coram aspectibus humanis graviter afflixit, viribus exhaustis, et sanguine minorato moribundus pallescit, qui fidelibus eo perniciosior existit, quod ficta religione, malitiam suam velans foris se bonum ostendit. Et cum aperuisset sigillum quartum, id est, cum secundum temporis progressum, emergentibus causis in sacra Scriptura prædictis, magis ac magis inciperet manifestari quod erat occultum. Audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni, et vide. Quartum animal ipsemet sanctus Joannes exstitit, qui similis aquilæ summæ divinitatis immortalitatem cæteris omnibus altius intellexit, et ordinem prædicatorum æternitatem, et immortalitatem divinitatis prædicantium præsignavit. Apte igitur sicut Marcus equum album, Lucas rufum, Matthæus nigrum, propter causas superius designatas ostendit, ita Joannes pallidum demonstravit. Ille etenim evangelista, sive prædicatorum ordo per eum designatus, rectissime ad ostendendum per pallidum equum hypocritarum cuneum, et sessorem ejus cui nomen mors, scilicet diabolum debuit audiri, per quem, et a quo immortalis divinitas voluit specialius describi et prædicari, ut per hoc occulta eorum malitia manifestior appareret, quod eam evangelista, vel ordo dignior, et per officium magis contrarius demonstraret. Et ecce equus pallidus. Pallidus equus, sicut jam dictum est, hypocritarum numerus est, per nimiam carnis afflictionem pallidus, et moribundus. In quo diabolus sedet, quia hypocrisis, per parvam intentionem dominando, per eos malitiam suam exercet, et qui sedebat super illum nomen illi mors. Hoc nomen, mors, bene diabolo convenit, quia per eum mors incœpit, et alios ad mortem trahere non desinit, unde subditur : Et infernus sequebatur eum. Infernus sequitur diabolum, quia omnes damnandi eum imitantur. Sequitur : Et data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, et fame, et morte, et bestiis terræ. Datur diabolo potestas per divinam permissionem super quatuor partes terræ, id est, super illos qui terrenis inhærent per cupiditatem. Interficere eos gladio peccati, et fame verbi Dei, et morte, id est, languore corporis, et bestiis, id est bestialibus mortibus. Omnes namque qui per amorem terrenorum diabolo serviunt, talia ab ipso stipendia accipiunt. Aliter: Datur diabolo potestas super quatuor partes terræ, dum ei conceditur materiali gladio, fame, morte, bestiis bonos per quatuor partes terræ dispersos affligere. Quæ tamen potestas diabolo cooperatur in malum, bonis in bonum. Apertio ergo quarti sigilli major demonstratio sacramenti. Quartum animal, Joannes sive immortalis divinitatis Christi prædicatores. Equus pallidus, hypocritarum cuneus. Sessor diabolus. Infernus damnandi potestas, permissio nocendi.

CAPUT VIII.

De quinto sigillo, et apertione ejus.

Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, et testimonium quod habebant, et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo, Domine, Sanctus et verus non judicas, et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent per tempus adhuc modicum, donec impleantur conserri eorum, et fratres eorum qui interficiendi sunt sicut et illi (*Apoc.* VI). Persecutionibus superius descriptis, ne audientium mentes deficerent ex tot tribulationibus prædictis, solatur divina misericordia lacrymabilem sanctorum martyrum querimoniam in præsenti capitulo, dono primæ stolæ, et promissa conservorum, et fratrum eorum salutatione. Et cum aperuisset sigillum quintum. Apertio sigilli quinti est secundum successionem temporis evidentior declaratio sacri eloquii, defectus prædicti et exhibitio promissi. Vidi super altare Dei animas interfectorum. Altare Dei, Christus. Super eum namque offerimus Patri bona per fidem quæ cogitamus, loquimur, aut operamur. Bene ergo animæ sanctorum interfectorum subtus altare Dei visæ sunt, quia Christo se per humilitatem submittunt, et per ipsum a Patre judicium et vindictam de persecutoribus ex amore justitiæ requirunt. Causam vero quare interfecti sunt subjungit, dicens : Propter verbum Dei, et testimonium quod habebant, id est, propter præceptum Dei, quod in se implebant, et testificationem fidei, quam aliis prædicabant. Et clamabant voce magna, id est, voto magno, et desiderio, dicentes : Usquequo, Domine, Sanctus et Verus. Sanctus in temetipso, Verus in promisso tuo ; Sanctus odiendo iniquitatem, Verus solvendo promissionem. Non judicas, et vindicas. Judicas malos a bonis discernendo; vindicas, ipsos puniendo. Sanguinem nostrum, mortem nostram ab his, qui habitant in terra, non solum per mansionem, sed et per cupiditatem. Et datæ sunt illis stolæ singulæ, et dictum est illis ut requiescant per tempus adhuc modicum. Dantur nunc sanctis stolæ singulæ per solius animæ glorificationem, et dicitur illis per glorificandi corporis promissionem, ut requiescant per acceptam beatitudinem. Tempus adhuc modicum, usque ad universalem resurrectionem, donec impleantur conservi eorum, et fratres impleantur per præcogniti numeri completionem. Conservi, quia eumdem habent Dominum fratres, quia eumdem habent Patrem Deum.

Digitized by Google

Qui interficiendi sunt sicut et illi, quia omnes electi per præsentium laborum tolerantiam ad æternam pertingunt gloriam.

Et notandum quod dicit, modicum tempus, quia brevis est cursus temporis ad statum æternitatis. Apertio itaque quinti sigilli, evidentior declaratio eventus prædicti in pagina sacri eloquii. Altare, Christus. Animæ interfectorum, spiritus martyrum. Vox magna clamoris, desiderium ultionis. Donum, stolæ glorificatio. Animæ requies, modici temporis exspectatio finiendæ mutabilitatis. Conservorum et fratrum impletio, prædestinatorum plenaria, et perfecta remuneratio.

CAPUT IX.

De sexto sigillo, et apertione ejus.

Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, et ecce terræmotus factus est magnus, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellæ ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos cum a vento magno movetur (*Apoc.* VI). Dum appropinquat finis visionis videt et narrat ea quæ ventura sunt circa finem temporis. In isto namque capitulo describit tribulationem in diebus Antichristi venturam et tyrannidem diabolicam imperio Christi refrenandam. Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, id est temporis sequentis occultum. Et ecce terræmotus, id est terrena diligentium motus factus est magnus; apte addit magnus, quia, cum semper reprobi moveantur ad inferendum mala bonis, tempore Antichristi magis sæviet furor crudelitatis. Et sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus, quia Christus verus sol justitiæ nigrescet, eo quod nec miraculis, nec prædicatione clarescet. Et luna facta est sicut sanguis tota, quia sancta Ecclesia ubique patietur crudelitatem persecutionis, effusione sanguinis. Et stellæ ceciderunt super terram, quia multi qui videbantur esse stellæ per fidei claritatem, et cœlestem conversationem, cadent per infidelitatem, et impietatis perpetrationem. Possunt vero ista quæ hic dicuntur de hac calamitate, et multa quæ sequuntur ad litteram accipi. Scriptum namque est: *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris, pressura gentium præ confusione, sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, et exspectatione quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur* (*Luc.* XXI; *Matth.* XXIV). Sicut ficus mittit grossos suos, id est fructus leves et vacuos, quia Deus neminem permittit cadere, qui illi serviat vero amore. Cum a vento movetur magno, quia magnitudine persecutionis velut inanes labentur. Sequitur: *Et cœlum recessit sicut liber involutus, et omnes montes, et insulæ de locis suis motæ sunt, et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber abscouderunt se in speluncis, et petris montium.* Cœlum, id est cœlestem conversationem agentes, recessit sicut liber involutus, quia se occultabunt, se et cœlestia sacramenta sibi commissa celantes. Et omnes montes et insulæ motæ sunt de locis suis, quia omnes per virtutum eminentiam alti, et fluctibus persecutionum quassati se fide et opere a malis dividunt. Et reges terræ, id est illi qui vel se vel alios nolunt regere, et principes, qui sciunt principari, et tribuni, qui tribus regunt, et divites, operibus virtutum, et fortes, contra impetus tentationum. Et omnis servus liber, quantum ad conditionem, vel quantum ad conjugii copulationem aut libertatem. Et absconderunt se in speluncis et petris montium, imitando secretam et firmam conversationem sublimium sanctorum: *Et dicent montibus et petris*, id est sublimibus et firmis in fide sanctis: *Cadite super nos*, per piam affectionem, *et abscondite nos*, per vestram intercessionem, *a facie*, id est ab animadversione, *sedentis super thronum*, id est regnantis Divinitatis, *et ab ira agni*, Christi videlicet hominis. Possunt tamen quædam de his quæ dicta sunt ad litteram intelligi, ut scilicet homines in illis diebus in speluncis et petris præ timore sint se absconsuri, et ab ipsis se velint operiri, et causam quare se velint abscondi et operiri subjungit, dicens: *Quoniam venit dies magnus iræ ipsorum*. Vere etenim dies magnus iræ ipsorum veniet, quando tantus furor tanti hostis tam crudeliter desæviet. Erit etenim tempus, quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro, id est nisi tribulationi illi citius finem daret, nemo eam sustinere posset. Et quis poterit stare in fide, videlicet perseverantiæ, nisi sanctorum adjuvetur oratione? In paucis itaque verbis magnam et miserabilem tribulationem tempore Antichristi venturam comprehendit. Sed multiplici Ecclesiæ bello descripto subjicit tempore hujus belli diabolum nocere paratum, sed a Deo ne sui torperent vel desperarent refrenatum. Sequitur:

Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos terræ ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem (*Apoc.* VII). Isti quatuor angeli sunt universi dæmones totum mundum in quatuor angulis suis in diebus illis possidere cupientes. Stantes, et quos in latitudine mundi devorare possint considerantes. Quatuor venti sunt quatuor Evangeliorum libri. Isti venti tunc super terram, super mare et arbores flant, quando perfecti doctores evangelici sacramenti plenitudinem terrenam diligentibus, et in salo sæculi fluctuantibus malis ad similitudinem arboris sursum erectis, et fructificantibus bonis prædicant. Quos prædicti apostatæ angeli tunc, ne amplius super terram, mare, vel in arborem flent, se tenere putabunt; quia, ne verbum sacri Evangelii malis vel bonis prædicetur, laborabunt. Et notandum quod dicitur super terram, et super mare, et in arborem, quia bonum malis desuper offertur, quod a bonis jam intrinsecus possidetur. Sequitur:

Et vidi alium angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei vivi, et clamavit voce magna

Digitized by Google

quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens: Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Aliter : Angelus Christus a prædictis angelis multum diversus, qui ascendit ab ortu solis, quia prædicator et largitor paternæ claritatis. Qui etiam per hoc quod ascendit, nobis formam ad superna bona tendendi monstravit. Iste angelus descendit per carnis assumptionem, ascendit per ejusdem carnis glorificationem. Qui signum Dei habuit, quia immortalis divinitatis in se potentiam ostendit. Voce magna quatuor angelis, quibus datum est, id est permissum est nocere terræ et mari clamavit, quia eorum malitiam magnæ auctoritatis imperio refrenabit. Per hoc quod hic ubi ait, quibus datum est nocere terræ et mari, de arboribus tacuit, potest intelligi quod perfecte bonis nihil nocet quod eis in bono potestas contradicit adversa. Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, id est, nolite nocere malis qui convertendi sunt, et bonis qui conversi sunt. Nolite nocere per effrenatam tentationem donec signemus servos Dei nostri in frontibus eorum, per manifestam fidei confessionem. Donec, id est usque, signemus, id est omnibus signatis, neminem signandum exspectemus. Signemus, videlicet ego interius per gratiæ spiritualis effusionem, et mei ministri exterius, per prædicationis administrationem. Signemus, per distinctionem, servos, per subjectionem, Dei, per electionem, nostri, propter humanitatem, in frontibus eorum, propter confessionis manifestationem. Clamor ergo angeli, refrenatio diaboli. Sequitur :

Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Statim postquam posuit refrenationem reproborum angelorum, subjungit signationem electorum hominum ad latitudinem signatorum, in qua signatione omnes electos pariter comprehendit præmittendo signatos ex omni tribu Israel, illos videlicet qui passionem Redemptoris præcesserunt, subjungendo turbam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, illos qui eum subsequuntur. Sed idcirco ipsam redemptionem præcedentes sub numero signat, ut paucos antiquitus salvatos ostendat ad comparationem illorum quos post passionem per gratiam collectos sola sapientia divina dinumerat, et sequendo ordinem temporis primo ponit collectos ex antiquis, deinde collectos ex modernis. Et audivi, id est intellexi, qui essent signati, numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia. Iste numerus convenit antiquis electis ad beatitudinem prædestinatis. Centenarius namque qui in computatione læva transit ad dexteram, beatitudinem supernam ad quam de mundo transimus figurat. Quadragenarius autem qui ex quater decem consistit, recte Decalogum legis, et spiritualem Evangelii intelligentiam in ipso contentam significat. Quaternarius vero quatuor principalium virtutum exercitationem, et millenarius totius justitiæ perfectionem designat. Apte igitur antiqui justi signo crucis, etsi non re, tamen fide ad salutem signati, centum quadraginta quatuor millia esse referuntur. Centum propter promissam beatitudinem, quadraginta, propter Decalogi completionem, et evangelici sacramenti significationem. Quatuor, propter quatuor principalium virtutum exercitationem. Ex omni tribu filiorum Israel, id est non tam carnem ex Israel ducentes, quam fidem ipsius tenentes. Quos bene ex omni tribu Israel filiorum signatos vidit, quia divina pietas ex omnibus aliquos elegit. Ex tribu Juda decem millia signati. Tribum Juda, quæ quarta fuit in generatione, primam ponit in significatione, propter religionem et propter sapientiæ dignitatem, de qua Christus sumpsit carnem. Dan, de cujus genere Antichristus nascetur, in numero signatorum prætermittitur, ut per hoc ostendatur quod Antichristus de cœtu sanctorum ejicitur. Quod autem in descriptione signationis generationis non servat ordinem, ad spiritualis dignitatis et ad meritorum potest referri dispositionem. Ex singulis tribubus ponit duodecim millia signatos. Duodecim, propter duodecim patriarcharum prærogativam, millia propter perfectam justitiam. Signatos, propter fidei confessionem veram. Ex tribu Juda decem millia signati. Judas interpretatur *confitens.* Confessio alia criminis, alia laudis. Hi sunt, qui per confessionem se de crimine laverunt, et de acceptis beneficiis laudis gratias retulerunt. Ex tribu Ruben decem millia signati. Ruben interpretatur *filium videns.* Hi sunt, qui boni operis fructum genuerunt, et per eum ad summi Patris filii contemplationem pervenerunt. Ex tribu Gad, decem millia signati. Gad interpretatur *accinctus.* Hi sunt, qui semper parati et expediti sunt contra tentationem. Ex tribu Aser, decem millia signati. Aser interpretatur *beatus.* Hi sunt, qui per præsentis miseriæ tribulationem perveniunt ad beatitudinem. Ex tribu Nephthalim, decem millia signati. Nephthalim interpretatur *latitudo.* Hi sunt, qui per affectum charitatis proximis impenderunt opera pietatis. Ex tribu Manasses, decem millia signati. Manasses interpretatur *oblitus.* Hi sunt, qui per oblivionem temporalium pervenerunt ad præmium cœlestium. Ex tribu Simeon, decem millia signati. Simeon interpretatur *tristitiæ exauditio.* Hi sunt, qui per præsentem tristitiam ad veram attigerunt lætitiam. Ex tribu Levi, decem millia signati. Levi interpretatur *superadditus.* Hi sunt, qui bona melioribus addiderunt, et per hoc cœlestis boni additamentum receperunt. Ex tribu Issachar, decem millia signati. Issachar interpretatur *merces.* Hi sunt, qui respuerunt mercedem laudis humanæ, et per hoc acceperunt mercedem retributionis divinæ. Ex tribu Zabulon, decem millia signati. Zabulon interpretatur *habitaculum fortitudinis.* Hi sunt, qui per conversationem pervenerunt ad cœlestem mansionem. Ex tribu Joseph, decem millia signati. Joseph interpretatur *augmentum.* Hi sunt, qui per augmentum

Digitized by Google

justitiæ pervenerunt ad plenitudinem gloriæ. Ex tribu Benjamin, decem millia signati. Benjamin interpretatur *filius dexteræ*. Ili sunt, qui per vias, quæ a dextris sunt quas novit Dominus, ambulaverunt, et per hoc ad dexteram judicis constitui meruerunt. Pauca, frater charissime, de multis perstringimus, et multa in his omnibus tuæ prudentiæ discutienda reliquimus, quæ causa brevitatis præterimus. Sequitur :

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu Agni amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum. Superius posuit justos, qui in passione Christi præcesserunt, modo subjungit eos qui tempore gratiæ fidei signum acceperunt. Quorum numerum ideo non ponit, ut aperte significet, quod eum humanus sensus capere non possit. Unde apte dicit : Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, nisi ille videlicet qui etiam maris arenas, et pluviæ guttas, et dies sæculi solus dinumerat. Ex omnibus gentibus, quas superius nomine nationis designavit, et tribubus, et populis, et linguis, hæc supra exposita sunt. Tribus dicitur a tribus ordinibus in quibus sunt septuaginta linguæ, in lingua diversi populi, in populo diversæ sunt nationes. Ex omnibus gentibus etiam barbaris, tribubus, populis, quia divina pietas sicut sagena ex omni genere piscium, ita ex omni genere hominum elegit, et ad vitam perducit. Stantes, quia parati sunt divinis obedire præceptis, ante thronum, id est ante regiam dignitatem divinæ majestatis. In conspectu Agni Christi hominis amicti stolis albis, per munditiam corporum, et palmæ in manibus eorum, per victoriam hostium, et clamabant voce magna, id est magna devotione dicentes : *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno*, quasi diceret : Salus nostra non nobis ascribatur, quia non est a nobis, sed ascribatur illi a quo est, Deo videlicet nostro, qui sedet super thronum et Agno, divinitati regnanti, et Agno Christo homini. Aliter : Salus quam habet divinitas per naturam, et humanitas per gratiam, divinitati et humanitati decantetur per rationalem creaturam. Sequitur :

Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt eum dicentes : Amen. Angelos inducit de salvatione hominum gaudentes, et humanæ confessionis testimonium confirmantes. Et omnes angeli stabant, quia ad obediendum parati, in circuitu throni, undique exsequentes ministerium præcepti. Et seniorum, et quatuor animalium, ubique ecclesiasticos viros muniendo. Et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, se humiliando. Et adoraverunt Deum, se exaltando. Dicentes : Amen, humanæ laudis Deo exhibitæ testimonium confirmando, et Deum pariter collaudando. Unde bene subditur : *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen ;* quasi dicerent : Omnia quæ habet per naturam divinitatis, illi sunt referenda per canticum laudis. Benedictio, quia singulariter et superexcellenter est benedictus ; claritas, quia clarus ; et sapientia, quia sapiens ; gratiarum actio, quia pro collatis beneficiis est laudandus ; honor, quia honorandus ; virtus, quia invincibilis ; fortitudo, quia fortis in sæcula sæculorum, sine fine. Amen, id est vere. Et apte ista septem referuntur ad laudem Creatoris, quia septem sunt dona gratiæ spiritualis, quæ per ipsum distribuuntur salvandis : *Et respondens unus de senioribus dixit mihi : Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt ? Et dixi : Domine mi, tu scis.* Visa turba in tantæ gloria dignitatis monetur attendere per quam viam potuit ascendere ad eam, ut idem alios doceat suspicere ut ad eamdem gloriam contendant pervenire. Unus de senioribus est universitas prophetarum, apostolorum et doctorum prædicans justitiam et gloriam electorum. Ili qui amicti sunt stolis albis, corporibus et operibus mundis. Qui sunt, id est quantæ dignitatis, et unde venerunt, id est de quanta fornace tribulationis. Et dixi illi : Domine mi, tu scis; quasi diceret : Ego nescio, sed tu doce me. Et dum humiliter se utrumque ignorare fatetur, ipse ab angelo quemadmodum et nos ab universitate doctorum de utroque edocetur. Nam subditur : *Et dixit mihi : Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Et est ordo sensuum : laverunt stolas suas, in baptismo, dealbaverunt eas, bene operando et utrumque in sanguine Agni, in fide passionis Christi; et sic tandem venerunt de tribulatione, de præsentium passionum tolerantia, quia meruerunt, largiente gratia, in baptismo lavari, et bene vivendo dealbari, et pro fide Christi adversa pati. Sunt ante thronum Dei, id est regnantem Divinitatem, et serviunt ei per laudis ejus decantationem. Die ac nocte, id est continue. In templo ejus, in sanctorum congregatione, quorum dignitas adhuc declaratur, cum subditur : *Et qui sedet in throno*, id est Deus qui regnat, *habitat super illos*, quia in perpetuum eos pie protegit et gubernat, ut eis bonum, quod ipse invisibiliter et multiformiter habet, participet. Quorum etiam beatitudinem latius in sequentibus describit, ostendens eos a malo alienos et bono repletos : *Non esurient, neque sitient amplius*, quia reficientur pane et fonte vitæ : *Neque cadet super illos sol neque ullus æstus*, quia protegentur a majori et minori tribulatione. Quoniam Agnus, qui in medio throni est, id est in medio angelorum in quibus Deus residet et per quos judicia sua exercet, reget illos, videlicet in via, et deducet illos ad vitæ fontes aquarum, in patria. Et quoniam erunt ab omni malo liberi, ita quoque erunt absque omni dolore mali. Unde subditur : *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Deus absterget, quia sicut ab omni malo liberos, sic eos totius do-

Digitized by Google

loris immunes faciet. Apertio igitur sexti sigilli, completio mystici eloquii. De persecutione Antichristi, motus et concussio rerum, persecutio pravorum angelorum. Nocentium cohibitio, diabolicæ tentationis refrenatio. Angelus, Christus. Signati, electi. Centum quadraginta quatuor millia ex omni tribu filiorum Israel, electi in redemptionem præcedentes. Turba magna, electi eam subsequentes. Concentus angelorum, gaudium eorum, et gratiarum actio de salute hominum. Unus autem seniorum, universitas doctorum. Lavatio et dealbatio stolarum, mundities corporum et operum. Sanguis Agni, passio Christi; mali ablatio, præsentis miseriæ evasio; boni collatio, superna beatitudo.

A

CAPUT X.

De septimo sigillo, et apertione ejus.

Et cum aperuisset septimum sigillum, factum est silentium in cœlo quasi media hora (*Apoc.* VIII). In fine visionis describit ea quæ contingent in fine temporis. Et cum aperuisset sigillum septimum, id est cum per extremitatem sæculi præsentis inciperet demonstrare in sacra visione jam compleri mysterium humanæ redemptionis, factum est in cœlo, id est in sancta Ecclesia, silentium, id est tranquillitas magna ex omni parte parata. Sed quasi media hora dicitur silentium fieri, quia cito veniet judicium. Apertio igitur septimi sigilli, manifestatio sacri eloquii de his quæ fient circa finem sæculi. Silentium quasi media hora, pax et tranquillitas ultima. Et ut cuncta quæ in hac visione continentur, breviter ad evidentiam revocemus in fine: In primo capitulo egit auctor de sedente in throno et ornatu ejus. In secundo, de quatuor animalibus. In tertio, de libro signato quem sedens in throno in ejus dextera tenuit, et de Agno, qui librum aperuit. In quarto, de primitivis, et renatis et per gratiam ad vitam resurgentibus. In quinto, de impiis persecutoribus. In sexto, de hæreticis. In septimo, de hypocritis. In octavo, de martyrum querimoniis, et singulis stolis sibi datis. In nono, de persecutione Antichristi. In decimo, de parvi temporis pace, et tranquillitate quæ eis post Antichristum in fine mundi, et in his omnibus de justorum probatione, et ad cœlestem gloriam præparatione, et de profunditate cœlestium mysteriorum, quæ in secunda hujus libri visione continentur. Paucas guttas hausimus, sed jam stylum ponendo quiescimus, ut ad tertiam discutiendam alacrius resurgamus.

B

LIBER TERTIUS.

DE VISIONE TERTIA.

PROLOGUS.

Deus, cujus magna virtus, cujus sapientiæ non est numerus; qui per potentiam cuncta creavit, per sapientiam creata disposuit, disposita multiplicat, multiplicata gubernat, ineffabili bonitate sua suis electis futura prædicit, et quid est agendum, quid cavendum, quid tolerandum, quid sperandum patenter ostendit, ut eos per singula perfecte doceat, et docendo ad omnia præmuniat. Unde in hac visione secundum prolixitatem temporis disponitur ordo narrationis, ut ubique cujuslibet causæ eventus distinguatur, et universalis mater Ecclesia per sacram prophetiam edocta, in his qui ad vitam æternam prædestinati sunt nullum detrimentum patiatur. Describit autem visio ista sub distinctione septem angelorum tubis canentium, universitatem prædicatorum, turbines persecutionum, retributiones præmiorum. Incipit denique narrationem suam ab exordio Ecclesiæ renascentis, et symbolis, et figuris describens mutationes rerum secundum vicissitudines successionum, et eam deducit usque in finem temporis. Ibique post multas tolerantias laborum subjungit præmia justorum, quæ cuncta in suis locis distinguemus, et prout ordo requirit exponendo disponemus.

C

CAPUT PRIMUM.

De septem angelis canentibus tuba, et de alio angelo stante ante altare.

Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ (*Apoc.* VIII). Septem angeli stantes in conspectu Dei sunt prædicatores universi per omne tempus quod septem dierum numero volvitur, cooperante Spiritus sancti gratia, prædicantes verbum Dei. Qui idcirco dicti sunt angeli, quia a Deo missi; stantes in conspectu Dei, quia ad divinum obsequium parati. Dantur illis septem tubæ, quia attribuitur eis universale officium prædicationis divinæ, ut canant ad electorum munitionem, et reproborum destructionem: *Et alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum in manu sua.* Alius angelus Christus, quia magni consilii angelus, qui bene dicitur alius, quia ab aliis angelis, id est universis prædicatoribus, et gratia sanctitatis, et excellentia dignitatis, et potentia virtutis longe remotus. Qui venit, dum naturæ nostræ fragilitatem assumpsit: *Et stetit ante altare*, de hoc altari typice scriptum est: *Altare de terra facietis mihi* (*Exod.* XVII). Altare de terra, humanitas assumpta. Sed sicut venire pertinet ad carnis assumptionem, ita stare pertinet ad divinitatis immutabilitatem. Qui ergo venit per carnem, per divinitatem ante altare stetit, quia divinitate in qua

D

Digitized by Google

immutabilis permansit, humanitate quæ nobis altare est, prior et sublimior fuit. Habens thuribulum aureum in manu sua. Thuribulum, sunt sancti apostoli, qui ad electorum preces summæ Divinitati offerendas in sancta Ecclesia sunt principaliter constituti. Qui apte aurei sunt, et auri fulgorem habent, quia divinam in se sapientiam continent, et per eam in mundo cunctis lucent. Istud thuribulum angelus in manu habuit, ex quo Christus duodecim apostolos elegit. Sequitur :

Et data sunt ei incensa multa, id est orationes delectabiles, *ut daret*, id est repræsentaret Patri, *de orationibus sanctorum super altare aureum*, id est super semetipsum. Ipse est namque altare, quia super eum offeruntur Patri omnia vota humanæ justitiæ. Aureum, quia in ipso sunt omnes thesauri absconditi sapientiæ et scientiæ. Ipsi ergo soli ad offerendum incensa dantur, quia omnes orationes sanctorum per ipsum Patri commendantur. Sed et recte altare aureum dicitur esse in conspectu Dei, quia de eo testatus est Pater in eo complacuisse sibi. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum coram Deo de manu angeli*, quia illa sola oratio in cœlestibus est accepta, quam Filius offert Patri. Sequitur :

Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram. Angelus thuribulum, quod superius habere dictus est, accepit, et illud de igne altaris implevit, quando Christus apostolos post completum humanæ redemptionis mysterium in fide solidavit, et eis de eodem Spiritu quo ipse plenus erat primitias dedit. In terram quoque thuribulum impletum misit, dum eos in terram ad prædicandum direxit. Sed quid apostolorum missionem secutum sit declaratur, cum subditur : *Et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræmotus magnus.* Prædicantibus etenim apostolis facta sunt tonitrua, id est duræ damnationis comminationes, et voces, id est mediocres admonitiones. Et apte post tonitrua addidit voces, quia quos per minas deterremus, per promissa lenire debemus, ut terror a malo frangat, et promissio ad bonum quærendum stabiliat. Sed quia apud infideles, nec terrores minarum nec voces valent persuasionum, sine testimoniis miraculorum, apte subditur : et fulgura. Fulgura namque significant miracula longe lateque coruscantia. Et quoniam postquam tonitrua comminationum, et voces admonitionum in omnem terram sonuerunt, et fulgura miraculorum orbi terræ coruscaverunt, multi de eo quod erant mutati sunt, recte subditur : et terræmotus. Terræmotus namque post tonitrua, voces, fulgura, factus est ; quia, apostolis prædicantibus et miracula facientibus, multi terreni terram inhabitantes, et terram diligentes moti sunt, alii ad bonum per conversionem, alii ad malum per aversionem. Alii moti sunt ad credendum, alii moti sunt ad persequendum. Bene quoque, postquam dixerat terræmotus, subjecit manus ; quia, largiente gratia, multi sunt ad fidem a Christo vocati, et, exigente culpa, multi sunt ad persecutionem fidei, diabolo instigante, excitati. Sequitur :

Et septem angeli, qui habebant septem tubas, paraverunt se ut tuba canerent. Postquam superius de angelo magni consilii, id est de Christo, quædam quæ ad redemptionis nostræ sacramenta pertinent breviter tetigit, et apostolorum missionem per thuribulum in terram missum typice descripsit, rursum ad septem angelos, id est ad universos prædicatorum conventus de quibus incœpit, et de quibus in sequentibus tractabit, sermonem reducit : qui se parant ut tuba canant, quia operantur prius quod postea prædicant, vel quæ, et quibus prædicare debeant diligenter prius considerant. Magnum quippe est officium prædicationis, unde necesse est ut qui illud exercere debent, et firmentur virtute sanctitatis, et utantur libra discretionis. Septem ergo angeli sunt prædicatores universi. Alius angelus, Christus. Thuribulum, duodenus apostolorum numerus. Fumus aromatum, devotiones orationum. Altare aureum, corpus assumptum. Impletio thuribuli de igne altaris, primitiæ spiritus datæ discipulis. Missio thuribuli in terram, directio apostolorum ad prædicandum terrigenis gratiam. Tonitrua, comminationes ; voces, admonitiones. Fulgura, splendor miraculorum. Terræmotus magnus, conversio et aversio hominum ; angelorum ad canendum præparatio, prædicatorum bona actio, et provida prædicandi discretio.

CAPUT II.

De primo angelo, et tuba ejus.

Et primus angelus tuba cecinit, et facta est grando et ignis mista in sanguine, et missum est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum combusta est, et omne fenum viride combustum est (*Apoc.* VIII). Primus angelus, prædicatorum ordo primus ; prima tuba, prædicatio prima. Primus ergo angelus tuba cecinit, quando in Novo Testamento ordo prædicatorum primus in Judæa Evangelium personuit. Sed quid ipsam prædicationem secutum sit declaratur cum subditur : Et facta est grando et ignis mista in sanguine. Grando significat extrinsecus flagellum persecutionis. Ignis flammam interius ardentis perversæ æmulationis. Sanguis crudelitatem occisionis. Primo itaque angelo, tuba canente, facta est grando, et ignis commista in sanguine ; quia, primo prædicatorum ordine in principio Novi Testamenti in Judæa prædicante, Judaicus populus usque ad effusionem sanguinis crudeliter exarsit in persecutione. Et missum est in terra, id est in illos qui habitant in terra. Sed quia sævitia persecutionis non bonis, sed malis nocet, apte subjungitur : Et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum combusta est, et omne fenum viride combustum est. Duæ hominum partes sunt Dei, activi scilicet, et contemplativi, imperfecti et perfecti, minores et majores. Istas duas partes Deus sibi assumit, quia pusillis cum majoribus benedixit.

Digitized by Google

Tertia pars, quæ est malorum, diabolo relicta est, et facta grandine, et igne commista in sanguine, duabus quæ Dei sunt illæsis permanentibus combusta est, quia, prædicatorum ordine prædicante et persecutione sæviente, funditus a bono defraudata est. Terra autem significat homines, quia debent et ipsi ad similitudinem terræ per virtutes et bona opera fructificare. Arbores significant homines, quia sicut arbores, se desiderio cœlestis boni sursum debent erigere. Fenum viride significat homines, quia, debent, quemadmodum fenum viride, per virtutem perseverantiæ semper virere. Sed arborum et terræ tertia pars combusta perhibetur, ut duabus partibus quæ, ut dictum est, Dei sunt illæsis a malo permanentibus, ipsa a vero bono sterilis dejecta marcida significetur. Fenum autem totum comburitur, quia quisquis solum crudelitatis virorem habet, et virtutum et operum bonorum fructu caret, veniente tentatione vel persecutione malignitatis incendio facile concrematur. Sed boni denique sive mali homines sub significatione trium rerum, terræ, arborum, feni, recte comprehenduntur, propter trium bonorum sive malorum typum, cogitationum videlicet, locutionum, actionum. Hæc enim omnia in bonis bona sunt, in malis mala. Non inconvenienter itaque homines sive boni, sive mali per trium rerum describuntur significationem, quia et per trium distinguuntur qualitatem, et multa sunt quidem quæ de hujusmodi intellectibus dici possunt. Sed quæ sub præsenti brevitate comprehendere non valemus, ad exercitationem sensus tui, tuæ prudentiæ quærenda et discutienda reservamus. Non enim debes hebes his tantum quæ dicimus supersedere, sed temetipsum in anteriora extendere, et attemperare, remotiora attingere, majora comprehendere. Primus ergo angelus, prædicatorum ordo in Judæa prædicantium in Novo Testamento primus. Tuba prima, prædicatio prima. Grando et ignis commista in sanguine, æmula persecutio sæviens in credulitate; tertiæ partis terræ, arborum, et totius feni viridis combustio, damnandorum reprobatio. Duarum partium terræ, et arborum servatio, salvandorum assumptio. Quorum videlicet salvandorum duæ partes esse dicuntur, quia salvandi sub imperfectionis et perfectionis differentia comprehenduntur.

CAPUT III.

De secundo angelo, et tuba ejus.

Et secundus angelus tuba cecinit, et tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis, et mortua est in eo tertia pars creaturæ, quæ habebat animas, in mari; et tertia pars navium interiit (*Apoc.* VIII). Collectis ad fidem in prædicatione ex Judæa fidelibus, statim secunda prædicatio in gentibus quæ maris nomine designantur personuit, et ex eis utique salvandos convocavit. Sed diabolus, qui in prima prædicatione aliquos ex Judæis sibi auferri doluerat et idcirco in Judæa persecutionem excitaverat, ut prædicationem ad gentes transferri vidit, statim in gentibus persecutionem ad ejusdem impedimentum excitavit. Dicitur ergo : Et secundus angelus tuba cecinit, id est vox prædicatorum, relictis Judæis in gentibus, personuit, et mons magnus, id est diabolus, mons per tumorem, magnus per tumoris magnitudinem, igne ardens per invidiam, missus est in mare, id est in gentiles per permissionem divinam. Gentiles mari bene comparantur, quia fluctuabant per diversorum culturam idolorum, et multorum amaritudinem vitiorum. Istius maris duæ partes sunt Dei, tertia diaboli, sicut in præcedenti capitulo de terra et arboribus monstravimus. Secundo angelo tuba canente et tanquam monte misso in mare, tertia pars maris facta est sanguis; quia, derelicta Judæa, sonante in gentibus voce prædicationis, diabolo concitante, pars gentilitatis, relinquendo Deum, tormento damnationis conversa est ad crudelitatem persecutionis. Tertia quoque pars creaturæ eorum quæ habebant animas in mari, mortua est; tertia pars navium interiit, quia damnanda pars illorum etiam, qui apud eos magis videbantur rationabiles, et digniores, et illorum qui aliorum erant vectores et sustentatores, per culpam ante mortua, tunc fidem respuendo et in infidelitate permanendo, æternæ morti deputata disperiit. Secundus ergo angelus cum sua tuba, prædicatores in gentibus cum prædicatione de Judaismo ad gentes translata. Mons magnus missus in mare, diabolus sæviens in concitanda gentilitate. Duæ partes maris habentium animas et navium, salvandi, tertia pars damnandi. Sanguis, crudelitas persecutionis. Mors habentium animas, et interitus navium, manifesta quorumdam reprobatio qui magis æstimabantur rationales, et aliorum vectores et sustentatores.

CAPUT IV.

De tertio angelo, et tuba ejus.

Et tertius angelus tuba cecinit, et cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum, et nomen stellæ dicitur absynthium, et facta est tertia pars aquarum in absynthium, et multi homines mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt (*Apoc.* VIII). Multa in hac tertia visione continentur, quæ secundum ea quæ in secunda visione dicta sunt, aptissime disponuntur. Ubi namque sancta prophetia ait : Alius exivit equus rufus, egit de persecutoribus sub apertione secundi sigilli. Hic ubi in præcedenti capitulo dicit facta est tertia pars maris sanguis, agit de persecutoribus sub tuba secundi angeli. Ibi ubi dixit : Ecce equus niger, egit de hæreticis sub apertione tertii sigilli. Hic ubi dicit : Cecidit de cœlo stella, agit de hæreticis sub tuba tertii angeli. Ibi ubi dixit : Ecce equus pallidus, egit de hypocritis sub apertione quarti sigilli. Hic ubi dicit : Tertia pars solis percussa est, agit de hypocritis sub tuba quarti angeli. Ibi ubi ait : Terræmotus factus est magnus, egit de persecutione Antichristi sub apertione sexti sigilli. Hic ubi ait : Solve quatuor an-

Digitized by Google

gelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate, agit de persecutione Antichristi sub tuba sexti angeli. Ibi ubi dixit : Factum est silentium in cœlo quasi hora media, egit de fine mundi sub apertione septimi sigilli. Hic ubi dicit : Factum est regnum hujus mundi Domini nostri et Christi ejus, agit de fine mundi sub tuba septimi angeli. Secundum ergo cum secundo, tertium cum tertio, quartum cum quarto, quintum cum quinto, sextum cum sexto, septimum cum septimo concordat sigillum cum angelo, et cum apertione sigilli tuba angeli. Quæ tamen singula cum singulis de eodem diversi figuris tractant, ut lectorem magis exerceant, et ut diabolum sicut in exhibitione divinæ promissionis, ita hic eisdem promissionis modum velle impedire, officium prædicationis ostendant. Hæc de consonantia præcedentis, et præsentis visionis diximus. Nunc ad capitulum propositum redeamus. Et tertius angelus tuba cecinit, id est tertius prædicatorum ordo prædicavit, et cecidit de cœlo stella, id est de Ecclesia hæreticorum caterva; quæ bene dicitur stella magna ardens. Stella per acceptam scientiam, magna per superbiam, ardens per invidiam. Tanquam facula, quia dum alios ad pravitatem incendit, semetipsam consumit. Et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum, per flumina et fontes divina Scriptura figuratur, cujus haustu mens humana veri boni sitibunda recreatur. Fontes aquarum dicuntur illi libri in quibus origo et summa fidei comprehenditur, sicut sunt libri legis, prophetarum, evangelistarum et apostolorum. Flumina, illa quæ inde trahuntur, sicut sunt expositiones doctorum. Duæ sunt autem partes Scripturæ, historica, videlicet spiritualis intelligentia, quæ recte intellectæ pertinent ad bonos. Tertia pars est perversorum perversa intelligentia, quæ pertinet ad malos. Stella de cœlo itaque cadens in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum cecidit, quia pravitas hæretica de sublimitate Ecclesiæ decidens sacram Scripturam in parte suæ assertionis corrupit. Et nomen stellæ dicitur absynthium; nomen stellæ, id est hæreticæ tubæ, dicitur absynthium, quia, quisquis ab hæretica pravitate seducitur, ad pravæ intelligentiæ et spiritualis mortis amaritudinem perducitur; unde congrue dicitur Et facta est tertia pars aquarum absynthium, et multi homines mortui sunt de aquis quia amaræ factæ sunt. Stella namque cadente in aquas, aquæ amaricantur, et homines bibentes moriuntur; quia, hæreticis summa deserentibus, et sacram Scripturam per se docentibus, Scriptura in eorum doctrina corrumpitur, et eorum pravitati consentientes spirituali morte necantur. Duæ itaque partes remanent Deo, tertia corrupta relinquitur diabolo. Qui, quoniam per persecutionem prædicationem divinam exterius omnino impedire non potuit, interius per hæreticos adimplere tentavit. Tertius angelus igitur prædicatorum ordo tertius, stella cadens hæreticus a vera fide decidens. Aqua, Scriptura; imitatio tertiæ partis, pravitas assertionis; mors bibentium, impietas consentientium.

CAPUT V.

De quarto angelo, et tuba ejus.

Et quartus angelus tuba cecinit, et tertia pars solis percussa est, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum, ita ut obscuraretur tertia pars earum, et tertia pars diei non luceret, et noctis similiter (Apoc. VIII). Videns hostis antiquus nec per infidelium persecutionem, neque per hæreticorum pravitatem prædicationem ad libitum suum impedire non posse, adjungit hypocritarum simulationem. Et quartus angelus tuba cecinit, id est quartus ordo prædicatorum prædicavit. Et tertia pars solis percussa est, id est sensus humanus in hypocritis (qui perfectis et imperfectis justis tertii sunt per sinistram intentionem) obscuratus est. Et tertia pars lunæ, id est justitiæ eorum quæ per augmentum debuisset crescere, et tertia pars stellarum, id est virtutes eorum quæ deberent multipliciter lucere, ut obscuretur tertia pars eorum, id est universa claritas inconversatione hypocritarum. Duæ namque spiritualis boni partes illæsæ perfectis justis reservantur. Tertia vero in reprobis destruitur, ut diei non luceret tertia pars, et noctis similiter. Per diem hoc in loco accipiuntur illi qui inter hypocritas videntur scientia, vel vita lucidiores; per noctem illi qui in utraque parte apparent minus lucentes. Bene itaque tertia pars solis, lunæ et stellarum obscurata diei et nocte lucere perhibetur, quia bonum intelligentiæ justitiæ virtutis, et in excellentioribus, et in inferioribus hypocritarum personis funditus obnubilatur. Sequitur :

Et vidi et audivi vocem unius aquilæ volantis per medium cœlum, dicentis voce magna : Væ, væ, væ habitantibus in terra! De cæteris trium angelorum vocibus, qui erant tuba canentes, aquila quæ reverberatis oculis contra solem ad sublimia volat, universitatem divinorum scriptorum et prædicatorum significat, qui cæteris fidelibus cœlestia secreta subtilius scrutantur, et altius, et clarius contemplantur. Qui bene dicuntur aquila una, quia magna est eorum in sacræ Scripturæ contemplatione et prædicatione concordia. Qui toties per medium cœlum volantes voce magna clamant, quoties magna auctoritate in communi audientia totius Ecclesiæ sublimiter recta prædicant : Væ, væ habitantibus in terra! De cæteris vocibus trium angelorum, quia erant tuba canituri, quasi diceret : Gravia sunt mala quæ superius continentur, sed valde graviora sunt ea quæ sequuntur. Væ namque ter positum, et habitantibus in terra comminatum de cæteris vocibus trium angelorum, qui erant tuba canituri, tres gravissimas tribulationes designat trium ordinum prædicatorum temporibus futuras, qui erant prædicaturi. Graves igitur sunt tribulationes quæ sub tuba quatuor præcedentium angelorum præcedunt, sed longe graviores sunt, quæ sub trium sequentium tuba succedunt. Quod autem dicit habitantibus in

Digitized by Google

terra, significat terrena diligentes, et terrena cœlestibus præferentes, quibus tribulationes vertuntur in malum, quæ bonis cooperantur in bonum. Quartus ergo angelus, prædicatorum ordo quartus, tertia pars solis, lunæ, stellarum, diei, noctis, obscurata claritas intelligentiæ, justitiæ, virtutum, tam in sublimioribus quam in moribus hypocritarum personis obnubilata. Aquila volans per medium cœlum, universitas prædicatorum in Ecclesia prædicantium tria. Væ sequentia, sub vocibus succedentium angelorum, tribulationes venturæ temporibus sequentium prædicatorum.

CAPUT VI.

De quinto angelo, et tuba ejus.

Et quintus angelus tuba cecinit. Et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram. Et data est illi clavis putei abyssi, et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ. Et obscuratus est sol, et aer de fumo putei, et exierunt locustæ in terram (*Apoc.* VIII). Postquam diabolus vidit quod per singula mala persecutorum crudelitatem, hæreticorum pravitatem, hypocritarum simulationem, sacram impedire prædicationem non potuit, universa malorum genera, sicut in sequentibus ostendetur, induxit, et quod per singula sigillatim non valuit, per omnia pariter efficere tentavit. Et quintus angelus tuba cecinit, id est prædicatorum ordo quintus prædicavit. Et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram, id est vidi quod diabolus, qui lucifer dictus est, qui de cœlo cecidit, in terrenis et terrena diligentibus dominationem accepit. Et data est illi clavis putei abyssi, id est concessa est illi potestas profundi et occulti mali. Qui puteum abyssi aperuit dum, profundam et occultam malitiam ad nocendum de universorum simul malorum cordibus eduxit, et propalavit. Fumus quoque putei sicut fumus fornacis magnæ ascendit, quia simul et semel aperta erupta, et soluta pravitas dæmonum et hominum ad detrimentum bonorum qui in sublimi positi sunt pertingere laboravit. Unde apte subditur : Et obscuratus est sol et aer de fumo putei. Sol et aer de fumo putei obscurantur, quia et quidam ex illis qui alios illuminare videbantur, et quidam ex illis qui illuminantur, suggestione et doctrina dæmonum et perversorum hominum excæcantur. Et quia mali non tantum bonis nocent ut obscurentur, sed et malis obsunt ne illuminentur, bene sequitur : Et locustæ exierunt in terram. Quid namque accipitur per locustas, nisi malorum universitas? Qui ad modum locustarum et ad alta saliunt per elationem, et ad terram recidunt per cupiditatem. Quid accipitur per terram, nisi terrena diligentes, et per cupiditatem terrenis inhærentes? Locustæ ergo in terram exeunt, quando superbi quique in eos qui terrena cœlestibus anteponunt, potestatem accipiunt. Cujus potestatis claritas declaratur cum subjungitur : *Et data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ.* Scorpio facie blandus apparet, cauda nocet. Sic pravorum universitas quod non potest per apertam sævitiam, hoc adimplere nititur per occultam malitiam. Et quoniam occulta malorum nocendi malitia divinitus refrenatur, nec vere bonis in aliquo nocere permittitur, bene sequitur : *Et præceptum est illis ne lædèrent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines qui non habent signum Dei vivi in frontibus suis.* Fenum significat rudes, et insipientes, et ad deceptionem flexibiles. Viride, homines veræ fidei virorem habentes, et per spem æternitatis supernæ viriditatem exspectantes. Arbor, per fidem et spem boni operis fructum exhibentes. Omnes igitur vere electos incipientes, provectiores, perfectos, mali lædere perhibentur, quia ab omni læsione, occulta et divina dispositione cohibentur. Nisi tantum homines qui non habent signum Dei vivi subauditur in veritate, in frontibus suis, id est manifeste. Multi sunt namque qui se signum Dei vivi habere verbis simulant, quem tamen factis negant. A quorum læsione mali minime refrenantur, quia tales voluntariæ potestati malorum subjiciuntur. Sed quia nec hæreticorum qui maxime nocent, nec aliorum quorumlibet turba malorum, etiam ipsos qui terræ per amorem terrenorum conglutinantur, et terræ nomine designantur, ad libitum lædere non sinitur, recte additur : *Et præceptum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarent eos mensibus quinque.* Præcipitur hæreticis, et principalibus diaboli ministris, ne non solum vere bonos non lædant, sed nec terrenis deditos occidant, quia cohibentur, ne libertatem audiendi verbum Dei, vel rectam fidem suscipiendi auferant. Datur eis licentia, ut quinque mensibus tales per eos crucientur; quia, qui per quinque sensus corporis transitoriis inhærent, a reprobis per ablationem terrenorum quæ diligunt, nonnunquam affligi permittuntur, ut afflicti aliquando ea se dilexisse resipiscant, et ad vera bona quærenda tandem vel adversitatibus eruditi resurgant. Sequitur :

Et cruciatus eorum sicut cruciatus scorpii, cum percutit hominem. Hoc est quod supra dictum est : quod mali quod non valent per manifestam malitiam et sævitiam, hoc perficere laborant per occultam malitiam. *Et in diebus illis.* In tempore videlicet tantæ malignitatis, quando alii lædent per hæresim, alii per hypocrisim, alii ad persequendum, alii multimodis vitiis consurgent ad nocendum, diabolo totum puteum iniquitatis aperiente, et omnem virtutem suam ad electorum impedimentum effundente. In diebus, inquam, illis, *quærent homines*, et maxime pastores mortem, timentes lapsum, et non invenient eam, quia propter necessitatem subjectorum reservabuntur. Et non quoquo modo quærent mortem propter imminentem et ingruentem adversitatem, sed cum magno desiderio. Unde apte subditur : *Et desiderabunt mori.* Sed ipsis desiderantibus mori, nequaquam desiderium suum dabitur. Unde recte additur : *Et fugiet mors ab eis solis*, propter necessitatem subjecti gregis. Sequitur :

Digitized by Google

Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium et super capita earum tanquam coronæ similes auro. Superius apertionem putei abyssi, id est effusionem totius mali, et malorum potestatem nocendi, et divinam refrenationem descripsit, nunc ipsorum multiformem malitiam diversis figuris et similitudinibus ostendit. Similitudines ergo locustarum, similes equis paratis in prælium recte dicuntur, quia mali quique ad similitudinem equorum in persecutione electorum velociter, ferociter et improvide sequuntur, et improvide feruntur. Super quorum etiam capita sunt tanquam coronæ, quia non vera habent, sed falsa præmia perversæ victoriæ. Quæ videlicet coronæ non aurum, sed similes sunt auro, quia sapientia hujus mundi (quæ stultorum est) stultitia est apud Deum. Quorum fraudulentiam atque sævitiam subjungit adhuc, dicens: *Et facies eorum sicut facies hominum: et habebant capillos sicut capillos mulierum; et dentes eorum sicut dentes leonum erant.* Tria ponit, facies hominum, capillos mulierum, dentes leonum. Quæ tria secundum ordinem prædictum mali, et maxime hæretici habere describuntur, quia primum se cuncta secundum rationem agere fingunt, et deinde fraudulenter ad mollitiem vitiorum pertrahunt, ac demum per actionis pravæ suggestionem et perpetrationem crudeliter laniant. Sed dum electorum populum expugnare conantur, ipsi contra veritatem ne ab eis modis aliquibus superentur, undique suis falsitatibus armantur. Unde bene subditur: *Et habebant loricas sicut loricas ferreas.* Habent etenim mali contra veritatem loricas, per sententiarum falsarum munitionem; ferreas, per suæ duritiæ pertinaciam. Quarum videlicet sententiarum declaratur manifeste sonus atque tumultus, cum subjungitur: *Et vox alarum eorum, sicut rotæ curruum equorum multorum currentium in bellum.* Alæ sententiæ, vox alarum tumultus sententiarum. Sententiæ etenim falsæ, malis et præcipue hæreticis sunt loricæ. Sunt etenim sententiæ et alæ, et loricæ. Loricæ, quia contra bonos muniunt; alæ, quia ad deteriora vehunt. Habent itaque reprobi alas, quarum vox est sicut vox curruum equorum currentium in bellum; quia, quemadmodum diversi currus diversis viis, a diversis equis ad idem bellum rapiuntur, sic mali diversis hæresibus et contentionum tumultibus unanimiter ad idem bellum, ad expugnandam scilicet Ecclesiam feruntur. Sequitur:

Et habebant caudas similes scorpionum, et aculei erant in caudis earum. Potestas earum, nocere hominibus mensibus quinque. Hoc totum superius expositum est, excepto, quod dicit, quod aculei erant in caudis earum. In caudis autem locustarum sunt aculei, quia in fine suggestionis pravorum est morsus et punctura peccati. *Et habebant super se regem angelorum abyssi, cui nomen Hebraice Abadon, Græce autem Apollion, et Latine habens nomen exterminans.* Angelus abyssi diabolus est, qui est rex et princeps super profunditatem et obscuritatem totius peccati. Qui propterea sub triplici littera describitur, ut sancta Ecclesia ubique terram diffusa, quacunque littera utatur, versutias diaboli in ejus fraudulentis satellitibus cavere doceatur. Diabolus vero exterminans vocatur, quia et per se, et per suos electos quosque extra terminum spiritualis conversationis ejicere conatur. Sequitur: Væ unum abiit, et ecce veniunt adhuc duo væ. Unum etenim væ est tribulatio quæ sub tuba quinti angeli continetur. Duo reliqua væ sub tuba sexti et septimi angeli sequuntur. Quintus itaque angelus, ordo prædicatorum quintus; stella quæ de cœlo cecidit, diabolus; apertio putei abyssi, effusio peccati; solis et aeris obscuratio, superiorum et inferiorum læsio; locustæ, mali, et præcipue hæretici; prohibitio læsionis, cohibitio tentationis; multiplices locustarum similitudines, diversæ malorum pravitates; unius væ recessio, unius tribulationis cessatio.

CAPUT VII.

De sexto angelo, et tuba ejus.

Et sextus angelus tuba cecinit, et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Domini, dicentem sexto angelo qui habebat tubam: Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate (*Apoc.* IX). Apertione putei abyssi, id est universitate mali quo sancta impugnatur Ecclesia, ante adventum Antichristi superiori capitulo diligenter descripta, in isto consequenter agit de persecutione sub Antichristo ventura. Prædicitur quoque electis ad consolationem immutabilitas æternitatis. Agit denique in hoc eodem capitulo de Elia et Enoch, et eorum prædicatione et morte, et de eorum resuscitatione et glorificatione. Et sextus angelus tuba cecinit, id est sextus doctorum ordo de tempore Antichristi prædicavit. Et audivi vocem unam, id est universalis doctrinæ concordiam, ex quatuor cornibus altaris aurei, id est ex omnibus prædicatoribus Christi, qui eum sublevant et deferunt, quatuor Evangelia prædicando per quatuor partes mundi. Hoc altare dicitur aureum: altare, quia super illud offertur holocaustum humanæ justitiæ; aureum, quia in Christo habitat fulgor divinæ sapientiæ; apte etiam dicitur esse ante oculos Domini, quia Pater in Filio complacet sibi, dicentem sexto angelo qui habebat tubam, id est illis qui, imminente articulo illius persecutionis, ministrabunt ecclesiasticam doctrinam. Universi namque sacræ scientiæ scriptores et prædicatores dies illos prædicunt, et electos maxime prædicatores, qui alios confirmare debent contra crudelitatem illius præmunire contendunt. Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Quatuor angeli sunt universi dæmones per quatuor partes mundi in diebus Antichristi sævientes, et reprobos quosque ad electorum persecutionem commoventes. Qui ab electis prædicatoribus tunc solvi præcipiuntur, quia ab eis solvendi, sive soluti ad bonorum cautelam prædicabuntur. Isti sunt quatuor angeli, qui in præcedenti visione nocere terræ, mari et

Digitized by Google

arboribus prohibi leguntur. Qui modo in flumine magno Euphrate alligantur, quia ne contra genus humanum pro libitu sæviant, per baptismum refrenatur. Qui denique tunc solventur, quia magis contra eos, qui Christiano nomine censentur, effrenari permittentur. Unde sequitur :

Et soluti sunt quatuor angeli qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum ut occiderent tertiam partem hominum. Dæmones etenim tunc parati erunt in horam, et diem, et mensem, et annum, id est in omne tempus continue illius persecutionis, ut occidant tertiam partem hominum, id est omnes qui relinquuntur ad tormentum damnationis. Qui etiam numerum reproborum angelorum ad intelligentiæ spiritualis evidentiam recte subjungit, dicens : *Et numerus equestris exercitus vicesies millies* B *dena millia, audivi numerum eorum.* Diabolus est omnium malorum princeps, cujus milites sunt dæmones, equi militum pravi homines. Hujus exercitus numerus vicesies millies dena millia esse perhibetur, ut vicesies millies contra sanctos novi testamenti, qui quædam præcepta legis et secundum litteram, et secundum spiritualem intelligentiam observant, et dena millia contra antiquos justos, qui legem ad litteram, utpote futurorum tunc figuram, simpliciter observabant, eos belligerare luce clarius manifestentur. In vicenario namque duplex legis observantia, in millenario perfecta justitia, in denario simplex legis figuratur observantia. Talis ergo numerus reprobis angelis apte tribuitur, ut contra quos bellum gerunt aperte demonstretur. *Et ita vidi* C *equos in visione*, id est secundum numerum equorum. Singuli quippe dæmones ad impugnandum electorum numerum, per singulos circumferuntur homines. Sequitur :

Et qui sedebant super eos, habebant loricas ferreas, et sulphureas, et hyacinthinas. Habent dæmones loricas per perplexam astutiam, igneas per ardentem invidiam, sulphureas per fetorem infamiæ, hyacinthinas per fucum et simulationem cœlestis justitiæ : hyacinthus namque cœli habens similitudinem cœlestem vitam significat, et angelus Satanæ nonnunquam in angelum lucis se transfigurat, et sub specie virtutum vitia palliat, ut quos non potest vi, simulatione decipiat. *Et capita equorum erant* D *tanquam capita leonum, et de ore eorum procedit ignis et fumus, et sulphur.* Equi dæmonum multitudo reproborum hominum. Quorum capita sunt tanquam capita leonum, quia suis pravitatibus dilaniant populum fidelem. De quorum etiam ore procedit ignis per malignitatem pravæ suggestionis, et fumus per obscuritatem excæcationis, et sulphur per fetorem vitiositatis et malæ opinionis. Et quoniam non salvandis (quibus omnia cooperantur in bonum) sed damnandis pravorum suggestio nocet, apte subditur : *Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum*, id est universitas damnandorum, de igne videlicet pravæ suggestionis, et fumo excæcationis, et sulphure corrumpentis vitiositatis et fetentis opinionis. Quæ procedebant de ore ipsorum, quia corrumpunt bonos mores colloquia prava (*I Cor.* xv). Sed quia mali non tantum per suggestionem manifestam, verum etiam per occultam fraudulentiam bonis nocere conantur, recte sequitur : *Potestas enim equorum in ore eorum est, et in caudis eorum.* Os namque significat suggestionem manifestam, cauda occultam fraudulentiam, et mali, dum non possunt ore, cauda nocent, quia conantur occulte perficere quod non valent aperte. Quorum fraudulentam potestatem adhuc describens, addit : *Nam caudæ eorum similes serpentibus, qui facie blandiuntur, et occulte venenum infundunt.* Habentes, inquit, capita scilicet in caudis, mali quippe in caudis habent capita ; quia, dum nequeunt in aperta persecutione, in occulta et fraudulenta simulatione nocendi sumunt initia. Et in his omnibus nocent, quia subtiliter et dolose venenum suæ pravitatis infundendo mordent. Sed quoniam in præcedentibus de his qui quamlibet in Deo credulitatem habent, dixit, recte in sequentibus ad eos qui omni fide carent, sermonem convertit. Sequitur :

Et cæteri homines, videlicet pagani, vel etiam Judæi, qui non sunt baptizati, et ab Ecclesia sunt separati, *qui non sunt occisi in his plagis*, id est corrupti his vitiis, *neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut adorarent dæmonia, et simulacra aurea, et argentea, et ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis*, subauditur, perierunt.

Et notandum quod ubi ait, neque egerunt pœnitentiam de operibus manuum suarum ut adorarent dæmonia, ibi incipit redarguere infidelitatem eorum; ubi vero dicit, et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis, ibi redarguit eorum pravam actionem. Illic demonstrat eos esse cæcos, hic demonstrat esse devios. Omnes ergo pereunt quicunque male agunt, nec resipiscunt. Sed quia grandia, gravia et multiplicia illius persecutionis, tribulationis tormenta, fluctuante temporis varietate, fidelibus illata superius præmisit, bene ad consolationem electorum de immutabilitate æternitatis testimonio Christi, ut certius credatur, subsequenter agit : *Et vidi alterum angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite ejus, et facies erat ut sol, et pedes ejus tanquam columna ignis.* Alter angelus Christus; alter, quia a supradictis angelis Satanæ longe diversus. Angelus, quia paternæ voluntatis nuntius; fortis, quia Dei virtus. Qui de cœlo descendit, quia semetipsum usque ad suscipiendam servi formam exinanivit. Amictus fuit nube, quia apparuit in suscepta humanitate In capite ejus erat iris, id est propitiatio divinitatis et reconciliatio humani generis, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Cujus facies erat ut sol; quia, quisquis in eum vera fide credit, non solum eum hominem, sed et Deum esse cognoscit. Pedes ejus tanquam co-

Digitized by Google

lumna ignis, quia prædicatores, qui per totum mundum eum circumferunt recte sunt pedes probati igne multiplicis tribulationis.

Et habebat in manu sua libellum apertum, et posuit pedem suum dextrum supra mare, sinistrum autem super terram, et clamavit quemadmodum leo rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. Ex ipsis indiciis et signis agnoscitur persona Redemptoris. Ipse namque revera libellum apertum in manu habet, quia et in se manifeste complevit promissum quod de ipso sacra Scriptura continet, et quibus vult ejus notitiam præbet. Ipse ponit pedem suum dextrum supra mare, sinistrum super terram, quia suæ potestati subdit populum gentilem in cultura multorum deorum, et in amaritudine multorum vitiorum quondam fluctuantem, et gentem Judaicam in unius Dei fide quondam firmiter solidatam. Super gentes etenim ponit dextrum, quia eos elegit ad beatitudinem; super Judæos sinistrum, quia eos reliquit ad damnationem. Item posuit primo dextrum pedem supra mare, deinde sinistrum super terram, quia primum gentes vocat ad justitiam, et cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit. Ipse clamavit quemadmodum cum leo rugit, quia futuræ damnationis pœnas esse cavendas terribiliter insinuavit. Post cujus quoque clamationem septem tonitrua voces suas locuta sunt, quia post ejus prædicationem evangelistæ et apostoli septiformis Spiritus sancti gratia repleti, futuri judicii terrorem prædicaverunt. Sequitur :

Et cum locuta essent septem tonitrua voces suas scripturus eram. Et audivi vocem de cœlo dicentem : Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, noli ea scribere. Præcepit vox divina signari, prohibet scribi voces septem tonitruorum, quia sic debemus electis propalare, ut reprobis abscondamus dicta et scripta sanctorum. Signa, id est sigilla, ut amicis pateant, et inimicis lateant. *Et angelus quem vidi stantem supra mare et supra terram levavit manum suam ad cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum, et ea quæ in eo sunt; et terram, et ea quæ in ea sunt; et mare, et ea quæ in eo sunt : quod tempus amplius non erit, sed in diebus vocis septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei sicut evangelizavit per servos suos prophetas.* Angelus ad cœlum manum suam levavit, et per eum, qui omnia creavit, quod tempus amplius non esset, sed in diebus septimi angeli consummaretur mysterium Dei juravit, quia Christus ad honorem Patri exhibendum opera justitiæ cœlestis fluctuantis mutabilitatis instabilitatem transituram et æternitatis immobilitatem successuram, et electis pro Christo sub tempore patientibus tribuendam paterno testimonio et suo fideliter, et veraciter affirmavit. Ad consolationem ergo prædicitur et promittitur immutabilitas æterna. Nam reproborum tempus erit in sæcula. Sancti nimirum immortales et impassibiles efficientur, et impii de frigoribus ad calores, et de caloribus ad frigora revertentur. Igitur quod dicit, tempus amplius non erit, non de impiis damnandis, sed de justis glorificandis, et de elementis innovandis intelligendum est, quando omnia fient nova, et post variationem et vanitatem temporis succedet immutabilitas æterna, quæ fiet in revelatione, id est glorificatione filiorum Dei. Exspectatio namque creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat, quia ipsa creatura vanitati, id est mutabilitati subjecta est, et liberabitur in libertate filiorum Dei. Creaturam vocat rerum visibilium corporalium irrationabilium materiam, quæ in libertate, id est liberatione filiorum Dei quando ipsi in fine glorificabuntur, a vanitate, id est mutabilitate, liberabitur, quia in statum permanentis novitatis mutabitur. Tres sunt autem vanitates sive mutabilitates. Prima est in homine, secunda in his quæ fiunt ab homine, tertia ab his quæ facta sunt propter hominem. In homine est vanitas mortalitatis, in his quæ fiunt ab homine vanitas curiositatis, in his quæ facta sunt propter hominem vanitas mutabilitatis. Et quia homo est causa universæ vanitatis, apte scriptum est : *Universa vanitas omnis homo vivens* (*Psal.* xxxviii). Propter has tres vanitates dixit Salomon : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccle.* i). Sublato autem homine de mundo, nulla vanitas mutabilitatis erit in mundo. Unde et hi dicitur : *Tempus amplius non erit*, id est, vanitas mutabilitatis non erit. Credi namque potest quod nec firmamentum volvetur amplius, nec planetæ movebuntur, nec nubes concrescent, nec flumina current, nec ventus spirabit, nec terra germinabit, nec animal generabit. Potest etiam æstimari omnia elementa, id est corpora, ex elementis composita in conflagratione judicii dissolvi, et in elementa reverti, nec amplius corpus ex elementis confici, sed elementa in æternum in sua puritate perseverare. Possumus quoque opinari aerem istum qui modo ex continua agitatione nebulosus est et spissus, in illa ultima conflagratione purgari, subtiliari, clarificari, solemque ultra in eo nullum præ nimia subtilitate posse excercere calorem, sed et mirabilem habere fulgorem, et implebitur quod scriptum est : *Erit claritas lunæ sicut claritas solis, et claritas solis septemplicior quam claritas septem dierum* (*Isa.* xxx). Creatura modo namque vanitati mutabilitatis subjecta ingemiscit et parturit, omnia enim elementa cum labore sua explent negotia, sed hoc est nostri causa. Nobis autem sublatis, quiescent, liberabitur autem creatura in libertatem filiorum Dei. Filii Dei liberabuntur a vanitate mortalitatis, creatura liberabitur a vanitate mutabilitatis. Filii Dei liberabuntur per immortalitatem, creatura per immutabilitatem. Et ne ipsi filii Dei tempore Antichristi diversis persecutionibus afflicti diutina et tarda hujus liberationis exspectatione frangantur, festina et velox ejus exhibitio intimatur, ubi dicitur : In diebus vocis septimi angeli cum cœperit tuba canere, id est in diebus ultimorum prædicatorum, post tempus Antichristi, cum cœperint prædi-

Digitized by Google

care, id est in ipso initio prædicationis eorum, consummabitur mysterium Dei, id est secretum promissum quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod hic in mundo inchoatur, ibi in cœlo consummatur. Sicut per servos suos prophetas evangelizavit, quia illud ab initio per eos suis electis prænuntiavit. Magna ergo erit in diebus Antichristi inter fluctuantis adversa temporis consolatio, electis promissa et cito ventura stabilitas æternitatis. Quæ etiam eo certius ab electis creditur, quod per ipsum Redemptorem tam firmiter testificata describitur : *Et vox*, subauditur sonuit, *quam audivi de cœlo iterum loquentem mecum, et dicentem : Vade, et accipe librum aptum de manu angeli stantis supra mare, et supra terram. Et abii ad angelum, dicens ei ut daret mihi librum. Et dixit mihi : Accipe et devora illum, et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo dulce erit tanquam mel. Et accepi librum de manu angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce. Et cum devorassem illum, amaricatus est venter meus, et dixit mihi : Oportet te iterum prophetare populis et gentibus, et linguis, et multis regibus* (*Apoc.* x). Ne sanctus Joannes ab officio prædicationis suspensus et in exsilio relegatus, de liberatione exsilii, vel de recuperatione amissi officii desperaret, sed semetipsum de utrinsque rei beneficio confortaret, librum de angelo, id est scientiam de Christo accipere præcipitur : et ei quod sacram prædicationem populis, gentibus, linguis et regibus multis ministrare debeat declaratur. Qui in eo quod præceptum statim adimplevit nobis exemplum obedientiæ demonstravit, ut si sapientiam desideramus ab illo qui dat omnibus affluenter, et non improperat, eam postulemus : quod autem liber iste in ore dulcis fuit, sed ventrem amaricavit, hoc designat quod sacrosancta scientia dulcescit quidem in prædicatione, sed gravat et amarescit in exhibenda actione. Sequitur :

Et datus est mihi calamus similis virgæ, et dictum est mihi : *Surge et metire templum Dei, et altare, et adorantes in eo. Atrium autem quod est foris templum Dei et altare ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus* (*Apoc.* xi). Ut adhuc certior de ædificanda per ipsius prædicationem sancta Ecclesia efficiatur, surgere et metiri templum Dei jubetur. Quod enim illi vox divina facere tunc præcepit in revelatione, hoc postmodum egit in prædicatione. Sancta etenim Ecclesia incrementum accipit, secundum quod in seipsa per verbum prædicationis extendit. Quod ergo in revelatione metiendo egit, signum ei futuræ prædicationis fuit. Quæ videlicet prædicatio calamus similis virgæ esse dicitur : calamus quia sonat; similis virgæ quia rectitudinem servat. Quam ad metiendum sumens surgit, quisquis ad prædicandum verbum Dei virtutibus et bonis operibus semetipsum erigit. Quod vero præmittit templum et altare, hoc est quod exponendo subjungit, dicens : *Et adorantes in eo*. Templum namque et altare adorantes fideles signat. Templum infirmiores, altare sanctiores. Templum ad bonam actionem exterius dilatatos, altare contemplationi interius intentos. Hoc templum sive altare metiri præcipitur, quisquis activis sive contemplativis verbum eruditionis ministrare secundum utrorumque capacitatem admonetur. Atrium vero falsi Christiani sunt, qui videntur consecrati eo quod sint baptizati, sed pleni sunt cadaveribus, id est vitiis et pravis operibus. Qui, quamvis fidelibus juncti sunt nomine, longe tamen ab eis sunt actione. Isti denique non comprehenduntur sub mensura calami, quia non subduntur præcepto Verbi. Et dati sunt gentibus, quia conformes facti sunt gentibus. Isti foras ejiciuntur, quoties a fidelibus separati prædicantur. Sequitur :

Et civitatem sanctam conculcabunt mensibus quadraginta duobus. Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis. Postquam superius ad electorum consolationem æternitatem promisit, et sanctum Joannem de prædicatione recipienda certificavit, iterum ad materiam suam redit, et tribulationem sub Antichristo futuram adhuc describens subjungit de Elia et Enoch, et de eorum prædicatione et potestate, et afflictione, et morte, et resurrectione, et glorificatione. Ait ergo : Et civitatem sanctam, id est Ecclesiam, conculcabunt, videlicet persequendo mensibus quadraginta duobus, id est tribus annis et dimidio quibus regnabit Antichristus. Amicti saccis, ut exemplo ostendant pœnitentiam agendam de pravis operibus. Qui quanti sint meriti, quantæque potestatis, in sequentibus declaratur, cum subditur : *Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Duæ olivæ, quia uncti per Spiritus sancti gratiam; duo candelabra, quia lucentes per operationem bonam; in conspectu Domini, quia intendentes voluntati et jussioni divinæ; stantes, per rectitudinem justitiæ. *Et si quis eis voluerit nocere, ignis exiet de ore illorum, et devorabit inimicos eorum.* Si quis eis voluerit nocere, id est a proposito prædicationis cohibere, ignis, id est scientia spiritualis exiet de ore illorum per sonum prædicationis, et inimicos eorum devorabit, quia dignos damnatione comprobabit. *Et si quis voluerit eos lædere*, id est morte corporali occidere, *sic oportet eum occidi*, id est spirituali sententia condemnari. Quantam quoque potestatem in rebus corporalibus habituri sint etiam secundum sensum litteræ manifestatur, cum adjungitur : *Hi habent potestatem claudendi cœlum ne pluat diebus prophetiæ eorum, et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint.* Hæc et multa ex his quæ sequuntur secundum litteram intelligi debere videntur. Magnam igitur habebunt potestatem, sed magis tamen studebunt servare patientiam quam irrogare vindictam. In qua quanto erit in eis laudabilior virtus patientiæ, tanto gloriosior erit retributio coronæ. Sequitur :

Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendet de abysso faciet adversus eos bellum, et vin-

Digitized by Google

cet illos et occidet illos, et jacebunt corpora eorum in plateis civitatis magnæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma, et Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est. Et videbunt de populis, et tribubus, et linguis, et gentibus corpora eorum per tres dies, et dimidium, et corpora eorum non sinent poni in monumentis. Et inhabitantes terram gaudebunt super illis, et jucundabuntur, et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos qui habitant super terram. Et post dies tres et dimidium spiritus vitæ intravit a Deo in eos. Et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super illos qui viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem illis: Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum amicti nube, et viderunt illos inimici eorum. Quia multa in his quæ dicta sunt secundum litteræ sensum intelligenda cernimus, idcirco levius exponendo pertransimus. Et cum finierunt testimonium suum, id est prædicationem suam, bestia, id est Antichristus qui bestialiter sævit, quæ ascendet videlicet ad apicem regni de abysso, id est de profunda et obscura tenebrositate universalis malitiæ, faciet adversus eos bellum multis et diversis disputationibus, et vincet illos, et occidet illos corporaliter, et jacebunt corpora eorum in plateis, ut omnes qui viderint timeant eos imitari et eis conformari, civitatis magnæ, scilicet Hierusalem. Quæ olim fuit magna per justitiam, tunc erit magna per malitiam; quæ spiritualiter, id est secundum spiritualem intelligentiam, vocatur Sodoma, id est muta, et Ægyptus, id est tenebrosus, muta erit a veræ fidei confessione, et tenebrosa in ignorantia et prava actione, ubi et Dominus eorum (cui ipsi servient) crucifixus est corporali passione. Et videbunt de populis, et tribubus, et linguis, et gentibus, quidam oculis, quidam fama, corpora eorum per tres dies et dimidium jacere videlicet super terram, et non sinent poni in monumentis ne eorum memoria habeatur. Et inhabitantes terram, id est terrena diligentes, et hic manentem civitatem habere cupientes, gaudebunt super illis, scilicet occisis, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos qui habitant super terram, contradicendo eorum malitiæ. Cum enim pars illorum, id est bonorum, humiliatur, tunc pars malorum gloriatur, et cum pars bonorum exaltatur, tunc pars malorum contristatur. Sed postquam justorum tribulationem sufficienter descripsit, statim eorum glorificationem subjungit: Et post tres dies et dimidium spiritus vitæ, id est anima vivificans intravit a Deo in eos, et steterunt supra pedes suos, id est resurrexerunt. Et timor magnus ex tam subita resurrectione eorum cecidit super eos qui viderunt eos, videlicet ita glorificatos. Et audierunt Elias et Enoch vocem magnam, id est magnæ potestatis, de cœlo dicentem eis: Ascendite huc, de medio videlicet impiorum ad consortium justorum. Et ascenderunt in cœlum in nube, ut qui Dominum imitati fuerant in sustinenda pro ipso tribulatione, consimiles ei essent in ascensione; et viderunt eos inimici eorum corporaliter scilicet ascendentes in cœlum. Sed sciendum quod ea quæ hic dicuntur per præteritum, intelligenda sunt secundum tempus futurum. Mos est namque prophetiæ sic nonnunquam narrare futura, quasi jam essent præterita. Sequitur:

Et in illa hora factus est terræmotus magnus, et decima pars civitatis cecidit, et occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia. In illa hora scilicet glorificationis eorum factus est terræmotus magnus, quia alii moti sunt ad pœnitentiam, alii ad majorem duritiam. Et decima pars civitatis cecidit, quia malorum turba, Decalogum contemnens, manifeste obdurata damnanda comparuit. Et occisi sunt, id est ad damnandum manifeste relicti, nomina hominum septem millia. Septem, quia universi damnandi; millia, quia in malitia perfecti. Per septenarium namque universitatem, per millenarium intelligimus perfectionem. *Et reliqui*, id est omnes qui non sunt obdurati, *in timorem missi sunt*, id est timuerunt. *Et dederunt gloriam Deo cœli*, suam culpam confitentes, ejus justitiam prædicantes. *Væ secundum abiit*, id est tribulatio tempore Antichristi electis inferenda pertransiit. *Et ecce væ tertium veniet cito*, id est, pavor qui veniet in ultimo judicio. Sextus itaque angelus, prædicatorum ordo sextus; quatuor angeli, dæmones universi; solutio angelorum, permissio ad nocendum; equi eorum, multitudo impiorum; alius angelus, Christus; testificatio finiendi temporis, promissio æternitatis; duo testes, Elias et Enoch; civitas magna, universa malorum turba; occisio hominum, manifesta obduratio damnandorum; reliquorum in timorem missio, salvandorum conversio.

CAPUT VIII.

De septimo angelo, et tuba ejus.

Et septimus angelus tuba cecinit, et factæ sunt voces in cœlo magnæ, dicentes: Factum est regnum hujus mundi Dei nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum. Amen (Apoc. xi). In fine visionis agit de fine temporis, et de præmio justæ retributionis. Et septimus angelus tuba cecinit, id est septimus sive ultimus doctorum ordo prædicavit, et factæ sunt voces, id est exhibitæ sunt Deo laudes justorum salvatione, et impiorum damnatione: in cœlo, id est in sancta Ecclesia cœlesti conversatione sublimata, dicentes: Factum est regnum hujus mundi, id est universitas fidelium quæ adhuc in mundo per tribulationes exercetur, et præparatur ad cœlestium mansionum retributiones, quæ quodammodo nondum perfecte est Dei, quandiu sub mutabilitate temporis, et corruptibilitate mortalitas eam tentando et persequendo affligit versutia hostis Antichristi. Tunc etenim perfecte Dei et Christi, id est divinitatis et humanitatis conregnantis erit, quando de præsenti sæculo sublata solis divinis laudibus in cœlis vacabit, et perfidus hostis nihil de suæ potestatis dominio in eam amplius exercebit. Cujus regni tranquillitas etiam tunc in mundo incipiet, quando Christus Antichristum spiritu

Digitized by Google

oris sui interficiet, et sancta Ecclesia dimidiæ horæ silentio consequenter usque in finem pacificata conquiescet. Unde apte septimo angelo canente, et sanctorum cœtu de justorum salvatione et malorum certissime præcognita damnatione, gratias referente, jam dicitur non fiet, sed factum est, quia extunc fraudulentia et sævitia diaboli penitus deficit, et Deus in suis fidelibus universis perpetua pace et tranquillitate regnabit; in sæcula sæculorum, id est semper. Amen, vere atque fideliter. Vere etenim Deus semper, sicut jam dictum est, regnabit, non, ut quidam hæretici putaverunt, sanctos post definitum tempus in vitam mundi et ad antiquam vivendi consuetudinem redituros. Sciendum denique est quod tribus modis accipitur mundus. Aliter namque, sicut tradunt doctores, intelligitur mundus, cum dicitur Creator mundi; aliter, cum dicitur Salvator mundi; aliter, cum dicitur diabolus princeps mundi. Est itaque mundus cujus Deus creator est, est et mundus cujus Deus salvator est, est etiam mundus cujus diabolus princeps est. Mundus cujus Deus creator, intelligitur universalis fabrica mundi, de qua dicitur: *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est* (*Joan.* I), et cætera. Mundus, cujus Deus salvator est, intelligitur universalis Ecclesia Dei, de qua scriptum est: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (*Joan.* III). Mundus, cujus diabolus princeps est, intelligitur universalis concupiscentia sæculi, de qua dicitur: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt* (*I Joan.* II). Primus itaque mundus, id est universalis fabrica mundi, semper est Dei, nunquam diaboli; tertius vero mundus, id est universalis concupiscentia sæculi, quantum ad pravam actionem, semper est diaboli, quantum ad pravæ actionis dispositionem, semper est Dei. Deus quippe, quamvis mali non sit auctor, ejus tamen est dispositor; quia, licet ab ipso non accipiat ortum, minime tamen illud sub se relinquit inordinatum: et fit miro modo, ut quod ab ipso non habet originem, ab ipso tamen, et secundum ipsum sumat ordinationem. Secundus autem mundus, id est universalis Ecclesia Dei, pro eo quod permittente divina providentia, etiam illi qui ad vitam æternam prædestinati sunt, ad tempus quandoque delinquunt, et quod persecutores, diabolo concitante, in eos qui pie volunt vivere atrociter desæviunt, videntur ab ipso adhuc callide calumniari, acriter impugnari, crudeliter dilaniari, sed firmum manet fundamentum. Novit enim Dominus qui sunt ejus, et his qui secundum propositum, id est prædestinationem, vocati sunt sancti, omnia cooperantur in bonum. Hujus igitur mundi regnum tunc perfecte et manifeste fiet Dei, quando sancta et universalis Ecclesia penitus in omnibus filiis suis liberabitur a tentatione et persecutione diaboli, et etiam in tempore sub tuba videlicet septimi angeli sive potius in æternitate vacabit divinæ laudi et contemplationi. Quod regnum, sicut prælibatum est, nequaquam erit temporale, sed æternum, quemadmodum et hæc sacra pagina testatur, ubi dicitur in sæcula sæculorum. Amen, id est semper et vere. Sequitur:

Et viginti quatuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt dicentes: Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui accepisti virtutem magnam, et regnasti, et iratæ sunt gentes. Et advenit ira tua, et tempus mortuos judicare, et reddere mercedem servis tuis prophetis et sanctis timentibus nomen tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram. Superius præmisit generalem omnium electorum pro collatis beneficiis Deo exhibitam laudationem, nunc subjungit specialem perfectorum, et majorum gratiarum actionem. Dicitur ergo: Et viginti quatuor seniores, id est universi prædicatores, doctores et ecclesiastici judices, et rectores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, quia quæ divino conspectui placita sunt judicant in sibi commissis, ceciderunt in facies suas se humiliando; et adoraverunt dicentes cum recta fide confitendo: Gratias agimus tibi, cui eas soli pro tot et tantis beneficiis debemus. Domine, cui servimus, Deus quem colimus, omnipotens quem timemus, qui es immutabiliter, qui eras semper.

Et notandum quod nequaquam, sicut in aliis hujusmodi locis solet, adjungit, qui venturus es, propter quod in illis diebus cunctis futuri judicii jam præteritis, ipsum judicem jam jamque imminere et supervenire dimidiæ horæ illius peccati præteriti silentio transacto, quamvis diem et horam ignorantes certissime scient: propter quod superius, quemadmodum dictum est, non dixit, fiet regnum mundi Dei nostri, sed factum est; et in sequentibus non dicit, adveniet ira tua, et tempus mortuos judicari, sed advenit. Et quia talis ac tempus sit cui gratiarum actio reddenda sit, manifeste declarat, cum subjungit: Qui accepisti virtutem magnam, secundum humanitatem assumptam, ex mortuis resurgendo, in cœlum ascendendo, et regnasti, tuos contra diabolum defendendo, in virtutibus et bonis operibus eos pie gubernando. Et iratæ sunt gentes, subauditur propter hoc, omnes videlicet mali gentiliter et carnaliter viventes, regnum tuum suo contrarium consurgere, et suum deprimi videntes. Et advenit ira tua, id est justa vindicta quæ est signum iræ, quamvis tu, Domine Sabaoth, omnia cum tranquillitate judices. Et tempus, subauditur venit, mortuos judicari, id est bonos a malis et malos a bonis segregari. Et advenit tempus reddere mercedem servis suis prophetis, id est majoribus et sanctis, timentibus nomen tuum, id est minoribus. Quod, ordine mutato, subjungendo exponit, dicens, pusillis et magnis. Pusillis, sanctis scilicet timentibus nomen tuum, magnis, videlicet servis tuis prophetis. Et subauditur advenit tempus exterminandi, id est condemnandi eos qui corrumpunt terram, vel in se male vivendo, vel in aliis male vi-

Digitized by Google

vendi exempla ostendendo, et sic semetipsos vel alios in corruptionem protrahendo. Ubi autem in fine hujus præsentis capituli dicit tempus advenisse exterminandi eos qui corrumpunt terram, tertium væ designatur, quod in fine superioris capituli dixit cito venturum. Septimus itaque angelus, ordo prædicatorum ultimus in fine mundi prædicaturus; hujus mundi regnum, universitas fidelium; voces factæ, sive gratiarum actiones in cœlo, laudes a sanctis pro salvatione generis humani exhibitæ Deo; tempus mortuos judicari, finis sæculi; merces sanctorum, consortium angelorum; malorum exterminatio, æterna damnatio. In hac ergo visione egit primum auctor de angelo stante ante altare, et thuribulo incensa offerente, id est de Christo orationes fidelium Patri commendante. Deinceps vero usque ad finem visionis egit in singulis capitulis de singulis angelis et singulis tubis.

Nec prætercundum, sed diligenter animadvertendum quod redemptionis humanæ mysteria in secunda visione secundum processum temporis sub apertione sigillorum intelligenda sunt, doctoribus et perfectioribus, adjuvante gratia, per lectionem et meditationem manifestata; in tertia vero sub clangore tubarum minoribus et populis subjectis doctrina et prædicatione declarata. Quæ sicut duabus visionibus succedenter distinguuntur, ita succedenter primum doctoribus, deinde auditoribus distribuuntur. Et de tertia visione hucusque locuti articulos a labore scribendi relaxamus, ut ad quartum percurrendum recentiores procedamus.

LIBER QUARTUS.

DE VISIONE QUARTA.

PROLOGUS.

Deus, cujus potentia cuncta creata sunt, cujus providentia creata subsistunt, cujus gratia ad integritatem corrupta resurgunt, sua mirabili et ineffabili sapientia sanctam Ecclesiam in hac valle lacrymarum multimodis eruditionibus et castigationibus informat, ut justificatam ad cœlestis beatitudinis gaudia perducat. Quemadmodum enim artifex sapiens diversis instrumentis materiam præparat, et præparata materia domum ædificat, sic omnipotens Deus multifarie multisque modis electos suos diversis ænigmatibus et similitudinibus in pagina sacræ locutionis instruit, et par justitiam ad gloriam transponit. Unde et in hac visione sicut et in cæteris diversis figuris nos erudit, et ab exordio redemptionis incipiens, et per processum temporis nos docendo, progrediens usque in finem sæculi, quemadmodum in duabus præcedentibus visionibus fecit, sermonem deducit. Agit autem hæc visio de muliere masculum parturiente, et de dracone parato ad devorandum filium ejus, et de Michaele et dracone, et prælio eorum; agit et de bestia cui draco dedit potestatem suam, et de pugna ejus adversus sanctos, et de alia bestia quæ primam adjuvabat, et de damnatione malorum.

CAPUT PRIMUM.

De templo aperto, et arca visa, et muliere pariente.

Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca ejus in templo ejus. Et facta sunt fulgura, et voces, et terræmotus, et grando magna (Apoc. XI). Cunctis quæ in tertia visione continentur superius secundum seriem temporis descriptis, ad ea quæ in quarta visione continentur narranda progreditur. Et apertum est templum Dei in cœlo. Quid aptius hic in cœlo accipimus per templum quam redemptionis nostræ mirabile sacramentum, in quo salutis humanæ gratia quasi in quodam templo continetur, et per cujus administrationem electis fideliter et sancte quotidie dispensatur? Quid quoque rectius intelligimus per cœlum, quam sacrum eloquium, multis sententiis quasi multis luminariis splendidum, per cœlestem admonitionem sublimiter elevatum, per sensuum multiplicitatem dilatatum et expansum? Templum ergo in cœlo est divinum sacramentum in sacro eloquio. Templum autem in cœlo est apertum, quando, mediatore Dei et hominum veniente in mundum, nostræ redemptionis mysterium in pagina sacræ locutionis est cognitum. Aperto autem templo Dei in cœlo, visa est arca testamenti ejus in templo, quia cognito divino mysterio in sacro eloquio completo, assumptæ humanitatis per verbum arca in qua continetur manna spiritualis gratiæ, et virga rectæ justitiæ, et tabulæ universæ sapientiæ, et scientiæ, ab omnibus electis fideliter est credita et contemplata. Aperto denique templo, et arca visa, facta sunt fulgura, voces, terræmotus, grando magna, quia post completionem mysterii et adventum Christi exhibita sunt miracula, et cœlestis doctrinæ verba prædicata, et quidam moti ad conversionem, quidam autem ad aversionem, et omnes denique reprobi concitati ad persecutionem. Sonus enim grandinis flagellum designat persecutionis. Sequitur:

Et signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim, et in utero habens, et clamat parturiens, et cruciatur ut pariat (Apoc. XII). Secundum ordinem etiam narrationis distinguitur, et succedit intelligentia spiritualis, et effectus exhibitionis. Nam, cunctis quæ supradicta sunt exhibitis, mulier amicta sole apparuit, quia sancta Ecclesia manifeste Christum, qui omnem hominem ve-

Digitized by Google

nientem in hunc mundum illuminat per fidem ipsius, audivit. Quæ et lunam sub pedibus habuit, quia terrena quæ, velut luna per defectum, quotidie decrescunt, propter illius amorem calcavit. In cujus etiam capite corona est duodecim stellarum, quia in suo primordio sive dignitate meruit habere splendorem duodecim apostolorum. Et quia sancta Ecclesia totis viribus laborat ut faciendo voluntatem summi Patris Christi mater fiat, et eum pariat, ut de ipso in fine sine fine gaudeat, bene dicitur: Et in utero habens, et clamat parturiens, et cruciatur ut pariat. Sancta nimirum Ecclesia, quæ Patri sunt placita perficiendo mater Christi efficitur, quia concipit eum, fecundante eam gratia per fidem, parturit per bonam voluntatem, parit per bonam actionem. Possidet natum, et gaudet per æternitatis remunerationem. Dicitur autem parturitio, quasi partus præparatio, quandiu scilicet in utero matris fetus augmentatur, vivificatur et formatur. Partus vero dicitur, quando fetus nascitur. Sancta igitur universalis Ecclesia quæ Christum induit, quæ terrena sub se contemnit, nunc ipsum Christum in utero habens per fidem, et parturiens per bonam voluntatem, clamat per devotam orationem, ut pariat per manifesti operis fructificationem, ipsum eumdem Christum de quo gaudere desiderat per retributionem. Sed quia, crescente sanctæ Ecclesiæ justitia, crevit quoque contra eam antiqui hostis invidia, bene sequitur:

Et visum est aliud signum in cœlo. Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus ejus septem diademata, et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram. Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset filium ejus devoraret. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus, et mulier fugit in solitudinem ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascat illam diebus mille ducentis sexaginta. Et visum est aliud signum a priore longe diversum. In cœlo, quia cognitum in sacro eloquio, draco magnus rufus, id est diabolus, draco per calliditatem, magnus per elationem, rufus per crudelitatem, habens capita septem, per septem principalium vitiorum septiformem tentationem, et cornua decem, per impiorum principium Decalogum legis impugnantium elatam impugnationem. Et in capitibus ejus septem diademata, id est de subversis per septiformem tentationem universalis victoria. Cujus quoque cauda tertiam partem stellarum cœli trahit, quia diabolus damnandam partem animarum etiam illarum quæ sicut stellæ cœli per conversationem in alto manere, et aliis per bona opera videntur lucere, dum non valet per apertam sævitiam, per occultam fraudulentiam, quæ figuratur in cauda, seducit. Quas denique in terram mittit, dum delectationibus terrenorum accendit. Iste etiam draco ante mulierem parituram stat, quia diabolus sanctam Ecclesiam Christum in fructu boni operis parere capientem instanter impugnat. Et cum parit, filium ejus vult devorare, quia Christum per corruptionem operis illi vult auferre. Sed diabolus quod cupit ad id minime pertingit, quia sancta mater Ecclesia in bono opere parit Christum ad resistendum validum, qui regit omnes gentes, spirituales videlicet et carnales, illis reddendo stipendia beatitudinis, istis stipendia damnationis, in virga ferrea, id est in inflexibili justitia. Iste filius raptus est ad Deum, et ad thronum ejus, quia secundum humanitatem ascendit in cœlum, et sedet cum Patre, et regit, et judicat mundum. Et mulier in solitudinem fugit ubi habet locum a Deo paratum, quia, sancta Ecclesia adjuvante, gratia ad spiritualem conversationem, ubi solis divinis intendat, persequente diabolo, recedit; ubi et pascitur diebus mille ducentis sexaginta, quia alitur sacrosancta prædicatione Christi tribus annis et dimidio facta, ne moriatur fame verbi Dei, maxime in persecutione Antichristi tribus annis et dimidio sustentanda. Hæc sub brevitate transcurrimus, ne singulis immorando tibi fastidium generemus. Templum itaque in cœlo apertum, est divinum mysterium in sacro eloquio manifestatum; arca, humanitas assumpta; fulgura, miracula; voces, prædicationes; terræmotus, conversio bonorum et aversio malorum; grando, strepitus persecutionum; mulier, sancta Ecclesia; sol, Christus; luna, mundus; draco, diabolus; filius masculus, Christus; recessus mulieris, secretum vitæ spiritualis; pastus mulieris, doctrina prædicationis.

CAPUT II.

De Michaele, et dracone, et prælia eorum.

Et factum est prælium magnum in cœlo, Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus, et non valuerunt neque inventus est locus eorum amplius in cœlo (*Apoc.* XII). In præcedenti capitulo invidiam diaboli contra sanctam Ecclesiam succensam describit, in isto quanta suffragia contra ipsum habeat patenter subjungit. Sed cum omnes administratorii spiritus, id est angeli in ministerium missi, credantur propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, Michael ex nomine designatur, et aliorum princeps esse describitur, quemadmodum in Veteri Testamento populi Israëlitici, id est videntis Deum princeps memoratur. Et factum est prælium magnum in cœlo, quasi diceretur: Ne timeatis, fideles, si sæviant adversum vos dæmones, inferendo tentationes, concitando persecutiones, quia sancta Ecclesia contra omnia eorum molimina magna habet auxilia, non solum sanctorum documenta doctorum et prædicatorum, sed et suffragia angelorum. Et factum est prælium magnum, quia robustum et longum, in cœlo, id est in sacra Ecclesia, dum detinetur in mundo. Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et angeli ejus, sed illi Ecclesiam adjuvando, isti eam impugnando, illi salubria sugge-

Digitized by Google

rendo, isti noxia consulendo, draco et angeli ejus bonorum exercitum impetendo. Michael et angeli ejus eorum impetum coercendo. Et non valuerunt, draco videlicet et angeli ejus sanctorum spirituum removere suffragia, neque inventus est locus eorum amplius in cœlo, id est, in sancta Ecclesia, ut ei vel auferre justitiam, vel eam possent pertrahere ad culpam. Nam etsi aliquis de fidelibus Ecclesiæ (de his dicimus qui secundum propositum vocati sunt sancti), permittente divina providentia, et diabolica suggerente malitia, aliquando ad tempus in culpam labitur, nequaquam tamen in hoc diabolus vincit, sed vincitur; quia, prædestinatis ad vitam, etiam malum in bonum cooperatur, nec hoc tam sævientis adversarii viribus agitur quam permittentis Dei providia dispositione et resurgentis lapsi cautelam ordinatur. Nullatenus ergo diabolus, vel angeli ejus locum amplius habent, quia nequaquam illos expugnare valent qui cœlestia bona vero corde sitiunt, et ad illa consequenda prædestinati sunt, ut vel eos pro libitu suo in peccatum trahant, vel quandiu velint in ipso detineant. Magis autem cum et hoc divina permissione fiat locus eorum in terra reperitur, id est, in his qui terrena diligunt, et cœlestia bona mereri contemnunt. Unde bene sequitur:

Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram; et angeli ejus cum illo missi sunt. Draco per ardorem invidiæ, magnus per excellentiam superbiæ, serpens per astutiæ calliditatem, antiquus per peccandi veternam consuetudinem, qui vocatur diabolus, id est, deorsum fluens, a bonis videlicet ad malos, et Satanas, id est adversarius, quia impugnat justos, qui universum orbem seducit, inquantum illi divina potentia vires exercere permittit, ipse et angeli ejus de cœlo in terram projiciuntur, quia a salvandorum nociva læsione supernæ pietatis dono, et bonorum angelorum; militantium præsidio refrenati, damnandis terrena diligentibus dominari permittuntur. Istud autem prælium in exordio sanctæ Ecclesiæ describitur factum et visum, quia tunc diabolo dominandi jus antiquum quod in homine per culpam possederat, per gratiam Redemptoris est ablatum. Sed quia dum diabolus deprimitur sanctis spiritibus angelicis sive humanis gaudium, et jubilatio oritur, apte subditur. Audivi vocem magnam. Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri nocte ac die, et ipsi vicerunt illum per sanguinem Agni, et per verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea lætamini cœli, et qui habitatis in eis. Audivi vocem magnam, quia magnam significantem lætitiam. Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, quia per ipsum est remissio peccati, et robur bene operandi, et dominium vitia calcandi, et potestas, antiquitus diaboli, nunc facta est Christi, id est, hominis per Verbum assumpti, quia projectus est, id est, refrenatus est accusator fratrum nostrorum, id est, hominum salvandorum qui illos accusabat, qui accusabiles reddere volebat ante conspectum Dei nostri, quem nil latet, per quod maxime terret, die ac nocte, id est, continue. Et ipsi vicerunt illum, non per se, sed per sanguinem Agni, id est, per fidem passionis Christi, et per verbum testimonii sui, id est per apertam confessionem ejusdem fidei. Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem, quia pro animalibus libenter sustinent mortis amaritudinem, propterea lætamini cœli, et qui habitatis in eis, hoc quod præmittit cœli, exponit, cum subjungit, et qui habitatis in eis, id est angeli sancti, sive sancti per primam stolam glorificati. Magna est etenim lætitia agenda de projectione diaboli et salute generis humani. Sequitur:

Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum habet tempus. Terra significat illos malos qui in uno aliquo et singulari vitio pertinaciter stant, mare vero eos qui per diversorum amaritudinem vitiorum fluctuant. Ad quos utrosque diabolus descendit, quia in ipsis potestatem dominandi accepit. Quibus recte, væ prædicitur; quia, qui modo diabolo decipiente seducuntur, æternæ mortis dolore in futuro cum ipso punientur. Sed et apte dicitur diabolus habere iram magnam, quia videt multos sibi subtrahi, et in locum quem amisit substitui, et quia scit quod modicum tempus habet ut electos ab ingressu patriæ cœlestis retardet, insudat quod potest, unde ardentius ad bellandum grassatur, et eos qui recte vivere volunt expugnare conatur. Michael ergo et angeli ejus, omnes cœlestes ordines; draco et angeli ejus, universi dæmones; salus facta, justificatio humana; projectio draconis, refrenatio antiqui hostis; terra et mare, damnandi; ira diaboli, malitia nocendi; modicum temporis, brevitas vitæ præsentis.

CAPUT III

De persecutione draconis, et fuga mulieris.

Et postquam vidit draco, quia projectus est in terram, persecutus est mulierem quæ peperit masculum. Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis, a facie serpentis (*Apoc.* XII). Videns diabolus sanctam Ecclesiam ad spiritualis vitæ latibula recessisse, et ad munimen sui prædicatorum documenta, et angelorum habere auxilia, et se de cœlo projectum in eo quod in electis dominandi jus amittebat, et se in terram projectum in eo quod nonnisi sola pars damnandorum sibi remanebat, in majorem persecutionem adversus eam exarsit, et totum flumen vitiorum post eam misit, et illam mergere tentavit. Dicitur ergo: Postquam vidit draco quia projectus est in terram, persecutus est mulierem quæ peperit masculum. Sed

Digitized by Google

quia quanto amplius diabolus eam persequitur, tanto illi gratia magis augetur, bene sequitur : Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ ut volaret in desertum locum, ubi alitur per tempus et tempora, et dimidium temporis a facie serpentis. Duæ alæ sunt duo Testamenta, vel vita activa et contemplativa, sive dilectio Dei et proximi. Istis etenim alis mulier in desertum locum in quo alitur per tempus et tempora et dimidium temporis a facie serpentis volat, quia sancta Ecclesia per eas se sublevat, ut ad secretum vitæ spiritualis recedat, ubi pascitur doctrina Christi tribus annis et dimidio facta, ne, ut supra dictum est, moriatur fame verbi Dei, maxime in persecutione Antichristi, tribus annis et dimidio sustinenda a facie serpentis, id est a præsenti tentatione diaboli persequentis. Quæ duæ scilicet alæ apte dicuntur esse magnæ aquilæ, ut per hoc innuatur sanctam Ecclesiam ad cœlestia potenter sublevari, et eadem irreverberatis oculis contemplari. Sequitur :

Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine, et adjuvit terra mulierem, et aperuit os suum, et absorbuit flumen quod misit draco de ore suo. Superius draconem mulierem persecutum dixit, nunc modum persecutionis subjungit. Serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen misit, ut eam a flumine trahi faceret, quia diabolus universitatem vitiositatis ab exordio sanctæ Ecclesiæ inferre conatus est, ut ejus filios ad damnationem pertraheret. Sed terra os suum aperiendo, flumen absorbendo mulierem adjuvat; quia, dum terrena diligentes gratanter suscipiunt quod diabolus suggerit, ipse diabolus eis nocendo a bonorum tentatione ad tempus cessat Et dum ipsi (videlicet boni) a tentatione quiescunt, melius contemplationi cœlestium intendunt. Aliter. Terra mulierem contra flumen adjuvat, quia perfectorum, et in fide stabilium collectio contra tentationem diabolicam fideles Ecclesiæ persequentem unanimiter orat, et quasi ore absorbet flumen, dum orando vincit tentationem. Sequitur:

Et iratus est draco in mulierem, et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu. Quanto magis diabolus vincitur, tanto magis irascitur, et tanto deterius nocere conatur, et dum electos superare minime valet, infideles ad persecutionem commovet. Unde et hic recte dicitur. Et iratus est draco in mulierem, et abiit, et callida scilicet tentatione cessans, et per infideles apertam persecutionem excitans, facere bellum cum reliquis de semine ejus, id est cum fidelibus primitivam Ecclesiam tempore sequentibus et vita imitantibus, qui custodiunt mandata Dei, id est præcepta recte vivendi, et habent testimonium Jesu, id est fidelem confessionem Christi. Persecutio itaque draconis, tentatio antiqui hostis; fuga mulieris, secretum vitæ spiritualis; duæ alæ, duæ vitæ; flumen, tentatio universalis; terra quæ mulierem adjuvit, perfectorum et in fide stabilium congregatio; major ira draconis, augmentata sævitia hostis; prælium cum reliquis de semine ejus, persecutio contra imitatores ejus.

CAPUT IV.

De bestia ascendente de mari.

Et stetit super arenam maris. Et vidi bestiam ascendentem de mari habentem capita septem, et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomina blasphemiæ (*Apoc.* XIII). Postquam diabolus intellexit sanctam Ecclesiam, et doctorum prædicamentis, et angelicis suffragiis, et perfectorum sanctorum suorum, ac in fide immobilium precibus devotis munitam, eam flumine vitiorum, sive occultarum tentationum fraudulentiis impetere aliquantulum tardavit, et ei per infidelem gentilitatem manifestam persecutionem excitavit, unde et in principio præsentis capituli non inconvenienter dicitur, et stetit super arenam maris. Quid etenim convenientius per arenam maris intelligimus, quam gentilitatem ab omnibus divinæ cognitionis et boni operis fructibus infecundam, et diversorum idolorum cultibus, et vitiorum amaritudinibus agitatam? Quæ bene arena dicitur, quia sterilis in bono; maris, quia instabilis et amara in malo. Diabolus ergo dum a sancta Ecclesia per aliqnantulam tentationum intermissionem recessit super arenam maris stetit, quia infructuosam et vitiosam gentilitatem, ut per eam fideles persequeretur attentius calcavit. Omnes gentiles, et maxime principes quotquot in infidelitate sunt relicti, diabolo instigante, Ecclesiam atrociter sunt persecuti. Unde et bene additur : Et vidi bestiam ascendentem de mari. Bestia namque de mari ascendit, quia crudelis gentium principatus inspiratione diabolica in superbia se erexit, quæ etiam habuit capita septem per principum suorum universitatem, et cornua decem, per elationem sacræ legis Decalogum impugnantem. Et super cornua ejus septem diademata, quia non est aliquod in Decalogo præceptum quod per eos non infringatur, et de quo ipsi a diabolo non coronentur. Super cujus videlicet bestiæ capita nomina blasphemiæ fuerunt, quia gentium principes, Christum blasphemaverunt negantes eum Deum, et dicentes eum fuisse magnum. Cujus bestiæ qualitatem manifestius describit, dicens : *Et bestia quam vidi similis erat pardo, et pedes ejus sicut ursi, et os ejus sicut os leonis.* Similis quippe erat bestia, id est gentium principes bestialiter in sanctos sævientes pardo, per variam philosophorum assertionem, et pedes ejus sicut ursi, per impiæ perpetrationis velocitatem et sanctorum conculcationem, et os ejus, sicut os leonis, per eorumdem dilaniationem et occisionem. Sequitur:

Et dedit illi draco virtutem suam et potestatem suam. Virtutem miracula faciendi per incantationem, potestatem alios flectendi per coactionem. Sed quia universæ persecutionis quam impii fidelibus inferunt Antichristus caput et princeps erit per hoc quod cæteris omnibus deterius desæviet, apte de

Digitized by Google

ipso in hoc loco subjungitur : *Et vidi unum de capitibus suis tanquam occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est, et admirata est universa terra post bestiam, et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ, et adoraverunt bestiam, dicentes : Quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea?* Et vidi unum de capitibus, id est de principibus suis, scilicet Antichristum, tanquam occisum in mortem, et plaga mortis ejus curata est, quia Antichristus simulatorie, ut magis decipiat finget se mortuum, et ressuscitatum, quemadmodum Christum. Et admirata est universa terra, id est omnes reprobi terrena diligentes in ipsum credentes; admirata est post bestiam, imitando per infidelitatem et crudelitatem. Et adoraverunt draconem, id est diabolum, qui dedit potestatem bestiæ, id est bestialibus persecutoribus maxime Antichristo. Et adoraverunt bestiam se illi humiliando, dicentes admirando : Quis similis bestiæ? id est quis potest tanta agere, et quis poterit pugnare cum ea, id est voluntati ejus resistere? Tanta namque admiratione reprobi de Antichristo stupebunt, quod neminem illi fidem servando resistere posse putabunt. Sequitur :

Et datum est illi os loquens magna et blasphemias. Et data est illi potestas facere menses quadraginta duos. Et aperuit os suum in blasphemiis ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant. Notandum est, quod ea quæ supra dicta sunt ab eo loco ubi scriptum est, et vidi unum de capitibus ejus tanquam occisum, et cætera quæ in hoc capitulo sequuntur, ad Antichristum maxime referenda sunt. Cujus impietatem adhuc latius describit dum dicit : Et datum est illi os loquens magna et blasphemias, et data est illi potestas facere menses quadraginta duos. Datum est illi os, per divinam permissionem, loquens magna, per jactantiæ magnitudinem, et blasphemias, per divinitatis negationem, et facere menses quadraginta duos, id est tribus annis et dimidio per justorum persecutionem. Et aperuit os suum in blasphemiis ad Deum, quia Christum negabit, blasphemare nomen ejus, id est fidem ejus ; per quam nobis innotescit, et tabernaculum ejus, id est electos Ecclesiæ, qui ei in præsenti vita militant, et eos qui in cœlo habitant, id est eos qui in cœlestibus laudem ejus decantant. Sequitur :

Et datum est illi bellum facere cum sanctis, et vincere illos, et data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem, et adoraverunt eum omnes qui habitant in terra, quorum nomina sunt scripta in libro vitæ et Agni qui occisus est ab origine mundi. Datum est illi, per divinam permissionem, bellum facere cum sanctis, per multiplicem disputationem, et data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem, ut ex omnibus aliquos a fide frangat, et ad infidelitatem trahat, vel a fide suscipienda cohibeat. Et adoraverunt eam, se illi humiliando, qui habitant in terra, terrena diligendo. Quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ et Agni, id est, qui non sunt ad vitam æternam prædestinati. Agni qui occisus est ab origine mundi figuraliter, in fine mundi realiter. Ab origine mundi occisus est, per præcedentium figurarum significationem, in fine per sequentem veritatis exhibitionem. Sequitur :

Si quis habet aures, audiat. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet. Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi, hic est patientia et fides sanctorum. In fine capituli ad electorum consolationem subjungit comminationem contra hostem sævientem. Si quis habet aures, scilicet cordis, audiat, id est, intelligat quæ vindicta sequatur Antichristum. Qui in captivitatem duxerit, id est, qui ad infidelitatem traxerit, vel corporaliter propter fidem Christi exsilio relegaverit, vadet in exsilium, vel captivitatem per æternam damnationem, qui gladio, videlicet malæ persuasionis, vel gladio materiali fidelem occiderit, oportet eum gladio occidi, quia spiritu oris Christi interfectus peribit. Hic est patientia et virtus sanctorum, scilicet in tolerantia malorum. In adversis enim illi qui vere boni sunt probantur, et qui occulti sunt manifestantur. Bestia ergo ascendens de mari, gentium principatus ; unum de capitibus ejus, Antichristus; bellum cum sanctis, disputatio de Scripturis ; victoria ejus, occisio corporalis.

CAPUT V.

De bestia ascendente de terra.

Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco, et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus. Et fecit terram et habitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis (*Apoc.* XIII). Videns diabolus sanctam Ecclesiam donis cœlestibus, et multis virtutibus et auxiliis munitam, et supra petram, quæ Christus est, firmiter fundatam, non uno modo nocendi, sed diversis aggreditur, et eam expugnare conatur. Unde, qui per bestiam ascendentem de mari impugnare eam in superiori capitulo legitur, et per bestiam ascendentem de terra eam impetere in isto capitulo perhibetur, quia non solum per crudeles gentium principes, verum et per falsos falsorum christianorum magistros et reges ejus quietem frequenter pulsat, et per illos eam nonnunquam turbat. Quemadmodum namque bestiam ascendentem de mari, sævos gentium principes diversis diversorum idolorum cultibus more maris fluctuantes accipimus, ita congrue per bestiam ascendentem de terra impios falsorum Christianorum rectores in una credulitate (quamvis sibi inutili) stabiliter ad modum terræ permanentes intelligimus. Mare quippe gentiles, quia per diversa fluctuant; terra, christiani etiam falsi, quia in unius Dei credulitate perseverant. Sed utrorumque dominatores per superbiam super se ascendentes recte bestiis comparantur, quia bestialiter sanctos persequuntur. Et quoniam tam hi quam illi Antichristo servire ; et ipsum caput malitiæ habere probantur, bene in utrisque capitulis post bestias An-

Digitized by Google

tichristi, incipientes blasphemiæ, et crudelitates memorantur. Quia igitur diabolus non tantum per paganos, sed etiam per falsos christianos Ecclesiam persequitur, apte post bestiam ascendentem de mari, bestia ascendens de terra videtur. Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, aliam per dissimilitudinem, bestiam per crudelitatem, ascendentem, per elationem, de terra, id est, de collegio eorum qui servant suæ assertionis immobilitatem. Et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco. Falsi christiani duo habent cornua Agni similia, quia habent duo Testamenta, unum per significationem, aliud per exhibitionem Christum prædicantia; habent, inquam, per scientiæ cognitionem, non per vitæ sanctitatem. Qui loquuntur sicut draco, quia per impiam suasionem concordant diabolo. Qui etiam omnem potestatem bestiæ prioris in conspectu ejus faciunt, qui Antichristum, qui maxime per primam bestiam figuratur imitando, per effectum pravi operis quæ placita sunt diabolo perficiunt. Sequitur : Et fecit terram, et inhabitantes in ea adorare bestiam primam. Hoc quod præmittit, dicens, terram; hoc exponit subjungens, habitantes in ea. Per terram namque homines figurantur. Primam itaque bestiam homines secunda adorare facit, quia reproborum christianorum perversa collectio impietati et superbiæ Antichristi, qui specialiter per primam bestiam in uno capite ejus quasi occiso et curato signatur, quos potest subdit, quod autem hæc quæ hic de prima bestia dicuntur ad Antichristum specialiter referenda sint, manifestat, cum subjungit : Cujus curata est plaga mortis. Quemadmodum enim in præcedenti capitulo dictum est, ut magis fallat se simulabit occisum, et per divinitatis potentiam resuscitatum. Sequitur :

Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum, et seducit habitantes in terra per signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra ut faciant imaginem bestiæ quæ habet plagam gladii, et vixit. Et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ, et faciat ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ occidantur, et faciet omnes pusillos et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos habere characterem in manu dextra, aut in frontibus suis, et ne quis posset emere aut vendere, nisi qui habet characterem bestiæ, aut nomen, aut numerum nominis ejus. Multa et magna mala quæ per Antichristum, et ministros ejus perpetranda vidit, in paucis verbis breviter hic comprehendit. Secunda ergo bestia quæ de terra ascendit signa magna fecit, quia universus illorum qui de Christo ad Antichristum convertentur magistratus, propter notitiam Scripturarum callidior, falsis miraculis, cooperante diabolo, coruscabit, quibus prædicationem suam apud apostatas homines roborabit. Faciet etiam ignem de cœlo descendere in terram in conspectu hominum, ut stupore tanti miraculi quoslibet in fide infirmos a Christo trahat ad Antichristum. Qui seducet habitantes in terra, id est cœlestibus præponentes terrena, per signa quæ data, id est, permissa sunt illi facere in conspectu bestiæ, id est Antichristi, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, se conformando illius impietati, bestiæ quæ habet plagam gladii, per simulationem occisionis, et vixit per simulationem resurrectionis. Et datum est illi, per divinam permissionem, ut daret, per ignis descensionem, spiritum, videlicet malignum, imagini bestiæ, conformantis impietati antichristianæ, et ut loquatur imago bestiæ, variis scilicet linguis, sicut per Spiritum sanctum datum est apostolis. Et faciet ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, per exhibitionem honoris, occidantur, morte corporis. Aliter, faciet imaginem Antichristi materialem, sicut nos corpoream Salvatoris imaginem, et illam imaginem per incantationes faciet loqui, et per hoc homines seduci, et adorare contemnentes occidi. Et quia cogent homines non solum ad tenendam observantiam illius nefandæ religionis, sed ad tenendam novam consuetudinem negotiationis, apte subditur : Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos habere characterem, scilicet nominis Antichristi in manu dextra, aut in frontibus suis, ut manifeste videatur, et potior ad Antichristum pertinere cognoscatur. Quare hoc? Ne quis scilicet posset emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus, ut plures hac necessitate constringantur, et Antichristum adorare cogantur. Magna ergo erit et gravis anxietas populi fidelis, qui respuet portare characterem, et nomen, et numerum nominis. Numerus nominis ejus dicitur numerus ille, qui in litteris quibus nomen ejus scribitur continetur. Sequitur.

Hic est sapientia. Quia res obscura est attentos facit : *Qui habet intellectum computet numerum bestiæ*, id est, computet numerum qui ex significatione litterarum constituitur, quibus nomen ejus scribitur. Et quod possit computari, apte declarat, cum subjungit : *Numerus hominis est*, qui videlicet potest numerari ab homine, non Dei, cujus sapientiæ non est numerus, quamvis ipse tamen per hunc se Deum velit æstimari, et ut nos hujus numeri cognitioni viciniores faciat, ipsum nobis evidenter manifestat, dicens : *Et numerus ejus est sexcenti sexaginta sex.* Sed ut virtutem hujus numeri clarius agnoscamus, secundum sanctorum doctorum traditionem diligentius illum discutiamus. Dicunt enim quod cum liber iste Græce sit editus, secundum Græcos numerus ipse sit quærendus, apud quod omnes litteræ numerum habent significare. Nomen ejus Græce antemos dicitur, quod *contrarius* interpretatur. In hoc nomine significat, a, unum, n, quinquaginta, t, trecenta, e, quinque, m, quadraginta, o, septuaginta, s, ducenta. Quorum omnium summa, sexcenta sexaginta sex constituit.

Digitized by Google

Sunt et alia ejus nomina, quorum hujusmodi interpretatio hunc eumdem numerum reddit. Sed nos plurima prætermimus, quia præsenti brevitati pauca sufficere videmus. Cur vero talis numerus Antichristo conveniat citius demonstratur, si ejusdem numeri qualitas subtilius attendatur. Sex perfectionem significant. Possumus autem per senarium, minimam perfectionem accipere, et per sexagenarium, mediocrem, et per sexcentenarium, maximam et consummatam perfectionem intelligere. Merito itaque tali numero describitur, qui et in omni gradu malorum perfecte malignus, et in omni gradu bonorum bonitati perfecte contrarius invenitur. In utrorumque enim triplici gradu perfecte pro viribus inardescet, et utrobique perfecte vires suæ malignitatis extendet. Et sic providebit minima mala incipere, mediocria provehere, ut maxima non designat manu tenere, et e converso incipientia bona atterere, crescentia impedire, ut summa et perfecta secundum possibilitatem non cesset minuere. Bene ergo sub tali numero comprehenditur, qui et in minimis, et mediocribus, et summis malis perfecte malus, et qui contrariorum bonorum perfectioni perfecte contrarius invenitur. Secunda igitur bestia, falsorum christianorum falsus principatus; bestia prima in hoc capitulo, Antichristus; descriptio bestiæ, descriptio Antichristi bestialiter sævientis contra fideles Ecclesiæ.

CAPUT VI.

De Agno, et centum quadraginta quatuor millibus.

Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis (*Apoc.* XIV). Superius gravissimam persecutionem ab Antichristo et ab ejus discipulis tam a falsis christianis quam gentibus inferendam sanctis descripsit, nunc Christum adjutorem cum sua familia subjungit. Et ut magis electos suos afflictos consoletur, illos qui apud Deum merito sunt sublimiores, videlicet qui per incorruptionem virginitatis, simul et per tormentum passionis Agno cœlesti meruerunt sociari, designare videtur. Illi etenim apud Deum sunt digniores, qui his duabus virtutibus nitilant, quia et ei præ omnibus appropinquant. Tales quippe eum quocunque ierit sequuntur, quia non solum per integritatem corporis, sed per amaritudinem passionis imitantur. Et vidi per spiritualem, scilicet intelligentiam, et ecce Agnus, per innocentiam stabat, quasi paratus ad adjuvandum, supra montem Sion, quia transcendit excellentiam fidelium ipsum contemplantium. Et cum eo, quia ei per justitiam conformes, stabant, subaudi, quia et ipsi sunt auxiliatores, centum quadraginta quatuor millia, id est omnium martyrum carne incorruptorum agmina. Quæ bene dicuntur centum quadraginta quatuor millia : centum, propter patriæ cœlestis exspectationem; quadraginta, per legis et quatuor Evangeliorum completionem; quatuor, per quatuor virtutum exercitationem; millia, per totius justitiæ consummationem. Et quia istorum numerorum rationem superius latius exposuimus, nunc eam iterare non curamus. Sed diligenter est notandum quod ipsa centum quadraginta quatuor millia supra montem Sion consistunt, quia aliorum fidelium sublimitatem transcendunt. Habentes nomen ejus, id est fidem qua vocantur Christiani, et nomen Patris ejus, id est fidem, qua vocantur filii Dei, scriptum per interminabilem perseverantiam, in frontibus suis, per confessionem manifestam. Et bene primum nomen Agni, deinde nomen Patris ejus ponit, quia nemo nisi per mediatorem Dei, et hominum ad Patrem venit. Quorum etiam justitia et dignitas magnifica et multiplex in sequentibus post fidem, prædicatam describitur. Sequitur :

Et audivi vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni. Et vocem quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem Dei, et ante quatuor animalia, et seniores. Et audivi vocem de cœlo, vox significat divinam admonitionem, cœlum, supra dictos perfectos qui cum Agno sunt per cœlestem conversationem. Vox ergo de cœlo venit, quia divina admonitio a perfectis ad imperfectos descendit. Quæ vox apte tanquam vox aquarum multarum dicitur esse, quia sanctorum integritate virginitatis et merito passionis candentium, et ministerio prædicationis, jubiloque divinæ laudis canentium universitas ex multis populis colligitur. Quæ quoque recte tanquam vox tonitrui magni esse perhibetur, quia reprobis terribiliter damnationem comminatur. Et quia non solum voce, sed et actione ea quæ recta sunt prædicant, bene subjungitur. Et vocem quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis. Cithara quippe quæ manibus pulsatur ut sonum reddat, bonam actionem quæ manibus congrue efficitur significat. Et bene cum dixisset citharis, addit suis, non alienis. Hoc est enim quod dicit Apostolus : *Opus suum unusquisque probet, et sic in semetipso gloriam habebit, et non in altero* (*Galat.* II). Sed et quia ex his quæ dicunt aut faciunt non se commendant, sed auctorem et largitorem boni laudant, recte additur : Et cantabant quasi canticum novum ante sedem Dei, et ante quatuor animalia et seniores. Sancti namque post illa quæ supradicta sunt ante sedem Dei canticum cantant, quia pro acceptis beneficiis divinam bonitatem laudant. Quod canticum non novum, sed quasi novum ideo dicitur, ut usque ad glorificationem corporum ejus imperfectio intelligatur. Tunc etenim vere et perfecte erit novum, quando post generalem resurrectionem, secundum utramque naturam nostram erit consummatum. Tunc vera erit novitas, quando tota perierit vetustas. Ante sedem Dei, id est in præsentia angelorum in quibus Deus residet, et per quos judicia sua exercet. Ante quatuor animalia,

Digitized by Google

id est, in præsentia universorum prædicatorum et ante seniores, scilicet in præsentia judicum ecclesiasticorum. Dicat ergo sanctus theologus, secundum cœlestem visionem sanctorum cum Christo nos adjuvantium describens dignitatem, et audivi vocem, scilicet per divinam admonitionem, de cœlo, id est, de his qui in cœlestibus habent conversationem, tanquam vocem aquarum multarum, quia ex multis populis congregantur, tanquam vocem tonitrui, quia reprobis damnationem minantur, sicut citharœdorum, per bonam operationem, et cantabant quasi canticum novum, per gratiarum actionem, ante sedem Dei, et ante quatuor animalia, et seniores, id est, præsentiam angelorum, videlicet sanctorum spirituum, et hominum per quos Deus sua judicia exercet, et mysteria multiformiter complet. Sed et quod nemo illorum meritis coæquari possit, luculenter ostendit, cum subjungit : *Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia.* Nemo poterat canticum dicere, quia nemo alius potest ad meritum illorum pertingere : *Qui empti sunt de terra*, id est sanguine Christi redempti, et elevati de terrena concupiscentia. Quorum virtutem evidentius distinguit, cum dicit : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque ierit.* Ubi dicit, virgines enim sunt, aperte testatur in ipsis integritatem virginitatis. Ubi addit, hi sequuntur Agnum quocunque ierit, adjungit etiam meritum passionis. Illi nimirum eum quocunque ierit sequuntur, qui eum in utroque imitantur. Si quis vero hoc quod in hoc capitulo de centum quadraginta quatuor millibus secundum utramque virtutem referri dixerit, nequaquam a rectitudine sententiæ deviabit. Ipsi nempe illum quocunque ierit sequi creduntur, qui illum imitari mentis et corporis incorruptione probantur. Quorum laudem adhuc sublimius attollit, dicens : *Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo, et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium. Sine macula sunt ante thronum Dei.* Ex omnibus sive ex hominibus primitiæ Deo et Agno sunt empti, quia sanguine Christi redempti, et merito excelsi apud Deum, et si non tempore, tamen dignitate sunt primi. In quorum ore non est inventum mendacium, propter sinceram confessionem veritatis, et sine macula sunt ante thronum Dei, per inviolatam observantiam castitatis. Sancti igitur in persecutione constituti, nequaquam debent trepidare, dum se cognoscunt talem ac tantum adjutorem cum familia tantæ dignitatis habere. Agnus itaque Christus ; mons Sion, sublimitas fidelium ; centum quadraginta quatuor millia, virginum agmina ; vox tonitrui, terribilis comminatio damnationis, citharæ, effectus boni operis ; canticum, gratiarum actio pro acceptis beneficiis ; emptio de terra, redemptio de terrena concupiscentia.

—

CAPUT VII.

De tribubus angelis succedenter prædicantibus.

Et vidi alterum angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum, dicentem voce magna : Timete Deum et date illi honorem, quia venit dies judicii, et adorate eum qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum (*Apoc.* XIV). Descripta superius gravissima persecutione Antichristi par duas bestias fidelibus inferenda, et ad consolationem electorum descripta excellentia Agni cum sua familia, consequenter adjungitur admonitio, ut ad Christum accedamus, et prophetia de ruina Babylonis, ne in ejus gloria confidamus, et comminatio damnationis adorantibus Antichristum, ut illi servire timeamus. Quæ cuncta ministerio trium angelorum perficiuntur, propter fidem sanctæ Trinitatis, et sacramentum trium principalium virtutum, fidei, spei et charitatis. Universi namque prædicatores qui per angelos significantur, recte ternario figurantur, quia licet per diversa tempora succedenter, tamen unanimiter fidem individuæ Trinitatis prædicant, et sacramentum trium principalium virtutum electis commendant. Qui uno atque eodem Spiritu qui singulis prout vult dividit aspiranti, diversis modis mundo verbum salutis intonant, et singulis ea quæ recta sunt administrant. Unde et primus in hoc capitulo angelus secundum suum officium ut verum Deum adoremus suaviter innuit. Secundus ruinam Babylonis prædicit. Tertius bestiam adorare prohibet, et adorantes de pœna terret. Sed licet unusquisque suum donum a Deo habeat, et suum modum in dicendo et docendo teneat, omnes tamen unam unius sacramenti redemptionis humanæ virtutem prædicant, et per justitiam ad unam patriam veniendum clamant. Et vidi alterum angelum, id est ordinem prædicatorum, alterum a Christo quantum distat servus a Domino, volantem, per celeritatem et sublimitatem prædicationis, per medium cœlum, id est, Ecclesiam virtutibus altam et lucidam splendore cognitionis divinæ. Habentem Evangelium æternum, per promissionem æternitatis, ut evangelizaret per officii sui administrationem, sedentibus super terram, id est electis suaviter in Deo quiescentibus per terrenæ cupiditatis subactionem. Illis etenim annuntianda sunt æterna dona, qui potenter norunt subigere terrena. Et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum. Et in hoc loco quemadmodum in multis locis fieri solet, et pro, id est, ponitur. Exponit enim quod præmisit, dicens, sedentibus super terram, cum subjungit, et super omnem gentem et tribum, et linguam, et populum. Ipsi sunt namque etiam secundum litteram qui sedent super terram, id est super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum. Super omnem, non super unam tantum, quia divina gratia ex omnibus eligit, et ad regnum perducit.

Digitized by Google

Et notandum, quod dicit super, quia omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum. Dicentem magna voce, id est magna admonitionis intentione. Sequitur : Timete Deum, casto videlicet amore, et date illi honorem, laudis decantatione, et boni operis exhibitione, et videte ne deficiatis, quia venit dies judicii ejus ut puniantur persecutores vestri, et vos recipiatis præmium meriti. Et adorate eum qui fecit cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum ; adorate eum, per fidem rectam, qui fecit ea, quæ dicta sunt, per potentiam. Qui fecit non solum cœlum et terram, et mare, id est, maxima; sed et fontes aquarum, id est minima. Dignus est enim fide et veneratione, qui hæc omnia pro nobis dignatus est creare. Sequitur : *Et alius angelus secutus est, dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna civitas, quæ a vino fornicationis suæ potavit omnes gentes.* Postquam superius admonuit ut ad Christum recta fide accedamus, statim affirmat ruinam Babylonis, id est, mundanæ confusionis, ne in ejus gloria confidamus. Et alius angelus secutus est. Alius angelus, ordo prædicatorum alius. Alius, modo vel ordine docendi, angelus officio, prædicandi. Dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa civitas magna. Bis ponit cecidit, quia universitas malorum in confusione præsentis sæculi fluctuantium dupliciter ruit. Qui idcirco præteritum ponit quia quod futurum est tam certe et firmiter velut præteritum ostendit. Cadit itaque Babylon mala cogitando, cadit mala perpetrando, cadit in mundo, cadit in inferno, in mundo per pravam actionem, in inferno per æternam damnationem. Civitas, quia perverso dogmate munita, magna multitudine et superbia. Quæ in vino iræ fornicationis suæ, id est, zelo iræ quo contra Christum est irata, et cum Antichristo fornicata, potavit omnes gentes, id est corrupit omnes gentiliter vivere cupientes. Nemo ergo in ejus gloria confidere debet, dum certum est, quod cadet. Sequitur :

Et angelus tertius secutus est eos, dicens voce magna : Si quis adoraverit bestiam, et ejus imaginem, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei qui mistus est mero in calice iræ ipsius. Postquam in præcedentibus admonuit, ut Christo vero auxiliatori nos jungamus, et ne in gloria ruituræ Babylonis confidamus, succedenter adjungit comminationem pœnæ adorantibus Antichristum, ut illi servire timeamus. Et angelus tertius secutus est eos, id est, ordo prædicatorum sanctæ Trinitatis fidem, et trium principalium virtutum sacramentum docentium, secutus est, ordine temporis, non imitatione credulitatis. Dicens voce magna prædicationis instantia : Si quis adoraverit, per impiam fidem, bestiam, id est, Antichristum qui est bestia per crudelitatem et ejus imaginem, faciens se ejus imitatoribus conformem, et acceperit characterem, id est, sigillum nominis ejus in fronte per apertam confessionem aut in manu sua, per pravi operis exhibitionem, et hic bibet, subauditur sicut Babylon de vino iræ Dei, damnationem videlicet æternam, quam Deus propinat iratus, quod mistum est mero, id est pura vindicta, in calice ipsius, id est in judicio ipsius. Et bene ait mistum, propter diversum diversorum cruciatum in uno perditionis loco patientium. Sequitur :

Et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni. Et fumus tormentorum ejus in sæcula sæculorum ascendet. Nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam, et imaginem ejus, et si quis acceperit characterem nominis ejus. Quod superius dixit, bibet de vino iræ Dei, hoc exponit cum subjungit, dicens : Et cruciabitur igne et sulphure, et quemadmodum supra dictum est peccatorum pœnam notando bibet, id est, cruciabitur, igne et sulphure, ardente fetore ; quia, qui hic per fetidam luxuriam exarserit, ibi fetidum ardorem sustinebit, et hoc in conspectu sanctorum angelorum, et ante conspectum Agni, ut magis erubescat, et erubescendo majorem dololorem habeat. Et fumus tormentorum eorum, id est, tenebrositas quæ ipsos malos operiendo super ipsos erit, in sæcula sæculorum ascendent, quia in æternum perseverabit, nec habent requiem die ac nocte, id est continue, qui bestiam adoraverunt, per reprobam illius fidem, et imaginem ejus, per satellitum ejus ei conformatorum venerationem. Et si quis acceperit characterem nominis ejus, subauditur non habebit requiem, sed cruciabitur per æternam damnationem. Sequitur :

Hic est patientia sanctorum qui custodiunt mandata Dei, et fidem Jesu. Hic scilicet in non accipiendo characterem nominis ejus, quia propter hoc patientur sancti tribulationem, et pertingent ad beatitudinem. Qui custodiunt mandata Dei, Deum et proximum diligendo, et fidem Jesu, eum verum Deum credendo et confitendo. Sequitur : *Et audivi vocem de cœlo dicentem : Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur.* Quia superius descripsit gravissimam persecutionem ab Antichristo inferendam, nunc in fine hujus capituli consolatur per quietem beatitudinis eos qui pro Christo et in Christo gustant amaritudinem mortis. Dicit ergo : Et audivi vocem de cœlo, id est, de cœlesti visione, dicentem mihi : Scribe non solum scilicet in corde tuo, sed et in pergameno, et in audienti populo. Scribe, ne cito transvolet, quod ad consolationem electorum usque in finem perseverare debet. Beati mortui qui in Domino moriuntur, id est in fide, et in confessione Domini, per primam stolam jam acceptam beati, per secundam accipiendam beatificandi. Quasi superiora recolligens, dicat : Audistis in superioribus capitulis gravissimam persecutionem, sed nolite formidare pro Christo sustinere mortem, quia per hanc attingetis ad beatitudinem. Et ut evidentius beatos ostendat, Domino hoc testante, confirmat. Nam dicit, amodo, id est, ab ipsa morte, jam dicit, spiritus, id est, sancta Trinitas quæ unus est Deus, ut requiescant, accepta

Digitized by Google

beatitudine, a laboribus suis, a transacta tribulatione. Per quid autem ipsam requiem consequantur ostendit, cum subjungit : Opera enim illorum, id est, retributiones operum, quæ fecerunt in tempore, sequuntur illos, in æternitate. Qui enim in præsenti sæculo bene operatur, ipse in futuro salvatur. Nemo namque, si tempus operandi habeat, sine operibus se posse salvari credat. Fides enim sine operibus mortua est, si habeat tempus operandi · nam si tempus non posset habere, sufficit sola cum fide voluntas. Magna ergo, et egregia hic describitur consolatio de his qui moriuntur in Domino, nec debet timere talem mortem, qui se sperat per eam posse pertingere ad beatitudinem. Tres itaque angeli succedenter prædicantes, universi prædicatores fidem sanctæ Trinitatis, et sacramentum trium præcipuarum virtutum in sancta Ecclesia docentes; Babylon, mundus; bestia, Antichristus; malorum cruciatio, æterna damnatio; morientium in Domino beatitudo, cœlestis retributio.

CAPUT VIII.

De angelo Christum signante et de judicio.

Et vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem Filio hominis similem, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam (*Apoc.*, XIV). Ostensa superius remuneratione bonorum per quam invitat ad eorum consortium, supponit damnationem impiorum, ut per terrorem ducat ad idem propositum. Et notandum quod in ultimo capitulo hujus visionis, quemadmodum et in aliis visionibus agit de fine temporis. Sic enim ipsa sacra theologia seriem ordinat, ut a principio nascentis Ecclesiæ usque in finem temporis eam deducat, describens multiplices justorum tribulationes et patientium retributiones. Et vidi, et ecce nubem candidam, et supra nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcem acutam. Et vidi per intelligentiam spiritualem, nubem candidam, id est, assumptam humanitatem, et super nubem sedentem, ipsum videlicet Christum secundum eminentem, et regnantem divinitatem, similem Filio hominis, quia jam impassibilis et immortalis factus, metas humanæ fragilitatis transcendit. In hoc enim quodammodo non jam filius, sed similis Filio hominis in sacra visione apparuit, quod a morte impassibilis et immortalis resurrexit. Habentem in capite suo coronam auream, coronam per æternitatis infinalitatem, auream, propter sapientiæ claritatem, et in manu sua falcem acutam, id est, judiciariam sententiam, habet coronam, ut justos coronet, habet falcem acutam, ut injustos condemnet. Talis nimirum judex omnium in sacra visione describitur, ut per ipsam descriptionem, et bonis et malis debita stipendia redditurus agnoscatur. Sequitur :

Et alter angelus exivit de templo clamans voce magna ad sedentem super nubem : Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. Angelus iste sanctorum perfectorum diebus devote supplicabit. Qui recte dicitur alter angelus, alter per minorem dignitatem, angelus, per sacram prædicationem. Qui per hoc quoque de templo exit, quod minoribus, et inferioribus electis vitæ merito, vel officio prædicationis eminebit. Qui etiam voce magna clamabit, quia diem judicii venire, et liberationem, et glorificationem justorum magnis desideriis optabit et orabit. Mitte falcem tuam, id est exerce judicium, et mete, id est, collige de terra genus humanum, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ, id est, completo numero tuorum jam consummata est, nec habet ultra locum nequitia malorum. In hoc etenim malorum universitas adhuc locum habet, et virescit, et per illationem adversitatis bonis ad exercitium et augmentum virtutum utilis existit. Quæ tunc penitus exarescet, nec amplius æternæ salutis sanctis ipsos tribulando fructum feret, cum in fine eorumdem sanctorum numero completo ab eorum utilitate sterilis erit in mundo. Quæ denique malorum universitas apte designatur nomine terræ, quia terrenis semper studet inhærere. Sed quia Salvator noster precibus suorum benigne intendit, et sine mora quando salubriter rogatur, implere satagit, congrue subjungitur : *Et misit qui sedebat super nubem falcem suam in terram, et messuit terram.* Angelus quippe qui supra nubem sedit, altero angelo rogante falcem in terram misit, et terram messuit, quia justus Judex in fine temporis orantibus sanctis judicium exercebit, et terrigenas de terra succidet. Et quoniam sanctorum apostolorum numerus cum ipso judice sedebit, et cum ipso mundum judicabit, recte additur. Et angelus alius exivit de templo quod est in cœlo, habens falcem acutam. Iste nimirum angelus alius beatorum apostolorum convenienter intelligitur cœtus, qui est angelus, propter prædicationem, alius, secundum dignitatem. Qui et ipse de templo exit, quia culmen sanctæ Ecclesiæ etiam cœlesti conversatione constitutæ apice suæ dignitatis transcendit. De quo denique dicitur, quod et ipse cum angelo super nubem sedente habuit falcem acutam, quia cum Christo exercebit judiciariam potestatem. Sequitur :

Et alter angelus exivit de altari, qui habet potestatem super ignem, et clamabat voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens : Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ quoniam maturæ sunt uvæ terræ ejus. Per istum alterum angelum, beatorum angelorum intelligimus populum. Qui non solum de templo, sed et de altari exivit quia non tantum electos Ecclesiæ, sed etiam ipsum Redemptorem secundum humanitatem assumptam natura immortalis conditionis transcendit. Scriptum est enim de ipso Redemptore nostro, secundum humanitatem carnis quam de nobis pro nobis assumpsit : *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (*Psal.* VIII). Qui angelus potestatem super ignem habet, quia dæmonum et pravorum hominum ardentem rabiem coercet. Qui etiam ad habentem falcem voce magna clamabat, quia et ipsa angelica dignitas votis omni-

Digitized by Google

cœtum exprimit, qui pro acceleratione adventus judicis, et pro tribulatis electis liberandis in ultimis hus, ex amore et desiderio glorificandorum hominum de exercendo et exerendo judicio judicem exorabit. Mitte falcem tuam acutam, et vindemia botros vineæ terræ. Per messem terræ, et per botros vineæ terræ, eosdem malos intelligimus, sed tamen per vincam, illos qui a diabolo ad modum vineæ ad fructificationem mali majori studio excoluntur determinatius habemus. Qui et ipsi cum messione messis terræ vindemiabuntur, quia cum aliis minoribus reprobis damnabuntur. Mitte falcem tuam acutam, id est, exerce judiciariam sententiam et vindemia botros vineæ terræ, id est, majore in nequitia succide, quia uvæ terræ ejus maturæ sunt, per completionem videlicet malitiæ. Superius itaque per precem perfectorum hominum damnatio minorum malorum insinuata est, ubi egit sacra pagina de messione terræ, hic per precem sanctorum angelorum intimatur damnatio perfecte malorum, ubi agit de vindemiatione vineæ. Orantibus enim duobus angelis et messis terræ colligitur, et botri vineæ vindemiantur, quia perfectis hominibus, et sanctis angelis in fine, ut supra dictum est de faciendo judicio judicem deprecantibus, et imperfecte, et perfecte reprobi condemnabuntur. Hic etenim perfecte malorum damnatio describitur, cum sequitur :

Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum, et calcatus est lacus extra civitatem. Mittet etenim Christus magni consilii angelus falcem suam in terram, judicium exercendo, et vindemiabit vineam terræ, perfecte malos auferendo, et mittet in lacum iræ Dei magnum eos, in inferno condemnando, et calcabitur lacus per eorumdem punitionem, extra civitatem sanctam, videlicet Hierusalem cœlestem. Sancta quippe civitas superna sicut erit immunis ab omni culpa, ita ab omni pœna erit aliena. Et lacus iræ Dei extra eam calcabitur, quia damnatorum congregatio in inferno punietur. Contineus itaque hic ponitur pro contento. Lacus enim calcabitur, quia in lacum damnati calcabuntur. Et quia illa æterna damnatio non solum cruciabit damnatos homines, sed etiam dæmones, bene sequitur :

Et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum. Quia crudelitas æternæ damnationis non tantum cruciabit pravos homines qui sunt equi dæmonum, sed et ipsos dæmones, qui sunt rectores pravorum hominum. Cujus damnationis apertius ratio declaratur cum subjungitur : *Per stadia mille sexcenta*, id est, quater quadringenta. Malorum namque damnatio per stadia mille sexcenta, id est, quater quadringenta determinatur, ut ipsos per quatuor mundi partes modo diffusos, per quatuor anni tempora quadriformis Evangelii præcepta transgressores ostendatur. Potest etiam in senario, centenario, et millenario minus et mediocrius, et perfectissime damnatorum notari cruciatio. Isti enim numeri perfectionem signant. Bene ergo tali numero malorum omnium damnatio describitur, ut singulos in suo gradu perfecte damnatos doceatur. Primus itaque angelus, Christus ; secundus, ultimorum perfectorum cœtus ; tertius, sanctorum apostolorum chorus ; quartus, cœlestium spirituum populus ; falx acuta, judiciaria sententia ; messis vel vindemiatio, malorum ablatio ; lacus, infernus ; exitus sanguinis, crudelitas damnationis ; equi, homines ; freni, dæmones ; mille sexcenta stadiorum, perfecta cruciatio damnatorum. Sed ut ea quæ in hac visione continentur ad memoriam breviter revocemus, dicamus quod sacra pagina in primo hujus visionis capitulo agit de templo Dei aperto in cœlo, id est, de revelato humanæ redemptionis mysterio in sacro eloquio, et de arca visa, id est, assumpta a Verbo humanitate credita, et de muliere pariente, id est, de sancta Ecclesia in peragendo fructu justitiæ laborante. In secundo agit de persecutione draconis, id est, antiqui hostis, et de fuga mulieris, id est, recessu sanctæ Ecclesiæ ad secretum vitæ spiritualis. In tertio de Michaele et dracone, et prælio eorum. In quarto de bestia ascendente de mari, id est de crudelibus principibus paganorum. In quinto de bestia ascendente de terra, id est sævis principibus falsorum Christianorum. In sexto agit de Agno, et centum quadraginta quatuor millibus, cum eo, id est, de Christo et sanctis perfectis tribulatos adjuvantibus. In septimo de tribus angelis succedenter prædicantibus, id est, de universis prædicatoribus sacramentum Trinitatis et trium virtutum fidei, spei, charitatis, fidelibus annuntiantibus. In octavo de Christo et ultimo judicio, et supplicio malorum æterno.

Et notandum quod, quemadmodum donum humanæ redemptionis in secunda visione sub apertione sigillorum sanctis doctoribus intelligitur manifestatum, et in tertia sub cantu tubarum populis prædicatum, ita in hac quarta visione intelligendum est sub figura mulieris parientis per effectum boni operis in fructum justitiæ multiplicatum. Hæc de quarta visione hucusque locuti stylum ponimus, et hodie quiescimus, ut ad quintam ingrediendam cras alacrius resurgamus.

LIBER QUINTUS.

DE VISIONE QUINTA.

PROLOGUS.

Deus, cujus miserationes super omnia opera ejus, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, qui in præsentis ignorantiæ tenebris luce sapientiæ et

Digitized by Google

scientiæ suos fideles illuminat, et arctam et arduam viam quæ ducit ad vitam demonstrat, ipse quemadmodum suis dispensat cognitionem veritatis, verbum prædicationis, effectum boni operis, ita reprobis gratiam ejus contemnentibus dignam infert pœnam ultionis. Apud ipsum namque, sicut nullum bonum est irremuneratum, ita nullum malum relinquitur impunitum. Unde recte post apertionem sigillorum quæ describitur in visione secunda, et cantum tubarum quæ continetur in tertia, et partum mulieris qui designatur in quarta, quæ cuncta pertinere probantur ad bonos, succedenter de septem plagis agit in quinta quæ videntur pertinere ad malos. Qui namque justis confert gloriam, ipse reprobis contemptoribus gratiæ infert pœnam, quæ pœna dupliciter discerni potest. Alia est enim pœna, quam quandoque patiuntur in mundo, alia est pœna quam patientur in inferno. Ista est transitoris, illa perpetua, unde convenienter ad temporalem malorum afflictionem maxime pertinere creduntur ea quæ in hac quinta visione de septem plagis scribuntur, quæ ad perpetuam vero, ea quæ in sexta sequuntur. Quæ tamen omnia sive ista quæ continentur in quinta, sive illa quæ continentur in sexta idcirco scribuntur, ut justi ex ipsis habeant consolationem, et reprobi de sua pravitate minorem excusationem. Agit denique visio ista de septem angelis, et de septem phialis iracundiæ Dei, et de muliere circumdata purpura, et de bestia coccinea supra quam sedit, et de sacramento utriusque.

CAPUT PRIMUM.

De septem angelis, et septem plagis novissimis.

Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile, angelos septem, habentes septem plagas novissimas quoniam in illis consummata est ira Dei (*Apoc.* xv). Cunctis quæ ad universalis Ecclesiæ inter prospera et adversa mundi ad cœlestia bona scandentis eruditionem et justificationem pertinent, in secunda et tertia, et quarta visione multiformiter descriptis, ad damnandorum reprobationem et multiplicem divinæ in eos ultionis afflictionem describendam sanctus theologus procedit, et more solito narrationem suam secundum seriem temporis disponit. Et vidi aliud signum in cœlo, vidi, per spiritualem contemplationem, aliud signum significantem, in cœlo, in sacræ visionis mysterio reprobis celato, vel in cœlo, id est, in sancta Ecclesia per cœlestem conversationem sublimiter exaltata. Magnum et mirabile, magnum in se, mirabile in nobis. Magnum videlicet significatione, mirabile, quia dignum admiratione. Angelos septem habentes septem plagas novissimas. Septem angeli sunt prædicatores universi septiformis Spiritus sancti gratia renati, per omne tempus quod septem dierum circulo volvitur instantes prædicationi. Qui habent septem plagas, quæ prænuntiant damnandis universas ultiones divinas, quæ plagæ idcirco dicuntur novissimæ, quia post eas in mundo non succedunt aliæ. Vere enim plagas habent, quia iram Dei super iniquos exercent, et vere novissimas, quia in præsenti sæculo non infert Deus alias. Unde recte additur: Quoniam in illis consummata est ira Dei. In ipsis quippe consummatur ira Dei, quia post ipsas ablatis malis de area mundi non exercebit amplius Deus in mundo sententiam judicii. Sequitur:

Et vidi tanquam mare vitreum mistum igni, et eos qui vicerunt bestiam, et imaginem ejus, et numerum nominis ejus stantes super mare vitreum habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens, justæ et veræ sunt viæ tuæ, rex sæculorum. Locuturus de plagis malorum, præmittit pauca de justitia bonorum, ut patenter ostendat quod quemadmodum boni a pravitate, malorum sunt liberi, ita sint etiam a plagis eorum alieni. Et vidi, per spiritualem intellectum, tanquam mare vitreum, id est baptismum, quod est justis salutis initium et ostium, mare, per amaritudinis peccatorum remissionem, vitreum, per sinceram et puram et lucidam fidei claritatem, mistum igni, per Spiritus sancti inflammationem. Apte enim baptismus mari vitreo misto igni comparatur, quia in ipso, et remissio peccati, et cognitio Dei, et gratia Spiritus sancti confertur. Et eos subauditur vidi, qui vicerunt bestiam, id est Antichristum, ejus persecutionem patienter sustinendo, ejus miraculis non credendo, ejus divitias et blanditias contemnendo, et imaginem ejus, subauditur vicerunt, impios illi conformes non imitando, et numerum nominis ejus, characterem ejus respuendo, stantes per firmam fidem et rectam intentionem, supra mare, per altiorem perfectionem, habentes citharas Dei per bonam actionem, cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, per utriusque Testamenti, Veteris scilicet et Novi, professionem et prædicationem, et pro collatis beneficiis gratiarum actionem. Dicentes: Magna et mirabilia sunt opera tua, magna in creatione, mirabilia in recreatione, vel magna in se, mirabilia in nobis, Domine Deus omnipotens. Domine per excellentiam, Deus per naturam, omnipotens per potentiam. Justæ et veræ sunt viæ tuæ, rex sæculorum. Viæ Dei sunt institutiones ejus, per quas nos ad eum, vel ipse ad nos venit. Quæ sunt justæ, quia unicuique pro merito reddunt, et veræ, quia perducunt quo promittunt. Rex sæculorum, rex per guberuationem, sæculorum per æternitatem. Vel rex sæculorum, quia regis ordinem et cursum eorum. Sequitur:

Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum, quia tu solus pius es, quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt? Quasi diceret: Et cum magna et mirabilia sint opera tua, et justæ, et veræ viæ tuæ, quis non timebit te, Domine, filiali videlicet timore, et magnificabit nomen tuum, opere scilicet et prædicatione? Quis, nisi illi, subauditur qui prædictis plagis afficientur in mundo, et a tuo et nostro longe sunt consortio? Cæteri namque

Digitized by Google

vere timebunt, id est, amabunt, quia tu solus pius es, gratiam salutis eis dando, et vere magnificabunt, quia omnes, id est, aliqui de omnibus venient credendo, et adorabunt, se tibi subjiciendo, in conspectu tuo, tibi placita eligendo et faciendo. Et adhuc evidentiorem hujus rei causam subjungit, cum dicit : Quoniam judicia tua manifesta sunt. Quia nimirum divina judicia de reprobatione et damnatione malorum electis manifesta sunt, vere et perfecte divina bonitas ab eis debet amari et ejus justitia voce et opere magnificari. Compendiose ergo justitiam sanctorum ab ipso baptismate et deinceps in his quæ dicta sunt comprehendit, et per eam quod a plagis malis sint immunes luculenter insinuavit. Septem itaque angeli, prædicatores universi; septem plagæ novissimæ, malorum tribulationes in præsenti tempore; mare vitreum, baptismus; bestia, Antichristus; victoria, patientia; citharæ, bonorum operum exhibitiones; canticum Moysi et canticum Agni, utriusque Testamenti professio, et pro acceptis beneficiis gratiarum actio.

CAPUT II.

De septem angelis, et septem phialis eis datis.

Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo, et exierunt septem angeli habentes septem plagas vestiti lapide mundo, candido, præcincti circa pectora sua zonis aureis (*Apoc.* xv). Postquam superius paululum digressus electorum populum merito justitiæ a plagis impiorum esse remotum demonstravit, iterum ad materiam suam redit, et quæ mala malis secundum vicissitudines temporum contingant, per sequentia capitula describit. Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo: templum est sancta Ecclesia quam inhabitator ejus Christus ex omnibus fidelibus quasi diversis lapidibus ædificat, et spiritualis gratiæ infusione dedicat, et sanctificat. Quæ etiam congrue dicitur templum tabernaculi testimonii, tabernaculi, quia in præsenti sæculo Deo militat, testimonii, quia utriusque Testamenti testimonium fideliter servat. Quæ propterea in cœlo videtur, quod in cœlo conversationem habere dignoscitur. Quæ denique idcirco non clausa, sed aperta cernitur, ut vocatis ingressus pœnitendi, et doctoribus egressus prædicandi patere demonstretur. Unde quoque reprobi de damnatione sua minorem excusationem habent, quod eam per cœlestis oraculi testimonia non clausam, sed apertam perhibent. Quanto namque eam facilius intrare possent, tanto gravius arguentur de eo quod foris manent, unde quoque juste prædicatores plagas eis minantur, et ipsi plagis divinitus affliguntur, quod ipsam apertam audiunt, et intrare contemnunt. Et quia sancti prædicatores non solum electos intus confirmant, sed et foris exeunt, et reprobis divinam ultionem inminere prædicant, apte dicitur : Et exierunt septem angeli habentes septem plagas. Septem enim angeli septem plagas habentes exeunt, dum prædicatores universi universam Dei ultionem foris prædicant, ut si nolunt Deum pro promissionibus diligere, saltem minis cum timeant, et si hoc etiam contempserint, non solum nunc, sed in fine sine fine gravioribus ultionibus succumbant. Sed quia sancta prædicatorum actio nunquam ab eorum officio discrepat, sed semper et in omnibus eorum actio cum officio concordat, recte lapide mundo candido vestiti, et præcincti circa pectora zonis aureis describuntur. Habitus enim actionem signat. Sancti ergo prædicatores lapide mundo candido vestiuntur, quia fide firma a vitiis munda, virtutibus candida adornantur, et præcinguntur circa pectora zonis aureis, refrenando fluxum illicitæ cogitationis retinaculis charitatis. Et quoniam quæ sancti prædicatores usque in finem sæculi prædicabunt ex institutione priorum Patrum habebunt, bene sequitur :

Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundia Dei viventis in sæcula sæculorum. Unum quippe de animalibus dedit septem angelis septem phialas plenas iracundia Dei viventis in sæcula sæculorum, quia uniformi et communi testimonio, auctoritate quatuor evangelistarum roboratur, et firmatur sermo prædicatorum. Qui sermo recte phialis aureis comparatur, quia per divinam sapientiam lucide et clare illuminatur. Quæ etiam phialæ plenæ iracundia Dei viventis in sæcula sæculorum esse dicuntur, quia plenæ et perfectæ iram Dei ad inferendam vindictam semper viventis reprobis comminantur. Sed quoniam divinum judicium quod per phialas aureas justis manifestatur, impiis fumo ignorantiæ ne illud intelligant occultatur, recte sequitur :

Et impletum est templum fumo a majestate Dei, et de virtute ejus. Datis etenim septem phialis septem angelis, templum fumo impletur, quia cœleste judicium quod electis divinitus revelatur, reprobis (utpote indignis) in præsentis temporis fluctuatione penitus celatur a majestate Dei, et de virtutibus ejus, quia cui summus et omnipotens Deus claudit, nemo aperit. Sequitur :

Et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum. Templo fumo impleto, nemo potest introire, quia nemo reproborum, Deo permittente, ignorantia excæcatus rectitudinem divini judicii potest agnoscere. Inde est enim quod sæpe nomen Dei quasi male agentis blasphemat, quia judicii ejus justitiam ignorat. Completis vero plagis, quodammodo introibunt; quia, finitis præsentis temporis tribulationibus, et tormentis æternis succedentibus, juste se puniri, et justos beatificari intelligent, quod modo minime recognoscunt. Qui tamen introitus nequaquam eis erit ad gaudium, sed ad supplicii supplementum. In hoc enim ineffabiliter dolebunt, quod se merito damnatos, et divinam iracundiam juste æternaliter meruisse videbunt. Consummatis ergo septem plagis, mali qui modo foris sunt per justi judicii ignorantiam introibunt templum, quia præsentis temporis

Digitized by Google

quod septem dierum circulo volvitur, malis quibus non puniuntur finitis cognoscent justum esse divinum judicium. Introibunt enim per cognitionem divinæ super se justitiæ, sed foris manebunt, per tolerantiam grassantis pœnæ. Et utrumque eis cooperabitur in malum, et quod intrabunt, et quod foris manebunt, quia sic intrando tolerabunt malam conscientiam, foris manendo diram pœnam. Aliter. Donec consummarentur septem plagæ, id est nunquam. Qui enim modo intrare negligit, tunc minime intrabit. Aliter. Nemo potest intrare, quia nec sancti occulta divini judicii in præsenti vita perfecte possunt cognoscere. Tunc namque perfecte introibunt, quando finito tempore omnia manifeste videbunt. Et quia nemo sibi temere debet officium prædicationis usurpare, sed vel a Deo, per internam aspirationem vel exterius ab homine, ut a majore sibi præcipiatur ministerium exercere, bene sequitur :

Et audivi vocem dicentem septem angelis : Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terram (*Apoc.* XVI). Ideo namque angelis ut effundant phialas iræ Dei de cœlo præcipitur, ut tantum ministerium per fiduciam sui neminem debere aggredi ostendatur. Legimus quosdam solo sancti Spiritus magisterio eloquios, et ad prædicandum institutos, alios vero in quibus non tam evidens tanti magisterii signum visum est, a majoribus ad prædicandum directos; sed quicunque hoc, vel etiam illo modo istud officium contigerit accidere, comite bonæ vitæ conscientia fiduciaLiter debet illud exercere. Ite et effundite phialas iræ Dei in terram. Quasi diceret : Vos qui boni estis, quantum ad vos proficite, et in malis damnationem exercete. In terram, id est terrenos, qui terrena diligunt, et terrena cœlestibus anteponunt. Templum itaque apertum, est sancta Ecclesia pœnitentibus ad ingrediendum paratum; septem angeli, prædicatores universi; unum quatuor animalium, unitas quatuor evangelistarum; impletio templi de fumo, ignorantia populi de divino judicio; vox de cœlo, divina admonitio; effusio phialarum iræ Dei, prædicatio, vel etiam excitatio divini judicii.

CAPUT III.

De primo angelo et phiala ejus.

Et abiit primus, et effudit phialam suam in terram, et factum est vulnus sævum ac pessimum in homines qui habent characterem bestiæ, et eos qui adoraverunt imaginem ejus (*Apoc.* XVI). Superius his quæ ante ingressum narrationis erant dicenda exsecutis, narrationem suam quemadmodum et in aliis visionibus solet, ab exordio nascentis Ecclesiæ incipit, et secundum processum temporis usque ad finem mundi perducit. Et abiit primus angelus, et effudit phialam suam in terram. Primus angelus, ordo prædicatorum primus, effusio phialæ, prædicatio imminentis divinæ iracundiæ. Terram autem hoc in loco Judæam exprimit, quandiu in fide unius Dei immobilis permansit. Primus itaque angelus phialam suam effudit, quando primus prædicatorum ordo Judeæ destructionem suam ob culpam perfidiæ venturam prædixit. Et quia post ipsam primitivam prædicationem in Judæa factam statim ejus reprobatio destructio atque dispersio facta est, bene sequitur : Et factum est vulnus sævum ac pessimum in homines qui habent characterem bestiæ. Effusa quippe prima phiala, factum est vulnus sævum ac pessimum in homines qui habent caracterem bestiæ, quia primitivorum prædicatorum prædicatione propalata, et perfida Judæa in infidelitate derelicta, statim factum est in eos vulnus sævum ac pessimum ultionis divinæ, et percussione reprobationis, et illatione destructionis. Non solum namque est ipsa gens Judaica isto vulnere a divina electione reprobata, sed etiam de sede mansionis evulsa. In homines qui habent characterem bestiæ, et in eos qui adoraverunt imaginem ejus, id est Judæos, qui Antichristo configurantur, fidei Christi contradicendo, et sequacibus ejus se conformant, eos imitando. Omnes etenim mali characterem Antichristi habent in eo quod prave vivendo ejus voluntatem complent. Omnes ejus imaginem adorant, in eo quod imitatoribus ejus se conformant. Primus ergo angelus, ordo prædicatorum primitivus; effusio phialæ, comminatio ultionis divinæ; terra, Judæa; vulnus sævum ac pessimum, reprobatio ac desolatio Judæorum.

CAPUT IV.

De secundo angelo, et phiala ejus.

Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui, et omnis anima vivens mortua est in mari (*Apoc.* XVI). Quemadmodum superius per terram, Judæam in unius Dei credulitate manentem accepimus, ita hic per mare, gentilitatem diversitate deorum fluctuantem intelligimus. Secundus ergo angelus phialam suam in mare effudit, quando secundus prædicatorum ordo reprobis gentium in infidelitate remanentibus divinam ultionem imminere nuntiavit. Et factus est sanguis tanquam mortui, quia secuta est ultio divina mox etiam in præsenti, quæ est similitudo futuri tormenti, quod nigrescit damnatis in tenebris inferni. Sanguis nimirum mortui nigrescit, et ideo per hoc quod non mortui, sed tanquam mortui dicitur, temporalis ultio convenienter intelligitur, quæ æternam non tanquam, sed revera mortis sive mortui prætendit. Aliter. Sanguis tanquam mortui factus describitur, ut pars gentilitatis in infidelitate remanens vitæ munus per reprobationem amittere significetur. Unde apte sequitur : Et omnis anima vivens mortua est in mari. Omnis namque anima vivens in mari moritur, quia reproba pars gentilitatis quæ huic mundo vivere eligit æterna vita privatur. Secundus ergo angelus, ordo prædicatorum secundus; effusio phialæ, prædicatio ultionis divinæ; factus sanguis, effectus ultionis; omnis anima vivens in mari mortua, pars gentilitatis quæ mundo vivit a divina electione reprobata.

Digitized by Google

CAPUT V.

De tertio angelo et phiala ejus.

Et tertius angelus effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis (*Apoc.* XVI). Secundum processum impietatis ordinatur sententia ultionis. Primo namque Deus Judæam pro perfidia reprobavit, et dissipavit. Secundo gentiles in infidelitate remanentes, et sacræ fidei persecutores dejecit. Tertio hæreticos atque schismaticos, sceleris sui meritis exturbavit. Ea quippe quæ in hoc capitulo continentur, ad hæreticos sacræ Scripturæ corruptores pertinere probantur. Et tertius angelus effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis. Tertius angelus phialam suam super flumina, et super fontes aquarum effudit, quando tertius ordo prædicatorum sacram Scripturam quæ nomine fontium exprimitur, et tractatus ejus qui nomine fluminum designantur, ex magna parte hæreticorum pravitate corrumpi, et eos propter hoc graviter puniri debere nuntiavit. Et factus est sanguis, quia secuta est sententia ultionis. Et quoniam in subversione impiorum sequitur exsultatio atque laudatio justorum, apte subditur :

Et audivi angelum aquarum dicentem : Justus es, Domine, qui es, et qui eras sanctus, qui hæc judicasti, quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem eis dedisti bibere, ut digni sunt. Angelus aquarum, est chorus doctorum qui specialiter in destructione hæreticorum exsultat, et divinam justitiam collaudat dicens : Justus es, Domine, qui es, et qui eras, quia hæc judicasti. Justus, æquitatem tenendo, Domine, omnibus præsidendo, qui es, immutabiliter, qui eras semper sanctus, quia a culpa alienus, qui hæc judicasti, id est pravos, impios et hæreticos dissipasti, et damnasti. Et diligenter animadvertendum, quod ubi ait, qui es, et qui eras, futurum non adjunxit, quia jam præsentialiter vindictam eum exercere in destructionem hæreticorum intellexit. Quos etiam divinam ultionem meruisse declarat aperte, cum dicit, quia sanguinem sanctorum, id est, minorum electorum, et prophetarum, id est, majorum effuderunt sua voluntate, aspirati diabolica suggestione, aliquando auctoritate impiorum principum fulti superba potestate. Et sanguinem eis dedisti bibere, per acerbam ultionem, ut digni sunt, per impietatis suæ pravitatem. Et quia quod magistri clamant discipuli confirmant, bene sequitur :

Et audivi alterum angelum dicentem : Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua. Et audivi alterum angelum, id est subjectorum cœtum dicentem, id est magistrorum dicta confirmantem. Etiam, id est, verum est quod dicitur : Domine, per excellentiam, Deus per naturam, omnipotens per potentiam, vera et justa judicia tua, vera, quia efficiunt quod promittunt, justa, quia præmium secundum meritum reddunt. Justum est enim ut qui crudeliter agunt crudeliter puniantur.

A Et notandum quod utrique tam discipuli quam magistri ex magna affectione sermonem ad Deum convertunt, et eum justum esse depromunt. Tertius ergo angelus, prædicatorum ordo tertius : effusio phialæ super flumina et fontes aquarum, detestatio hæreticarum sententiarum ; factus sanguis, effectus ultionis ; angelus aquarum, chorus doctorum ; alter angelus, subjectorum numerus ; vox utrorumque, commendatio divinæ justitiæ de impiorum hæreticorum destructione

CAPUT VI.

De quarto angelo et phiala ejus.

Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, B *et datum est illi affligere homines æstu et igne. Et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt homines nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam ut darent illi gloriam* (*Apoc.* XVI). Cuncta quæ in hoc quarto capitulo, et in quinto, et in sexto continentur ad Antichristum, et ad ejus complices pertinere videntur. Sed tamen ea quæ in hoc quarto describuntur ad Antichristum, qui caput malorum est ; ea vero quæ in quinto sequuntur, ad impios minime baptizatos ; cætera denique quæ in sexto subjunguntur, ad baptizatos, sed a fide apostatantes, et Antichristo cum infidelibus militantes pertinere dignoscuntur, qui omnes quia nefando principi Antichristo militare eligunt, effusionem phialarum in divina ultione cum C ipso non evadunt. Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, id est in Antichristum, qui de sua claritate dicetur illuminare mundum. Et datum est illi per divinam, scilicet permissionem, affligere homines, scilicet, reprobandos quos visibi faciet conformes, æstu, id est, per minorem tribulationem, et igne, id est per majorem tribulationem, et æstuaverunt homines æstu magno, deficiendo per illatam tribulationem gravissimam, et blasphemaverunt nomen Dei, per impatientiam, habentis potestatem super has plagas, quia quibus vult eas admovet ; quibus vult eas amovet. Tam acerbam merebuntur reprobi ultionem divinam in diebus Antichristi, ut prorumpant in blasphemiam nominis divini, et quod est D gravius, non tantum prorumpent in blasphemiam, sed nec agent pœnitentiam. Grave quippe est peccare, sed gravius non pœnitere, gravissimum vero pro peccato et impœnitentia æterna tormenta subire. In primo est culpa, in secundo contumacia, in tertio utriusque multatio. Quartus itaque angelus, ordo prædicatorum quartus ; effusio phialæ, prædicatio vel potius exhibitio ultionis divinæ ; æstuatio hominum, afflictio eorum.

CAPUT VII.

De quinto angelo, et phiala ejus.

Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, et factum est regnum ejus tenebrosum. Et commanducaverunt homines linguas suas præ

Digitized by Google

dolore, et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis (*Apoc.* xvi). Ea quæ in hoc capitulo describuntur, ad illos infideles qui baptisma non suspiciunt præsertim spectare videntur. Ipsi nimirum semper et absque intervallo temporis bestiæ sedes sunt, quia continue damnationi Antichristi se supponunt. Eos præcipue bestia sibi sedem facit, quia in eis secure requiescit, et per eos alios ad perpetrationem impietatis, et ad bonorum insectationem dirigit. Super illos namque qui baptizantur non semper sedet; quia, quandiu gratiam custodiunt, super eos dominationem non habet. Illi ergo bestiæ principaliter sedes sunt, qui se continue semper, et absque interruptione temporis illius principatui per infidelitatem subdunt. Quintus itaque angelus phialam suam super sedem bestiæ effundet, quando quinta prædicatorum successio infideles gentes quæ semper Antichristo sunt sedes, in diebus ejus, ultione divina operante, magis excæcandas prædicabit, unde bene sequitur : Et factum est regnum ejus tenebrosum, id est, magis excæcatum. Et quia per majorem excæcationem in majorem erga sanctos prorumpet livorem, et majorem divinitatis Christi derogationem, apte sequitur : Et commanducaverunt homines linguas suas præ dolore, id est præ invidia quam erga sanctos habebunt, et blasphemaverunt Deum cœli, quia Christum fuisse magnum affirmabunt. Linguam comedere, est erga alium invidia tabescere, et ejus bonitati detrahere. Ille enim linguam suam comedendo consumit, qui proximum sermone per invidiam et detractionem corrumpit, præ doloribus et vulneribus suis, id est, livoribus et plagis excæcantis ignorantiæ sibi divinitus illatis. Magnum igitur dolorem etiam ipsi mali in illo tempore sustinebunt, quia quemadmodum justi in eo quod aliquem regno Christi deesse vident dolentes gemunt, ita reprobi in diebus novitatis illius se omnes non posse Antichristo domino suo attrahere graviter dolebunt. Et detestandum quidem est quod ex tanta impietate labentur in culpam, sed detestabilius valde est quod nullam de culpa agent pœnitentiam. Nam de impœnitentia eorum sequitur : Et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Magnum etenim gaudium est non solum de justis in justitia perseverantibus, sed et de peccatoribus pœnitentiam agentibus. Quintus itaque angelus, ordo prædicatorum quintus; bestia, Antichristus; sedes bestiæ, infideles gentiles; effusio phialæ, prædicatio sive illatio ultionis divinæ; tenebrositas regni sui, perfecta excæcatio gentilitatis; comestio linguarum præ dolore, tabescens invidia erga sanctos cum vituperatione; blasphemia Dei cœli, derogatio divinitatis Christi.

CAPUT VIII.

De sexto angelo, et phiala ejus.

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen magnum Euphratem, et siccavit aquas ejus, ut præparetur via regibus ab ortu solis (*Apoc.* xvi). Sicut ea quæ in præcedenti capitulo continentur de gentibus non inconvenienter intelliguntur, ita hæc quæ in præsenti capitulo scribuntur ad baptizatos, sed a fide Christi in ultima persecutione ad impietatem Antichristi recessuros apte referuntur. Nam quæ sub quarto angelo de malis generaliter et communiter scribit, ea quæ sub quinto et sexto per gentiles et apostatas Christianos specialiter et sigillatim distinguit. Per Euphratem qui est unus de Paradisi fluminibus non inconvenienter intelligitur baptismus, qui recte dicitur flumen magnum : flumen, quia culpas lavat, magnum, quia multos regenerat. In hoc flumine sextus angelus effudit phialam suam, quia sextus prædicatorum ordo falsos Christianos prædicabit in diebus novissimis ad Antichristum recessuros, et per hoc in eos venturam per impiam excæcationem ultionem divinam. Cujus quoque fluminis aqua siccabitur, dum reprobis baptizatis, imminente vindicta, donum gratiæ spiritualis in baptismo collatum auferetur, et ab ortu solis via regibus præparabitur, qui ab apostatis Christianis in quibus si in veritate perseverarent sol justitiæ deberet oriri et splendescere, ad perficiendam iniquitatem rectoribus tenebrarum harum dæmonibus libertus transitus aperietur. Unde et de ipsis dæmonibus apte dicitur :

Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ tres spiritus immundos exire in modum ranarum. Tres spiritus immundi sunt dæmones universi in electis oppugnantes sacramentum Trinitatis, et munimentum trium principalium virtutum, fidei, spei et charitatis. Qui de ore draconis bestiæ, et pseudoprophetæ exeunt, quia præceptorum diaboli exsecutores sunt, et quæ de ore Antichristi et pseudoprophetarum ejus exient, totis viribus ad effectum homines seducendo perducere contendent. Qui etiam in modum ranarum immundi sunt, quia quos per suggestionem corrumpunt, verbositate loquaces, et luxuria lutosos efficiunt. Et quod vere immundi sunt apertius declarat, cum subjungit :

Sunt etenim spiritus dæmoniorum facientes signa. Et procedebant ad reges totius terræ, aggregare illos in prælium ad diem magnam Dei omnipotentis. Quia namque sunt spiritus dæmoniorum Dei omnipotentis, idcirco immundi sunt, facientes signa, id est, falsa miracula per quæ homines decipiunt, procedentes ad reges totius terræ, id est ad illos qui vel se, vel alios in terrenarum rerum cupiditate secundum sapientiam mundi regere norunt, aggregare eos in prælium, contra populum videlicet fidelium. Sed quia malo suo hoc facient, apte subjungit : Ad diem magnum Dei omnipotentis. Impii etenim dæmones reprobos homines in prælium ad diem magnum Dei omnipotentis aggregant, quia per hanc aggregationem damnationem in die judicii parant. Et ut manifestius Dominum ad judicandum venturum declaret, ipsum idem affirmantem introducit, dicens : *Et ecce venio sicut fur*, id est ex improviso et subito

Digitized by Google

ut omnes de hora adventus mei sint incerti, et per hoc melius parati. Et notandum quod adventum suum insinuat, et adverbio demonstrandi, et verbo præsenti, ut per hoc æstimationem diuturnæ moræ tollat, et contra adventum suum attentiores et vigilantiores reddat. Cujus attentionis sive vigilantiæ præmium statim subjungit, dicens : *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, et videant ejus turpitudinem.* Beatus enim qui in his vigilat, quia hunc Dominus pro merito beatitudinis præmio remunerabit. Et custodit vestimenta sua, id est virtutum ornamenta, et bona opera, ne nudus ambulet, id est spoliatus virtutibus et bonis operibus in die judicii resurgat, et videant ejus turpitudinem, id est, peccata. Qui enim modo non vigilat, et vestimenta sua non custodit, tunc nudus ambulabit, et turpitudo ejus videbitur, quia absque ornamentis virtutum et bonorum operum resurget, et ejus iniquitas omnibus revelabitur. Sequitur :

Et congregabunt eos in locum qui vocatur Hebraice Armagedon. Ad superiorem sensum et sermonem revertitur, ubi ait spiritus immundos procedere ad reges terræ et aggregare eos in prælium. Armagedon interpretatur *mons furum* sive *globosus*, et signat Antichristum qui est mons per superbiam, furum, per fraudulentiam, globosus per versutiam. In ipsum, id est in detestandam impietatis illius sectam spiritus immundi supradictos reges congregabunt; quia, ultione divina quæ induravit cor Pharaonis permittente, eos illi per superbiam, fraudulentiam et versutiam conformabunt. Quemadmodum namque sancti sunt in Christo non mansione corporali, sed fide spirituali, ita et reprobi erunt in Antichristo, non per localem mansionem, sed per iniquitatis perpetrationem. Vel sicut quidam codices habent, congregabit scilicet Deus qui eos merito et juste, exigentibus peccatis suis, debere a se separari, et Antichristo conjungi judicabit. Sextus ergo angelus, ordo prædicatorum sextus ; Euphrates fluvius, baptizatorum populus ; siccatio aquæ, ablatio in reprobis spiritualis gratiæ ; præparatio viæ regibus ab ortu solis, liber transitus dæmonibus in falsis Christianis ad perpetrationem iniquitatis ; draco, diabolus ; bestia, Antichristus ; pseudoprophetæ, falsorum apostolorum Antichristi numerus ; tres spiritus immundi, universi dæmones in electis oppugnantes sacramentum Trinitatis, et justitiam trium principalium virtutum, fidei, spei et charitatis ; reges terræ, reprobi, qui vel se vel alios regere norunt in terrena cupiditate ; congregatio in Armagedon, coadunatio ad Antichristum. Sicut quippe electi angeli in conversione electorum bonorum Christo serviunt, ita dæmones in aversione malorum Antichristo ministrabunt. Et, sicut ab initio mundi usque in finem in electis operatur mysterium salutis, sic in reprobis operatur mysterium perditionis. Et, velut omnes justi pertinent ad Christum, ita iniqui pertinent ad Antichristum. Caput Christi Deus ; caput Antichristi diabolus. Finis damnandorum cum Antichristo, gehenna ; finis salvandorum cum Christo, vita æterna.

CAPUT IX.

De septimo angelo, et phiala ejus.

Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, et exivit magna vox de templo a throno, dicens : Factum est (*Apoc.* XVI). Quemadmodum in aliis visionibus facit, sic in fine hujus visionis agit de fine temporis. Septimus autem angelus est ordo prædicatorum ultimus post mortem Antichristi prædicaturus, cujus phiala in aerem apte effundetur, quia tota dæmonum collectio habitatrix aeris hujus, præ timore imminentis judicii et supplicii sempiterni in diebus prædicationis ejus graviter affligetur. Mortuo namque Antichristo, et prædicante septimo angelo, certissime scient instare diem judicii et adventum Christi. Unde de instantia utriusque recte dicitur : Et exivit magna vox de templo a throno, dicens : Factum est. Vox exiet de templo, id est de Ecclesia, et non de quocunque loco, sed a throno, id est ab illis in quibus residet et regnat majestas divina, ut quanto ab excellentioribus testimonium finiendi sæculi profertur, tanto certius credatur, dicens : Factum est. Quasi diceret : Consummata sunt omnia, adest finis mundi. Quæ vox recte magna dicitur, quia magnum est quod per eam nuntiatur. Et quoniam post mortem Antichristi alii convertentur per prædicationem ad fidem, alii avertentur per obdurationem ad majorem excæcationem, bene sequitur :

Et facta sunt fulgura, et voces, et tonitrua, et terræmotus magnus qualis nunquam fuit ex quo cœperunt homines esse super terram talis terræmotus tam magnus. Fient namque fulgura, id est miracula, ut, salvandi a morte revocentur, voces, id est admoniones, ut revocati in bono confirmentur, tonitrua, id est comminationes, ut damnandis futura tormenta prænuntientur. Et terræmotus magnus fiet qualis non fuit ex quo homines fuerunt super terram, quia, sicut dictum est, alii convertentur ad deteriora. Cujus terræmotus magnitudo idcirco bis ponitur, ut ejus quantitas evidentius ostendatur. Sequitur :

Et facta est civitas magna in tres partes, et civitates gentium ceciderunt. Quæ superius in hoc capitulo dicta sunt pertinent et ad bonos et ad malos, ea vero quæ sequuntur pertinent, et maxime ad malos. Describit autem in sequentibus sub nomine fornicariæ Babylonis multiplicem causam damnationis malorum, et sequentem damnationem eorum. Et civitas magna facta est in tres partes. Civitas magna, scilicet Babylon, in tres partes in fine dividenda videtur, quia modo divisa est secundum triplicem vitæ modum, tunc secundum triplex æternæ mortis stipendium in ultione dividetur. Dividitur quippe nunc in mundo trifarie, secundum paganismum, Judaismum et falsum Christianismum, et tunc se-

Digitized by Google

cundum hanc triplicem sectam in inferno recipiet pœnam, ut qui nunc diverso modo peccant, tunc secundum meritum damnationem recipiant. Aliter enim punientur pagani, aliter Judæi, aliter falsi Christiani. Et civitates gentium ceciderunt, quia collectiones malorum gentiliter viventium peribunt. Sequitur :

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare ei calicem vini indignationis iræ ejus. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. Babylonem venire in divinam memoriam est quod superius, sed obscurius dixit civitatem in tres partes factam, Babylon, id est universitas malorum qua modo versatur in confusione vitiorum, quæ est civitas, per collectionem multorum, magna, per elationem, venit, id est veniet in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus, id est ut detur ei vindictæ mensura, quam propinat indignans et iratus Deus. Veniet in memoriam, quia recipiet pœnam. Modo namque Deus mala hominum se reminisci dissimulat, dum ad pœnitentiam exspectat, quæ in fine recte reducere dicitur ad memoriam, dum infert vindictam. Et quia boni nequaquam damnationis impiorum eruut participes, apte subjungitur : Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. Omnis etenim insula fugit, et montes non sunt inventi; quia, qui modo velut insula aquis marinis, ita amaritudinibus persecutionum quatiuntur, sed a fide non moventur, et qui sicut montes ima deserunt, et ad summa conscendunt, a consortio pereuntium erunt penitus tunc alieni. Qui namque non sunt in culpa, minime participes invenientur in pœna. Cujus pœnæ qualitatem aperte describit cum subjungit : *Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines, et blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.* Grando quippe magna est pœna æterna sicut talentum, quia ponderata et mensurata secundum pereuntium merita. Quæ descendit de cœlo in homines, quia a Deo mittetur in pereuntes. Et blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis. Quamvis nimirum impii in inferno positi se sentiant juste puniri, dolebunt tamen quod Deus tantam habeat potentiam, et præ nimietate doloris justo judici inferent blasphemiam. Unde de quantitate ejus bene additur, quod magna grando facta est vehementer, quia cruciabit intolerabiliter. Et ut adhuc de his quæ pertinent ad malos perfectius nos erudiat, plurima in sequentibus hujus capituli de malorum universitate, et eorum inani gloria, et regnorum eorum elatione, et erga sanctos impia crudelitate explicat, et in fine ejus damnationem eorum denuntiat. Sequitur :

Et venit unus de septem angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens : Veni, ostendam tibi meretricis magnæ damnationem quæ sedet super aquas multas cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt, qui habitant terram de vino prostitutionis ejus (*Apoc.* XVII). Recte unus de septem angelis phialas iræ Dei habentibus, quæ tormenta malis futura sint, sancto theologo demonstravit, quia unanimis unitas prædicatorum iram divinam in malos prædicantium et exercentium eorum perpetuam damnationem verbo et scripto nobis propalare non desinit. Veni, ostendam tibi meretricis magnæ damnationem, quæ sedet super aquas multas. Veni per intelligentiam spiritualem, ostendam tibi, per typicam visionem, damnationem meretricis magnæ, scilicet Babyloniæ, quæ relicto Creatore Deo fornicata est cum diabolo, vel cum hoc mundo, quæ sedet super aquas multas, per suum principatum super multos populos regnando: aquæ enim sunt populi, quia, sicut aquæ cursim defluunt, ita populi, per mortalitatem transeunt. Super quos Babylon sedet, quia super eos per suos potentes principatum habet. Cum qua, id est, cujus exemplo fornicati sunt, Deum deserendo, dæmones adorando, vel mundum diligendo, reges terræ, id est illi, qui vel se vel alios norunt regere in terrena cupiditate, vel ad litteram intelligantur reges terræ, quia mali quique quanto sunt potestate fortiores, tanto sunt malitia deteriores. Et inde specialius in descriptione nequitiæ merentur nominari, quod scelestius aliis noscuntur contaminari. Tanto quippe amplius quisque fornicatur cum Babylone, quanto se gravius involvit dæmonum vel sæculi præsentis impuritate. Regibus autem peccantibus et fornicantibus, quodammodo fit supra modum peccans peccatum, cum videlicet illi qui alios regere deberent, semetipsos sceleribus fœdare student. Et quoniam non solum superiores, sed etiam inferiores exemplo istius Babylonis incidunt in impietatem fornicationis, recte post regum fornicationem, inhabitantium terram subjungit inebriationem. Et inebriati sunt, qui habitant terram de vino prostitutionis ejus. Qui terram habitant, sunt illi qui magis terrena, quam cœlestia amant. Qui bene terram inhabitare dicuntur, quia non cursim transeunt, sed immobiliter in amore terrenorum demorantur. Qui etiam de vino prostitutionis ejus, id est, de doctrina manifestæ fornicationis inebriantur, quia nequaquam velut sobrii pensant pondus mali quod operantur. Quemadmodum enim ebrii nihil timent, ita ipsi excæcantur dum immoderate terrenis inhærent ut nec Deum diligant, nec deinde pœnas metuant. Sequitur :

Et abstulit me in desertum in spiritu, et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, et cornua decem. Et mulier circumdata erat purpura et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et immunditia fornicationis ejus, et in fronte ejus nomen scriptum mysterii. Babylon magna fornicationum mater et abominationum terræ. Describit multiplicem reproborum impietatem, ut per hoc ostendat eos promereri damnationem. Et abs-

Digitized by Google

tulit me in spiritu, ad sublimiora videlicet videnda, in desertum, ad contemplanda reproborum corda, quæ sunt a Deo deserta. Et vidi per spiritualem contemplationem, mulierem sedentem, id est, mollem malorum universitatem, quiescentem super bestiam coccineam, id est, diabolicam sævitiam sanguine sanctorum rubicundam : Super bestiam coccineam, quia ubicunque perpetratur malum, ibi diabolicum habet fundamentum : Plenam nominibus blasphemiæ ; quia dicit mala quæ facit Deo non displicere : Habentem capita septem, et cornua decem ; hoc in præsenti illibatum pertransimus, ut in sequentibus illud melius exponamus. Et mulier erat circumdata purpura et coccino, et inaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis, quia malorum collectio semper se studet decorare gloria, divitiis et ornamentis sæculi præsentis. Quæ etiam habet poculum aureum in manu sua, quia exercet impiam doctrinam sæcularis sapientiæ claritate fulgidam, et operatione manifestam, ut alios inebrians ad culpam pertrahat et suæ damnationis participes faciat, plenum abominatione et immunditia fornicationis, id est, abominabili, et immunda veneratione nefandæ culturæ, vel delectatione illicitæ voluptatis, et in fronte ejus nomen scriptum mysterii, quia manifesta professione demonstrat quid habeat in secreto animi ad similitudinem meretricis, quæ ostendit in fronte per compositionem, quid gerat in corde per impuram voluntatem. Nemo ergo excusatur si cum eo fornicetur, quia aperte potest cognoscere malum quod debet cavere. Scriptum est enim : *A fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII). Babylon magna mater fornicationum et abominationum terræ. Babylon per confusionem, magna per elationem, mater fornicationum et abominationum terræ per inventionem vitiorum abominabilium, quibus fœdantur omnes qui se involvunt terrena cupiditate. Sequitur :

Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. Et miratus sum cum viderem mulierem illam admiratione magna. Superius ostendit qualis ipsa Babylon sit in propria vitiositate, nunc subjungit qualis sit in electorum persecutione. Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, id est, minorum, et martyrum Jesu, id est, majorum. Vidi ebriam, id est, extra mensuram saliatam, quia in eo quod ipsos occidendo vicit, velut ebria supra modum exsultavit. Sed quemadmodum sanctus Joannes in superioribus ab eo loco quo scriptum est : Veni, ostendam tibi meretricis magnæ damnationem, usque huc gessit personam dicentis, ita hic ubi dicitur, et miratus sum cum viderem mulierem illam, gerit personam admirantis, et nondum ruinam impiorum perfecte contemplantis. Ait ergo : Et miratus sum cum viderem illam admiratione magna. Infirmi quippe et imperfecti quique visa fallaci reproborum gloria atque potentia multum mirantur, quia sequentem eorum damnationem minime contemplantur. Qui si eorum futuram ruinam et præsentium bonorum fallacem gloriam altius intuerentur, nequaquam eos tantum mirarentur. Sed quia imperfectus quisque a perfectis doctoribus de his quæ latent eruditur, apte subjungitur :

Et dixit mihi angelus : Quare miraris ? Ego dicam tibi sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, cornua decem. Bestia quam vidisti, fuit et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit. Et mirabuntur inhabitantes terram (*quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ a constitutione mundi*) *videntes bestiam quæ erat et non est.* Quare miraris ? Sub interrogatione reprehenditur, quisquis de fallacibus malorum bonis nimis admiratur. Si enim rem attentius investigaret, luce clarius intelligeret quod Deus justo judicio permittit impios in hoc sæculo prosperari, ut inde justius in futuro possint condemnari. Quare miraris ? Quasi diceret : Noli mirari, sed intellige quid sit. Ego tibi dicam sacramentum mulieris et bestiæ, id est, ostendam tibi quid sit utraque. Bestia quæ portat eam est diabolus ; quia diabolus semper malorum portitor est ad perficiendum malitiam.

Et notandum quod bestiam in demonstratione sacramenti mulieri anteponit, quia diabolus universitatem malorum antecedit. Quæ capita septem habet, et cornua decem. Hoc adhuc in sequentibus exponendum reservamus. Bestia quam vidisti, id est, diabolus per quem bestialiter et crudeliter impugnatur electorum populus, fuit, videlicet ante adventum Christi, quia suum dominium tunc in mundo exercuit, et non est, quia illud post adventum ejus amisit. Et ascensura est de abysso, id est, de profundo et obscuro malo in diebus Antichristi, et in interitum ibit, quia penitus peribit in die judicii. Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ a constitutione mundi, videntes bestiam quæ fuit et non est, quia mali videntes potestatem suam in novissimo annihilatam, dolebunt non quasi pœnitentes, sed tantum admirantes, et præ nimio dolore stupentes. Mali a constitutione mundi in libro vitæ scripti non sunt, quia male vivendo se non esse scriptos ab initio probaverunt. Sequitur :

Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Quasi diceret : Hic est sensus adhibendus illi qui habet sapientiam, quia res in sequentibus est obscura. Vult enim ea quæ superius sub figura septem capitum et decem cornuum obscure dixit aliquantulum exponere. Intendit quippe post ostensionem bestiæ, superbam eminentiam mulieris, quæ in septem capitibus et decem cornibus figuratur demonstrare. Sequitur :

Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt. Quinque jam ceciderunt, unus est, et alius nondum venit. Et cum venerit, oportet illum tempus breve manere. Septenarius universitatem exprimit, eo quod septem dierum circulo universum tempus sæculi præsentis decurrit.

Digitized by Google

Per septem ergo capita, montes sive reges, universus malorum principatus intelligitur, qui secundum septem status hujus sæculi determinatur. Primus status fuit ab Adam usque ad Noe; secundus a Noe usque ad Abraham; tertius ab Abraham usque ad Moysen; quartus a Moyse usque ad David; quintus a David usque ad Christum; sextus a Christo usque ad Antichristum; septimus sub Antichristo. Universalis ergo malorum principatus secundum has septem distinctiones determinatus recte sub figura capitum, montium, regum designatur; capitum, propter temporalem sui eminentiam, montium, propter superbiam, regum, quia malorum collegium per illum in malo gubernatur. Super quem etiam mulier sedere perhibetur, quia per ejus carnalem prudentiam universitas malorum sustentatur. Ex quibus videlicet capitibus, sive montibus, sive regibus, quinque ceciderunt, quia quinque ex supradictis septem statibus ante adventum Christi, et ante tempus visionis illius transierunt. Unus nunc est, qui propter prærogativam et superabundantiam gratiæ debilissimus est, qui contra bonos suam malitiam nunc exercet quantum potest. Alius nondum venit, quia Antichristus nondum apparuit. Et cum venerit, oportet eum breve tempus manere, id est, tribus annis et dimidio regnare. Non est ergo nimis timendus, quia cito est transiturus. Quamvis enim omnibus magis sæviet, tamen cito deficiet. Sequitur:

Et bestia quæ erat et non est, et ipsa octava est, et de septem est, et in interitum vadit. Et decem cornua quæ vidisti decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam reges una hora habent post bestiam. Hi unum habent consilium, et virtutem, et potestatem suam bestiæ tradent. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt vocati electi et fideles. Et bestia quam vidisti, id est, diabolus per quem crudeliter impugnatur electorum populus, quæ erat et non est, quia potestatem ante adventum Christi habuit, sed in adventu ejus habitam amisit, et ipsa octava est et de septem. De septem est, quia similiter peccat et similiter punietur; octava est, quia omnes nequitia et pœna transcendit, et in interitum vadit, quia in æternum peribit. Et decem cornua quæ vidisti decem reges sunt. Descripto superius sacramento septem capitum, subjungit de sacramento septem cornuum. Decem cornua decem reges sunt, qui secundum prophetiam Danielis tempore Antichristi regnaturi sunt. De quibus bene dicitur, quod regnum nondum acceperunt, quia nondum venerunt. Sed potestatem tanquam reges una hora habent, id est, habebunt, subauditur, cum venerint. Tanquam reges, quia non veri reges, imo tyranni erunt, et hora una, quia modicum durabunt post bestiam, omnium communis malitia inferius describitur, cum dicitur: Hi unum habent consilium, videlicet Christum negandi, Antichristo credendi, hunc persequendi, illum sequendi. Et virtutem, et potestatem suam bestiæ tradent, virtutem quam in se habebunt, potestatem quam super alios exercebunt bestiæ tradent, quia diabolo ascribent quidquid malitiæ perpetrabunt. Quorum adhuc audacem præsumptionem, et de præsumptione confusionem subscribit, dicens: Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est et Rex regum. Hi cum Agno pugnabunt verbo et opere, Christo suos electos auferre tentando, sed ipse vincet illos eorum audaciam refrenando. Et quod hoc vere possit efficere declarat cum dicit: Quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, tantæ videlicet potestatis, ut etiam malis utatur ad utilitatem fidelium. Sed et electi ejus tantam ei fidem servabunt, quod hostes cum ipso principe Christo viriliter superabunt. Unde additur: Et qui cum illo sunt, vocati electi sunt, et fideles, qui cum illo sunt, per Christianismi professionem, vocati, per prædicationem, electi per prædestinationem et fideles, per fidei integritatem. In illa itaque ultima pugna prosternetur hostium caterva, eo quod tanta est principis nostri potentia, et militum ejus fides tam firma. Sequitur:

Aquas quas vidisti ubi meretrix sedet, id est, in quibus per suos reges principatum habet, sunt populi, et gentes, et linguæ, videlicet mali subjecti ex omni diversitate gentium collecti. Aquæ sunt populi; quia, sicut aquæ sua labilitate defluunt, ita populi sua mortalitate pertranseunt. Sequitur:

Et decem cornua quæ vidisti et bestiam, hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam. Et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni concremabunt. Sacramento mulieris et bestiæ superius sufficienter declarato, subjungit, et quantam calamitatem diabolus et ejus satellites, qui per bestiam et cornua figurantur miseram malorum universitatem perducent. Cornua et bestia, id est, diabolus et impii malorum reges: hi oderunt fornicariam, id est, ipsorum malorum collectionem universam a Deo Creatore illicito amore divisam. Non enim debet amor dici, quod eam impia doctrina a Deo dividunt, quod blanditiis temporalibus seducunt, quod ad inferi claustra seducendo perducunt. Hi ergo odient fornicariam, quia perducent ad pœnam. Si enim vere diligerent, nequaquam illam æternis incendiis præpararent. Et desolatam facient illam et nudam, eo quod talem nunc facient in mundo fraudulenter seducendo, ut postea gemat in inferno desolata, et nuda temporali gaudio, et commodo amisso. Et ejus carnes manducabunt, quia de corporali ejus damnatione gaudebunt. Hoc est enim ejus carnes manducare, de cruciatu carnium ejus exsultare. Quemadmodum namque Christus et sancti angeli gaudebunt de gloria bonorum, ita diabolus et ejus ministri gaudebunt de pœna malorum. Quod tamen gaudium nequaquam diabolo et ejus principibus vertetur in cumulum consolationis, sed in augmentum majoris doloris. Et ipsam igni con-

Digitized by Google

cremabunt, quia ipsi æternum incendium ministrabunt. Et quia quidquid mali malis accedit totum Dei judicio et justa permissione fit, apte sequitur :

Deus etenim dedit ut faciant quod placitum est illi, ut dent regnum suum bestiæ donec consummentur verba Dei. Deus enim dat per justam permissionem, ut mali faciant per apertam actionem, quod illi placitum est, per universitatis decorem, et utilitatem. Nequaquam enim omnipotens mala esse sineret, nisi ex eis bonum aliquod universitati proveniret. Ex eo enim quod sunt mala, majorem decorem respectu eorum videntur habere bona. Sed non est injustus Deus, eo quod malos male agere permittit, quia justum est, ut quibus dedit liberum arbitrium, illis eo uti liceat ad libitum. Injustum namque esset, si illis solius boni imponeret necessitatem, quibus in conditione dono gratiæ boni, vel mali eligendi confert libertatem. In hoc etenim creatura rationalis excellentem habet dignitatem, quod Creatori non coactam, sed liberam exhibet servitutem. Placet ergo quod sub ipso data ab ipso utimur arbitrii libertate, sed displicet quod in nobis orta illi repugnamus voluntatis pravitate. Nequaquam enim mala est arbitrii divinitus indita libera potestas, sed sub arbitrio orta perversa voluntas. Libertas a Deo donatur, creatura dono libertatis abutitur. In efficientia igitur mali quantum ad malos nihil boni, quantum ad placitum Dei nihil mali. Nam quod faciunt malum est, quod Deo placitum est, bonum est. Ut dent regnum bestiæ ; id est, ut se a diabolo regi permittant, et suam potestatem diabolo attribuant, donec consummentur verba Dei, id est, donec omnia finem habeant, et mali et boni promissa recipiant. Deus quippe nunc malos in malitia et in regno diaboli positos magna uti libertate, et bonos tentare, provocare et lacerare permittit, quod finito sæculo, penitus cessabit. Sed quoniam universitatem malorum in hoc capitulo diversis nominibus designavit, ut hoc congrue posse fieri ostendat, apte subdit :

Et mulier quam vidisti est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ. Ipsa nimirum malorum universitas mulier est, civitas magna est, meretrix est, Babylon est. Mulier est, quia emollit; civitas est, quia multos colligit; magna est, quia superbit; meretrix est, quia diabolo corruptori se subjicit ; Babylon est, quia confusa est et confundit. Quæ habet regnum super reges terræ, quia omnes ei serviunt, et ejus rempublicam augent in quantum possunt. Septimus ergo angelus, ordo prædicatorum ultimus; effusio phialæ in aerem, ultio divina in hujus aeris potestatem, dæmonum videlicet congregationem. Vox de templo dicens esse factum, ecclesiastica attestatio dicens sæculum jam esse finiendum; fulgura, miracula, voces, admonitiones, tonitrua, comminationes, terræmotus magnus, salvandorum conversio, et damnandorum major excæcatio ; civitas magna, malorum congregatio; grando magna, æterna damnatio; bestia quæ mulierem portat, diabolus qui malos in malo portat et sustentat; septem capita, universalis malorum principatus eminens secundum septem status hujus sæculi; decem cornua, decem reges tempore Antichristi futuri; aquæ ubi meretrix sedet, populi in quibus principatum habet; consummatio verborum Dei, finis mundi; illatio supplicii, collatio præmii. In hac autem visione quinta quæ sub typo phialarum tractat de ultione divina in malos effusa, egit generaliter sacra prophetia primum de septem angelis et septem plagis sive phialis, id est, de universis prædicatoribus, et de ultione universis illata divinæ gratiæ contemptoribus in cursu sæculi præsentis. Effusio vero phialarum illationem signat divinæ iracundiæ in diversitatem hominum. Prima effusio est in terram, id est, Judæam primum a fide reprobatam, et de terra sua ejectam. Secunda in mare, id est, gentiles fidelium occisores. Tertia in flumina et fontes, id est, hæreticos sacræ paginæ fluenta corrumpentes. Quarta in solem, id est, Antichristum, qui se dicit illuminare mundum. Quinta in sedem bestiæ, id est, principes gentium, in quibus ipse Antichristus principaliter regnando sedebit. Sexta in flumen Euphratem, id est, reprobos baptizatos quos divina ultio fluentis gratiæ dono siccabit. Septima in aerem, id est, dæmones, qu s eadem ultio in extremitate temporis timore imminentis judicii graviter cruciabit. Sub hac phiala causam damnationis malorum sacra visio latius describit, et quare in novissimo damnabuntur luculenter ostendit. Et hucusque de quinta visione locuti, linguam quieti damus, ut ad sextam discutiendam otio recreati procedamus.

LIBER SEXTUS.

DE VISIONE SEXTA.

PROLOGUS.

Deus, cujus resistere iræ nemo potest, sub quo curvantur qui portant orbem, sic temporalem male agentibus infert vindictam, ut in malitia perseverantibus addat æternam. Unde apte sacra prophetia, postquam in præcedenti visione transitoriam in malos effusam descripsit ultionem, in ista consequenter eorum perpetuam subjungit damnationem, ut qui in mundo se corrigere detrectant, in inferno sine fine se puniendos esse cognoscant. Agit enim ista visio de ultimis pœnis quas patientur impii in inferno, et hoc ostendit primum de Babylone, de-

Digitized by Google

scribens ruinam ejus, et luctum quem habebunt de casu ejus qui diligebant eam. Agit et de exsultatione et gratiarum actione, quam agent de interitu ejus sancti. Agit et de Christo eam judicante, et de invitatione dæmonum ut manducent carnes regum et tribunorum, et omnium iniquorum, et damnatione Antichristi et pseudoapostolorum ejus. Deinde iterum redit, et describit ligationem Satanæ per mille annos, et quomodo iterum sit solvendus et desæviet adversus sanctos in extremis, et quod cum impiis mittetur in stagnum ignis. Et sciendum quod ea quæ in præcedentibus quinque visionibus libri hujus continentur, maxime pertinent ad cursum temporis præsentis; ea vero quæ in sexta et septima continentur, magis pertinent ad statum æternitatis. Nam in hac sexta visione describitur æterna damnatio malorum, et in septima æterna beatitudo bonorum. Malorum autem damnatio, quæ in hac visione describitur, a Christo prædicata in ipso visionis initio perhibetur, ut attentius audiatur, et major illi fides adhibeatur.

CAPUT PRIMUM.

De ruina Babylonis et luctu amatorum ejus.

« Et post hæc vidi alterum angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, et terra illuminata est a gloria ejus, et exclamavit in voce forti, dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ, quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et omnes reges terræ cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ de virtute divitiarum ejus divites facti sunt (*Apoc.* XVIII).»

Quia superius sacra visio temporalem describit pœnam malorum, nunc succedenter ingreditur ad describendam æternam damnationem eorum. Et post hæc vidi alterum angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam. Iste alter angelus recte creditur esse Christus, qui ab aliis distat angelis, sicut distat Dominus a servis. Qui de cœlo descendit, quoniam nostram carnem induens genus humanum visitavit. Qui potestatem magnam habet, quia non solum hominibus, sed et angelis præsidet. A cujus etiam gloria terra illuminata dicitur, quia nostra terrenitas gloriosa ejus prædicatione illustratur. Qui denique in voce forti de ruina malorum exclamavit, quia nequaquam effectu carebit quod de illa prædicavit, dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna. Geminato verbo geminat ruinam, et duplicem designat vindictam. Damnati quippe ardentibus flammis foris punientur in corpore, et urgentibus doloribus intus pungentur in mente. Babylon per confusionem, magna per multorum collectionem et propriam elationem. Et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ. Dæmones, et spiritus sunt et volucres sunt : spiritus propter naturæ subtilitatem, volucres propter motionis velocitatem. Quorum habitatio et custodia Babylon subversa erit, quia malorum universitas damnata dæmonibus in damnatione repleta, dæmonum cruciatibus perpetuo subjacebit. Causa quoque damnationis ejus declaratur, cum subditur : Quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et omnes reges terræ cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ de virtute divitiarum ejus divites facti sunt. De ira fornicationis ejus, id est, de ardore fornicationis ejus, vel de fornicatione pro qua irascitur Deus, biberunt, illa participantes, omnes gentes, id est, subjecti, et omnes reges terræ, id est, prælati terræ cum illa fornicati sunt, exempla illius a Deo recedentes, mundum diligentes. Et mercatores, id est, illi qui suas animas pro rebus terrenis vendunt, et pro ipsis terrena mercantur, de virtute divitiarum ejus divites facti sunt, quia gloria divitiarum ejus se divites arbitrantur, et magis in ipsa quam in amore cœlestium delectantur. Juste ergo damnabitur, cujus scelere tot hominum multitudo fœdatur. Sequitur :

Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem : Exite de illa, populus meus, ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus, ne accipiatis, quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Deus iniquitatum ejus. Reddite illi sicut ipsa reddidit vobis, et duplicate duplicia secundum opera ejus, et in poculo quo miscuit miscete illi duplum. Quantum glorificavit se et in deliciis fuit tantum date illi tormentum et luctum, quia in corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo. Imo in uno die venient plagæ ejus, et mors, et luctus, et fames : et igni comburetur, quia fortis est Deus qui judicavit illam. Prædicta superius ruina malorum, admonemur exire de consortio eorum, ne, si fuerimus eis consortes in culpa, simus participes cum eis in pœna. Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem. Recte se dicit aliam vocem audisse. Alia est enim vox quæ de reproborum sonat damnatione, alia quæ de electorum loquitur admonitione. Illa quippe terret, ista mulcet. Quæ quoque de cœlo sonat, quia de sancta Ecclesia, quæ sacrosancta mysteria Christi immundis et infidelibus celat. Exite de illa, populus meus, et ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus ne accipiatis, quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Deus iniquitatum ejus. Exite de illa populus meus, non tam corporali separati ne quam recta intentione, et ne sitis participes ejus delictorum, consensu vel actione, et de plagis ejus ne accipiatis, in æterna damnatione. Causam vero quare, et affectum, quod ipsa Babylon plagis afficietur subjungit, cum dicit : Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, id est, usque ad contemptum Dei per impœnitentiam, et recordatus est, id est, recordabitur Deus iniquitatum ejus, quas se modo videre pie dissimulat retribuendo vindictam. Reddite ipsi sicut ipsa reddidit vobis, et duplicate duplicia secundum opera ejus. Reddite illi sicut ipsa

Digitized by Google

reddidit vobis, id est, sicut vindictam meam exercuit in vobis qui purgabamini ad salutem, ita vos injuriam meam vindicate in illa ad damnationem. Et duplicate duplicia secundum opera ejus, ut quæ dupliciter intus et foris, vel se vel alios corrumpendo non timuit peccare, duplicem pœnam vestro judicio cogatur sustinere. Et in poculo quo vobis miscuit miscete illi duplum, id est, quæ vobis temporale intulit tormentum, vobis judicantibus sustineat æternum. Quantum glorificavit se, per superbam jactantiam, et in deliciis fuit, per nimiam affluentiam, tantum date illi tormentum et luctum; tormentum in corpore, luctum in mente. Quia in corde suo dicit, superbiendo: sedeo regina, id est, de honore et dignitate moveri non timeo; et vidua non sum, quia consolationem habeo in mundo, et luctum non videbo, id est, damnationem quam minantur discipuli Christi passuram in inferno. Superbientes etenim, et divitiis affluentes mali qui honoribus fulgent, qui mundanis delectabiliter inhærent, tantis nonnunquam tenebris obcæcantur, ut prosperis exspoliari, vel adversis fatigari minime formident. Et quia in bonis sibi concessis elevantur, et futura mala præcavere designantur, apte subditur: Ideo in una die, id est, simul venient plagæ ejus, id est, ultiones debitæ iniquitatibus ejus et mors, et luctus, et fames. Mors in pœnis, luctus de amissis, fames de recuperandis. Et igni comburetur, quia æternis incendiis punietur. Et quod universas ultiones istas evadere penitus non poterit, declaratur, cum subditur: Quia fortis est qui judicavit illam, subaudi: dignam omnibus malis istis. Fortis, id est, nullis precibus flexibilis in die ultionis. Unde Salomon ait: *Zelus, et furor viri*, id est Christi, *non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima* (*Prov.* VI). Sed designata superius Babylonis ruina, consequenter subjungit: luctum amatorum ejus, describens quomodo reges terræ qui per illam gloriosi videbantur, et negotiatores terræ qui ex abundantia ejus divites efficiebantur propter destructionem ejus flebunt et lugebunt, quod damnationi subjecta nunquam amplius fulgeat gloria, et abundantia temporalis. Magnum etenim gaudium est regum, scilicet superborum, et negotiatorum terrenæ cupiditati inhiantium, universalis prosperitas malorum. Qua subversa graviter dolebunt; eo quod, id in quo solo jucundabantur, amiserunt. Et quia hæc quæ in hoc capitulo secundum solum litteræ sensum videntur accipienda, spiritualis intelligentia nequaquam in eis creditur inquirenda. Sequitur:

Et flebunt, et plangent se super illam reges terræ, dupliciter dolor describitur, ut eos intus et foris dolore demonstretur: *Qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis cum illa vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus*, id est, fumosum incendium ejus, *longe stantes, propter timorem tormentorum ejus*, longe sola voluntate non tormentorum liberatione, *dicentes: Væ, væ, væ, civitas illa magna Babylon, civitas illa* A *fortis, quia una hora venit judicium tuum.* Ad illam convertent sermonem, supra modum deflentes illius destructionem. Væ autem idcirco triplicatur, ut peccatum cogitando, loquendo, agendo perpetratum per ternarium ostendatur. Secundum ergo, quod peccavit in mundo, patietur in inferno. Si vero, quod in quibusdam codicibus habetur, væ non ter, sed bis positum inveniatur, ad duplicem dolorem, interiorem videlicet et exteriorem, referendum intelligatur. Quia una hora, quæ semper fuisti secura, venit judicium tuum, ut perderes mundum, intrares infernum. *Et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam.* Descripto dolore regum, subdit dolorem negotiatorum; illi dolebunt de amissa dignitatum gloria, et de amissa corporum voluptate, et de B amissa rerum abundantia, et amara acquisitione. De eo nimirum quisque dolebit in inferno, quod præcipue dilexit et possedit in mundo. Causam quoque quare negotiatores dolebunt, apte et aperte subjungit, dicens: *Quoniam merces eorum nemo emet amplius, merces auri, et argenti, et lapidis pretiosi, et margaritæ, et byssi, et purpuræ, et serici, et coccini, et omne lignum thyinum* (quod est genus ligni, subaudi nemo emet amplius), *et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore, et cinnamomum, et odoramentorum scilicet merces, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et jumentorum, et ovium et equorum, et rhedarum, id est, curruum, et mancipiorum, et* C *animarum hominum*, videlicet nemo emet amplius. Potest distingui quod dicit mancipiorum, et animarum hominum. Alii enim venduntur ut ad tempus servituti subjaceant, alii ut tota vita sua serviant. In hoc ergo quod dicit mancipiorum, brevior servitus potest subtiliter existimari, in eo vero quod addit animarum, potest diuturnior designari. Anima namque pro vita nonnunquam ponitur. Aliter. Aliquando enim non solum corpora, sed et animæ venduntur, et emuntur, quando videlicet non tantum corpora hominibus vili servitio, sed et animæ dæmonibus nefando cultu subduntur. Sed et negotiatores quemadmodum reges super ejus ruina graviter dolentes querimoniam convertent ad illam, dicentes. *Et poma desiderii animæ tuæ*, id est minora bona tua D quæ desiderabiliter dilexisti, *discesserunt a te, et omnia pinguia, et præclara*, id est majora perierunt a te, et *amplius illa non invenient, mercatores eorum, qui divites facti sunt ab ea*, videlicet in mundo; *longe stabunt*, voluntate, non passione in inferno, *propter timorem tormentorum ejus flentes ac lugentes*, id est, dupliciter in luctu persistentes, *dicentes: Væ, væ, civitas magna*: idcirco hoc in loco, væ duplicatur, ut non tantum impia voluntate, verum etiam perversa actione divina præcepta fuisse transgressam ostendatur, et in anima, et in corpore puniendam exprimatur. *Quæ amicta erat bysso, et purpura, et cocco, et deaurata auro, et lapide pretioso, et margaritis*; quia malorum universitas vanitati dedita sæcularibus se decorare ornamentis solet; *quoniam una*

Digitized by Google

hora destitutæ sunt tantæ divitiæ, ipsa sublata de mundo, et translata ad tormenta gehennæ, et omnis gubernator, et omnes qui in longum navigant, et naturæ, et qui in mari operantur, id est, omnis qui non tantum per terrestria, sed et per marina negotia divites fieri conantur. De longe steterunt, quia a participatione ejus elongari desiderabunt. *Et clamaverunt*, id est clamabunt, *videntes locum incendii ejus, dicentes : Quis similis civitati huic magnæ?* Quis similis nunc in pœna huic civitati, id est, malorum universitati magnæ prius in gloria? *Et miscuerunt pulverem super capita sua*, quia se fuisse de materia terrea, fragili, mortali, transitoria recognoscent in inferno, quod nunc minime perpendunt in mundo. Fuco nimirum elationis, et impietatis obtenebrati, quam sit brevis vita ista, via lubrica, et mors incerta non attendunt, quæ tunc semper ante oculos habere cogentur. Et clamaverunt, id est, clamabunt, flentes et lugentes, propter duplicem dolorem, et dicentes : Væ, væ, propter animæ et corporis cruciationem, civitas illa magna, id est, universitas malorum damnata, in qua divites facti sunt omnes qui habebant naves in mari, de pretiis ejus, quia de longinquo ferunt divitias ejus. Utraque igitur negotiatorum genera descripsit, et illud videlicet quod in terra laborat, et illud, quod in mari navigat. Reges itaque terræ negotiatores de ruina Babylonis flebunt, quia superbi quique, et cupidi universitatem impiorum mundana gloria, et plenitudine destitutam inconsolabiliter dolebunt. In quo vero damnata Babylon passura sit bene declaratur, cum subditur :

Quoniam una hora est desolata, id est, omni consolatione spoliata. Congregatio namque damnandorum nunc inter mundanos dolores aliquam habet consolationem ; sed, ultima hora transacta, solam patietur desolationem. Et diligenter est pensandum, quod in descriptione doloris amatorum Babylonis, primum reges ponuntur, quia mali quique quanto nunc sunt in mundo potentiores, tanto erunt in inferno miserabiliores. Scriptum est enim : *Potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI). Reges autem et negotiatores terræ soli in luctu Babylonicæ ruinæ, relictis aliis amatoribus Babylonis, describuntur, quia ipsi inter alios videntur præcipui, et idcirco per eos alii figurantur, et sub illis comprehenduntur. Sacra denique prophetia quæ superius ruinam Babylonis, et luctum amatorum ejus ordine descripsit, sanctos succedentes angelos, et electos homines glorificatos ut exsultent de ruina ejus admonet, dicens : *Exsultate supra eam, cœli*, id est angeli, qui gaudetis de liberatione generis humani : *Et sancti apostoli et prophetæ*, videlicet omnes justi post adventum Salvatoris, vel ante ad vitam æternam percipiendam justificati, et nunc per cœlos ad eam possidendam sublimati.

Notate autem ista omnia non ad præsentis, sed ad futuri sæculi statum pertinere. Et quemadmodum per cœlum cœlestes et angelici spiritus designantur, ita recte per apostolos et prophetas utriusque testamenti justi comprehenduntur et signantur. Apostolos autem prophetis præscribit causa prærogativæ, quia eos prophetis digniores sermo divinus ostendit, ubi ait : *Multi prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis et non viderunt* (*Luc.* X). Quare ergo exsultare debeant declarat, dicens : *Quoniam judicavit Deus judicium nostrum de illa*, quæ scilicet ipsa nobis injuste tormenta intulit, et ipse eam propter hoc tormenta subire coegit. Magno namque gaudio sancti lætari poterunt, qui se liberatos et adversarios suos, qui eos injuste cruciare solebant juste cruciari videbunt. Alter ergo angelus, Christus; Babylon subversa, et habitatio dæmonum atque custodia facta, universitas impiorum damnata, et dæmonum cruciatibus tradita ; alia vox de cœlo, blanda justis, exhibita admonitio ; exitus de Babylone, superatio de confusione ; luctus regum et negotiatorum, dolor superborum et cupidorum, sive majorum et minorum. Omnes quippe de ruina ejus in inferno lugebunt, qui ejus statum in mundo dilexerunt.

CAPUT II.

De exemplo submersionis ejus.

« Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi « molarem magnum, et misit in mare, dicens : Hoc « impetu mittetur Babylon, illa magna civitas (*Apoc.* « XVIII).» Dicta superius ruina Babylonis, et luctu amatorum ejus, consequenter adjungit submersionis ejus exemplum ; et hoc ab unanimi prædicatorum universitate dicit figuraliter ostensum. Et sustulit unus angelus fortis lapidem. Unus angelus est ordo prædicatorum universus. Qui recte fortis esse perhibetur, quia contra diabolum, contra mundum et contra vitia virtute constantiæ roboratur. Qui quoque lapidem quasi molarem magnum sufferendo in mare mittit, quia damnandorum congregationem per impœnitentiam, duram per sæcularia negotia, instabilem et laboriosam, magnam per superbiam, et nunc in mundo elatam esse arguit, et finito cursu temporis in infernales amaritudines mittendam esse prædicit. Reprobi namque qui modo in gloria sæculi præsentis extolluntur, in fine sæculi ad ima demergentur. Scriptum quippe est : *Omnis qui se exaltat humiliabitur* (*Matth.* XXIII ; *Luc* XIV). Hoc impetu, id est hac figura, mittetur Babylon magna illa civitas, in æterna, subaudis tormenta. Et ultra jam non invenietur scilicet in mundo, quia damnata lugebit in inferno. Et, ut aperte probetur, quod quemadmodum malis afficietur, ita quoque bonis omnibus spoliabitur, hæc subditur : *Et vox citharœdorum, et musicorum, et tibia canentium, non audietur in ea amplius.* Et omnis artifex, et omnis ars, non invenietur in ea amplius. *Et vox molæ*, qua videlicet deliciæ panum præparari solent, *non audietur in ea amplius. Et lux lucernæ non lucebit tibi amplius, et vox sponsi et sponsæ*, id est lætitia nuptiarum, *non audietur* adhuc, id est *amplius in te.*

Nota quod aliquando de ea loquitur, aliquando ad eam : de ea loquitur auditores erudiendo ; ad eam,

Digitized by Google

et mala sua prædicendo, et improperando, sive illi condolendo. Quare denique damnabitur et bonis omnibus spoliabitur manifestat, cum subjungit : *Quoniam mercatores tui erant principes terræ*, quia scilicet principes tui dabant animas pro terrenis, quod non est amplius tolerandum. Et adhuc aliæ causæ subjunguntur : *Quia in veneficiis tuis*, id est, veneficis persuasionibus, *erraverunt omnes gentes*, id est, aliqui de omnibus gentibus ; *et in ea inventus est*, id est, Babylone, *sanguis prophetarum*, id est majorum, *et sanctorum*, id est, minorum, *et omnium qui interfecti sunt in terra*, non solum scilicet bonorum, sed et malorum, et utrumque illi reputabitur in peccatum. Si enim malus malum occidat, occisi nequitia occisorem non excusat. Ista omnia intellectu levia breviter transcurrimus, quia ad alia festinamus, nec spiritualiter discutimus, quæ maxime secundum litteram intelligenda judicamus. Unus ergo angelus, ordo prædicatorum universus; sublatio lapidis magni molaris, redargutio elationis duræ, superbæ, instabilis Babylonis; missio in mare, prophetia et prædicatio damnationis æternæ; vox citharœdorum et musicorum, et aliorum quæ scripta sunt ablatio bonorum temporalium et privatio.

CAPUT III.

De gratiarum actione Deo exhibenda de ruina ejus.

« Post hæc audivi quasi magnam vocem tubarum multarum in cœlo dicentium : Alleluia. Laus « et gloria, et virtus Deo nostro est, quia vera et « justa judicia ejus sunt, qui judicavit de meretrice magna quæ corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. Et iterum dixerunt : Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum « (*Apoc.* XIX). » Post figuram damnationis civitatis impiæ superius descriptam, laudem et gratiarum actionem subjungit de ruina ejus a sanctis divinitati exhibendam. Admoniti erant quippe sancti superius exsultare de ruina ejus, ubi dictum est : Exsultate super eam, cœli, et sancti apostoli et prophetæ; et ipsi obedienter complent admonitionem, Deo cantando laudem, et reddendo gratiarum actionem. Post hæc audivi magnam vocem, quia magnum gaudium significantem. Tubarum multarum, id est, eorum qui in mundo sonuerunt tubis prædicationum; in cœlo, id est, in cœlesti beatitudine dicentium : Alleluia, videlicet suavitatem divinæ laudis humanis verbis inexplicabilis.

Et notandum quod dum dicit audivi, de futuro loquitur quasi de præterito sicut consuetudo est prophetis, quod in multis locis exponere non curamus, quia prudentiæ lectoris discutiendum reservamus. Sed quia alleluia ignotum est, quod non notum est addit, dicens : Laus et gloria, et virtus Deo nostro. Laus, quia singulariter et superexcellenter laudabilis; gloria, quia gloriosus; virtus, quia invincibilis. Causam quoque quare illi hæc omnia sint attribuenda subjungit, dicens : Quia vera et justa judicia ejus sunt, quasi diceretur : Vere est laudandus gloriosus et victoriosus prædicandus, quia vera sunt judicia ejus, dando unicuique quod promisit ; justa, reddendo secundum quod quisque promeruit. Causam denique declarat effectus, cum subjungit : Qui judicavit de meretrice magna, eam videlicet condemnando, quia corrupit terram, se et alios depravando, in prostitutione sua, id est, in impietate manifesta, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus, quem scilicet effudit, eos crudeliter occidendo. Et iterum dixerunt : Alleluia. Per laudis iterationem, intellige ejusdem laudis æternitatem. Vel per laudis iterationem intelligit utriusque sensus spiritualis et corporalis in laudando Deum exsultationem. Et fumus ejus, id est tenebrosa amaritudo tormentorum ejus ascendit in sæcula sæculorum, id est semper. Hoc ad id refertur quod superius dictum est, quod Deus judicavit de meretrice magna, et vindicavit sanguinem servorum suorum. Et quia non solum minores sancti, et majores, sive de impiorum damnatione, sive de sua salvatione in cœlesti gloria Deum sunt laudaturi ; et ut id quod superius dictum est de minoribus et id quod additur intelligamus, de majoribus apte nunc dicitur :

Et ceciderunt viginti quatuor seniores, et quatuor animalia, id est, universi Ecclesiæ judices et doctores ceciderunt se humiliando, et adoraverunt sedentem super thronum, eum super omnia venerando; *dicentes : Amen : Alleluia*, eum ineffabiliter laudabilem conclamando. Majores quippe et ex se testimonium dant, et testimonium minorum confirmant. Sed quia superius divisim, et separatim utrorumque gaudium, et gratiarum actionem ordinavit, nunc communem omnibus pariter sanctam de divina laude admonitionem, et ejusdem laudis communem exhibitionem subjungit : *Et vox exivit de throno, dicens : Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis Deum, pusilli et magni.* Thronus Dei sunt angelicæ potestates, in quibus Deus principaliter residendo regnat, et per quas suos electos gubernat. De quibus vox ut laudemus Deum exire perhibetur, quia per eas et cum eis divinæ laudationis exemplum et consortium nobis donatur. Laudem dicite Deo nostro, subauditur in cœlo, vos qui liberati et erepti estis per ipsum de malo. Omnes servi ejus et qui timetis Deum, id est, qui ei reverenter subditi estis, et qui ei casto amore inhæretis. Pusilli, et magni. Pusilli sunt qui nequeunt altiora penetrare, nec divinum consilium possunt adimplere, quod dicit: vade, et vende omnia quæ habes, et sequere me (*Matth.* XIX). Sed parvitas non nocet, cujus cor et lingua divina laude repletur. Et quam obedienter divinam admonitionem susceperunt declaratur, cum subditur :

Et audivi quasi vocem tubæ magnæ, et sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium : Alleluia. Apte dicit non vocem, sed quasi vocem, ut aperte significet ea quæ fiunt in cœlo, sua sublimitate cuncta transcendere quæ fiunt in mundo. Audivit tamen vocis similitudinem, ut per cognitæ rei qualitatem mystici et summi boni quoquo modo perciperet ac

Digitized by Google

nobis manifestaret latentem sublimitatem. Audivi vero quasi vocem tubæ magnæ; quia, qui modo tuba sunt in mundo, fidem et præcepta Dei prædicando, magnifice postmodum lætabuntur in cœlo. Audivi quasi vocem aquarum multarum, quia ex multis populis colligitur cœtus animarum salvandarum. Audivi quasi vocem tonitruorum magnorum, quia damnatos impios terrebit exsultatio sanctorum glorificatorum, dicentium : Alleluia. Quater in hoc capitulo describitur ista vox divinæ laudis, propter sacramentum divinæ Trinitatis et unitatis. Tria quippe et unum quatuor complent. Recte ergo quater, id est, ter et semel alleluia, in gratiarum actione et laude divinitati exhibita memoratur, quia Trinus et unus est Deus qui laudatur. Cujus laudis virtus admirabilis quemadmodum nunc inexplicabilis existit, ita tunc omnibus facilis erit, quando scilicet lingua tacebit, affectus clamabit. Causa denique laudis summæ et immensæ divinitati exhibendæ declaratur, cur subinfertur : *Quoniam regnabit Dominus Deus noster omnipotens.* Regnare se tunc vere demonstrabit, quia nunc reprobis regnare minime videtur, dum eos contra suos sævire permittit. *Dominus Deus noster omnipotens.* Dominus excellentia, Deus natura, noster gratia, omnipotens potentia. Sed quia duplex gratiarum actio a sanctis Deo exhibebitur in cœlo, una de malorum damnatione, altera de eorum salvatione, bene postquam illam quæ de damnatione impiorum est superius descripsit, consequenter illam quæ de justorum salvatione est adjungit. Sed idcirco illa prius, quam ista describitur, quia se cum præcedentibus convenire probatur. Et prima post illa quibus adhæret prius ordinata, apte subscribitur secunda. Sequitur :

Gaudeamus, et exsultemus, et demus gloriam Deo quia venerunt nuptiæ Agni : et vox ejus præparavit se, et datum est illi ut operiat se byssino splendente candido. Quasi diceret : Gaudeamus et exsultemus lætitiam agentes duplicem, quia possidemus animarum et corporum glorificationem, et demus gloriam Deo per laudem et gratiarum actionem. Per laudem, propter ineffabilem ejus dignitatem, per gratiarum actionem, propter nostram salvationem. Gaudeamus et exsultemus, quia salvati sumus ; demus gloriam Deo, quia nostra est salus ab eo. Et apertius describens causam gaudendi dicit : Quia venerunt nuptiæ Agni, nisi quippe nuptiæ agni, id est, conjunctio Christi et Ecclesiæ venirent, nequaquam sancti in cœlesti patria gauderent. Quæ videlicet nuptiæ nunc in mundo inchoationem habent per gratiam, tunc vero consummationem in cœlo habebunt per gloriam. Tunc enim recte venisse dicetur, quando universalis Ecclesia in omnibus electis suis ad contemplationem et amplexum sponsi translata perficietur. Modo nimirum interim veniunt, sed nondum ex integro dici potest, quia venerunt. Tunc ergo verum et perfectum gaudium erit, quando sancta Ecclesia in cœlesti thalamo cœlesti sponso perfecte conjuncta perfecte gaudebit. Ad cujus videlicet sponsi conjunctionem præparabit se in tempore ut ea digna sit in æternitate. Nisi enim se modo præpararet in mundo, nequaquam illi copulari posset in cœlo. Istæ sunt nuptiæ, a quarum lætitia fatuæ virgines sapientibus introeuntibus excludentur. Et de hac præparatione aperte nunc dicitur : *Et uxor ejus præparavit se.* Per justitiam nempe se præparat ut ad sponsi copulam pertingat. Præparat se per justitiam ut pertingat ad gloriam. Et quia sine dono gratiæ minime perveniret ad candorem justitiæ, apte subditur : Et datum est illi ut cooperiat se byssino splendente candido. Byssino, justitiæ videlicet et merito splendente, boni operis exemplo, candido virtutum exercitio. Nisi ergo illi daretur per gratiam, nequaquam posset se præparare per justitiam, et nisi se per justitiam præpararet, nullatenus ad cœlestem sponsi copulam perveniret, et nisi perveniret ad cœlestem copulam sponsi, non haberent sancti effectum æternaliter gaudendi. In his igitur verbis gradatim et ascendendo ordinem prosequitur, quo ad cœlestis gaudii plenitudinem pervenitur. His etenim omnibus consummatis, erit ista superna jucunditas gaudii et exsultationis et divinæ laudationis, de qua nunc dicitur : Gaudeamus et exsultemus, et demus gloriam Deo. Et ne byssinum justitiam significare dubitemus, sanctus Joannes ipse nobis hoc exponit, dicens: *Byssinum enim justificationes sunt sanctorum.* Byssinum namque justificationes significat, quia quemadmodum byssinum sive byssus magno labore perducitur ad candorem, ita sanctorum justificatio longo agone provehitur ad consummationem. Sequitur :

Et dixit mihi : Scribe. Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi : Hæc verba Dei vera sunt. Locutus de lætitia cœlestium nuptiarum, invitat præsentes ad participationem earum, jubet beatos scribi omnes qui ad earum jucunditatem sunt vocati, et dixit mihi scilicet angelus qui mecum loquebatur : Scribe ut prædestinati ad vitam scripta legant, et ad quærenda cœlestia bona semetipsos accendant, et reprobi egentes ac contemnentes justiorem damnationem acquirant. Beati qui vocati sunt, non ad prandium, sed ad cœnam, quia sine omni successione perennem possidebunt lætitiam. Prandium enim præsentis gratiæ refectionem signat ; cœna vero quam nulla refectio sequitur, æternæ beatitudinis plenitudinem figurat. Erunt ergo vere beati, quia ab omni malo liberi, et fruentur jucunditate summi boni. Qui vocati sunt non tantum prædicatione, sed et prædestinatione, nec solum per credulitatem, sed et per electionem; Multi sunt quippe falsi Christiani, qui in generali numero continentur vocatorum, de quibus dicitur : *Multi sunt vocati* (*Matth.* xx); sed nequaquam beati sunt dicendi, quia ad beatitudinem minime pertingunt. Et ut ea quæ ab angelo de hac beatitudine dicuntur firmius et certius a nobis credantur,

Digitized by Google

et in majori auctoritate habeantur, non sua, sed Dei fore verba quæ dicit protestatur. Ait ergo : Hæc verba Dei vera sunt; quasi diceret : Tanto majori fide quæ dico credere debetis, quanto ea et Dei esse, et vera esse manifestius auditis. Et quidem hæc verba Dei dixisse suffecisset quamvis vera minime addidisset. Deus quippe nequaquam creditur posse mentiri. Sed humana consuetudine, ut in plerisque Scripturæ locis solet fieri de divinis loquens ea quæ protestabatur ; et Dei esse et vera dicit, non tam ut in nobis fidem doctor roboraret, sed ne a nostro loquendi more discreparet. Qui enim Deum vere credit, non falsa sed vera esse credit verba quæ Deus dicit. Et quia ante adventum Salvatoris solebant homines apparentes sibi angelos adorare, voluit sanctus theologus honorem ab aliis sanctis angelicis spiritibus exhibitum exhibere. Sequitur :

Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum. Sed dignitas angelica quæ se in veteri testamento ab homine adorari non prohibuit, in novo videns super se exaltatum hominem Deum, ab homine se adorari non sustinuit. Unde additur : *Et dixit mihi : Vide ne feceris.* Et causam subdens, ait : *Conservus enim tuus sum et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu.* Quasi diceret : Ego a te adorari jam pertimesco, quia tuam naturam super me regnare conspicio. Ille solus a te debet adorari, cui super omnia exaltato ego tecum pariter debeo famulari. Quod apertius subdit, dicens : *Deum adora.* Et, ut manifeste cognoscamus quid sit testimonium Jesu, ipse illud nobis per semetipsum exponit, dicens : *Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.* Omnes quippe prophetæ testimonium Christo perhibendo Christo serviunt, et angeli eum super se adorando venerantes, ei sine cessatione deserviunt, nec erubescunt se conservos eorum nominare, quos suo Domino sciunt ministrare. Vox ergo tubarum multarum in cœlo auditarum, gratiarum actio sanctarum animarum in cœlesti beatitudine caniturarum, quatuor animalia, et viginti quatuor seniores, universi sanctæ Ecclesiæ prædicatores et judices, nuptiæ Agni, conjunctio Christi et Ecclesiæ in beatitudine cœlesti.

CAPUT IV.

De Christo eam judicante, et potestate ejus.

« Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus, « et qui sedebat super eum vocabatur fidelis et ve« rax, et in justitia judicat et pugnat. Oculi ejus « sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata « multa, habens nomen scriptum quod nemo novit « nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, « et vocabatur nomen ejus Verbum Dei, et exer« citus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis al« bis vestiti byssino albo mundo (*Apoc.* XIX). » In hoc capitulo potentia atque justitia Christi universitatem impiorum damnantis describitur, et ex justitia judicis eam non injuste, sed juste condemnari demonstratur. Et vidi cœlum apertum, et ecce equus albus; apertio cœli, revelatio mysterii; equus albus, homo a Verbo assumptus, qui recte dicitur albus, quia vere immaculatus. Aperto itaque cœlo visus est equus albus, quia revelato sacræ paginæ mysterio cognoscitur homo immaculatus a Verbo assumptus. Et qui sedebat super eum, Filius videlicet summi Patris qui secundum divinitatis naturam excellit hominem assumptum, vocabatur fidelis et verax; fidelis, quia nulla dicenda prætermisit; verax, quia nulla mendacia prædicavit. Et in justitia judicat, subaudis genus humanum, tribuendo unicuique juxta opus suum, et pugnat, scilicet contra diabolum et universum ejus exercitum. Oculi ejus sicut flamma ignis, quia suo respectu reprobos urit cruciatu damnationis, electos illuminat agnitione veritatis, et accendit amore virtutis. Et in capite ejus diademata multa, quia ex divinitatis potentia suis electis tribuit præmia æterna omni fine carentia. Habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse, et subaudis cui ipse voluerit revelare, quia Deitatis nomen quod ipse æternaliter habet per naturam, et suis habere tribuit per gratiam, nemo malus poterit agnoscere, quia nemo malus potest illud habere. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, quia caro ejus rubet sanguinis effusione, et vocabatur nomen ejus Verbum Dei, quia ipse est Verbum Patris per quem Deus Pater cuncta creavit, per quem mundo se nuntiavit. Et exercitus qui sunt in cœlo eum sequebantur, quia omnes electi contra diabolum præliantes, et cœlestem vitam agentes ipsum imitantur, in equis albis, id est, in corporibus et operibus mundis. Vestiti byssino albo mundo. Byssino, id est, candore justitiæ, albo, virtutum exercitatione, mundo, a criminis perpetratione. Idcirco autem ejus cum ipso describuntur milites, ut ipsi esse ostendantur consimiles. Sequitur :

Et de ore ejus procedit gladius acutus, ut in ipso percutiat gentes, et ipse reget eos in virga ferrea. Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet in vestimento, et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium. Nota quod omnia quæ in hoc capitulo continentur sine respectu temporis ponit qualis quantusque sit, et quantum possit tantum ostendere intendit. De ore itaque ejus gladius acutus procedit, quia de ore ejus sententia subtilis exit, ut in ipso gentes percutiat, id est, bonos a malis, et malos a bonis discernat. Et ipse reget eos in virga ferrea, in inflexibili videlicet justitia. Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, quia ipse premit impios vindicta quam Deus quasi furibundus et iratus propinat eis. Et habet in vestimento, et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium, quia secundum suam etiam humanitatem, et secundum illam quam de sanctis Patribus originem habuit se demonstrat omnibus prælatum. Potestatem namque quam habet secundum divinitatem per naturam, illam habet secundum humanitatem per gratiam.

Digitized by Google

Per hoc autem quod dicit scriptum, designatur esse indelebile bonum atque perpetuum. Apertio igitur cœli, revelatio mysterii; equus albus, homo a Verbo assumptus; oculi sedentis, sapientia divinitatis; diademata multa, præmia æterna quæ sunt multa, quia soli Deo mirabilia; nomen scriptum, Deitatis bonum; vestis sanguine aspersa, caro passa; exercitus cœli, omnes electi; gladius acutus, sententia subtilis; virga ferrea, justitia inflexibilis; torcular vini furoris iræ, pressura divinæ vindictæ; scriptura in vestimento et in femore, Rex regum et Dominus dominantium, perpetua potestas secundum hominem assumptum.

CAPUT V.

De angelo dæmones invitante ad comestionem regum Babylonis, et tribunorum ejus.

« Et vidi unum angelum stantem in sole, et « clamavit voce magna dicens omnibus avibus quæ « volant per medium cœli : Venite, congregamini « ad cœnam Dei, ut manducetis carnes regum, et « carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes « equorum, et sedentium in ipsis, et carnes omnium « liberorum, ac servorum, et pusillorum, ac magno- « rum (*Apoc.* XIX). » Superius potentiam Christi Babylonem condemnantis descripsit, hic invitationem dæmonum ab angelo factam ad comestionem damnatorum subjungit. Unde patet malum quod dæmones impiis in inferno illaturi sunt, non tam esse eorum liberæ voluntatis quam divinæ permissionis. In hoc enim quod invitantur subtiliter innuitur, quod non possunt sævire nisi permittantur. Et vidi unum angelum stantem in sole. Unus angelus est ordo prædicatorum universus. Qui in sole stat, quia in fervore persecutionis per bonam intentionem erectus recte prædicando perseverat. Qui etiam clamare voce magna, dæmones invitando ad comestionem malorum dicitur, quia malignos spiritus homines damnatos in inferno cruciandos magna constantia protestatur. Qui scilicet dæmones per medium cœli volant, quia in medio aeris hujus habitant. Qui quoque recte non ad prandium, sed ad cœnam invitantur, quia reprobi spiritus qui in cruciatibus hominum delectantur, post illius ultimæ damnationis humanæ delectationem non habebunt aliam. Non enim poterit habere successionem, quia erit perpetua, non transitoria. Ut manducetis carnes regum, et tribunorum, et carnes fortium. Potentes anteponit, quia potentes potenter tormenta patientur. Et carnes equorum, et sedentium in ipsis. Equi sunt corpora, sessores spiritus, qui utrique a dæmonibus manducabuntur, quia dæmones utrorumque cruciatibus delectabiliter saturabuntur. Vel equi sunt subjecti, sessores prælati. Qui utrique comedentur, quia utrique punientur. Et carnes omnium liberorum, ac servorum, et pusillorum, et magnorum. Hæc ad litteram intelligenda sunt non spiritualiter exponenda. Sed diligenter est intelligendum, quod per istos quos in hoc capitulo breviter describit, omnes damnandos comprehendit. Unus ergo angelus, ordo prædicatorum universus; vox magna, prædicationis instantia; aves, dæmones; cœna, ultima pœna. Alii dicunt per aves, electos posse significari; quia, sicut aves ad alta levantur volando, sic electi cœlestia contemplando. Qui per hoc etiam comedent filios Babyloniæ, quod in damnatione eorum condelectabuntur divinæ justitiæ.

CAPUT VI.

De damnatione Antichristi, et pseudoprophetæ ejus.

« Et vidi bestiam, et reges terræ, et exercitus « eorum congregatos ad prælium faciendum cum illo « qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus. Et « apprehensa est bestia, et cum illa pseudopropheta, « qui fecit signa magna coram ipso, quibus seduxit « eos qui acceperunt characterem bestiæ, et qui « adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi « duo in stagnum ignis ardentis sulphure (*Apoc.* « XIX). » Descripta superius generali damnatione malorum, specialem in hoc capitulo Antichristi, et in sequenti capitulo damnationem diaboli subjungit, ut qui specialiter sæviunt in perpetratione iniquitatis, specialiter memorentur in descriptione damnationis. Et quamvis sacræ prophetiæ sit intentio tractare in hac visione de diuturnitate æternæ damnationis, nonnulla tamen in his duobus capitulis interserit de his quæ spectant ad cursum temporis, mira videlicet providentia, ut in singulis visionibus impia persecutio describatur, et electorum numerus contra ejus impetum præmuniatur. Et vidi bestiam, id est, Antichristum, et reges terræ, id est, malos prælatos qui se vel alios regere norunt in terrenorum cupiditate, et exercitus eorum, id est, malos subjectos, congregatos, perpetrandi mali unanimitate, ad faciendum prælium, id est, persecutionem, cum illo qui sedebat in equo, id est, Christo, et exercitu ejus, omnibus videlicet fidelibus. Mali quippe semper adversus bonos congregantur, et eos suis machinis conantur. Et diligenter adimadvertendum est quod ea quæ superius in hoc capitulo continentur, ad præsentem quam mali bonis inferunt pertinent persecutionem, ea vero quæ sequuntur ad futuram eorum quam pro perpetrata recipient impietate damnationem. Et apprehensa est bestia, quia apprehendetur Antichristus cum venerit vindicta, et pseudopropheta ejus, id est, omnis doctorum et principum ejus cœtus. Qui fecit signa magna coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiæ et adoraverunt imaginem ejus. Hæc quia superius sufficienter exposuimus, ea hic iterare non curamus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure. Hi duo specialiter ex nomine designantur, ut qui magis peccant, magis cruciandi cognoscantur. In stagnum ignis ardentis sulphure, ut qui non horruerunt se corrumpere fetore luxuriæ, ibi crucientur fetore ardentis gehennæ. Et notandum quod vivi in stagnum mitti dicuntur, quia vivi cruciatibus subjecti æternaliter misere viventes punientur. Sequitur :

Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum

Digitized by Google

qui procedit de ore ejus. Cæteri in gladio sedentis super equum qui procedit de ore ejus occidentur, quia subjecti et discipuli Antichristi et doctorum ejus divina sententia ferientur. Et omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum. Aves damnatorum carnibus saturabuntur, quia dæmones ex livore malitiæ vel etiam sancti ex amore justitiæ in cruciatibus eorum delectabuntur. Bestia ergo Antichristus, pseudopropheta, falsorum doctorum chorus, stagnum ignis, profundum damnationis, occisio cæterorum, damnatio subjectorum, saturatio avium de carnibus eorum, delectatio dæmonum, vel sanctorum, de cruciatibus damnatorum.

CAPUT VII.

De Satana ligando, et iterum solvendo, et sævitia et damnatione ejus.

« Et vidi angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu « sua. Et apprehendit draconem serpentem antiquum qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum « per annos mille, et misit eum in abyssum, et « clausit, et signavit illum, ut non seducat amplius « gentes donec consummentur mille anni. Et post « hæc oportet illum solvi modico tempore (*Apoc.* xx). » Declarata superius damnatione Antichristi, succedenter adjungit damnationem diaboli, sed tamen antequam ad damnationem diaboli veniat, ligationem et solutionem ejus, et sævitiam narrat, ut hæc omnia describendo electos de singulis erudiat, et contra diabolicam sævitiam præmuniat. Et vidi angelum descendentem de cœlo. Angelus Christus qui de cœlo descendit, quia nostram naturam suscipiens semetipsum pro nobis humiliavit. Qui habet clavem abyssi, quia claudit secundum suum arbitrium hiatum totius mali. Qui catenam magnam in manu habet, quia solus per potentiam suam sævitiam hostis antiqui ligare potest. Qui etiam draconem serpentem antiquum apprehendit, quia illum contra genus humanum fraudulenter, et contra se impios in morte ejus commovendo injuste egisse redarguit. Qui videlicet apostata spiritus, draco est per violentiam, serpens per fraudulentiam, antiquus per nocendi consuetudinem veternam. Qui est etiam diabolus, id est, deorsum fluens in malos fluendo, et Satanas, id est, adversarius, bonis adversando. Quem angelus apprehendens per mille annos ligavit, quia Christus illum toto tempore isto quo sancta Ecclesia ab adventu ipsius Christi usque ad tempus Antichristi perfecte per justitiam reparatur ad gloriam antiqua potestate privavit. Quantum autem ad litteram spectet iste annorum millenarius jampridem est completus, sed quando Antichristus veniat et Satanas solvatur ignoramus. Quantum vero ad spiritualem intelligentiam pertinet nequaquam implebitur, donec sanctæ matris Ecclesiæ justitia secundum divinam providentiam plenius perficiatur, millenarius quippe perfectionem signat. Tanto ergo tempore Satanas ligatur, quanto justorum perfectio consummatur. Ubi vero modo conversetur, declaratur cum subditur : Et misit eum in abyssum. In abyssum quippe eum misit, quia in tenebrosis et profundis infidelium cordibus latere compellit. Et clausit et signavit, quia nequaquam ad superandum suos electos inde exire permittit. Unde additur : Ut non seducat amplius gentes, sibi videlicet ad perpetranda scelera consentientes. Donec consummentur mille anni, id est, usque ad adventum Antichristi. Et post hæc oportet illum solvi modico tempore, quia sic Deus constituit, ut in diebus Antichristi iterum sæviat pristina recepta potestate. Sequitur :

Et vidi sedes et sancti sederunt super eas, et judicium datum est illis, et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem in frontibus, aut in manibus suis, et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Cuncta quæ in hac clausula continentur, ad tempus ligationis diaboli pertinere videntur. Et vidi sedes, et sancti sederunt super eas. Quasi diceret : Ligato diabolo, fideles vidi solutos, et subjectos prælatis obedire paratos, et prælatos recte judicare subditos. Sedes quippe signant subditos, sancti prælatos, licet et ipsi subditi sancti sint. Sancti ergo super sedes nunc sedent, quia prælati super subditos justam prælationem exercent. Et subauditur, vidi animas decollatorum, scilicet sanctorum martyrum a corporibus solutas, propter testimonium Jesu, id est, propter testimonium perhibitum ejus humanitati. Et propter verbum Dei, id est, propter testimonium perhibitum ejus divinitati. Et subauditur, vidi eos qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem in frontibus suis, et in manibus suis, sicut supra expositum est. Istos autem vidit, quia in mundo passos, et a corporibus solutos cum Christo in cœlestibus vivere et regnare intellexit. Unde apte subdit : Et vixerunt, et regnaverunt, vixerunt per justitiam, et regnaverunt per gloriam, cum Christo mille annis, id est, toto tempore isto quo sancta Ecclesia præparatur, et perficitur ad coronam æternam, non tantum in futuro, quando post primam stolam accipient secundam.

Et notandum quod hic dicit, vidi sedes, et sancti sederunt super eas, pertinet ad bonos qui adhuc præsentialiter in corporibus vivunt; hoc vero quod addit, et animas decollatorum, ad eos, qui jam a corporibus soluti sunt. Sed hoc quod se vidisse dicit animas decollatorum, spectat ad bonos majores; hoc vero quod in eadem sententia adnectit, et qui non adoraverunt bestiam, ad minores. Hoc denique quod tandem infert, dicens : *Et cæteri mortuorum non vixerunt donec consummentur mille anni.* Ad malos, qui primum quidem spiritualiter, deinde corporaliter moriuntur, et in infernum retrusi mortem nunc animarum patiuntur, nec reviviscunt donec consummentur mille anni; id est, donec consummata malitia eorum et perfecta justitia bonorum ad cor-

Digitized by Google

pora redeant, et sumptis corporibus iterum ad pœnas descendant. Sequitur :

Hæc est resurrectio prima. Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Iterum revertitur ad descriptionem justorum, et describit beatitudinem eorum. Hæc est resurrectio prima, justificatio sive glorificatio videlicet animarum, quæ est in acceptione stolæ primæ, sicut secunda est corporum in acceptione secundæ. Quanti autem sit præmii ante Deum habere partem in prima resurrectione declaratur, cum dicitur : Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima. Beatus per gloriam, sanctus, per justitiam. In his secunda mors non habet potestatem, quia ad æternam non descendunt damnationem, quæ est mors secunda malorum, propter pœnalitatem corporum. Culpa sive damnatio animarum quæ nunc est, est mors prima ; damnatio vero corporum, quæ futura est, est mors secunda. Ideo ergo illi qui nunc ad cœlestia bona per justitiam sive primam stolam colliguntur, beati sunt, quia mortem æternam non gustabunt. Sed erunt sacerdotes Dei et Christi, quia divinitati et assumptæ humanitati laudes immolabunt. Et regnabunt cum illo mille annis, id est, toto hoc tempore, non tantum in futuro de quo constat quod vere regnabunt. Sequitur :

Et cum consummati fuerint mille anni solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet omnes gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Iterum redit ad id quod superius dixit, oportet illum solvi modico tempore. Et cum consummati fuerint mille anni, tempore videlicet Antichristi, solvetur Satanas de carcere suo, id est, de malorum cordium profundo, et exibit recepta potestate, et seducet gentes, id est, omnes gentiliter vivere cupientes fallaci deceptione, quæ sunt super quatuor angulos terræ, quia inhiabunt cupiditati terrenæ. Gog et Magog : Gog interpretatur *tectum*, Magog *de tecto*. Gog ergo et Magog diabolus seducet, quia omnes malos maxime persecutores venenum malitiæ in se tegentes, et tandem ad apertam sævitiam procedentes fallaciter decipiet. Vel etiam secundum intelligentiam litteræ, Gog et Magog has duas ferocissimas et immundissimas gentes seducet, et per eas ad alias superandas procedet. Et congregabit eos in prælium, ad impugnandum populum, scilicet electorum. Quorum etiam multitudo et sterilitas declaratur, cum subditur : Quorum numerus est sicut arena maris, id est, ita innumerabiles et ita steriles. Quorum quoque impia in sanctos persecutio subsequenter describitur cum adjungitur : *Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam.* Ultimi namque persecutores super latitudinem terræ ascendent, quia superbiendo super terrenos semetipsos extollent. Castra etiam sanctorum circuibunt, quia eorum munitam unitatem, ad bellum semper paratam undique invadere et intrare tentabunt, sed non poterunt. Et circuibunt civitatem dilectam, quia conabuntur irrumpere, et dissipare sanctam Ecclesiam. Non enim has, vel illas sanctorum congregationes, sed et universalem sanctam Ecclesiam funditus subvertere et destruere laborabunt. Unde recte postquam dixit circuierunt castra sanctorum, statim adjecit, et civitatem dilectam. Sed nequaquam timendi sunt, quia cito peribunt. Nam sequitur : *Et descendit ignis a Deo de cœlo, et devoravit eos.* Ignis a Deo de cœlo descendit, et eos devoravit, quia repentinus interitus cœlitus illis immissus eos condemnabit. Sequitur :

Et diabolus qui seducebat eos missus est in flammam ignis, et sulphuris, ubi et bestia, et pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum. Descriptis omnibus aliis quæ in titulo præsentis capituli designantur, tandem damnationem diaboli subjungit, et eam breviter describit. Sed quia verba hæc superius satis elucidavimus, hic eadem iterare superfluum judicamus. Angelus ergo Christus; descensio angeli, incarnatio Verbi; catena magna, potestas divina; ligatio diaboli, cohibitio nocendi; mille anni, tempus a Christo usque ad adventum Antichristi; sedes, subjecti; sancti sedentes, prælati; cæteri mortuorum qui non vixerunt, reprobi qui jam perierunt; resurrectio prima, illa quæ nunc est glorificatio animarum justarum; mors secunda, futura corporalis et æterna damnatio malorum; solutio diaboli, laxatio nocendi; congregatio Gog et Magog in prælium, excitatio malorum ad persequendum; ignis immissus de cœlo, vindicta immissa a Deo; flamma ignis et sulphuris, incendium fetentis damnationis.

CAPUT VIII.

De die judicii, et qualitate ejus.

« Et vidi thronum magnum et candidum, et sedentem super eum, a conspectu cujus fugit terra et cœlum, et locus non est inventus ab eis. Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni. Et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ. Et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libro secundum opera ipsorum (*Apoc.* xx). » In fine visionis agit de fine temporis, de qualitate videlicet judicii quod erit in adventu Christi. Vidi thronum magnum candidum; vidi thronum, id est, regnantis et judicantis Christi dignitatem, magnum, per immensitatem, candidum, per immortalitatem. Et sedentem super eum, scilicet Christum, a cujus conspectu fugit terra et cœlum, secundum priorem speciem, et locus non est inventus in eis, secundum statum priorem. Et mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni. Ista secundum litteram tantum debent intelligi, et ideo secundum spiritualem intelligentiam non indigent exponi. Et libri aperti sunt. Libri qui tunc aperiri dicuntur, conscientias impiorum signi-

Digitized by Google

ficant, quia tunc revelabuntur. Et alius liber apertus est qui est vitæ, et judicati sunt mortui, id est mali, ex his quæ scripta erant in libro secundum opera ipsorum. Mortui, ex his quæ in libro vitæ scripta erant judicati recte dicuntur, quia mali qui mortuorum nomine figurantur ex comparatione justorum qui in libro vitæ scripti sunt damnabuntur: In ipsis quippe divina præcepta se contempsisse patenter legent, et ob hoc promeruisse perennes pœnas luculenter intelligent. Sciendum est autem quod quatuor sunt genera hominum, judicati, et damnati; judicandi, et damnandi; judicati, et salvati; judicandi, et salvandi. Judicati et damnati, quorum damnatio jam certa est. Judicandi et damnandi, quorum damnatio certa non est. Judicati et salvati, quorum salvatio jam certa est. Judicandi et salvandi, salvatio quorum adhuc certa non est. Ad judicandos igitur et damnandos præcipue pertinet id quod hic dicitur, mortuos judicatos, ex his quæ scripta erant in libro vitæ secundum opera ipsorum. Aliis enim dabitur pœna minor, aliis pœna major. Et ne aliquis ultimo judicio defuturus credatur, apte subditur : *Et dedit mare mortuos suos, et infernus, et mors similiter mortuos suos qui in ipsis erant.* Et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum. Mare nimirum dabit mortuos, quia dabit corpora mortuorum, et infernus, id est, locus pœnalis, et mors, id est, ipsa pœna dabit mortuos suos, id est, spiritus mortuorum. Et diligenter animadvertendum quod mare, et infernum sive mortem dedisse mortuos perhibuit, terram autem dedisse mortuos minime dicit. Ideo nempe de terra de qua certissime constat prudenter tacuit, quod de mari, et inferno, et morte dixit, quia quid certius creditur fieri, minus est necessarium dici. Et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum, quia secundum differentiam meritorum erit differentia præmiorum. Sequitur :

Et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda : *Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus missus est in stagnum ignis.* Per ista duo infernum videlicet et mortem, dæmones et homines damnandos possumus intelligere, qui mittentur in stagnum ignis, id est, in profundam permanentem obscuritatem damnationis. Hæc est mors secunda. Prima quippe mors est damnatio animarum; secunda vero damnatio adjuncta corporum. Et ad ultimum quidem generalem de omnibus damnandis infert sententiam, dicens : Et omnis qui non est inventus in libro vitæ scriptus, id est, qui non est ad vitam æternam prædestinatus, missus est in stagnum ignis, id est, in profunditatem infernalis conflagrationis. Thronus ergo magnus et candidus, immensa et immortalis dignitas regnantis et judicantis Christi; mortui pusilli et magni, universitas generis humani; apertio librorum, revelatio conscientiarum; mortui judicati ex his quæ scripta erant in libro vitæ secundum opera ipsorum, condemnatio malorum ex comparatione justorum, stagnum ignis, profunditas damnationis. Sacra denique prophetia in primo capitulo hujus sextæ visionis, egit sub nomine Babylonis de damnatione universitatis malorum, et de dolore et luctu singulorum illius amatorum. In secundo egit de exemplo submersionis illius ab angelo per lapidem moralem in mare præcipitatum demonstrato. In tertio egit de laude et gratiarum actione Deo exhibenda pro damnatione ejus. In quarto egit de potentia Christi judicis eam condemnantis. In quinto de typica invitatione dæmonum ad comestionem regum impiorum et omnium malorum. In sexto de speciali damnatione Antichristi, et pseudodoctorum ejus. In septimo egit de ligatione diaboli, et de solutione, et sævitia, et damnatione ejus. In octavo egit de ultimo judicio, et qualitate ejus. Et quidem pauca de calamitate damnandorum et qualitate infernalium tormentorum perstrinximus, quia tantam immensitatem mali declarare nequimus. Unusquisque sibi interim solerter provideat, et taliter vivere studeat, ne ad illam pœnam quæ nec cogitatione comprehendi, nec sermone potest explicari damnatus in fine descendat. Sed jam calamo quietem damus, ut ad septimam et ultimam libri hujus visionem contemplandam et elucidandam in crastinum recentiores ascendamus.

LIBER SEPTIMUS.

DE VISIONE SEPTIMA.

PROLOGUS.

Deus rector omnium judex universorum qui nihil in regno suo reliquit ordinatum, quemadmodum impiis stipendia damnationis dispensat, ita justos cœlestibus bonis remunerat. Unde sacra theologia quæ in præcedenti visione, sub nomine subversæ et submersæ Babylonis malorum damnationem manifeste describit; congrue nunc sub typo Jerusalem civitatis sanctæ glorificationem bonorum consequenter subjungit, ut sicut ibi describuntur impii sine fine puniendi, ita hic justi ostendantur æternaliter glorificandi. Agit autem hæc septima et sacratissima visio de innovatione futura elementorum, et glorificatione justorum et cœlestium mansionum, atque bonorum jucunditatem, multiformium figurarum qualitatibus pulchre describens, et humanum animum ad summi boni appetitum atque dulcedinem mirabiliter trahens. Nam si quis etiam solam ver-

Digitized by Google

borum pulchritudinem in serie visionis hujus diligentius ac studiosius attenderet, unde semetipsum ad tanti boni concupiscentiam excitaret, perfectissime reperiret, et tam pulchræ ac jucundæ civitatis habitator fieri votis omnibus exoptaret. Et nos quidem tantæ civitatis mirabilem structuram secundum spiritualem intelligentiam elucidandam ingressuri, nequaquam id nostris viribus præsumimus, sed in illum confidentes qui dona suæ sapientiæ humiliter petentibus dat affluenter et non improperat, ejus adjutorio ad tantarum tamque sublimium rerum arcanam profunditatem penetrandam roborati suppliciter postulamus. Agit namque visio sequens de Jerusalem sancta cœlesti, describens murum ejus, portas ejus, angulos ejus, longitudinem ejus, latitudinem quoque et altitudinem ejus, et diversa fundamenta ejus, diversa pretiosorum lapidum signante figura, et cætera mirabilia ejus sacramenta quæ in sequentibus continentur.

CAPUT PRIMUM.

De innovatione elementorum.

« Et vidi cœlum novum, et terram novam, primum « enim cœlum, et prima terra abiit, et mare jam non « est (*Apoc.* XXI). » Mira providentia sacra utens prophetia primo ponit innovationem elementorum, deinde subjungit glorificationem justorum, ut videlicet de mundanis ad cœlestia conscendamus, et de visibilibus ad invisibilia contemplanda pertingamus. Sic etiam legimus in principio mundum prius factum, ac postea hominem dominum mundi fuisse creatum. Sed cum quatuor constet esse elementa, ignem scilicet, aerem, aquam, terram, trium tantum innovandorum hic videtur fecisse mentionem, aeris, terræ et aquæ. Terram quippe proprio nomine et manifeste, ubi se dixit terram novam vidisse designavit; aerem vero ubi se cœlum novum vidisse, et aquam, ubi mare jam non esse dixit, insinuavit. De igne igitur innovando propterea conticuisse potest credi, quod ignem parva vel nulla corruptione constet fœdari, et illius virtute cætera elementa in illa ultima conflagratione debeant emundari : quod autem primum cœlum et primam terram abiisse, et nova se vidisse testatur, nequaquam debet intelligi hæc duo elementa aerem videlicet et terram penitus consumi, et alia loco eorum creari, sed utraque secundum priorem formam, et speciem conflagrari, et longe, et inæstimabiliter in melius resurgere et renovari. Sunt qui dicunt de aqua, propter quod hic dicitur, et legitur, et mare jam non est, ultimi illius ardoris virtute eam penitus consumi, sed subtiliter est intuendum quod non dicitur aqua jam non est, sed mare jam non est, ut evidentius ostendatur aquam non penitus annihilari, sed a corpulentia, et omni corruptione et falsa amaritudine tunc purgari : quod enim dicit primum cœlum et terram abiisse, et mare jam non esse, ad tria præcipue elementa aerem, terram, aquam spectare videtur, et non ad eorum omnimodam consumptionem, sed ad perfectam per ignem purgationem, et inæstimabilem divinitus illis inditam innovationem. Innovabitur itaque mundus non ut homini velut mundo amplius serviat, sed ut mundo æternaliter subsistente homo Creatori et renovatori ejus æternas gratias agat. Sed quia superius aliis in locis multa ad hunc pertinentia pertractavimus, idcirco eum velocius prævolamus, et ad alia discutienda festinamus. Non enim curamus iteratis sententiis vel verbis, vel multis auctoritatibus attractis paginam gravidare, sed ad majorem eorum quæ scribimus memoriæ confirmationem breviter et succincte singula pertransimus. Brevitate namque in spatio, et paucitate in numero memoria gaudet.

CAPUT II.

De civitate sancta Jerusalem cœlesti.

« Et vidi civitatem sanctam Jerusalem novam « descendentem de cœlo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo (*Apoc.* XXI). » Postquam superius posuit elementorum innovationem, subjungit deinceps sanctorum glorificationem. Et vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo. Vidi, per spiritualem intelligentiam, civitatem, justorum videlicet collectionem immensam, sanctam, per justitiam. Jerusalem per visionem internæ pacis æternam; novam, quia a vetustate purgatam; descendentem de cœlo, quia quod juste vivit in tempore, quod bene vivit in æternitate, se totum habere perfecte cognoscit; a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo, quemadmodum enim missis muneribus a viro ad thorum viri præparatur sponsa, sic datis donis cœlestibus a Christo, virtutibus quoque, et operibus bonis ad cœlestem Christi copulam præparatur Ecclesia. Et quia dicit se vidisse innovationem elementorum et glorificationem justorum, ne hoc vel illud tam incognitum incredibile videretur, adducit ad confirmationem dicti testimonium sanctorum Patrum et testimonium ipsius Dei, ut utroque testimonio dictum confirmetur. Nam sequitur :

Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus erit cum eis eorum Deus. Quid enim per thronum rectius accipimus, quam sanctos Patres animarum rectores, in quibus Deus residendo regnat, et inferiores pie ac juste gubernat? De quo throno vox exit, quia de sanctis Patribus promissio boni cœlestis ad nos usque procedit. Quæ vox jure dicitur magna, quia promittit bona immensa, bona æterna. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, potest intelligi evidens et manifestum divinitatis contubernium cum salvatis. Tabernaculum quippe Dei cum hominibus erit, quando se nobis, et nos sibi Divinitas in cœlesti patria sociabit. Et quia illa societas sive cohabitatio non transitoria, sed æterna erit, recte dicit : Et habitabit cum eis. Per hoc nimirum quod dicit habitabit, æternitatem societatis ac mansionis designavit. Cujus societatis vinculum adhuc declarat, cum subjungit : Et ipsi populus ejus erunt, et ipse

Digitized by Google

Deus erit cum eis eorum Deus. Ipsi nimirùm populus ejus erunt, illius laudem æternaliter et unanimiter concelamando, et ipse erit eorum Deus, suam beatitudinem illis mirabiliter et ineffabiliter participando. Sed et diligenter est considerandum quod dicit, et ipse Deus erit cum eis eorum Deus. Nam et nunc est ipse Deus cum suis in mundo, sed nequaquam cum eis esse videtur quandiu in hac mortalitate viventibus eorum manifeste visioni non revelatur. Sed tunc vere cum eis erit, quando se glorificatis illis revelata facie manifestabit. Erunt itaque populus ejus, eum nunquam offendendo, et ipse erit cum eis eorum Deus, eos nunquam deserendo. Sed quia non quemadmodum videmus fieri in mundo ita erit et in cœlo, ut videlicet bonis illis cœlestibus summis et æternis mala quædam permisceantur, apte subditur:

Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quæ prima abierunt. Habebunt ergo omne bonum absque omni malo. O quam dulcia sunt ista, et animum vehementer (si tamen illis intendat) ad se trahentia, et in se rapientia, et tractum raptumque suaviter debriantia! Erubescat igitur in vilibus delectari, qui sibi talia ac tanta bona noverit reservari. Contemnat post modicum velit nolit amittenda, quærat post modicum si velit accipienda, sine fine possidenda, et sequitur: Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, quæ modo videlicet causis emergentibus oboriuntur per quas animus multipliciter exasperatur, et quod major minorque causa lacrymæ tunc non erit, inferius declaratur. Major namque causa tunc non erit, quia mors non erit. Minor quoque causa non erit, quia luctus, clamor, dolor non erit. Mors non erit, quia nulla erit animæ corporisque separatio. Luctus non erit, quia nulla erit charorum amissio, luctus quippe dicitur de amissione charorum. Clamor quoque non erit, quia nulla erit injuriæ illatio. Dolor denique nullus erit, quia nemo dolebit de qualibet amissione. De quibus benedicitur quæ prima abierunt, quia quandiu vita præsens quæ sine peccato non est, agitur, etiam sanctos afficiunt, sed tunc ablato peccato ex quo procedunt, et cui succedunt penitus non erunt. Modo tamen sancti prædictis malis purgantur, qui ad ipsam beatitudinem futuram præparantur. Damnandi vero etiam ejusmodi malis in hac vita graviter affliguntur, sed non ad præparationem beatitudinis, sed ad damnationis initium pertinet, quod puniuntur. Sed, ne hæc quæ in sacra visione de elementorum innovatione et justorum glorificatione continentur insufficiens videretur attestatio humana, adjungitur auctoritas divina. Nam sequitur:

Et dixit, qui sedebat in throno. Ecce nova facio omnia. Non solum quippe thronus, id est, sanctorum doctorum cœtus in quo Deus residendo regnat, sed et ipsa divinitas regnans hujus rei testimonium clamat. Si quis autem dixerit vocem illam de throno quæ processit (ubi dicitur: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum illis), magis spectare ad glorificationem sanctorum, testimonium vero divinitatis ubi infertur, ecce nova facio omnia, referri ad innovationem elementorum, non erit incongruum: nam et hoc rationabiliter factum probatur, si res subtiliter perpendatur. Magis quippe constare videtur, et certius creditur, et frequentior auctoritas in sacra pagina reperitur de glorificatione justorum, quam de innovatione elementorum: quod ergo forsitan minus credibile posset videri, majori testimonio debebat et decebat confirmari. Et quoniam quæ sanctis invisibiliter et spiritualiter ostenduntur, aliis minus prosunt nisi scribantur, recte nunc dicitur: *Et dixit: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt et vera.* Ac si diceret: Quod tibi est ostensum, scripto commenda ad utilitatem aliorum, ut qui viderint legant, et legentes ad meliora proficiant. Et dignum est ut scribas, quia hæc verba fidelissima sunt et vera. Fidelissima namque sunt, quia fideliter futura bona prænuntiant; vera, quia vere complebuntur cuncta quæ clamant. Sequitur:

Et dixit mihi: Factum est. Ego sum alpha et omega, initium et finis. Ne quæreret quid post illam innovationem esset futurum dicitur nihil restare faciendum, sed cuncta esse completa quæ ab initio fuerunt prædicta. Quorum omnium consummationem seipsum esse denuntiat, dicens: Ego sum alpha et omega, initium et finis. Quasi diceret: Sicut omnia per me habent originem, ita et per me habent consummationem. Ego vero existentia creavi, ego inveterata ut æternaliter subsistant renovavi. Ego feci, ego refeci; feci in principio, refeci in fine. Et quia superius glorificationem justorum expressit, consequenter auditores ad ejus jucunditatem invitat, cum subjungit: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis. Qui vicerit possidebit hæc, et ero illi Deus, et ipse erit mihi filius.* Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis, quia ego sum principium beatitudinis. Sitienti: Bona cœlestia sitit, qui ea totis præcordiis sitit et concupiscit. Deus quippe sitienti de fonte aquæ vivæ dat, quia animam quæ ad illum ardenter suspirat, cœlestibus bonis minime fraudat. Gratis: Gratis etenim fons aquæ vivæ datur, quia per gratiam divinam supernæ plenitudinis nobis bonum confertur. Non enim humana virtus illud promeretur, nisi illi gratia divina ad promerendum prius donetur. Qui vicerit, videlicet hostem antiquum, mundum, vitium, possidebit hæc, quia pertinget ad bravium. Possidebit hæc: quæ? Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparavit Deus diligentibus se (*Isa.* LXIV; *I Cor.* II), quæ propter immensitatem nequeunt comprehendi, propter æternitatem finiri, propter bonitatem æstimari. O quam grandia sunt ista cœlestium bonorum promissa, quæ exsuperant omnem sensum, dulciora super mel et favum! Et ero illi Deus, quemadmodum superius expositum est, et ipse mihi

Digitized by Google

erit filius, quod supra dictum est, populus. Sed, ne A mali vitiis et sceleribus obvoluti, vel falsis orationibus quas plerumque fundunt, vel eleemosynis quas aliquando Ecclesiæ vel pauperibus impendunt, vel alio quolibet modo ad cœlestis boni participationem (nisi resipiscant) aliquatenus se pertingere credant, penitus hoc in libro damnationi adjiciuntur, et a consortio justorum dividuntur. Nam sequitur :

Timidis autem, et incredulis, et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus pars erit in stagno ardenti igne, et sulphure quæ est mors secunda. Timidi sunt, qui timore pœnarum fidem accipere fugiunt, vel acceptam relinquunt. Increduli sunt, qui futura bona minime credunt. Exsecrati sunt, qui occultæ spiri- B tualis gratiæ participatione divino judicio privantur, vel manifeste ecclesiastico more pro suis sceleribus excommunicantur. Homicidæ sunt, qui vel voluntatis pravitate, vel sermonis persuasione, vel operis perpetratione, aliquem occidunt. Fornicatores sunt, qui vel carnis illecebris, vel hujus mundi delectationibus illicite se subjicere non erubescunt. Venefici sunt qui venenum malitiæ verbo, vel exemplo crudeliter infundunt. Idololatræ sunt, qui relicto veræ divinitatis cultu per idololatriam se dæmonibus subdunt. Mendaces sunt qui, relicto veritatis tramite, proximos fraudulenter fallunt. Legimus autem in quibusdam sanctorum verbis imperfectos pro mendacio quando sit ab eis evaC dendi causa periculi nequaquam damnari, sed ante misericordem judicem inter venialia deputari, perfectos vero, si opus fuerit, veritatem quidem posse tacere, sed a verbo mendacii penitus cavere debere. His igitur supradictis, omnibus videlicet impiis pars erit in stagno ardenti igne et sulphure, quæ est mors secunda, non cum sanctis in sancta Jerusalem cœlesti, quæ est visio pacis æterna. Et quidem dixisse partem malos habituros in stagno ardenti ad veritatis declarationem suffecisset, sed adjecit igne, ut pondus infernalis conflagrationis expressius insinuaret. Cujus quoque conflagrationis vim efficacius ostendit, dum, postquam dixerat igne, sulphure adjunxit, quod etiam ait malos in stagno ardenti partem habituros alios plus, alios D minus designavit passuros. Sed et diligenter pensandum esse videtur, quod hic ubi mali damnandi describuntur, octo eorum species, videlicet timidi, increduli, exsecrati, homicidæ, fornicatores, venefici, idololatræ, mendaces designantur ; ut per talem numerum a justis, qui octo beatitudinibus ditabuntur prorsus alieni et exsortes ostendantur. Jerusalem igitur nova, universitas justorum renovata, quæ de cœlo descendit, quia a Deo gratiam justificationis se habere recognoscit, tabernaculum Dei cum hominibus, et habitatio ejus cum eis, videns et æterna societas illius cum glorificatis ; abstersio lacrymarum, ablatio malorum.

CAPUT III.

De ostensione Agni sancto theologo per angelum facta.

« Et venit unus de septem angelis habentibus « phialas septem plenas plagis novissimis, et locutus « est mecum dicens: Veni, ostendam tibi sponsam « uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem « magnum et altum, et ostendit mihi civitatem « sanctam Jerusalem novam de cœlo descenden« tem a Deo, habentem claritatem Dei (*Apoc.* xxi). » Unus de septem angelis intelligitur universitas prædicatorum unanimis in fide, et ministerio prædicationis. Qui videlicet dicitur de septem habentibus phialas plenas plagis novissimis, quia sancti prædicatores quemadmodum malis prædicunt divinam ultionem, ita bonis prænuntiant justitiæ retributionem, et sanctæ universalis Ecclesiæ glorificationem. Unde et recte nunc dicitur : Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Sed mirum videtur quod angelus sancto theologo se hic sic sponsam uxorem Agni ostendere promisit, quam ipse sanctus se vidisse paulo ante descripsit : in præcedenti quippe capitulo dixit: Et vidi civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cœlo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Quid est ergo quod illi promisit ostendere, quam se dixerat jam vidisse, nisi quod jam magna quidem viderat, sed adhuc tamen valde majora visurus erat? Liquet nimirum in sequentibus ubi sanctæ civitatis murum portas, angulos, mensuram, fundamenta et alia multa illius gloriosa sacramenta multiformiter et pulchre describit, ea quæ jam viderat valde æstimanda parva ad illorum mirabilem comparationem quæ restabant videnda. Ait ergo: Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Quasi diceret: Magna quidem sunt quæ de futuro sanctorum statu vidisti, sed eleva et dilata mentem, quia de eodem statu ipsorum visurus es mira quæ nondum vidisti. Ipsa vero sancta mater Ecclesia et sponsa et uxor pariter dicitur : sponsa, quia cœlesti sponso Christo spirituali dilectione copulatur, uxor, quia per ejus gratiam ad multorum filiorum procreationem fecundatur. Et sustulit me in spiritu, multo videlicet sublimius, quam fueram primus. In montem magnum et altum, quia magna erant, et alta, quæ mihi erant ostendenda. Magna, propter universam glorificandorum multitudinem, alta propter possidendi boni sublimitatem. Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo, ostendit valde scilicet excellentius quam eam videram prius. A Deo habentem claritatem Dei : nemo enim a se habebit claritatem, quam in cœlesti beatitudine possidebit, habentem claritatem Dei, quemadmodum ferrum, dum in ignem mittitur, in igne et ab igne coloratur, et ignis quidem speciem sumit, sed a se non habet quod accipit, ita sancta mater Ecclesia clarescet in beatitudine, æternæ divinitatis illustrata fulgore. Æstimet ergo qui potest, quanta, quamque jucunda concors et indissolubilis erit

Digitized by Google

creaturæ humanæ, Creatorisque unica conjunctio, ubi claritas, quam Creator habet per plenitudinem, creaturæ dabitur per plenitudinis participationem quam habet per naturam, huic dabitur habere per gratiam. Cujus claritatis gloriam expressius designat inferius ostendens quod illo lumine illustrabitur, quo dilectus filius patris ejusdem sponsæ gloriosæ sponsus secundum hominem assumptum glorificatur. Nam sequitur :

Lumen ejus simile lapidi pretioso. Lapis nimirum pretiosus recte dicitur Christus. Lapis, quia immortalitate indissolubilis, pretiosus, quia forma præ filiis hominum speciosus. Lumen ergo sanctæ civitatis supernæ simile describitur lapidi pretioso, quia sancta justorum universitas in futuro sæculo claritate divinitatis contemplatæ perlustrata similabitur Christo. Hæres facta Dei, cohæres autem Christi. Sancta itaque superna civitas claritatem habebit Dei ad similitudinem Christi, non tamen tantam quantam ille; quia, quemadmodum membra caput excellit, et sponsus sponsam dignitate præcedit, sic homo a Verbo assumptus, Verbo unitus, qui peccatum non fecit, in cujus ore non est dolus inventus, qui est omnibus sibi obtemperantibus causa salutis factus, gloria claritatis universis incomparabiliter eminebit. Sequitur :

Tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum jaspis viret, crystallum claret. Christus jaspis, Christus crystallus; Christus jaspis, quia exsecutione paternæ voluntatis nequaquam deficiens immarcessibilis viruit, Christus crystallus, quia ex mortuis resurgens gloria immortalitatis clarus effulsit. Sanctæ igitur civitatis lumen simile erit lapidi pretioso, id est Christo, et tanquam lapidi jaspidis sicut crystallum, quia in cœlesti patria cum Christo virebit bono immarcessibilis æternitatis, et fulgebit dono indissolubilis immortalitatis. Septimus ergo angelus, prædicatorum ordo universus ; sponsa Agni, Ecclesia Christi ; claritas sponsæ, glorificatio Ecclesiæ ; lumen simile pretioso lapidi, similitudo claritatis Christi. Similes enim ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.

CAPUT IV.

De muro Hierusalem, et portis, et angulis, et fundamentis ejus.

« Et habebat murum magnum, et altum habens « portas duodecim, et in portis anguli duodecim, et « nomina scripta quæ sunt nomina duodecim tribuum « filiorum Israel (*Apoc.* XXI). » Descripto superius generaliter sanctæ civitatis statu futuro et gloria, progreditur ad quædam illius ornamenta singulariter describenda, ut quanto gloriosior demonstratur in singulis, tanto sublimius prædicetur et commendetur in universis. Et habebat murum magnum et altum. Per murum magnum convenienter accipimus Christum qui ipsam sanctam Hierusalem undique circumdat, et contra incursores dæmones, et pravos homines, et vitia circumquaque nunc defensat. Qui bene quoque magnus et altus perhibetur, quia magnus est per incomprehensibilitatem immensitatis, et infinitatem æternitatis, et altus per exaltationem humanitatis, et sublimitatem majestatis, habens portas duodecim. Per portas vero sanctos apostolos intelligimus, per quorum fidem et doctrinam sanctam civitatem introimus. Quotquot enim hominum ad Christum convertuntur, per ipsorum eruditionem sanctam Hierusalem ingrediuntur. Et in portis anguli duodecim. Anguli sunt minores quique et imperfectiores, et meritis occultiores. Qui bene in portis esse dicuntur, quia in prædicatione et doctrina sanctorum apostolorum colliguntur. In muro nempe duodecim portæ, et in portis duodecim sunt anguli, quia in prædicatione Christi collecti sunt duodecim apostoli, et in prædicatione apostolica vita minores et meritis occultiores universi. Angelus namque occultum signat, et duodenarius universitatem figurat, constat etenim externario et quaternario alterutrum multiplicato, quorum ternarius propter sacramentum Trinitatis invisibilium, quaternarius vero propter quatuor elementa visibilium forma est. Sed et ut apostolos fidem Israeliticæ gentis atque justitiam in sua prædicatione doctrina et scriptis commendasse patenter ostendatur, apte subditur : Et nomina scripta quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Recte etenim in portis duodecim tribuum Israel nomina scripta memorantur, quia eorum merita per ipsos apostolos in sacra pagina gloriosa fuisse prædicantur. Sequitur :

Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres ab austro portæ tres, ab occasu portæ tres. Per orientem justos, qui fuerunt in principio mundi; per aquilonem eos qui ex gentilitate a bonis quondam frigidi sunt conversi, convenienter accipere possumus. Per austrum vero antiquos justos Judæos futuri Salvatoris fide calentes. Per occasum illos qui in fine sæculi convertentur intelligimus. Ab oriente ergo, ab aquilone, austro et occasu portæ tres esse in civitate congrue narrantur; quia, quicunque ex prædictis gentibus salvantur, per sanctæ Trinitatis fidem in quatuor mundi partibus apostolica prædicatione divulgatam et confortatam justificantur : alibi introitus nullus patet, quia aliunde nemo salutem habet. Per fidem sanctæ Trinitatis etiam sancti antiqui introierunt, quanquam ipsius sacramentum ita revelatum sicut nos nunc non habuerunt. Et quia Redemptor noster ex patriarchis carnis originem traxit, bene sequitur : *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim.* Murum quippe duodecim fundamenta habere sacra visio revelavit, quia Salvator, qui suam Ecclesiam undique munit, ex genere patrum carnem assumpsit. Sequitur :

Et in ipsis duodecim nomina apostolorum et Agni. Mirum est. Superius in portis quas apostolos figurare diximus nomina duodecim tribuum Israel scripta legimus, hic in fundamentis in quibus duodecim patriarchas, vel ipsas tribus ex patriarchis progressas intelligimus, nomina duodecim apostolorum et

Digitized by Google

Agni scripta reperimus. Mira ergo et antiquorum et modernorum in una fide concordia. Nomina namque duodecim tribuum in apostolis, et nomina duodecim apostolorum scripta leguntur in duodecim tribubus sive patriarchis, quia apostoli fidem Patrum de redemptione generis humani completam prædicaverunt, et patres per apostolos prædicandam fideliter crediderunt. Sed et hoc diligenter est notandum, quod nomen Agni in fundamentis, non in portis legitur scriptum, quibus manifeste creditur exhibitum, sed in antiquis a quibus diu exspectatum est exhibendum. Magna sunt ista beatæ civitatis sacramenta, et totius diligentiæ studio perscrutanda. Sed nos ex eis pauca perstringimus, et multa tuæ prudentiæ discutienda reservamus. Murus ergo Christus; portæ apostoli; anguli, sancti meritis occulti, vel etiam vita ab aliis remoti; oriens, homines primordiales; aquilo, gentiles; auster, Judæi; occasus, ultimi justi; duodecim fundamenta, patres antiqui.

CAPUT V.

De mensura ejus.

« Et quid loquebatur mecum habebat mensuram, « arundinem auream, ut metiretur civitatem et portas ejus et murum (*Apoc.*, XXI). » Mensura rerum differentiam significat meritorum. Superius vidit civitatem munitam, et ornatam, hic edocetur attendere alios ab aliis in sancta civitate meritis differre. Et diligenter intuendum quod multa, quæ in descriptione sanctæ civitatis ponuntur, magis ad sanctorum præsentia merita, quam ad futura præmia spectare probantur. Quamvis namque intentio prophetiæ sit in hac visione supernum beatæ Hierusalem statum describere, quædam tamen magnifica de præsentibus ejus meritis non inconvenienter studet intimare, ut dum de sanctorum magnificis virtutibus erudimur, cœlestia eorum præmia sublimiter admiremur. Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundinem auream. Quid per arundinem auream aptius accipimus quam sacram Scripturam? Angelus enim habet arundinem auream, quia sanctus doctorum chorus ad erudiendam plebem Dominicam missus habet Scripturam divinam, Dei sapientia quæ per aurum figuratur compositam, et fulgidam. Quæ scilicet Scriptura est arundo per sonum prædicationis, et aurea, per fulgorem divinæ cognitionis. Hanc angelus habens civitatem metitur, quia doctorum auctoritas eam fidelibus secundum uniuscujusque capacitatem, et mensuram dispensat, et quantum unusquisque secundum ipsam operetur, et proficiat studiose considerat. Et dum auditorum conatum, secundum suam doctrinam proficere videt de dilatione sanctæ civitatis mirabiliter, et multipliciter gaudet, et laborat in anteriora sermonis arundinem protendere, ut adhuc sanctum ædificium valeat dilatare. Ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum. Per civitatem quæ speciali nomine designatur, plebem accipimus inferiorem; per portas, sicut supra dictum est, apostolos, quorum doctrina alii ingrediuntur ad fidem; per murum, Christum, qui suos undique munit, et ab hostium incursu defendit. Angelus ergo metitur civitatem, dum doctorum sagacitas subjectæ plebis attendit possibilitatem, et secundum virtutem capacitatis adhibet verbum prædicationis, et adhibito verbo profectum operis considerat, ut quantum se in supernæ civitatis ædificium extendere possit patenter agnoscat. Portas etiam metitur, dum apostolicam doctrinam introitum civitatis cœlestis esse manifeste cunctis protestatur. Metitur denique secundum aliquid murum, dum nostrum Redemptorem et defensorem Jesum Christum, prædicat Deum et hominem verum. Sed et totius civitatis forma, et immobilis stabilitas perfectæ describitur, cum adjungitur :

Et civitas in quadro posita est. Longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo. Quatuor sunt latera civitatis sanctæ, fides, spes, charitas, operatio. Quæ æqualia sunt; quia, quantum quisque credit, tantum sperat; quantum sperat, tantum diligit; quantum diligit, tantum operatur. In quadro igitur civitas posita est, robusta fide, longanimis spe, ampla charitate, efficax opere. Vel quadrum civitatis sunt quatuor principales virtutes in homine, prudentia scilicet, temperantia, fortitudo, justitia, quæ æquales esse debent in homine, nec alia aliam debet excedere. Et, ut minores quosque qui non speciali, aut singulari nomine velut murus portæ fundamenta ponuntur, sed generali videlicet civitatis vocabulo exprimuntur; ut, inquam, ipsos minores quos etiam respectu perfectorum imperfectos vocamus sui gradus perfectione, et suæ perfectionis cumulo non carere demonstret; recte subjungit: *Et mensus est civitatem de aurea arundine per stadia duodecim millia.* Stadium est longitudo itineris, in quo curritur ut bravium acquiratur. Unde Apostolus : *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium* (*I Cor.* VI). Duodenarius autem universitatem signat, millenarius vero perfectionem. Angelus itaque, et quemadmodum supradictum est, metitur civitatem, quoties solers doctorum prudentia minorum considerans capacitatem, et pro capacitate eis adhibet prædicationem, et diligenter attendit quantum per bonam conversationem extendatur in supernæ civitatis constructionem. Sed hæc mensura per stadia duodecim millia protendi recte perhibetur, ut et ipsos ad æternæ beatitudinis bravium tendere, et universos suæ perfectionis plenitudinem habere patenter ostendatur. Nam et, si perfectorum meritis nequeant coæquari, eos tamen non pigritantur perfecte secundum suam virtutem imitari. Aliter: Angelus civitatem de aurea arundine per stadia duodecim millia metitur, quia doctorum auctoritas etiam minores ad bravium æternæ remunerationis currentes, apostolicam doctrinam ex verbis sacræ Scripturæ perfecte secundum vires suas consummare attestatur. Duodenarius quippe apostolicam doctrinam significat, et millenarius perfectionem

Digitized by Google

figurat. Et ejusmodi quidem verba multis sensibus exponere possemus, quæ tamen causa brevitatis raptim tangenda judicamus. Sed quia superius ubi beatæ civitatis longitudinem, et latitudinem illius per quadrum descripsit, de altitudine ejus nihil dixit, longitudinem et latitudinem illius nunc repetens etiam altitudinem describit, dicens : *Longitudo, latitudo, et altitudo ejus æqualia sunt.* Longitudo, fides; altitudo, spes; latitudo, charitas. Quæ æqualia sunt; quia quantum quisque credit, tantum sperat; quantum sperat, tantum diligit. Nec mireris quod superius spes pro uno civitatis latere ponitur, et hic per eam ipsius altitudinem figuramus, quia una, et eadem res in sacro eloquio sæpe multis intellectibus servit. Unde et per spem quæ ad futura longanimiter exspectanda protenditur, et superna concupiscenda sublimiter elevatur, adjuncta fide, charitate, bona actione cœlestis ædificii quadrata dispositio, superius convenienter ordinatur, et hic illius altitudo congrue figuratur. Superius denique ubi scriptum est, civitas in quadro posita est, dicimus fidem, et spem quæ ad futura extenduntur longitudinem, charitatem vero, et bonam actionem quæ ad proximum dextrorsum, et sinistrorsum distenduntur latitudinem perficere. Hic autem ubi additur longitudo, et altitudo, et latitudo ejus, æqualia sunt : solam fidem longitudinem, spem altitudinem charitatem latitudinem consummare. In quo mirabilis sacræ Scripturæ virtus apparet, quod se earumdem rerum sensibus ad diversæ significationis modum variare potest. Sequitur :

Et mensus est muros ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis quæ est angeli. Superius dixit murum, hic dicit muros. Habet nimirum Hierusalem nostra murum, quia defensorem habet Christum; habet muros, quia habet munitores, doctores et rectores ecclesiasticos. Quorum mensura perfecte declaratur, cum dicitur : Et mensus est muros ejus centum quadraginta quatuor cubitorum mensura hominis est angeli. Centenarius significat perfectionem, quadragenarius qui ex quater decem consurgit, quatuor Evangeliorum et Decalogi completionem, quaternarius quatuor principalium virtutum exercitationem, cubitus operationem. Muri igitur Hierusalem centum quadraginta quatuor cubitos habent, quia sanctæ Ecclesiæ defensores perfecta operatione præcepta quatuor Evangeliorum atque Decalogum cum exercitatione quatuor principalium virtutum complent. Et hæc est hominis mensura, quia hæc est omnis justitia. Nec est vilis, nec contemnenda tanta talisque mensura. Per eam nimirum homo in se justificatur, per eam angelo socialiter coæquatur. Propterea dicitur mensura hominis quæ est angeli. Hæc etenim mensura hominis esse mensura angeli affirmatur, quia per hanc homo reparatus in mundo, angelo in cœlo sociatur. Loquens ergo cum sancto Joanne angelus, est sanctorum doctorum chorus; arundo aurea, Scriptura; civitatis quadratura, firma et immobilis sanctæ Ecclesiæ constantia; duodecim millia stadia per quæ civitas est mensurata, apostolica doctrina perfecte impleta a minori Ecclesia tendente ad præmia superna; muri civitatis, defensores ecclesiastici; mensura murorum, justitia defensorum Ecclesiasticorum in perfecta operatione evangelicorum et legalium præceptorum, et exercitatione quatuor principalium virtutum.

CAPUT VI.

De qualitate muri, et fundamentorum, et portarum ejus.

« Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; « ipsa vero civitas aurum mundum, similis vitro « mundo (*Apoc.* xxi). » Dixit superius se vidisse civitatem et murum, sive muros ejus, portas ejus, et fundamenta ejus, et hæc omnia inter se differre, et alia ab aliis distare. Hic vero exsequitur et ostendit qualis sit murus, qualis civitas, qualia fundamenta, quales portæ. Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide. Murus Christus; structura muri, conjunctio Verbi et hominis assumpti. Quæ recte dicitur esse ex lapide jaspide, quia firmiter et indissolubiliter permanent in unitate personæ. Quæ etiam structura non ex quocunque lapide perhibetur esse, sed ex jaspide, qui virescit, quia Christus virorem nobis immarcessibilis æternitatis repromittit. Ipsa vero civitas aurum mundum similis vitro mundo. Superius monstratum est nomine civitatis minorem Ecclesiam figurari. Est itaque civitas aurum mundum similis vitro mundo, quia sancta Ecclesia etiam in suis minoribus electis velut aurum rutilat fulgore divinæ cognitionis, et lucet sicut vitrum puritate confessionis. Vitrum nullas in se sordes celat et sancta electorum simplicitas sua peccata majoribus pure revelat, utrumque vero et aurum et virum mundum dicitur, ut utriusque virtutis puritas et perfectio designetur. Sequitur :

Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonius, sextum sardus, septimum chrysolithus, octavum beryllus, nonum topazium, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethystus. Post murum et civitatem, ad fundamenta muri procedit, et eorum pulchritudine sub figura prædictorum lapidum multiformiter describit. Dicimus autem per fundamenta muri duodecim patriarchas, vel potius alios sanctos Veteris Testamenti qui per patriarchas figurantur significari, qui vere omni lapide pretioso ornati sunt, quia et suis temporibus omni genere virtutum firmiter effulserunt, et post se imitatores ipsarum virtutum reliquerunt. Ipsi sunt ergo fundamenta muri, ipsi lapides pretiosi, quia et ex eorum genere sumpsit Christus carnem, et ipsi claruerunt per multiplicem virtutum fulgorem. Quas etiam virtutes per ordinem sub figura pretiosorum lapidum describit, et earum pulchritudinem mirabiliter ostendit. Fundamentum primum jaspis, id est in fundamento primus ponitur jaspis, qui, quia viret, omnium bo-

Digitized by Google

norum virens germen signat fidem. Sapphirus, quia cœlo sereno similis est, cœlestium bonorum signat spem. Chalcedonius, quia quasi palleus ignis lucernæ lucet, signat charitatem. Smaragdus, quia et ipse viret, virentem bonæ actionis exprimit inchoationem. Sardonius, quia inferius nigrescit, humilitatem. Sardius, qui rubet, passionem. Chrysolithus, qui scintillas emicat ardentes, miraculorum designat operationem. Beryllus qui manum tenentis urit, designat in proximo ex bono exemplo justitiæ accensionem. Topazius, aurei et ætherei coloris, omnibus gemmis pretiosior, designat contemplationem. Chrysoprasus viridis, desiderium figurat nunquam marcescentis æternitatis. Hyacinthus qui cum aere mutatur, cum sereno serenus, cum nubilo nubilus, virtutem fraternæ condescensionis. Amethystus purpureus, dignitatem regni cœlestis. Qui omnes designato ordine disponuntur, quia sanctorum virtutes non confuse, sed ordinate esse, et pulchre dispositæ cognoscuntur. Si quis autem prædictorum lapidum dispositionem voluerit subtilius considerare, non minimam doctrinam in ea poterit invenire. Primus etenim ponitur jaspis, qui significat fidem, quia fides omnium principium est et origo virtutum. Secundus ponitur sapphirus, qui significat spem, quia spes secundum locum habet post fidem. Tertius chalcedonius, qui significat charitatem; additur, quia tertio loco trium principalium virtutum charitas ordinatur. Quartus est smaragdus, qui significat boni operis virentem inchoationem, quia justum est ut qui fide, spe, charitate pollet, in fructum eas boni operis proferre laboret. Quintus est sardonius sive sardonyx, qui per suæ partis inferioris nigredinem exprimit humilitatem, quia congruum est ut qui bonum opus proferre laborat non superbire, sed magis humiliari contendat. Sextus sardius, qui sanguineo colore signat passionem; quia, qui tribus primis virtutibus nitet, qui bonum cum humilitate operatur, necesse est ut multa adversa multoties patiatur. Septimus est chrysolithus, quia scintillas emittit, et claritatem miraculorum exprimit, quia qui pro Christo mala patitur, virtute miraculorum nonnunquam clarificatur. Octavus est beryllus, qui manum se tenentis urit, quia talis ac tantus homo non solum sibi proficit, sed et alios multoties ad justitiam accendit. Nonus est topazius aurei, et ætherei coloris, qui signat bonorum cœlestium contemplationem, quia qui supradictis bonis decoratur, ad cœlestia bona contemplanda merito sublimiter elevatur. Decimus est chrysoprasus, qui per virorem desiderium signat virentis æternitatis, quia justus postquam æterna gaudia per contemplationem conspicit, ad hæc possidenda totis desideriis inardescit. Undecimus est hyacinthus, qui cum aere mutatur, per quem virtus fraternæ condescensionis figuratur, quia nimirum misericordiæ, et compassionis visceribus abundat quisquis contemplatæ æternitatis desideriis flagrat. Duodecimus sequitur amethystus, qui purpureo colore regiam dignitatem designat, quia qui supradictis bonis enitescit, potenter semetipsum, et alios regere novit, et ad supernæ dignitatis bravium pertingere votis omnibus concupiscit. Recte ergo supradicti lapides tali ordine disponuntur, quia sanctorum virtutes per eos designatæ succedenter sibi, sicut monstratum est, apte connectuntur. Sunt et aliæ proprietates sive colores quæ prædictis gemmis inesse probantur, quibus omnibus sanctorum merita multiformiter figurantur. Sed nos ista sub brevitate transcurrimus, ut non studiose lectori in legendo fastidium aliqua prolixitate generemus. Sancti itaque patriarchæ, vel quilibet alii sancti Veteris Testamenti ex ipsis procreati, per ipsos signati; ipsi, inquam, sunt fundamenta muri, ipsi lapides pretiosi. Ipsi sunt fundamenta muri, quia ex ipsis sumpsit Christus carnis originem. Ipsi sunt lapides, per sacræ fidei firmitatem, ipsi sunt pretiosi, per justitiæ claritatem. Et ut eamdem fidei firmitatem, et justitiæ claritatem apostolos, et apostolorum imitatores habuisse demonstretur, apte subditur: *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas*, id est in unaquaque porta duodecim margaritæ. Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis. Portæ sunt apostoli, quia per ipsorum doctrinam habemus ingressum regni, in quibus singulis duodecim margaritæ esse referuntur, quia ex quatuor partibus mundi ad fidem sanctæ Trinitatis per apostolorum duodenariam doctrinam, eorum in fide et justitia sequaces colliguntur. In singulis quippe portis duodecim sunt margaritæ, quia per salutiferam apostolorum doctrinam, per quatuor climata mundi ad unam sanctam et individuam Trinitatem, per credulitatis fidem diversæ fidelium animæ eorumdem apostolorum imitatores sunt collectæ. Quæ idcirco in portis esse dicuntur, quia per sanctorum apostolorum doctrinam sanctam civitatem ingrediuntur. Et hoc est quod dicitur: Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas. Per portas etenim sunt margaritæ, quia per apostolorum doctrinam salvantur fideles animæ, per fidem firmæ, per justitiam lucidæ. Et quia nisi ipsi sancti apostoli margaritæ essent, alios margaritas facere vel continere nec possent nec deberent, recte additur: *Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Ex singulis nimirum margaritis singulæ portæ sunt, quia sancti apostoli in semetipsis fide firmi exstiterunt, et fulgore justitiæ longe lateque claruerunt. Fulgent itaque fundamenta muri, et portæ civitatis ex semetipsis fulgent et ex insitis sibi margaritis, quia patriarchæ et apostoli in se fulgent per propriam virtutem, et in suis sequacibus fulgent per ejusdem virtutis imitationem. Et magnum quidem ac laude dignum est aliquem in semetipso tantum dono boni cœlestis micare, sed valde laudabilius est etiam in proximis per ejusdem boni transfusionem coruscare. Sequitur:

Et plateæ civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Plateæ civitatis sunt sancti infe-

Digitized by Google

riores, rebus mundanis laxius, remissius et licentius utentes. Qui et si plateæ sunt per laxiorem vivendi remissionem, recti tamen sunt per bonam intentionem, quia, quamvis eos aliquantulum humiliet, et distendat necessitas vitæ præsentis, rectitudo tamen dirigit bonæ intentionis. Qui bene dicuntur aurum mundum, quia tanquam aurum mundum luce claritatis intime flagrant, et tanquam vitrum perlucidum, quia nullas in se sordium maculas celant, aurum ergo sunt per flammam intus ardentis charitatis, tanquam vitrum perlucidum, per puritatem foras procedentis, et patentis confessionis. Cum igitur tanta sit pulchritudo minorum et inferiorum, quis æstimare poterit pulchritudinem majorum et superiorum? Postquam denique in præcedentibus qualitatem muri fundamentorum, portarum sanctæ civitatis sanctus theologus perfecte descripsit, ad ejusdem civitatis quædam futura, et æterna bona, per remotionem, et privationem temporalium insinuanda procedit. Unde sequitur :

Et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus Agnus est. Templum in ea non vidit, quia hic solummodo locus oblationis et orationis est, quæ ibi locum non habebunt. Dominus enim Deus omnipotens templum illius est, et Agnus, id est omnimoda sanctificatio, et totius petitionis permanens exhibitio : sed subtiliter est notandum quod fere ubique cum divinitate humanitatem nomine Agni commemorat, ut utraque natura in Redemptore diligatur, et utrique communis et unita gratia referatur. Et civitas non eget, id est non egebit sole neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei, claritas scilicet sanctæ Trinitatis illuminabit eam. Et lucerna ejus Agnus est, humanitas videlicet continens Deitatem ad aliorum illuminationem. Nunc itaque eget sancta civitas lumine solis, et lunæ, et cæteris multis quæ illi modo sunt necessaria, quæ si tunc ibi essent ubi ipsa erit, essent superflua. Erunt tamen sol et luna, et lucebunt multo clarius quam modo, ad laudem et gloriam illius qui talia potuit creare, et creata in meliorem statum renovare. Sequitur :

Et ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam. Per gentes recte intelliguntur subjecti, per reges prælati. Gentes ergo in lumine ejus ambulabunt, quia electi quique qui, nunc pro amore patriæ cœlestis majoribus subjiciuntur, tunc in æterna illius claritate libere gaudebunt. Aliter : In lumine ejus ambulabunt quia futuram illius claritatem modo sperando, ad illam sub stadio vitæ præsentis totis nisibus laborabunt. Et non tantum gentes, id est subjecti, verum etiam reges terræ, id est prælati, qui non tantum se, sed et alios regunt in hac terrenitate afferent ad similitudinem victorum, qui spolia in suas urbes ferunt; afferent, inquam, gloriam suam et honorem, gloriam, quæ est propria bona conscientia, et honorem exhibitum sibi a subjecta familia ; hæc afferent in illam, quando in fine mundi, in die judicii, in resurrectione universali, cum sibi commissis habitationem ingredientur supernam. Istis etenim et aliis innumeris bonis sancta cœlestis civitas ditabitur et decorabitur, quia ad illius pulchritudinem et ornatum transferetur totum quod nunc unusquisque justus operatur. Sequitur :

Et portæ ejus non claudentur per diem. Nox enim non erit illic. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum faciens abominationem et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ et Agni. Omnia ista ad futurum beatæ civitatis statum, non ad præsentem spectare probantur. Et portæ ejus non claudentur per diem. Hic clauduntur portæ civitatis Hierusalem, quando vel prædicatio juste subtrahitur, vel aliquis pro culpa sua ab introitu Ecclesiæ arcetur. Quod tunc penitus non erit, quia nec ista, nec illa deinceps locum habebit. Quare autem portas ejus non dixerit etiam per noctem non claudendas, sicut ait non esse claudendas per diem, ipse declarat, dicens: Nox enim non erit illic, non enim illic erit nox ista temporis, ubi micabit æternaliter immensus fulgor Deitatis. Sed etsi secundum intelligentiam spiritualem accipiamus noctem, certe non erit illic nox ulla, quia nec culpa erit, nec pœna. O quam clara, quam solemnis erit dies illa quam faciet Dominus, dies illa nostri doloris terminus ! Quis illius deificam claritatem possit nunc, vel sensu comprehendere, vel verbo declarare, quæ tunc erit in cœlo, cum, aere purificato, lunam tunc tanquam solem, solem vero legamus septempliciter quam septem dies fulsurum in mundo ? Cum igitur tantam claritatem visibilium et corporalium luminarium tunc futuram et fulsuram æstimemus in hac fabrica mundana, quis valeat immensæ et æternæ Deitatis splendorem adhuc in hujus vitæ cæcitate positus comprehendere, quo tunc perlustrabitur civitas illa superna? Fide ergo credamus quod comprehendere sensu non sufficimus, ut vel sic ad contemplandam illam claritatem quandoque perveniamus. Civitatis denique supernæ mirabile bonum latius adhuc describitur, cum adjungitur : Et afferent gloriam et honorem gentium in illam. Supradicti nempe reges, sancti videlicet prælati, afferent gloriam et honorem gentium in illam, id est ipsas gentes testimonio bonæ conscientiæ interius gloriosas, exhibitione boni operis exterius honorandas, in illam, quando finito mundi termino unusquisque bonus rector gentem sibi modo commissam inducet in supernæ habitationis mansionem æternam. Sed quia bonis intrantibus ad beatitudinem, mali foris relinquuntur ad damnationem, congrue subditur : Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum, etiam per consensum tantum in cogitatione, vel faciens abominationem in actione, et mendacium in locutione. Modo intrat immundus in mundo, malus cum bono, mendax cum veridico. Tunc nequaquam intrabit quicunque se

Digitized by Google

modo male vivendo corrumpit. Soli etenim tunc A intrabunt qui modo recta sequendo divina præcepta custodiunt. Unde et dicitur: Nisi qui scripti sunt in libro vitæ et Agni. In libro nimirum vitæ illi soli scripti sunt, qui per gratiam ad gloriam pertingunt. Qui liber vitæ Agni dicitur esse, quia bonum cœleste quod divinitas justis tribuendum prædestinavit, humanitas dispensabit. Murus ergo Christus; fundamenta muri, patriarchæ; portæ civitatis, apostoli; lapides, virtutes; splendor lapidum, exemplum virtutum; plateæ civitatis, inferiores sancti licentius utentes rebus mundanis; aurum, fulgor charitatis; vitrum, puritas confessionis.

CAPUT VII.

De fluvio aquæ vivæ, et ligno vitæ, et fructu ejus.

B « Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ splendidum « tanquam crystallum procedentem a sede Dei et « Agni. In medio plateæ ejus ex utraque parte flu- « minis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per « menses singulos reddens fructum suum. Et folia « ligni ad sanitatem gentium (*Apoc.* XXII). » Pulcherrimam esse civitatem supernam superius, murum sive muros ejus, portas, angulos, fundamenta, longitudinem quoque, et latitudinem, et altitudinem illius describendo demonstravit, nunc in hoc capitulo quibus quantisque, et in præsenti statu, et in futuro sit referta consequenter ostendit. Et ostendit mihi angelus (scilicet qui mecum loquebatur) fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallum procedentem a sede Dei, et Agni. Fluvius est C gratia Spiritus sancti, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Quæ recte fluvio comparatur, quia singulas generationes rigando post unam in alteram fluit, et si aliquando aliquibus subtracta angustetur, aliis tamen participando per aliquos fluere nunquam desinit. Quæ etiam bene assimilatur aquæ vivæ, quia aqua reficit; vivæ, quia nunquam deficit. Aquæ, quia abluit; vivæ, quia semper fluit. Quæ est quoque tanquam crystallum splendidum, quia in his quos illustrando irrigat, velut splendens crystallum micat. Quæ denique a sede Dei, et Agni procedere congrue dicitur, quia a perfectis Ecclesiæ, et doctis rectoribus in quibus Deus resistendo regnat, et alios juste gubernat, quotidie derivata ministratur. In medio plateæ ejus, id est civitatis D ex utraque parte fluminis lignum vitæ. Per plateam diximus superius inferiores significari, quibus licet rebus mundanis liberius uti; qui, quemadmodum inferiores sunt in mundo, ita inferiores erunt in cœlo. Sicut inferiores sunt in merito, ita in præmio; unusquisque enim propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Quandiu vero in hac vita sumus, citra fluvium sumus, quia gratia desuper datur per quam genus humanum justificatur. Qui autem jam per primam stolam glorificati sunt, ultra fluvium sunt, quia jam perfecte justificati non indigent justificari; quibus etiam ipsum Conditorem facie ad faciem jam datum est contemplari. Lignum quoque vitæ est Christus; quia, quibus semetipsum cibum tribuit, vitam in perpetua immortalitate custodit, afferens fructus duodecim. Per duodecim denique fructus, duodenariam accipimus sanctorum apostolorum doctrinam. Lignum vero vitæ est in medio plateæ civitatis, ex utraque parte fluvii afferens fructus duodecim, quia Christus omnibus electis non solum majoribus, sed et minoribus et in mundo, et in cœlo semetipsum refectionem tribuit, quam videlicet refectionem apostolica auctoritas in mundo ad justitiam, in cœlo exhiberi ad gloriam prædicavit. Reficit enim Christus suos in mundo, corporis et sanguinis sui participatione, reficit eos in cœlo perpetua divinitatis et humanitatis suæ contemplatione. Ex utraque ergo parte fluminis lignum vitæ profert fructum citra justitiæ, ultra gloriæ. Citra quippe pascendo facit justos, ultra pascendo facit beatos. Qui hic fructu justitiæ non reficitur, illic fructu gloriæ non saturatur. Et ut Christum suos incessanter pascere cognoscamus, recte subditur: Per singulos menses reddens fructum. Per singulos etenim menses lignum vitæ fructum reddit, quia Christus electos suos continue, et sine omni intermissione in mundo, et in cœlo pascit. Et folia ligni ad sanitatem gentium. Folia ligni præcepta Christi. Protegunt et ornant folia, protegunt et ornant præcepta. Quæ videlicet præcepta bene dicuntur esse ad sanitatem gentium; quia si, auxiliante gratia, impleantur, justificationem operantur animarum. Qui enim justificatur, ipse sanatur. Sed ut denique civitatem sanctam in statu futuro circa quam maxime versatur scriptoris intentio non dubitemus ab omni malo liberam, omni bono repletam consequenter adjungit:

Et omne maledictum non erit amplius, sed sedes Dei, et Agni in illa erit. Et servi ejus servient ei, et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum. Et nox ultra non erit, et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam Dominus Deus illuminabit eos, et regnabunt in sæcula sæculorum.

Omne quippe bonum quanto minus a præsenti malo liberatur, tanto amplius a suo, perfectione sui nituntur. Ut ergo civitatis supernæ bonum perfectum consummatumque in statu cœlesti ostendatur, in his verbis quæ proposita sunt, a malo libera, bono repleta demonstratur. In hoc etenim quod dicitur omne maledictum non erit amplius declaratur a malo libera, in his vero quæ sequuntur, bonis referta. Omne maledictum non erit, quia non erit culpa, non erit pœna. Sedes autem Dei et Agni in illa erit, quia sancta et individua Trinitas, et Verbo conjuncta humanitas in illo residendo sine fine regnabit. Et servi ejus, id est omnes electi, libere servient ei, non timore vel formidine sicut multoties modo, sed summa et perfecta dilectione, et securitate ejus laudem vocibus intimi amoris conclamando: Et videbunt faciem ejus immediate, non in ænigmate, quemadmodum nunc, sed sicuti est. Et nomen ejus erit (subaudi) scriptum in eis, quia vocabuntur filii Dei et Agni, et in frontibus eorum erit scriptum, id est in aperto, sicut manifeste con

Digitized by Google

fessi sunt. Et nox ultra non erit, id est aliqua ignorantia, et non egebunt lumine lucernæ neque lumine solis, quia non egebunt ministerio minoris vel majoris luminis. Vel secundum spiritualem intelligentiam non egebunt lumine lucernæ neque lumine solis, quia non egebunt doctrina veteris vel novæ legis, vel doctrina cujuslibet mediocris vel summi doctoris. Causam quoque quare non egebunt subjungit, dicens : Quoniam Dominus Deus illuminabit illos, quod ad egere aliorum lumine penitus repugnat, quia Deus perfecte beatos illuminat, nec in eis illuminandum quidquam reservat. Et regnabunt, quia regnanti inhærebunt, in sæcula sæculorum, id est in æternum. Fluvius ergo est gratia spiritualis; citerior pars, status vitæ præsentis; ulterior, status vitæ cœlestis; lignum vitæ, Christus; ex utraque parte fructus exhibitio, corporis et sanguinis Christi participatio in mundo, et divinitatis ejus et humanitatis contemplatio in cœlo; folia ligni, præcepta Christi; sanitas gentium, justificatio animarum. Et bene post fructum de foliis addidit, quia nihil prodest corpus et sanguinem Christi sumere, nisi præcepta ipsius studeas adimplere. Et quidem cuncta quæ ad pulchritudinem et laudem sanctæ civitatis, imo omnia quæ ad totius prophetiæ libri hujus consummationem pertinent, in his quæ supra dicta sunt sufficienter exsecuta videntur. Nam quæ sequuntur ad libri commendationem, et ad audientis verba libri ipsius contestationem, ne quis scilicet apponere vel minuere quidquam in ipso præsumat, maxime spectare probantur.

A

B

C

CAPUT VIII.

De triplici commendatione libri hujus.

« Et dixit mihi : Hæc verba fidelissima sunt, et « vera. Et Dominus Deus spirituum prophetarum « misit angelum suum ostendere servis quæ oportet « fieri cito (*Apoc.* XXII). » Et ecce venio velociter. Exsecutis superius cunctis quæ ad descriptionem gloriosæ civitatis referri creduntur, ac potius omnibus quæ ad completionem prophetiæ libri hujus spectant in his quæ a principio libri usque huc continentur, consummatis, adjungit libri ipsius commendationem, eum roborans, et firmans auctoritate triplici auctoritate, videlicet angeli secum loquentis, et auctoritate sui, et auctoritate Christi. Et dixit mihi scilicet angelus qui mihi cætera ostendit. Hæc verba fidelissima sunt, et vera. Fidelissima, quia quæ credenda sunt fideliter ostendunt. Vera sunt, quia sine mendacio complebuntur cuncta quæ dicuntur. Et vere fidelissima, et vera, et omni fide suscipienda, quia etiam angelico ministerio manifestata. Unde et ipse angelus de semetipso dicit : Et Dominus Deus spirituum prophetarum, id est Dominus Deus qui dat spiritum prophetandi prophetis, misit angelum scilicet me, ostendere servis suis quæ oportet fieri cito, ostendere servis suis non Judæis incredulis, non sævis tyrannis, non superbis philosophis, quæ oportet fieri cito, quia cito sunt explenda, nec remanere possunt inexpleta. Et quod vere, et cito sint consummanda cuncta quæ in hoc libro continentur probat, ipsum Christum introducendo loquentem, et festinationem sui adventus quo cuncta complebuntur attestantem. Nam subdit : *Ecce venio velociter.* Quia nimirum nequaquam tardabit venire, nequaquam tardabit quæ in adventu ipsius consummanda sunt adimplere. Quemadmodum vero in principio sic et in fine libri promissione beatitudinis captat benevolentiam auditorum, et invitat ad cœlestium sublimitatem præmiorum dicens : *Beatus qui custodit verba libri hujus.* Sed et valde commendabile est, quod dicit, qui custodit. Nihil etenim prodest ad cognitionem veritatis legendo vel audiendo pertingere, nisi bene vivendo totis viribus labores cognita custodire. Solus quippe ad beatitudinem pervenit, qui non solum per memoriam, sed et per vitam sacræ paginæ præcepta custodit. Cœlestis ergo libri hujus prophetia omnibus modis est credenda, quia angelico ministerio revelata, angelica auctoritate commendata, et omni studio, et intentione custodienda, quia promittit præmia æterna. Quæ non tantum attestatione commendatur angeli, verum et testimonio ipsius sancti theologi. Sequitur :

D

Et ego Joannes, qui audivi et vidi hæc. Qui audivi voces, vidi figuras. Ego Joannes, quasi diceret : Non tantum angelus, sed et ego Joannes vester magister, non quilibet hæreticus, vester amicus, non quilibet extraneus, ego cum ipso, et post ipsum angelum studeo vobis hanc prophetiam commendare, qui nihil falsum vobis soleo nuntiare. Sequitur :

Et postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli qui mihi hæc ostendebat. Et dixit mihi : Vide ne feceris. Conservus tuus sum, et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba libri hujus. Deum adora. Mirum videtur quod sanctus Joannes ad pedes angeli iterum cecidit, et iterum eum adorare voluit, cum superius hoc ipsum facere voluerit, et statim ab angelo prohibitus sit. Sed quia sanctus ad cœlestia bona contemplanda, et majorem sanctæ civitatis gloriam secundum futurum statum ejus speculandam, valde sublimius in hac ultima visione quam prius elevatus fuerat, forte præ stupore et admiratione tantæ et supermundanæ pulchritudinis præmissa prohibitio a mente illius exciderat. Unde et hic apte subditur. Et postquam vidissem et audissem tam mirabilem videlicet, et incomparabilem sanctæ civitatis decorem ac jucunditatem, post admirationem stupefactus, et prioris prohibitionis oblitus cecidi ut adorarem ante pedes angeli qui mihi hæc ostendebat. Vel certe iterum ante angelum cadens iterum eum adorare volens nobis per hanc iterationem innuit quantam humiliationem, quantam venerationem nostris prælatis quorum verbo vel ministerio gratia nobis spiritualis confertur debeamus exhibere, dum ipse angelum spiritualia, et cœlestia bona sibi demonstrantem etiam prohibitus voluit adorare.

Digitized by Google

Sed et ipsi sancti prælati dum eis caput inclinamus, non propter se, sed propter Deum volunt sibi exhiberi honorem hunc quo eos veneramur. Unde et bene angelus qui se adorare theologum prohibuit, post prohibitionem adjecit : Deum adora. Debemus ergo magna reverentia, et solertia nosmetipsos coram illis, qui nobis prælati sunt exemplo beati Joannis humiliare ; quia, dum eis inclinamur, non tam ipsos quam in ipsis Deum veneramur. Sed et ipsi apud se ex impenso honore non debent extolli, sed magis humiliari. Quod et angelus subtiliter innuit, ubi dicit : Conservus tuus sum, et fratrum tuorum. Ubi autem postquam dixit conservus tuus sum, et fratrum tuorum, adjecit, prophetarum, et eorum qui servant verba libri hujus, electos prædicatores, et prædicatoribus obedientes comprehendit, et distinxit. Ubi quippe dixit prophetarum, prædicatores expressit, ubi vero addidit, et eorum qui servant verba libri hujus, minores prædicatoribus obedientes designavit. Omnium itaque se recognovit conservum, quia omnes eumdem habere novit Dominum. Quare vero angelus in Veteri Testamento se ab homine adorari sustinuit, sed in novo idipsum fieri constanter prohibuit, jam superius reddidimus causam a sanctis Patribus declaratam, quia videlicet ab homine adorari recusavit, ex quo humanitatis nostræ naturam supra se in Redemptore mundi glorificatam vidit. Deum adora. Quasi diceret : Illi jam soli hunc exhibere debes honorem, cujus ego tecum supra me vereor, et veneror regnantem humanitatem. Ego nimirum a te adorari amodo non patior quia tuam naturam divinitati conregnantem contemplor. Sequitur :

Ne signaveris verba prophetiæ hujus libri. Sed et hoc mirandum esse videtur, quia superius sanctus Joannes prophetiæ verba libri hujus signare jussus est, ubi scriptum est, signa, id est sigilla quæ locuta sunt septem tonitrua, noli ea scribere, id est noli ea absque figurarum velaminibus scribendo manifestare, et hoc in loco signare ea prohibetur ubi dicitur, ne signaveris verba libri prophetiæ hujus. Sed sciendum est quod sacræ Scripturæ verba, et secundum aliquid sunt signanda, et secundum aliquid non sunt signanda. Sunt quippe signanda, quia sunt inimicis occultanda, non sunt signanda, quia sunt amicis revelanda. Utrumque autem sanctus Joannes, et quod prohibitum, et quod præceptum sibi fuit cavit, et observavit, qui et quædam per obscura figurarum velamina malis studuit occultare, et quædam vel absque figuris scribendo, vel per semetipsum figuras exponendo, et sic sub aliis velaminibus latentia mysteria fore quærenda subtiliter insinuando bonis curavit revelare. Sed quamvis sacræ Scripturæ mysteria obscuritatibus figurarum signentur ut bonos exerceant, malos lateant, nequaquam tamen ipsi mali de ignorantia sua habent excusationem, quia et manifestiora sacræ paginæ verba possunt intelligere, et si vellent vitia deserere, et virtutes exercere, possunt ad occultiora quoque cognoscenda, adjuvante gratia Dei, pervenire. Causam autem quare eum prohibeat verba prophetiæ libri hujus signare, id est minus obscure scribendo penitus occultare, subdit, dicens : *Tempus enim prope est.* Tempus videlicet adventus Christi, ut factores beatificentur, contemptores condemnentur. Non est penitus occultandum, sed studiose propalandum, quod necessario est sciendum, opere complendum, quod certissime constat examinandum et remunerandum. Quod vero impii sacram prophetiam contemnunt, sed justi eam perficiunt declaratur, cum prophetantis voce subditur :

Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est, sordescat adhuc, et justus justitiam faciat adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc. Quasi diceret : Ne signaveris verba ista, sed ea aliis manifesta, quia tempus judicii prope est, quia ex eis impii damnabuntur, justi gloriabuntur. Sed scito quod cum utrisque eadem verba non designando manifestaveris, mali eadem contemnendo ex eis efficientur deteriores, et boni eadem perficiendo meliores. Sciendum est enim quod id quod hic dicitur qui nocet noceat adhuc, nequaquam optantis voce, sed prophetantis profertur, quemadmodum multis in locis sacræ paginæ similiter reperitur. Distinguit autem duo mala de malis quorum unum pertinet ad malitiam cordis, alterum ad luxuriam carnis : quod enim dicit, qui nocet noceat adhuc, pertinet ad malitiam ; quod vero subdit, qui in sordibus est, sordescat adhuc, ad luxuriam. Mali autem per utrumque vitium se aliquando tantum lædunt, aliquando etiam alios corrumpunt. Qui quanto longius per utriusque pravitatis propagationem extenduntur, tanto deteriores efficiuntur. Aliter : Quod dicit, qui nocet noceat adhuc, potest referri ad illa tam bonis per ipsos malos persecutionem ; quod vero dicit, qui in sordibus est, sordescat adhuc ad propriam eorum pravitatem. Nocere quippe aliquando, spectare videtur etiam ad alterum, sordescere magis ad semetipsum. De bonis etiam duo bona duobus supradictis malis contraria ponit, et ipsa eodem ordine disponit. Nam quod dicit, et justus justitiam faciat adhuc, contrarium est ad hoc quod supra ait, qui nocet noceat adhuc, et quod demum intulit, et sanctus sanctificetur adhuc, repugnat illi quod supra posuit, et qui in sordibus est sordescat adhuc, qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc, et justus justitiam faciat adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc. Quasi dicat : Ex sacra prophetia, et impii per cordis malitiam, et per carnis luxuriam in pejus pervertentur, et justi per justitiam cordis, et sanctimoniam carnis in melius convertentur. Illi alios persequendo, semetipsos polluendo fient deteriores. Justi juste erga alios agendo, semetipsos sanctificando meliores. Prope autem suum adventum adesse, et justum et impium pro merito remunerandum patenter ostendit, cum subjungit :

Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere

Digitized by Google

unicuique secundum opera sua. Ubi nimirum ait : Ecce venio cito, prope esse significavit adventum suum. Ubi addidit, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua, justum et impium denuntiavit pro merito præmio remunerandum. Merces vero ista, et ejus est, et hominis est, ejus, quia eam distribuit, hominis, quia eam recipit. Quæ etiam recte cum ipso esse dicitur, quia ei potestas, et ipsi misericordia, unde bonus sanctificetur, malus condemnetur. Et ne alium suspicemur ultrinsque judicem, et remuneratorem ipsemet idipsum confirmat, dicens : *Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis.* Quasi diceret : Revera ego veniam et judicabo, et remunerabo, et non alius, quia ego creavi per potentiam, et ego discernam per justitiam, ego dedi subsistendi originem, ego dabo meriti retributionem. Sententia vero ista qua dicitur : Ego sum α et ω, idcirco frequenter in hoc libro repetitur, ut ei fides firmior adhibeatur. In qua quidem verba sunt diversa, sed intelligentia dignoscitur una ; et quia superius dixit, qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc, quod quidem grave atque terribile et quasi quædam imprecatio et maledictio peccanti, et sacræ locutionis modum non intelligenti forsitan videretur, et in desperationem facile præcipitaretur, ut ei idem verbum allevietur, et si resipiscere voluerit spes illi recuperandæ salutis certissima reformetur, apte subditur : *Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem.* Beati qui lavant stolas suas, id est corpora sua et opera post baptismum crimine polluta, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, id est ut possint habere Christi veram participationem, et per portas, id est sanctorum fidem intrent in civitatem Hierusalem videlicet cœlestem. Ac si diceret : Peccatores si pœnitere volueris propter amarius verbum superius dictum, ne desperetis, quia etiam quemadmodum ad beatitudinem pertingunt qui post baptismum se immaculatos servant, ita et illi qui post culpam pollutas stolas mundissime lavant, quod si lavari contempseritis, civitatem sanctam non intrabitis. Nam sequitur :

Foris canes et impudici, et venefici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium, canes : canes sunt immundi et oblatrantes qui semetipsos quotidie sceleribus polluunt, et bene agentibus detractionibus oblatrare nihilominus præsumunt. Quod vero sequitur impudici, venefici, homicidæ, idolis servientes, omnis qui amat et facit mendacium, etiam ad litteram recte intelligitur. Nam hi quoque omnes fere foris esse describuntur, quia cum electis in superna civitate mansionem non sortiuntur. Sed et impudicos et alios qui ipsos in ordine sequuntur, etiam secundum spiritualem intelligentiam possumus exponere. Impudici quippe sunt, qui se non solum carnis petulantia, sed et alios quocunque crimine polluunt. Venefici sunt, qui vel pravo exemplo vel verbo alios perimunt. Homicidæ sunt, qui vel voluntate, vel verbo, vel exemplo pravitatis proximos occidunt. Idolis servientes sunt, qui ea quæ dæmonibus placent perficiunt. Amat denique et facit mendacium, qui corde diligit et ore pronuntiat in quo proximum fallat. Isti itaque et cæteri reprobi universi qui per istos figurantur, ab introitu beatæ civitatis excluduntur, quia regnum Dei minime consequuntur. Quicunque ergo supernam Hierusalem intrare voluerit, vel se post acceptam gratiam immaculatum conservet, vel si se quocunque crimine pollutum noverit, pœnitudine cordis, confessione oris, lacrymarum, et bonorum operum satisfactione stolam suam diligenter mundare festinet. Sequitur : *Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis.* Postquam prophetiam suam commendavit auctoritate angeli et auctoritate sui, studet illam commendare auctoritate Christi ut triplici attestatione commendetur, et commendata altius apud auditores confirmetur. Dicitur ergo : Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Jesus enim angelo, angelus Joanni, Joannes Ecclesiis sacrum mysterium revelavit.

Notandum est autem quod sanctus theologus non in Ecclesia sed in Ecclesiis dicit, propter videlicet Ecclesias Asiæ, quibus ipsum librum principaliter misit. In fine nempe libri sicut et in principio sermonem ad illos vertit, quibus eum præcipue direxit. Ego Jesus. Ac si diceret : Non solus angelus et Joannes vobis verba libri hujus inscriptione nominum suorum commendaverunt, sed et ego Jesus mei nominis adnotatione vobis ea commendo. Et quasi quis quæreret quis est iste Jesus? multi sunt enim antiquitus vocati Jesus, statim auctoritatem suam describendo qui Jesus ipse sit patenter innotescit. Nam subdit : *Ego sum radix et genus David, stella matutina et splendida.* Quasi aperte dicat : Dum quantus et qualis sim auditis, quæ dico certa fide credere debetis. Ego sum radix et genus David, stella matutina et splendida. Ego sum radix, creando, genus David, de ejus genere carnem sumendo. Ego sum stella, mundo lucem præbendo, splendida omnium sanctorum splendorem excedendo, matutina, futuræ, et æternæ diei immensam claritatem prædicendo. Ego igitur tantus talisque verba vobis prophetiæ hujus commendo qui etiam alia spiritualia bona vobis tribuo, qui et cœlestia et æterna promitto. Quæ eo majori fide a vobis debent credi, quod meo nomine, et auctoritate demonstrantur commendari. Quanta denique dilectione quanto desiderio et Christus et sancta universalis mater Ecclesia nostram salutem concupiscant, sub blanda vocatione declaratur, cum subdicitur :

Et sponsus et sponsa dicunt : Veni. Sponsus quippe, id est Christus, dicit per internam inspirationem, sponsa dicit per prædicationem illi videlicet qui prædestinatus est ad beatitudinem. Veni per fidem et bonam actionem, per conversionem et bonam conversationem. Sponsus et sponsa dicuntur,

Digitized by Google

quia nuptiarum gaudia promittunt. Et ne qui vocatur et audit ab aliorum vocatione sterilis existat, apte subditur : *Et qui audit, dicat : Veni.* Ille audit qui recte credit, et quod credit opere perficit. Iste talis auditor alios vocare præcipitur, ne lumen boni spiritualis sub modio taciturnitatis ejus absconda-tur. Multi namque sunt qui de cœlestibus arcanis magna per scientiam capiunt, sed hæc aliis ministrare contemnunt. Isti ergo in hoc verbo reprehensibiles esse probantur, quia bonum, quod per eos aliis revelari debuisset, in ipsis occultatur. Sed ne is qui invitatur vel magnitudine peccatorum territus, vel aliqua pusillanimitate præpeditus ad superni boni plenitudinem venire pertimescat, ad ipsum corroborandum ut de eodem bono consequendo fiduciam sumat, bene additur : *Qui sitit, veniat :* qui sitit, id est qui conversionis habet voluntatem, veniat per conversionem, subaudis securus de venia, accipiat sacramenta, et gratis remittentur ei peccata. Quod etiam apertius innuitur, cum subditur : *Qui vult accipiat aquam vitæ gratis,* aquam vitæ, id est gratiam vivificantem, gratis, quia absque meritis humanis, in gratia quippe quæ prima datur meritum accipientis non opitulatur, in gratia quæ jam bene operanti ut melius operetur confertur, meritum operantis et accipientis non excluditur. Humana nempe actio quemadmodum absque gratia inutilis est, ita cum gratia semper prodest. Primum igitur gratia nobis datur, quæ deinceps, merito nostro utrumque cooperante, nobis multiplicatur. Sed et si quis (ut multoties contigisse vel contingere posse creditur) per gratiam ad conversionem aspiret, si ipsam gratiam perfecto corde conceperit (quamvis morte præventus sacramentis, scilicet baptismo, vel communione corporis et sanguinis Christi participare non possit) salvus est, quia cum gratia perire non potest. In fide etenim jam accepta virtus sacramentorum continetur, et in bona voluntate quæ intrinsecus fidem veram inseparabiliter semper comitatur, meritum bonorum operum completur. Gratis ergo aqua vitæ tribuitur, quia etiam absque omni merito operis pro sola bona voluntate salus credenti confertur. Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis. O quam pretiosa sunt ista supernæ dignationis oracula, omni pretio præferenda, omni acceptione digna, omni devotione accipienda, omni memoria retinenda, omni virtute promerenda! Unusquisque ergo videat quanto qualique auditu illa percipiat, percepta custodiat ac perficiat. Triplici itaque auctoritate sanctus Joannes librum istum quemadmodum supra monstratum est commendat, et apud auditores commendando confirmat.

CAPUT IX.

Contestatio sancti Joannis ad audientem verba prophetiæ hujus.

« Contestor ego omni audienti verba prophetiæ « libri hujus, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus « super illum plagas scriptas in libro isto. Et si « quis diminuerit de verbis prophetiæ hujus, auferet A Deus partem ejus de libro vitæ, et de civitate sancta de his quæ scripta sunt in libro isto (*Apoc.* XXII). Erant in Asia quidam hæretici qui, ut melius suos errores fovere possent, facile aliquid in hoc libro vel apponerent vel minuerent. Ad eorum igitur præsumptionem refrenandam excommunicationis adjungit sententiam, et ostendit qua animadversione dignus sit qui aliquid in eo addere vel auferre præsumit. Contestor ego, id est testis existo omni audienti verba prophetiæ libri hujus, ut scilicet sibi caveat, ne ipsum quoquo modo corrumpere præsumat. Si quis apposuerit ad hæc. Ille apponit qui mendacium adjungit. Ille vero minuit, qui aliquid ex his quæ in eo scripta sunt subtrahit, vel negando contradicit. Sed uterque excommunicationis gladio B percutitur, quia alter malis multatur, alter bonis spoliatur. Et licet ex his duobus malis alterum alteri per sententiam pulchre attribuatur, tamen utroque uterque percutitur, quia et his malis qui affligitur, bonis necesse est, prius denudetur, et qui bonis privatur, a malorum illatione liber manere non permittitur. Uterque igitur et apponens et minuens utroque malo, et bonorum privatione et malorum illatione multatur, quamvis secundum rationem et pulchritudinem sententiæ, hoc magis ad istum istud ad illum in descriptione referatur. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas in libro isto scriptas, sive temporales, sive æternas. Si quis diminuerit, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, ut non habeat partem scilicet in his quæ C scripta sunt in eo, et de civitate sancta, ut non sit civis in ea, et de his quæ scripta sunt in libro isto, ut sit particeps bonorum quæ promittuntur in eo. Sequitur :

Dicit qui testimonium perhibet istorum. Etiam. Venio cito. Amen. Veni, Domine Jesu. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. Ne ipsius sancti Joannis testimonium de prædicta excommunicatione alicui insufficiens videatur, adducit testimonium Christi per quod idem affirmatur. Dicit ergo : Dicit qui testimonium perhibet istorum, scilicet Christus, qui cuncta quæ in hoc libro continentur attestatur. Etiam, quasi diceret : Si multi non creditis, credite testimonio D veritatis. Etiam est adverbium affirmandi, quod cum subjungitur, id quod promissum est affirmatur. Venio cito. In fine libri adventus sui facit mentionem, ut semper de adventu ejus sit suspectus, ne unquam per aliquam securitatem inveniatur imparatus. Amen. Veni, Domine Jesu. Ista verba sunt sancti Joannis adventum Salvatoris affirmantis et orantis. Nam ubi verbo Dominico quod dicit, venio cito, lumen adjungit, ipsum venturum veraciter affirmat. Ubi vero dicit, veni, Domine Jesu, ipsum ut veniat exorat. In hoc vero quod Dominum rogat ut veniat, quam perfectus fuerit in charitate nobis demonstrat. Si enim Dominum in aliquo minus diligeret, depressus timore nequaquam eum rogaret ut veniret. Perfectus ergo in charitate exstitit, qui

Digitized by Google

eum ut veniret secure rogavit. Timor enim non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* More scribentium aliis sicut in principio libri his quibus scribit salutem optat, ita etiam eam in fine illis orat. Quam etiam omnibus deprecatur, ut videlicet patenter omnibus benevolus, nemini offensus ostendatur, ut scilicet ex ipsa benevolentia provocet ad meliora. Hanc autem visionem hic idcirco modo non recapitulamus, quia in sequenti capitulo in generali recapitulatione omnium visionum recapitulandam reservamus.

CAPUT X.

Generalis recapitulatio septem visionum.

Quia, charissime frater, disponente et adjuvante gratia Dei, propositi sermonis lætum tandem attingimus portum, placet in fine lectionis summam eorum quæ dicta sunt ad memoriam revocare, ut omnibus superioribus transmeatis, habeas in littore brevem omnium recapitulationem, quasi speculum in quo totius præcedentis operis materiam formamque possis contemplari. Liber iste in fine totius sacræ paginæ quæ in canone continetur positus, quasi cacumen et finalis summitas esse videtur arboris ab imis ad alta consurgentis. Sancta quippe Scriptura recte arbori comparatur, quæ in sua doctrina et exhortatione ab infimis ad summa sublevatur. Quasi etenim in terram radicem figit, ubi in principio sui de rebus visibilibus et transitoriis ait, dicens : *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen.* 1). Deinde secundum progressum temporis quanto magis per oracula prophetarum ad cœlestia speranda et quærenda instruit, tanto magis ad altiora surgit. In evangelica vero doctrina quanto sublimius et clarius summa prænuntiat, tanto vicinius cœlestibus appropinquat. In hoc denique libro amico Christi Joanni evangelistæ cœlitus revelato, et maxime in fine ipsius libri quasi comam super cœlum extulit, ubi futurum statum sanctorum et sanctæ cœlestis Hierusalem pulchram, jucundam, æternamque ædificationem et mansionem perfecte et manifeste describit. Et licet librum istum post Evangelium attollamus, ac in ipso sacram Scripturam ad modum arboris in cœlum propter supradictam causam cacumen extulisse dicamus, nequaquam in hoc evangelicæ sublimitati derogamus, vel illam deprimimus, imo magis exaltamus, quia librum istum ab evangelista editum non solum evangelium esse credimus, sed in evangelica doctrina quemadmodum ultimum, ita summum locum obtinere judicamus. Sanctus itaque Joannes apostolus et evangelista prophetiam libri hujus per revelationem divinam accepit, et per septem visiones distinctam ad utilitatem fidelium ex divino præcepto conscripsit. In cujus prima visione post titulum et salutationem apparentis sibi similitudinis descriptionem, episcopos septem Ecclesiarum sibi principaliter commissarum alloquitur. Et episcopum Ephesi, et episcopum Pergami, et episcopum Thyatiræ primum de bono laudat, deinde de malo increpat. Episcopum Smyrnæ, et episcopum Philadelphiæ de bono tantum laudat. Episcopum denique Sardis et Laodiceæ de malo solummodo increpat. Et ita sibi principaliter commissis primum diligenter instructis, ad reliquas visiones describendas progreditur : in quibus universalis Ecclesiæ sacramentum latius et sublimius continetur. Unde et in principio secundæ visionis ascendere jubetur, ut majora esse visurus ostendatur. In secunda itaque visione primum humanæ redemptionis sacramentum esse in Christo completum demonstrat, ac deinde sub ordine septem sigillorum secundum progressum temporis usque in finem mundi tumultuante persecutione divinæ promissionis oraculum de humana justificatione compleri denuntiat. Et sub eorumdem apertione sigillorum ea quæ in sacra Scriptura figuris velantur occulta, sanctis doctoribus revelari declarat. Sanctis etenim doctoribus ea quæ in sacra pagina continentur occulta, primum per divinam gratiam aperiuntur, quæ postmodum sive per ipsos, sive per alios populis manifeste prædicantur. Unde apte post apertionem sigillorum quæ in secunda visione continentur, et per quam cœlestium oraculorum reseratio designatur, in tertia visione distributio tubarum describitur, per quam eorumdem oraculorum revelata cognitio mundo manifeste prædicata figuratur. Omne nimirum datum optimum, et omne donum perfectum, quod a Patre luminum descendit : primum paucis videlicet majoribus, id est prælatis et doctoribus revelatur, quia ab ipsis deinde multis, cunctis scilicet Ecclesiæ fidelibus communiter prædicatur. Apertio igitur sigillorum quæ in secunda visione libri hujus continetur, mysteriorum exprimit revelationem, collatio tubarum quæ in tertia sequitur, eorumdem mysteriorum profert prædicationem. Sed, quia boni cognitio vel ejus prædicatio nihil prodest, nisi bona actio sequatur, bene post sigilla et tubas de muliere parturiente in quarta visione subjungitur, qua sanctæ labor Ecclesiæ, ut bonum auditum in fructum bonæ actionis producat, declaratur. In his etiam tribus visionibus cum exhibitione vel acceptione trium prædictorum bonorum turbo persecutionum describitur, quia bonum in præsenti vita sine occursu mali nec acquiritur, nec possidetur. Bonum autem spiritualis gratiæ quod ab electis actioni mancipatur, a reprobis contemnitur, sed iste eorum contemptus ab omnipotente Deo graviter vindicatur, dum eorum universitas aut temporali tribulatione affligitur, aut æterna damnatione punitur. Unde rectissime in quinta visione temporalis afflictio eorum sub effusione phialarum iracundiæ Dei, et in sexta sub typo subversæ et submersæ Babylonis æterna eorum damnatio designatur, ubi in mundo transitoria, inferno permanens vindicta contemptoribus reddi demonstretur. Sed quemadmodum impii pro culpa damnantur, ita justi pro justitia beatificantur. Quapropter descripta malo-

Digitized by Google

rum damnatione in sexta visione, in septima consequenter de glorificatione bonorum agitur, ut sicut reprobis stipendium mortis, ita electis præmium beatitudinis dari patenter ostendatur. Diligenter etiam intuendum in his descriptionibus visionum, quod videlicet secunda et tertia, quarta et quinta visio extenduntur ordine narrationis ab exordio Ecclesiæ nascentis usque in finem temporis. Sexta vero visio, et septima magis agunt de statu æternitatis, sexta visione sub nomine Babylonis malorum damnationem, septima sub nomine Hierusalem justorum glorificationem continente. Istæ sunt duæ civitates, una diaboli, altera Dei, ab initio dissidentes, nunquam inter se pacem habentes. Istæ sunt duæ mulieres, quarum altera superius legitur amicta sole, altera super bestiam coccineam sedere. Collectio namque malorum et universitas bonorum, civitates sunt, et mulieres sunt : civitates, quia numerosa civium suorum multitudine ditantur, mulieres, quia suis viris, Babylon diabolo, Hierusalem Christo copulatæ ad multiplicem prolem fecundantur. Quemadmodum itaque sexta visio describit malorum damnationem, ita et septima bonorum glorificationem, primum describens elementorum innovationem, deinde sanctorum glorificationem. Agit autem de ipsa sanctorum glorificatione, describens sanctam Hierusalem supernam, et claritatem ejus, et muros ejus, portas ejus, angulos ejus, fundamenta ejus, mensuram ejus, et plateas ejus, et alia multa bona cœlestia ejus. Sanctus denique theologus librum istum triplici commendatione confirmat, et illum qui ex ipso aliquid auferre, vel illi aliquid apponere præsumpserit, gravissima animadversione feriendum denuntiat. Propterea vero sacra visio primum ponit innovationem elementorum, deinde glorificationem justorum, ut ex visibilibus ad invisibilia conscendamus, et ex pulchritudine elementorum, qualis sit futura beatitudo justorum, quantum possibile est perpendamus, quale videlicet sit illud bonum quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se. Cujus magnitudinis laudem melius tacemus, quia illam prædicare sicut deberemus et vellemus non valemus. Et de sacra prophetia libri Apocalypsis quiescimus, ut mentem per diversarum rerum cogitationem dispersam, ad semetipsam deinceps colligamus. Quod autem in his quæ scripsimus minus bene diximus nobis imputamus. Si quod vero digne diximus, illud dono Dei fideliter ascribendum judicamus, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, qui nec loco capitur, nec tempore mutatur, immensus et æternus, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

RICHARDI SANCTI VICTORIS
OPERUM PARS SECUNDA.
THEOLOGICA.

DE TRINITATE
LIBRI SEX.

PROLOGUS.

Justus meus ex fide vivit (*Rom.* I; *Habac.* II), apostolica sententia est simul et prophetica. Nam Apostolus dicit quod propheta prædicit, quia justus ex fide vivit : si sic est, imo quia sic est debemus utique studiose cogitare, frequenter retractare sacramenta fidei nostræ. Sine fide namque impossibile est placere Deo. Nam ubi non fides, non potest esse spes. Oportet enim accedentem ad Deum credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit, aliquin quæ spes esse poterit? Ubi autem non est spes, charitas esse non potest. Quis enim amet de quo nil boni spe et? Per fidem igitur promovemur ad spem, et per spem proficimus ad charitatem. Quidquid autem habuero, si charitatem non habuero, nihil mihi prodest. Quis autem sit fructus charitatis, audis ab ore Veritatis : *Si quis diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV). Ex dilectione itaque manifestatio, et ex manifestatione contemplatio, et ex contemplatione cognitio. Cum autem Christus apparuerit vita nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria, et tunc similes ei erimus, quia videbimus

Digitized by Google

eum sicuti est. Vides unde et quomodo pervenitur, vel quibus gradibus ascenditur mediante spe et charitate de fide ad cognitionem divinam, et per cognitionem divinam ad vitam æternam : *Hæc est autem*, inquit, *vita æterna, cognoscere te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII): Vita itaque ex fide, et vita ex cognitione. Ex fide vita interna, ex cognitione vita æterna. Ex fide vita illa qua interim vivimus bene, ex cognitione vita qua in futuro vivemus beate : fides itaque totius boni initium est, atque fundamentum. Quam studiosos ergo in fide esse nos convenit, a qua omne bonum et fundamentum sumit, et firmamentum capit ? Sed sicut in fide totius boni inchoatio, sic in cognitione totius boni consummatio atque perfectio. Feramur itaque ad perfectionem, et quibus ad profectum gradibus possumus, properemus de fide ad cognitionem : satagamus in quantum possumus, ut intelligamus quod credimus. Cogitemus quantum in hujus cognitione studuerunt, vel quousque profecerunt mundi hujus philosophi, et pudeat nos in hac parte inferiores illis inveniri : *Quod enim notum est Dei manifestum est illis*, teste Apostolo, *quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt* (*Rom.* I). Cognoverunt ergo. Quid ergo nos facimus qui ab ipsis cunabulis vere fidei traditionem accepimus ? Amplius aliquid debet in nobis amor veritatis quam in illis potuit amor vanitatis, amplius aliquid nos in his posse oportebit, quos fides dirigit, spes trahit, charitas impellit. Parum ergo debet nobis esse quæ recta et vera sunt de Deo credere ; sed satagamus, ut dictum est, quæ credimus intelligere. Nitamur semper, in quantum fas est vel fieri potest, comprehendere ratione quod tenemus ex fide. Sed quid mirum, si ad divinitatis arcana mens nostra caligat, cum omni pene momento terrenarum cogitationum pulvere sordescat ? Excutere de pulvere virgo filia Sion. Si filii sumus Sion, sublimem illam contemplationis scalam erigamus, assumamus pennas ut aquilæ, in quibus nos possimus a terrenis suspendere, et ad cœlestia levare. Sapiamus quæ cœlestia sunt, non quæ super terram, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, sequamur quo Paulus præcessit, qui usque ad tertii cœli secreta volavit, ubi audivit arcana illa quæ non licet homini loqui. Ascendamus post caput nostrum. Nam ad hoc ascendit in cœlum ut provocaret, et post se traheret desiderium nostrum. Christus ascendit, et spiritus Christi descendit. Ad hoc Christus misit nobis Spiritum suum, ut spiritum nostrum levaret post ipsum, Christus ascendit corpore, nos ascendamus mente. Ascensio illius fuit corporalis, nostra autem sit spiritualis, utquid enim ascensionis nostræ doctorem, atque ductorem spiritum exhibuit, nisi quia ascensum nostrum interim spiritualem esse voluit ? Nam ad corporalem ascensionem illam quæ in nobis futura est, veniet ipse corporaliter in ea carne quam assumpsit pro nobis, secundum illud : *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum* (*Act.* I). Ascendamus ergo spiritualiter, ascendamus intellectualiter, quo interim non licet corporaliter, parum autem nobis debet esse ad primi cœli secreta, mentis contemplatione ascendere. Ascendamus igitur de primo ad secundum, de secundo ad tertium. Contemplatione ascendentibus de visibilibus ad invisibilia, de corporalibus ad spiritualia. Primo occurrit consideratio immortalitatis. Secundo consideratio incorruptibilitatis. Tertio consideratio æternitatis. Ecce triplex regio, immortalitatis, incorruptibilitatis, æternitatis. Prima est regio spiritus humani, secunda spiritus angelici, tertia spiritus divini. Spiritus siquidem humanus immortalitatem quasi quamdam sui juris hæreditatem possidet, quam nullo tempore, nulla diuturnitate in perpetuum amittere potest. Nam eum semper oportet vel vivere in gloria, vel durare in pœna. Hic itaque spiritus quoties terrenis, et transitoriis actualiter incumbit, quasi semetipsum deserit, et sub semetipsum descendit. Nil aliud ergo ei est ad primum cœlum ascendere, quam ad semetipsum redire, et quæ immortalitatis sunt, et seipso digna pensare et agere. Incorruptibilitas autem longe quidem supra ipsum est, quam interim possidere non potest. Sed quod interim non habet, virtutum merito obtinere valet. Ad secundum itaque cœlum est ei ascendere, incorruptibilitatis gloriam meritis comparare. Hanc utique angelicus spiritus quasi hæreditario jure jam possidet, quam perseverantiæ suæ merito ea conditione obtinuit, ut de cætero in perpetuum amittere non possit. Tertium autem cœlum ad solam pertinet divinitatem ; nam de eo scriptum est, quia solus habitat æternitatem (*Isa.* LVII), cætera vero omnia quæ ex tempore esse cœperunt, eo ipso æternitatem habere non possunt, quo ab æterno non fuerunt ; sed singulare donum, et præ omnibus præcipuum est usque ad hoc cœlum penna contemplationis volare, et intellectuales oculos ejus radiis infigere. Ad primum itaque cœlum ascenditur actualiter, ad secundum virtualiter, ad tertium intellectualiter. Ad hoc utique ultimum cœlum spirituales viros Spiritus Christi sublevat, quas revelantis gratiæ prærogativa cæteris altius, plenisque illustrat. Toties enim ad hoc cœlum spiritu subleVante, attollimur, quotics per contemplationis gratiam ad æternorum intelligentiam promovemur. Parum itaque debet nobis esse quæ vera sunt de æternis credere, nisi detur et hoc ipsum quod creditur cum rationis attestatione convincere. Nec nobis sufficiat illa æternorum notitia quæ est per fidem solam, nisi apprehendamus, et iliam quæ est per intelligentiam, si necdum ad illam sufficimus quæ est per experientiam. Hæc in operis nostri præfatione præmisimus, ut animos nostros ad hujusmodi studium attentiores et ardentiores redderemus : magni etenim meriti esse putamus in hujusmodi exercitio multum studiosos fore, etiamsi non detur idipsum quod intendimus, pro voto perficere.

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod rerum notitiam triplici apprehendimus modo, experiendo, ratiocinando, credendo.

Si ad sublimium scientiam mentis sagacitate ascendere volumus, operæ prætium est primo nosse quibus rerum modis notitiam apprehendere solemus. Rerum itaque notitiam, ni fallor, modo triplici apprehendimus. Nam alia experiendo probamus, alia ratiocinando colligimus, aliorum certitudinem credendo tenemus, et temporalium quidem notitiam per ipsam experientiam apprehendimus. Ad æternorum vero notitiam, modo ratiocinando, modo credendo assurgimus. Nam quædam ex his, quæ credere jubemur, non modo supra rationem, verum etiam contra humanam rationem esse videntur, nisi profunda, et subtilissima indagatione discutiantur, vel potius divina revelatione manifestentur. In horum itaque cognitione vel assertione magis inniti solemus fide, quam ratiocinatione, auctoritate potius quam argumentatione, juxta illud prophetæ : *Nisi credideritis non intelligetis* (*Isa.* VII). Sed et hoc in his verbis diligenter attendendum videtur, quia horum quidem intelligentia, hac nobis auctoritate, non generaliter, sed conditionaliter néganda proponitur, cum dicitur : *Nisi credideritis non intelligetis.* Non ergo debent exercitatos sensus habentes, de talium intelligentia comparanda desperare, dum tamen se sentiant firmos in fide, et per omnia probatæ constantiæ in fidei suæ assertione.

CAPUT II.

Quod nihil firmius tenetur quam quod constanti fide apprehenditur.

Sed hoc in his supra modum mirabile, quia quotquot veraciter fideles sumus, nihil certius, nihil constantius tenemus quam quod fide apprehendimus. Sunt namque patribus cœlitus revelata, et tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis divinitus confirmata, ut genus videatur esse dementiæ in his vel aliquantulum dubitare. Innumera itaque miracula, et alia quæ nonnisi divinitus fieri possunt, in hujusmodi fidem faciunt, et dubitare non sinunt, utimur itaque in eorum attestatione seu etiam confirmatione signis pro argumentis, prodigiis pro experimentis. Utinam attenderent Judæi, utinam animadverterent pagani, cum quanta conscientiæ securitate pro hac parte ad divinum judicium poterimus accedere, nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus? Domine, si error est teipso decepti sumus : nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ nonnisi per te fieri possunt. Certe a summæ sanctitatis viris sunt nobis tradita, et cum summa, et authentica attestatione probata, teipso cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis, hinc est utique, quod perfecte fideles paratiores sunt mori pro fide quam fidem abnegare. Nihil enim procul dubio firmius tenetur quam quod constanti fide apprehenditur.

CAPUT III.

Quod de his agitur in hoc opere, quæ jubemur de æternis credere.

Ad eorum itaque notitiam de quibus recte dicitur nobis, si non credideritis non intelligetis, oportet quidem per fidem intrare nec tamen in ipso statim introitu subsistere, sed semper ad interiora et profundiora intelligentiæ properare, et cum omni studio, et summa diligentia insistere, ut ad eorum intelligentiam quæ per fidem tenemus quotidianis incrementis proficere valeamus. In horum plena notitia et perfecta intelligentia vita obtinetur æterna. In hac sane acquisitione summa utilitas, in eorum contemplatione, summa jucunditas. Hæ sunt summæ divitiæ, hæ sempiternæ deliciæ, in horum gustu ultima dulcedo, in horum fruitione infinita delectatio. De illis itaque proposuimus agere in hoc opere, quæ jubemur ex catholicæ fidei regula, non de quibuscunque, sed de æternis credere. Nam de redemptionis nostræ sacramentis ex tempore factis, quæ credere jubemur, et credimus, nihil in hoc opere intendimus. Nam agendi modus alius in his, alius vero in illis.

CAPUT IV.

Modus agendi in hoc opere, non tam auctoritates inducere, quam ratiocinationi insistere.

Erit itaque intentionis nostræ in hoc opere ad ea quæ credimus, in quantum Dominus dederit, non modo probabiles, verum etiam necessarias rationes adducere, et fidei nostræ documenta, veritatis enodatione et explanatione condire. Credo namque sine dubio, quoniam ad quorumlibet explanationem, quæ necesse est esse, non modo probabilia, imo etiam necessaria argumenta non deesse, quamvis illa interim contingat nostram industriam latere. Omnia quæ cœperunt esse ex tempore pro beneplacito Conditoris, possibile est esse, possibile est non esse : unde et eo ipso eorum esse non tam ratiocinando colligitur, quam experiendo probatur. Quæ vero æterna sunt omnino non esse non possunt, sicut nunquam non fuerunt, sic certe nunquam non erunt, imo semper sunt, quod sunt, nec aliud, nec aliter esse possunt. Videtur autem omnino impossibile, omne necessarium non esse, necessariaque ratione carere, sed non est cujusvis animæ hujusmodi rationes de profundo et latebroso naturæ sinu elicere, et velut de intimo quodam sapientiæ secretario erutas in commune deducere. Multi ad hoc minus digni, multi ad hoc minus idonei, multi in hoc minus studiosi, et quod semper, si fieri posset, præ oculis habere deberemus, vix vel raro cogita-

Digitized by Google

mus. Cum quali, quæso, studio quandoque desiderio deberemus illi incumbere negotio, illi inhiare spectaculo, de quo pendet salvandorum omnium summa beatitudo? Credo autem me nonnihil fecisse, si detur mihi mentes studiosas in hujus negotio vel in modico adjuvare et ad tale studium tepidas mentes meo studio provocare.

CAPUT V.

Breviter prælibatur de quibus in sequentibus agitur.

Legi frequenter quod non sit Deus nisi unus, quod sit æternus, increatus, immensus, quod sit omnipotens et omnium Dominus, quod ab ipso est omne quod est, quod ubique est, et ubique totus, non per partes divisus. Legi de Deo meo quod sit unus et trinus, unus substantialiter, sed personaliter trinus : hæc omnia legi; sed unde hæc omnia probentur, me legisse non memini : legi quod in divinitate vera, non sit nisi una substantia, quod in unitate substantiæ sint plures personæ, singulæ autem a singulis cæteris proprietate distinctæ; quæ sit ibi persona quæ sit a semetipsa, non ab alia aliqua; quod sit ibi persona quæ sit ab una sola, non autem a semetipsa; quod sit ibi persona quæ sit a persona gemina, non autem ab una sola. Quotidie audio de tribus quod non sunt tres æterni, sed unus æternus; quod non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, et unus immensus. Audio de tribus quod non tres omnipotentes, sed unus omnipotens; audio nihilominus quod non tres dii, sed unus est Deus, nec tres Domini, sed unus est Dominus; invenio quod Pater non sit factus, nec genitus; quod Filius non sit factus, sed genitus; quod Spiritus sanctus non sit factus, nec genitus; sed procedens. Hæc omnia frequenter audio vel lego, sed unde hæc omnia probentur me legisse non recolo : abundant in his omnibus auctoritates, sed non æque et argumentationes; in his omnibus experimenta desunt, argumenta rarescunt : puto itaque me non nihil fecisse, sicut superius jam dixi, si in hujusmodi studio studiosas mentes potero vel ad modicum adjuvare et si non detur satisfacere.

CAPUT VI.

Quod universaliter omnis modus essendi potest sub triplici distributione comprehendi.

Ut igitur plane et perspicue veritatis solido, et velut immobili fundamento insistat, unde ratiocinationis nostræ ordo initium sumat, unde nemo dubitare valeat, vel resilere præsumat, sic possumus dicere : Omne quod est vel esse potest, aut ab æterno habet esse, aut esse cœpit ex tempore. Omne quod est, aut esse potest, aut habet esse a semetipso, aut habet esse ab alio quam a semetipso. Universaliter itaque omne esse triplici distinguitur ratione. Erit enim esse cuilibet existenti, aut ab æterno, et a semetipso, aut econtrario, nec ab æterno, nec a semetipso, aut mediate inter hæc duo ab æterno quidem, nec tamen a semetipso. Nam illud quartum quod huic tertio membro videtur e contrario respondere, nullo modo ipsa natura patitur esse Nihil enim omnino potest esse a semetipso, quod non sit ab æterno. Quidquid enim ex tempore esse cœpit, fuit quando nihil fuit : sed quandiu nihil fuit, omnino nihil habuit, et omnino nihil potuit; nec sibi ergo, nec alteri dedit, ut esset, vel aliquid posset. Alioqui dedit quod non habuit, et fecit quod non potuit : hinc ergo collige, quam sit impossibile ut aliquid omnino sit a semetipsa, quod non sit ab æterno. Ecce ergo quod superius jam diximus manifesta ratione colligimus, quia omne esse triplici distinguitur ratione.

CAPUT VII

De illo essendi modo, qui non est ab æterno, et eo ipso, nec a semetipso.

Ab illo itaque rerum genere incipere debemus, de quibus nullo modo dubitare possumus, et per illa quæ per experientiam novimus, ratiocinando colligere quid de his quæ supra experientiam sunt, oportet sentire, de illo sane essendi modo qui non est ab æterno, et eo ipso utique juxta prædictam rationem, nec a semetipso, quotidiano et multiplici certificamur experimento, incessanter alia videmus secedere, alia succedere, et quæ prius quidem non erant in actum prodire; hoc in hominibus, hoc in animalibus incessanter videmus. Idem in arbustis et herbis quotidianis probamus experimentis quod in operatione naturæ, idem videmus in operibus industriæ. Quod igitur innumera sint quæ ab æterno non fuerunt, quotidiana experimenta latere non sinunt. Superior enim ratio invenit quia quidquid ab æterno non fuit a semetipso esse non possit; alioquin aperte convincitur quia aliquid sibi initium existendi dedit sub illo instanti, quando nihil habuit; quando omnino nil potuit, quod quam sit omnino impossibile, sanæ mentis hominem nullatenus potest latere. Omnibus itaque illis, quæ esse cœperunt ex tempore, constat illud habere commune, quod non est ab æterno, et eo ipso, ut jam dictum est, nec a semetipso. Ecce de illo essendi modo jam diximus, de quo dubitare non possumus, utpote de illo, quem quotidiano usu probamus.

CAPUT VIII

De illo essendi modo qui est a semetipso, et eo ipso ab æterno.

Sed ex illo esse quod non est ab æterno, nec a semetipso, ratiocinando colligitur, et illud esse quod est a semetipso, et eo quidem etiam ab æterno : nam, si nihil a semetipso fuisset, non esset omnino unde ea existere potuissent quæ suum esse a semetipsis non habent, nec habere valent. Convincitur itaque aliquid esse a semetipso et eo ipso, uti jam dictum est, et ab æterno alioquin fuit quando nihil fuit, et tunc quidem futurorum nihil futurum fuit, quia qui sibi vel aliis initium existendi daret vel potuisset dare, tunc omnino non fuit, quod quam falsum sit ipsa evidentia ostendit, et rerum existentium experientia convincit; sic sane ex his quæ videmus ratiocinando colligimus, et ea esse quæ non videmus, ex transitoriis, æterna, et mundanis, su-

Digitized by Google

permundana, ex humanis, divina : *Invisibilia enim Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* 1).

CAPUT IX.

De illo essendi modo qui est ab æterno, nec tamen a semetipso.

Fuisse autem aliquod esse ab æterno quod tamen non sit a semetipso nemini videatur impossibile, quasi sit necessarium causam semper effectum præcedere, et omne quod est de alio suo principio semper succedere oportere. Certe radius solis de sole procedit, et de illo originem trahit, et tamen soli coævus existit. Ex quo enim fuit, de se radium produxit, et sine radio nullo tempore fuit. Si igitur lux ista corporalis habet radium sibi coævum, cur non habeat lux illa spiritalis et inaccessibilis radium sibi coæternum? In natura creata legimus, quid de natura increata pensare vel æstimare debeamus : videmus quotidie quomodo naturæ ipsius operatione existentiam producit, et existentia de existentia procedit : quid ergo? Nunquid in illa superexcellenti natura operatio naturæ nulla erit, aut omnino nil poterit? Nunquid natura illa quæ hunc naturæ nostræ fructum fecunditatis donavit, in se omnino sterilis permanebit, et quæ aliis generationem tribuit nunquid sine generatione et sterilis erit? Ex his itaque videtur probabile, quod in illa superessentiali incommutabilitate sit aliquid esse quod non sit a semetipso, et fuerit ab æterno, sed super hoc ampliori et efficaciori ratione suo disputabitur loco.

CAPUT X.

Quod circa duos tantum modos qui sunt ab æterno, versatur tota hujus operis intentio.

De gemino itaque essendi modo quos diximus esse ab æterno, intendimus agere in hoc opere, et de his quæ ad hujusmodi considerationem videntur pertinere. Nam de consideratione rerum temporalium (de his videlicet quæ pertinent ad tertium modum) nihil interim intendimus, nisi quantum eorum considerationem ad æternorum investigationem necessariam vel utilem comprobamus, sicut enim ex Apostolo habemus, et superius jam diximus : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* 1). Quoties igitur per visibilium speculationem ad invisibilium contemplationem assurgimus, quid aliud quam velut quamdam scalam erigimus, per quam ad ea quæ supra nos sunt mente ascendamus? Inde est quod in hoc tractatu, omnis ratiocinationis nostræ processus initium sumit ex his quæ per experientiam novimus. Quidquid igitur in hoc opere de æternis dicitur, est ex intentione; quod vero de temporalibus, ex occasione : nam tota hujus operis nostri intentio versatur circa duos essendi modos qui sunt ab æterno.

CAPUT XI.

De substantia summa, quod sit a semetipsa, et eo ipso ab æterno, et sine omni initio.

Nunc igitur latius disserendum est de illo esse quod est a semetipso : unde, uti jam dictum est, constat ipsum esse ab æterno. Illud autem certissimum est, et unde, ut credo, nemo dubitare potest, quia in tanta multitudine rerum existentium, et tam multiplici differentia graduum esse oporteat aliquid summum. Summum vero omnium dicimus, quo nihil est majus, nihil melius. Absque dubio autem melior est natura rationalis quam natura irrationalis. Oportet itaque ut aliqua rationalis substantia sit omnium summa, quam autem constat in hac rerum universitate summum locum tenere. Non potest autem hoc ipsum quod est a suo inferiori accipere, oportet ergo ut aliqua sit substantia quæ utrumque habeat, et summum videlicet locum tenere, et semetipsa esse. Nam, sicut superius jam diximus atque probavimus, si nihil esset a semetipso, nihil esset ab æterno, et tunc quidem nulla rerum origo, nulla esset rerum successio. Convincit itaque rerum expertarum evidentia aliquam substantiam esse oportere a semetipsa. Nam, si nulla a semetipsa esset, nullum omnino eorum foret, quæ aliunde originem trahunt, et a semetipsis esse non possunt. Pertinet itaque substantia illa quæ non est nisi a semetipsa; pertinet, inquam, ad illud esse, quod est ab æterno, et sine omni initio.

CAPUT XII.

Item quod una sola substantia sit a semetipsa, a qua et cætera omnia, et quod non nisi a semetipsa habet totum quod habet.

Sed illud quod de summa substantia dictum est, adhuc ampliori ratione probari potest. Illud autem certissimum est quod in tota rerum universitate nihil esse potest, nisi possibilitatem essendi vel de seipso habuerit, vel aliunde acceperit. Quod enim esse non potest, omnino non est : ut igitur aliquid existat, oportet ut ab essendi potentia posse esse accipiat. Ex essendi itaque potentia esse accipit omne, quod in rerum universitate subsistit. Sed si ex ipsa sunt omnia, nec ipsa quidem est nisi a semetipsa, nec aliquid habet nisi a semetipsa. Si ex ipsa sunt omnia, ergo omnis essentia, omnis potentia, omnis sapientia. Si omne esse ab illa est, ipsa summa essentia est. Si ab illa omne posse, summe potens. Si omne sapere, summe sapiens est. Est enim impossibile majus aliquid dare quam habere. Sapientia quidem a possidente tota potest dari simul, et a dante tota retineri. Sed majorem sapientiam quam habes omnino impartire non vales. Summe sapientem itaque esse oportuit, unde omnis sapientia originem trahit. Sed ubi substantia rationalis non est, sapientia omnino inesse non potest. Soli enim rationali substantiæ potest sapientia inesse. Est itaque rationalis substantia et omnium summa, cui inest summa sapientia. Est, inquam, omnium summa, a qua est omnis essentia. Omnis itaque tam rationalis quam irrationalis natura, non itaque aliud est essendi potentia quam summa substantia. Quam igitur non est nisi a semetipsa ipsa essendi potentia, tam non potest esse nisi ipsa summa substantia, quæ non est aliud aliquid quam

Digitized by Google

ipsa essendi potentia. Constat itaque quod a summa quidem substantia est omne quod est; sed si ab ipsa sunt omnia, præter illam solam nulla est a semetipsa. Et si ab ipsa est omne esse, omne posse, omne habere, procul dubio a seipsa habet totum quod habet. Recte ergo hæc substantia primordialis dicitur, qua omne quod est principium et originem sortitur.

CAPUT XIII.

Quod summa substantia sit idem quod ipsa potentia, idem quod ipsa sapientia, unde et quælibet est idem quod altera.

Nunc illud consideremus quod jam dictum est, quia summa substantia summe poteas est. Sed illud certissimum est, quoniam hoc ipsum quod potens est, illi est de ipsa sapientia. Hoc ipsum quod sapiens est, de ipsa sapientia. Probatum est autem quia totum quod habet, nonnisi a semetipsa habet. Ut igitur habeat nonnisi a semetipsa quod habet de ipsa potentia, quod habet de ipsa sapientia necesse est, ut illæ omnino non sint aliud aliquid quam ipsa. Alioqui sine potentia atque sapientia potens vel sapiens esse non valet; quod ab ipsis habet, non tam a se quam aliunde habet. Consequens autem est quoniam si utraque illarum est idem quod summa substantia, quælibet illarum est idem quod altera.

CAPUT XIV.

Quod summa substantia non possit habere parem, sicut nec superiorem.

Hoc autem in loco nunc illud summopere attendendum est, quia si substantia hoc ipsum quod summa potentia est, diversa aliqua substantia idipsum esse non potest. Alioquin diversæ substantiæ essent una et una diversæ; quod est utique omnino impossibile. Sed dicis ad ista fortassis. Quid si potest diversa aliqua substantia summam potestatem habere? Et si non possit summa potentia esse, nonne æquipotentes erunt, si ambæ summam potestatem habuerint? Absque dubio, et incunctanter affirmo; quia, si una earum summam potentiam habere potest, et esse non potest æquipotens ei non est quæ utrumque potest. Ex parte enim posse, et ex parte non posse, quod alteri est ex toto possibile, hoc non est de potentiæ ipsius plenitudine, sed de ejus participatione gaudere. Multo autem est majus multoque excellentius magnæ alicujus rei habere plenitudinem, quam obtinere participationem. Ex his igitur aperte colligitur quod primordialis substantia non potest habere parem, sicuti ex superioribus patet non posse habere superiorem.

CAPUT XV.

Quod sit impossibile summam substantiam propriæ naturæ consortem habere.

Substantiæ itaque primordiali videtur naturaliter inesse, omnibus præsidere, et parem vel superiorem habere non posse. Quod enim inest substantialiter, absque dubio et naturaliter inest. Ex eo namque quod ipsa primordialis substantia idem omnino quod A summa potentia est, ei naturaliter inest quod summe potest, et quod potentiorem vel æque potentem habere non potest. Videamus ergo si vel inferiorem possit habere propriæ naturæ consortem. Sed quomodo, quæso, quævis substantia primordiali essentia inferior esse poterit, si naturaliter cum illa commune habuit quod parem vel superiorem habere non possit? Juxta hæc erit una quælibet altera, imo una quam se ipsa superior et inferior, major et minor. Est ergo impossibile primordialem substantiam propriæ naturæ consortem habere.

CAPUT XVI.

Quod summa substantia sit idem quod divinitas ipsa, et quod Deus non sit nisi substantialiter unus.

B Juxta superiorem disputationem jam pro certo tenemus quod a summa sola substantia est omne quod est, et quod a semetipsa habet totum quod habet. Sed si ab ipsa sunt omnia, ergo et divinitas ipsa. Si vero illam alteri dedit, nec sibi retinuit, superiorem habet, quæ, juxta quod superius probatum est, superiorem habere non valet. Constat itaque illam sibi retinuisse, simul et habere. Deus autem est qui Deitatem habet, et hoc ipsum quod Deus est, ex Deitate habet. Sed si summa substantia hoc ipsum quod Deus est habet ex divinitate sua, quæ nihil habet nisi a semetipsa, profecto ipsa Deitas non aliud aliquid est quam summa substantia. Non ergo potuit alicui alteri substantiæ dare, non dicam ut Deitatem haberet, sed ut ipsa Deitas esset Alioqui (quod impossibile est esse) parem haberet. Hinc ergo colligitur quod vera divinitas est in unitate substantiæ, et vera substantiæ unitas in ipsa divinitate. Non est itaque Deus nisi substantialiter unus.

CAPUT XVII.

Item, quod non sit Deus nisi unus; quod ab ipso est omne quod est; quod nonnisi a se habet totum quod habet; quod idem sit; quod ipsa potentia; quod et ipsa sapientia.

Audi nunc quam de facili possumus probare quod non sit Deus nisi unus. Ex eo quod nihil habet nisi a se, constat quia divinitas ipsa non est aliquid aliud quam ipse, ne convincatur habere aliunde D quam a seipso quod habet ex divinitate. Divinitas itaque ipsa, aut erit incommunicabilis, aut aliquibus communis. Sed si est incommunicabilis, quod consequens non est, non est Deus nisi unus. Si autem aliquibus communis fuerit, communis itaque erit, et substantia illa, quæ non est aliud quam divinitas ipsa. Sed substantia una non potest esse communis pluribus substantiis; alioqui una eademque esset plures, et plures una : quod quam falsum sit ratio latere non sinit. Si vero dicitur esse communis pluribus personis, juxta id quod dictum est, erit eis itaque communis, et substantia illa quæ non est aliud quam divinitas ipsa. Juxta hoc utique erunt in divinitate una plures personæ, sed nonnisi una substantia. Sive ergo una tantum, sive plures per-

Digitized by Google

sonæ dicantur esse in una divinitate, nihilominus non erit Deus nisi substantialiter unus. Solus itaque et unus Deus est a semetipso, et eo ipso ab æterno. Et juxta quod de summa substantia, quæ non est aliud quam ipse, prout probatum est, ab ipso est omne quod est, a semetipso habet totum quod habet, et ipse idipsum est quod ipsa potentia, quod ipsa sapientia, quod divinitas ipsa.

CAPUT XVIII.

Quod omnino sit impossibile, vel ipsum Deum, quod Deo sit melius diffinire posse.

Si itaque Dei sapientia et Dei potentia unum idemque sunt per omnia, nihil perfectionis, nihil consummationis comprehenditur ab una, quod sub eadem integritatis mensura non comprehendatur ab alia. Nihil itaque majus, nihilque melius est in ejus nosse quam in ejus posse, et eo ipso in ejus esse, quia non est aliud aliquid ejus posse quam ejus esse. Quidquid ergo optimum, quidquid præcipuum ab ejus sapientia deprehenditur, vel definitur, totum hoc juxta eamdem integritatis plenitudinem ab ejus potentia comprehenditur, totum in ejus essentia concluditur. Nam quantum ad perfectionis culmen, si aliquid per intelligentiam attingere, quod per efficaciam apprehendere non posset, jam se procul dubio magnificentius per sapientiam quam per potentiam extenderet, esset que una eademque substantia, et seipsa major, et seipsa minor. Nam Dei quidem substantia, cum nihil sit aliud quam ejus potentia vel sapientia, si se latius per sapientiam quam per potentiam extenderet, si se per illam quam per istam latius extendere potuisset, esset utique una eademque substantia potentiæ comparatione seipsa per sapientiam major, esset eadem ipsa sapientiæ comparatione sese utique per potentiam minor. Nihil ergo Deo majus, nihil utique melius, vel ab ipso Deo potest definiri, vel per intelligentiam attingi.

CAPUT XIX.

Si Deus ipse non potest per intellectum attingere aliquid melius Deo, multo minus humana cogitatio.

Si itaque nihil quod Deo perfectius sit potest per intellectum capere scientia divina, quanto minus aliquid Deo majus, aliquid Deo melius posset excogitare scientia humana. Nam, quod humana cogitatio per intellectum caperet, divinam intelligentiam latere non posset. Dementiæ genus est credere hominem supra id quod est Deus cogitatione posse ascendere, qui nec hoc ipsum, quod Deus est, potest ulla investigatione attingere. Quanto itaque melius, quanto est perfectius, quod humana cogitatio attingit, tanto ad id quod Deus est vicinius accedit, nec tamen pertingit.

CAPUT XX.

Investigantibus et disputantibus de Deo quid soleat esse quasi maxima propositio, et velut communis quædam animi conceptio.

Contingere itaque videtur quasi quadam dote naturæ quod cuncti pene tam eruditi quam minus eruditi solent habere familiare, et quasi pro regula tenere, Deo videlicet quidquid optimum judicant incunctanter attribuere, et quod quosdam de hac regula perspicua ratio ratiocinando non docet, sine dubietatis ambiguo devotio persuadet. Hinc est quod ipsum Deum, immensum, æternum, incommutabilem, summe sapientem, omnipotentem, indubitanter affirmant, etiam illi qui quomodo idipsum probari possit ignorant. Est itaque eruditis velut maxima propositio, est cunctis in commune veluti communis animi conceptio Deo attribuere quidquid altius attingit humana æstimatio. Et hoc certitudinis solido, et velut intimæ veritatis fundamento, summi etiam magistri passim quidem disputationis suæ initium sumunt, cum de divinis propriis tatibus altius et angustius disserere intendunt.

CAPUT XXI.

Quod Deus sic sit summe potens, ut etiam sit omnipotens.

Quod Deus summe potens existat satis quidem ex superioribus constat. Sed quæri adhuc potest utrum inde dicatur summe potens, quia nemo in potentia eo superior sit, an sic sit summe potens ut omnia possit et veraciter omnipotens sit. Sed si omnipotentem diffitemur, majus aliquid Deo jam posse cogitare convincimur. Majus namque est omnipotentiam habere quam qualemcunque potentiam cui aliquid desit de omnipotentiæ plenitudine. Et hoc quidem quod homini ad intelligendum perfacile est, divinam sapientiam latere non potest. Deus itaque si aliquid de potentiæ plenitudine intelligit quod habere non possit, erit majus aliquid in ejus nosse quam in ejus posse, quorum neutrum nihil aliud est quam ipsius esse. Erit ergo juxta superiorem disputationem, unum idemque esse et seipso majus et seipso minus, quo nihil est impossibilius. Hinc ergo absque dubio colligitur quod omnia potest quæcunque posse potentia est. Nam multa dicuntur posse, quæ multo melius esset non potuisse quam posse, posse decrescere, posse deficere, posse destrui et in nihilum redigi, et quælibet hujusmodi, majus est omnino non posse quam posse. Magis enim sunt ista infirmitatis indicia quam majestatis insignia. Omnia itaque illa, et sola utique illa potest, quæ utique potuisse, ut jam diximus, potentia aliqua est. Et eo rectius atque veracius eum omnipotentem esse dicimus, quo ejus potentiæ omnia infirmitatis argumenta detrahimus.

CAPUT XXII.

Quod Dei sapientia sic sit summa, ut sit usquequaque perfecta.

Quod de divina potentia jam dictum est, simili quidem ratione de divina sapientia quæri potest. An inde dicatur summa quod nullius unquam possit major esse quam illa, an ita veraciter est summa, ut sit usquequaque perfecta? Sed certissime constat quoniam ubi omnipotentia est, plenitudo sapientiæ decesse non potest. Nam si ei de sapientiæ

Digitized by Google

plenitudine aliquid perfectionis deesset quod habere non posset, absque ulla ambiguitate omnipotens non esset. Constat itaque de Dei sapientia, quod de omnium omnino scientiæ et prudentiæ perfectione nihil ei desit, cujus adjectione major vel melior esse possit. Notandum quod ex considera- ratione divinæ sapientiæ plenitudo potentiæ ipsius deprehenditur. Et rursus ex omnipotentiæ considetione, sapientiæ plenitudo manifestatur atque convincitur.

CAPUT XXIII.

Quod de Dei sapientia dicitur, alia adhuc ratione confirmatur.

Sed quod de divinæ sapientiæ plenitudine jam diximus, alia adhuc ratione convincere possumus. Constat siquidem quoniam quisquis sapiens aut sapientiæ ipsius plenitudine aut sapientiæ participatione sapiens est; sed jam ex superioribus habemus quod ipsa sapientia idem sit quod divina substantia. Quis ergo, nisi demens, dicat quod Dei substantia sapientia quidem (hoc est seipsam) ex parte habeat, et ex parte non habeat, et plenitudinem sui ipsius habere non valeat ? Quam igitur non potest Dei substantia se totam non habere, tam non potest plenitudine carere.

CAPUT XXIV.

Confirmatur eadem ratione quod superius dictum est de divinæ potentiæ plenitudine.

Simili ratione confirmatur quod superius de omnipotentia dicitur. Sicut enim sapiens quisque, aut sapientiæ plenitudine, aut ipsius participatione est sapiens, sic sane potens quisque, plenitudine potentiæ, seu ipsius participatione est potens, est autem possibile aliquid seipso participare. Quia igitur Deus potens est, potentiæ participatione esse non potest. Siquidem potentiæ plenitudo, non est aliud aliquid quam ipse. Constat itaque eum potentem esse potentiæ plenitudine. Ubi autem plenitudo potentiæ est, nullum posse deesse potest. Consequens est ergo omnipotentiam eum habere, et veraciter omnipotentem esse, cui inest omne posse.

CAPUT XXV.

Quod non potest omnipotens esse nisi unus solus, et quod consequens est, nec Deus nisi unus.

Est autem impossibile plures omnipotentes esse. Qui enim vere omnipotens fuerit, facile efficere poterit ut cæterorum quilibet nihil possit, alioqui vere omnipotens non erit. Ecce quales omnipotentes, qui de facili fieri possunt nulli potentes. Ecce quam facile convincitur quod nonnisi unum omnipotentem esse ipsa rerum natura non patitur. Deum autem omnipotentem esse perspicua ratione collegimus, et jam inde dubitare non possumus. Quam igitur non potest esse omnipotens nisi unus, tam non potest esse Deus nisi unus ! Constat itaque quod credimus, et quod superius jam diximus, quia vera divinitas manet in unitate substantiæ, et substantiæ veritas in una divinitate. Ecce de divinitatis unitate multa jam diximus, superest nunc ut de naturæ ipsius singularitate aliqua dicamus.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod in hoc libro agitur de divinis proprietatibus, et primo quod Deus sit increatus.

Postquam de divinitatis unitate quæ dicenda videbantur, superius jam diximus, superest ut de ejusdem naturæ proprietatibus aliqua dicamus, et maxime de his quæ in laudibus divinis quotidiano usu frequentamus. In quibus quidem quædam ejusmodi sunt, ut animus eis facile acquiescat et ultroneus acceptet, quamvis qua ratione probentur ignoret. Quibusdam vero minime vel minus firmiter inhæreret, nisi hoc ipsum catholicæ tradita fide ipsa dirigeret. Nam quod Deus sit increatus, æternus, immensus facile suscipit et libenter acquiescit animus humanus. Esse autem impossibile plures æternos, plures immensos esse non facile crederet, nisi hoc ipsum fidei regula persuaderet, maxime cum tres esse credantur, quorum æternitatem et immensitatem omnium ora fateantur. Quod autem Deus increatus sit, satis ex superioribus patet, et nova expositione non indiget; si enim creatus esset, creatorem haberet. Sed qui nonnisi a semetipso est, creatorem habere non potest : quid enim dicimus creatum, nisi de nihilo factum ? De nihilo enim non potuit, qui nunquam nihil fuit, qui a semetipso et ab æterno esse habuit.

CAPUT II.

Quod sempiternus sit Deus

Ecce jam constat increatum esse qui est ab æterno, et caret omni initio. Nunc illud quærendum est utrum etiam sicut initio, sic et fine careat, et sempiternum esse habeat. Nam hoc est sempiternum esse, carere initio et fine. Nunc ergo ex eo quod certissimum est, convincamus illud unde aliquis dubitare potest. Est autem certissimum quod in sapientia, quæ Deus est, nihil falsitatis inesse potest. Alioqui non summe saperet qui vel fallere vellet vel falli potuisset. Constat itaque Deum veracem esse, et hoc ipsum est ei ex veritate. Veritas igitur non est aliquid aliud quam ipse, cum veraciter convinci possit non habere nisi ex se quod tamen habet ex veritate. Veritas autem sicut nunquam non fuit, sic nunquam non erit ab æterno. Verum fuit, et in æternum verum erit quod hæc universitas esse potuit. Nam si esse non posset, omnino non esset. Veritas itaque ab æterno fuit, ex qua verum fuit quod ab æterno fuit, et veritas in æternum erit, ex qua verum erit quod in æter-

Digitized by Google

num verum erit. Si ergo ex veritate quæ Deus est, verum esse habuit quod semper verum fuit; quod quidem semper verum erit, profecto veritas Deus, sicut initio sic et fine carebit. Sempiternus itaque est Deus, sempiternum esse habens, utpote initio et fine carens.

CAPUT III.

Quod sit incorruptibilis, et omnino incommutabilis.

Quoniam jam constat de Deo quod habeat sempiternum esse, consequens est ut quæramus an etiam habeat esse incommutabile. Sciendum itaque quia omnis mutatio est aut de statu in statum meliorem, aut de statu in statum deteriorem, aut de statu in statum priori æqualem: ubi autem nihil horum esse potest, vera incommutabilitas inest. De singulis ergo quæ præmisimus diligenter investigemus. Sed qui omnipotens est, quomodo deteriorari potest. Quid est enim deteriorari, nisi corrumpi? Sed qui vere omnipotens, imo ipsa omnipotentia est, nulla ei corruptio dominari potest. Sed videamus nunc si saltem possit crescere, quod jam constat non posse decrescere. Sed omne quod crescit, qualecunque boni augmentum suscipit unde meliorari possit; verum illud boni augmentum unde haberet, qui nihil nisi a semetipso habet, sed nec habere valet? Nam si prius habuit, quomodo ad illud crescendo pervenit? Si prius non habuit, certe nec sibi, nec alteri dare potuit quod omnino non habuit. Ex his itaque potest colligi, quia non potest crescere vel minui. Sed nunc videndum si vel possit de statu in statum æqualem transmutari. Sed si de statu uno in alium etiam æqualem transeat, oportet ut qualitercunque deficiat ab aliquo quod prius habuit, et utin ejusdem defectus recompensationem aliquid ei accedat quod prius non habuit, et tunc in una eademque altercatione prædictis duabus mutationibus subjacebit, quarum utramque superior ratio improbavit. Qui igitur deteriorari non potest, est incorruptibilis; qui meliorari vel alio quolibet modo variari non potest, omnino est incommutabilis. Vere itaque et absque ulla ambiguitate habet Deus incommutabile esse.

CAPUT IV.

Unde colligere possumus quod sit æternus.

Sed si tria illa quæ præmisimus in unum colligimus, non modo sempiternum, verum etiam æternum convincimus. Nam aliud videtur sonare æternum, aliud autem sempiternum. Sempiternum namque esse videtur quod caret initio et fine. Æternum quod caret utroque et omni mutabilitate; et quamvis forsitan neutrum sine altero invenitur, recte tamen inter nominum significationem distinguitur. Quid itaque est æternitas quam diuturnitas sine initio et fine, et carens omni mutabilitate? Sed qui increatus et sempiternus est, caret initio et fine, et cujus status invariabilis est, manet absque omni mutabilitate. In his itaque tribus probatur esse æternus. Nam hæc tria absque ambiguitate dant æternitatem habere et æternum esse.

CAPUT V.

Quod sit infinitus, et eo ipso immensus.

Quod caret initio et fine, procul dubio constat infinitum esse. Quæri itaque potest, qui infinitus est per æternitatem, utrum etiam infinitus sit per magnitudinem. Longe superius monstratum est quod divina substantia sit idem quod ipsa potentia, quod ipsa sapientia. Eadem utique ratione probari potest de substantia illa quæ nihil habet nisi a semetipsa, quod æternitas unde est æterna, quod magnitudo unde est magna non sint aliud aliquid quam ipsa. Si igitur æternitatem Dei infinitam esse convincimus, procul dubio magnitudinem ipsius infinitam esse negare non possumus. Alioquin manifesta ratione fateri convincimur, quod una eademque substantia est et seipsa major, et seipsa minor. Nam, si æternitas ejus est infinita, magnitudo autem finita, erit una eademque substantia secundum æternitatem major magnitudine sua, hoc est semetipsa, et erit secundum magnitudinem minor sua æternitate, hoc est semetipsa. Manifeste itaque colligitur, quia si infinita est una, infinita erit et alia. Habet itaque Deus magnitudinem infinitam et eo ipso immensam. Quod enim infinitum est, nulla mensura comprehendi potest. Recte ergo Deus immensus dicitur, cujus magnitudo nulla mensura comprehenditur

CAPUT VI.

Quod non sit, imo esse non possit immensus nisi unus solus.

Libet modo etiam illud considerare, utrum sit possibile plures immensos esse. Immensum sane merito dicitur, quod nulla mensura comprehenditur. Immensum dicitur quod nulli mensuræ æquale, vel comparabile invenitur. Si ergo plures dicimus immensos, erit quilibet eorum cuilibet alteri incomprehensibilis, erit quilibet eorum cuilibet alteri incommensurabilis. Nullius itaque mensura ab altera cujuslibet alterius comprehenditur, et consequenter unaquæque quamlibet alteram supergreditur, erit ergo unaquæque quavis altera major, erit et unaquæque quavis altera minor. Quod si est impossibile, imo quia est impossibile, impossibile erit plures immensos esse. Quod si nullus est quolibet altero major, vel quolibet altero minor, sicut unusquisque eorum est comprehensibilis et commensurabilis sibi, sic erit comprehensibilis et commensurabilis cuilibet alteri. His allegationibus indubitanter colligere possumus quod omnino non est, sed nec esse potest immensus nisi unus.

CAPUT VII.

Quomodo ex eo quod non sit nisi unus immensus, probatur quod non sit nisi unus æternus.

Ecce jam novimus quod impossibile sit esse plures immensos, videamus nunc utrum possibile sit esse plures æternos. Jam ex superioribus agnovimus et pro certo habemus quod substantia divina non sit aliquid aliud quam immensitas sua, quam æternitas ipsa. Unde et immensitate, et æternitate con-

Digitized by Google

stat quod quævis earum sit idem quod altera. Constat itaque quia qui æternitatem habet, immensitatem utique non habere non valet. Sed si immensitate carere non potest qui est æternus, erit procul dubio simul uterque æternus et immensus. Sicut ergo non possunt esse plures immensi, sic nec esse non poterunt plures æterni. Inter hæc autem illud est maxime notandum, et diligenti consideratione dignum, quod in his quæ ratiocinando colligimus, quædam ex inspecta illius rei de qua agimus proprietate elicimus, quædam ex alterius rei proprietate et mutua utriusque habitudine convincimus. Nam quod non possit esse immensus nisi unus ex immensitatis proprietate colligimus. Quod vero non possint plures æterni esse, tum ex eadem convincitur immensitatis considerata proprietate, tum ex mutua immensitatis et æternitatis habitudine.

CAPUT VIII.

Quod solus Deus sit increatus, solus ab æterno, cætera omnia creata ex nihilo.

Certum tenemus quod sola divina substantia sit a semetipsa, et quod ab ipsa sint cætera omnia. Sed quidquid ab ipsa est seu etiam esse potest, aut est secundum operationem naturæ, aut est secundum impartitionem gratiæ. Quam vero certum est quod divina natura degenerare, vel omnipotentia corrumpi non valet, tam certum fore oportet quod de divina substantia naturæ ipsius operatione esse non posset quod Deus non esset, sed satis superius probavimus quod non possit esse Deus nisi substantialiter unus. De ipso itaque Deo, de unica illa et singulari substantia ipsius esse non potest alius Deus, sed nec aliud aliquid quod non sit Deus. Constat itaque ab illo esse secundum operationem gratiæ quidquid est aliud quam ipse. Sed quidquid ab illo est, non tam exigente natura quam operante gratia pro arbitrio beneplaciti potuit ab illo fieri, potuit æque et ab illo non fieri. Quæ igitur ab illo fiunt, divinam illam et incorruptibilem et incommutabilem substantiam, materiam habere non possunt. Constat itaque (sola divina substantia excepta) cætera omnia vel ex nihilo facta, vel mutabile aliquid habere pro materia. Sed primordialis materia, quæso, unde fuit, quæ a semetipsa esse, vel divinam substantiam pro materia habere omnino non potuit? Et si primordialis materia materiam habere dicitur, et primordialis asseritur simul, et primordialis esse negatur. Hinc ergo manifeste colligitur quod primordialis materia et materialia omnia, mediante materia, quod immaterialia quæque et universaliter omnia sunt ex nihilo creata. Constat itaque quod veraciter credimus, quod solus Deus sit increatus. Sicut ergo solus a semetipso, sic absque dubio et solus ab æterno.

CAPUT IX.

Alius ac Deo modus probandi, quod sit æternus, et quod non sit æternus nisi unus.

Quidquid autem ex creatione esse accipit, fuit procul dubio quando omnino nihil fuit, alioquin ex nihilo creari non potuit. Omne itaque creatum ex tempore esse cœpit : quod autem increatum est, omne tempus præcessit; quod vero fuit quando nullum tempus fuit, procul dubio mutabile esse non potuit. Alioquin tempori obnoxium fuit, quando nullum adhuc tempus fuit, quod omnino esse non potuit ; quod enim obnoxium est mutabilitati, eo ipso obnoxium est tempori. Tempus enim semper in motu est, et vel ad modicum quidem omnino stare non potest, et si nulla mutatio esset, procul dubio tempus omnino non esset. Constat itaque, quod superius jam dixi, quia quod obnoxium est mutabilitati, obnoxium est et tempori, et obnoxium mutabilitati esse non potuit, quando tempus nullum fuit. Quod ergo increatum est, quoniam ante omnia tempora fuit, mutabile esse non potuit. Quod autem est incommutabile, sicut non potest mutari de esse ad non esse, sic non potest mutari de esse ad aliud esse. Quod vero non potest mutari de esse in non esse, durat sine fine. Quod non potest mutari de esse in aliud esse, manet sine omni mutatione. Itaque quod increatum est non solum initio caret, verum etiam sine fine et omni mutabilitate manet. Carere autem initio, et fine, et omni mutabilitate, dat æternum esse. Igitur quod est increatum, convincitur esse et æternum. E converso autem quod est æternum, constat esse et increatum. Nam quod æternum est ab æterno fuit, et eo ipso creari non potuit. Colligitur igitur his rationibus, quia si non est increatus nisi unus, nec est æternus nisi unus. Et æque e converso, si non est æternus nisi unus, nec est increatus nisi unus.

CAPUT X.

Alius de Deo probandi modus, quod non sit immensus nisi unus.

Quod de divinitatis immensitate superius jam diximus, alia adhuc ratione immensitatis ipsius videlicet considerata proprietate colligere possumus. Quidquid enim ad mensuram habetur, majus esset si ejus mensura duplicaretur. Multo autem et majus si cresceret in decuplum, vel potius in centuplum, quod si cumularetur in millies, imo in millies millies, cresceret tantum. Hinc ergo, ut credo, potes animadvertere quod magnitudinem ad mensuram habere, hoc est ipsam participare, non magnitudinem esse. Deus autem, ut superior ratio monstravit, ipsa magnitudo est, et nulla res omnino seipsa participare potest, et hoc ipsum est ex parte esse, et ex parte non esse. Deus itaque, qui magnitudo ipsa est, magnitudinem ad mensuram, et eo ipso immensum esse deprehenditur, quod nulla mensura comprehenditur, seu etiam comprehensibile perpenditur. Stat ergo inconcussum quod credimus, quod quotidiana confessione clamamus, quod Deus sit immensus. Hoc ipsum ex omnipotentiæ consideratione probari valet. Sed quoniam hoc ipsum ad perpendendum perfacile est, in eo immorari non oportet. Habemus autem ex superioribus quod non

Digitized by Google

est aliud omnipotentia quam immensitas et æternitas ipsa. Consequens ergo est ut qui immensitatem, qui æternitatem habet, simul et omnipotentiam habeat. Quam igitur non potest esse omnipotens nisi unus, tam non potest esse nisi unus immensus, nisi unus æternus.

CAPUT XI.

Quod immensitas et æternitas sint incommunicabiles, nec possint esse pluribus substantiis communes.

Longe superius monstravimus quod divinitas sit omnino incommunicabilis, nec possit esse pluribus substantiis communis. Quod ibi jam dictum est de divinitate, simili ratione dici potest de Dei immensitate, et nihilominus de ejus æternitate. Quam non potest enim esse communicabilis pluribus substantiis substantia quælibet una, tam non potest esse communicabilis pluribus substantiis immensitas ipsa et æternitas ipsa, cum non sint aliud aliquid quam divina substantia. Nullus ergo immensus, nisi solus et unus Deus. Nullus æternus nisi solus et unus Deus. Sed hic magna quæstio oritur quæ simplices auditores movere potest, nisi aperta enodatione solvatur : probatum est superius quod divina substantia sit idem quod ipsa potentia, et idem quod ipsa sapientia. Quis autem dicat quod potentia sit communicabilis, quod sapientia non sit pluribus substantiis communis? Sed idcirco incommunicabiles dicentur immensitas et æternitas ipsa, quod idem esse probantur quod divina substantia, cur non eadem ratione ipsa potentia atque sapientia dicuntur incommunicabiles, et pluribus substantiis non posse esse communes? Ubi enim eadem ratio permittitur, cur similis consequentia non merito subinfertur? Sed, ut hujus perplexionis nodum facilius dissolvamus, quod de divinitatis singularitate superius diximus, altiora adhuc perscrutatione discutiamus.

CAPUT XII.

Quod divinitas superius incommunicabilis dicitur, hic enucleatius pleniusque exprimitur.

Sciendum itaque de omni substantia quod habeat esse ex substantialitate sua. Nam cui substantialitas nulla inest, substantia recte dici non potest. Substantialitatem namque dicimus illam proprietatem substantiæ, ex qua habet substantia dici, et esse humanæ substantiæ, substantialitas est ipsa humanitas ; substantia siquidem quæ humanitatem non habet, homo nisi falso dici non valet. Quod autem de hac dictum est, in cæteris æque videri potest. Substantialitas vero alia generalis, alia specialis, alia individualis. Substantialitas autem illa est generalis, quæ est aliquibus speciebus communis, ut corporalitas, quæ inest omnibus corporibus, tam animatis quam inanimatis. Illa vero est specialis, quæ competit unius tantum speciei omnibus individuis, ut humanitas, quæ est omnibus hominibus communis. Individualis autem est illa, quæ uni soli quidem individuo inest, et pluribus substantiis omnino communis esse non potest. Ad designandum individualem aliquam substantialitatem, nomen in usu non habemus, sed ad majorem dicendorum evidentiam ponere, et a proprio nomine trahere possumus. Dicatur itaque a Daniele Danielitas, sicut ab homine humanitas. Danielitas itaque intelligatur ipsa substantialitas, vel, si magis placet, illa substantia ex qua Daniel esse habet, illa substantia quæ ipse est, et quam participare non potest aliqua alia humanitas. Itaque sicut corporalitas est communis multis, Danielitas vero omnino incommunicabilis : incommunicabilem vero idcirco dicimus, quia sic est ejus, ut non possit esse alterius. Nam qui hanc substantialitatem habuerit, profecto Daniel erit ; qui vero non habuerit, idem Daniel esse non poterit. Diversa namque substantialitas facit substantiam diversam. Singularis autem et individua non potest facere nisi unam. Incommunicabilis itaque est Danielitas, ut diximus, quia sic est substantia substantiæ unius, ut non possit esse alterius. Si igitur idcirco incommunicabilis dicitur esse, quia non potest esse alterius substantiæ, quanto magis si Danielis substantia esset idipsum per omnia quod substantialitas sua. Divinitas autem ipsa, est idem ipsum per omnia quod divina substantia ; idem, inquam, quod singularis illa substantia quæ sola est et a semetipsa et a qua sola sunt cætera omnia. Tam igitur non potest ipsa divinitas communicabilis esse, quam non possunt diversæ substantiæ esse una et una diversæ. Ecce quomodo divinitas ipsa sit incommunicabilis tam aperte monstravimus, ut lector qui super hoc dubitaverit non tam hebes videatur quam cæcus. Immensitas autem et æternitas, juxta prædictam ratiocinationem, sic sunt unius, ut non possint esse alterius, et eo ipso incommunicabiles perpendimus. Addamus quod idem ipsum per omnia quod divina substantia sunt, unde constat quod incommunicabiles existunt.

CAPUT XIII.

Quod secundum diversos modos dicendi possit sapientia seu potentia modo communicabilis, modo incommunicabilis dici.

Sed ut ad id redeamus propter quod ista digessimus, cur non eadem ratione potentia ipsa atque sapientia incommunicabiles dicuntur, si idem ipsum quod divina substantia veraciter esse comprobantur? Sed sciendum est, quod tam nomine potentiæ quam nomine sapientiæ abutimur, cum modo de divinis, modo de humanis loquimur, ut non tam unicam quam æquivocam prædicationem fecisse videamur. De Deo dicimus quod sapientia sit, de homine dicimus quod non sapientia sit, sed quod ei sapientia insit : ibi sapientiæ nomine designatur tale quid quod sit substantia, et plus quam substantia hic nomine sapientiæ designatur tale quid quod non sit substantia ulla. Utrobique dictio una, sed ratio nominis diversa. Si æquivocatio est ubi nomen unum sub diversa significatione designant substantiam diversam, quanto magis tum unum nomen distrahitur

Digitized by Google

ad designandum id quod negamus, et id quod dicimus substantiam. Dicimus item ipsum hominem, dicimus nihilominus Deum sapientiam habere, et videtur enuntiatio æquivoca esse, sed de Deo non dicitur nisi abusive. Nec minor abusio videtur quam si Abraham non homo esse, sed hominem habere diceretur. Hæc dicendi abusio, vel dictionum æquivocatio sensum confundit, et potentiam atque sapientiam incommunicabiles dici non sinit. Denique demus tale nomen quod non possit nisi divinæ potentiæ vel divinæ sapientiæ convenire, et videbimus utrumque incommunicabile esse. Nam nomen ipsum omnipotentiæ, quod non potest nisi divinæ potentiæ convenire, omnino deprehenditur incommunicabile. Siquidem, sicut jam probavimus, non potest esse omnipotens nisi unus, sed ad exprimendam divinam sapientiam omnipotentiæ simile nomen non habemus, sed sæpe eam ex adjuncto determinamus, cum sapientiam summam, cum sapientiam ipsam vel plenitudinem sapientiæ nominamus. Sed quovis modo exprimatur divina et increata potentia, vel sapientia, ita ut non possit omnino subintelligi aliqua alia, absque dubio utraque erit incommunicabilis, nec poterunt esse communes pluribus substantiis, non dicam angelicis, non dicam humanis, sed nec aliquibus quasi divinis.

CAPUT XIV

Multiplex probandi modus quod non sit Deus nisi unus.

Excepto eo quod de divinitatis singularitate superius jam diximus, ecce quam multis modis probare possumus quod non sit Deus nisi unus. Unus increatus, unus æternus, unus immensus, quorum singula probant atque convincunt quod non sit Deus nisi unus. Si bene attendis idem probare poteris ex consideratione unitatis Nam, si quis dicat plures deos esse, convinci poterit ex hac consideratione unum quemlibet ab altero quolibet esse, quorum singulis sit proprium, nonnisi a semetipsis existere. Sed quoniam hoc ex ante jam dictis perpendi et probari posse cognovimus, ex industria prætermimus, et lectoris sagacitati elicienda relinquimus.

CAPUT XV.

Quod non potest esse nisi unus Dominus, sicut nec nisi unus Deus.

Nunc illud quæramus utrum juxta quotidianam confessionem, non possit esse Dominus nisi unus solus. Ille utique veraciter Dominus dicitur, cujus libertas nulla potestate premitur, cujus potestas vel dominium nulla impossibilitate præpeditur. Veraciter autem Dominus dici non poterit, qui alienæ voluntati invitus deseruit, vel cedit. Videtur itaque impossibile plures dominos esse. Nam si plures esse dicuntur, vide quid inconveniens inde consequatur. Nam, si aliquis eorum alium quemlibet suæ servituti addicere velit, si ille qui impetitur oppressoris violentiam repellere non poterit, quomodo non potius servus quam dominus erit? Si vero oppressionis præsumptor violenter repulsus et victus cedit, quomodo verus dominus erit qui repellentis voluntati invitus quidem, cedendo tamen, subservit? Sic fit ut si plures æque potentes plures dominos esse contendimus, nullum procul dubio veraciter dominum efficimus. Sed quod ex considerata dominationis ipsius proprietate convincitur, ex omnipotentiæ consideratione confirmatur. Quod enim non poterit esse omnipotens nisi unus, tam non poterit esse Dominus nisi unus. Quid enim poterit ejus violentiæ resistere, quem veraciter constiterit omnia posse. Pro certo itaque tenendum quod non sit, sed nec esse possit Dominus, nisi unus, sicut Deus nisi unus, et solus.

CAPUT XVI.

Quod Deus ipse sit summum bonum, et quod summum bonum sit universaliter perfectum.

Ei autem qui vere omnipotens est, expetendorum nihil deesse potest. Ubi enim omnipotentia est, nulla plenitudo, nulla perfectio desse potest. Alioquin si vel aliquid de qualicunque perfectione summe potenti deesset quam habere non posset; veraciter omnipotens omnino non esset. Universaliter autem perfectum est, cui in nullo nulla perfectio deest, sed nec deesse potest. Nihil autem melius, nihil potest esse majus eo quod est plenum et perfectum in omnibus. Constat itaque de omnipotente quod ipse sit summum bonum, et quod consequens est, quod ipse sit suum bonum. Sicut enim superiorem habere non valet qui supremum locum tenet, sic omnium summus de suo inferiori bonus fieri, vel beari non valet. Quomodo autem aliunde bonus vel beatus fieri posset, qui a semetipso habet totum quod habet? Est itaque de semetipso bonus, est de semetipso beatus. Ipse ergo sua ipse summa bonitas, ipse sua ipse summa felicitas. Constat itaque quod dictum est, quod ipse sit summum bonum, et quod ipsum sit universaliter perfectum. Quid enim est beatitudo, nisi bonorum omnium plenitudo atque perfectio? Constat itaque quia bono illi summo universaliterque perfecto nihil omnino desit cujus adjectione meliorari possit.

CAPUT XVII.

Quod in illo summo bono universaliterque perfecto sit vera unitas, et summa simplicitas.

Sed si in illo vero et summo bono universaliterque perfecto plenitudo est omnium bonorum, nunquid illud bonum usquequaque perfectum est multis bonis compositum? Sed quod ex pluribus compositum est naturaliter divisibile est, et quod naturaliter est divisibile, naturaliter est et commutabile, et ubi est commutabilitas, non potest esse æternitas, et sic nec vera felicitas. Sed in bono quod universaliter perfectum est, nihil horum deesse potest. Nam, ut de cæteris taceam, ex solius omnipotentiæ consideratione convincitur nihil perfectionis, et quod consequens est, nihil horum ibi deesse potuisse. Constat itaque quia in illa æterna felicitate, et vere felici æternitate sit vera incommutabilitas, et consequenter vera et summa simplicitas.

Digitized by Google

Ubi autem summa simplicitas, ibi vera et summa unitas. Quidquid ergo in summo bono est, vere et summe unum est, nec ibi aliud et aliud esse potest, sed idem ipsum est totum quod est.

CAPUT XVIII.

Quod de summi boni simplicitate vel unitate dictum est, quomodo alia ratione confirmari potest.

Quod autem de summi illius et veri boni simplicitate, vel unitate hic dicimus, alia adhuc ratione convincere possumus. Sicut ex his colligi potest quæ jam superius posuimus. In superioribus namque ratio invenit quod divina substantia sit idem quod ipsa potentia, idem quod ipsa sapientia: unde et quælibet earum convincitur idem esse quod alia. De eadem substantia superius est dictum, imo et simili ratione probatum quod sit vera immensitas, quod sit idem quod ipsa æternitas. Attende itaque quoniam omnia ista unum et idem ipsum sunt, et adinvicem quidem de alterutris prædicari possunt. Quod de istis dicimus, hoc de ejus bonitate, hoc de ejus beatitudine simili consequentia convincere possumus. Nam ista quidem sicut superiora de semetipsis et præmissis mutuam prædicationem suscipiunt, et omnino omnia quæ divinæ substantiæ dicuntur inesse, vel unum dicitur aliquid habere in eamdem consequentiam currunt. Quoniam igitur vere et summe unum est quidquid in summa substantia, imo quidquid summa substantia est, non est ei aliud esse quam vivere, nec vivere quam intelligere, nec ab his aliud atque aliud potentem vel sapientem fore. Sed nec ab eis sicut nec a semetipsis diversum aliquid bonum vel beatum esse. Rationis itaque hujusmodi consideratione colligi potest, quoniam quidquid in summo bono et vera divinitate est vere et substantialiter, et summe unum est.

CAPUT XIX.

Quod illud bonum universaliter perfectum, sit summe unum, et unice summum.

Esse itaque oportet summe bonum, summum unum, et non solum summe unum, sed et unice summum. Non enim possunt esse duo summa bona, sicut nec duo universaliter perfecta. Nam, si duo æque perfecta esse concedimus oportet ut et consequenter concedamus, quoniam quidquid plenitudinis, quidquid perfectionis est in uno, totum juxta eumdem modum atque mensuram erit et in altero. Erit itaque utrobique una et eadem plenitudo, erit utrobique una indifferensque perfectio. Sed ubi differentia nulla est, pluralitas omnino recte dici sive inveniri non potest. Plura itaque universaliter perfecta sicut omnino sunt, sic et omnino esse non possunt. Et quidem sicut et ante nos dictum est, si unum universaliter perfectum est ad omnia sufficit. Alioquin usquequaque perfectum non erit, et si unum omnino sufficit, alterum superfluum erit; et si omnino est superfluum, quomodo utile, vel si inutile, quomodo bonum? Bonum igitur illud universaliter perfectum erit, ut dictum est, non solum summe unum, sed et unice summum. Ecce ut vides quod de summo bono dicimus, in eamdem consequentiam currit quam superior ratio de divinæ substantiæ unitate ratiocinando invenit. Nam, si Deus veraciter est summum bonum, quam non potest esse summum bonum nisi unum, tam veraciter constat quod credimus non posse esse nisi unum Deum. Est itaque in illa vera et summa felicitate et vere et summe felici divinitate; est, inquam, summa et substantialis unitas, et in ipsa unitate vera et summa simplicitas. Ubi, ut superius probatum est, idem ipsum est totum quod est.

CAPUT XX.

Quod sit incomprehensibilis simplicitas illa veræ et summæ unitatis.

Sed si in ista unitate vera et summa simplicitas est, nihil ipsi ad illam quæ est ex compositione partium in substantiam unam. Si idem ipsum est totum quod in ea est, nihil ipsi ad illam quæ est ex conformitate multarum substantiarum in unam naturam. Si vere et summe simplex est, quid ipsi ad illam quæ est in unione diversi formium substantiarum in personam unam? Si simplex identitas in ipsa est, quid ipsi ad illam quæ est in concretione subsistentis et subsistentiæ in unam? Nihilominus et longe est supra unitatem illam quæ est ex collectione multarum proprietate in unam formam. Incomparabiliter autem et incomprehensibiliter supra hujusmodi omnes constat hanc fore, quæ in infinitatis identitate habet summe simplex et incommutabile esse. In illo itaque summo bono universaliterque perfecto unitas vera, unitas in illo summa, simplicitas in illo est vera, et summe simplex identitas. Ibi, quod adhuc mirabilius est, vera unitas cum plenitudinis universitate; ibi summa simplicitas cum perfectionis immensitate; ibi summe simplex identitas cum totius consummationis infinitate. Attende ergo quam sit incomprehensibilis et omnino inæstimabilis simplicitas illa veræ et summæ unitatis.

CAPUT XXI.

Quomodo quisque possit in sua scientia ex comparatione colligere quid debeat de illa super eminenti incomprehensibilitate sentire.

Sed, ne quis ex simplicioribus existimet me contraria et sibi invicem repugnantia astruere, quasi ea quæ dicta sunt non possint simul stare, ostendo ei qui ejusmodi est, quomodo possit quasi per speculum videre et in semetipso ex comparatione colligere quid debeat de illa supereminenti incomprehensibilitate sentire. Si granum aliquis in manu teneret, nonne veraciter sentiret et incunctanter affirmaret quod nihil cæterorum omnium esset numero idem quod ipsum? Si igitur interrogaretur sigillatim de singulis granis cujuscunque oleris vel segetis, nonne constanter responderet diversum esse ab omnibus et singulis? Idem sentiret de omni pilo, idem affirmaret de omni capillo. Quid de qualibet gutta maris? Quid de quolibet folio cujuscunque ar-

Digitized by Google

boris? Si tota terra solveretur in pulverem, et de singulis illius minutiis interrogari potuisset, ad singulas interrogationes idem tam constanter quam veraciter responderet. Si mensura terræ in infinitum cresceret, et de minutissimis partibus ipsius eamdem sententiam teneret. Hoc studui diligentius exprimere, ut quilibet quantumvis simplex propria scientia legat, et intelligat quomodo sub una et simplici veritate comprehenduntur infinitæ. Quid ergo mirum, si in illa sapientia, quæ Deus est, et in qua omnis veritas est (alioquin perfecta non esset si eam aliqua veritatis lateret), quid, inquam, mirum si in illa est, et juxta aliquid summa simplicitas, et juxta aliquid summa multiplicitas? Quid, inquam, mirum, si ibi concordet et in unum concurrat identitas cum multiplicitatis infinitate, simplicitas cum magnitudinis immensitate, vera unitas cum totius plenitudinis universitate? Ecce habet quisque quomodo potest in sua scientia legere quid debeat de illa supereminenti incomprehensibilitate æstimare.

CAPUT XXII.

De Dei substantia quid dicatur rectius, et quod ipse sit sine quantitate magnus, et sine qualitate bonus.

Ex superioribus agnovimus quod in illa natura, quæ Deus est, sit vera unitas et summa simplicitas nulla ibi compositio, nulla concretio, ipsa nulli, nihil ipsi inest velut in subjecto. Dicitur et est velut summa potentia; dicitur et est summa sapientia, et ne in subjecto esse putetur, substantia nominatur. Sed quia contra substantiarum naturam nihil ei velut in subjecto inhærere deprehenditur non tam substantia quam supersubstantialis essentia esse convencitur. Superior ratio invenit si non excidit quod non sit aliud aliquid ejus bonitas, et aliud aliquid ejus immensitas. Quid ergo si idem est ejus immensitas quod bonitas, nunquid erit immensitate sua bonus? Si idem est ejus bonitas quod immensitas, nunquid erit bonitate sua magnus? Sed bonitas videtur pertinere ad qualitatem, immensitas ad quantitatem. Quid ergo? Eritne qualitate magnus et quantitate bonus? Et ad hæc, quis idoneus? An quia non est aliud immensitas sua, vel bonitas sua quam substantia sua, nunquid erit et sine qualitate bonus et sine quantitate magnus? Et ad hæc, quis idoneus? Ex his, ut arbitror, perfacile est intelligere quam ineffabile imo et incomprehensibile quod ratio ratiocinando compellit de Deo nostro sentire.

CAPUT XXIII.

Quod sit in omni loco incomprehensibiliter, et in omni tempore invariabiliter, et quomodo uniformis, et quomodo multiformis.

Tenemus ex ante jam dictis quod Deus omnipotens sit, et absque dubio omnia possit. Si ergo vere omnipotens est, consequenter ubique potest. Si ubique potest, potentialiter ubique est. Si ubique potentialiter est, et ubique essentialiter. Neque enim est aliud ejus potentia atque aliud ejus essentia. Si autem essentialiter ubique est, ergo et ubi locus est, et ubi locus non est. Erit itaque et intra omnem locum, erit et extra omnem locum; erit supra omnia, A erit infra omnia; intra omnia, extra omnia. Sed quoniam simplicis naturæ est Deus, non erit hic et ibi per partes divisus, sed ubique totus. Erit itaque in quantulacunque cujuslibet parte totius totus, et in toto totus, et extra totum totus. Si igitur extra omnem locum est totus, in nullo loco concluditur. Si in omni loco est totus, a nullo loco secluditur; localiter igitur nusquam est qui a nullo loco concludi, a nullo loco secludi potest. Et sicut in omni loco est præsentialiter in nullo localiter, sic in omni tempore est æternaliter, in nullo temporaliter. Sicut enim per loca non distenditur qui summe simplex et incompositus est, sic nec per tempora variatur qui æternus et incommutabilis est. Sicut igitur eorum quæ nondum sunt B nihil est ei futurum, sic eorum omnium quæ jam non sunt nihil est præteritum, sic eorum omnium quæ jam præsentialiter sunt nihil est ei transitorium. Est igitur in omni loco incomprehensibiliter, et in omni tempore invariabiliter, et miro modo qui quantum ad se semper est uniformis, in aliis et aliis invenitur multiformis. Nam si situm quæris ejus qui situ caret, quantum ad se, juxta simplicitatem naturæ ubique uniformiter se habet. Et tamen secundum participationem gratiæ in aliis et aliis multiformem se exibet. In aliis est secundum participationem potentiæ, nec tamen secundum participationem vitæ. In aliis etiam secundum participationem vitæ, non tamem secundum participationem sapientiæ, quibusdam inest secundum participationem C bonitatis, nec tamen secundum participationem beatitudinis. Quibusdam vero constat eum inesse secundum participationem utriusque. Et qui in se uniformis est, et mutari nescit, largitatis suæ manum in aliis contrahit, et in aliis largiter, in aliis largius extendit.

CAPUT XXIV.

Quod ejus facere sit a se fieri velle, et ejus pati non velle fieri, et quod æque habet et quod actualiter est et quod actualiter non est.

Et cum vere omnipotens sit, quidquid est aut ejus operatione, aut ejus permissione subsistit. Nam quidquid fit, nisi ad nutum ejus fieret procul dubio omnipotens non esset, ejus itaque facere est a se fieri D velle, ejus autem pati non velle fieri. Et, sicut omne ejus pati est sine omni passione, et compati sine propassione, sic omne ejus agere est sine sui agitatione, et indeficiens facere sine fatigatione. Sed, si ejus facere est idem quod a se fieri velle, nunquid quando aliquid fecit quod prius non fuit, nunquid, inquam, aliquid vult quod prius noluit? Sed qui vere immutabilis est, velle suum variare non potest. Quod ergo semel voluit, semper voluit. Nunquid ergo quæ volendo fecit ab æterno fecit, quia ut fieret ab æterno voluit? Et si fecit quæ futura sunt, nunquid adhuc facit et faciet quæ jam præterita sunt, et de cætero futura non erunt? Nunquid perseverat faciendo sicut et volendo? Et cum aliquid esse desinit, nunquid habere desinit quod prius ha-

Digitized by Google

buit? vel habere incipit, quando aliquid esse incipit, quod prius non fuit? Nam quod esse desinit, vel nondum esse cœpit nihil est, et quod nihil est, possideri non potest, sed omnipotens possessor nec potest ditescere, nec in sua ditione decrescere. Quid ergo? Sed vide ne forte hoc ipsum quod actualiter est excellentius sit ubi actualiter non est quam ubi actualiter est. Nam hic est transitorium, ibi æternum; et quod factum est in ipso, ibi vita erat, et tunc quando nondum actualiter erat. Qui ergo nihil amittere vel acquirere potest, æque habet et quod actualiter est et quod actualiter non est

CAPUT XXV.

Quod quidquid dictum est de divinis proprietatibus usque modo videtur pertinere ad illud esse quod est ab æterno et a semetipso.

De his quæ de Deo dicuntur relative, volumus hoc loco supersedere; nam eorum significatio latius se extendit quam quæ sub compendiosa brevitate comprehendi possit. Ut enim mihi videtur eorum significatio ad omnia prædicamenta evagatur. Nam cum ea quam significant relatione quod consignificant solet modo ad hoc, modo ad illa prædicamenta pertinere. Substantive namque dicitur unus alteri consubstantialis, quantitative æqualis, vel inæqualis, qualitative, similis vel dissimilis, ubi consignificat, superior et interior, quanto anterior et posterior situm, consessor et consessio, habere, possessor et possessio, pertinet ad facere et pati, genarator et genitus, amator et amatus. Melius est itaque de his interim supersedere quam attentare quod non possumus debita brevitate succingere.

Notandum est autem hoc loco quod quidquid de divinis proprietatibus dictum est usque modo, ad illud esse pertinere videtur quod est a semetipso, et eo ipso ab æterno. Nam quidquid de hujusmodi hucusque dictum est, nihil minus constaret etiamsi nihil ab æterno esset quod aliunde quam a semetipso originem traheret.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod hucusque actum sit de divinæ substantiæ unitate, quodammodo quærendum quid sentiendum sit de divinarum personarum pluralitate.

In his quæ usque huc dicta sunt de divinæ substantiæ unitate vel proprietate, secundum quod nobis videbatur exsecuti sumus. De reliquo vero investigare proposuimus quid de divinarum personarum pluralitate vel proprietatibus sentire debeamus. Primo itaque quærendum videtur utrum in illa vera et simplici divinitate vera pluralitas sit, et si ille personarum numerus, prout credimus, in ternarium assurgit? Deinde quomodo possit convenire unitas substantiæ cum personarum pluralitate. Tertio vero loco quærere oportebit utrumnam juxta fidei nostræ documenta sit ibi una sola persona quæ sit a semetipsa, cæterarum vero quælibet procedat ex alia, et si qua sunt alia circa eamdem considerationem quærenda. Quod si detur nobis et ista ex ratione convincere, ultimo loco oportebit adhuc quærere an in illis duabus personis aliunde quam a se procedentibus sit diversus procedendi modus, et quis cuique sit proprius, et quod consequens est juxta propria singularum de earum nominibus. Oportet autem in his quæ ad quærendum restant tanto majorem diligentiam impendere eoque ardentius insistere, quanto minus in Patrum scripturis invenitur unde possimus ista (non dico ex Scripturarum testimoniis), sed ex rationis attestatione convincere. In hoc autem inquisitionis meæ proposito, qui voluerit rideat, et qui voluerit irrideat et digne quidem. Nam, ut verum fatear, ad tentandi ausum non me quidem tam scientia elevat quam æstuantis animi ardor instigat. Quid si non detur pervenire quo tendo? Quid si currendo deficio? Gaudebo tamen inquirendo faciem Domini mei semper pro viribus cucurrisse, laborasse, desudasse. Et si contingat præ nimia viæ prolixitate, asperitate, arduitate deficere, nonnihil effeci, si veraciter mihi dicere contingat feci quod potui, quæsivi et non inveni illum, vocavi et non respondit mihi. Et ecce asina illa Balaam quæ sessorem suum in suo itinere retardavit nescio quo pacto me ad currendam viam inceptam urget et impellit. Audio et ego eam adhuc loquentem et dicentem mihi; qui quod loquerer potuit dare mihi poterit procul dubio dare et tibi. Sed nunc ad id quod proposuimus, cum omni diligentia intendamus.

CAPUT II.

Quomodo ex charitatis proprietate plenitudo bonitatis convincit quod in vera divinitate personarum pluralitas deesse non possit.

Didicimus ex superioribus quod in illo summo bono universaliterque perfecto sit totius bonitatis plenitudo atque perfectio. Ubi autem totius bonitatis plenitudo est, vera et summa charitas deesse non potest. Nihil enim charitate melius, nihil charitate perfectius. Nullus autem pro privato, et proprio sui ipsius amore dicitur proprie charitatem habere. Oportet itaque ut amor in alterum tendat, ut charitas esse queat. Ubi ergo pluralitas personarum deest, charitas omnino esse non potest. Sed dicis fortassis etsi sola una persona in illa vera divinitate esset, nihilominus tamen erga creaturam suam charitatem quidem et habere posset, imo et haberet, sed summam certe charitatem erga creatam personam habere non posset. Inordinata enim charitas esset. Est autem impossibile in illa summæ sapientiæ bonitate charitatem inordinatam esse. Persona igitur divina sum

Digitized by Google

nam charitatem habere non potuit erga personam, quæ summa dilectione digna non fuit. Ut autem charitas summa et summe perfecta sit, oportet ut sit tanta quæ non possit esse major, oportet ut et sit talis quæ non possit esse melior. Quandiu autem quis nullum alium quam seipsum diligit, ille quem erga se habet privatus amor convincit, quod summum charitatis gradum necdum apprehendit. Sed persona divina profecto non haberet quam ut seipsam digne diligeret, si condignam personam omnino non haberet. Divinæ autem personæ condigna non esset persona quæ Deus non esset. Ut ergo in illa vera divinitate plenitudo charitatis possit locum habere, oportuit aliquam divinam personam personæ condignæ, et eo ipso divino consortio non carere. Vide ergo quam de facili ratio convincit, quod in vera divinitate pluralitas personarum deesse non possit. Certe solus Deus summe bonus est. Solus ergo Deus summe diligendus est. Summam ergo dilectionem divina persona exhibere non posset personæ quæ divinitate careret. Plenitudo autem divinitatis non potuit esse sine plenitudine bonitatis. Bonitatis vero plenitudo non potuit esse sine charitatis plenitudine, nec charitatis plenitudo sine divinarum personarum pluralitate.

CAPUT III.

Quod idem quod de divinarum personarum pluralitate plenitudo bonitatis loquitur plenitudo divinæ felicitatis attestatur.

Sed quod de pluralitate personarum plenitudo bonitatis convincit, et probat plenitudo felicitatis simili ratione approbat. Et quod una loquitur, altera attestatur. Et in una eademque veritatis attestatione una clamat, altera acclamat. Conscientiam suam unusquisque interroget, et procul dubio et absque contradictione inveniet; quia, sicut nihil charitate melius, sic nihil charitate jucundius. Hoc nos docet ipsa natura, idem ipsum multiplex experientia. Sicut igitur in plenitudine veræ bonitatis non potest id deesse quo nihil est melius, sic in plenitudine summæ felicitatis deesse non potest id quo nihil est jucundius. Necesse est itaque in summa felicitate charitatem non deesse. Ut autem charitas in summo bono sit, impossibile est eum deesse et qui cui exhibere, vel exhiberi possit. Proprium autem amoris est, et sine quo omnino non possit esse ab eo quem multum diligis multum diligi velle. Non potest ergo esse amor jucundus si non sit et mutuus. In illa igitur vera et summa felicitate sicut nec amor jucundus, sic nec amor mutuus potest deesse. In amore autem mutuo oportet omnino ut sit et qui amorem impendat, et qui amorem rependat. Alter itaque erit amorem impendens, et alter amorem rependens. Ubi autem unus et alter esse convincitur, vera pluralitas deprehenditur. In illa itaque vera felicitatis plenitudine pluralitas personarum non potest deesse. Constat autem quia nihil aliud est summa felicitas quam ipsa divinitas. Gratuiti ergo amoris exhibitio, et debita amoris recompensatio indubitanter convincit quod in vera divinitate personarum pluralitas deesse non possit.

CAPUT IV.

Quod de personarum pluralitate in dictis duobus testibus astruitur, ex considerata divinæ gloriæ plenitudine confirmatur.

Certe, si dixerimus in illa vera divinitate esse solam personam unam, quemadmodum solam unam substantiam, juxta hoc procul dubio non habebit cui communicare possit infinitam illam plenitudinis suæ abundantiam. Sed, quæso, ut quid hoc? An quia communicantem habere non possit cum velit? An quia habere nolit cum possit? Sed qui absque dubio omnipotens est, per impossibilitatem excusari non potest. Sed quod constat non esse ex defectu potentiæ, nunquid non erit ex solo defectu benevolentiæ? Sed si communicantem habere omnino nollet, cum veraciter habere posset si vellet, iste in divina persona benevolentiæ defectus attende, quæso, qualis esset vel quantus. Certe, ut dictum est, nihil charitate dulcius, nihil charitate jucundius, charitatis deliciis rationalis vita nihil dulcius experitur. Nulla unquam delectatione delectabilius fruitur; his deliciis in æternum carebit, si consortio carens in majestatis solio solitaria permanserit. Ex his itaque animadvertere possumus qualis quantusve esset iste benevolentiæ defectus, si plenitudinis suæ abundantiam mallet sibi soli avare retinere, quam posset, si vellet, cum tanto gaudiorum cumulo, cum tanto deliciarum incremento alteri communicare, si sic esset merito angelorum, merito omnium aspectum subterfugeret, merito se videri, merito se agnosci erubesceret, si ipsi tantus benevolentiæ defectus inesset. Sed absit! absit ut supremæ majestati illi aliquid insit, unde gloriari nequeat, unde glorificari non debeat. Alioquin ubi erit plenitudo gloriæ. Nam ibi, ut superius probatum est, nulla poterit plenitudo decsse. Quid autem gloriosius, quid vero magnificentius quam nihil habere quod nolit communicare? Constat utique quod in illo indeficienti bono summeque sapienti consilio, tam non potest esse avara reservatio quam non potest esse inordinata effusio. Ecce palam habes, sicut videre potes, quod in illa summa et suprema celsitudine ipsa plenitudo gloriæ compellit gloriæ consortem non deesse.

CAPUT V

Quod jam dictæ divinæ pluralitatis assertio triplici confirmatur testimonio.

Ecce de pluralitate divinarum personarum tam aperta docuimus ratione, ut insaniæ morbo videatur laborare, qui tam evidenti attestationi velit contraire. Quis enim nisi insaniæ morbo laborans dicat summæ bonitati id deesse quo nil perfectius, quo nihil est melius? Quis, quæso, nisi mentis inops contradicat, summæ felicitati id inesse, quo nihil jucundius, nihil est dulcius? Quis, inquam, nisi rationis expers, in plenitudine gloriæ putet posse id deesse quo nihil est gloriosius, nihil magnificentius? Certe nil melius, nil certe jucundius omnino, nil

Digitized by Google

magnificentius est vera, et sincera, et summa charitate, quæ omnino esse non novit sine personarum pluralitate. Hujus itaque pluralitatis assertio, triplici confirmatur testimonio. Nam quod summa bonitas, quod summa felicitas super hac re concorditer clamat, plenitudo gloriæ confirmando acclamat, et acclamando confirmat. Ecce super hunc fidei nostræ articulum triplex habemus testimonium, de summis supernum, de divinis divinum, de profundis altissimum, de occultis apertissimum, et scimus quia in ore duorum vel trium stat omne verbum. Ecce funiculus triplex qui difficile rumpitur, unde phreneticus quivis fidei nostræ impugnator, donante Dei sapientia, fortiter alligetur.

CAPUT VI.

Quod personas divinas oporteat omnino esse coæternas.

Ecce, ut ex superioribus manifeste colligere possumus, perfectio personæ unius consortium requirit alterius. Invenimus nil esse gloriosius, nil magnificentius quam nihil habere velle quod nolis communicare. Majestatis itaque suæ carere consorte noluit personæ quæ summe bona fuit. Absque dubio autem esse oportuit quod esse voluit, cujus voluntas omnipotens fuit. Quod vero semel voluit, semper voluit, cujus voluntas incommutabilis fuit. Oportuit ergo æternam personam coæternam habere, nec potuit una alteram præcedere, nec una alteri succedere. Nam in illa æterna et incommutabili divinitate nihil potest velut antiquatum transire, nihil novum supervenire. Personas itaque divinas impossibile est omnino non esse coæternas. Ubi namque vera divinitas, ibi summa bonitas, ibi plena felicitas. Summa autem bonitas, sicut dictum est, non potest esse sine perfecta charitate, nec perfecta charitas, sine personarum pluralitate. Plena vero felicitas non potest esse sine vera incommutabilitate, nec vera incommutabilitas sine æternitate. Personarum pluralitatem exigit vera charitas, personarum æternitatem vera incommutabilitas.

CAPUT VII.

Quod in illa personarum pluralitate oportet tam summam æqualitatem, quam summam similitudinem esse.

Notandum sane quod, sicut charitas vera exigit personarum pluralitatem, sic charitas summa exigit personarum æqualitatem. Summa autem charitas necdum esse convincitur, ubi vere dilectus summe non diligitur. Discretus vero amor non est ubi summe diligitur, qui summe diligendus non est. Sed in summe sapienti bonitate amoris flamma, sicut non aliter, sic non amplius flagrat quod summa sapientia dictat. Quem itaque secundum illam summam charitatis abundantiam oportet summe diligere, necesse est absque dubio secundum summam illam discretionis regulam summe diligendum esse. Sed ipsius amoris proprietas convincit, quoniam summe diligenti non sufficit, si summe dilectus summam dilectionem non rependit. In mutuo itaque amore plenitudo charitatis exigit, ut uterque ab altero sit summe dilectus, et consequenter secundum prædictam discretionis normam, uterque sit summe diligendus. Ubi autem uterque est æque diligendus, oportet uterque sit æque perfectus. Oportet itaque utrumque esse æque potentem, æque sapientem, æque bonum, æque beatum; sic summa plenitudo dilectionis in mutue dilectis exigit summam æqualitatem perfectionis. Sicut itaque in vera divinitate charitatis proprietas exigit personarum pluralitatem, sic ejusdem charitatis integritas in vera pluralitate requirit summam personarum æqualitatem. Ut autem sint per omnia æquales, oportet ut sint per omnia similes. Nam similitudo potest haberi sine æqualitate, æqualitas vero nunquam sine mutua similitudine. Qui enim in sapientia nihil similitudinis habent, quomodo in ea pares esse valent? Quod autem dico de sapientia, idem dico de potentia; idem vero invenies in cæteris omnibus, si curras per singula.

CAPUT VIII

Quam miranda ratione sit substantialis unitas in illa pluralitate, et personalis pluralitas in vera unitate substantiæ.

Quæsivimus et invenimus quia in dictis mutuo dilectis mutuoque diligendis, ut merito debeat esse summa dilectio, oportet ut in singulis sit summa perfectio, totiusque perfectionis plenitudo. Erit itaque in utrisque plenitudo potentiæ, in utrisque plenitudo sapientiæ, plenitudo bonitatis, plenitudo divinitatis. Ecce unde longe superius mentionem fecimus, nec tamen aliquid definivimus quod divinitas (quam ibi invenimus non posse esse communem pluribus substantiis) hic evidenter apparet communis esse pluribus personis. Sed, si mutuo dilectis omnis, ut dictum est, perfectio est communis, patet profecto quoniam si omnipotens est unus, omnipotens erit et alius; si immensus est unus, immensus erit et alius; si Deus est unus, Deus erit alius. Sed, sicut in superioribus satis evidenter ostendimus, non potest esse omnipotens nisi unus, non potest esse immensus nisi unus, nec Deus nisi unus. Quid ergo? utique absque omni dubio sic erit uterque omnipotens, ut ambo simul non sint, nisi unus omnipotens. Sic erit uterque immensus, ut ambo simul non sint nisi unus immensus, sic absque dubio erit uterque eorum Deus, ut ambo simul non sint nisi unus Deus. Et quis ad hoc idoneus? Sed si divinitas ipsa, ut diximus, pro certo erit divina substantia, quæ ut supra probatum est, nihil aliud est quam divinitas ipsa. Convincitur itaque utrumque unam eamdemque substantiam communem habere, vel si hoc melius sonat, convincitur ambos simul unam eamdemque substantiam esse. Quid itaque mirum si simul ambo non sunt nisi unus omnipotens, unus æternus, unus immensus, nonnisi unus Deus et Dominus, quando ambo simul non sunt nisi substantialiter unus? Vide ergo quam admiranda ratione sit substantialis unitas in illa personarum pluralitate, et personalis pluralitas in vera unitate substantiæ,

Digitized by Google

ita ut sit et in personis proprietas, in substantia unitas, in majestate æqualitas.

CAPUT IX.

Quod in divina natura pluralitas personarum sit in unitate substantiæ, et in humana natura pluralitas substantiarum, in unitate personæ.

Miraris fortassis qui hoc audis vel legis; miraris, inquam, quomodo possit esse plus quam una persona, ubi non est nisi una et sola substantia. Sed quid mirum, qui mirabilis est in tam multis operibus suis; quid, inquam, mirum, si super omnia est in semetipso mirabilis? Miraris quomodo in natura divina sit plus quam una persona, ubi non est plus quam una substantia, nec tamen æque miraris quomodo in natura humana sit plus quam una substantia, ubi non est plus quam una persona. Constat namque homo ex corpore et anima, et hæc duo simul nonnisi una persona. Habet itaque homo quomodo legat, et discat in seipso, quid per contrarium æstimare debeat de Deo suo. Conferamus in unum si placet quæ ratio ratiocinando invenit in natura divina, et ea quæ experientia reperit in natura humana. Utrobique unitas, utrobique pluralitas; ibi unitas substantiæ, hic unitas personæ; ibi pluralitas personarum, hic vero pluralitas substantiarum; ibi siquidem pluralitas personarum in unitate substantiæ, hic autem pluralitas substantiarum in unitate personæ. Ecce quomodo natura humana atque divina videntur se mutuo, et quasi ex opposito respicere, alterutra alteri veluti per contrarium respondere. Sic invicem respicere habent, et mutuo respondere debent natura creata et natura increata, temporalis et æterna, corruptibilis et incorruptibilis, mutabilis et incommutabilis, tantilla et immensa, circumscriptibilis et infinita.

CAPUT X.

Quomodo ex pluralitate et unitate quam invenit in semetipso, docetur homo quid quasi ex opposito existimare debeat, de his quæ sibi credenda proponuntur de Deo suo.

Addamus quia in illa personarum pluralitate est plena similitudo et summa æqualitas, in hac autem pluralitate multa dissimilitudo et magna inæqualitas. Num in illa personarum pluralitate, incorruptibilis una, incorruptibilis et alia; incommutabilis una, incommutabilis et altera; incircumscriptibilis una, incircumscriptibilis et altera; hæc et illa, æque sapiens, æque bona, æque beata, In hac vero substantiarum pluralitate, ex quibus constat humana persona, alia est corporea, alia incorporea, alia visibilis, alia invisibilis, alia mortalis, alia immortalis, dissolubilis una, indissolubilis altera, exterminabilis una, inexterminabilis alia. Nihilominus tamen personali proprietate ita in unum conjuncta sunt, ut in patiendo vel condelectando, ne dicam separari, sed nec secerni possint. Ecce vidisti quanta dissimilitudo vel diversitas substantiarum sit in humana natura; audisti nihilominus quanta similitudo vel æqualitas personarum in natura divina. Explica mihi, obsecro, quomodo personalis unitas sit in tanta substantiarum dissimilitudine et diversitate, et ego dicam tibi quomodo substantialis unitas sit in tanta personarum similitudine et æqualitate. Non, inquis, capio, non comprehendo; sed quod non capit intelligentia, persuadet mihi tamen ipsa experientia. Bene utique et recte : sed si experientia te docet aliquid esse supra intelligentiam tuam in natura humana, nonne eo ipso te docuisse deberet aliquid esse supra intelligentiam tuam in natura divina? Potest itaque homo discere ex semetipso quid (quasi ex opposito) existimare debeat de his quæ sibi credenda proponuntur de Deo suo. Hæc propter illos dicta sunt, qui altitudinem divinorum secretorum nituntur definire vel determinare juxta capacitatis suæ modum, non juxta traditionem sanctorum Patrum, quos constat didicisse et docuisse per Spiritum sanctum.

CAPUT XI.

Quomodo convincitur ex charitatis integritate, quo diversa Trinitas sit in vera unitate, et vera unitas in vera Trinitate.

Sed nunc ordine quo cœpimus, ratiocinationis nostræ modum prosequamur. Constat jam de divinarum personarum pluralitate, necdum tamen de Trinitate. Nam pluralitas esse potest etiam ubi nulla Trinitas est. Ipsa namque dualitas pluralitas est. Eosdem itaque testes super Trinitatis assertione interrogemus, quos superius in attestatione pluralitatis adduximus: et prius quidem quid super hac re testetur, summa, si placet, charitas interrogetur. Oportet autem charitatem summam universaliter esse perfectam. Ut autem summe perfecta sit, sicut oportet esse tantam quod non possit esse major, sic necesse est talem fore quod non possit esse melior. Nam, sicut in summa charitate non potest deesse quod est maximum, sic nec deesse poterit quod constat esse præcipuum. Præcipuum vero videtur in vera charitate alterum velle diligi ut se : in mutuo siquidem amore, multumque fervente nihil rarius, nihil præclarius quam ut ab eo quem summe diligis, et a quo summe diligeris, alium æque diligi velis. Probatio itaque consummatæ charitatis est votiva communio exhibitæ sibi dilectionis. Sane summe diligenti, summeque diligi desideranti præcipuum gaudium solet esse in desiderii sui adimpletione, optatæ videlicet dilectionis adeptione. Probat itaque se in charitate perfectum non esse, cui necdum potest in præcipui sui gaudii communione complacere. Est itaque indicium magnæ infirmitatis, non posse pati consortium amoris. Posse vero pati, signum magnæ perfectionis; si magnum est pati posse, majus erit gratanter suscipere. Maximum autem, ex desiderio requirere, bonum magnum illud primum, melius secundum, sed tertium optimum. Demus ergo summo, quod præcipuum est; optimo, quod optimum est. In illis itaque mutuo dilectis quos disputatio superior invenit, utriusque perfectio ut con-

Digitized by Google

summata sit, exhibitæ sibi dilectionis consortem æqua ratione requirit. Si enim nolit quod perfecta bonitas exigit, ubi erit plenitudo bonitatis? Si autem velit quod fieri nequit, ubi erit plenitudo potestatis? Hinc ergo manifesta ratione colligitur, quod præcipuus gradus charitatis, et eo ipso plenitudo bonitatis esse non possit, ubi voluntatis vel facultatis defectus dilectionis consortem præcipuique gaudii communionem excludit. Summe ergo dilectorum, summeque diligendorum uterque oportet ut pari voto condilectum requirat, pari concordia pro voto possideat. Vides ergo quomodo charitatis consummatio personarum Trinitatem requirit, sine qua omnino in plenitudinis suæ integritate subsistere nequit. Ubi ergo totum quod universaliter perfectum est, sicut nec integra charitas, sic nec vera Trinitas abesse potest. Est igitur non solum pluralitas, sed etiam vera Trinitas in vera unitate, et vera unitas in vera Trinitate.

CAPUT XII.

Quomodo summa bonitas et summa felicitas Trinitatis assertionem concorditer clamant, et mutua attestatione confirmant.

Si quis autem solos illos mutuo dilectos quos superior ratio invenit in vera divinitate esse contenderit, quam, quæso, attestationis suæ rationem reddere poterit? Nunquid, quæso, utrique eorum præcipui gaudii consors deerit? An quia uterque habere noluit, an quia unus voluit, et alter noluit? Sed si unus voluit et alter noluit, ubi erit illa quæ semper veris et perfectis amicis inesse solet, et semper inesse oportet? ubi, inquam, erit individua illa intimi amoris prærogativa, animorum videlicet unanimitas et intima concordia? Et certe, si quis dixerit alterum velle, et alterum nolle, quemcunque in sua voluntate non posse prævalere concesserit, summe potentem negabit. Si vero neutrum dixerit exhibitæ sibi dilectionis communioni posse acquiescere, quomodo, quæso, de superius assignato dilectionis defectu poterit eos excusare? Scimus autem qui a summe sapientes nihil potest latere. Si itaque vere et summe se invicem diligunt, quomodo unusquisque poterit alterius defectum videre et non dolere? Nam, si alteruter alterius defectum videt, nec dolet, ubi erit plenitudo felicitatis? Constat autem quoniam ubi causa dolendi nunquam deerit, plenitudo felicitatis esse non poterit. Hinc ergo colligitur et indubitata ratione deprehenditur quod plenitudo felicitatis omnem charitatis defectum excludit, cujus consummatio, ut dictum est, personarum Trinitatem exigit, nec posse deesse convincit. Ecce quomodo summa bonitas et summa felicitas, Trinitatis assertionem concorditer clamant et mutua attestatione confirmant.

CAPUT XIII.

Quod plenitudo divinæ gloriæ in contestatione summæ bonitatis et felicitatis videatur acclamare.

Grandis procul dubio defectus charitatis, non posse pati consortium amoris quis hoc nesciat vel dissimulare queat? Si hic itaque defectus sæpe jam dictis illis mutuo dilectis inesset, haberet uterque non solum quod in altero doleret, sed et simul quod in seipso erubesceret. Nam verus et intimus amicus sicut non potest intime dilecti defectum videre, et non dolere, sic sane de proprio defectu ante amici conspectum non posset non erubescere. Sed si illi personarum pluralitati inest unde merito debeat erubescere, ubi erit, obsecro, plenitudo gloriæ quam veræ divinitati deesse omnino est impossibile? Sed sicut summæ felicitati non potest inesse causa dolendi, sic in summæ gloriæ plenitudine non potest inesse materia erubescendi. Quis namque non videat quam sit extremæ dementiæ, vel tenuiter suspicari illi summæ felici majestati aliquid inesse potuisse, quod possit tantæ gloriæ splendorem vel in modico obnubilare? Ecce quomodo plenitudo divinæ bonitatis, plenitudo felicitatis et gloriæ in una veritatis attestatione invicem sibi concurrunt, et quid de divinæ charitatis plenitudine in illa personarum pluralitate sentiendum sit evidenter ostendunt. Totius defectus suspicionem in illam summa charitate pariter damnant, totius in illa consummationis plenitudine concorditer clamant. Charitas autem ut esse vera possit, personarum pluralitatem exigit, ut vero consummata sit, personarum Trinitatem requirit.

CAPUT XIV.

Quod communicatio amoris non potest esse omnino minus quam in tribus personis.

Si autem concedimus unde post tot præmissas rationes ambigere non possumus, si, inquam, concedimus unam aliquam personam in vera divinitate esse tantæ benevolentiæ, ut nihil divitiarum, nihil deliciarum habere velit quod nolit communicare, tantæ potestatis ut nihil sit ei impossibile, tantæ felicitatis ut nihil sit ei difficile, consequens est ut fateri oporteat divinarum personarum Trinitatem non posse deesse. Sed ut hoc melius elucescat, quod diffusius diximus in unum colligamus. Certe si sola una persona in divinitate esset, non haberet cui magnitudinis suæ divitias communicaret. Sed et e converso, illa deliciarum et dulcedinis abundantia quæ ex intimæ dilectionis obtentu ei accrescere potuisset, in æternum careret. Sed summe bonum, plenitudo bonitatis non sinit illas avare retinere, nec summe beatum, plenitudo beatitudinis istas non obtinere, et ad honoris sui magnificentiam tam de illarum largitate lætatur, quam de istarum fruitione gloriatur. Animadvertis ex his quam sit impossibile unam aliquam in divinitate personam consortio societatis carere, sed si solam unam sociam haberet, ei utique non deesset, cui magnitudinis suæ divitias communicaret, sed cui charitatis delicias impertiret omnino non haberet. Dilectionis dulcedine nihil jucundius invenitur, nihil in quo animus amplius delectetur. Hujusmodi dulcedinis delicias solus non possidet, qui in exhibita

Digitized by Google

sibi dilectione socium et condilectum non habet. Communio itaque amoris non potest esse omnino minus quam in tribus personis. Nihil autem, ut dictum est, gloriosius, nihil magnificentius quam quidquid habes utile et dulce in commune deducere. Non potest vero hoc summam sapientiam latere, nec summæ benevolentiæ non complacere, et quam non potest summe potentis felicitas vel summe felicis potestas suo beneplacito carere, tam non potest geminæ personæ in divinitate tertia non cohærere.

CAPUT XV.

Quod oporteat geminam personam in divinitate pari voto, consimili ratione tertiam personam requirere.

Notandum sane quod in divinis illis personis perfectio unius exigit alterius adjunctionem, et consequenter in geminis perfectio utriusque requirit cohærentiam tertiæ. Nam in geminis personis, sicut alias jam diximus, ut utraque ab altera merito sit summe dilecta, oportet ut utraque sit summe perfecta. Sicut itaque utrobique sapientia una, potentia una, sic sane oportebit ut utrobique sit benevolentia una, et summa. Est autem proprium summe, et usquequaque perfectæ benevolentiæ, omnem plenitudinis suæ abundantiam in commune deducere. Ubi autem in alterutra persona æqua benevolentia exstat, necesse est voto pari, ratione consimili, præcipui gaudii consortem utraque requirat. Nam, ubi se duo mutuo diligentes summo desiderio amplectuntur, et in alterutro amore summe delectantur, summum gaudium illius est in intimo amore illius. Et e converso, præcipuum gaudium illius est in amore istius, quandiu iste ab alio solus diligitur, præcipue dulcedinis suæ delicias solus possidere videtur, similiter et alius quandiu condilectum non habet, præcipui gaudii communione caret. Ut autem uterque possit istiusmodi delicias communicare, oportet eos condilectum habere. Ubi itaque mutuo diligentes tantæ, ut diximus, benevolentiæ sunt, ut quidquid perfectionis est, commune esse velint, oportet, ut dictum est, utrumque pari voto, æqua ratione condilectum requirere, et juxta potestatis suæ plenitudinem pro voto possidere.

CAPUT XVI

Quod plenitudo potentiæ et sapientiæ videatur posse consistere in singularitate personæ.

Inter delicias charitatis et sapientiæ hoc solet maxime interesse, quod sapientiæ deliciæ valent et solent hauriri de corde proprio. Intimæ autem charitatis deliciæ hauriuntur de corde alieno. Nam, qui intime diligit et intime diligi concupiscit, non tam delectatur quam anxiatur, si de dilecti sui corde non haurit dilectionis dulcedinem quam sitit. Sapientiæ vero deliciæ tunc magis delectant, quando de corde proprio hauriuntur. Nihil ergo definitur contrarium naturæ, si plenitudo sapientiæ dicatur posse subsistere in singularitate personæ. Nam quantum videtur, etiamsi sola una persona in divinitate esset, nihilominus plenitudinem sapientiæ habere potuisset. Plenitudo autem sapientiæ non potest esse sine plenitudine potentiæ, sicut nec plenitudo potentiæ sine plenitudine sapientiæ. Sapientiæ namque plenitudinem procul dubio non haberet, qui ignoraret quomodo obtinere potuisset quod ei de omnipotentia deesset. E converso autem absque dubio caret potentiæ plenitudine, qui aliquem sapientiæ defectum posset invitus sustinere. Plenitudo itaque unius non potest haberi sine plenitudine alterius. Quod igitur de sapientia diximus, consequens est ut idem de potentia intelligamus. Nam, si omnipotentia deesse non potest, ubi plenitudo sapientiæ est, videtur utique quod plenitudo tam potentiæ quam sapientiæ possideri possit in singularitate personæ.

CAPUT XVII.

Quod completio felicitatis non videatur posse subsistere sine geminatione personæ.

Completio autem vere felicitatis et summæ nullo modo videtur posse subsistere sine geminatione personæ. Constat hoc jam luce clarius ex his quæ in superioribus diximus. Nam, si in illa vera dignitate sola una persona esset, utique non haberet cui summum amorem impenderet, nec qui sibi summum amorem impenderet. Unde ergo illi summe dulces illæ deliciæ abundarent, quæ, ut dictum est, non tam de proprio qua de alieno corde hauriri solent? Nihil enim, ut jam præfati sumus, his deliciis dulcius, nihil delectabilius, nihil hac suavitate salubrius, præclarius atque jucundius. Quomodo ergo divina felicitas totius plenitudinis abundantiam obtinuisset, cui summa suavitas, summa jucunditas semper deesset? Personæ itaque geminationem, ut dictum est, felicitas exigit, ut in omni plenitudinis integritate subsistere possit.

CAPUT XVIII.

Quod consummatio veræ et summæ bonitatis videtur non posse subsistere sine completione Trinitatis.

Neminem conturbet, nemo indignetur, si ad evidentiorem veritatis intelligentiam de divinis et supermundanis humano more loquamur. Hunc autem loquendi modum in usum nostræ inopiæ tanto fidentius assumimus, quanto eum in Scripturis sacris frequentissime invenimus. Summus bonitatis gradus esse videtur, quando summus amor ibi impenditur, unde ad felicitatis suæ plenitudinem nihil optetur. Sed hic summæ perfectionis gradus, ut ex ante jam dictis evidentissimum est, intra duos tantum dilectos mutuo inveniri non potest. Ibi namque dilectorum uterque amorem impendit, unde absque dubio melliflua illa dilectionis oblectamenta haurit, quæ unde haurire posset omnino non haberet si solus esset, et solitarius viveret. Magnus itaque cumulus gaudiorum et jucunditatis accrescit cuique ex consortio exhibitæ et acceptæ dilectionis. Hinc ergo manifeste colligitur quod summus ille benignitatis gradus in divinitate locum non ha-

Digitized by Google

beret, si in illa personarum pluralitate tertia persona deesset, et certe in sola geminatione personæ non esset cui posset quivis duorum præcipuas jucunditatis suæ delicias communicare. Hinc datur intelligi quod consummatio veræ et summæ bonitatis non possit subsistere sine completione Trinitatis.

CAPUT XIX.

Quomodo ex inspecta solum proprietate condilectionis, deprehendi possit vestigium Trinitatis.

Quod de Trinitatis assertione multiplici rationis attestatione probatum est, compendiosa satis multumque perspicua consideratione confirmari potest. Virtutem itaque ac proprietatem condilectionis diligenti consideratione perpendamus, et citius inveniemus quod quærimus. Quando unus alteri amorem impendit, et solus solum diligit, dilectio quidem est, sed condilectio non est. Quando duo se mutuo diligunt, et summi desiderii affectum invicem impendunt, et istius in illum, illius vero in istum affectus discurrit, et quasi in diversa tendit, utrobique quidem dilectio est, sed condilectio non est. Condilectio autem jure dicitur, ubi a duobus tertius concorditer diligitur, socialiter amatur, et duorum affectus tertii amoris incendio in unum conflatur. Ex his itaque patet quod in ipsa divinitate condilectio locum non haberet, si duobus tantum consistentibus tertia persona deesset. Non enim hic de qualicunque, sed de summa condilectione loquimur, et qualem creatura a Creatore nunquam meretur, nunquam digna invenitur. Quis, quæso digne explicare valeat quanta virtus benevolentiæ summæ et usquequaque perfectæ? Quis, quæso, digne æstimare sufficiat quæ vel quanta sit dignitas intimæ et summæ concordiæ? Si tanta itaque dignitas est in his duabus virtutibus cuique ex semetipsa, quid, quæso, virtutis, quid dignitatis inerit ubi quævis conditur ex altera, ubi una magnificatur ex alia, ista consummatur ex illa? Quid autem aliud est intima et summa condilectio, nisi intimæ et summæ concordiæ mutua concursio? Virtus itaque tantæ dignitatis et supereminentis excellentiæ sicut non potest in summo bono universaliterque perfecto deesse, sic nec potest sine personarum Trinitate subsistere.

CAPUT XX.

Quomodo ex tertiæ personæ consoliditate in illa Trinitate agitur, ut concordialis et consocialis amor ubique nusquam singularis inveniatur.

Attende nunc quomodo tertiæ personæ copula concordialem affectum ubique comparat, et consocialem amorem per omnes et in omnibus confœderat. Si unam aliquam ex tribus personis attendis, videbis quia cæteræ eam concorditer amant. Si aliam respicias, et ibi æque invenies quoniam reliquæ in ejus amore pari voto concordant. Si tertiam ab his in considerationem adducis, procul dubio cæterarum affectum pari concordia in illam confluere videbis. Si concordia attenditur, ibi amoris funiculus triplicatur, ut ubi de defectu amoris suspicio facilius oriri poterat, majori consideratione certitudo consolidetur. Ecce quomodo ex tertiæ personæ consoliditate in illa Trinitate agitur, ut concordialis charitas, et consocialis amor ubique nusquam singularis inveniatur. Ecce in Trinitatis assertione tanta, tam rara veritatis attestatio undique occurrit, ut mente captus videatur cui tanta certificatio satisfacere non possit.

CAPUT XXI.

Quod summa æqualitas sit in illa Trinitate, ubi oportet omnes æque perfectos esse.

Quod superius probatum est de duobus, pari ratione inferri potest et de tribus, scilicet a singulis summe diligendos, summe dilectos, quia summe perfectos. Plenitudo summæ felicitatis requirit plenitudinem summæ jucunditatis. Plenitudo summæ charitatis exigit plenitudinem summæ perfectionis. Ubi itaque oportet omnes æque perfectos esse, necesse est omnes in summa æqualitate congruere. Erit itaque omnibus æqualis sapientia, æqualis potentia, indifferens gloria, uniformis bonitas, æterna felicitas, ut veraciter constet quod quotidiana professio Christianæ institutionis docet, quoniam trium pariter una est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. Nullus ibi est altero major, nullus ibi altero minor, nullus ibi anterior, nullus ibi posterior. Constat itaque in illa Trinitate omnes personas coæquales simul et coæternas esse. Nam si coæternæ non essent, eo ipso cœquales non essent.

CAPUT XXII.

Quod in singulis personis sit summa simplicitas, et in omnibus simul vera et summa unitas, et utrobique miranda identitas.

In illa itaque summa et usquequaque perfecta personarum æqualitate, summum illud et summe simplex esse est omnibus commune. Idem ergo est omni esse quod vivere, vivere quod intelligere, intelligere quod posse. Non igitur ibi est aliud sapientia quam potentia, potentia quam essentia, et juxta hunc modum similis in similibus sententia. Vides ergo quoniam idem ipsum est totum quod in qualibet persona est; sed si summa perfectio est in illa æqualitate, et summa æqualitas in illa perfectione, erit singulis simul et omnibus summa plenitudo sapientiæ, erit singulis simul et omnibus summa plenitudo potentiæ. Sed quid est summa et plena potentia, nisi omnipotentia? Novimus autem quod omnipotentia inde dicta sit, quod omnia possit. Si vero omnipotentiam omnia posse veraciter constiterit, de facili efficere poterit ut quælibet alia potentia nihil possit. Hinc ergo manifestum est, quod omnipotentia non potest esse nisi una. Superius autem probatum est, quod omnipotentia idem ipsum est quod divina essentia. Si igitur commune est simul omnibus personis omnipotentiam habere, imo et esse, quia ibi non est aliud esse quam habere, commune erit et omnibus unam et eamdem essentiam esse. Nam divina essentia sicut et omnipotentia, non potest esse nisi una. Non solum itaque

Digitized by Google

Idem ipsum est totum quod est quælibet persona, verum etiam idem ipsum est quævis una, quod quælibet alia. In singulis itaque summa simplicitas, in omnibus simul vera et summa unitas, utrobique autem, si bene attendas, miranda identitas.

CAPUT XXIII.

Quomodo in his personis sit intelligenda dicta æqualitas, ubi est tanta unitas, et talis identitas.

Quod autem dictum est de personarum æqualitate, possumus et bene et male intelligere. In tanta namque personarum simplicitate et unitate videtur potius identitas quam æqualitas esse. Tres statuas aureas si sint ejusdem puritatis et ponderis, et per omnia ejusdem similitudinis, possumus et solemus æquales dicere, sed hujusmodi æqualitas multum peregrina est ad illam quæ est in divinarum personarum Trinitate. Nam in illa statuarum æqualitate alia est massa auri statuæ unius, alia est massa auri statuæ alterius, et juxta hoc aliquid aliud est una, et aliud aliquid est alia. Nihil autem tale debemus cogitare de illa summa Trinitate, quasi sit ibi aliud et aliud, sed unum alteri æquale. Nam, sicut jam demonstratum est, quod est in una aliqua persona, idem ipsum et totum est et in qualibet altera. Tres rationales spiritus æquales non immerito dicimus, si sint ejusdem potentiæ, ejusdem sapientiæ, ejusdem puritatis atque bonitatis; sed in hac spirituum trinitate sicut sunt tres personæ, sic constat ibi et tres substantias esse. Summa autem Trinitas constat in unitate substantiæ. Aliud itaque et aliud (quamvis æquale) invenitur in Trinitate illa, sed talis æqualitas longe est a Trinitate divina. Sed in illa summa Trinitate ea ratione personas æquales dicimus, quia illud summum et summe simplex esse in ea plenitudine et perfectione qua est personæ unius, in plenitudine et perfectione est cujuslibet personæ alterius.

CAPUT XXIV.

Quam incomprehensibilis sit illa omniformitas summæ coæqualitatis.

Certe una eademque substantia non est majus aliquid vel minus, melius deteriusve seipsa. Non igitur erit majus vel melius aliquid quævis in Trinitate persona quam quælibet alia, cum veraciter sit singulis una eademque substantia. Est autem singulis simul et omnibus eadem ipsa : unde nec majus vel melius aliquid erunt quælibet duæ quam quælibet sola, nec tres simul pariter acceptæ quam quælibet duæ, vel quælibet sola per se. In illa autem personarum Trinitate ubi sunt plures substantiæ, minus aliquid est una sola quam duæ, et quibuslibet duabus majus aliquid totæ tres pariter acceptæ. Nunc ergo attende, illa omniformis et omnifaria magnitudinis coæqualitas in illa summa Trinitate quam incomprehensibilis sit, ubi unitas pluralitati non cedit, nec pluralitas unitatem excedit.

CAPUT XXV.

Quod in illa Trinitate nusquam aliquis est dissimilis sibi, nec inæqualis in aliquo alicui alteri.

Sed ut hanc divinarum personarum æqualitatem amplius admireris, attende et illud in omnibus aliis personis. Quoniam in unaquaque eademque persona, nec singularitas est sine pluralitate, nec unitas sine inæqualitate, taceo quod potest crescere, vel minui, et sibi ipsi inæqualis fieri. Taceo quod aliud est ejus potentia, aliud est ejus sapientia, aliud est ejus justitia, et potest esse secundum aliud major, secundum aliud minor, melior sive deterior. Certe sola ejus potentia, sola ejus sapientia est sibi ipsi dissimilis, est sibi ipsi inæqualis. Idemque ipsum contingit in cæteris : potentiam ejus attende, et invenies quia aliud est ei facile, aliud difficile, aliud impossibile, et sic deprehenditur etiam sibi ipsi dissimilis et inæqualis esse : similiter et ipsi sapientiæ aliud est comprehensibile, aliud vero incomprehensibile. Namque humana, vel angelica intelligenti apoterit nunquam, ut de cæteris taceam, ipsam Divinitatis immensitatem comprehendere. Dum itaque una eademque natura in aliis est efficacior, in aliis infirmior, in parte est minor et in parte est major; et ipsa sibi dissimilis, et ipsa sibi invenitur inæqualis. Ex his itaque colligi potest quia ubi vera simplicitas non est, vera æqualitas esse non potest. In illa autem Trinitate nusquam aliquis est dissimilis sibi, nec inæqualis in aliquo alicui alteri. Sane ubi vera æternitas est, non potest esse prius aut posterius, sic ubi incommutabilis immensitas est, non potest esse majus vel minus. Quibus itaque eadem æternitatis et immensitatis ratio inest, nulla aliquatenus inæqualitatis vicissitudo, vel alternatio inesse potest. Quia nulla ibi transmutatio vel vicissitudinis obumbratio, nihil ibi prius, nihil posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt et coæquales. Ecce jam manifesta et multiplici probavimus ratione quam verum sit quod credere jubemur, quod videlicet unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

LIBER QUARTUS

CAPUT PRIMUM.

Quod incomprehensibile videatur humanæ intelligentiæ, quod pluralitas personarum sit in unitate substantiæ.

Ecce in hujus operis exordio ea quæ de divinæ substantiæ unitate credimus tam evidenti ratione et perspicuis rationibus monstravimus, ut diligenter intuentibus nihil dubitationis remanere debeat, unde eos vel in modico hæsitare oporteat. Similiter et suo loco de personarum pluralitate fidei nostræ assertionem tam rara ratio persuasit, tam multiplex ratio confirmavit, ut mentis inops videatur, cui tanta veritatis attestatio satisfacere non possit. Et quidem quælibet harum considerationum et asser-

Digitized by Google

tionum, cum per semetipsam solam et seorsum attenditur, nihil credibilius, nihil verius videtur. Sed quando unam cum alia conferimus, et quomodo concorditer et simul stare possit attendimus, nisi fidei firmitas obsistat, protinus in ambiguum venit quidquid multiplex ratiocinatio persuasit. Non enim facile capit humana intelligentia, ut possit esse plus quam una persona ubi non est plus quam una substantia. Hinc illi innumeri infidelium errores, hinc multiplices illæ schismaticorum hæreses, hinc est quod alii divinæ substantiæ unitatem scindunt, alii personarum pluralitatem confundunt; hinc est quod Ariani et Sabelliani per contrarias sectas sunt invicem divisi; hinc est etiam quod aliqui ex recentioribus personæ nomen sub multiplici significatione accipiunt, et tam profundæ veritatis intelligentiam quam explicare debuerant, majori ambiguo involvunt. Nam, si quis velit personæ nomen sub communi et propria acceptione intelligere, nullo modo putet plures personas sub ea acceptione intellectas posse subsistere in unitate substantiæ.

CAPUT II.

Quod multa sunt quæ humana intelligentia non comprehendit, quæ tamen ipsa propria experientia latere non sinit.

Verum hic assignata, quæso, unitas Trinitatis, et Trinitas unitatis, nunquid quia comprehendi non potest? idcirco esse non potest. Quis, nisi mentis inops, hoc sentiat? quis dicere præsumat quam multa sunt quæ humana intelligentia non comprehendit, quæ tamen quam vera sint mentem humanam multiplex experientia latere non sinit? Explica mihi, quæso, si potes, de quo omnino dubitare non potes, quid sit quod oculus corporeus ibi videndo non sentit ubi est, et videndo sentit ubi omnino non est? In cœlo ubi utique non est, stellam positam videt, palpebra tamen obductus, ipsam sub qua latet palpebram non videt. Cæteri sensus corporei sola adhærentia sentiunt atque discernunt, solus oculorum sensus adhærentia hebet, ad longinqua et remotissima viget. Nunquid quia quomodo hoc sit non comprehendis, idcirco verum non esse contendis? Explica mihi si potes, quod negare non audes, quomodo in teipso corpus et anima tam diversa utique natura sint una eademque persona, et tunc a me quæras quomodo in summe simplici et communi natura, personarum Trinitas sit una eademque substantia. Sed si illud incomprehensibile est quomodo sit, quod tamen humana mens per experientiam novit, quanto magis quod nulla humana experientia attingit!

CAPUT III.

Quod multa incomprehensibilia sunt ad quæ experientia deficit, quæ tamen ratio manifesta latere non sinit.

Sed, si te dicis de expertis nullo modo posse dubitare, etiamsi videantur humanæ capacitatis modum excedere, addo quod quædam quæ sunt incomprehensibilia esse non dubitas, quæ tamen per experientiam non probas. Multa namque ratio manifesta latere non sinit, ad quæ tamen comprehendenda mens humana non sufficit. Nunquid Dei æternitatem comprehendis, nec tamen de ejus æternitate diffidis? Nunquid de Dei immensitate dubitas, quamvis eam comprehendere non valeas? Nunquid Dei omnipotentia ab omnibus comprehenditur, a quibus prædicatur et creditur? Si singulos theologos interroges, ab omnibus id responsi accipies, quod idem sit Dei potentia quod ejus sapientia, quod ejus bonitas nihil aliud sit quam ista vel illa. Si quæras quid sint hæc tria, nihil aliud invenies quam divina substantia. Hæc omnia ratio manifesta convincit et latere non sinit. In hoc sane omnes theologi consentiunt. Hoc omnes in commune defendunt: quid, quæso, horum magis capabile, quid magis comprehensibile, quod substantia una sit dicta tria, an quod tres personæ sint substantia una? Utrumque incomprehensibile, neutrum tamen incredibile. Ex hac tamen, ut mihi videtur, incomprehensibilitate efficitur, ut secundum quosdam personæ significatio per multas acceptiones varietur. Nam sunt qui dicunt nomen personæ aliquando substantiam, aliquando subsistentias, aliquando personarum proprietates significare. Significat autem secundum quod volunt substantiam, quandoque in singulari, nunquam vero in numero plurali, ne tres personas confitentes videantur etiam tres substantias confiteri. Ad comprobandum autem quod personarum proprietates personæ sint, Hieronymi auctoritatem in hæc verba dicentis adducunt: Sabelliani hæresim declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. Non enim nomina tantummodo, sed et nominum proprietates, id est personas, vel, ut Græci exprimunt, hypostases, hoc est substantias, confitemur, sed, ut mihi videtur, Hieronymus in his verbis non dicit personas esse proprietates personarum sed proprietates nominum, hoc est quod proprie significant nomina personarum.

CAPUT IV.

Quod ad doctrinæ evidentiam oportet personæ significationem determinare, et secundum determinationem Trinitatis unitatem assignare.

Ut autem de nomine hypostasis taceamus, in quo secundum Hieronymum veneni suspicio est, ut, inquam, de nomine Græco taceamus qui Græci non sumus, de nomine subsistentiæ tacite præterire non debemus. Quidam personas subsistentias esse exponunt, et tres substantias, et unam substantiam in una divinitate dicunt, magis quam ostendunt: siquidem sic hæc transeunt sine explanatione, acsi legentibus omnibus constet tres subsistentias esse potuisse, etiam ubi constat nonnisi unam substantiam esse, hanc vero eorum sententiam non arguo, non reprehendo, non falsam esse contendo. Sed quod verum esse compellor confiteri, quia hæc eorum doctrina non satisfacit meæ simplicitati. Si vultis mei similibus satisfacere, oportet primum tam substantiæ quam subsistentiæ significationem diligenter determinare, et secundum datam deter-

Digitized by Google

minationem assignare, quomodo possit esse plus quam una subsistentia, ubi non est nisi una substantia. Alioqui, quæso, quid prodest mihi ignotum per ignotius ostendi? Nomen personæ in ore omnium, etiam rusticorum, versatur, nomen vero subsistentiæ nec ab omnibus saltem litteratis agnoscitur. Quomodo ergo, quæso, ex ejus proprietate quam ignorant simpliciores, quique colligere poterunt quod tres subsistentiæ, et eo ipso tres personæ possint esse in unitate substantiæ? Quomodo, quæso, illa doctrina satisfacere poterit, quæ litem lite resolvit? Quoniam ergo intentionis meæ est in hoc opere simplicioribus deservire, et, ut sic dicam, non Minervam docere, studebo prout Dominus dederit non tam subsistentiæ quam personæ significationem determinare, et juxta propositæ determinationis assignationem ostendere quomodo possit personarum pluralitas cum substantiæ unitate convenire.

CAPUT V.

Quod ante nos quæsitum est, qua necessitate, quod restat quærendum, qua veritate tres illi in Trinitate dicti sunt personæ.

Dicam certe quod sentio, et quod firmiter et indubitanter credo, quod in illo tam sublimi et supereminenti Trinitatis mysterio nomen personæ nullatenus assignatum est sine instinctu divino et Spiritus sancti magisterio. Attendamus quomodo idem Spiritus tot sacramenta fidei nostræ, redemptionis nostræ, sanctificationis nostræ, glorificationis nostræ per ora prophetarum prædixit, per ora evangelistarum descripsit, per ora doctorum exposuit. Qui istud attendit, nullo modo credere poterit quod summum fidei nostræ articulum, quod sacratissimum et secretissimum Trinitatis mysterium, quod nomen illud quod voluit ab omni corde credi, ab omni ore confiteri, æstimationi hominum exposuerit, et non potius sua inspiratione ordinaverit. Ecce dicamus quia hi qui hoc nomen personæ primo ad divina transtulerunt, ecce dicamus quoniam hoc ipsum ex necessitate fecerunt, ut haberent quid responderent quærentibus quid tres illi in Trinitate essent, cum tres Deos esse respondere non possent. Sed quod ab eis ex necessitate factum fuit, novit Spiritus sanctus qui eorum cordibus præsidebat, qua ratione et veritate id fieri voluit. Si vero hoc fideliter credimus, cum omni diligentia quæramus, non jam sub qua acceptione primo humanis sit impositum, nec ex qua necessitate sit postea ad divina translatum, sed in qua veritate per spiritum veritatis sit translatoribus inspiratum, et a Latina Ecclesia universaliter frequentatum. Nulla autem sententia certior redditur, quam quæ ex communi animi conceptione formatur, ergo secundum simplicem et communem animi intellectum quem quisque concipit ad nominationem personæ, studebo assertionis nostræ modum formare.

CAPUT VI.

Quod multum differant inter se significatio substantiæ, et significatio personæ.

Dicamus inprimis quod dictum est ab aliis, quod persona secundum substantiam dicitur, et substantiam significare videtur. Nihilominus tamen multum est inter significationem unius et significationem alterius. Sed ut melius elucescat quod dicimus, idipsum explanemus apertius. Quod animal substantiam significet quis neget, quis dubitet? Multum est tamen inter significationem unius et significationem alterius. Nomine enim animalis intelligitur substantia animata sensibilis. Animal itaque substantiam significat, sed et aliud aliquid consignificat. Nomine siquidem animalis significatur substantia, sed cum adjuncta sibi specifica differentia. Similiter et hoc nomen homo, videtur animal, et eo ipso substantiam significare. Quid enim est homo, nisi animal rationale mortale? In eo ergo quod principaliter significat, aliquid consignificat. Animal itaque significat substantiam, non qualemcunque, sed sensibilem. Homo autem non omnem sensibilem, sed rationalem. Nunquam autem dicitur persona, nisi de rationali substantia. Et cum nominamus personam, nunquam intelligimus nisi unam solam substantiam et singularem aliquam. Itaque cum intelligentia substantiæ sub nomine animalis subintelligitur proprietas communis omni animali; et sub nomine hominis quædam subintelligitur proprietas communis omni homini; et sub nomine personæ similiter subintelligitur quædam proprietas quæ non convenit nisi uni soli, nulla tamen determinate sicut in proprio nomine. Alias ergo subintelligitur proprietas generalis, alias proprietas specialis. Ad nomen autem personæ proprietas individualis, singularis, incommunicabilis. Ex his, ut arbitror, facile poteris advertere quod inter se multum differant significatio substantiæ et significatio personæ.

CAPUT VII.

Quod non tam aliquis quam aliquid significatur nomine substantiæ, nec tam aliquid quam aliquis ex denominatione personæ.

Si bene perpendas et diligenter advertas, nomine substantiæ non tam quis quam quid significatur. E converso autem nomine personæ non tam quid quam quis designatur. Cum aliquid tam longinquum a nobis fuerit ut discerni non possit, interrogamus quid sit. Et id quidem accipere solemus responsi, quod animal est homo aut equus aut aliquid hujusmodi. Cum autem adeo appropinquaverit ut quod homo sit discerni possit, interrogamus jam non quid, sed quis sit. Et respondetur nobis quod sit Matthæus, Bartholomæus, pater vel filius illius. Videtis quia ad interrogationem quid, respondetur nomen generale vel speciale, definitio, vel aliquid tale. Ad interrogationem autem quis, nomen proprium reddi solet, vel aliquid quod æquipollet. Per quid itaque inquiritur de proprietate communi, per quis de proprietate singulari.

Notandum autem quod si ad aspectum angelicæ visionis unus interroget alterum quis sit, et id responsi acceperit quod angelus Domini sit talis, utique responsio non est secundum proprietatem locutionis, sed secundum intentionem quærentis, ac si apertius

Digitized by Google

dicat interroganti : Non est homo, ut putas, sed angelus Domini. Nam, si angelum esse sciret, nec tale quid quæreret, nec tale responsum, nisi inepte, reciperet. Per quid itaque, ut dictum est, inquiritur de proprietate communi, per quis de proprietate singulari. Per quid interrogamus ut certificemur de qualitate substantiæ, per quis ut certificemur de proprietate personæ.

Et notandum quod ad interrogationem, quæ est persona ista, vel quis est iste, solemus idem respondere, et nomen proprium vel æquipollens reddere. Ex his, ut arbitror, satis intelligi datur, quod ad nomen substantiæ, non tam aliquis quam aliquid subintelligitur. Econtra vero ad nomen personæ, non tam aliquid quam aliquis designatur. Ad nomen autem personæ, nunquam intelligitur nisi unus aliquis solus, ab omnibus aliis singulari proprietate discretus.

CAPUT VIII.

Quod non sit necesse ubicunque sunt plures personæ, etiam plures substantias credere.

Quando igitur tres personas dicimus, quid aliud quam tres aliquos significamus? Juxta intelligentiam secundum quam accipimus personam in singulari, juxta eamdem prorsus intelligentiam accipimus eam et in plurali, nisi quod hic plures, illic unus solus datur intelligi. Cum dicitur persona, pro certo intelligitur aliquis unus qui tamen sit rationalis substantia. Cum nominantur tres personæ, absque dubio intelliguntur tres aliqui, quorum tamen unusquisque sit substantia rationalis naturæ. Sed utrum sint plures, an omnes, una eademque substantia, nihil interest quantum ad proprietatem veritatemque personæ. Sed magis judicant homines juxta id quod experientia probat, quam juxta id quod ratiocinatio dictat. Personas quidem humanas videmus, divinas autem videre non possumus. In natura humana quot sunt personæ, tot sunt substantiæ. Et compellit eos quotidiana experientia de divinis similia æstimare. In tantum enim carnalis animus acquiescit eis quæ per experientiam didicit, ut vix aliquid credere queat, quod eis quæ experiendo noverat, ex aliqua similitudine non appropinquat. Sed qui ad fidem dormitat, saltem ad apertam rationem evigilet. Monstravimus jam aperta ratione quod non sit necesse ubicunque sunt plures personæ, etiam plures substantias credere.

CAPUT IX.

Quod nihil definimus sibi contrarium, in eo quod dicimus Deum nostrum et substantialiter unum, et personaliter trinum.

Certe ubicunque sunt tres personæ, illud omnino est necesse ut alius aliquis sit iste, alius aliquis sit ille, et alius aliquis qui est tertius ab utroque, et quælibet eorum per se sit a cæteris duobus propria distinctione et distincta proprietate discretus. Sic procul dubio ubicunque sunt tres substantiæ, vel omnino est necesse ut aliud aliquid sit una, aliud aliquid sit alia, et aliquid aliud ab eis sit illa quæ est ab eis tertia. Nam, si in nullo a se invicem differrent utique plures esse non possent. Siquidem ubi differentia nulla est, pluralitas esse non potest. Invenimus autem superius quod in illa summa Trinitate, sit omnibus in commune summum et summe simplex esse, nec aliud aliquid sit quilibet, quam quilibet alius, et idcirco in illa Trinitate tres substantias esse negamus. Nam in rationali natura esse aliud et aliud facit diversitas substantiarum, esse alium, et esse alium facit alietas personarum. Sed in illa divina et summe sapienti natura, istam alietatem, nec tamen antedictam diversitatem invenimus. Idcirco plures personas ibi esse credimus, et plures substantias esse negamus. Ecce jam perspicua et compendiosa satis, ut arbitramur, ratione ostendimus, quod nihil sibi contrarium definimus, in eo quod dicimus Deum nostrum et substantialiter unum, et personaliter trinum.

CAPUT X.

Quod nec pluralitas substantiarum dissolvit unitatem personæ in natura humana, nec pluralitas personarum dividit unitatem substantiæ in natura divina.

Diligenter notandum mutuaque consideratione conferendum quod, sicut esse substantialiter aliud et aliud non tollit ubique unitatem personæ, sic esse personaliter alium et alium non scindit ubique unitatem substantiæ. Nam in humana natura alia substantia est corpus, et alia est anima, cum tamen non sit nisi una persona. In divina vero natura alius aliquis est persona una, et alius aliquis persona alia, cum tamen non sint nisi una eademque substantia, et quidem scimus et superius jam monstravimus, quod in illa divinarum personarum pluralitate sit summa similitudo, et summa æqualitas, in humanæ autem naturæ substantiarum pluralitate sit multa dissimilitudo et magna inæqualitas. Quid ergo mirum si in illa tanta personarum æqualitate maneat vera unitas substantiæ, quando quidem in tam contrariæ qualitatis diversitate invenitur unitas identitasque personæ? In humana namque natura una eadem persona ex uno corporea, et ex alio incorporea, ex uno visibilis, et ex alio invisibilis, ex uno mortalis, et ex alio immortalis, nihilominus tamen unitas personæ consistit in tam diversis substantiis. Pluralitas itaque substantiarum non facit alium et alium in humana natura, nec pluralitas personarum facit aliud et aliud in natura divina. Addamus autem et id quod consequens est. Quoniam nec pluralitas substantiarum ibi dividit unitatem personæ, nec pluralitas personarum hic dissolvit unitatem substantiæ.

CAPUT XI

Quod in discernendis personis opus est gemina consideratione, hoc est, ut sciamus quale quid sit, et unde habeat esse.

Ecce invenimus non esse impossibile plures personas esse in unitate substantiæ, consequens est autem ut quæramus quomodo possit esse alietas

Digitized by Google

personarum sine alietate substantiarum. In discernendis itaque personis opus est, ut arbitror, gemina consideratione, ut sciamus videlicet et quale quid sit, et unde habeat esse. Una istarum considerationum versatur in discernenda rei qualitate; alia vero versatur in investiganda rei origine. Ad illam pertinet diligenter quærere quid sibi sit, et cum quibus commune, quid generale, quid speciale, quid denique proprium assignatæ naturæ. Ad istam considerationem pertinet subtiliter indagare hoc ipsum quod est unde habeat esse, an a semetipso, vel aliunde; et si aliunde quam a seipso, utrum isto modo, vel illo, vel alio quocunque existendi modo. Illic itaque quæritur rei ipsius definitio, vel qualiscunque descriptio, proprietatisque assignatio. Hic vero naturæ ordo, rei ipsius origo, et circa hujusmodi qualiscunque discretio. Illa itaque consideratio versatur circa modum essendi, ista vero versatur circa modum obtinendi. Illa circa rationem essentiæ, ista, ut sic dicam, circa rationem obtinentiæ. Ut taceam de cæteris, scio quod obtinentia minus digne dicitur de divinis. Sed neminem scandalizet, si verbis quibus valeo explico quod de divinis sentio. Illud autem gratanter accipio, et pro magno munere habeo, si quid a me quod verum sit, minus proprie vel idonee dicitur, a quovis alio verbis idoneis, et magis propriis explicatur. Obtinentiam dico hoc loco modum quo quis obtinet quod substantialiter est, vel naturaliter habet. Obtinendi siquidem modus in aliis et aliis est multum diversus, sive in accipiendo, sive in non accipiendo, sive in dandi vel accipiendi modo.

CAPUT XII.

Quod sub nomine existentiæ possumus utramque considerationem subintelligere, et illam quæ ad rationem essentiæ, vel quæ pertinet ad rationem obtinentiæ.

Possumus autem sub nomine existentiæ utramque considerationem subintelligere, tam illam scilicet quæ pertinet ad rationem essentiæ, quam scilicet illam quæ pertinet ad rationem obtinentiæ. Tam illam, inquam, in qua quæritur quale quid sit de quolibet, antequam illam in qua quæritur unde habeat esse. Nomen existentiæ trahitur a verbo quod est existere. In verbo sistere notari potest quod pertinet ad considerationem unam, similiter per adjunctam præpositionem, ex, notari potest quod pertinet ad aliam. Per id quod dicitur aliquid sistere, primum removentur ea quæ non tam habent in se esse quam alicui inesse, non tam sistere, ut sic dicam, quam insistere, hoc est alicui subjecto inhærere. Quod autem sistere dicitur, ad utrumque se habere videtur, et ad id quod aliquo modo, et ad id quod nullo modo habet subsistere, tam ad id videlicet quod oportet, quam ad id quod omnino non oportet subjectum esse. Unum enim est creatæ, alterum increatæ naturæ. Nam quod increatum est, sic consistit in seipso, ut nihil ei insit velut in subjecto. Quod igitur dicitur sistere, tam se habet ad rationem creatæ quam increatæ essentiæ. Quod autem dicitur existere, subintelligitur non solum quod habeat esse, sed etiam aliunde, hoc est ex aliquo habeat esse. Hoc enim intelligi datur in verbo composito ex adjuncta sibi præpositione. Quid est enim existere nisi ex aliquo sistere, hoc est substantialiter ex aliquo esse? In uno itaque hoc verbo existere, vel sub uno nomine existentiæ, datur subintelligi posse, et illam considerationem quæ pertinet ad rei qualitatem et illam quæ pertinet ad rei originem.

CAPUT XIII.

Quod generalis existentiarum variatio triplici distinguitur modo.

Existentia autem, ut ex antedictis potest colligi, tribus generaliter modis potest variari. Variari namque potest, aut secundum solam rei qualitatem, aut secundum solam rei originem, aut secundum utriusque concursionem. Secundum solam rei qualitatem variatur existentia, quando pluribus personis est una eademque origo per omnia, singulis tamen singularis propriaque substantia. Plures namque substantiæ omnino non possunt esse sine differenti qualitate. Est autem hæc talis variatio existentiæ secundum solam qualitatem, nihil varietatis habens secundum originem. Secundum vero solam rei originem est illa varietas existentiæ quando pluribus personis est unum idemque indifferens esse, inveniuntur tamen secundum originem mutuam adinvicem differentiam habere. Secundum originem vero differunt, si unus originem habet, alter origine caret, vel si originem habentium, origo unius differt ab origine alterius. Hujusmodi ergo existentia variatur secundum originem solam, non secundum aliquam qualitatis differentiam, tam secundum rei qualitatem, quam secundum ejus originem variatur existentia, ubi singulis personis est substantia singularis, et propria, et origo diversa. Ecce quod jam diximus, quia generalis existentiarum variatio triplici distinguitur modo, aut secundum solam existentis qualitatem, aut secundum solam ipsius originem, aut secundum utriusque alterationem.

CAPUT XIV.

Juxta quid varietur personarum existentia in humana natura, et juxta quid varietur in natura angelica.

In humana pro certo natura, quam per experientiam novimus, personarum existentiam tam secundum personarum qualitatem, quam secundum ipsarum originem variari videmus. Certe omni humanæ personæ est qualitas singularis et propria, per quam absque omni ambiguitate differt a qualibet alia. Sic etiam singulis quibuscunque est origo propria, ab omnibus aliis diversa, et singulari proprietate discreta. Nam aliud præcipuum est isti, et aliud illi, quoniam alius est pater istius, et alius est pater illius. Et ubi unius pater est pluribus, alia tamen est paternæ substantiæ decisio, unde propagatus est alius. Videmus itaque, ut

Digitized by Google

dictum est, in humanis personis existentiarum proprietatem variari quidem, tam secundum singulorum qualitatem, quam secundum singulorum originem. In angelica autem natura nulla est propagatio, sed sola simplexque creatio. Est ergo singulorum simul et omnium unum solum indifferensque principium. Unum siquidem principium habent omnes solum Creatorem, et singuli etiam simul omnes secundum solam creationem. Sunt autem in angelica natura tot substantiæ quot personæ, et idcirco oportet eas qualitate differre. Nam, si nulla qualitate differrent, procul dubio plures substantiæ non essent. Variatur existentiarum differentia in angelica natura secundum solam qualitatem; in humana vero, ut jam dictum est, tam secundum qualitatem quam secundum originem.

CAPUT XV

Quod divinarum existentiarum differentiam oportet quærere circa originem solam.

In divinis autem, ut probatum est, personis nihil omnino dissimilitudinis, nihil est inæqualitatis. Qualis est persona una, talis est et alia, talis nihilominus et tertia. Ubi ita omnes sibi invicem consimiles et coæquales sunt, secundum qualitatem quidam differre non possunt. Quibus enim per omnia est unum et idem (et sicut perspicua ratio probavit) summe simplex esse, nullo modo possunt aliqua qualitatis differentia ab invicem distare. Qui igitur nullatenus possunt juxta aliquam qualitatis proprietatem alternatim differre, relinquitur ut credantur juxta modum originis aliquam differentiam habere. Nam ubi nulla differentia est, nulla omnino pluralitas esse potest. Pluralitas itaque personarum convincit quod in illa Trinitate discretiva proprietas, proprietatumque differentia deesse non possit. Sed quoniam identitas substantiæ omnem qualitatis differentiam penitus excludit, differentes personarum proprietates circa solam originem quærere oportebit. Ut igitur breviter perstringamus quod diffusius diximus, patet quod in divina natura variatur existentiarum pluralitas secundum solam originem, in angelica autem natura secundum solam qualitatem, in humana vero natura tam secundum qualitatem quam secundum originem. Ecce jam invenimus quod superius quærere proposuimus, quomodo videlicet possit esse alietas personarum sine omni alietate substantiarum. Invenimus namque quod plures illæ in divinitate personæ quamvis habeant unum et idem, et per omnia indifferens esse, quod pertinet ad identitatem substantiæ, possunt tamen secundum originalem causam mutuam differentiam habere, si unus exstet a seipso, alter originem trahat ab alio, etsi originem habentes differant in obtinendi modo; unde autem alteratur proprietas personarum, inde procul dubio æque variatur proprietas existentiarum. In divina namque natura circa originem solam oportet quærere tam personarum quam existentiarum differentiam.

CAPUT XVI.

Quod in natura divina sit existentia quæ est pluribus communis, et est existentia quæ est omnibus incommunicabilis.

Nomine existentiæ, ut ex superioribus patet, intelligitur quod habeat substantiale esse, et ex aliqua proprietate. Proprium est mistorum habere substantiale esse ex sola propagatione, proprium est hominum habere substantiale esse ex propagatione simul, et ex procreatione. Nam caro propagatur, anima procreatur. Proprium est angelorum habere substantiale esse ex sola creatione. Proprium est divinæ naturæ habere supersubstantiale esse, sed sine creatione et inchoatione. Existentia vero alia pluribus communis, alia autem omnino incommunicabilis. Nam, ut de illis taceam quæ non communicant nomen personæ, et commune est divinæ simul, et angelicæ et humanæ naturæ habere rationale esse, sed tam angelicæ quam humanæ proprium est non esse ex se, sed aliunde; solius autem divinæ naturæ non aliunde, sed ex seipsa esse. Existentia vero incommunicabilis est, quæ nonnisi alicui personæ convenire potest. Sed, ut de cæteris taceamus, in divina procul dubio natura est existentia, quæ est pluribus communis, et est ibi existentia, quæ omnino est incommunicabilis. Existentiam demonstratum est superius substantiam significare, non tamen simpliciter, sed cum proprietatis alicujus denotatione quæ pertineat ad considerationem originalis causæ. Ad considerationem vero originalis causæ pertinet non solum quærere et invenire originem esse ubi est, imo etiam quærere et invenire eam non esse ubi non est. Divinæ itaque existentiæ est habere substantiale, imo supersubstantiale esse sine creatione, sine inchoatione, quoniam proprium est omni substantiæ quæ vere nomen habet ex re, habere quidem esse compositum, et accidentibus subesse. Sola autem divina substantia (quod est supra naturam substantiæ) habebit simplex esse, et incompositum, et nulli inhærenti subjectum. Et idcirco recte dicitur habere non tam substantiale, quam supersubstantiale esse.

Sciendum vero est quod existentia designat substantiale esse, sed aliquando quod sit ex communi, aliquando quod sit ex incommunicabili proprietate. Communem autem existentiam dicimus, ubi intelligitur esse habens ex proprietate communi. Incommunicabilem vero, ubi intelligitur esse habens ex proprietate incommunicabili. Tam vero est proprium divinæ substantiæ non esse ab alia aliqua substantia, sed solum a semetipsa, quam vere est proprium personæ originem non habenti non esse ab alia aliqua persona. In uno autem intelligitur proprietas communis, in altero vero proprietas incommunicabilis. Commune est autem omnibus personis divinis esse substantiam illam, quæ non est ab alia aliqua substantia, sed a semetipsa. Substantia igitur divina quando dicitur vel intelligitur esse a semetipsa, idem est quod communis existentia. Ecce

Digitized by Google

de existentia communi, nunc videamus de existentia incommunicabili.

CAPUT XVII.

Qua ratione in divinitate possunt esse incommunicabiles existentiæ, et quod tot sunt quot personæ.

Illud veraciter incommunicabile est quod commune quidem non est, sed nec esse potest. Considerandum itaque, utrum vel quomodo in divinitate possit incommunicabilis existentia esse. Sed in illa absque dubio Trinitate, oportet tot personales proprietates esse quot sunt personæ. Proprietas autem personalis pro certo est incommunicabilis. Proprietas personalis est ex qua unusquisque habet esse is qui ipse est. Personalem proprietatem dicimus, per quam quilibet unus est, ab omnibus aliis discretus. Nunquam enim personam dicimus nisi aliquem solum a cæteris omnibus singulari proprietate discretum. Si igitur personalem proprietatem communicabilem esse contendas, idem est ac si dicas unam personam posse esse duas. Sed, si una dicitur gemina, et gemina una, facile convincitur quod neutra earum sit ulla persona, quia neutra ab alia est singulari proprietate discreta. Hinc ergo aperte colligimus, quod superius jam diximus, quod proprietas personalis omnino sit incommunicabilis. In illa personarum Trinitate absque dubio est necesse personales, hoc est incommunicabiles, proprietates esse. Sed, sicut est probatum, eadem est differentia personarum et existentiarum. Si igitur proprietatibus incommunicabilibus differunt personæ, utique et incommunicabilibus differunt et existentiæ. Oportet autem ut sit incommunicabilis existentia, cui est incommunicabilis differentia. Quot igitur in divinitate personæ, tot incommunicabiles existentiæ.

CAPUT XVIII.

Quod quantum ad divina nihil aliud est persona quam incommunicabilis existentia.

Et si diligentius consideremus quantum ad divina, nihil aliud ibi est persona quam incommunicabilis existentia, ut superius probatum est, omnis proprietas personalis omnino est incommunicabilis. Et idem eadem est in divinis differentia personarum, et differentia existentiarum. Quid itaque ibi erit incommunicabilis existentia, nisi habens supersubstantiale esse ex proprietate personali? Et quid est persona divina, nisi habens divinum esse ex proprietate incommunicabili? Sed quid est divinum esse nisi supersubstantiale esse? Nam, sive dicas divinum, sive supersubstantiale, sive summe simplex, sive omnipotens esse, vel quomodolibet hujusmodi ad idem videtur respicere. Tam itaque persona divina, quam divina existentia habet divinum esse, tam ista quam illa habet esse supersubstantiale, utraque proprietatem personalem, utraque incommunicabilem. Vides quia totum quod dicitur de una potest dici et de alia. Itaque, sicut dictum est, quantum ad divina nihil aliud est persona divina quam incommunicabilis existentia.

CAPUT XIX.

Quod possunt plures existentiæ esse, et quod consequens est plures personæ, ubi non est nisi unitas substantiæ.

Quoniam ex antedictis tenemus quod in divinitate possunt esse plures existentiæ, nunc est considerandum si possunt ibi esse salva unitate substantiæ. Si hoc usus haberet, dici utique posset, sicut ab eo quod est esse essentia, sic ab eo quod est sistere sistentia. Rides fortassis qui hoc audis vel legis, sed malo te ridere, quam quæ dicere velim parum intelligere et incaute deridere. Si itaque sistentiam dicere usus haberet, quemadmodum essentiam, simpliciter rei esse significaret. Nunc itaque sub nomine existentiæ aliquid amplius oportet intelligere. Sicut enim subsistentia recte dicitur ex eo quod alicui subsistat, sic existentia ex eo recte dici potest quod ex aliquo esse habeat : existentia igitur significat rei esse, et hoc ipsum ex aliqua proprietate. Quis autem non videat quod sit differens existentia unum esse omnipotentem ex proprietate ista, et alium esse omnipotentem ex proprietate alia. Quamvis enim utrisque sit unus modus essendi, non tamen utrisque est unus modus existendi. Quis, quæso, dicat impossibile, seu etiam incredibile, si duo vel tres dicantur æque potentes, etiam æque sapientes esse? Vel quid dicitur impossibile, seu etiam incredibile, si hoc ipsum quod communiter sunt, unus dicatur habere ex proprietate una, et alius dicatur habere ex alia ? Non itaque videtur impossibile vel incredibile plures existentias, et quod consequens est plures personas esse in divinitate, quas si æquipotentes dicimus, quod manifesta ratione convincimus, fateri oportebit quod si omnipotentiam habet una, omnipotentiam habebit et alia. Constat autem apud omnes theologos indubitabili ratione, quod in vera divinitate sit summe simplex esse, erit ergo necesse ut idem ipsum sit ibi omnipotentiam esse quod omnipotentiam habere, et quod non aliud aliquid sit omnipotentia quam divina substantia. Omnipotentia autem, ut alias probavimus, non potest esse nisi una. Ecce ergo ex eo quod est cunctis probabile, etiam ex eo quod secundum theologos est necesse, colligitur quod quærimus, quia possunt esse plures existentiæ, ubi non est nisi unitas substantiæ. Ut autem propter subtiliores adhuc aliquid subtilius loquamur, in rebus naturalibus et creatis diversum est esse, et id quod est; in rebus autem increatis, idem ipsum esse, et id quod est. Constat itaque divinam substantiam nihil aliud esse quam substantiale, imo supersubstantiale esse. Substantiale in quantum tale quid est quod consistit in seipso, supersubstantiale in quantum ei nihil inest velut in subjecto. Timentes itaque ubi non est timor, recte timerent fateri personas secundum substantiam dici, si persona simpliciter substantiale esse significaret, nec aliquid consignificaret. Significat autem habentem substantiale esse ex aliqua singulari proprietate. Ideo ergo fideuter fatemur personas in divi-

Digitized by Google

nitate secundum substantiam dictas, et substantiam significare, et plures ibi personas, non plures substantias esse. Quia sunt ibi plures habentes unum et indifferens esse ex differenti proprietate, unitas itaque ibi est juxta modum essendi, pluralitas juxta modum existendi. Unitas essentiæ quia unum et indifferens esse, plures personæ quia plures existentiæ. Pie quærentibus ista, ut puto, debent sufficere. Nam, ut ad plenum in tanta profunditate sibi satisfaciat in hac vita, nemo debet expetere vel exspectare.

Notandum autem de persona, atque existenti quomodo se habeat una cum altera. Quod enim dubitatur ex alterutra, vicissim probatur ex altera. Nam quod in divinitate oporteat plures esse facilius probatur ex notione personæ, sed quod possint plures esse in unitate substantiæ levius convincitur ex consideratione existentiæ.

CAPUT XX.

Quomodo intelligendum sit, vel quomodo convenire possit quod quidam dicunt tres substantias et unam essentiam, quidam tres subsistentias et unam substantiam, alii autem tres personas et substantiam vel essentiam unam.

Forte a me aliquis exspectat audire quomodo oporteat intelligere, vel quomodo possit convenire, quod quidam dicunt tres substantias, et unam essentiam; quidam tres subsistentias et unam substantiam; alii autem tres personas et substantiam vel essentiam unam. Multum dissentire et omnino contrarium videtur quod Latini unam in Divinitate substantiam, Græci tres esse fatentur. Sed absit ab eis diversa credere, et hos vel illos in fide errare! In hac ergo verborum varietate intelligenda est veritas una, quamvis apud diversos sit nominum acceptio diversa. Quod personæ ab aliis substantiæ, ab aliis subsistentiæ dicantur, ad idem respicere videtur. Certum est quod respectu eorum quæ eis solent inesse dicuntur substantiæ, vel substantiæ quibus videntur subesse. Scimus autem quod ubique terrarum Christi Ecclesia psallit quia in personis est proprietas, in essentia unitas. Propter ejusmodi proprietates quæ personis divinis inesse videntur, quibus ab invicem distinguntur, juxta nonnullam eorum similitudinem quæ veraciter sibi inhærentibus subsunt (quamvis minus proprie) substantiæ, vel subsistentiæ dici possunt. Nam tres illos in Trinitate, sive dicantur personæ, sive substantiæ, sive subsistentiæ, nihil aliud oportet intelligere quam habentes substantiale esse sub discretiva et differenti proprietate. Idcirco aut nominibus alludendo dixi sub discretiva, non ex discretiva proprietate, ut intelligas unde illi in Trinitate dicantur substantiæ, vel subsistentiæ, quamvis improprie. Dicimus quidem proprietates personis inesse, sed illarum inesse, si bene perpendimus, non dat subsistere, sed existere. Et idcirco personæ rectius dicuntur existentiæ, quam substantiæ, vel subsistentiæ. Qui vero sola divina attendunt, nullam proprietatem inveniunt qua divina essentia differat ab alia aliqua divina, quia non est in divinitate nisi una sola, sicut proprietatibus ibi differt una persona ab alia. Non igitur juxta hanc considerationem inveniunt quomodo illam unitatem substantiam dicat, et eam idcirco simpliciter et satis proprie essentiam vocant. Et pluralitatem illam ubi proprietates insunt (quamvis minus proprie) substantias nominant. Et quidem in illa essentia increata proprietas nulla invenitur qua differat ab alia increata, ubi, ut jam dictum est, non est nisi una sola; invenitur tamen proprietas in ea, per quam differat a qualibet creata essentia. Hoc quidem attendentes non solum essentiam, sed etiam substantiam nominant. Nomen vero subsistentiæ a propria significatione ad personarum designationem transumunt. Ut autem inter substantiam et subsistentiam juxta horum acceptionem breviter distinguam, per substantiam intellige, quod superius dixi, existentiam communem, per subsistentiam, quod dixi, existentiam incommunicabilem. Qui igitur ex his quæ superius posui novit quomodo in unitate substantiæ plures possint esse existentiæ, novit nihilominus quomodo ibi possint plures esse subsistentiæ. Non me latet subtiliori ratione ista discuti posse, sed puto hoc simplicioribus, et qualibus deservio debere sufficere.

Illud autem notandum firmiterque tenendum ut tres illos in Trinitate sive substantias, sive subsistentias sive personas nominare audias, secundum substantiam dictum intelligas. Nam in his omnibus quantum ad rei veritatem nihil aliud oportet intelligere quam tres habentes rationale esse ex differenti et personali proprietate. Constat enim quod ubi rationalis substantia non est, rationale esse haberi non potest. Convenit autem omni personæ habere rationale esse ex incommunicabili proprietate. Non dicam apud Græcos qui, ut scribit Augustinus (lib. VII *De Trinitate*, c. 4), aliter accipiunt substantiam quam nos, sed apud Latinos puto nullum nomen inveniri posse quod possit melius aptari pluralitati divinæ quam nomen personæ. Et quidem fideli animo nihil magis authenticum esse debet, quam quod in ore omnium sonat, et catholica auctoritas confirmat.

CAPUT XXI.

Definitio personæ, non cujuscunque, sed solius creatæ.

Ecce quod superius proposuimus, prout potuimus, exsecuti sumus, quid videlicet ad invicem differant significatio substantiæ et significatio personæ, et qua ratione plures personæ consistere valeant in unitate substantiæ. Consideremus nunc itaque, si placet, utrum data illa de persona definitio Boetii possit convenire omni et soli. Nam si inventa fuerit generaliter et sufficienter data, frustra procul dubio quæritur alia. Definitio autem, ut perfecta sit, oportet ut totum et solum definiendæ rei esse comprehendat. Nam, ut ex re nomen habeat, oportet ut se usque ad definiti fines extendat, nec excedat, ut conveniat omni et soli, et ut possit

Digitized by Google

in seipsa converti. Est autem definitio Boetii de persona, quod sit rationalis naturæ individua substantia. Ut itaque generalis sit atque perfecta, oportet ut rationalis naturæ omnis substantia individua sit persona, et e converso omnis persona sit rationalis naturæ individua substantia. Quæro itaque de substantia illa divina cum sit nonnisi una sola, quæro, inquam, utrum sit individua? Nam quod illa substantia sit quædam personarum Trinitas, absque dubio creditur, et, ut superius probatum est, manifeste convincitur. Si igitur divina substantia dicenda est individua, aliqua rationalis naturæ individua substantia erit aliquid quod non est persona. Nam Trinitas quæ divina substantia est, nec persona est, nec persona recte dici potest. Juxta hoc itaque hæc definitio personæ non videtur soli personæ posse convenire. Si vero illa substantia non est dicenda individua, constat pro certo quia aliqua persona est, quia divina, quæ non est individua substantia. Definitio itaque ista personæ non potest omni convenire, sive ergo esse, sive non esse individua substantia divina dicatur, dicta illa definitio generalis non esse deprehenditur.

CAPUT XXII.

Descriptio personæ, non cujuscunque, sed solius increatæ.

Procul dubio quod infinitum est digne definiri non potest; poterit tamen fortassis ad aliquem divinæ cognitionis provectum provenire, si studuerimus qualem Dominus dederit descriptionem, personæ divinæ assignare. Juxta illam itaque existentiæ significationem quam superius exposuimus, non inconvenienter fortassis dicere poterimus, quod persona divina sit divinæ naturæ incommunicabilis existentia. Nomine existentiæ, ut ex superioribus palam est, intelligere significatur quod substantiale quid sit et alicunde, quod quidem commune est omni substantiæ. Est autem existentia generalis quæ sit omnibus substantiis communis, et est generalis solis et omnibus rationalibus communis. Et est specialis solis angelicis, vel solis substantiis humanis communis. Sed hujusmodi omnes excluduntur in eo quod existentiæ significatio restringitur, et divinæ naturæ additione determinatur. Item in divina natura invenire poterimus, si diligenter consideremus, et existentiam pluribus communem, et existentiam uni soli personæ convenientem, et eo ipso incommunicabilem. Sed quæ est pluribus communis, excluditur in eo quod incommunicabilis dicitur. Non inconvenienter itaque dicere possumus, ut credimus, de divina persona, quod sit naturæ divinæ incommunicabilis existentia.

CAPUT XXIII.

Descriptio personæ quæ videtur soli, et omni posse convenire.

Etsi dividuum dicamus tam illud quod per plures personas quam illud quod per plures substantias potest distribui, et a pluribus communiter et a singulis integraliter possideri, illud vero dicamus individuum, quod nonnisi soli uni possit aptari, si, inquam, juxta hunc modum dividuum et individuum velimus accipere, poterimus fortassis non inconvenienter dicere, quoniam quam verum est quod quælibet creata persona est rationalis naturæ individua substantia, tam verum est quod quælibet persona increata est rationalis naturæ individua existentia. Sed, ut manifestius fiat quod dicimus, idipsum diligentius discutiamus. Diximus superius nomine existentiæ significari substantiale esse. Significat absque dubio juxta superius datam determinationem non illud unde substantia dicitur, sed quod est in ea principale et convenit omni substantiæ. Est autem ei principale non quod habet subesse et quod aliquid habet ei velut subjecto inhærere, sed quod tale quid est, quod consistat in seipso et nulli hæreat velut in subjecto. Hoc itaque commune est omni substantiæ humanæ, angelicæ, divinæ. Recte hoc sane in substantia creata dignius et principalius dicitur, in quo divinæ similitudini magis appropinquatur. Nam in eo ipso quo accidentibus subest a divina similitudine degenerare videtur, ab eo itaque quod omni substantiæ principale est, rectius essentia quam substantia dici potest.

Notatur autem, ut dictum est, nomine existentiæ et quod habeat esse in ipso, et quod habeat esse ex aliquo. Et hoc ipsum omni substantiæ constat esse commune. Nam omne quod est, vel est a semetipso, vel alio aliquo. Cætera quæ sunt in eadem descriptione satis ex superioribus patent, et nova expositione non indigent, cur videlicet non quælibet existentia, sed sola individua vel incommunicabilis dicatur persona.

CAPUT XXIV.

Item descriptio personæ quæ videtur soli et omni posse convenire.

Fortassis erit planius et ad intelligendum expeditius, si dicimus quod persona sit existens per se solum juxta singularem quemdam rationalis existentiæ modum. Quomodo quod dicitur existens accipiendum sit, satis ex superioribus innotuit. Ideo autem et per se solum adjungimus, quia persona nunquam recte dicitur nisi unus aliquis solus a cæteris omnibus singulari proprietate discretus. Sed existere per se solum commune est omnibus individuis tam animatis quam inanimatis. Nunquam autem dicitur persona nisi de rationali substantia aliqua. Ideo ad id quod præmissum est, existens per se solum adjungitur, secundum singularem quemdam rationalis existentiæ modum. Modus autem rationalis existentiæ alius est communis pluribus naturis, alius est communis ejusdem naturæ pluribus substantiis, alius ejusdem substantiæ pluribus personis. Sed personalis proprietas singularem rationalis existentiæ modum requirit sine quo persona nunquam subsistit. Ut ergo existens per se solum persona esse possit, singularem aliquem rationalis existentiæ modum habere oportebit. Quomodo autem singula accipienda sunt satis ex supe-

Digitized by Google

rioribus patet, idcirco in ipsis explanandis immorari non oportet. Hæc sicut pro modulo nostro potuimus de personæ significatione, variatione, descriptione digessimus. Si quis autem nomen individui, nomen personæ vel existentiæ aliter quam assignavimus accipit, et secundum acceptionem non nostram, sed suam argumentando procedit, et ratiocinationis suæ exitum ad inconveniens deducit, sciat quoniam adversum me nihil agit. Et si putat agere, seipsum illudit et nescit.

CAPUT XXV.

Quod proprium sit divinæ naturæ personarum pluralitatem habere in unitate substantiæ, et eo ipso habet ab aliis differre.

Proprium est divinæ naturæ personarum pluralitatem habere in unitate substantiæ. Econtra vero proprium est humanæ naturæ pluralitatem substantiarum habere in unitate personæ. Nam, quod humana persona in simplicitate substantiæ quandoque invenitur, non de naturæ ipsius conditione, sed de conditionis ipsius corruptione fore deprehenditur. Hinc est facile perpendere de proprietate divina atque humana quomodo una alteri videatur opposita. His itaque duabus quasi ex opposito alteri secus respicientibus, et velut per contrarium sibi invicem respondentibus, angelica proprietas velut media interponitur, et altrinseca similitudine hinc inde ambabus conjungitur, commune habens cum divina nunquam habere substantiarum pluralitatem in unitate personæ, commune habens cum humana nunquam habere personarum pluralitatem in unitate substantiæ. Ecce quomodo angelica proprietas velut proportionali quadam ratione contrariorum dissidentiam sua interpositione connectit, et alternantium dissonantiam in unam harmoniam componit. Hæc tamen dicens scio nonnullos de angelis aliter sentire. Nam sunt usque hodie qui putant eos corpora habere. Sed si instantius quærerent, subtilius indagarent, indaginis hujus veritatem, ut credimus, citius invenirent. Quis sane sapiens inficiari audebit, quod rationalis naturæ proprietas tanto sublimior, tanto dignior sit, quanto ad incompositæ, et summe simplicis naturæ similitudinem vicinius accedit? Quis autem neget creaturam incorpoream, et ab omni corporeæ concretionis adhæsione alienam, ad divinam simplicitatem proprietatis suæ similitudine magis appropinquare? Familiarius inhærere, quam eam naturam quæ ex corporea et incorporea substantia componitur, et ad unius personæ singularitatem ex duabus essentiis conjungitur? Absque dubio optimum genus creaturæ, quod consistit in sola et simplici puritate spiritualis naturæ. Quod ergo est in operatione humana humani corporis effigies sine capite, hoc esse videtur in operatione divina, universitatis fabrica sine optimo genere creaturæ. Ad hoc illud accedit quod superior ratio de angelica proprietate disseruit. Quis tibi, quæso, videtur ordo decentior, quis summe sapientis dispositioni convenientior, si in illa naturarum trinitate, divinæ videlicet, angelicæ et humanæ, dicantur duarum proprietates tertiæ omnino per contrarium oppositæ, nulla ibi media interveniente, an vero si dicatur quod duas extremas tertia interveniat, et altrinseca similitudine alternatim conjuncta, dictam contrarietatem in unam harmoniam componat? Sed si hoc nostræ demonstrationis documentum sit adhuc alicui forte suspectum, attendat quid sibi persuadere debeat evangelicum testimonium. Nonne ex Evangelio innotuit quod Dominus ab uno homine legionem dæmonum ejecit? Continet autem una legio sex millia sexcenta sexaginta sex. Si tot ab uno homine ejecti sunt, tot in eo ante ejectionem fuerunt. Si dæmones corpora habent, ubi, quæso, in eo fuere? In spiritu an in corpore? Constat autem quia omne corpus longitudinem latitudinem, altitudinem, locales videlicet dimensiones, habet, et eo ipso sine locali capacitate subsistere non valet, qualem quidem spiritus omnino non habet. Ergo non in spiritu, sed in corpore fuerunt. Sed quomodo vel in qua hominis parte tot corpora esse potuerunt? Sed dicis fortassis quod angelici spiritus tam boni quam mali subtilia corpora habent. Sed quantumcunque subtilia duo ejusdem præsertim quantitatis corpora, unum eumdemque locum occupare non valent. Cujus ergo, quæso, exiguitatis putas angelicum corpus esse, si credas vel solam hominis pellem corpori detractam tot angelica corpora posse comprehendere? Sed ecce hoc dum per excessum diximus, a nostro proposito longius evagati sumus. Puto autem pio et simplici animo debere et posse sufficere ea quæ dicta sunt de proposita quæstione, quomodo videlicet nihil dissonat rationi, quod jubemur unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate venerari.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quoniam jam constat de divinæ substantiæ unitate, et personarum pluralitate, constat et de concordi unitatis et pluralitatis adinvicem habitudine, superest de personarum proprietatibus quærere.

Quemadmodum alias jam diximus, convenit omni personæ habere rationale esse ex incommunicabili proprietate. Persona autem divina supra id adhuc amplius exigit, ut merito divina dici possit. Proprietas autem divinæ personæ exigit divinum esse, divinum esse idem est quod supersubstantiale, idem quod summe simplex esse, cui idem ipsum est esse quod sapere. Hoc autem solummodo habet esse substantia divina, et idcirco merito dicitur supersubstan-

Digitized by Google

tialis essentia. Et quoniam in divina natura non est nisi solum summe simplex, et indifferens esse, ideo ibi confitemur unitatem substantiæ. Sed quam constat de unitate substantiæ, tam veraciter constat de personarum pluralitate. Ubi autem nulla est alietas, nec potest esse pluralitas. Sed nec alietas esse potest, ubi nulla differentia est. Quomodo ergo pluralitas potest convenire cum indifferenti esse? Sed ubi non est diversum esse, potest esse differens, et discretum existere. Ubi enim plures habent indifferens esse ex differenti origine, sic servant unitatem substantiæ, ut tamen non desint plures existentiæ. Sicut autem superius monstravimus, nihil aliud est persona divina quam incommunicabilis existentia.

Notandum itaque quod quælibet existentia divina, si vel unum aliquid invenitur habere incommunicabile, ex eo utique solo deprehenditur atque convincitur persona esse. Nam, etiamsi plura habeat incommunicabilia, sufficit tamen unum solum ad comprobandum quod sit persona. Nam ex eo constat quod sit aliquis solus ab aliis omnibus ex illa proprietate discretus. Hæc de his quæ superius dicta sunt, quasi recapitulando perstrinximus, ut ad ea quæ adhuc inquirenda restant, quanto exercitatiores, tanto promptiores accedamus. Sed quoniam constat de divinæ substantiæ unitate, constat de personarum pluralitate, constat et de concordi unitatis et pluralitatis mutua habitudine, locus postulat nunc de singularum personarum proprietatibus quærere, et singularum propria singulis assignare. Nam quod tres illi in Trinitate sive dicantur personæ, sive existentiæ, sive alio quolibet nomine, quod tres illi, inquam, quibusdam proprietatibus distinguantur jam novimus, et quod eas circa solam originalis causæ differentiam quærere debeamus agnovimus. Sed quæ quibus sigillatim conveniant, nec dum ratiocinando apprehendimus. Studeamus itaque nunc in his, sicut in aliis ante jam dictis, ut quod tenemus ex fide, detur nobis ratione apprehendere et demonstrativæ certitudinis attestatione firmare.

CAPUT II.

Quod jucundissima personarum germanitas non possit deesse in summa felicitate, nec ordinatissima proprietatum habitudo in summa plenitudine.

Primo itaque illud dicamus quod naturali quodam instinctu omnes in commune agnovimus, et usu continuato quotidianis experimentis probamus, patet profecto quod personarum pluralitas quanto germanior tanto est conjunctior, et quanto conjunctior tanto et jucundior. Quis autem attestari audeat, vel æstimare præsumat quod in illa summæ felicitatis plenitudine desit quod magis jucundum agnoscitur, illud insit quod minus jucundum nullatenus dubitatur? Si itaque unaquæque persona a seipsa esse dicitur, talis utique pluralitas nulla sibi affinitate conjungitur, nulla mutuo germanitate copulatur. Quis autem credere possit, vel affirmare ausit, quod illa summæ unitatis pluralitas, tam sit ex uno conjuncta, ex alio tam longinqua, et ad invicem velut omnino peregrina, ut ex ea parte qua unum sunt, sit summa indifferentia, ex ea vero parte qua in plures secernitur, ab omni sit conjunctione aliena? Quæ tibi, quæso, pluralitas pulchrior, quæ tibi, quæso, convenientior videtur, an illa quæ ordinatissima quadam proprietatum varietate distinguitur, et decentissimo quodam proportionalitatum modo miranda ratione contexitur, an illa quæ nulla differentiarum concordia, vel concordiali differentia vicissim sibi connectitur, nulla alietatum ordinatione perornatur? Neminem puto æstimare quod magis pulchrum est summæ pulchritudini posse deesse, et quod minus pulchrum est ipsi inesse. Credi itaque oportet quod nec jucundissima personarum germanitas potest deesse in summa felicitate, nec ordinatissima proprietatum varietas in summa pulchritudine. Sed, ne hæc quam proposuimus ratio alicui forte probabilis magis quam necessaria videatur, hoc ipsum quod dicimus altiori adhuc ratione investigetur

CAPUT III.

Quod exigit rerum natura ut sit aliqua persona quæ sit a semetipsa et non ab alia aliqua.

Quod in primordio hujus operis dictum est de substantia, idem ipsum hoc loco absque ulla hæsitatione dici potest de persona. Utrobique namque eadem ratio occurrit, et de similibus simile judicium sumit. Dictum est ibi de substantia, dicatur hic de persona, quod oportet ut aliqua existat, quæ sit a semetipsa, et non ab alia aliqua, alioquin in una divinitate essent absque dubio personæ infinitæ. Nam, si ista esset ab illa, et illa ab alia, et juxta hunc progressionis modum quælibet una esset ab alia aliqua, hujusmodi concatenationis productio, absque dubio in infinitum procederet, et ejusmodi productionis terminus nullus occurreret, sicque fieret ut rerum series, et ordo qui sine principio esse non valet, principium non haberet; principium, inquam, non tam temporis quam originis, vel cujuscunque originis. Sed in his et ejusmodi aliis est ipsa veritas adeo manifesta et ratio perspicua, ut omnino non egeant probatione aliqua. Nam quod nullus facit quod facere non valet, quod nullus potest dare quod ipse non habet, quod quidquid cœpit esse aliquando non fuit, quod quidquid est, quod aliquando non fuit, hoc ipsum esse ex tempore cœpit, quod nulla compositio sine componente, nulla partitio sine distribuente, quod sit quo nihil est majus, quod sit quo nihil est melius, patet omnibus intellectum habentibus et ratione utentibus. Hæc et hujusmodi qui audit, si sensum verborum percipit, statim acquiescit, nec est unde dubitare possit. Ne igitur contra conscientiam nostram divinarum personarum numerum in infinitum extendamus, oportet procul dubio ut concedamus quod aliqua persona ex semetipsa existat, et aliunde omnino originem non trahat. Personam autem cum constet esse non de alia aliqua persona quam de semetipsa, consequenter quærere oportet utrum sit communicabilis an incommunicabilis existentia,

Digitized by Google

noc est si sit solius unius ex semetipsa personam esse, an hoc ipsum possit esse pluribus commune.

CAPUT IV.

Quod non possit esse nisi sola una persona, quæ sit a semetipsa.

Quoniam diligentiorem considerationem locus iste expostulat et nos ad sublimiorem intelligentiam vocat, ædificantium more oportet nos ibi quasi altius fodere, et in profundo certitudinis solido ratiocinationis nostræ fundamentum locare, ut ibi necesse est operis nostri structuram ad secretioris intelligentiæ sublimiora consurgere. Inde ergo incipiendum est, unde a nemine dubitari potest. Constat sane quia omne quod est, aut compositum esse habet, aut simplex. Constat nihilominus quoniam omne quod habetur, aut secundum participationem, aut secundum plenitudinem habetur. Aliud est ex pluribus et diversis unum aliquid componere, atque aliud quod unum est in plura dividere, et per multos pro arbitrio distribuere. Sed, sicut jam diximus, nec compositio sine componente, nec partitio est sine distribuente. Videamus ergo si illud quod veraciter deprehenditur a semetipso esse, possit habere compositum esse. Constat autem quia omnis compositio compositore eget, et quod sine beneficio compositoris esse non valet, procul dubio idipsum quod est a semetipso non habet. Patet ergo quia quod a semetipso est, compositum esse habere non potest. Quod ergo omni origine et auctore caret, summe simplex esse, habere oportet. Cui vero est summe simplex esse oportet ut idem ei sit esse quod posse, sapientem quod potentem esse. Ecce de ejus esse habemus quod quærimus, nunc de posse videamus. Quæramus itaque de ejus posse, utrum ei sit, an secundum plenitudinem, an secundum participationem. Sed ubi est participatio, simul est et distributio. Nam nec participatio sine distributione, nec distributio sine distributore. Qui ergo potestatem nonnisi secundum participationem habere valet, procul dubio distributoris officio indiget. Constat itaque de eo qui est a semetipso, quoniam si posse accepit participando, ipsum suum posse est ei ex alterius beneficio. Sed si ex alterius beneficio est ejus posse, profecto et esse. Quoniam, sicut jam probatum est, non ipsi aliud et aliud est esse et posse. Itaque aut utrumque a semetipso habet, aut utrumque a semetipso non habet. Hinc ergo colligitur quod is qui a semetipso est, posse ex potentiæ participatione habere non potest. Quod ergo non potest habere secundum participationem, habet secundum plenitudinem. Sed ubi est plenitudo potentiæ, ibi est omne posse : personæ igitur cui est idem esse quod posse, si ex semetipsa est ei suum esse, ex semetipsa est ei et suum posse. Sed suum posse est omne posse, ergo ex ipsa est omne posse; si ex ipsa est omne posse, ex ipsa est omne esse, ex ipsa omne existere. Ex ipsa itaque est omne quod est, ex ipsa omnis essentia, omnis existentia, omnis persona, omnis, inquam, persona humana, angelica et divina. Si ergo cæterarum quælibet ex ipsa esse habet, constat pro certo quia sola ipsa principio caret, constat nihilominus quia nulla alia potest nisi ex ipsa esse, ex qua est omne posse. Vides certe quia ejusmodi existentia omnino est incommunicabilis, nec potest esse pluribus communis.

CAPUT V.

Quod duæ in divinitate personæ habeant aliunde quam a semetipsis esse juxta alium existendi modum qui est ab æterno, nec tamen a semetipso.

Habemus jam pro certo quod esse personam ex semetipsa omnino sit incommunicabilis existentia, possumus ergo inde manifeste colligere quod non sit incommunicabilis existentia esse personam aliunde potius quam a se. Alioquin in divinitate non essent, sed nec esse possent plusquam duæ personæ. Proprie proprium itaque est uni personæ ex semetipsa esse, cæteris autem commune ex semetipsis non esse. Vides ergo quod incommunicabilis existentia communicabilem, imo communem producit, et quod illa ex ista procedit et originem trahit. Ecce illum existendi modum jam indubitata demonstratione collegimus, de quo in hujus operis exordio locuti sumus, ubi probabili magis quam necessaria ratione usi sumus. Ut enim ibi prælocuti sumus, triplex est existendi modus : Unus qui est ab æterno, et a semetipso; alius qui nec est a semetipso, nec ab æterno; et inter hos medius, qui est ab æterno, nec tamen a semetipso. Sicut enim superius probatum est, totæ tres personæ sibi sunt coæquales et coæternæ. Sicut ergo ab æterno est existentia illa quæ a semetipsa existit, sic et ab æterno esse habet quæ ab eadem procedit. Ille namque existendi modus qui est communis personis duabus, habet esse ab æterno, nec tamen a semetipso. Vide ergo cæterorum proprietates quantum sunt diversæ, imo omnino contrariæ. Harum proprietatum contrarietatem tertius existendi modus proportionali quadam ratione connectit, et ad mutuam concordiam sua mediatione duo extrema componit, habens commune cum uno esse ab æterno, commune habens cum alio non esse a semetipso. Habemus jam proprie proprium personæ unius : habemus quid sit commune duabus sed quæ sint singularum propria ratiocinando necdum apprehendimus.

CAPUT VI.

Quod processio personæ de persona alia sit tantum immediata, alia mediata, alia mediata simul et immediata.

Ex rebus quas per experientiam novimus, admonemur quid circa inexperta et divina quærere debeamus : *Invisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom.* 1). Ubi ad alta quidem ascendere volumus, scala quidem uti solemus, nos qui homines sumus et volare non possumus. Rerum ergo visibilium similitudine pro scala utamur, ut quæ in semetipsis per speciem videre non valemus, ex ejusmodi specula, et velut per speculum videre mereamur. In rebus humanis videmus quod persona

Digitized by Google

le persona procedit, et ejusmodi processio tribus procul dubio modis fieri contingit. Procedit namque persona de persona, quandoque quidem tantummodo immediate, quandoque tantummodo mediate, quandoque autem mediate simul et immediate. Tam Jacob quam Isaac de substantia Abrahæ processit, sed unius processio mediata tantum, alterius autem tantummodo immediata fuit. Nam, mediante Isaac, Jacob de lumbis Abrahæ exivit, de substantia Adæ Eva, Seth, Enoch processere, sed prima processio ex his fuit tantummodo immediata, media vero mediata simul et immediata. Nam Seth quidem processit de substantia Adæ immediate, utique in quantum fuit de proprio semine, mediate vero in quantum fuit de semine Evæ. Ecce in humana natura quomodo personalis processio triplici distinguitur modo. Et quamvis ista videatur multum peregrina ab illa singulari, et superexcellenti natura, est tamen similitudo nonnulla, utpote in ea quæ est ad similitudinem illius facta. Oportet itaque ex hac natura se ad illam contemplationis speculam erigere, et juxta dictam considerationem quid ibi sit, vel quid ibi non sit, proportione similitudinis, vel dissimilitudinis cum summa diligentia investigare. Sed si tres ejusdem existentias ibi esse dicamus, quales jam superius distinximus, excepta ea quæ a semetipsa esse deprehenditur, procul dubio in illam naturam quaternarium personarum numerum introducere videmur. Quapropter quærendum est diligenter quænam ex his proprietatibus veraciter ibi sunt, si omnes sibi simul esse non possunt.

A

B

C

CAPUT VII.

De processione tantum immediata, et quod oporteat in divinitate esse personam, quæ sit ab una sola.

Illud autem constat certissime, et de quo nullo modo possumus dubitare, quod ab illa principalissima existentia necesse sit unam aliquam immediate procedere, alioquin oportebit eam solum remanere. Constat namque quod cæterarum nulla omnino esse valeat, quæ non ab illa immediate vel mediate procedat. Ubi autem non est immediata, non potest esse processio mediata, sicut nec illa quæ pariter est mediata et immediata. Sed nihil prohibet ut immediata sit, quandoque etiam ubi mediatam deesse contingit. Processio immediata consistit in personarum dualitate, mediata vero nunquam sine personarum trinitate. Immediata siquidem processio est, in qua oportet ut sit tam ipsa quæ illam producit, quam illa quæ ex ipsa procedit. Mediata processio (exceptis illis personis in quibus incipit et desinit) habet et tertiam in qua mediatio consistit. Naturaliter autem prior est dualitas quam trinitas. Nam illa potest esse sine ista, ista vero nunquam sine illa. Naturaliter itaque et illa processio prior est, quæ potest subsistere in personarum dualitate, quam illa quæ non potest esse sine personarum trinitate. Sed in illa personarum pluralitate, et vera æternitate, nihil ibi aliud præcedit, nihil ibi alteri succedit, et eo ipso nihil ibi prius tempore, nihil ibi tempore posterius, sed quod non potest esse prius temporaliter, potest esse prius causaliter et eo ipso naturaliter. Sicut enim longe superius diximus, perfectio personæ unius exigit utique consortium alterius. Et ita fit ut una sit causa alterius. Ubi est enim plenitudo divinitatis, ibi et plenitudo bonitatis, et quod consequens est plenitudo charitatis. Plenitudo autem charitatis exigit ut unus alterum sicut seipsum diligat, alioquin illius amor adhuc habet quo crescere valeat. Oportet vero condignum habere, ut sit quem possit, et merito debeat ut seipsum diligere. Si igitur primordialem personam veraciter constat esse summe bonam, nolle omnino non poterit quod summa charitas exigit. Et si veraciter constat eam omnipotentem esse, quidquid esse voluerit, non poterit non esse. Exigente itaque charitate condignum habere volet, et exhibente potestate habebit quem habere placet. Ecce quod diximus, quod perfectio personæ unius est causa existentiæ alterius. A quo autem est ei existentiæ causa, ab ipso et existentia. Non enim potuit ab illa non esse, a qua ut jam diximus, est omne posse. Ecce quomodo ratio rationi attestatur, et quod ex una convincitur, ex alia confirmatur. Ecce habes personam de persona, existentiam de existentia, unam de sola, processibile de improcessibili, nascibile de innascibili. Unam denique uni immediate adhærentem; quia unam de una immediate procedentem. Quod in divina natura talis existentia sit indubitanter agnovimus, sed utrum communicabilis vel incommunicabilis sit, nondum demonstrativa ratione colligimus.

CAPUT VIII.

De processione quæ immediata simul est et mediata, et quod oporteat esse in divinitate personam, quæ sit a gemina.

Quoniam constat tertiam in Trinitate personam aliunde quam a se originem trahere, oportet ut ab una aliqua dictarum, aut ab ambabus simul habeat esse. Et quid horum, qua ratione convinci possit, restat inquirere quod persona summe digna, condignum habere oportuerit, superius prolata perspicuæ rationis demonstratio invenit. Ut autem omnipotenti personæ condigna esset, oportuit ut ab omnipotente omnipotentiam acciperet, ut æquam, imo eamdem potentiam haberet. Nam, ut sæpe dictum est, omnipotentia non potest esse nisi una. Si autem idem posse accepit, illud utique posse accepit a quo est omnium posse, omnium esse, omnium existere. A quo, ut superius dictum est, habet esse omnis essentia, omnis existentia. Si igitur idem posse est absque dubio ambobus commune, consequens est tertiam in Trinitate personam ex ambobus et esse accepisse et existentiam habere. Sed ad hæc fortassis dicturus est aliquis si idem posse quod habet innascibilis, accepit et habet persona nascibilis, ergo accepit, et habet posse a semetipsa esse, quod est proprie proprium innascibilis personæ. Verum qui hoc dicit, quantum mihi videtur, non bene

D

Digitized by Google

intelligit quod dicit. Sed, ut melius elucescat quod dicimus, hoc ipsum diligentius discutiamus. Dicit is, quia si innascibilis immediate tantum a se procedenti dedit plenitudinem potentiæ suæ, ergo et posse a semetipso existere, ut qui omnipotens est, et omnia potest. Ad hoc ipse respondeo et fidenter affirmo, quia a semetipso est, si a semetipso esse potest. Nam natura divina omnino invariabilis est. Si ergo est a semetipso, constat eum esse, quod est sine alterius dono. Sed si hoc posse ei innascibilis dedit, ergo ex alterius dono hoc habuit. Quid ergo? Nunquid ex semetipso. et eo ipso sine alterius dono habet, quod ex alterius dono habet? Vides jam, credo, quam sit sibi ipsi contraria ista assertio. Est enim omnino contrarium rem eamdem et omnino idem ipsum haberi ex alterius dono, et haberi sine alterius dono. Quid autem magis impossibile quam unum aliquid simul esse et non esse? Sicut ergo superius jam diximus, ut summe digna persona condignam haberet, prout plenitudo bonitatis poscebat, de se immediate procedenti existentiæ dedit quidquid ab omnipotenti veraciter dari potuit. Est itaque eis commune illud posse, a quo est cæterorum omnium et esse et posse. Ab hac itaque gemina existentia est omnis essentia, omnis persona, omnis existentia, ergo et illa quæ est tertia in Trinitate persona. Huic procul dubio assertioni attestatur, quam illa quam superius in Trinitatis indagatione posuimus, ratiocinatione convincitur. Ibi namque manifesta ratione probatur, imo multiplici demonstratione convincitur quod, sicut perfectio unius est causa alterius, sic sane perfectio geminæ causa est tertiæ in Trinitate personæ. Sicut perfectio unius requirit condignum, sic certe perfectio utriusque exigit condilectum. Sed quoniam hæc superius diligenter exsecuti sumus, non oportet eadem hoc loco iterum ponere, cum possit quisque cum voluerit ex illo loco repetere. Illud autem certissimum esse debet, et hoc est, quod de tertia persona firmiter retinere oportet, quoniam a quibus est ei existendi causa, ab ipsis est et existentia. Ecce jam ex ratione tenemus, quod tertia in Trinitate persona esse habeat ex cæteris duabus. Quod igitur originem ex duabus trahat habemus, sed utrum ejusmodi existentia communicabilis sit, an vero incommunicabilis, necdum ratiocinando tenemus.

CAPUT IX.

Quod processio quæ fit ad aliquam personam, tantummodo mediata, non possit esse in divina natura.

Ecce jam ex majori parte invenimus quod superius quærendum proposuimus. Invenimus oportere esse unam aliquam existentiam, innascibili quidem immediate tantum conjunctam. Invenimus et aliam eidem existentiæ, tam immediata quam mediata germanitate cohærentem. Illud nunc igitur quærendum restat utrum aliqua sit, vel esse possit, quæ ei mediate tantum inhæreat. Unum est quod neminem sanæ mentis credo posse sentire, quod videlicet sit aliqua persona in divinitate, cui non liceat, vel quæ nolit innascibilem immediate, ut sic dicam, facie ad faciem videre. Quid enim aliud ibi est videre, quam videndo cognoscere, et cognoscendo videre? Quid autem est innascibilem cognoscere quam sapientiæ plenitudinem habere. Nihil enim aliud est ibi sapere quam esse. Unde igitur accipit ut sapiat, inde accipit ut existat. Unde igitur ei sapientia, inde et existentia. Unde et si immediate ab illa accipit ut sapiat, et immediate quidem ab illa accipit ut existat. Si quis vero dicat quod immediate non videt, consequens est ut concedat quod omniformem veritatis contemplationem non habet. Juxta id ergo non habet plenitudinem omnem, et quod consequens est, nec veram divinitatem. Forte ad hæc aliquis opponit, et dicit: Sicut quælibet persona videt de se procedentem, sic quælibet procedens videt producentem. Cur ergo non eadem ratione convincatur illam esse ab ista, qua probatur atque convincitur istam esse ab illa? Ad hæc ergo breviter respondeo, et dico, quod quælibet divina persona ad aspectum alterius divinæ accipit plenum sapere, et eo ipso divinum esse nisi habeat aliunde, necesse est namque ut inde habeat, si aliunde non habet. Sed si habet aliunde, non necesse est etiam inde habere. Et, ut id exemplo melius elucescat, ecce veritatem scriptam uni aliunde cognitam, alteri autem aliunde minime notam. Uterque tamen legit et intelligit, sed solus ille veritatis scriptæ cognitionem ex inspecta lectione percipit, qui eam aliunde non habuit. Quoniam igitur omnes divinæ personæ invicem se et immediate conspiciunt, radium summæ lucis in alterutrum effundunt aut excipiunt. Et quia immediate vident, immediate adhærent. Impossibile itaque est in natura divina esse aliquam personam mediata tantummodo alicui alteri germanitate conjunctam. Hac item ratiocinatione confirmatur quod de tertiæ personæ processione superius dicitur. Quis enim eam neget cæteras personas et videndo cognoscere et cognoscendo videre? Est autem utriusque personæ una eademque sapientia. Quoniam ergo constat eam nihil habere ex se, consequens est ut ex inspectione sapientiæ accipiat sapere et ex eo ipso accipiat esse ubi non est aliud esse quam sapere. Ecce jam quæsitum est et inventum quod superius propositum fuerat ad quærendum. Invenimus quod in divina natura sit processio tantummodo immediata. Quod ibi sit quæ est mediata simul et immediata, quod mediata tantum omnino ibi non sit, sed nec esse possit.

CAPUT X.

Quod in divinitate non possit esse plus quam una quæ sit ab una tantummodo persona, nec nisi una sola quæ esse non habeat nisi ex gemina.

Ex his pro certo, quæ jam diximus, veraciter et indubitanter colligere possumus, quoniam si quarta in divinitate persona esse potuisset, procul dubio ex cæteris tribus eam originem trahere immediate oporteret. Alioquin alicui earum nonnisi mediata

Digitized by Google

germanitate cohæreret, nec eam nisi mediate videret. Et si quinta persona ibi esse potuisset, simili ratione de cæteris quatuor immediate procederet. Juxta hunc ratiocinationis modum similis in consequentibus consequentia invenietur, quantumcunque hujusmodi progressionis series intellectualiter protrahatur. Confirmatur autem quod hic dicimus ex his quæ jam superius prælibavimus. Sicut enim duabus personis commune est illud posse, unde constat tertiam originem trahere, sic procul dubio illud posse tribus commune esset, unde quartam esse oporteret, si quarta in divinitate locum haberet. Alioquin duæ avaræ sibi reservarent, quod tertiæ salva utriusque proprietate dare possent. Quod de istis dicimus, absque dubio invenies in consequentibus. Nam quantumcunque hujusmodi prosecutionis lineam produxeris, eamdem congruentiam ubique provenire videbis.

Notandum autem quomodo hujusmodi differentia proprietatum in solo constet numero producentium. Nam prima earum habet esse a nulla, secunda ab una sola, tertia vero a gemina. Et si numerus earum in plures abundaret, eumdem progressionis tenorem per omnes inveniri oporteret. Ecce quomodo hic ordo differentiarum surgit, et excurrit juxta modum et ordinem numerorum. Illud quoque notandum, quod juxta quamlibet ejusmodi differentiam, impossibile est esse plus quam unam personam. Nam ab una sola persona non potest esse, nisi tantummodo una, similiter quæ sit tantum a gemina, non potest esse nisi una sola. Nam, si gemina de una tantum procederet, pro certo procedentium neutra alteri immediate adhæreret. Quod quam impossibile sit, superius quidem ratio manifesta perdocuit. Juxta quod dictum est de una differentia, intelligi datur et de qualibet alia. Ecce in his geminæ quæstionis solutionem habemus, quas superius sine solutione reliquimus. Constat siquidem, quoniam si ab una sola persona non potest esse nisi tantummodo una existentia, nec a gemina nisi una sola, constat, inquam, quod utraque sit incommunicabilis existentia. Sicut igitur in divinitate non potest esse nisi una sola persona, quæ sit a semetipsa, sic non potest esse plus quam una, quæ sit ab una tantummodo persona. Nec nisi sola, quæ esse non habeat nisi a gemina.

CAPUT XI.

Quod oportet ut in divinitate sit persona a qua non sit alia aliqua, cum tamen eadem non sit a semetipsa.

Invenimus in superioribus differentias personalium proprietatum, quomodo sibi invicem cohæreant, vel procedant juxta modum et consequentiam numerorum. Sed si tot essent personæ divinæ quot possunt esse hujusmodi differentiæ, essent utique infinitæ. Oportet itaque personarum proprietates diligentius perscrutari, ne de earum numero possit aliqua sinistra suspicio oriri. Superius probavimus quod in illa divinarum personarum pluralitate oporteat personam aliquam esse quæ non habeat aliunde quam a se originem trahere. Sed, sicut necesse est ibi esse aliquam quæ non sit ab alia, sic ibi esse oportet aliam a qua non sit aliqua alia. Utrumque namque simili ratione convincitur. Utrumque pari quidem demonstratione comprobatur. Nam si in illa vera divinitate non esset aliqua persona a qua non procederet aliqua alia, sed quælibet ex alia procedens de se procedentem haberet, ejusmodi deductionis protractio in infinitum procederet, et personarum series in infinitum ducta numerositatis suæ nullum finem acciperet. Sed nulla opinio hoc recipit, nec ratio aliqua usquequaque admittit. Oportet itaque ut in divinarum personarum pluralitate talis aliqua existat de qua nulla alia originem trahat. Oportet nihilominus ut eadem ipsa existendi principium ex alia habeat, sicut et illa quæ ex alia aliqua non est, oportet ut alteri existendi causam exhibeat. Utriusque sententiæ eadem ratio, utrumque convincitur non dissimili argumento. Cum enim convincat ratio manifesta nonnisi unam personam posse esse a semetipsa, si illa quæ ab alia non est nullam de se procedentem haberet, in perpetuum sola remaneret. Simili quidem ratione et illa quæ de se procedentem non habet, si a nulla alia procederet, divino consortio in perpetuum careret. Sed, ut superius satis evidenter ostendimus multiplex ratio a vera divinitate solitudinem excludit, et personarum pluralitatem convincit. Oportet itaque ut ibi sit qui existendi principium aliunde non sumat, sed exhibeat; oportet æque ut ibi sit qui e converso ipsum quod est, ab alio accipiat, et nulli alii impendat.

CAPUT XII

Quod non possit esse nisi una sola in divinitate persona a qua non sit aliqua alia.

Oportet pro certo ut ejusmodi aliqua in divinitate persona existat, a qua, ut jam diximus, nulla alia procedat. Sed potest adhuc alicui in dubium venire, utrum hoc ipsum sit proprium uni alicui personæ, an possit et aliquibus esse commune. Sed si duæ personæ essent quæ hoc commune haberent, procul dubio neutra illarum ab alia procederet. Si neutra ab alia procederet, nec una quælibet alteri immediate adhæreret. Si vero neutra alteri adhæreret immediate, forent utique adinvicem sola mediata germanitate conjunctæ. Quod quidem quam impossibile sit superior demonstratio evidentissima ratione convincit. Est itaque proprie proprium unius tantummodo personæ, de se procedentem nullo modo habere. Quemadmodum ergo non potest esse in divinitate nisi una sola persona quæ non procedat ab alia, sic absque ambiguo non potest esse nisi una sola a qua non procedat alia aliqua. Erit itaque ista quemadmodum et illa existentia incommunicabilis, nec omnino poterit esse personis aliquibus communis. Solus enim unus in illa personarum pluralitate sic accipit, et habet esse ex alio, ut nullus alius omnino aut accipiat, aut esse habeat

Digitized by Google

ab ipso. Ecce duarum in Trinitate personarum proprietates, tam aperta ratione collegimus, ut nullo modo, vel in modico inde dubitare valeamus.

CAPUT XIII.

Quod oportet ut in divinitate talis persona existat, quæ ab alia procedat, et de se procedentem habeat.

De hac gemina dictarum proprietate personarum, possumus absque omni scrupulo colligere quid de illius quæ inter has media est debeamus proprietate sentire. Nam si ibi nonnisi unus solus esse potest, qui non sit ab alio aliquo, consequens est ut hic, de quo modo agimus, non sit a semetipso. Item, si ibi nonnisi unus solus esse potest qui de se procedentem non habet, hunc, de quo modo loquimur qui de se procedat, habere oportet. Sic itaque procedit de alio, ut nihilominus tamen alius procedat ex ipso. Ecce ergo, ut diximus, absque ambiguitate habemus, quid de ejus proprietate sentire debeamus. Hæc procul dubio attestatio illi assertioni concinit, quam præmissa superius disputatio invenit. Nam persona illa quæ de innascibili procedit tantummodo immediate, videtur, imo convincitur utrumque habere. Nam id esse quod est in ea plenitudine, quam ab innascibili accipit, alteri utique sine ulla integritatis diminutione impendit. Tertia namque in Trinitate persona a nascibili simul et innascibili procedit. Ecce quomodo ratio rationi occurrit, et attestatio attestationi alludit. Ecce quod constat luce jam clarius, tres in tribus proprietatum distinctiones invenimus; unius est ab alio non procedere, et de se tamen procedentem habere. Alterius tam ab alio procedere, quam de se procedentem habere. Tertii vero ab alio procedere, nec tamen qui de se procedat habere. Et duas quidem ex his proprietatibus incommunicabiles esse jam novimus, sed quid de tertia sentiendum sit nondum ratiocinando apprehendimus.

CAPUT XIV.

Quod in divina natura non possit esse nisi una sola persona, quæ et ab alia procedat, et de se procedentem habeat.

Sed quia duas ex dictis proprietatibus rationis attestatione, incommunicabiles esse jam novimus, eo ipso idem de tertia sentire admonemur. Sed, ne hæc ratio probabilis potius quam necessaria videatur, hoc ipsum quod dicitur altius investigetur.

Inprimis itaque notandum diligenterque considerandum quomodo gemina duarum personarum proprietas, una alteram quasi ex opposito respiciat, et una alteri veluti per contrarium respondeat. Nam unius est plenitudinem non accipere, sed dare; alterius econtra non dare, sed accipere. Ubi autem est summa pulchritudo, ubi nulla potest deesse perfectio: constat quod consequens est, et unde mens sana nullatenus dubitare potest, quod divinarum personarum pluralitas omnino sit congruentissima venustate conjuncta, et ordinatissima alteritate distincta. Oportet itaque ut in divina illa personarum pluralitate summe pulchra et omnino ordinatissima, sit mutuo hinc inde in alterutrum differens concordia, et concors differentia. Videtur itaque necesse esse, ut inter illam cujus est plenitudinem dare, nec accipere, et eam cujus est accipere, nec dare, sit sola una media cujus sit proprie proprium tam dare quam accipere, ut constituta in medio, uni altrinsecarum cohæreat ex uno, et alteri earum connectatur ex altero. Sicque fiet ut ex datione concordet cum dante, et ex acceptione concordet cum accipiente. Et e converso ex datione differat a non dante, et ex acceptione differat a non accipiente, ut sit in alterutrum, sicut superius jam diximus, et differens concordia, et concors differentia. Si autem duæ mediæ inter duas altrinsecas personas esse dicantur, videamus quid inconvenientis hanc assertionem sequatur. Certe prima ex eis erit a nulla, altera ab una sola, tertia a duabus, quarta ex tribus, sicut superius satis diligenter explanavimus. Et hæc quidem dispositio juxta hanc considerationem videtur habere aliquid cum arithmetica medietate. Sed modo videamus quomodo geometricæ medietatis speciem, quam, ut superius patet, personarum Trinitas prætendit, quaternitatis ista dispositio juxta aliam considerationem confundit. Certe primæ personæ causaliter proprie proprium erit plenitudinem solummodo dare, duarum mediarum tam dare quam accipere. Quartæ vero tantummodo accipere, non etiam dare. Ecce ex his prima in solo uno concordat cum altera. Altera vero illarum, non in una tantum, sed in duobus concordat cum tertia. Tertia autem in duobus quidem, sed in uno solum concordat cum quarta. Vides certe quomodo unius proprietatis geminatio atque communio proportionabilitatis rationem non tam prætendit quam confundit, ordinis pulchritudinem non tam auget quam minuit. Quis autem dicat in illa summa pulchritudine aliquid esse vel esse potuisse, quod pulchritudinem minuat ordinemque confundat? In illa autem superiori proprietatum dispositione, juxta unam considerationem medietas arithmetica juxta considerationem aliam medietas geometrica, juxta Trinitatis et unitatis collectionem medietas harmonica specietenus occurrunt, et miranda ratione invicem sibi alludunt. Constat itaque ex his unius personæ proprie proprium esse plenitudinem tam dare quam accipere, et hanc proprietatem, sicut et cæteras duas, incommunicabilem esse.

CAPUT XV.

Quod in divina natura non possit esse quarta persona.

Omnibus absque dubio divinis personis constat esse commune, omnem plenitudinem habere. Proprietatum autem distinctio versatur circa duo. Constat namque in dando et accipiendo. Unius namque personæ proprietas, ut ex præmissis patet, consistit in solum dando, alterius in solum acci-

Digitized by Google

piendo. Inter has autem media tam in dando quam accipiendo. Sed ad ista fortassis dicturus est aliquis, si una proprietas constat in sola datione, altera in sola acceptione, media inter has in datione simul et acceptione, cur non sit quarta sine datione et acceptione in solo habere? Quod si recipimus, quaternitatem divinarum personarum fateri videmur. Sed hujus quæstionis nodum in superioribus tam aperta ratio dissolvit, ut diligens lector, quantumlibet idiota, inde jam in aliquo dubitare vix possit. Ut enim superius monstratum est, ratio manifesta convincit quod, nisi una sola in Divinitate persona a semetipsa esse non possit. Quæ igitur aliunde non accipit ut sit, vel aliquid possit, si nulli impenderet quod habet, absque dubio, ut alias dictum est, in perpetuum sola remaneret. Nullum itaque in Divinitate locum quarta proprietas habere cognoscitur, unde et quaternitatis suspicio omnino secluditur. Constat itaque quod in divina natura omnino esse non possit quarta persona.

CAPUT XVI.

De veri amoris plenitudine, et quæ circa illum consideratur proprietatum distinctione.

Ea quæ superius dicta sunt de amovenda a divina natura quaternitatis suspicione, possumus adhuc altiori et evidentiori ratione confirmare. Nam, si veri amoris plenitudinem in considerationem adducimus, proprietatumque ad eam considerationem pertinentium distinctionem diligenter attendimus, quod quærimus fortassis citius inveniemus. Veræ autem dilectionis plenitudo in solo constat amore summo, universaliterque perfecto. Solus vero amor summus ille jure nominatur, qui tantus est, quo non potest esse major, simul et talis quo non potest esse melior. Unde et animadverte licet, quia veri amoris plenitudo haberi non potest ab aliqua persona quæ Deus non est. Alioquin, si præter Deum aliquis veri amoris plenitudinem habere prævaluisset, utique in charitate, et eo ipso in bonitate æqualis Deo esse potuisset persona quæ Deus non esset. Sed quis hoc dicat, vel temiter æstimare præsumat? Constat autem quia verus amor potest esse, aut solum gratuitus, aut solum debitus, aut ex utroque permistus; idem ex uno debitus et ex alio gratuitus. Amor gratuitus est quando quis ei a quo nihil muneris accipit gratanter impendit. Amor debitus est quando quis ei a quo gratis accipit nihil nisi amorem rependit. Amor ex utroque permistus est, qui alternatim amando et gratis accipit et gratis impendit. Plenitudo autem amoris gratuiti plenitudo amoris debiti, quemadmodum et plenitudo in utroque perfecti, a persona quæ Deus non est nullo modo potest haberi. Sed quoniam hoc satis ex superioribus patet, adjuncta expositione non indiget.

CAPUT XVII.

Cui conveniat in Trinitate personæ solius gratuiti amoris plenitudinem possidere.

Manifestissimum esse jam constat quod una in Trinitate persona nihil nisi a semetipsa habeat. Nihil omnino accipit ab alio aliquo, nihil prorsus possidet ex munere alieno. Amorem itaque debitum et qualem tibi superius descripsimus nullo modo videtur posse habere qui a nullo alio deprehenditur aliquid accepisse unde ei obnoxius fieret vel in aliquo debitor existeret. Gratuitum autem amorem se habere ostendit qui procedentibus de se plenitudinis suæ abundantiam tam largiter quam libenter, et gratis impendit. Quid enim ab ipso personæ procedentes, ab ipso quid, inquam, quasi ex debito exigere possunt, qui ipsum debitum amorem, quem gratuito dilectori rependunt, ex ejus dono accipiunt? Alioquin aliquid haberent quod ex ipso non accepissent. Quod quam falsum sit superiora docent. Habet itaque amorem gratuitum et gratuitum solum. Habet, inquam, gratuitum amorem, et, quod adhuc amplius est, gratuiti amoris plenitudinem se habere demonstrat qui ex illa plenitudine quam habet, nihil sibi soli reservat, sed totum communicat. Si omnem plenitudinem haberet, nec communicare vellet, cum posset, plenitudinem gratuiti amoris non haberet. Convincitur ergo amoris plenitudinem habere, cui ad omnem benevolentiæ effectum noh deest, vel velle vel posse.

CAPUT XVIII.

Cui conveniat in Trinitate debiti amoris plenitudinem habere.

Illam autem personam, cujus est proprium procedere, nec tamen de se procedente habere (quoniam aliunde accipit totum quod habet) plenitudinem debiti amoris habere oportet; alioquin, si summæ diligentibus summum amorem non rependeret, summo amore digna non esset. Summo same amore ab ipsis diligitur, a quibus omnem plenitudinem accepisse cognoscitur. Quid itaque indebiti amoris possit eis rependere, a quibus constat eam omnem plenitudinem gratis accepisse? Et quoniam proprium est ipsius, ut jam diximus, de se procedentem non habere, non est in Divinitate cui possit plenitudinem gratuiti amoris exhibere. Et quidem erga creatam personam gratuitum amorem habere potest, sed gratuiti amoris plenitudinem erga creaturam habere non potest, quæ inordinatum amorem habere non potest. Inordinatus enim amor esset, si summo amore diligeret qui summe diligendus non esset. Summo siquidem amore omnino dignus non est, qui summe bonus non est. Persona vero quæ Deus non est, summe bonus esse non potest, quoniam Deo æquari non potest. Plenitudinem itaque debiti amoris dicta persona juxta supradictam rationem et habere valet et habet. Plenitudinem vero gratuiti amoris omnino non habet, sed nec habere valet. Solius itaque debiti amoris plenitudinem habere oportet personam illam, quæ de se quemadmodum dictum est, procedentem non habet.

CAPUT XIX.

Cui proprie proprium sit in Trinitate personæ tam gratuiti quam debiti amoris plenitudinem obtinere.

Ex his quæ de duabus personis circa instantem

Digitized by Google

considerationem jam diximus, satis elucescit quid de reliqua sentire debeamus. Nam, quoniam est proprie proprium ipsius tam ab alia procedere quam de se procedentem habere, oportet eam tam gratuito quam debito amore abundare, et utriusque plenitudinem, utpote unius amoris uni, alterius alteri integraliter exhibere. Debitum quippe est quod summo amore diligit a quo totum accipit, et nihil impendit; gratuitum vero, quod summe diligit a quo nihil accipit, sed totum impendit. Ecce jam, aperta ratione, tenemus quomodo singularum propria juxta hanc considerationem distinguere debeamus. Constat namque, quia in uno ex tribus est amor summus et solum gratuitus. In altero vero sic summus, ut sit solum debitus. In tertio autem sic summus, ut sit ex uno debitus, ex altero omnino gratuitus. Ecce in amore summo terna proprietatum distinctio, cum sit tamen una eademque in omnibus, utpote summa et vere æterna dilectio. Nunc itaque ex hac veri et summi amoris speculatione possumus colligere, utrumnam in illa divinarum personarum pluralitate quarta possit persona locum habere.

CAPUT XX.

Unde ratio manifeste convincit quod quarta in Divinitate persona locum habere non possit.

Superiora satis probant atque demonstrant quod in Divinitate non possit esse nisi una persona quæ sit a semetipsa. Hinc etiam potest diligens indagator veritatis indubitata ratione colligere, quod in illa mutua personarum charitate non possit amor esse, qui non sit aut solum gratuitus, aut solum debitus, aut simul utrumque debitus atque gratuitus. Constat nihilominus de dictis tribus quod gratuiti amoris plenitudo sit in solo uno, debiti vero amoris plenitudo sit in solo altero, tam debiti quam gratuiti plenitudo sit in solo tertio. Sed quid ad ista dicemus, numquid ex his tribus aliud aliquid est, et aliud aliquid amor suus? Numquid eorum alicui aliud est esse quam diligere, diligere quam esse? Ubi ergo est vera illa et summa simplicitas quam superius quæsivimus et invenimus, et multa rationum attestatione probavimus? Oportet itaque absque dubio ut in summa simplicitate idem ipsum sit esse quod diligere. Erit ergo unicuique trium idem ipsum persona sua quod dilectio sua. Nihil itaque aliud erit plures in una Divinitate personas esse quam plures unam eamdemque, utpote summam dilectionem habere, quin potius esse ex differenti proprietate habeant. Nihil aliud est ibi persona ista quam dilectio summa hac proprietate distincta. Nihil aliud persona altera quam dilectio summa alia proprietate distincta, nec aliud aliquid est persona tertia quam dilectio summa tertia proprietate distincta. Juxta numerum itaque proprietatum, erit et numerus personarum. Quoniam ergo quælibet persona, ut diximus, est idem quod amor suus, et assignata singularum discretio, constat in solis jam dictis tribus, sicut quartam proprietatem, sic quartam personam nullatenus ibi invenire poterimus. Ne autem aliquis nos parum intelligat, et eapropter inconsulte reprehendat in eo quod gratuitum vel debitum posuimus, non nos utique latet quod hoc non semper sub eadem significatione accipimus. Dicimus quia hic illum amare debet eo quod dignus sit. Dicimus nihilominus quod unus alium amare debet, eo quod alicujus doni, vel beneficii merito debitorem reddiderit. Sic et gratuitum alias et alias, sub alia et alia significatione accipi poterit. Sed sub qua significatione utrumque hoc loco accipi volumus ne calumniæ locus pateat, adjuncta descriptione determinavimus. Nemo autem miretur, nemo indignetur, si ea quæ de tanta profunditate sentimus, verbis eloquimur quibus possumus. Ecce jam explicavimus quomodo ad superiorem confirmationem ratio manifeste convincit, quod quarta in Divinitate persona locum habere non possit.

CAPUT XXI.

Ex novissime posita speculatione quam multa possimus colligere.

Verum si huic novissimæ speculationi velit quis in hujusmodi exercitatos sensus habens diligenter insistere, multa superius disputata et diversis demonstrationibus probata poterit fortassis ex hac sola indubitanter colligere et probabili assertione convincere. Si quis unum Deum esse altius intelligit, ipsum summe bonum, summe beatum esse manifesta ratione deprehendit. Sed, si de personarum pluralitate diffidit, ex eo quod jam credit in id quod nondum apprehendit per hanc speculam assurgere poterit. Ex hac una, ut arbitror, speculatione personarum pluralitatem, imo totam Trinitatem poterit elicere et documentis probabilibus astruere. Hæc speculatio, ut superior ratio docuit, suspicionem quaternitatis excludit. Hæc veram divinitatem credentibus veraciterque confitentibus sic personarum pluralitatem commendat, ut et substantiæ unitatem convincat. Ex hac speculatione cujusque personæ proprietas elucescit et in manifestationem exit. Nam diligenter requisita perspicua ratione clamat quod in Divinitate sit persona quæ ab alia aliqua esse non habeat, quod ibi sit quæ a sola una, et alia quæ a duabus originem trahat. Cogitet qui hæc legit quam magnum et utile sit promptum et familiare habere, ad hæc omnia posse ex una speculatione omni poscenti rationem reddere. Sed quoniam ex his quæ jam diximus ad horum indagationem pervium iter exstruximus, hæc diligentioribus perscrutatoribus plenius discutienda relinquimus.

CAPUT XXII.

Quod dicitur plenitudo amoris gratuiti esse in solo dando, plenitudo debiti in solo accipiendo, non sic oportet intelligere quasi sit opus gratiæ et non potius operatio naturæ.

Quod autem diximus unam personam habere, vel esse plenitudinem amoris gratuiti, alteram vero plenitudinem amoris debiti, nemo ad id trahat quasi una aliqua quamlibet aliam in aliquo præcedat, vel

Digitized by Google

melius aliquid perfectiusque habeat, vel existat. Nulla ibi differentia graduum, nulla diversitas dignitatum. Ecce constat quoniam proprietas unius est plenitudinem dare nec accepisse, alterius vero accepisse nec dare, nunquid idcirco oportet credere unam altera meliorem, unam altera digniorem? Absit omnino hujusmodi aliqua suspicio. Hujusmodi suspicio multos supplantavit, et per varios errores dispersit. Nihil habet majus, nihil omnino melius qui nihil eorum quæ habet ab alio accepit quam qui nihil habet quod non accepisset. Quidquid perfectionis, quidquid bonitatis, quidquid beatitudinis habet cujus est solum dare in ea plenitudine possidet et ille cujus proprium est totum accepisse. Quod autem dicitur plenitudinem gratuiti amoris esse in solo dando, plenitudinem debiti in solo accipiendo, nemo dicitur sic accipere quasi si hoc in illa indifferenti æqualitate sit opus gratiæ et non potius operatio naturæ. Sed tanti mysterii altitudo nimis profunda est, et vix vel nunquam ab ullo homine verbis idoneis explicari potest. Nemo ergo miretur, nemo indignetur si, more virginis matris conceptam veritatem edendo, verborum panniculis involvo, qui deserti sermonis sericis non valeo quæ me non habere cognosco. Sed ubi constat de veritate sententiæ, nihil restat sagacis lectoris prudentiæ nisi verba idonea (quod cum omni gratiarum actione suscipio) veris assertionibus adhibere.

CAPUT XXIII.

Quod quantum ad substantiam dilectionis in omnibus est amor summus et unus, quamvis sit in singulis proprietatum discretione distinctus.

Proprium est veri et intimi amoris illud efficere in illis etiam personis quibus est diversum esse ut sit in eis idem velle et idem nolle. Quanto magis identitas voluntatis illis inerit personis quibus est idem esse quod velle et quod consequens est, sicut unum esse ita et unum velle? Est itaque in illa Trinitate omnibus una voluntas, una charitas, una et indifferens bonitas. Quantum igitur ad substantiam dilectionis erit unus atque idem amor in omnibus personis. Et cum sit in omnibus unus atque summus, non potest esse in uno quam in altero major, non potest esse in uno quam in altero aliquo melior. Certe si inest omnibus per omnia idem velle, unusquisque amat alterum quomodo seipsum, quantum seipsum. Si eorum unusquisque diligit alterum ut se, totum quod communicabile est, sibi vult cuilibet alteri ut sibi. Si diligit quantum se, quidquid ibi est communicabile, nec ardentius desiderat sibi quam alteri, nec tepidius alteri quam sibi. Ejusmodi itaque amor ex uno erit talis quo non potest esse melior, ex altero tantus quo non potest esse major. Erit itaque, ut dictum est, quantum ad *substantiam* dilectionis unus, et idem in omnibus amor, verum tamen modo mirabili in singulis proprietatum discretione distinctus. Nam, secundum eam acceptionem quam superius assignavimus, erit iste quoad illum tantum gratuitus, et in illo vero quoad istum tantummodo debitus. In tertio debitus ad unum, et ad alterum gratuitus. Juxta humanum namque loquendi modum, recte dicimus amorem gratuitum qui nihil accipiens totum impendit. Debitum vero qui nihil impendit a quo totum accepit. Dicatur itaque illa Divinitatis unda et summi amoris affluentia in alio tantum effluens nec infusa, in alio tam effluens quam infusa, in tertio non effluens sed solum infusa, cum sit tamen in omnibus una et eadem ipsa, et in his omnibus una veritas. etiam si sit de ea loquendi multiformitas.

CAPUT XXIV.

Quod quantum ad integritatem perfectionis nulla sit in Trinitate differentia amoris vel dignitatis.

Inter hæc aliquis fortassis humanum aliquid cogitans de divinis personis, illam personam majoris dignitatis reputat et cæteris excellentiorem judicat quæ a semetipsa habet totum quod eam habere constat. Sed absit quod ibi credatur esse aliqua dignitatum distantia, ubi vere et absque dubio est æqualitas summa. Sed qui hoc per intelligentiam necdum capit, est unde cogitationem suam ex alia cogitatione reprimere possit. Sciendum itaque est, sicut superius jam dixi, quia quidquid omnibus est communicabile ibi unaquæque persona tam amat alteri quam sibi, sic e converso quod sive proprietatis est et incommunicabile, magis diligit sibi quam alteri. Quælibet namque persona ex eo quod est omnibus commune habet esse eadem substantia cum cæteris, ex eo quod est suæ proprietatis et incommunicabile habet esse singularis persona discreta ab aliis. Si ergo unaquæque quod suæ proprietatis est magis amaret alteri quam sibi, et quod alterius proprietatis est magis amaret sibi quam alteri, quid hoc aliud esset, vel quid aliud videri posset, quam nolle esse persona quæ ipsa est, et velle esse persona quæ ipsa non est? Sed neminem puto esse tantæ dementiæ qui audeat hoc existimare vel possit patienter audire. Illa utique persona cujus est ea proprietas quam putas prærogativam dignitatis, absque omni ambiguo magis vult eam sibi quam cæteris, et cæteræ sine contradictione ulla magis volunt eam illi quam sibi. Quid ergo nunquid æstimandi erunt majores benignitatis esse, qui illud quod putas præeminentiam excellentiæ malunt alteri personæ quam propriæ, quam ille qui mavult propriæ, quam aliqui alteri personæ? Sed, si recte æstimantur benigniores, cur non et eo ipso digniores? Dicis adhuc fortassis quod multo gloriosius sit plenitudinem habere et dare, quam solum habere nec alicui dare. Ecce iterum, ut tibi videtur, si secundum hominem judicamus in duabus personis, quamdam gloriæ prærogativam invenimus. Sed iterum de ea, quia hanc quam putas prærogativam juxta rationem prædictam tertia in Trinitate persona mavult cæteris quam sibi, quam tamen cæteræ sibi ipsis malunt quam illi, nunquid ergo illa dicetur cæteris benignior et eo ipso gloriosior? Ecce dum incedimus juxta judicia humana, invenitur di-

Digitized by Google

vina quæque persona qualibet alia magis et minus benigna, magis et minus digna. Ecce opinio falsa quæ invenitur sibi ipsa contraria. Debemus itaque has phantasias de cordibus nostris abjicere, et omnino firmiter credere quæ necdum possumus per intelligentiam capere. Pro certo et absque omni ambiguo quantum ad integritatem perfectionis, nulla in Trinitate differentia est amoris, vel dignitatis.

CAPUT XXV.

Quæ quibus sint personis communia, vel quæ sint singularum propria, et quæ sint, quæ restant adhuc, in istis quærenda.

Nunc igitur in unum, si placet, breviter colligamus quæ in hoc libro ratiocinando exsecuti sumus. Omnibus divinis personis est commune omnem plenitudinem habere. Commune est solis duabus omnem plenitudinem dare. Commune est solis duabus omnem plenitudinem accepisse. Commune est solis duabus non habere utrumque. Unius namque proprietas est in solo dando. Alterius proprietas in solo accipiendo. Tertiæ proprietas tam in accipiendo quam in dando. Solis duabus est commune personam de se procedentem habere. Solis duabus est commune, aliunde procedere. Solis duabus commune est, non habere utrumque. Non tantummodo de se procedentem habere, est proprietas unius. Tantummodo vero procedere, est proprietas alterius. Proprietas autem tertiæ tam ab alio procedere quam de se procedentem habere. Proprium est solius personæ procedere a nulla. Proprium solius alterius procedere ab una sola. Proprium solius tertiæ a gemina procedere. Sola enim una est a qua est nulla, sola autem una a qua est una sola, sola vero similiter a qua procedit gemina. Cum igitur sit duabus personis commune a semetipsis non esse, sed aliunde procedere, restat adhuc cum summa diligentia quærere in quo ad invicem differant processio unius et processio alterius. Inventa autem differentia habitudinis mutuæ pro similitudinis ratione oportet ad ultimum nomen proprium assignare. Proposueram quidem quid de his sentirem in commune proferre, sed quoniam in ipsis alta profunditas est, satius erit hæc altioribus ingeniis altius discutienda relinquere. Et quid ex his, quæ jam dicta sunt, gratitudinis vel ingratitudinis merear, ex allorum judicio probare.

LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quod in vera divinitate nihil sit juxta donum largientis gratiæ, sed totum juxta dotem proprietatemque naturæ.

Duabus, ut dictum est, tantummodo personis constat esse commune a semetipsis non esse, sed aliunde procedere, in quo illud adhuc videtur ad quærendum restare, utrumnam idem procedendi modus sit tam in una quam in alia, an potius unus in ista, et alius in illa. Materia satis modica, sed multum profunda et diligenti inquisitione dignissima. Puto tamen ex ante jam dictis non mediocriter elucescere quod possit ad hujus perplexionis enodationem multum valere : *Sed quoniam invisibilia Dei*, juxta Apostolum, *per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* VIII). Ubi profundum aliquid de divinis quæritur merito ad illam naturam recurritur, ubi, Deo operante, Dei imago depicta videtur. Est autem notissimum ad imaginem et similitudinem Dei hominem factum. Et quamvis incomparabiliter copiosior sit dissimilitudinis quam similitudinis ratio, est tamen humanæ naturæ ad divinam nonnulla imo multa similitudo. Possumus itaque, ut credo, in hoc divinæ imaginis speculo cernere, imo et juxta ratiocinantis animi judicium discernere, quid ibi sit vel pro similitudinis ratione approbandum, vel pro ratione dissimilitudinis improbandum. Invenimus itaque quoniam in humanis personis productio personæ de persona non est ubique uniformis. Nam, si ad propagationis nostræ originem recurrimus, in ipso protoplasto videmus quoniam alia fuit productio uxoris ejus, et longe alia multumque diversa productio prolis ipsius. Illa supra naturam, ista secundum naturam. Illa secundum solam operationem creatricis gratiæ, ista secundum operationem naturæ. In divina autem natura nihil est, vel esse potest ex operante gratia. Quod enim est ex sola operatione gratiæ pro auctoris beneplacito potest esse, vel non esse Sed tale aliquid non potest esse in ipsa Divinitate. Alioqui mutabilitas ei inesset, nec veram æternitatem haberet. Nihil itaque ibi est juxta donum largientis gratiæ, sed totum juxta proprietatem exigentis naturæ. Sicut enim innascibili naturale est ab alio non procedere, sic sane ei naturale est de se procedentem habere.

CAPUT II.

Quod germanitas, quæ est inter parentem et prolem, videtur esse omnino inter innascibilem et personam de ipso principaliter procedentem.

Naturalem itaque in hominibus procedendi ordinem debemus diligenter inspicere, et quid divinum in se simile habeat cum omni sagacitate inquirere. Quo invento et cognito juxta theologicæ disciplinæ morem, pro similitudinis ratione de humanis ad divina proprietatum nomina transsumere. In humana itaque natura videmus, sicut superius jam diximus, quia productio sive processio personæ de persona alia est tantummodo immediata, alia tantummodo mediata, alia vero mediata simul et immediata.

Digitized by Google

Immediata processio est illa quæ est prolis de utrolibet parente, quæ fit nulla alia persona mediante. **Mediata processio est illa** quam videmus in solo hominis alicujus nepote, quæ non fit nisi mediante ipsius prole. **Est autem ibi processio mediata simul et immediata, ubi contingit unum eumdem hominem esse alicujus filium et nepotem.** In humana natura mediata processio multiplex et multiformis est, quæ in divina natura omnino esse non potest. Secundum varium vero procedendi ordinem et modum affinitatis variantur, et multiplicantur in humana natura gradus et nomina germanitatis. Alia enim est germanitas, quam habet homo ad filium, alia vero quam habet ad nepotem suum. Secundum quod dico de istis, intelligi potest et de aliis. In tanta autem germanitatum multitudine primum locum tenet et principalem germanitas illa quæ est inter parentem et prolem. Nisi enim in humana natura illa præcessisset, cæterarum omnium omnino nulla fuisset, et si cæterarum omnium omnino nulla foret, nihilominus tamen absque dubio ipsa esse potuisset. Ubi autem contingit unum eumdemque multos liberos habere, omnes utique idipsum dicuntur una et eadem ratione. Et si contingit unum eumdemque hominem esse nepotem et filium ejusdem personæ, utrumque quidem dicitur, non tamen eadem, sed diversa valde ratione.

Notandum autem quod Eva immediate producta est de substantia Adæ, non tamen, ut superius jam diximus, secundum operationem naturæ. Et inde est quod nec illa proles istius, nec iste dicitur parens illius. Sed ubi persona alicujus producitur de substantia alterius, producitur, inquam, principali procedendi ordine et secundum operationem naturæ, solemus absque dubio unam ex his personarum parentem, aliam prolem nominare. Quoniam igitur solemus juxta divinarum Scripturarum morem humanæ germanitatis nomina pro similitudinis ratione ad divina transumere, possumus non inconvenienter dicere, quod illa germanitas est inter innascibilem et personam de ipso principaliter procedentem quæ est inter parentem et prolem. Processio enim illa personæ de persona usquequaque est immediata, et est secundum principalem procedendi ordinem et secundum naturæ operationem. Quod quia satis ex superioribus liquet, ampliori expositione non indiget.

CAPUT III.

Quod in producenda prole diversus modus sit pro diversitate naturæ.

Quod autem diversus sit modus in producenda prole pro diversitate naturæ neminem puto posse ambigere. Si autem scire volumus quis sit singularis ille producendi modus in illa Deitatis supereminenti et superexcellenti natura, innascibilis bonitatem, sapientiam, potentiam cogitemus, et citius fortassis invenimus quod quærimus. Pro certo cui summe sapiens bonitas inest, nihil omnino velle potest, et maxime circa divina, nisi ex ratione, ut sic dicam, intima et summa. Et si vere constat eum omnipotentem esse, quiquid ibi esse voluerit, erit pro voluntate. Nam, si in solo volendo non poterit obtinere quod voluerit, quomodo, quæso, omnipotens veraciter dici poterit? Erit itaque ei de se consubstantialem et conformem producere, ratione exigente, idipsum immobiliter velle. Hoc procul dubio erit ei prolem producere, in eo ipso sibi per omnia complacere.

CAPUT IV.

Quod convenienter obtinuit usus, ut in illa Trinitate unus ex duobus diceretur Pater et alius Filius.

Notandum quod in humana natura sexus geminatur, et idcirco secundum diversum sexum germanitatis nomina variantur, parentem in uno sexu patrem, in alio dicimus matrem. Prolem in uno sexu filium dicimus, in alio filiam nominamus. In divina autem natura, ut in commune novimus, omnino nullus est sexus. Dignum ergo fuit ut ab eo sexu qui dignior esse cognoscitur, ad id quod omnium dignissimum est nomina transferrentur. Vides ergo quam convenienter obtinuit usus ut unus ex duobus in Trinitate diceretur Pater, et alius diceretur Filius. Sed, ne in his aliquid a nobis indiscussum remaneat quod infirmum auditorem juste movere debeat, idipsum quod de transumptione nominum diximus diligentiori adhuc consideratione discutiamus. Mirabitur aliquis fortassis quare ad divina inde transferuntur nomina ubi ratio similitudinis obviat, et non potius inde ubi habitudinum collatio ex nonnulla parte concordat. Non enim habet humana natura ut Filius procedat de solo Patre secundum operationem naturæ, solus unus homo in genere humano processit de sola matre sine carnali patre, nec tamen sine operatione naturæ. Si igitur indignum est germanitatis vocabula transferre ad divina, ex sola parte qua nonnulla similitudinis ratio alludit, quomodo congruum erit inde transumere ubi proportionalitatis congruentia nulla occurrit?

Notandum itaque in primis si merito in illa Deitate dicitur Filius ab uno solo procedit, si merito dicitur Pater a quo solo et unico originem trahit, admonemur ex his vocabulis quod principalis procul dubio germanitas ibi est, quemadmodum hic in nostra natura omnino esse non potest. Ex his, inquam, vocabulis compellitur carnalis animus de divina generatione nihil carnale sapere, sed ad altiorem intelligentiam corde ascendere, et de tantæ profunditatis mysterio nihil temere secundum hominem judicare.

CAPUT V.

Quomodo certa et manifesta ratione tenemus cur unum Patrem, alterum ipsius Filium dicamus.

Sed si ad illud recurrimus quod superius jam indubitata ratione colligimus, quid ad hujus perplexitatis enodationem sufficiat elicere poterimus, quæsivimus et invenimus quod id sit innascibili de se pro-

Digitized by Google

lem producere exigente ratione hoc ipsum velle. Procul dubio si protoplastus ille Adam naturale haberet ut pro voluntate etiam de se solo consubstantialem sibi et per omnia conformem producere potuisset, principali nihilominus germanitate jungerentur et eisdem germanitatis nominibus hic pater, ille filius recte dicerentur. Nam, si omnino conformes essent, nec in sexu quidem discreparent. Vides ergo quomodo ex hac consideratione ratio manifesta occurrit et evidenter ostendit quam convenienter in illa personarum Trinitate ex duobus unus ad alterum Pater dicitur, alter ad unum eumdem ipsum Filius nominatur. Ecce in tanti mysterii profunditate quomodo in simulacro similitudinis divinæ et nostræ infirmitatis consideratione elucescit quidem nec dissimilitudo sine similitudine, nec similitudo sine dissimilitudine. Dissimilitudinis absque dubio est quod in nostra natura filius de solo patre procedere non potest. Similitudinis autem quod si hoc esse potuisset atque contingeret eadem germanitatis vocabula in simili germanitate singulis convenirent. Ecce jam, ut credo, certa et manifesta ratione tenemus cur unum Patrem, cur alterum ipsius Filium dicamus. Patrem quidem illum qui est a nullo, Filium vero ipsius qui est ab ipso solo.

CAPUT VI.

Cum sit cæteris duobus commune de Patre procedere, quid sit inter processionem unius et processionem alterius.

Habemus jam quæ sit germanitas unius personæ ad alteram, restat adhuc quærendum quid sentiendum sit de germanitate amborum ad tertiam. Existimabitur fortassis ab aliquo quod amborum filius merito dici possit qui ab utrobique immediate procedit. Sed si est filii filius, nunquid innascibilis erit ei pater et avus, et ille ipsius erit innascibilis et nepos et filius? Hæc autem tanto sunt diligentiori indagatione inquirenda, quanto sunt occultiora, et necdum inveniuntur ratiocinationis enodatione discussa. Illud autem jam constat certissime, quod sit cæteris duabus personis commune de innascibili persona procedere. Quærendum itaque in primis, juxta intentionem producentis, quid sit inter processionem unius et processionem alterius. Quamvis enim uterque procedat de voluntate paterna, potest tamen esse in hac gemina processione causa diversa. Sed, si mente retinemus quod superius ratiocinando invenimus, in hac fortassis allegatione non oportet nos diu, vel multum laborare. Manifesta namque ratio ibi evidenter deprehendit, quod innascibilis condignum habere voluit, et pro voluntate habere oportuit, ut esset cui summum amorem impenderet, et qui sibi summum amorem rependeret. Nec solum condignum sed etiam condilectum habere voluit, et pro voluntate habere oportuit, ut consortem amoris haberet, ne vel aliquid sibi soli reservaret quod in commune deduci potuisset. Condignum itaque habere voluit ut esset cui communicaret magnitudinis suæ divitias, condilectum vero ut haberet cui communicaret charitatis deliA cias. Communio itaque majestatis fuit, ut sic dicam, causa originalis unius. Communio amoris videtur velut quædam causa originalis alterius. Quamvis igitur utriusque personæ productio procedat, ut diximus, de voluntate paterna, est tamen in hac productione, vel processione gemina ratio, alia et alia causa et diversa.

CAPUT VII.

Quod alia sit germanitas quam habet ad unum, et alia quam habet innascibilis ad alium.

Interest autem multum per omnem modum inter velle habere condignum, et velle habere condilectum. Videamus autem nunc quid horum sit prius, quid horum vero posterius. Prius autem et posterius B hoc loco intelligi volumus non temporum successione, sed ordine naturæ. Quid est autem velle habere condignum nisi velle habere quem intime diligat et coæqualitatis merito digne diligere debeat? Quid est vero velle habere condilectum, nisi habere velle qui secum a suo dilectore pariter diligatur et exhibiti sibi amoris deliciis secum fruatur. Sed illud primum potest consistere in sola personarum dualitate. Istud autem posterius omnino subsistere non potest sine personarum Trinitate; quantum vero ad ordinem naturæ prior est dualitas quam Trinitas. Nam ubi est Trinitas non potest deesse dualitas, potest autem dualitas esse etiam ubi contingit Trinitatem deesse. Constat itaque naturaliter prius C dilectum esse quam condilectum habere. Quantum ergo ad naturæ ordinem principalior est processio illa cui inest principalior procedendi causa. Scimus autem quod secundum ordinem processionis erit procul dubio et ordo germanitatis. In humana pro certo natura primum locum tenet germanitas illa quæ est hominis ad filium, secundum autem illa quæ est hominis ad nepotem suum, tertium locum tenet quam homo quilibet ad suum pronepotem habet, et consequenter quidem in consequentibus videre licet. Quid autem in hac nostra natura facit hos differentes germanitatis gradus, nisi diversus in diversis procedendi modus? Nam, ubi non est in pluribus procedendi multiformitas, nec ulla in germanitate diversitas. Contingit namque unum D eumdemque hominem habere liberos plures, sed propter eumdem procedendi modum una est germanitas quam habet ad omnes. Sed utique sic pro simili vel dissimili modo processionis variatur proculdubio et qualitas germanitatis. Sed jam luce clarius constat quod uterque duorum de patre procedat. Est tamen alius procedendi modus in uno, et alius procedendi modus in alio. Oportet ergo ut alia sit germanitas quam habet ad unum, et alia quam innascibilis habet ad alium.

CAPUT VIII.

Quod ille qui a Patre Filioque procedit eorum filius recte dici non possit.

Principaliter autem est illius processio pro modo naturæ quem constat ab innascibili solo procedere

Digitized by Google

Ubi vero est principalitas processionis, ibi et principalitas germanitatis. Obtinet autem principalem locum germanitas illa quæ est patris ad filium. Merito ergo, ut superius jam diximus, filius ipsius dicitur qui ab innascibili principaliter procedere comprobatur. Sed si alia germanitas est quam innascibilis habet ad unum, et alia, ut jam probavimus, quam habet ad alium, si unus ex his ejus filius veraciter dictus est, alius ipsius filius veraciter dici non potest. Quid est enim dictum unum alterius esse filium nisi principali germanitate illi esse conjunctum? Sed ille qui tertia in Trinitate persona est, principali, ut probavimus, germanitate innascibili conjunctus non est, unde nec ejus filius recte dici potest. Sed scimus, sicut sufficienter in superioribus probavimus, quod ille in Trinitate tertius procedit a cæteris duobus. Si igitur non est filius unius nec erit filius alterius. Nam prorsus uno eodemque modo procedit tam a Patre quam a Filio. Siquidem utrobique una eademque est per omnia ratio. Sed quoniam hoc satis ex superioribus patet, eadem explicare non oportet. Sed si non est Filii filius, nec Pater Filii erit Ipsius avus, nec ipse nepos illius. Sed inter germanitatem quæ est patris ad filium, et illam quæ est ejusdem ad nepotem suum nulla occurrit media in humana natura. Quæ ergo, quæso, erit germanitas illa quam habet Pater et Filius ad eam quæ est tertia in Trinitate persona? Certe in humana natura omnis processio personæ de persona, principalis quidem quæ fuerit immediata; aliter autem contingit, ut jam evidentissimum est, in natura divina. Nam aliam ibi invenis quæ est immediata et principalis, aliam autem quæ est immediata nec tamen principalis. Quoniam igitur quæ sit immediata nec principalis in humana natura omnino non est, ex humanis ad divina vocabulum ejusmodi germanitatis transumi non potest. Vides certe quod ad exprimendam germanitatem Patris et Filii ad eam personam quæ ab utroque procedit, usitati eloquii inopia omnino deficit.

CAPUT IX.

Qua ratione Dei Spiritus dictus sit qui a Patre Filioque procedit.

Cum ergo pro more nostro germanitatis vocabulum aptari non potuit, quam in Scripturis divinis Spiritus Dei vel Spiritus sanctus dicitur penitus præter similitudinis rationem non fuit. Dictus est spiritus qui ab homine procedit, et sine quo homo omnino non vivit. Sed si pro hujus similitudine ille de quo loquimur Spiritus Dei dici asseritur, forti alicui hæc denominatio quantum ad illum nimis peregrina videbitur. Spiritum namque qui procedit ab homine constat ipsi homini consubstantialem non esse. Spiritus autem Dei ei a quo procedit pro certo est consubstantialis, et omnino per omnia æqualis. Quid tamen mirum si pro similitudinis ratione dicitur spiramen Patris et Filii qui in divinis Scripturis dictus est digitus Dei? In eo autem quod Dei digitus dicitur, nulla inæqualitas notatur, sed ad aliquam proprietatis suæ similitudinem refertur. Digitum sane portendimus, cum aliquid alicui ad oculum ostendere volumus. Quando igitur Deus alicui interna et occulta sapientiæ suæ Spiritus sui illustratione revelat, quid aliud quam quod videri vult digito suo demonstrat? Nam Pater quidem et Filius unus idemque per omnia Deus, Spiritus sui inspiratione docet nos de omnibus. Nonne magister veritatis Spiritum sanctum divinum esse spiramen velut per similitudinem docuit, quando discipulis apparens insufflavit et dixit: *Accipite Spiritum sanctum?* (*Joan.* xx.) Sicut superius diximus, spiritus de homine procedit, et sine ipso homo omnino non vivit. In eo igitur quod Spiritus sanctus Spiritus Dei dicitur, æterna de eo qui æternus est processio denotatur. Imo et in eo ipso quod est ei de Deo æterna processio, in eo ipso, inquam, intelligi datur quod Deo consubstantialis sit, quia de Deo procedere et æternitatem habere non potest quod Deus non sit. Quomodo autem singularis quædam ipsius proprietas exprimatur in eo quod Dei flamen, vel spiramen, vel Dei Spiritus dicitur in sequentibus commodius explicabitur.

CAPUT X.

Qua ratione procedens a duobus dictus est Spiritus sanctus.

Ad profundiorem intelligentiam nos vocat, et magno mysterio non vacat quod ille qui procedit de duobus, ut diximus, dictus est Spiritus sanctus. Nam Pater spiritus est, et Filius spiritus est, sicut ex Evangelio didicimus, quoniam Spiritus est Deus: similiter et Pater sanctus est, et Filius absque dubio sanctus, et utrumque de utroque veraciter dici potest. Quod ergo utrumque pari ratione convenit, quomodo solus ille quasi proprium nomen accepit? Sed appropriatio ejusmodi denominationis omnino videtur esse præter rationem exprimendæ cujuscunque proprietatis. Si vero simile quid habet divinæ proprietatis spiritus ille qui de humano corpore procedit et est corporalis, cur non multo magis spiritus ille qui de spiritu humano procedit et est spiritualis? Quis est enim spiritus ille qui de corde humano in aliis levius, in aliis vehementius spirat? In his tepidius, in illis ardentius flagrat, nisi intimus animi affectus et æstuantis amoris impulsus? Hinc est quod illi quidem dicuntur unum spiritum habere, uno spiritu incedere, quibus inest unum consilium, idem propositum; qui idem amant, idem affectant, et pari voto desiderant. Sed spiritus iste spiritualis tunc veraciter sanctus est, tunc veraciter sanctus dici potest, quando pietate impellitur, et secundum veritatem movetur. Sine hoc spiritu nullus spirituum est sanctus, neque spiritus humanus, neque spiritus angelicus. Spiritus enim humanus tunc procul dubio sanctus esse incipit, quando quod pietatis est diligit, quod impietatis detestatur et odit, hic utique pietatis affectus. Hic sane spiritus quando spirat, de multorum cordibus facit in multis cor unum et animam unam. Ad hujus itaque spiri-

Digitized by Google

tus similitudinem qui procedit, et spirat de multorum cordibus, dictus est Spiritus sanctus ille qui in Trinitate personarum procedit ex duobus. Quis enim dubitet, nisi summa insania ductus, quod in Patre et Filio sit idem pietatis affectus, et amor veraciter idem et unus? Hic igitur amor qui communis est ambobus, dictus est Spiritus sanctus, hic est ille qui a Patre et Filio sanctorum cordibus inspiratur, iste per quem sanctificantur, ut sancti esse mereantur. Sicut spiritus humanus vita est corporum, sic Spiritus iste divinus vita est spirituum. Ille vita est sensificans, iste vita est sanctificans. Merito ergo Spiritus sanctus dicitur, sine quo nullus Spiritus sanctus efficitur. Habet itaque nomen ex re, habet nomen pro rationis similitudine.

CAPUT XI.

Qua ratione solus Dei Filius imago Patris sit dictus.

Hoc itaque nomen quod est Spiritus sanctus soli uni quasi proprium attribuitur, quamvis juxta rationem substantiæ omnibus commune videatur. Notandum quod sunt quædam proprietatum nomina quæ nulla ratione possunt convenire nisi uni soli personæ. Hinc est quod solus unus dictus est Pater, solus unus dictus est Filius, sicut superius jam satis ostendimus. Hinc est quod solus Dei Filius imago Patris dicitur, hinc item quod solus ipse Verbum denominatur. Fides catholica fatetur et ratio multiplex attestatur quod qualis Pater talis Filius, talis Spiritus sanctus. Absque dubio uterque Patri consimilis, uterque Patri per omnia coæqualis. Si sapientiam, si potentiam penses, si bonitatem, si beatitudinem cogites, nihil majus in uno, nihil minus in altero omni remota ambiguitate reperies. Si igitur Dei Filius recte dictus est imago Patris, pro ratione expressæ in eo similitudinis, cur non etiam Spiritus sanctus imago Patris recte dicatur cum utrique similis et coæqualis inveniatur? Sed hujus quæstionis nodum, ut credo, citius solvimus si ad proprietatum considerationem recurrimus. Commune est omnibus, ut superius jam diximus, omnem plenitudinem habere. Commune Patri et Filio tam habere quam dare, proprium autem Spiritui sancto habere nec alicui dare. In hoc igitur solus Filius expressam in se Patris similitudinem habet et imaginem tenet, quod sicut divinitatis plenitudo manat de uno, sic et eadem plenitudinis largitio manat de alio. Nec minus aliquid nec alio modo accipit Spiritus sanctus ab uno quam ab alio. Nulla autem persona omnino a Spiritu sancto plenitudinem divinitatis accipit, et idcirco imaginem Patris in seipso non exprimit. Ecce habes cur imago Patris dicatur solus Filius, et non etiam Spiritus sanctus. Sed hoc ipsum quod diximus propter simpliciores adhuc expressius, vel, ut si dicam, grossius loquamur. Imago juxta consuetudinem humanam magis solet dici, propter similitudinem extrinsecam quam propter similitudinem intrinsecam. Ecce hominis imaginem dicimus statuam aliquam, et hoc utique propter solam similitudinem extrinsecam. Nam si interiora statuæ cogites, non tam similitudinem quam dissimilitudinem invenies. Ut igitur de illa personarum Trinitate aliquid loquamur juxta humanum modum, quasi intrinsecus cuique est quod est apud semetipsum, quasi vero extrinsecus est habitudo quam habet ad alium. Eamdem autem habitudinem quam habet Pater ad Spiritum sanctum, eamdem, inquam, constat habere et Filium. Quoniam igitur Patris habitudinem in plenitudinis suæ largitione præferre videtur, recte solus Filius Patris imago nominatur. Nam Spiritus sanctus nec Patris nec Filii imago dicitur, quoniam in habitudine qua diximus neutri assimilatur. Ecce in tanta mysteriorum profunditate ubi clare videre non possumus, similitudinum attrectatione palpamus. Sed nec illud prætercundum quod idcirco fortassis non immerito Spiritus sanctus dicitur, ut eo ipso falsæ opinioni obvietur, ne quis propter prædictam ejus proprietatem de ejus benignitate minus digne sentire videatur.

CAPUT XII.

Qua ratione solus Dei Filius Verbum sit dictus.

Item si quæratur qua ratione solus Dei Filius Verbum dicatur, ex proprietatum nihilominus consideratione, hoc ipsum eliciendum videtur. Ecce dicamus quod proferentis verbum, sensus et sapientiæ ipsius a quo profertur solet esse indicativum. Recte ergo Verbum dicitur per quem Patris, qui fons sapientiæ est, notitia manifestatur. Sed ad ista fortassis respondens dicis, quia nomen Patris manifestatur non solum per Filium, verum etiam per Spiritum sanctum, siquidem ipse Spiritus sanctus est illa unctio quæ nos docet de omnibus, ipse qui nos omnia docet et suggerit, et in omnem veritatem introducit. Si juxta hanc rationem Verbum dicitur Filius, cur non similiter verbum dicatur etiam Spiritus sanctus? Addamus itaque quia verbum nascitur de corde solo, et ipso propalatur proferentis intentio. Jure igitur solius Patris sola genitura Verbum nominatur per quod ipse, qui principalis est sapientiæ, manifestatur. Juxta hoc itaque nuncupatio Verbi pro similitudinis ratione videtur convenire Filio soli. Sed adhuc fortassis iterum dicis, quia aliud videtur esse verbum cordis, et aliud videtur esse verbum oris; illud de corde oritur, istud vero ore profertur. Illud interius latet, per istud cordis cognitio patefieri solet. Et neutrum eorum utramque dictarum proprietatum habet, sed una unius, altera videtur alterius. Sed dico quia, si subtilius penses idem verbum esse, invenies et quod corde concipitur et quod voce profertur. Quid est enim vox, nisi verbi vehiculum, vel, si magis placet, verbi indumentum? Nunquid est alius aliquis homo indutus, et alius aliquis cum fuerit exutus? Nunquid, quæso, verbum quod ore profers proferre potuisses nisi ipsum prius per cogitationem in corde habuisses? Et cum verbum prolatum ab auditore fuerit intellectum, nonne idem verbum incipit esse in corde suo quod prius erat in corde tuo? Si vero aurem haberet ad locutionem cordis quemadmodum habet

Digitized by Google

ad locutionem oris, non omnino opus haberet ut ei exterior locutio fieret. Ex his, ut credo, patenter intelligis, quod idem verbum est oris quod cordis, sed in corde est sine voce, in ore vero cum voce. Absque dubio una et eadem veritatis corde concipitur, verbo profertur, auditione addiscitur. Verbum esse habet ex solo corde, auditio autem ab utroque. Quoniam ergo verbum de solo corde procedit, et per ipsum cordis sagacitas innotescit, recte a simili Dei Filius Verbum Patris dicitur per quem paterna claritas manifestatur. In Patre omnis veritatis conceptio, in ejus Verbo omnis veritatis prolatio, in Spiritu sancto omnis veritatis auditio, juxta hoc quod in Evangelio legitur de ipso : *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet, loquetur* (*Joan.* XVI). Non igitur Pater potest dici Verbum, qui non est ab aliquo, sed nec Spiritus sanctus, qui non est ab uno solo; sed solus Filius, qui est ab uno solo a quo emanat omnis veritatis manifestatio. De hoc verbo habes in psalmo : *Eructavit cor meum verbum bonum* (*Psal.* XLIV). In hoc verbo loquitur Pater Spiritui sancto. In hoc loquitur spiritui creato angelico et humano. Locutio autem secundum superius dicta alia intrinseca, alia extrinseca. Intrinseca vero est illa quam capit solus Spiritus sanctus, extrinseca est illa quam capit spiritus creatus. Et, sicut interior locutio in nobis fit sine humani flatus cooperatione, exterior autem omnino non fit nisi ipso cooperante, sic sane in illa supereminenti natura interna illa locutio agitur auctore Patre solo. Nam solus Pater dicit, solus Spiritus sanctus audit. Exterior autem locutio peragitur auctore etiam flamine divino, hoc est Spiritu sancto. Hinc est etiam quod idem spiritus nunc flamen, nunc spiramen, nunc Spiritus Dei dicitur, per quem spiritibus angelicis et spiritibus humanis Dei Verbum inspiratur. Ecce habes quod superius proposuimus, cur unus solus in Trinitate dictus sit Dei Spiritus, habes nihilominus cur Verbum Dei dictus sit solus Filius.

CAPUT XIII.

Secundum clarificandi modum non solus Filius clarificat Patrem suum, unde et non immerito ejus dicitur Verbum.

Ecce dum unam quæstionem solvere laboramus, aliam incidenter incurrimus. Diximus quod Dei Filius Verbum dicitur, eo quod ipse paternam claritatem loquitur, et qualis vel quanta per ipsum manifestatur : *Sed, sicut Filius clarificat Patrem suum* (*Joan.* XVII), nonne et Pater revelatione sua *clarificat Filium suum* juxta quod ipse Filius ait ad Petrum : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI). Sed attende ne forte secundum quemdam clarificandi modum Filius clarificet Patrem suum secundum quem tamen modum Pater non clarificat Filium suum. Est enim Filius a Patre suo, non autem Pater a Filio. Apparet itaque in Filio paternæ proprietatis gloria quanta sit, qui Filium talem et per omnia sibi æqualem et habere voluit et potuit. Quantæ benignitatis, quantæ dulcedinis, quantæ benevolentiæ fuit quod de magnitudinis suæ divitiis nihil sibi soli reservavit, nihil habere voluit quod non illi communicaverit. Ecce habes singularem quemdam clarificandi modum secundum quem Filius clarificat Patrem suum. Sed forte ad hæc objicis, et dicis, quia eodem clarificandi modo Pater clarificatur etiam a Spiritu sancto. Sicut enim Filium coadesse sibi voluit, ut haberet cui communicaret magnitudinis suæ divitias, sic et Spiritum sanctum cohærere sibi voluit ut esset cui communicaret charitatis suæ delicias. Utrumque paternam gloriam loquitur, in utroque paterna proprietas declaratur. Sed nota quod prædicta paternæ proprietatis clarificatio quam habet Pater in Filio, non est ei communis cum aliquo, quoniam Filius est a Patre solo. Illa autem clarificatio quæ relucet in Spiritu sancto, non est declaratio paternitatis, nec est solius Patris, sed est ei cum suo Filio communis. Nam Spiritus sanctus non est a Patre solo, sed prorsus pari modo tam a Patre quam Filio. Recte ergo Filius Verbum vel lingua Patris dicitur, in quo solo juxta prædictum modum paternitatis gloria declaratur.

CAPUT XIV.

Cur Spiritus sanctus dicatur donum Dei, et unde, vel quomodo habeat mitti, vel dari.

Diligenti consideratione dignum videtur, qua ratione Spiritus sanctus donum Dei dicatur. Sicut in superioribus evidenti explanatione ostendimus, in Patre est plenitudo amoris gratuiti, in Spiritu sancto plenitudo amoris debiti, in Filio plenitudo amoris debiti simul et gratuiti. Quomodo autem hæc omnia oporteat intelligi, satis ibi diligenter expressi. In illa vero summe simplici natura, ubi non potest esse compositio aliqua, pro certo non est aliud aliquid Spiritus sanctus, et aliud aliquid amor ipsius. Quid itaque est Spiritus sancti datio vel missio, nisi debiti amoris infusio? Spiritus sanctus ergo tunc homini divinitus datur, quando debitus Deitatis amor menti humanæ inspiratur. Cum enim hic Spiritus spiritum rationalem intrat, ipsius affectum divino ardore inflammat, et ad proprietatis suæ similitudinem transformat, ut auctori suo amorem quem debet exhibeat. Quid enim est Spiritus sanctus nisi ignis divinus? Omnis enim amor est ignis, sed ignis spiritualis. Quod facit ignis corporalis circa ferrum, hoc agit hic ignis de quo loquimur circa cor fœdum, frigidum et durum. Nam ad hujus ignis immissionem, animus humanus omnem nigredinem, frigiditatem, duritiem paulatim deponit, et totus in ejus a quo inflammatur similitudinem transit. Nam ex succensione ignis divini incandescit, totus exardescit, pariter et eliquescit in amorem Dei, juxta illud Apostoli : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V). Sed cur, quæso, dicitur per Spiritum sanctum, magis quam per Patrem et Filium? Sed scimus quia Pater auctorem, vel datorem non habet, unde nec nisi gratuitum amorem habere valet.

Digitized by Google

Filius autem, ut superius dictum est, habet amorem tam gratuitum quam debitum. In divino itaque amore proprietati Filii, vel proprietati Patris conformari non possumus, qui simul utrumque, vel saltem solum gratuitum amorem erga Deum habere non valemus. In quo ergo, quæso, creatura Creatorem suum gratis diligere valet, a quo habet totum quo habet? In quantum igitur auctori nostro debitum amorem reddimus, in tantum pro certo Spiritus sancti proprietati configuramur. Ad hoc namque homini datur, ad hoc illi inspiratur, ut illi in quantum sibi possibile est, configuretur. Mittitur autem hæc datio, vel datur hæc missio simul et pari modo tam a Patre quam a Filio. Spiritus namque sanctus ab utroque habet totum quod habet. Si igitur ab utroque habet esse, posse et velle, merito eum dicuntur mittere, vel dare a quibus accepit, ut possit, et velit venire, et nobis inesse.

CAPUT XV.

Quare speciali quodam dicendi modo potentia attribuitur ingenito, sapientia genito, bonitas Spiritui sancto.

Libet me hoc loco repetere quod recolo me alias scripsisse. Quare speciali quodam dicendi modo potentia attribuitur ingenito, sapientia genito, bonitas Spiritui sancto. Quid sit potentia, quid sapientia, quid bonitas vel charitas, omne in commune novimus, et quotidiano experimento probavimus. In his itaque quæ manifesta et nobis nota sunt erudimur, ni fallor, ad eorum notionem quæ humanæ capacitatis modum excedunt. In tribus enim his, forma quædam, et imago summæ Trinitatis exprimitur. Et quoddam nobis velut speculum proponitur, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur (*Rom.* I). Quæ igitur sunt in Trinitate ista, respondent his quæ sunt in Trinitate illa, tria tribus, similia similibus, propria propriis, singula singulis. Videmus quia potest esse multiplex potentia, etiam ubi nulla est, vel esse potest sapientia. Taceo de elementis, vel quibuslibet rebus insensatis. In rebus etiam animatis et brutis est potentia audiendi, videndi, potentia ambulandi, comedendi et bibendi, et cætera hujusmodi. In his vero nulla sapientia est, nulla naturaliter inesse potest. Constat ergo quod superius dictum jam est, quia potest esse multiplex potentia, ubi nulla potest esse sapientia. Econtra autem ubi nulla potentia est, nulla sapientia inesse potest. Nam posse sapere, absque dubio est aliquid posse. Dat itaque esse posse, non sapientia potentiæ, sed potentia sapientiæ. Item constat quod Lucifer qui mane oriebatur, multam habet potentiam, multam sapientiam, sed nullam omnino voluntatem bonam. Bonitas autem est bene velle : quid est enim bonitas nisi bona voluntas? Testis itaque Lucifer ille obduratus in sua perversitate, quod possit esse multiplex potentia, simul et multiformis sapientia, ubi nulla manent bonitatis vestigia. Econtra autem nulla bonitas inesse poterit, ubi sapientia vel potentia omnino defuerit. Nam posse bene velle, est aliquid posse. Sapientiæ vero est discernere inter bonum et malum. Et sine hujusmodi discretione, nescit voluntas quid sit eligendum. Ut possit ergo bonitatem habere, oportet ut scias et valeas bonum eligere ; potentia dat posse, sapientia dat nosse, sine quibus bonitas non prodit ad esse. Contrahit itaque suum esse bonitas vera tam a sapientia quam a potentia. In hac itaque rerum trinitate sola potentia non est de reliquarum aliqua. Sapientia autem est de potentia sola, bonitas vero de potentia simul et sapientia. Vides certo quomodo in hac rerum Trinitate expressæ sunt proprietates Trinitatis illius summæ et æternæ. Ibi est persona ingeniti, quæ non est ab alio aliquo. Ibi est persona geniti, quæ est ab ingenito solo. Ibi est persona Spiritus sancti, quæ est tam ab ingenito quam a genito. Quoniam ergo in potentia exprimitur proprietas ingeniti, speciali quodam considerationis modo merito ascribitur illi. Sed, quoniam in sapientia exprimitur proprietas geniti, merito et illa juxta eumdem modum ascribitur ipsi. Item, quia in bonitate proprietas Spiritus sancti invenitur, merito et ei bonitas specialis assignatur. Ecce quomodo ex hac rerum Trinitate surgit consideratio ex qua per exemplum ostenditur qualiter intelligi valet quod de divinis proprietatibus legitur.

CAPUT XVI.

Quare Pater dicatur ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus nec ingenitus, nec genitus.

Quare autem Pater dicatur ingenitus, Filius vero genitus perfacile est videre, nec eget laboriosa expositione. Solus Pater a nullo alio est, et idcirco genitus nulla ratione dici potest. Nam si genitus esset, ipsum quod est ab alio accepisset. Merito ergo ingeniti nomen accepit, qui ab alio aliquo originem non habuit. Si vero Filium non genuisset, Pater nullatenus dici debuisset. Quod autem Filium ab æterno habuerit ex prædictis jam patuit. Filius itaque, quem ab æterno habuit, ab æterno genitus fuit, et merito dici debuit quod ab æterno esse accepit. Ergo dicitur genitus, nec solum genitus, sed etiam unigenitus. Nam in Trinitate non est nisi unus Filius. Germanitatem namque illam quam habet Pater ad Filium, nec Pater, nec Filius habet ad Spiritum sanctum. In humana natura ubi persona de persona gignitur, unus Pater, alter Filius nominatur. Recte ergo Spiritus sanctus genitus non dicitur, ne qui Filius non est, Filius putetur. Nec tamen ingenitus dicitur, ne eo ipso is qui a semetipso non est, aliunde habere originem negetur. Nomen enim geniti, quandoque strictius, quandoque largius accipimus. Non enim omnibus quæ gignere vel gigni dicimus, eadem secundum usum loquendi germanitatis vocabula attribuimus. Cum homo hominem gignit hunc parentem, illum prolem; hunc patrem, illum filium; hunc genitorem, illum genitum norma loquendi dicere consuevit. Arbor ramum gignere dicitur, non tamen arbor parens, nec ramus proles illius nominatur. Ramus florem gignit, nec

Digitized by Google

tamen ille pater, hic filius dici consuevit. Vermis ex fructu gignitur, nec tamen hic genitor, ille hujus genitus nominatur. Ecce vermem secundum unam acceptionem genitum dicimus, et secundum aliam acceptionem genitum negamus. Generatio autem quando large accipitur, nihil aliud videtur esse quam productio existentis de existente secundum operationem naturæ. Productio vero, quæ secundum naturæ operationem non est, generatio juxta usum dici non potest. Eva de Adam secundum operationem naturæ non est producta, et idcirco non dicitur generata. Quædam autem naturalis productio, prædicta illa germanitatis nomina suscipit, quædam, ut jam diximus, omnino non suscipit. Quoniam igitur procul dubio Spiritus sanctus, prout diximus, talis non est ut debeat dici Filius, merito quidem non dicitur genitus. Sed quia ejus processio secundum naturæ productionem est, non debuit dici ingenitus. Rationabiliter itaque, sicut jam diximus, genitus non dicitur, ne qui Filius non est, Filius esse credatur. Rationabiliter nihilominus ingenitus non dicitur, ne in hoc naturalem originem habuisse negetur.

CAPUT XVII.

Quid sit Patrem gignere, quid sit Filium nasci de Patre, quid procedere ex generatione, quid procedere sine generatione.

Quantum ad humanam naturam spectat, substantialem sibi de seipso producere, item videtur esse quod prolem gignere, quod filium generare. In natura autem divina, si bene perpenditur, multo aliter invenitur. Pater siquidem tam Filium quam Spiritum sanctum de seipso producit, uterque autem sibi consubstantialis existit. Et tamen uterque ejus Filius dici non potest, quoniam utriusque productio uniformis non est. Si enim utraque uniformis esset, una secundum ordinem naturæ, altera principalior non fuisset. Quod autem una principalior altera sit, superior disputatio invenit. Scimus autem quoniam in propagatione humanarum personarum multiformis est modus, secundum diversos germanitatis gradus, sicut superius jam diximus. Nam alius est procedendi modus filii de patre suo, alius nepotis ab avo, alius autem pronepotis a proavo. Quod vero dico de istis, videri potest et in reliquis : inter omnes enim procedendi modos constat primum locum tenere, et cæteris principaliorem esse illum procedendi modum qui est Filii de Patre. Nam ubi iste non præcesserit, cæterorum nullus existendi locum omnino habebit. Quando autem transumuntur nomina de humanis ad divina, constat utique hoc fieri similitudinis gratia, juxta id quod in Apostolo legitur : *Quia invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom.* 1). Juxta rationem ergo similitudinis propositæ, quid aliud intelligitur cum Deus dicitur Deum gignere, Pater Deus Deum Filium generare; quid, inquam, aliud oportet intelligere quam illum qui producit alium de se procedentem, juxta principalem procedendi modum producere? Credimus, et rationis attestatione consecuti sumus Patrem gignere, et quod consequens est Filium nasci de Patre. Creditur ex generatione esse processio Filii, sine generatione esse processio Spiritus sancti. Si quæris quid sit Deum divinam personam gignere, de se sibi conformem et consubstantialem secundum principalem procedendi modum producere. Quæris quid sit Filium nasci de Patre, hoc est unum de altero secundum principalem procedendi modum procedere. Ex generatione procedere idem videtur quod in procedendo principalem procedendi modum habere. Sine generatione procedere, idem videtur quod in procedendo principalem procedendi modum omnino non habere. Generationem, nativitatem, processionem per omnia oportet intelligere, pro modo et dignitate tantæ excellentiæ et proprietatis supereminentis naturæ. Si igitur quæris quis sit producendi modus, ille pro certo quem superius jam diximus. Producendi procul dubio qui est ipsa omnipotentia, idem erit de se alium producere, quod ex ordinatissima causa idipsum velle. Ex principaliori autem causa id velle, idem erit quod generare. Nam, cum uterque procedendi modus constet in voluntate, differunt tamen pro causæ alietate, unde et in causa principaliori, constat principalior modus procedendi. Vultis super his, quæ diffusius jam diximus, audire verbum abbreviatum? Ingenitum velle habere de se sibi conformem atque condignum, idem mihi videtur quod gignere Filium. Tam genitum quam ingenitum velle habere condilectum, idem videtur quod producere Spiritum sanctum. In illo nota communionem honoris, in isto communionem amoris. Quod autem conformem diximus, diligens lector quærat attentius, ne forte ad id referri valeat vel debeat, in quo juxta quamdam proprietatum conformitatem solus Filius Patris imaginem portat.

CAPUT XVIII.

Item docetur alia ratione, quid sit Patri Filium generare.

Sicut jam superius notavimus, paupertas humanæ loquelæ compellit nos sæpe dictionum significationem variare. Hinc est illud, ut jam diximus, quod generationis significationem modo extendimus, modo restringimus, quod dictum est de generatione, idem dicimus et de processione. Quod enim dicimus procedere, non utique solemus uniformiter accipere. Quantum ad generalem acceptionem, idem esse videtur gigni, quod existens de existendi secundum naturalem operationem produci. Juxta hanc acceptionem solus in Trinitate Pater ingenitus dicitur, Spiritus sanctus ingenitus esse negatur. Productio autem existentis de existente, pro diversis naturis, procul dubio invenitur esse multiformis. Præ cæteris autem omnibus pro dignitate naturæ, ille productionis modus præcipuus videtur, qui secundum naturalem (qui inanimatis inesse non potest) appetitum agitur, et secundum quem solum genitor et pater dicitur ille qui generat, genitus et filius ille

Digitized by Google

qui generatur. Juxta hanc considerationem possumus dicere, quod idem videtur esse naturalis productio animantis de animante in conformitatem substantiæ, quod parenti prolem generare. Non autem omnis productio animantis de animante secundum operationem naturæ, potest in hac definitione concurrere. Vermis enim cum ex homine nascitur, quis cum hominis prolem, vel hominem ipsius parentem fateatur. Sciendum est autem quod si homo non peccasset, si naturæ suæ integritatem servasset, in producenda prole duceretur quidem non tam secundum appetitum animalem quam secundum consensum rationalem. Esset itaque homini in generis sui propagatione, non tam appetitiva quam votiva productio prolis, juxta conformitatem imaginis suæ. Si itaque homo primordialis puritatis integritatem servasset, ad divinæ similitudinis rationem in ejusmodi magis accederet. Sed ut ad id redeamus, propter quod et ista interposuimus, videtur idem esse Deo Patri Filium gignere, quod personam de sua substantia naturaliter, et pro voto producere juxta singularem quamdam configurationem proprietatis suæ. Commune est omnibus in illa Trinitate plenitudinem divinitatis habere. Proprie proprium autem Spiritui sancto habere, nec personæ alicui dare. Commune autem Patri et Filio tam habere quam dare. Merito quidem ejus Filius dici debuit, cui Pater hanc proprietatis suæ figuram et imaginis formam intime impressit, et plene expressit. Propter hanc conformitatis expressionem solus Filius imago Patris dicitur, propter hoc solus Filius figura substantiæ illius recte nominatur. Quoniam ergo Pater in producendo Spiritum sanctum ei, ut sic dicam, imaginis figuram non impressit, ejus Filius dici non debuit, quamvis de eo naturaliter processerit. Sicut non in omni processione existentis de existente secundum operationem naturæ, solet usus uni prolis, alteri parentis nomen accommodare.

CAPUT XIX.

Quod Spiritus sanctus non sit imago unigeniti, sed nec debeat ejus Filius dici.

Sed, sicut commune est Patri et Filio divinitatis plenitudinem naturaliter dare, sic est commune Filio et Spiritui sancto plenitudinem divinitatis a semetipsis non habere. Si igitur Filius recte dicitur Patris imago, propter proprietatis similitudinem quam habet cum Patre suo, cur non eadem ratione Spiritus sanctus dicatur imago Filii propter proprietatis similitudinem, quam habet cum ipso? Itaque tam Filio quam Patri videtur esse commune de sua persona personam producere ad imaginem similitudinis suæ, utrobique procedens de altero videtur esse producentis imago. Si igitur recte ingeniti Filius dicitur quem producit de se ad imaginem similitudinis suæ, cur Spiritus sanctus eadem ratione non recte dicatur Filius geniti, quem genitus producit de se sub imagine similitudinis suæ? Sed res rei imago dici non solet, pro eo quod utraque simile non habet, sed pro eo quod utraque simile habet. Quomodo ergo unus dicatur alterius esse imago ex eo quod uterque dicitur non habere? Neuter enim habet a semetipso esse, vel aliquid a semetipso. Alioquin lapis recte dicitur imago hominis, et homo recte dicitur imago lapidis, quoniam neuter a semetipso habet quod habet, sed nec habere valet. Quod quam frivolum sit nemo non intelligit. Sed dicis ad ista fortassis, sicut, commune est Patri et Filio divinitatis plenitudinem dare, sic Filio et Spiritui sancto commune est eamdem plenitudinem accepisse. Cur ergo eadem affinitas germanitatis utrobique non ascribitur alterutris, propter conformitatem alternæ similitudinis? Sed notandum quod sua Spiritus sancti acceptio est ei tam a Patre quam a Filio. Sed pro accipiendo non potest dici Patris imago, qui nihil omnino accipit ab alio aliquo, cum sit unius in hoc ad alterum dissimilitudo magis quam similitudo. Non ergo ex eo in quo ei dissimilis est, ejus imago, vel ejus Filius recte dici potest. Sed si non est Filius unius, nec debet dici Filius alterius, quoniam germanitatem quam habet ad unum, eamdem procul dubio habet ad alterum, eo quod uniformiter omnino procedat tam ab ingenito quam ab unigenito, et totum quod accipit ab uno, accipit ab alio, et eodem modo. Denique ex eo quod dicitur Spiritus sanctus omnem plenitudinem accepisse, ostenditur a semetipso non habere. Et ex eo, ut jam diximus, quod dicitur non habere, non recte dicitur alterius imago esse. Sed ubi ad imaginem et similitudinem producentis procedens non gignitur, juxta usum loquendi, nec Pater qui gignit, nec Filius dicitur qui generatur. Legitur de Adam : *Quod genuerit ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen.* v). In sola autem hujusmodi generatione, solet usus dicta illa principalia germanitatis nomina accommodare. Ex his itaque quæ dixi colligitur, quod Spiritus sanctus non sit imago unigeniti, sed nec ejus Filius debeat dici.

CAPUT XX.

Quod ibi sit quærenda imago paterna ubi est mutua congruentia non sine aliqua differentia, nec differentia sine mutua congruentia.

Existimabit forte aliquis, quod Filius idcirco dictus sit imago Patris, quod ei sit in potentia, sapientia et bonitate per omnia similis et omnino æqualis. Sed si ex hac consideratione diceretur Filius imago Patris sui, cur non eadem ratione Spiritus sanctus dicitur imago Patris simul et Filii? Nam, ubi dictum est : qualis Pater, talis Filius, statim adjunctum est, talis Spiritus sanctus. Ubi præmittitur : omnipotens Pater, omnipotens Filius, illico subjungitur : omnipotens Spiritus sanctus. Dicitur quia Deus Pater, Deus Filius, ubi etiam adnectitur quod Deus sit Spiritus sanctus. Si Filius itaque dicatur imago Patris pro hujusmodi similitudine vel æqualitate, quare non oportet de Spiritu sancto pro similibus similia sentire?

Sed valde notandum et cum summa diligentia

Digitized by Google

considerandum quid pro capacitatis nostræ exiguitate de divinis dicatur minus proprie, vel quid magis dicatur expresse. In Scriptura siquidem sacra multa quidem, et velut ex industria, minus proprie dicuntur, ut ab exiguitate nostra facilius capiantur. Sæpe autem ea quæ dicit minus proprie solet evidentiori expressione corrigere. Hinc est quod ubi præmittitur æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus, quasi ad veritatis expressionem statim adnectitur, et tamen non tres æterni, sed unus æternus. Sic sane ubi dictum est omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus, subsequenter quasi corrigendo adjungitur, et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Dicto similiter quia Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, statim subjungitur, et tamen non tres dii, sed unus est Deus. Ubi itaque est simplex unitas, et summa simplicitas, quid ibi facit qualis, et talis? Nihil recte dicitur sibi ipsi æquale. Ubi vera unitas est, non tam æqualitas quam identitas convenienter dici potest. Pater potentia est, Filius potentia est, Spiritus sanctus potentia est, nec tamen nisi una et eadem potentia Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Quod dicimus de divina potentia, idem et de divina sapientia, idem per omnia et de divina substantia. Neque est aliud Dei potentia vel sapientia quam ejus substantia. In humana natura substantia Filii convenienter dici potest imago Patris sui, quoniam alia est substantia Patris, alia Filii. In divina autem natura, una eademque substantia est Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quæ igitur comparatio esse potest, ubi vera unitas est? In summa namque simplici unitate non potest similitudo vel dissimilitudo inesse. Imago paterna est inquirenda, ubi est mutua congruentia, non sine differentia aliqua, nec differentia sine quam maxima convenientia. Oportet itaque ad proprietatum considerationem recurrere, qui ista de quibus loquimur cupit plenius agnoscere. Est autem, ut sæpe jam diximus, omnibus commune plenitudinem divinitatis habere. Proprium vero est Patri non accepisse, sed dare, proprium est Filio tam accepisse quam dare. Convenientia itaque est in dando, differentia vero in accipiendo. Quomodo autem in hac mutua convenientia Patris imaginem Filius gestat, sicut superius docuimus, aperta ratio demonstrat.

CAPUT XXI.

Qua ratione Dei Unigenitus dicitur figura substantiæ ipsius.

Opus est alta consideratione, si cupimus certius agnoscere qua ratione Deus Dei Filius dicatur figura substantiæ illius. Ubi nominatur figura alicujus substantiæ, possumus hoc ipsum, ni fallor, duobus modis intelligere. Nam, si ad humana recurrimus, ut per speculum videre possimus, alia videtur hominis figura, quæ ejus substantiam informat, et alia est figura imaginis, quæ eum repræsentat. Utraque tamen figura est, utraque ipsius figura dici potest. Ubi itaque est gemina substantia, potest esse hinc informans, illinc repræsentans figura. Sed Patris et Filii est una eademque substantia. Juxta itaque hunc modum, non potest Filius dici paternæ substantiæ figura. Sed si non potest dici figura juxta hunc modum repræsentans, nunquid dici poterit figura informans? Sed si Filius Patrem informaret, eum utique eo ipso formosum redderet, et tunc non tam Filius a Patre, quam Pater a Filio pulchritudinem acciperet. Sed in hoc nec ratio consentit, nec fides catholica hoc recipit, testante Veritate, didicimus: *Quoniam Spiritus est Deus* (*Joan.* IV). Super his itaque quæ quærimus spiritualem naturam interrogemus. Spiritualis autem natura est anima tua, anima vero tua, aut formosa est, aut deformis ex voluntate sua. Formosam facit voluntas bona, deformis fit ex voluntate mala. Formosam eam facit sua benignitas, deformem sua malignitas. Ex his licet perpendere quæ sit figura spiritualis substantiæ. Procul dubio, dante Domino, eadem perfectionis forma potest informare animam tuam et animam meam. Si itaque juxta voluntatis similitudinem, Patris ac Filii conformitatem vel configurationem quærimus, absque dubio et sine omni contradictione inveniemus quod sicut Pater vult habere personam procedentem de se, cui possit impensæ sibi dilectionis delicias communicare, ita et Filius per omnia similiter et habere vult, et habet pro voluntate. Sicut ergo superius diximus de imagine, sic et configuratio colligenda est ex proprietatum consideratione. Ubi, ut jam diximus, invenitur mutua convenientia, nec tamen sine aliqua differentia sine quam maxima convenientia.

CAPUT XXII.

Quod ea quæ de ingenita et genita substantia, secundum catholicam fidem a sanctis Patribus accepimus, credere debeamus, quamvis quam vera sint interim per intelligentiam capere nequeamus.

Sed dicis ad ista fortassis: Ubi non est pluralitas, non potest esse conformitas. In vera autem Divinitate nulla est pluralitas substantiarum, cum tamen veraciter ibi sit pluralitas personarum. Quid ergo est, quod Filius dicitur figura paternæ substantiæ, et non potius paternæ personæ? Nam, sicut dictum est, non potest dici paternæ substantiæ figura quasi ipsum informans, nec, si utriusque est una eademque substantia, videtur posse dici figura paternæ substantiæ figuram repræsentans. Sed notandum quoniam quod dicitur Filius ab Apostolo: *Figura paternæ substantiæ* (*Hebr.* I), idem valet, ac si diceretur figura substantiæ ingenitæ. Nihilominus autem si diceretur figura ingenitæ substantiæ, idem esset ac si diceretur figura ingenitæ personæ. Si Patrem dicis, si ingenitam substantiam, si ingenitam personam nominas, eamdem procul dubio personam designas. Procul dubio nihil aliud est Patris persona quam substantia ingenita, nihil aliud Filii persona quam substantia genita. Sed multi temporibus nostris surrexere, qui non audent hoc dicere, quin potius quod multo periculosius est, contra sanctorum

Digitized by Google

Patrum auctoritatem, et tot attestationes paternarum traditionum audent negare, et modis omnibus conantur refellere, nullo modo concedunt quod substantia gignat substantiam, vel sapientia sapientiam. Pertinaciter negant quod omnes sancti affirmant, ad id quod ipsi dicunt, auctoritatem invenire non possunt. Afferant, si possunt, auctoritatem, non dicam plures, sed saltem unam, quæ neget substantiam gignere substantiam. Nam ad hoc quod dicimus, auctoritates multas etiam ipsi adducunt, et in morem Goliæ gladium ex quo jugulentur deferentes, ad certamen procedunt. Sed sic intelligendum est, inquiunt, quod Patres dicunt, bene Patres dicunt quod substantia substantiam gignit, nostra expositio ad hoc contendit ut credamus quod substantia substantiam non gignit. Fidelis expositio et omni acceptione digna, quæ hoc quod sancti Patres pariter clamant contendit esse falsum, et quod nemo sanctorum asserit contendit esse verum. Sed dicunt : Si Filii substantia est genita, Patris vero ingenita, quomodo utriusque erit una eademque substantia? Absque dubio substantia Filii est genita, substantia Patris ingenita, nec ingenita substantia est genita, nec genita est ingenita. Nec tamen sequitur ut ibi sit alia, et alia substantia, sed alia et alia persona. Pro certo aliter est in natura divina, et aliter in natura humana. In humana natura si substantia alicujus unius sit genita, alterius vero ingenita, absque omni contradictione consequens erit, ut alia sit substantia unius, et alia omnino substantia alterius. In divina vero natura, procul dubio unius substantia est ingenita, alterius genita, nec tamen consequens est ut alia sit substantia unius, et alia alterius, sed ut alia sit persona istius, et alia persona illius. Non capio, inquit, non intelligo ; sed quod per intelligentiam capere non potes, per fidei devotionem credere potes. Alioquin tibi, tuisque similibus dicitur : *Si non credideritis, non intelligitis* (*Isa.* VII). Cur non creditis quod universalem Ecclesiam quotidie de Christo confitentem agnoscitis? Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus. Sed forte non vultis hoc credere, eo quod non potestis exemplo probare, vel per intelligentiam capere. Nunquid per intelligentiam capitis, vel exemplo probatis, quod unitas substantiæ possit esse in personarum pluralitate, et personarum pluralitas in unitate substantiæ? Nunquid magis excedit humanam intelligentiam illud quod pertinaciter negatis, quam istud quod nobiscum veraciter affirmatis? Si vero ejus assertionis enodationem nostis quam astruitis, cur eam in lucem non profertis? Cur eam fratribus invidetis? Et si vos latet utriusque enodatio, cur creditis sanctis Patribus in uno, et non æque eis creditis in altero? Si ipsis jure creditur, non aliud est Patris persona quam substantia ingenita, nec aliud Filii persona quam substantia genita. Ut autem breviter dicamus quod super proposita quæstione sentimus, in hoc genita substantia ingenitæ figuram gerit, quod eamdem quam ista de se personam, et eodem modo producit, et ejusdem doni causa et origo, auctor et principium existit. Eadem sane totius plenitudinis largitio per omnia manat, tam ab una quam alia, tam a genita quam ab ingenita substantia.

CAPUT XXIII.

Qua ratione convinci possit, quod de ingenita substantia, et genita catholica fides tradit.

Quando ad sublimium et invisibilium investigationem et demonstrationem nitimur, similitudinum scala libenter utimur, ut habeant qua ascendere possint, qui contemplationis pennas nondum acceperint. In illa itaque natura quam ad divinam imaginem et similitudinem factam agnovimus, divinum simile libenter quærimus, et elicimus unde a divinorum intelligentiam sublevari valeamus. Ecce sint duo quorum unus alicujus rei scientiam, vel alicujus artis notitiam per seipsum excogitando invenit, et quidquid inde advenire potuit alteri tradidit, et ad plenum et ad integrum erudivit. Quid ergo? Nunquid non eadem scientia eadem veritas absque ambiguitate aliqua constat esse tam in corde unius quam in corde alterius? Alioquin alium non docuit scientiam, quam alter invenit. Ecce unus eorum scientiam tradidit, alter accepit. Vides certe quod unius scientia sit ab alio accepta, illius, ut sic dicam, omnino inaccepta. Nunquid tamen aliud aliquid est ista quam illa? Si quidquid veritatis est in ista, totum nec aliud est in illa, procul dubio utriusque scientia erit essentialiter una. Constat tamen nihilominus quod accepta scientia non sit inaccepta, nec inaccepta possit dici accepta, cum tamen inaccepta et accepta, ut dictum est, sit essentialiter una. Ex hac rerum, ut credo, speculatione possumus perpendere quid oporteat de divinis sentire. Huic ergo speculæ innitendo videamus, si ex his quæ nobiscum credunt convinci possit, quod de ingenita substantia quidam necdum crediderunt. Credunt nobiscum quod Pater quidquid habet, a semetipso habet. Credunt nobiscum, quod Filius a Patre accepit quidquid ab æterno habuit. Constat itaque quod plenitudinem sapientiæ Filius accepit a Patre. Concedunt nobiscum, quod non sit alia sapientia Patris, et alia sapientia Filii, sed una eademque per omnia tam Patris quam Filii. Nihilominus tamen constat quod sapienti Filii sit accepta, sapientia Patris inaccepta. Constat æque quod inaccepta non sit accepta, nec accepta sit inaccepta, cum tamen tam accepta quam inaccepta sit procul dubio essentialiter una. Quis adeo simplex vel hebes ut neget de sapientia divina quod possibile videt in scientia humana? Sed, ut adhuc diligentius huic speculationi insistamus, illud in commune omnes novimus, quoniam Filius habet esse a Patre ex Patris generatione : si ex generatione habet esse, ergo et sapere : nam non aliud est ei esse et aliud sapere. Unde itaque est ei essentia, inde et sapientia. Quod autem accepit esse ex generatione, constat et ipsum genitum esse. Constat quod Filii sapientia, vel potius Filius, sapientia sit ex Patre genita. Nec

Digitized by Google

aliud est Patrem Filio sapientiam dedisse, vel Filio accepisse, quam Patrem eum qui sapientia est genera-sse. Pater siquidem Filio et generando donat, et donando generat. Recte ergo de Filio dicitur, quod sit genita sapientia, sicut et de Patre quod sit sapientia ingenita. Nihil vero omnino sapit unus, quod non æque sapiat et alius. Utrobique itaque una eademque sapientia, cum tamen nec ingenita sit genita, nec genita sit ingenita. Si vero Filius est genita sapientia, consequenter et genita substantia. Neque enim aliud est ejus sapientia, quam ejus substantia. Quod igitur dictum est de genita et ingenita sapientia, juxta eamdem consequentiam concedere oportet de genita et ingenita substantia. Frustra itaque quidam timent dicere, quod substantia gignat substantiam, sapientia sapientiam, et quod Pater sit substantia ingenita, Filius substantia genita, quasi inde convinci possit, quod alia substantia sit ingenitus, alia sit genitus. Sicut enim superius jam diximus, ex eo quod Pater est substantia ingenita, Filius genita, non ex eo sequitur quod sit alia et alia substantia, sed prorsus alia et alia persona.

CAPUT XXIV.

Ex qua consideratione possumus colligere, quod geminatio personæ possit esse sine geminatione substantiæ.

Sed, ut plenius elucescat quod de geminatione personæ, sine geminatione substantiæ jam diximus, superius posito exemplo adhuc diligentius insistamus. Superius docuimus quod una eademque scientia possit esse in duobus, si artis alicujus notitiam quam unus apprehendit, alterum ad plenum docuerit. Si itaque nomen doctrinæ tam passive quam active accipiatur, ut doctrina dicatur tam ejus qui docet, quam ejus qui docetur, profecto si hoc gemino modo doctrinam accipiamus, alia erit doctrina unius, et alia absque dubio doctrina alterius. Sicut scientia dicitur ab eo quod est scire, sic sane doctrina ab eo quod est docere. Utrobique est idem scire, utrobique autem non est idem docere : nam unus docet, alter docetur ; unus erudit, alter eruditur. In uno itaque est doctrina docens, in altero doctrina discens. Alia ergo est doctrina unius, et alia alterius. Juxta hunc itaque modum alia potest esse doctrina tua, et alia mea, quamvis utrobique tam in discendo quam in docendo sit una eademque scientia. Et si idem esset utrique nostrum substantia sua quod scientia sua, posset esse utrique substantia una sicut et scientia una. Et si utrique nostrum idem esset persona sua quod doctrina sua, esset utique persona sicut doctrina unius una, et alterius altera. Si scientia mea originem trahit ex tua, nonne suo quodam modo una gignitur ex alia ? Si in humana natura scientia ex scientia gignitur, cur in divina natura non multo rectius sapientia sapientiam gignere dicatur, ubi sapientia idem quod substantia omnino esse convincitur ? Sicut in humana natura scientia docens et scientia edocta, est una eademque scientia, verumtamen alia et alia doctrina ; sic in divina natura, sapientia gignens et sapientia genita est una eademque sapientia, et quod consequens est una eademque substantia, verumtamen alia et alia persona. Sicut itaque in humana natura ex eo quod unius scientia est accepta, alterius inaccepta, nec accepta sit inaccepta, nullatenus sequitur quod sit in eis alia et alia scientia, sed alia et alia doctrina ; sic in natura divina, ex eo quod unius substantia est genita, alterius ingenita nec genita sit ingenita, nullo modo sequitur quod ibi sit alia et alia substantia, sed alia et alia persona.

CAPUT XXV.

Ex qua consideratione et quasi per exemplum confirmatur, quod de Trinitate et unitate a catholicis creditur.

Dictum est de Patre quod sit substantia ingenita. Dictum est de Filio quod sit substantia genita. Dicendum est de Spiritu sancto quod sit substantia nec genita, nec ingenita. Quomodo autem hoc sit intelligendum ex superioribus est manifestum. Sed, quamvis solus Pater dicatur substantia ingenita, solus Filius substantia genita, solus Spiritus sanctus substantia nec genita, nec ingenita, nihilominus tamen Patris, et Filii, et Spiritus sancti est una eademque substantia, sicut una eademque sapientia. Nam, sicut sæpe jam dictum est, non est aliud aliquid divina substantia, et aliud aliquid divina sapientia. Nam et ad hoc ipsum quod modo loquimur, paulo latius explicato superiori exemplo informamur. Ecce sunt tres aliqui quorum unus scientiam aliquam invenit et docuit, alter ab eodem inventore didicit et scripsit, tertius legit et intellexit : primus habet a semetipso, secundus a solo primo, tertius tam a primo quam a secundo. Nam ex eo quod primus eam invenit, et alter scripsit, ad tertii notitiam pervenit. Si itaque eadem intelligentiæ veritas plena et integra est in omnibus, nunquid quantum ad essentiæ veritatem alia scientia est alicujus unius, et alia alicujus alterius. Denique, si ille qui didicit audiendo didicisset legendo, vel ille qui didicit legendo didicisset audiendo, nunquid scientia consecuta erit in alterutris alia et alia ? Si ergo in tribus personis potest esse una eademque scientia, quare in tribus illis Trinitatis divinæ non multo magis credatur esse una et eadem sapientia ? Nec tamen sapientia accepta ab uno solo, est sapientia non accepta ab aliquo, nec accepta a duobus est sapientia, vel accepta ab uno solo. Absque dubio tamen in his omnibus nonnisi una eademque sapientia, et, quod consequens est, nonnisi una eademque substantia. Substantia tamen Patris, sicut et sapientia, non est ei ab alio aliquo ; substantia Filii, a Patre solo ; substantia Spiritus sancti, tam a Patre quam a Filio : et quæ de sapientia dicta sunt per omnia et de substantia dici possunt, quoniam sapientia et substantia in divinis non aliud et aliud ponunt. Et si scientia eruditi inde disciplina dicatur, quod ad plenum discatur, ut idem intelligatur disciplina quod, ut sic dicatur, discentia

Digitized by Google

plena; et si id quod disciplinam discimus ad modum discendi referamus, juxta hanc utique acceptionem alia est disciplina discentis excogitando, alia discentis audiendo, alia autem discentis legendo. Ecce hanc acceptionem, ut vides, in humana natura potest esse disciplina trina, ubi non est nisi una eademque scientia? Quid ergo mirum si in illa natura, ubi est substantia idem ipsum quod sapientia; quid, inquam, mirum, si ibi est persona trina ubi non est nisi una sola substantia? Ecce quam plano et aperto exemplo confirmatur quod de divina unitate vel Trinitate fides catholica confitetur. Item illud consideremus, quoniam si ego, et tu, et alius tertius eamdem, et omnino æqualem scientiam haberemus, nunquid majus aliquid esset mea et sua quam sola tua, vel mea et tua quam sola sua, vel sua et tua quam mea sola? Denique mea, et tua, et sua, nunquid majus aliquid erunt quam sola mea, vel sola tua, vel sola sua? Quis hoc dicat, nisi quod dixerit minime intelligat? Sic sane in illa Trinitate quælibet duæ personæ vel totæ tres, majus aliquid non sunt pariter acceptæ, quam sola persona ingeniti vel sola persona unigeniti, vel sola persona Spiritus sancti. In hujus nostri operis calce illud replicare et memoriæ commendare volumus, sicut ex superioribus satis evidenter ostendimus, quod ompotentiæ consideratione facile convincitur, quod non sit, sed nec esse possit Deus nisi unus, ex bonitatis plenitudine, quod sit personaliter trinus; ex plenitudine vero sapientiæ liquido colligitur quomodo conveniat unitas substantiæ cum personarum pluralitate.

DE TRIBUS APPROPRIATIS PERSONIS IN TRINITATE.

Ad divum Bernardum abbatem Clarevallensem.

Quæris a me, mi Bernarde, quid mihi videatur de illa Augustini sententia, in qua attribuitur Patri unitas, Filio æqualitas, Spiritui sancto utriusque concordia. Libenter aperio mihi alteri quod sentio, communicare volens si quid recte, vel ex quantulacunque parte sapio, simul et corrigi ambiens, si quid aliter sentio: propria, si placet, singulorum consideremus, et forte illucescet quod quærimus. Subsistentia ingeniti, quæ ab alia aliqua non est, in eo quod substantialiter vel personaliter est, nullam pluralitatem ingerit, nullam pluralitatem concludit: nam in eo quod gignit, nihil sibi, sed soli Filio confert, ut sit geniti autem subsistentia, quæ ab alia accepit quod habet, sicut nec esse per seipsam, sic nec per seipsam intelligi valet. Si igitur pluralitatem ingerit subsistentia Filii, quanto magis quæ a duobus est subsistentia Spiritus sancti? Recte igitur unitas Patri attribuitur, in cujus subsistentiæ consideratione nulla pluralitas concurrere videtur. Addamus et illud, quia, quidquid substantialiter dici potest, veraciter unum est. Sed dicis, quia et hoc ei cum cæteris commune est, sed procul dubio solus Pater habet hoc secundum, ut sic dicam, principalitatem: nam cæteri secundum acceptionem, et juxta alterius similitudinem. Hinc ergo colligitur cur ei unitas juxta hanc considerationem quasi specialiter attribuitur. Ecce quomodo in Patre unitas, quæramus quomodo in Filio æqualitas. Certe ubi nulla pluralitas est, nec æqualitas recte vel dici, vel intelligi potest. Sicut enim nihil recte dicitur sibi simile, sic nec æquale. Itaque ubi primo pluralitas occurrit, ibi et æqualitatem primum quærere oportebit. Constat autem quia Filius imago est Patris sui, non autem Pater imago Filii. Hinc illud Augustini. Non autem Pater et Filius simul ambo imago, sed Filius solus imago Patris. Audi et illud ejusdem. Imago si perfecte implet illud cujus imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ. Certum est autem quod Filius plenitudinem ejus capit et exprimit, cujus imago existit. Itaque secundum sententiam Augustini, Filius coæquatur Patri, non Pater suæ imagini. Recte igitur æqualitas attribuitur non Patri, sed Filio. Sed cur, inquis, non etiam Spiritui sancto? Sed si des cur solus in Trinitate Filius dicitur imago alterius, consequenter accipies cur æqualitas attribuatur soli Filio, non autem simul et Spiritui sancto. In his vero quæ secundum substantiam dicuntur, non solum Filio, sed et Spiritui sancto æqualitas attribuitur, sed secundum principalitatem habet hoc solus Filius, non autem Spiritus sanctus. Verumtamen si in hujusmodi loquendi proprietas servaretur, magis identitas quam æqualitas diceretur. Ecce jam habes cur unitas Patri, cur æqualitas attribuatur Filio; restat quærendum cur utriusque concordia attribuatur Spiritui sancto. Sicut qualitas nulla est sine consistentium pluralitate, sic nec quid tertium ponitur concordia duorum, sine consistentium Trinitate. In Patre origo unitatis, in Filio inchoatio pluralitatis, in Spiritu sancto completio Trinitatis. Hinc tibi elucescere debet, quam merito dicatur cæterorum concordia, ille qui est tertia in Trinitate persona. Consideremus nunc propria singulorum, et videbimus quia alia est habitudo Patris ad Filium, alia ad Spiritum sanctum. Nihilominus aliter se habet Filius ad eumdem Spiritum, et aliter ad Patrem suum. Uniformiter autem habent tam Pater quam Filius ad Spiritum amborum, et e converso uniformiter se habet idem Spiritus tam ad Patrem quam Filium. Recte ergo cæterorum concordia dicitur, in quo habitudinis uniformitas omniformiter invenitur. Addamus et illud, quia plenitudinem concordiæ facit idem velle, et idem nolle, recte itaque duorum concordia dicitur, qui est

Digitized by Google

amor utriusque. Cur autem amor potius quam amborum sapientia dicitur, alia quæstio videtur. Nunc vero videamus quomodo intelligendum sit, quod Augustinus ad illa superius posita, et exposita adjungit, cum dicit : Et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum. Si sola ingeniti persona fuisset nihilominus in divinitate unitas esset. Primordialiter itaque est, ut sic dicam, unitas in solo ingenito, sed juxta ejus similitudinem, vel emanationem tam in unigenito, quam in Spiritu sancto. Item, si sola ingeniti persona esset, nulla in divinitate æqualitas fuisset; et si sola Spiritus sancti persona deesset, nihilominus in divinitate æqualitas fuisset. Hinc est perpendere quæ æqualitas primordialiter est in solo unigenito, juxta tamen ejus similitudinem est etiam in Spiritu sancto. Tolle Spiritum sanctum, non erit in divinitate qui sit connexio plurium. Sed forte adhuc exigis cur, existente Trinitate, omnium connexio attribuatur soli Spiritui sancto. Sed scimus quoniam reliqui duo differenter se habent ad unigenitum, solus autem Spiritus sanctus indifferenter se habet tam ad ingenitum quam ad genitum, et ambo illorum uniformiter se habent ad Spiritum sanctum. Singulariter itaque omnium connexio attribuitur Spiritui sancto. Singulariter, inquam, quantum ad reliquas in divinitate personas, primordialiter etiam quantum ad creaturas. Nam quod in creaturis connexio solet inveniri est de imitatione, vel similitudine Spiritus sancti. Ne mireris quod hæc quæ supradicta sunt per remotionem posuimus, ut ea quæ sentienda sunt planius et plenius intelligamus. Primordialiter itaque unitas pertinet ad ingenitum et idcirco in Trinitate omnia unum propter ipsum. Æqualitas primordialiter pertinet ad unigenitum, et idcirco in Trinitate omnia æqualia propter ipsum. Connexio singulariter pertinet ad Spiritum sanctum, et ideo in Trinitate omnia connexa propter ipsum.

Cur attribuatur potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto.

Addis adhuc ut quæras quid mihi causæ videtur cur potentia Patri in Scripturis sanctis specialius attribuitur, sapientia Filio, charitas vel bonitas Spiritui sancto. Si non dixero nisi quod in codicibus vestris invenitur, forte superfluum judicabitur; si quid aliud forte exsufflabitur, irridebitur. Merito ejusmodi timere debuissem si nescirem apud quem in aure loquens sermonem seu sensum meum effunderem. Tibi utique; tibi, inquam, libenter dico quod sentio. Quid sit potentia, quid sit sapientia, quid charitas vel bonitas omnes in commune novimus, et quotidiano experimento probamus. In his itaque quæ manifesta et nobis nota sunt eruditur, ni fallor, ad eorum notionem quæ humanæ capacitatis modum excedunt. In his enim tribus forma quædam et imago summæ Trinitatis exprimitur, et quoddam nobis velut speculum proponitur, ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciantur. Quæ igitur sunt in Trinitate ista, respondent his quæ sunt in Trinitate illa, tria tribus, similia similibus, propria propriis, singula singulis. Videmus quia potest esse multiplex potentia etiam ubi nulla est vel esse potest sapientia. Taceo de elementis, vel quibuslibet rebus insensatis. In rebus autem animatis et brutis est potentia audiendi, videndi, potentia ambulandi, comedendi et bibendi, etc. hujusmodi, in his vero nulla sapientia est, nulla naturaliter inesse potest. Constat ergo, quod superius jam dictum est, quia potest esse multiplex potentia ubi nulla potest esse sapientia. Econtra autem ubi nulla potentia est, nulla sapientia inesse potest. Nam posse sapere absque dubio est aliquid posse. Dat itaque esse posse non sapientiæ potentiæ, sed potentia sapientiæ. Item, constat quod Lucifer ille, qui mane oriebatur, multam habet potentiam, multam sapientiam, sed nullam omnino voluntatem bonam. Bonitatis est autem bene velle. Quid est enim bonitas nisi bona voluntas? Testis itaque est Lucifer ille obduratus in sua perversitate quod possit esse multiplex potentia simul et multiformis sapientia, ubi nulla manent bonitatis vestigia. Econtra autem nulla bonitas inesse poterit ubi sapientia vel potentia omnino defuerit. Nam posse bene velle est aliquid posse. Sapientiæ vero est discernere inter bonum et malum, et sine hujusmodi discretione nescit voluntas quid sit eligendum. Ut possis ergo bonitatem habere, oportet ut scias et valeas bonum eligere. Potentia dat posse, sapientia dat nosse, sine quibus bonitas non prodest ad esse. Contrahit itaque suum esse bonitas non tam a sapientia quam potentia. In hac itaque rerum Trinitate sola potentia non est de reliquarum aliqua, sapientia autem est de potentia sola, bonitas vero de potentia simul et sapientia. Vides certe quomodo in hac rerum Trinitate expressæ sunt proprietates Trinitatis illius summæ et æternæ. Ibi est persona ingeniti quæ non est ab alio aliquo; ibi est persona geniti, quæ est ab ingenito solo; ibi est persona Spiritus sancti, quæ est tam a genito quam ab ingenito. Quoniam ergo in potentia exprimitur proprietas ingeniti, speciali quodam considerationis modo merito ascribitur illi. Sed quoniam in sapientia exprimitur proprietas geniti, merito et illa juxta eumdem modum ascribitur ipsi. Item, quia in bonitate proprietas Spiritus sancti invenitur, merito et ei bonitas specialius assignatur. Ecce quomodo ex hac rerum Trinitate surgit consideratio ex qua per exemplum ostenditur qualiter quod de divinis proprietatibus legitur intelligi valet. Sed ex eadem rerum speculatione consideratio oritur longe ista sublimior, ex qua ratiocinando colligitur quod idem ipsum omnino fateri oportet. Sed in his metam figimus quoniam quæstioni vestræ nos satisfecisse jam credimus.

Digitized by Google

LIBER DE VERBO INCARNATO,

In quo ostendit acutissime, quantum humana mens capere sufficit, necessarium fuisse Deum incarnari, nullamque personam congruentius quam Filii,

AD DIVUM BERNARDUM CLARÆVALLENSEM ABBATEM.

CAPUT PRIMUM.

« Ad me clamat ex Seir : Custos, quid de nocte? « custos, quid de nocte? Dixit custos : Venit mane « et nox. Si quæritis, quærite ; convertimini, et « venite (*Isai.* XXI). » Hæc sunt quæ mihi exponenda proponis, et fatuitatem meam fatigare non erubescis. Verba hæc, ut verum fatear, videntur mihi valde profunda, et propter sui subtilitatem (si bene intelligantur) non minus jucunda. Scio, scio, nec fateri pudet supra facultatem meam esse eorum profunda penetrare, et hoc ipsum quod in eis somnio nescio si potero, prout oporteret, verbis idoneis explicare : Ad me clamat ex Seir. Seir ipse est qui Edon vel Esau dicitur, a quo terra Idumæa etiam Seir nominatur. Esau autem et Jacob qui et Israel, fratres fuere, et ab illo Idumæi, ab isto Israelitæ. De his duobus fratribus dictum a Domino per prophetam legimus : *Jacob dilexi, Esau odio habui* (*Malac.* I). Jacob itaque electus, Esau reprobatus. Israelitæ, filii electionis, Idumæi, filii reprobationis. Sed, o miranda mutatio et miseranda vicissitudo! clamant ad Dominum filii alieni, non clamant ad ipsum quos elegit in hæreditatem sibi. Ad exprobrationem itaque eorum qui sunt in Judæa dicitur quid actitatur ab eis qui sunt in Idumæa. Idumæus clamat, Judæus tacet ; ille supplicat, iste silet ; ad me clamant ex Seir. Ex monte Seir clamatur, in monte Sion tacetur. Illinc clamant confitendo, istinc tacent contemnendo. Clamantibus itaque Idumæis silent Judæi ; nec tamen omnes, sed multi. Sed clamantium multi clamant non ad Deum suum, sed ad Deum alienum. Ad ignominiam ergo eorum qui ejusmodi sunt improperatur quod eis nunc per exprobrationem dicitur. Ad me, ad me, inquam, clamat ex Seir. Infelix Judæe et infatuate, alieni clamant ad Deum tuum, tu vero clamas ad Deum alienum ; illi ad Deum verum, tu ad Deum falsum. Ad me clamat ex Seir.

Nota quid dicat : Non dicit clamant, sed clamat. Non dicit ille, aut ille nec aliquem exprimit determinate, sed indefinite ponitur, ne singulariter aliquis vel unus tantum intelligatur. Intellige itaque indefinite dictum tam secundum quantitatem quam secundum qualitatem personarum, et commendatur in hoc unitas supplicantium. Multos facit unum, cor unum et anima una. Multos facit unum intentio una, devotio una. Et, sicut ejus qui personaliter unus est unitas scinditur qui per multos deos mentis dispersione dividitur, sic multi A unum sunt, et merito unum dicuntur cum in uno spiritu unum efficiuntur. Dicit igitur : Ad me clamat ex Seir. Unitas resipiscentium, unanimitas confidentium, ad me clamat ex Seir. Ad me, inquit, clamat. Non dicit, orat, non dicit supplicat, sed clamat. Quæ est ista exclamatio nisi intensa oratio, nisi devotionis magnitudo? Si cum multo desiderio oras, clamas. Quanto ferventius oras, tanto vehementius in Dei auribus clamas. Ex quo vehementius desiderium excrescit, eo excellentius clamor supplicationis, ascendit. Clamor itaque interioris hominis est fervens desiderium mentis. Hinc est quod Moysi a Domino dicitur : *Quid clamas ad me?* (*Exod.* XIV). Nihil dixisse legitur, et tamen clamasse perhibetur. Hujusmodi clamor cœlum penetrat, iram B placat, veniam impetrat, gratiam parat, Dominum reconciliat, juxta id quod in Psalmista legimus : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* (*Psalm.* X). Perpende, si potes, quid quantumve proficiat qui sic clamat.

CAPUT II.

Ad me clamat ex Seir. Non autem solummodo multi ex his qui Seir erant hujusmodi Dominum clamoribus interpellabant, sed etiam ex aliis nationibus innumeri in Christi adventum suspirabant, Christi adventum desiderabant; et cum omni desiderio exspectabant. Hinc est illud Jacobi patriarchæ de Christo vaticinium : *Et ipse*, inquit, *erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX). Horum omnium per mysterium figuram gestabant illi qui ad Dominum ex Seir C per devotionis suspiria clamabant. Nam illi ex Seir in eo cum cæteris nationibus unum erant quod omnes pariter a testamento Dei alieni exstiterant. Dicitur ergo de his qui alieni sunt secundum mentis devotionem. Ad me clamat ex Seir.

CAPUT III.

Sed ista quæ de antiquis audivimus, ex Dominica voce studeamus, etiam si placet, ob nostram utilitatem ad nostra tempora derivare. Ad me, inquit, clamat ex Scir. Quid est Seir? Seir interpretatur *hispidus* vel *pilosus*. Et ex eo quidem Esau est Seir dictus quod esset supra modum pilosus et in modum pellis hispidus. Et pilus quidem de carne oritur, sed carnis mensuram excrescendo longe super- D greditur. Sic sane desideria carnis de carnis quidem necessitate surgunt, sed nisi per temperantiam et parcimoniam moderantur, necessitatis et modestiæ metas excedunt. Ad pilos itaque pertinet

Digitized by Google

carnalis voluptas, sæcularis vanitas, et ejusmodi desideriorum qualiscunque superfluitas. Pilus sine læsione præciditur, sine læsione non avellitur. Sic absque dubio motus carnis sine periculo valet et debet amputari in superfluis, et tolerari in necessariis. Hinc est quod lenitæ jubentur pilos carnis suæ radere non avellere : nam desideria carnis oportet temperare, quæ non possumus exstirpare. Quasi igitur in Seir sunt qui superflua quærunt, superflua diligunt, et in omni superfluitate vivunt. Sive in religione sive extra fueris, si superflua sectaris, si superfluitate delectaris inter habitatores Seir computaris. Sed væ, tibi quisquis ibi es, et malæ securitatis confidentia taces. Væ tibi, si Seir inhabitas et ad Dominum non clamas. Clamat qui compungitur, clamat qui confitetur, clamat qui supplicat. Ex Seir clamat, qui se de voluptate vel vanitate accusat. Ex Judæa clamat, qui Dominum de indulta venia, vel impensa gratia laudat. Et sæpe fit ut qui in religione sunt et velut in terra promissionis vivunt nimia securitate torpescant, et ultra modum de sua sanctitate præsumant, et tam a sui accusatione quam a Dei laude conticescant. Econtrario autem sæpe his qui adhuc in sæculari habitu sunt, post expletas concupiscentias ad pœnitentiam redeunt, corde compunguntur, ore confitentur seipsos accusantes, seipsos damnantes, et dum se de sua perversitate districte judicant, aures Domini Sabaoth magnis clamoribus pulsant. Ecce quomodo contingit sæpe regulares torpore tacere, sæculares devotione clamare. Ad ignominiam itaque eorum qui in religione torpent, et inepta securitate tacent, eis per improperationem dicitur, quid a sæcularibus actitetur : Ad me clamat ex Seir. Hispidus et pilosus et vitiorum deformitate fœdus jam ad me corde compunctus clamat, jam me crebris suspiriis interpellat, et tu taces eo quod te sanctum putes, dicens in corde tuo : Dives sum, et nullius egeo, et nescis quia miser es, et miserabilis (*Apoc.*, III) : Ad me clamat ex Seir. Erubescat monachus, erubescat canonicus negligens et torpens, ad omnia desidiosus, et a laude Dei mutus, sæpe psallens ore et tacens corde; erubescat, inquam, et ingemiscat cum ex Dominica voce audiat et legat : Ad me clamat ex Seir. Erubescat anachoreta, erubescat eremita, si corde vagando a Dei laudibus vacat. Erubesce et tu miser ipse, qui hæc dictas et scribis, qui cum in Dei laudibus mutus sis, consimiles tibi condemnas et de taciturnitate arguis. Erubesce et tu, qui hæc legis et audis, si in conspectu angelorum te mutum et mei similem recognoscis. Quid contemplativus quisque dicturus est si a laudatione vacat ad quod assumptus est? Nunquid et tu taces, qui nihil aliud officii habes? Cur non prophetico, cur nec angelico provocaris exemplo? Audi vocem Prophetæ : *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni tempore* (*Psal.* XXXIII). Et Angeli non cessant clamare nocte et die : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus omnipotens, qui est, et qui erat, et qui venturus est* (*Apoc.* IV). Ecce angeli clamant jugiter, et tu cur non cum Propheta clamas semper? Quid, si clamas et ad Dominum non clamas? Forsitan jactitas te apud proximum, forte magnificas te apud temetipsum; clamas, sed non ad Dominum. Forte dicis apud temetipsum, non sum sicut cæteri fratrum, non sum denique sicut carnalis iste, qui omni die deservit ventri et gulæ, eo quod ipse relicta Sion Seir habitator effectus sit, et inter Idumæos sicut societatem sic et sortem acceperit. Hoc est tumultuare apud temetipsum, non clamare ad Dominum. Sed forte ille quem judicas jam seipsum damnat, seipsum accusat, jam forte ad Dominum clamat et exit justificatus a te, ut merito debeas a Domino per improperium audire : Ad me clamat ex Seir.

CAPUT IV.

Superius audivimus de habitatore Seir quomodo, quandoque et quam oret ardenter, audiamus de eodem adhuc quam oret humiliter, quam oret sapienter. Audivimus quam oret devote, audiamus quam oret discrete. Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Ecce iste qui ex Seir ad Dominum clamat, attendit ubi habitat, qualis existat, et quanto se profundius peccasse deterius egisse considerat, tanto verecundius, tanto humilius orat. Custos, quid de nocte? custos quid de nocte? Attendit quam injuste vixerit, et non audet dicere : Exaudi, Domine, justitiam meam. Attendit quam multos læserit et non audet dicere : *Judica me, Domine, secundum innocentiam meam* (*Psal.* VII). Recolit quod viscera misericordiæ nunquam habuerit, et idcirco nec sic quidem orare præsumit : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam* (*Psal.* L). *Beati* enim *misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Omni misericordia indignum se esse intuetur, si districte judicetur. Et idcirco nihil petere præsumit, solummodo supplicantis affectum in sua oratione sine inserta petitione ostendit, et sola insinuatione innuit quid velit : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Custodem nominat quem invocat, et ex officii designatione innuit quid ovibus suis de jure conditionis debeat. Tu es qui rationalem substantiam ad imaginem tuam factam custodire debes, solus qui custodire potes, tu ipse qui custodire soles. Debes, quia creatura tua est; potes, quia omnipotens es; soles, quia misericordissimus es : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Custodis est sub custodia positos custodire, perditos requirere, aversos revocare, dispersos colligere, morbidis medelam adhibere. Ovis sum morbida, ovis infirma, scis me melius quid te facere deceat, vides perspicacius quid circa me fieri oporteat : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Ejusmodi supplicator forte profundam nimiæ adversitatis noctem tolerabat, cum juxta hunc modum Domino supplicabat : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Certe ipse est qui nos in die, ipse est qui

Digitized by Google

nos custodit in nocte. In die suos custodit ne ulla eos adversitas feriat, in nocte custodit ne adversitatis flagellum modum æquitatis excedat. Videtur quibusdam quod suos Dominus tunc dereliquerit, cum eos nocturnis tribulationum horroribus exponit, videtur custodire, cum dies prosperitatis arriserit. Ecce hic quod omnibus certum est tacet de die, illud unde dubitari poterat fatetur de nocte : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Sane, in eo quod diem prosperitatem, noctem adversitatem interpretamus, ab historia non recedimus. Nam communis mos est historicum sensum sæpe figurativa locutione ornare, sicut in sæcularibus scriptis perfacile est videre. In nocte itaque, ut dictum est, supplicator jam dictus erat, et idem desiderabat, sed præ nimia confusione et humilitate petere non præsumebat. Cur enim illi respondetur a Domino, venit mane nisi quia verus cordium inspector noverat cum diem desiderare? Per insinuationem ergo dictum intelligitur quod ipsi Domino supplicando ingeminatur : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte?

CAPUT V.

Certe, cum contra divinum mandatum aliquid præsumitur, per contumaciam contra majestatem agitur. Sed cum majestatem læsam propitiare volumus, ad ejus misericordiam recurrimus. Ad propitiandam itaque majestatem recurrimus ad ejus bonitatem, nec solum ad ipsam, imo et ad ejus veritatem. Nam venia vere pœnitentibus procul dubio promissa est ab eo utique, ab eo, inquam, qui mentiri omnino non potest. Dei itaque misericordiam et Dei veritatem quasi geminam spei anchoram inter tentationum procellas prævaricationumque naufragia habemus ne in desperationis Caribdin incidentes, omnino perefluamus. Hæ sunt quæ nos post multa naufragia perducunt ad portum salutis. Hæ sunt quæ nos de summis periculis introducunt in arcem veræ securitatis : *Misit*, ait Propheta, *Deus misericordiam suam et veritatem suam, et eripuit animam meam* (*Psal.*, LVI). Post multa itaque perpetrata scelera recurrentes sæpe ad pœnitentiæ lamenta, Deo Dei veritatem, Dei misericordiam opponimus, ut iram divinam placare possimus. Scis itaque quia hoc nomen Deus, commune est tribus. Scis nihilominus quod mos est divinæ Scripturæ, potentiam Patri, sapientiam Filio, bonitatem Spiritui sancto quasi specialiter attribuere. Quare autem singula singulis attribuantur, alias tibi, mi Bernarde, jam scripsimus, et hic replicare non debemus. Quarumdam igitur proprietatum consideratione ad Patrem majestas, ad Filium veritas, ad Spiritum sanctum specialiter pertinet benignitas. Quando ergo majestatem læsam placare quærimus, quid aliud quam offensam Patris mitigare studemus? Quando vero promissam pœnitentibus misericordiam, promissionisque veritatem exigimus, quid aliud quam, mediante Spiritu sancto cum Filio, Patris iram lenire tentamus? Cum summam veritatem, summam sapientiam interpellamus, Filium invocamus. Summam clementiam, summam bonitatem implorare, quid aliud quam Spiritui sancto supplicare? Sapientia est quæ expellit tenebras erroris, bonitas quæ expellit frigus iniquitatis. Sapientia est quæ nos custodit inter nocturnos horrores, bonitas quæ nos custodit inter nocturnos algores. Custos itaque est Dei Filius, custos est Spiritus sanctus. Nam ille nos ab errore, iste nos liberat ab iniquitate. Quoniam igitur in istis duobus ad principale lumen accessum habemus, recte nunc ingeminatur, cum dicitur : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Et additur, et dixit custos. Ecce tertio custodis nomen repetitur quoniam personarum Trinitas in una Deitate invenitur. Recte namque et ipse Pater potest dici custos noster. Nam, sicut veritatis protegere ab errore, et sicut bonitatis ab iniquitate, sic majestatis est protegere a qualibet adversitate.

CAPUT VI.

Sed adhuc ipsam litteram subtilius discutiamus, et ex his quæ dicuntur quid cui personæ accommodari debeat diligenter investigemus : Ad me clamat ex Seir : Custos, quid de nocte? Nisi se custodem agnosceret profecto recte non diceret, clamat ad me in eo quod dicitur : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Quid ergo est quod postea adjungit? Et dixit custos. Non dicit dixi, sed, dixit custos, ac si ipse custos non sit. An forte custos est et ipse qui invocatur, et custos nihilominus ipse a quo respondetur, nec tamen alius et alius, sed unus atque idem Dominus et Deus? Sed quod prius ponitur me, et postea ponitur dixit, pluralitatem personarum in una Deitate ostendit. Iterum in eo quod non dicit, clamat ad nos, sed, clamat ad me, intelligimus quia una tantum persona invocatur, in eo quod ingeminatur : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Sed forte et illud quæritur quæ sit ista quæ hic specialiter invocatur. Illud profecto scimus, quia quidquid Filius habet, a Patre habet; ergo et quod custodire valet et quod custodire solet. Quod dico de Filio, hoc dico de Spiritu sancto. Pater ergo custodit per Filium, custodit per Spiritum sanctum, custodit per semetipsum. Si ergo in illa invocatione tertio repeteretur, custos, quid de nocte, non posset convenienter intelligi nisi de Patre. Nam Filius quidem custodit per seipsum, custodit per Spiritum sanctum, non autem per Patrem suum. Solus autem Spiritus sanctus in Trinitate non per semetipsum custodit; nam nulla in Trinitate persona ab ipso accipit ut aliquid faciat vel facere possit. Cum ergo custodiæ geminatio sit in invocatione de Spiritu sancto non possumus hoc recte intelligere. Nam invocationis ingeminatio intelligi compellit dictum de Filio. Filius itaque invocatur, cum dicitur : Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte? Sed ecce cum una persona invocatur, alia flectitur. Flectitur, inquam, non solum ad pacem, sed etiam ad desiderii promissionem. Promittitur namque quod a

Digitized by Google

supplicante desideratur, cum dicitur : Venit mane. Vidimus quæ sit persona quæ invocatur, videamus et quæ sit illa quæ placatur. Sed ut breviter dicam principalis persona intelligitur ad quam placandam alia interponitur. Pater autem principium est Unigeniti, Unigenitus vero principium est et Spiritus sancti. Sicut itaque in mediatore et propitiatore intelligitur genitus, sic in propitiato intelligitur ingenitus non autem Spiritus sanctus. Non enim Spiritum sanctum exigere satisfactionem decet de eo quod Filius indulget a quo habet idem Spiritus totum quod habet. Vides modo, ut credo, apertius quod superius jam diximus quomodo in eo, quod custos tertio reperitur, personarum Trinitas intelligitur. Filius namque primo custos dicitur quia custodit per semetipsum ; secundo idem nominatur quia custodit per Spiritum sanctum. In prima itaque positione intelligitur Filius solus, in secunda subintelligitur et Spiritus sanctus, in tertia solus ingenitus. Solus ingenitus intelligitur in eo quod scribitur : Dixit custos : Venit mane, et nox. Quid est dicere nisi verbum proferre ? Patris dicere est veritatem eructare. Patris dicere sapientiam generare. Nobis autem tunc dicit quando nobis beneplacitum suum sapientiæ suæ revelatione innotescit. Tunc nobis interna Patris locutione aliquid juxta desiderium nostrum promittitur, quando spei et exspectationis nostræ firma certitudo cordi nostro infunditur. Nunc credo manifestum est intelligere cui personæ debeat convenire quod dicitur: Dixit custos. Venit mane, et nox. Vidimus quid sit Dei dicere vel promittere.

CAPUT VII.

Videamus nunc quale sit quod promittit : Venit mane, et nox. Sub nocte, ut superius dictum est, magnæ tribulationis gemebant, et ad diem diu desideratæ prosperitatis anhelabant. Quid ergo est quod eis in promissione proponitur non solum mane quod volebant, verum etiam nox quam nolebant ? Sed unum promittitur ad consolationem, alterum prædicitur ad eruditionem, utrumque ad utilitatem : Venit mane, et nox. Quid est mane nisi terminus noctis, et quid est nox nisi terminus lucis ? In uno mane habemus noctis terminum et diei initium. Venit ergo mane, quia nox quam horretis ecce jam terminabitur, et dies ad quam tantopere suspiratis in instanti inchoabitur. Sed cum dies diu sperata supervenerit, non permanebit, quia venit mane, et nox. Ac si apertius diceret : Sic transiet nox ut iterum redeat, sic rediet dies ut iterum recedat. Venit mane, et nox. Si in nocte es, noli desperare, quia veniet mane ; si in die es, noli confidere, quia veniet nox. Mane ergo promittitur ne laborantes deficiant ; nox futura prædicitur ut cauti fiant. Illud utique ad medelam, istud autem ad cautelam. Venit mane, et nox. Sed quid aliud est ista alicui dicere nisi temporis hujus mutabilitatem et alternantium vicissitudinum varietatem ostendere et ad contemptum tam mundanæ prosperitatis quam mundanæ adversitatis animum informare, et ad æternorum desiderium provocare ? Dicit ergo : Venit mane, et nox.

CAPUT VIII.

Ecce jam audivimus quid jam dicta sonent juxta historiam. Audiamus adhuc quid ipsa signent juxta mysticam intelligentiam : Custos, quid de nocte ? custos quid de nocte ? Dixit custos : Venit mane, et nox, ut superius jam dictum est, multi non solum ex Judæis, verum et ex gentibus Christi adventum prænoverant, et cum magno desiderio exspectabant, secundum illud : *Ecce veniet Desideratus cunctis gentibus* (*Agg.* II). Non dicit desiderandus, sed desideratus, ut intelligas in omni gente aliquos aliquando in ejus desiderio flagrasse. Erat igitur ejus adventus a multis gentilium præcognitus, et ardenter desideratus. Ad hanc tamen cognitionem paulatim, et per intervalla temporum pedetentim ascenderant. Nam primo quidam eorum divinitus illuminati et naturali ratione edocti intelligebant quantis tenebris totum pene genus humanum involutum erat, quod idololatriæ quidem tam deformi multiformitate, et tam multiformi deformitate deserviebat, ita ut diceret ligno et lapidi : Deus meus es tu. Necdum tamen idem ipsi poterant ad plenum intelligere, sub quanto captivitatis onere laborabant, etiam illi qui unum et verum Deum credebant, atque colebant. Alii postmodum altius illuminati captivitatis nostræ miseriam, damnationisque sententiam plenius intelligebant, quomodo humana natura post peccatum inflicto mortalitatis vulnere ejecta sit de paradiso in mundum, quasi de patria in exsilium, postmodum per mortem ejicienda de mundo in infernum, quasi de exsilio in ergastulum. Intelligebant itaque magnitudinem periculi, sed non æque intelligere valebant modum evadendi. Nec illi itaque, sed nec isti terræ noctis tenebras evaserant, qui sub tantæ inscitiæ involucro caligabant. Alii adhuc altius perscrutantes, et subtilius intuentes gratiæ manuductione discreti invenerunt, et inspexerunt multo intuitu non solum magnitudinem damnationis, verum etiam modum reparationis. Modum itaque restaurationis qui ejusmodi erant intelligebant, sed super hoc ipso divinum beneplacitum nesciebant. Novissime autem quibusdam non solum ex Judæis, sed etiam ex gentibus divinum propositum in idipsum revelatum est ut reparationis nostræ mysterium tam ex magna parte prænoscerent, nonnulli etiam prædicarent, aliqui tandem etiam scripto commendarent. Testantur hæc præconia prophetarum, vaticinia gentium. Sed cæteris prætermissis, his tantum interim intendamus qui modum restaurationis, ut diximus, intelligebant, sed divinam dispositionem in eo ipso non noverant. Duce itaque ratione, prævia tamen divinæ revelationis luce intellexerunt ; quia, si homo non peccasset, ad supernam beatitudinem, mediante justitia, ascendere potuisset. Si vero sola misericordia, nulla autem intervenientc

Digitized by Google

justitia post lapsum amissa, seu etiam promissa reciperet, æternum dejectionis suæ opprobrium sustineret. Semper nempe posset ei diabolus improperare in eo quod obtineret nihil juris habere, et sic constaret nec antiquam dignitatem recuperasse. Ubi autem non esset plena primæ dignitatis reparatio, nec plena restauratio. Ut ergo posset homo resurgere juxta rationem justitiæ opus erat satisfactione. Adhuc et istud ad illud accedit; quoniam, si homo nullam satisfactionem exsolveret, etiamsi nullum exterius exactorem culpæ haberet, mordentis conscientiæ exactionem, et confusionis notam ad plenum nunquam deleret. Nonne Eva magis credidit serpenti, quam suo et tam benefico Creatori? Nonne Adam elegit magis offendere Omnipotentem quam conjugem suam? Quomodo ergo post tantæ præsumptionis audaciam tranquillam conscientiam obtinerent vel de corde delerent notam confusionis, si in nullo satisfacerent? Nunc autem fidelium devotio magis gloriatur de redemptionis suæ satisfactione quam prius confusa sit de tantæ dejectionis opprobrio, in tantum ut ubique terrarum Ecclesia fidelium cum omni fiducia canat. O certe necessarium Adæ peccatum et nostrum quod Christi morte deletum est! O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem! Perspicua igitur ratio docet quod sine satisfactione homo ad plenum reparari non posset. Ad plenitudinem autem satisfactionis oportuit ut tanta esset humiliatio in expiatione quanta fuerat præsumptio in prævaricatione. Rationalis autem substantiæ Deus tenet summum, homo vero imum. Quando ergo homo præsumpsit contra Deum, facta est elatio de imo ad summum. Oportuit ergo ut ad expiationis remedium fieret humiliatio de summo ad imum, sed hoc omnino non potuit nisi aliqua in Trinitate personarum. Item si homo per creaturam potius quam per Creatorem recuperare posset et recuperaret justitiam, et mediante justitia futuræ beatitudinis gloriam, nonne de cætero contra excellentiam primæ dignitatis magis obnoxius esset creaturæ quam Creatori, facturæ quam factori? Nam plus est profecto justificari et beari quam creari. Ad plenam itaque hominis restaurationem omnino non sufficeret persona quæ Deus non esset. Sed nihilominus constat quia quantum ad rationem justitiæ ad hominem nihil attineret quidquid quævis persona faceret quæ homo non esset. Quis autem non videat æquum et plenum juris esse et omnino rationabile ut satisfaciat filius pro patre, frater pro fratre, si ille non potest, si iste ad hæc idoneus non est? Hominis ergo redemptio hominem exigebat qui pro conditionis debito propriæ naturæ merito subveniret. Item homo per inobedientiam debitum mortis incurrit et ad ejusdem debiti expiationem obediendo indebitam mortem pro debita solvere oportuit. Sed hoc omnino non potuit nisi homo mortalis et justus et qui mortis sententiæ in nullo esset obnoxius. Ut itaque humani Redemptoris persona ad debiti satisfactionem idonea foret, oportuit ut esset verus Deus qui ad hoc sufficeret, ut esset verus homo qui pro jure necessitudinis merito exsolveret. Et quomodo, quæso, verus et perfectus inter Deum et hominem mediator esset qui cum alterutro commune aliquid non haberet? Econtra vero nulla mediatio validior, nulla firmior esse posset quam quæ fieret per illum qui utriusque naturæ particeps esset. Ecce quomodo ex ratione colligitur quomodo oportuit mediatorem Dei et hominum verum Deum, et verum hominem esse.

CAPUT IX.

Nihilominus autem eadem ratione investigante invenitur cui potissimum summæ Trinitatis personæ hæc pietatis dispensatio accommodetur. Sicut superius monstratum est, ut posset homo primam dignitatem ad plenum recuperare, opus fuerat satisfactione. Ut autem satisfactio fieret, oportuit esse et qui jam exigeret et nihilominus qui eam exsolveret. Culpam vero punire, vel aliquam satisfactionem pro illa exigere quam Pater ignosceret nec Filio nec Spiritui sancto omnino congrueret quorum uterque a Patre habet totum quod habet: Oportuit itaque pro hac parte aut Patrem, aut nullum uti exactione, oportuit nihilominus aut Filium, aut Spiritum sanctum pro homine satisfacere. Sed si Spiritus sanctus mediatoris officium susciperet hanc forsitan mediationem homo suspectam haberet. Quid, quæso, mirum si super hac re homo cogitaret ut homo, timeret ut homo. Timeret forsitan ne Filius magis faveret Patri a quo habet totum quod habet quam Spiritui sancto a quo nihil habet eorum quæ habet. Et si homo haberet duos contra se, unum pro se, forte non integre confideret de tali mediatione. Oportuit autem ut natura quæ credendo ceciderat, credendo resurgeret. Ceciderat credendo serpenti, resurgeret credendo Redemptori, ut quod per fidem perdiderat, per fidem recuperaret, et per eamdem portam compelleretur redire per quam a Dei beneplacito placuit hominem exire. Sed si Dei Filius causam hominis susciperet, homini nihil suspicionis ingereret. Nam non posset Spiritus sanctus juxta suprapositam rationem culpam non ignoscere quam Filius vellet remittere, quanto magis quam vellet sua satisfactione delere? Imo absque dubio, Filio causam hominis suscipiente, magis oportuit Spiritum sanctum cooperatoris quam exactoris officium exercere. Ecce quomodo ratio aperta demonstrat quod causa hominis ad sui expiationem personam Filii specialiter requirebat.

CAPUT X.

Audi et illud. Certe per præsumptionem vetiti et quasi per rapinam gestivit homo ascendere usque ad similitudinem Dei. Ut igitur modus satisfactionis responderet modo prævaricationis, ratio exigebat ut ruinæ nostræ reparator per exinanitionem descenderet de similitudine Dei ad similitudinem lapsi. Filius autem est imago, et figura Patris. Ipsum

Digitized by Google

itaque, ipsum juxta congruum debitæ expiationis modum oportuit descendere et assumere similitudinem hominis, ut unus atque idem haberet similitudinem Dei ex generatione divina, et similitudinem hominis ex generatione humana. Scimus autem quia humanæ propagationis modus juxta naturam non habet ut procedat homo ex homine sine generante; sed habet hoc Spiritus sancti proprietas, ut ipse procedat Deus de Deo sine generatione. Sicut ergo Spiritus sanctus non potuit juxta mutuam similitudinum congruentiam de summis ad ima descendere, sic nec congruum fuit eum causam hominis ad delendam affectatæ similitudinis culpam suscipere.

CAPUT XI.

Notate præterea quid in illa rapina specialiter affectaverit, et invenietis (nec mirum) quia illa affectatio specialis injuria Filii fuit : *Eritis*, inquit, *sicut dii scientes bonum et malum* (*Gen.* II). Quid est Filius Dei nisi sapientia Dei? Specialiter itaque in sapientiam peccavit qui scientiam per rapinam obtinere voluit. Pensate, si potestis, ex uno quam justum, ex altero quam pium fuit ut Filii sui injuriam Pater vindicaret, Filius ignosceret. Disce homo quid facias, disce quid facere debeas. Disce, inquam, remittere injuriam propriam, ulcisci alienam. Ecce parum fuit Filio Dei ut suam ignosceret, nisi eamdem ipsam et apud Patrem expiaret. O pietas stupenda, charitas inæstimabilis! Ut autem contraria contrariis curentur, attendite quam congruum, quam artificiosum videtur ut qui per insipientiam ceciderat, per sapientiam resurgat. Par fuit ut qui falsitas fuit causa perditionis, veritas fieret via salutis. Par fuit ut qui mortem incurrat per verbum diaboli, ad vitam rediret per verbum Dei. Ex prædictis itaque patet satis, ut arbitror, quia nulli alii personæ in Trinitate magis conveniebat ab alia propitiari quam Patri, nulli alii causam hominis apud Patrem expiare magis congruebat quam Filio. Divisit itaque inter se summa illa personarum Trinitas unus Deus negotium salutis humanæ, ut unam eamdemque hominis culpam Pater puniret, Filius expiaret, Spiritus sanctus ignosceret. Ad majorem igitur lapsi hominis gloriam ut possit resurgere per justitiam, Pater satisfactionem exigit, Filius exsolvit, Spiritus sanctus se medium interponit. Hæc via, hæc porta salutis. Hic summus, hic singularis humanæ restaurationis modus. Hoc itaque antiqui Patres non solum ex Judæis, verum et ex gentibus multi intelligebant: nam in idipsum, ut dictum est, tum ex insita ratione, tum ex divina revelatione edocti erant. Sed qui hoc intelligebant, et tamen super hoc ipso divinum beneplacitum nesciebant, nullo modo id petere præsumebant. Quis enim unquam præsumeret petere ut Filius Dei genus humanum per semetipsum visitaret, per semetipsum redimeret, visitaret per incarnationem, redimeret per passionem. Quis, inquam, hoc petere præsumeret nisi Dei propositum super hoc prius ex divina revelatione cognovisset? Desiderabant tamen quod petere non audebant. Ad hoc anhelabant, in hoc suspirabant, propter hoc gemitibus, et lacrymis Dominum interpellabant, et æstuantium desideriorum clamoribus ad ipsum vociferabant. Horum typus exprimitur in eo quod a Domino dicitur : Ad me clamat ex Seir : Custos, quid de nocte, custos, quid de nocte? Custos, inquiunt, quid de nocte? Ac si per insinuationem exprimerent quid tantis desideriorum æstibus quærerent. Scimus, inquiunt, fili Dei Verbum Altissimi, scimus quoniam adventus tuus nobis est necessarius, sed petere non præsumimus. Scimus quoniam satisfactio nostra pendet ex incarnatione tua, pendet ex passione tua ; sed facis, si vis. Nam hoc quis petere audeat, quis postulare præsumat, nisi super hoc prius beneplacitum tuum agnoscat? Custos, quid de nocte, custos quid de nocte?

CAPUT XII.

Quis, quæso, cui loquitur? Creatura certe Creatori suo. Cur igitur Creatorem invocando non dicit Creator, Creator. Quis, inquam, hæc audit, vel a quo? Dominus utique et a servo? Cur ergo ei non dicitur, Domine, Domine? Certe quod eum Creatorem Deum Dominum habebant commune eis cum omnibus erat ; sed quod latam perditionis viam communiter cum cæteris non incedebant, eis præ cæteris ex ejus custodia erat. Gratiæ ergo prærogativam ei præferunt quam ex ejus munere acceperunt. Custos, quid de nocte ? Custos, quid de nocte ? Tu es qui nos de nocte custodisti ne nos cum cæteris caligo infidelitatis involveret. Tu es qui nos de nocte custodisti ne malitiæ frigus charitatem nostram exstingueret. Beneficentia inchoata parat nobis fiduciam præsumendi majora. Salutem inchoatam speramus perficiendam. Ut autem salutem inchoatam perficias, necesse est ut venias. Necesse est ut venias per temetipsum, nec hoc solum, sed ut venias et per Spiritum tuum. Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Prævidebant itaque antiqui per Spiritum quia necesse erat ut Filius Dei veniret, necesse similiter ut Spiritum sanctum mitteret. Prævidebant hoc, inquam, et idcirco ingeminant cum clamant : Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Vide quam sit necessarius utriusque adventus. Ex adventu Filii credentium fides fundatur, ex adventu Spiritus sancti fides fidelium confirmatur. Unam eamdemque hominis salutem Filius operatur, Spiritus sanctus cooperatur. Ut quid ergo homo jam dubitet de placando Patre cum se videt in hoc negotio duos æquipotentes cooperatores habere? Dicat ergo custodienti, dicat custodituro hinc per semetipsum, hinc per Spiritum sanctum. Custos quid de nocte? Custos, quid de nocte?

CAPUT XIII.

Et dixit custos : Venit mane, et nox. Ab ipsa primæ prævaricationis hora usque ad Christum omnes sub nocte erant, et viam revertendi ad patriam, portam intrandi ad vitam invenire non poterant, et idcirco veri diei mane desiderabant, qui

Digitized by Google

quas tenebras paterentur non ignorabant. Et ecce eis juxta desiderium suum respondetur, cum a Domino dicitur : Venit mane. Quid est mane, nisi quædam inchoatio lucis diurnæ ? Scitis autem quis dicat : *Ego sum lux mundi* (*Joan.* VIII). Lux mundi et sol justitiæ Christus est qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Inchoatio itaque veræ lucis est adventus nostri Salvatoris. Oriente namque sole justitiæ inchoatur verum mane. De hoc mane in Propheta habemus : *Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors et miserator Dominus* (*Psal.* III). Dicit itaque, venit mane. Mane desideratis, mane habebitis. In adventum Filii mei suspiratis. Cito veniet quem quæritis. Dixit custos : Venit mane. Sicut superius jam dictum est, non dicit dixi, sed, dixit. Alia itaque persona est quæ invocatur, alia a qua respondetur. Filio supplicatur, et Pater propitiatur. Filius interpellatur, Pater misceretur; Filius imploratur, Pater largitur. Dixit custos ; Venit mane. Patris dicere, ut dictum est, ejus est revelare. Patris promittere est propositi sui beneplacitum menti humanæ per spei fiduciam infundere. Ecce, quod longe superius jam diximus, quia quidam modum humanæ restaurationis quomodo fieri oportuit intelligebant; sed, quoniam divinum beneplacitum super hoc ipso nesciebant, nullo modo petere præsumebant. Ad hoc namque ejusmodi intelligentia eis data est ut intelligerent quid desiderare, ad quid suspirare deberent. Et diu multumque desiderando, gemendo, suspirando digni fierent qui super hoc certificari debuissent. Et ecce anxie desiderantibus humiliterque supplicantibus adventus Redemptoris revelatur a quibus prius sitiebatur, nec tamen præsciebatur. Nam ecce jam merentur audire Venit mane. Filii Dei itaque adventus gentibus revelatur in eo quod mysticis Idumæis dicitur : Venit mane. Testantur quod dicimus oracula Balaam prophetæ (*Num.* XXIV), testantur hoc ipsum vaticinia Sibyllæ. Attestatur, ni fallor, et huic testimonio ara illa quæ apud Athenas consecrata erat ignoto Deo (*Act.* XVII). Sciscitanti autem Paulo apostolo an homo futurus esset, an Spiritus deorum : Responsum est a beato Dionysio, verus Deus, et verus homo, et ipse renovaturus est mundum. Ex his itaque palam est intelligere gentes Christi adventum ex revelatione prænosse. Accepta autem in hoc divina revelatione prophetici viri, sive ex gentibus sive ex Judæis cum omni instantia, vel fidentia quærebant quod prius petere non audebant. Quid aliud quærebat vox illa prophetæ ad Patrem? *Emitte agnum dominatorem terræ* (*Isai.* XVI). Quid aliud spirabat vox illa Psalmistæ ad eumdem? *Emitte manum tuam de alto* (*Psal.* CXLIII). Nonne ipsius adventus ab ipso Filio satis devote nec minus aperte quæritur, cum eidem per prophetam dicitur? *Utinam dirumperes cœlum ac venires!* (*Isai.* LXIV.) Nonne manifeste satis ejus adventum Psalmista postulabat, cum ipsi proclamaret? *Excita potentiam tuam et veni, ut salvos facias nos* (*Psal.* LXXIX).

CAPUT XIV.

Prædicitur itaque adventus Christi, nec solum Christi, sed etiam Antichristi. Venit mane, et nox. Adventus Christi diem facit, Antichristi adventus noctem ingerit. O nox tenebrosa et omni horrore plena quam facit Antichristi præsentia! Tanta namque tunc temporis seductionis caligo superventura est universo orbi, ut in errorem inducantur et, si fieri potest, electi. Dicit ergo : Venit mane, et nox. Sed, si adhuc in prædictis verbis ad tropologicum sensum recurrimus, inveniemus fortassis unde ædificari valeamus. Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Pro certo quotquot in Christo renati sumus, filii lucis existentes ut filii lucis ambulare debemus. Procul dubio alia est nox Idumæi, et alia Christiani. Sic et alius dies hujus, et alius illius. Dies Idumæi, ut diximus, est mundi hujus prosperitas, nox vero ejusdem adversitas. Sed viro fideli quid dicitur : *Educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem* (*Psal.* XXXVI). *Semita enim justorum quasi lumen splendescit, et crescit usque ad perfectam diem* (*Psal.* IV). Dies itaque noster justitia, non injustitia. Tentatio diabolica noctem ingerit, inspiratio divina diem facit. Toties vero noctis tenebras incurrimus, quoties per ignorantiam, vel per malitiam peccamus, et necesse habemus Samaritano nostro proclamare. Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Quis est iste custos cui clamatur in nocte, nisi Samaritanus ille qui misertus est ejus qui incidit in latrones, et curam ipsius egit (*Luc.* X)? Samaritanus namque *custos* interpretatur. Iste utique Samaritanus in die, iste nos custodit in nocte. Iste, inquam, nos custodit in die, quandiu dat nobis in bono perseverare. De nocte nos custodit, ne post peccati lapsum demur in reprobum sensum, et eundo de malo in malum cadamus tandem in desperationem, vel in mentis obliquationem. Ipse ergo est custos noster, ipse æque consolator noster. Ipse qui nos custodit in tentatione, ipse qui nos consolatur in tribulatione. Ipsum custodem, ipsum consolatorem habemus, ipso postulante, ipso præstante et alium accipimus : *Rogabo*, inquit, *Patrem, et alium Paracletum dabit vobis* (*Joan.* XIV). Paracletus idem sonat quod consolator. De eodem Paracleto quem per Filium accepimus, dicit alio loco idem Filius : *Cum venerit Spiritus Paracletus quem ego mittam vobis a Patre meo* (*Joan.* XV). Quoniam igitur unigenitus Dei nos et consolando custodit, et custodiendo consolatur, et nunc quidem per semetipsum, nunc vero per Spiritum suum, recte ei ingeminando dicitur. Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Sed cum nos tam per diem, quam per noctem, sicut dictum est, custodiat, in nocte se esse innuit qui sic clamat, qui non diurnæ, sed tantum nocturnæ custodiæ mentionem facit. Sed alia debet esse supplicatio ambulantis in die, et alia ambulantis in nocte. Alia denique ejus qui agit opera lucis, atque alia ejus qui agit opera

Digitized by Google

tenebrarum. Scimus quoniam *qui facit veritatem, venit ad lucem ut manifestentur opera ejus* (*Joan.* III). Vultis audire ejusmodi operatorem quam fiducialiter orat, eo quod ipse in luce ambularet: *In quacunque*, inquit, *die invocavero te, velociter exaudi me* (*Psal.* LV). Audite econtra quam timide, quam verecunde supplicat qui tenebras iniquitatis se incurrisse considerat. Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Non dicit, parce, parce; non dicit miserere. O quam trepide supplicat qui non audet dicere, miserere mei, Deus, miserere mei, qui non præsumit ut dicat, Deus, propitius esto mihi peccatori! Sæpe audimus eleemosynam petentes nihil aliud ad transeuntem divitem clamare, nisi tantummodo, Domine, Domine. Sic iste ad pervigilem, et indefessum infirmitatis nostræ custodem, supplicantis voce clamat. Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Sed quid mirum si tam humiliter clamat Christianus, quando sic, ut superius dictum est, clamat Idumæus? Nam quanto gradus altior, tanto casus deterior. Hinc est enim quod multo difficilius renovatur ad vitam ad unius criminis lapsum quilibet Christianus, quam qualiscunque infidelis quotlibet criminibus obnoxius. Audi super hoc non meam, sed apostoli sententiam: *Impossibile est*, inquit, *eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, et prolapsi sunt, renovari rursum ad pœnitentiam* (*Hebr.* VI). Quibuslibet enim infidelibus ad baptisma confluentibus sufficit pœnitentia sola, sine satisfactione aliqua. Fidelibus vero peccantibus, et pœnitentibus non sufficit pœnitentia sola, sine satisfactione condigna. Nam christianorum expiatio post lapsum non solet fieri sine mactatione carnis propriæ, quod pœnitentibus infidelibus conferre solet passio Christi, sola scilicet mactatio carnis alienæ. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia. Quid ergo mirum si humiliter gemunt qui reatus sui magnitudinem agnoscunt? Dicant ergo, dicant qui ejusmodi sunt: Custos quid de nocte? Custos, quid de nocte? Per insinuationem itaque ostendit quid sit quod petere velint, nec præsumunt. Ac si apertius dicant indulgentiam petere, gratiam reparare concupiscimus. Sed agnoscentes quam impudenter egimus, petere non præsumimus. Vias itaque veritatis sponte deseruimus, opera tenebrarum ex industria incidimus. Reverti jamjam volumus, sed inter nocturnos timores, inter nocturnos horrores nec valemus, nec scimus. Tu utique es qui tales revocare potes, qui tales revocare soles. Facis itaque, si vis. Quod aliis impendis, potes et impendere nobis, Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Sed, si merito tam humiliter, si merito tam suppliciter post lapsum orat quilibet Christianus, quanto magis quilibet ordinem et religionem professus? Nam exprobrationem et confusionem eorum qui tepescunt et defluunt in religione objicitur et improperatur illis a Domino quid agere sæpe etiam sæculares personæ: Ad me clamat ex Seir: Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte? Si habitator Seir tam humiliter clamat, quid amplius facturus est quem vocabulum religionis honorat, maxime si se turpiter lapsum considerat? An forte nesciunt qui ejusmodi sunt quoniam modicum fermentum totam massam corrumpit? Quid juvat mercedes colligere, et eas in sæculum pertusum mittere, et quidquid hinc inde multo tempore, multis sudoribus congregatur ex modico, et in momento perdere? O quot annorum merita, quot meritorum stipendia perdi possunt ad unius, et unum criminis lapsum? An nescitis quoniam qui in uno offendit, reus est omnium? (*Jac.* II.) Qui enim vel ex uno criminali Deum sibi offensum reddidit, in cæteris etiam quæ observavit, seipsum reum constituit; reum, inquam, etsi non eatenus ut quasi pro eorum prævaricatione puniatur in inferno, eatenus tamen, ut illa incorruptionis mercede privetur, quam pro cæterorum conservatione habiturus erat in cœlo. Qui igitur pro momentanea delectatione contemnit Deum et Dominum universorum, deserit societatem angelorum, amittit regnum cœlorum, quid, quæso, dicturus est cum steterit ad rogandum Deum? Exemplo saltem discat, quid facere debeat. Discat, inquam, quam humiliter debeat orare, quam verecunde oporteat supplicare, si habitator Seir et tam reverenter orat, si tam humili devotione clamat qui nullum unquam sanctitatis locum tenuit, qui nunquam gustare meruit quam suavis est Dominus quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde. Ad me, inquit, clamat ex Seir: Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte?

CAPUT XV.

Sed quisquis es hæc qui audis, si dejectionis tuæ magnitudinem attendis, non est tamen unde desperare debeas: Nam audi consequenter unde merito ad spem reviviscas: Et dixit custos: Venit mane, Ecce in nocte laboranti, ecce pro obtinendo mane supplicanti, subito et inopinante promittitur, quod cum tanta humilitate requiritur. In nulla ergo vitiorum enormitate de ejus miseratione est desperandum, qui tam multus est ad ignoscendum. Sed nunquid idcirco eum impudenter et irreverenter implorare debemus, quem ad indulgendum tam pronum agnovimus? Imo tanto magis debemus in ejus conspectu erubescere, tanto humilius veniam postulare, quanto benigniorem et dulciorem agnovimus quem contumaciter offendimus: Dixit custos: Venit mane. Custodis hujus promittendo dicere, vel dicendo promittere, est animæ supplicanti spei certitudinem gratiæ suæ inspiratione infundere et de desiderii sui exspectatione omnem diffidentiam, vel ambiguitatem tollere. Per repromissionem itaque mystica tamen locutione dictum intelligitur, quod per custodem respondetur: Venit mane et nox.

Digitized by Google

QUOMODO SPIRITUS SANCTUS EST AMOR PATRIS ET FILII.

Quæris scire quomodo verum sit quod Augustinus dicit. Dicit enim quod Pater Spiritu sancto diligit Filium et Filius eodem Spiritu diligit Patrem suum. Quod tamen Pater ea sapientia qua Filius sapiat, omnino contradicit, et hujusmodi ratione convincit. Nam, si ea sapientia quæ Filius est saperet, non tam Filius a Patre quam Pater a Filio esset, quibus est idem esse quod sapere. Hinc est quod quidam in hunc modum opponunt et dicunt. Cum idem ibi sit diligere quod esse, quomodo dicitur Pater vel Filius non esse ea dilectione qua alter alterum diligit? Cum igitur Pater negetur sapere sapientia quam genuit ne ea esse intelligatur, hoc illi quantum mihi videtur multum est inter facere et fieri, inter erudire et erudiri, inter sapientem facere et sapiens fieri. Certe Pater, si ea sapientia quæ Filius est saperet et sapiens fieret, ab ipso procul dubio esset cui idem est esse quod sapere quod sapientem esse. Quando autem per Filium Pater aliquem erudit, ea sapientia quæ Filius est aliquid facit, nec tamen sequitur ut a Filio sit. Sicut itaque Pater Filio erudit, nec tamen sequitur ut a Filio sit, sic Spiritu sancto diligit : nec tamen sequitur ut a Spiritu sancto sit. Quod tamen Pater, vel Filius dicitur Spiritu sancto diligere, possumus et recte, et prave intelligere, et ad verum vel falsum sensum derivare. Sed fortassis a me quæris hoc ipsum distingui, et qualiter modo juxta verum sensum, modo juxta falsum possit intelligi. Procul dubio quod Filius agit Pater agit a quo Filius accipit ut agat et agere possit. Hinc est illud beati Hilarii : « Intellige Filium agentem. Similiter dico intellige Spiritum sanctum agentem, et per eum non modo Patrem, sed et Filium agentem. Filius erudit, Spiritus sanctus diligit, et utrobique Pater agit, quia ab ipso uterque accipit ut idipsum possit quod agit. Quod autem Pater per Filium operari dicitur, non sic intelligitur quasi Filius sit auctor et origo potentiæ quæ Pater est, et quæ vult operatur, sed quod Pater auctor et origo sit potentiæ quæ Filius est, et pro beneplacito agit quod agit. Similiter quod Pater Spiritu sancto diligere dicitur non sic intelligitur quasi Spiritus sanctus auctor et origo existat dilectionis quæ Pater est, et pro arbitrio amat, quod amat, sed quod Pater eam dilectionem qua Filius diligitur et Spiritus sanctus est spirat, et illius auctor et origo existat. Dicitur ergo Pater Spiritu sancto diligere, non quod per eum amorem habeat, sed exhibeat, non quod amorem ab eo accipiat, sed per eum impendat. » Dicit Augustinus de Filio : « Filius dicebat et Pater docebat, et Filius de seipso : Mea doctrina non est mea. Cur et Spiritus sanctus non æqua ratione dicit : Mea dilectio non est mea, sed Patris de quo procedit, sed Filii qui eam spiravit. Si Spiritus sanctus est amor utriusque, cur Pater non dicatur recte Spiritu sancto : hoc est suo amore diligere? cur non et Filius dicatur recte Spiritu sancto, hoc est sua dilectione amare? » Animus humanus amor non est, sed ab ipso amor procedit, et ideo seipso non diligit, sed amore qui a seipso procedit. Pater vero amor est, et Spiritus sanctus ejus amor est, et ideo Pater diligit seipso, diligit Spiritu sancto. Diligit seipso amore, diligit suo amore. Quis nesciat quod Filius beatæ Mariæ et filius Nave Jesus dicantur æquivoce? Similiter æquivoce dicerentur amor tuus et amor divinus, si Spiritus sanctus diceretur amor cordis tui, sicut Spiritus sanctus dicitur amor Patris et Filii. Quis, quæso, posset negare te Spiritu sancto (hoc est amore tuo) diligere? Si recte diligere diceris amore qui de te procedit, cur Pater et Filius non recte dicantur diligere amore qui ex ipsis procedit? Hæccine frater est illa quæstio quam insolubilem putant, insolubilem et dicunt, et scribunt?

DE SUPEREXCELLENTI BAPTISMO CHRISTI.

Sanguine cognato, sanctitate domino, dilecto suo N., suus qualiscunque R., idem in uno unanimiter velle. Promissionis meæ pœnitentia ductus, pene malui falso promisisse quam vana scribere, eo quod super his quæ a me vobis explanari postulastis, nil omnino sentire quod dictu quidem, necdum scriptu dignum judicarem, maxime tamen idcirco quod in his quæ tenuiter sentio verborum inopia laboro. Sed quoniam parvulus Jesus in pannis latere non erubuit (*Luc.* II), tenuitatis meæ pauperem sensum sub verborum pannis transmittere minime pudult. Toties Maria parvulum suum pannis involvit, quoties mens casta veritatem quem vel tenuiter sentit verbis simplicibus exponit. Et forte, ni fallor, vaniloquium quam falsiloquium satius erit incurrere. Attendite itaque, obsecro, quis, cui loquatur, magis quam quid quo dicatur. Orationem itaque pro oratione non tam disertam quam devotam, non illam verborum varietate distinctam, sed lacrymarum imbre refertam deposco. Si quæ tamen in his quæ

Digitized by Google

a me exigitis melius ipsi sentitis, id a vobis jure retributionis exquiro. Sed nunc ad prophetæ verba novitate plena, admiratione digna quæ vobis reserati desideratis stylum converto. Illumina faciem tuam, etc. (*Psal.* cxviii). Deus autem incrementum dat intus illuminando et sanctificando. Ecce quam magnus Joannes, quam magnus Paulus. Non tamen magna sed humilia de se sentiebant, quia illuminati erant ut se agnoscerent. Nos nihil sumus, et tamen magna de nobis æstimamus, quia cæci habentes albuginem in oculis : *Qui misit me baptizare in aqua ille mihi dixit : Super quem videris*, etc. (*Joan.* i) Spiritus sancti descensionem sicut et ipsius Filii missionem quidam simpliciores, minus sane intelligunt. Cum enim audient ab ipsa Veritate : *Ego exivi a Patre, et veni in mundum* (*Joan.* xvi), sic intelligunt quasi prius fuerit in Patre, et non in mundo. Et cum a Patre exivit Patrem deservit, et a Patre recessit. Et cum in mundum venit, illuc venit ubi prius non fuit. Hæc intelligentia prava, et ab omni corde fideli eliminanda. Illi enim Dei immensitatem non animadvertunt. Deus enim cum sit immensus, est in omnino loco, omnem locum replens. Ideoque non potest transire de loco ad locum, quasi unum locum deserens, et alium occupans. Nec solum est in omni loco quia est immensus, sed etiam ubique est totus, quia simplex. Hæc est enim natura simplicitatis quod ubicunque est, ibi tota est. Cum ergo Deus sit immensus et simplex, consequens est quod ubique sit totus. Nec, cum dicitur esse ubique totus, prædicatur habere partes, imo in hoc ipso habere negatur partes ; quia, si partes haberet, totus ubique non esset. Nec, cum dicitur totus ubique, intelligendum est quasi omni creaturæ secundum plenitudinem se infundat. Sed ubique est totus in seipso, id est ubicunque est se totum habet. Hoc de Patre, hoc de Filio, hoc de Spiritu sancto est intelligendum. Quid est ergo Filii missio nisi formæ servilis susceptio? Et quid Spiritus sancti descensio, nisi quædam symbolica ipsius præsentatio et mystica significatio? Non enim sic in columba descendens in se est motus qui semper in se immotus manet. Nec aliquo modo cœpit esse in Domino quo prius non fuit in eo. Nobis non habentibus datur, et habentibus ut amplius habeatur. Domino quasi non habenti non est datus, nec habenti ut amplius eum haberet, cui in sua conceptione datus est secundum plenitudinem. Sicut enim Pater cum Filio erat majestate et in homine assumpto gratiæ infusione, sic et Spiritus sanctus. Solus autem Filius in eo erat personali unione. Unde ipse solus non Pater, non Spiritus sanctus dicitur Emmanuel, id est nobiscum Deus. Spiritus sancti igitur descensio non est nisi mystica quædam ipsius significatio. In hoc enim quod visibiliter tali specie super Dominum baptizatum se manifestavit, insinuavit quid in nobis invisibiliter fiat cum in Christo renascimur, sicut Filius non propter se quasi indigens aliquo remedio, sed ut nobis humilitatis præberet exemplum salutis conferret remedium, baptizatus est. Et ipse Pater sic intonuit : *Hic est Filius meus dilectus*, etc. (*Matth.* iii), sic demonstrans nos ejus filios effici per virtutem tanti sacramenti.

Considerate quanta sit hujus sacramenti dignitas, quod ipse Filius sic commendavit illud suscipiendo, et Spiritus sanctus se præsentando, et Pater sic intonando per efficaciam ejus efficimur membra Christi, templum Spiritus sancti, et filii Dei. Insuper cœli, prius per culpam clausi, nobis aperiuntur; non sine magno mysterio Spiritus sanctus descendit, non in corvo, vel milvo, vel in alia specie, nisi in sola specie columbæ. De columba scriptum est in Canticis canticorum : *Una columba mea, una matri suæ* (*Cant.* vi). Per columbam intelligitur Ecclesia. Ecclesia est corpus Christi ; Spiritus sanctus est spiritus Christi. Convenienter ergo Spiritus sanctus in columba apparuit, et non in alia specie, quia spiritus Christi non est nisi in corpore Christi. Et solum corpus Christi vivit et spiritu Christi, sicut corpus meum solum vivit ex spiritu meo, et corpus tuum vivit ex spiritu tuo. In corpore Christi nil mortuum, extra nihil vivum invenitur. Ad cujus corporis unitatem nos invitat Apostolus, dicens : *Solliciti estote servare veritatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* iv). Unitatem vocat spiritus, illam unitatem quam facit spiritus in corpore Christi, quod est Ecclesia, cujus unitatis vinculum est pax ad quam unitatem nos invitat, dicens : *Unum corpus, et unus spiritus* (*ibid.*), quasi dicat : Ideo unitatem spiritus servare debemus quia sumus unum corpus, et unus spiritus. Unum corpus cum proximo, et unus spiritus cum Deo ; unum corpus adinvicem subministrando, unus spiritus idem volendo. Unum corpus sumus multorum membrorum adunatione et unus spiritus habitat in nobis. Ideo et debemus servare unitatem spiritus, quia nobis est unus Dominus, et una fides, et unum baptisma. Non oportet nos dissentire pro diversitate dominorum, quia nobis est unus Dominus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Qui enim diversos dominos habent, quandoque discordant pro eorum discordia. Sunt etiam qui habent eumdem Dominum, sed non diu manet unus, sed fere singulis momentis mutatur, modo lætus, modo tristis, modo justus, modo injustus. Noster autem Dominus sicut unus est, sic et unus et idem semper perseverat. Et una fides, idem jubemur omnes credere, sicut et idem dicere. Non decet nos fideles in fidei confessione dissentire. Sit ergo pura et sincera fidei integritas in corde, sit pura et sincera fidei confessio in ore, quia corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Si non possumus omnia credenda ad plenum intelligere, saltem illum usum et formam loquendi teneamus quas sancti Patres in Scripturis nobis tradiderunt, maxime cum sermo fit de Verbi incarnatione, vel de ipsius æterna generatione. Ve-

Digitized by Google

luti pueri prius eruditiuntur ut sciant verba sana formare, deinde docendi sunt ut ea quæ dicunt intelligant. Ecce quotidie audio in Ecclesia quod Christus est perfectus homo ex anima rationali et humana carne subsistens.

Et item quod ipse est ex substantia Patris ante sæcula genitus. Contra hanc formam loquendi multi loquuntur, dicentes, quia Christus non est aliquid inquantum est homo, nec ex substantia Patris genitus, cum sancti in pluribus locis dicant quod divina essentia genuit divinam essentiam, et natura naturam, et substantia substantiam, sicut Deus Deum, et persona personam. Non est mirum si linguas habent leprosas quorum manus sunt leprosæ. Quædam enim lepra volatilis est, quæ transit de membro ad membrum. Quid ergo mirum, si prave intelligunt qui male vivunt. Cæci et duces cæcorum solidissimis sanctorum Patrum auctoritatibus humanæ rationis argumenta, imo fragmenta præferunt, quæ omnia ad petram fidei ut baculus arundineus frangantur. Vera est sententia Veritatis quam protulit de fidei soliditate, quia *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* xvi). *Et oves meæ vocem meam audiunt, et alienum non sequuntur* (*Joan.* x). Et illud Apostoli : *Fundamentum fidei firmum stat, habens signaculum hoc : Novit Dominus qui sunt ejus* (*II Tim.* ii). Vos autem, fratres, oves Domini; filii columbæ, filii matris Ecclesiæ, membra Christi, quos ipsa unctio docet de omnibus, manete in unitate, quia nobis est unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et pater omnium. Unum baptisma, id est ejusdem virtutis et efficaciæ a quocunque detur, quia intus est qui interius operatur indifferenter, per differentes ministros. Multi gloriantur se habere Spiritum sanctum, cum tamen eum non habeant. Natura columbæ nos docet agnoscere eos in quibus est Spiritus sanctus. Est enim columba, simplex, sine omni felle, non vivit rapina, gemit ex amore. In his ergo qui sunt simplices, sine totius malitiæ felle, gementes ex amore, et dilatione futuræ vitæ habitat Spiritus sanctus. Et in his qui sunt concordes, et veram pacem et dilectionem inter se custodientes quam significant oscula columbarum. Hanc simplicitatis innocentiam Scriptura nobis commendat per agnum, etiam et puerum. Unde ipse Dominus propter omnimodam innocentiam dictus est Agnus Dei (*Joan.* i). Et de ejus consimilibus dicit ad Petrum : *Pasce agnos meos* (*Joan.* xxi). Et dictum est pastor ovium, et fideles oves pascuæ ejus (*Joan.* x). Et legis præceptum est ut quotidie sacerdotes duos agnos offerrent, unum mane, et alterum in vespere (*Exod.* xxix). In mane incipiunt homines operari. Ideo pro mane intelligitur principium actionis, sicut per vesperam datur intelligi finis. Quid est ergo duos agnos offerre nisi opera innocentiæ incipere et ad finem perducere? hoc est sacrificium juge, quia semper Deus requirit a nobis innocentiæ virtutem quæ per puerum etiam significatur. Ut ibi : *Ecce ego et pueri mei* (*Isai.* viii); et in Evangelio : *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum* (*Marc.* x); et alibi : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis regnum cœlorum* (*Matth.* xviii). Si ergo volumus esse de grege Domini simus agni. Si volumus intrare regnum cœlorum simus parvuli, sed malitia, non sapientia. Si volumus ut Spiritus sanctus in nos descendat, et in nobis maneat, simus simplices sicut columbæ. Insuper prudentes sicut serpentes, hæc est præcipua serpentis prudentia ut caput suum observet. Et nos ergo omni custodia custodiamus caput nostrum in quo vita est nostra, videlicet Christi qui est Dei sapientia. In hoc capite oculos nostros semper fixos habeamus juxta illud : *Oculi sapientis in capite suo* (*Eccle.* ii). Si quis oculos suos ab hoc capite evulserit, necesse est ut cæcus fiat. Sed dicet aliquis hoc caput jam in cœlo est, non indiget ut illud custodiam, hic audiat quid dicat Apostolus Christum habitare per fidem in cordibus nostris (*Ephes.* iii) : fides enim Christi in corde tuo, Christus est in corde tuo, hoc igitur caput illæsum et integrum custodiamus, quia in hoc capite est vita nostra, quoniam justus ex fide vivit; hoc caput, inquit, custodiamus sicut ille qui ait, fidem servavi quasi serpens prudens. Ne autem simplicitas nostra sit frigida, oportet nos esse ferventes spiritu. Unde Spiritus sanctus super apostolos apparuit in igne. Quoniam vero hic fervor spiritus non solum dicitur esse in corde, sed etiam in ore ut peccantes arguamus, et frigidos inflammemus, ideo in linguis igneis se ostendit Spiritus almus. Sunt quidam qui alienum ignem portant in ore, qui sicut serpens mordent in occulto. Iste ignis non est cœlestis, sed gehennalis; nec lucidus, sed caliginosus, quia qui male agit odit lucem. Ille qui misit me baptizare, etc. Joannes baptizabat in aqua solum sicut homo. Jesus in aqua et Spiritu sancto, sicut homo et Deus, baptizare in Spiritu est ab omni sorde peccati mundare, insuper gratias infundere. Prius enim Dominus Jesus baptizans in Spiritu effundit amaritudinem, post infundit dulcedinem, prius vasa cordium mundat, post mundata replet. Unde Apostolus : *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet eam gloriosam, non habentem maculam aut rugam* (*Ephes.* v).

Considerate ordinem et vim verborum. Dilexit, et tradidit. Magnæ dilectionis magnum indicium. Quid ei contulit illa traditio? Audite. Ut prius eam mundaret ab omni contagione peccati, deinde eam sanctificaret donorum collatione, et tandem in futuro exhiberet eam sibi gloriosam, id est in animo et corpore rutilantem, et gemina stola decoratam non habentem maculam in carne, nec rugam in mente. Et hoc totum non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum magnam misericordiam suam fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti quem effudit in nos abunde, id

Digitized by Google

est per lavacrum baptismatis per quod regeneramur in filios adoptionis qui prius eramus filii perditionis. Et per Spiritum sanctum in hoc sacramento nobis datum, deposita vetustate, quotidie renovamur in cognitione et amore Dei. Quem Spiritum effudit in nos abunde, id est ad omnium peccatorum remissionem et copiam virtutum. Per remissionem peccatorum eripimur de potestate tenebrarum, per copiam virtutum transferimur in regnum filii Dei, per remissionem peccatorum incipimus non esse quod fuimus, per copiam virtutum incipimus esse quod non fuimus. Intuemini una mecum supereminentem scientiæ charitatem Christi, ex qua non solum homo fieri, sed etiam homo factus pro nobis mori voluit. Prius se dedit nobis, deinde se dedit pro nobis. Nobis per incarnationem, pro nobis per passionem. Spiritum suum in corda nostra misit, Patris visionem promisit, potestatem qua filii Dei efficiamur contulit. Et talem dignitatem tribuit ut ipsum habeamus caput, et simus ejus membra, et hæredes vitæ æternæ. Cum ergo sit omnipotens quid amplius nobis dare potuit? Non enim angelicæ naturæ collata est hæc dignitas, ut a Verbo Dei in unitatem personæ assumeretur. Tantæ igitur gratiæ referamus gratias quas possumus quia condignas non valemus. Non simus ingrati. Nemo sanguinem Christi, sanguinem Novi Testamenti, sanguinem quo sanctificatus est pollutum dicat. Nemo Spiritui sancto contumeliam faciat. Dico vobis quia multo deteriora meretur tormenta qui Filium Dei jam glorificatum, jam super omnem supercœlestium essentiarum dignitatem sublimatum, et in sede paternæ majestatis locatum contempserit, quam Judæi qui eum adhuc mortalem crucifixerunt per ignorantiam meruerunt. Nos jam cognovimus veritatem, et ideo inexcusabiles erimus si tantam contempserimus salutem. Utraque via nobis annuntiata est, et illa quæ ducit ad sinistram, et illa quæ ducit ad dextram. Via lata et spatiosa quæ ducit ad perditionem, et via arcta quæ ducit ad vitam. Via salutis arcta quidem est in principio, id est incipientibus quasi in janua, quia inchoatur a timore gehennæ et vitiorum mortificatione quæ non fit sine amaritudine, priusquam vero quis januam transierit jam in atriis Domini constituto occurret latitudo charitatis et suavitas internæ dulcedinis, per quas ea quæ prius videbantur amara fient jucunda. Tunc primum proferet gemitum columbæ. Quis est gemitus columbæ? *Heu me, quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* CXIX)? et : *Quando veniam, quando apparebo ante faciem Domini* (*Psal.* XL)? et : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I); et : *Veni, Domine Jesu, veni ostende faciem tuam* (*Psal.* LXXIX). *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI). Omnis enim anima Deo devota, et vulnerata charitate, et amore languida nihil invenit sub sole in quo consoletur. Sola memoria Dei eam delectat, cujus omne desiderium est ut sit ante Dominum. Corvus vero longe alium habet gemitum. Tunc enim gemit corvus cum ei desunt cadavera in quorum fetore immergat rostrum, tunc gemit corvus cum dicitur ei ut egrediatur de corpore. Tunc clamat, et dicit : Non hodie, sed cras; non hodie, sed cras. Columba non dicit cras, sed hodie, cum monetur exire de carcere. Videat ergo unusquisque quid diligat, et sic unde sit, et qualis sit, corvus an columba intelligat. Fratres, omne studium nostrum et tota animi intentio sit carnis morbidum affectum mortificare, et a concupiscentiis mundi animum avellere, et in amore æternæ vitæ corda nostra accendere, quod fit assiduitate orandi, legendi et meditandi. Ad illam vitam in qua nemo moritur, nemo nascitur, nemo esurit, nemo sitit, nemo formidat inimicum, nemo prodit amicum, in qua est æterna satietas, summa beatitudo. Ad quam nos perducere dignetur qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

DE MISSIONE SPIRITUS SANCTI

SERMO.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis (*Sap.* I). Ecce qualem, fratres, Paraclitum de Domini promissione accipimus, ecce qualem consolatorem habemus. Fortassis apertius nosse cupitis quantus sit iste vel qualis. Ubique est, omnia potest, et omnino cum nihil latere potest. Utique talem oportebat esse, qui posset omnibus ubique occurrere, quem oportebat tot exsules reducere, tam dispersos colligere, tot mœstos confortare, tot desperatos ad veniam reformare. Talem item oportebat esse qui posset quæ vellet replere, quem oportebat tot infirmos curare, tot oppressos protegere, et inter tot discrimina custodire, et contra tot tentamenta munire. Talem denique qui nihil non nosset, quem nihilominus oportebat tot infideles convertere, tot incredulos docere, tot rudes instruere, tot inscios erudire. Qualem utique oportuit accepimus consolatorem, protectorem, atque doctorem. Consolatorem ubique præsentem, protectorem omnipotentem, doctorem omnia scientem. Et sane consolatorem ubique præsentem exigebant tot miseriis addicti, protectorem omnipotentem tot vitiis corrupti, doctorem omnia scientem tot erroribus adducti. O consolatorem dul-

Digitized by Google

cem! o protectorem fortem! o doctorem efficacem, qui ubique sit, qui omnia possit, qui omnia noverit, et quid aliud verba illa superius posita proponere videntur si digne pensentur quam promissum vel missum Paracletum nostrum ubique esse, omnia posse, et omnia nosse! Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Si iste Domini Spiritus replet orbem terrarum, quanto magis implere habet regnum cœlorum? Quod enim in cœlis sit dubitare quis possit? Pro ea igitur parte Scriptura asseruit pro qua fortasse dubitare quis potuit. Habemus itaque argumentum a minori quod hic Spiritus debeat ubique præsens credi. Si enim ubique terrarum, quanto magis, ut dictum est, ubique cœlorum? Erit igitur ubique locorum. Vultis autem et illud nosse quod Spiritus iste omnia potest, de quo jam constat quod ubique est. Sed quomodo non omnia valet qui omnia continet? Profecto si sine ipso posset aliquid subsistere, nullo modo Spiritus iste diceretur omnia continere. Si igitur sine ipso nil subsistere potest, profecto ab ipso habet esse omne quod est. A quo igitur est omnium esse, constat nimirum cum omnia posse. Argumentum itaque est a toto quia omnia possit, quod sine ipso nihil subsistit, nihil subsistere possit. Audistis de præsentia, audistis de potentia, vultis adhuc scire quid sentiri debeat de ejus scientia? Attende ergo quid sit illud quod de eodem asseritur in eo quod dicitur : Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis, idem est ac si diceretur, omnium vocum, nisi quod illa positio potius quam ista eo convenientius accipitur, quod illa non tantum ad particularia quomodo et ista, verum etiam ad generalia quod non potest ista apte accommodatur. Scientiam itaque habet hic spiritus, non tantummodo vocis generaliter, verum etiam cujuscunque modi vocis specialiter, sed et cujuslibet vocis etiam singulariter. Sed quia scientiam habet vocum nunquid et rerum? sic absque dubio. Semper enim plenam cognitionem vocum comitatur scientia rerum, sed non semper cognitionem rerum comitatur etiam scientia vocum. Quod multa putamus sæpe cognoscimus, quorum tamen vocabula non novimus vel obliti sumus. Sed quis hujus vocis quæ est bos plenam notitiam habeat, si ipsam rem penitus ignorat? Sed puto quod angeli plenam scientiam rerum haberent etiamsi voces non essent. Potest itaque naturaliter esse scientia rerum etiam ubi non est scientia vocum. Certe Adam, qui rebus nomina imposuit priusquam vocabula essent, rerum notitiam habuit. Alioquin quomodo congrua vocabula illis imponeret, quorum notitiam nullam haberet? Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis (*Gen.* II), ipsum est nomen ejus. Plus itaque esse videtur habere scientiam vocum, quam rerum, quandoquidem rerum scientia, ut dictum est, semper comitatur scientiam vocum.

Notandum sane quod non dicit scientiam sermonis, sed vocis. Omnis autem sermo vox est, sed converti non potest : non enim omnis vox etiam sermo est. Quædam autem voces naturaliter habent significare, sicut mugitus boum, balatus pecudum; sermo vero vox est significativa secundum placitum. Omnis itaque vox aut naturaliter, aut accidentaliter aliquid significare habet. Nihil autem arbitror esse quod non possit sermone exprimi vel voce significari; quia ergo latius extenditur significatio vocis quam sermonis, recte de hoc Spiritu dicitur, quoniam scientiam habet vocis. Sed, uti superius jam dictum est, scientia vocum semper subinfert scientiam rerum. Argumentum itaque est hunc Spiritum omnia nosse quod asseritur vocis scientiam habere. Si scit illud quod majus est, multo magis ergo illud quod minus est. Sed monstratum est plus esse scientiam vocum quam rerum. Argumentum itaque est a majori quod ab hoc Spiritu debeant omnia sciri. Primum itaque argumentum sumitur a minori, tertium vero, ut dictum est, sumitur a majori, media autem argumentatio argumentum habet a toto. Dicatur ergo de hoc Spiritu, dicatur : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis* (*Gen.* II). Dicatur quod orbem terrarum repleat ut credatur ubique esse; dicatur quod omnia contineat ut perpendatur omnia posse; dicatur quod vocis scientiam habeat ut subintelligatur omnia nosse.

Notandum in his adhuc verbis quam congrue vel distincte commendetur et personarum pluralitas et substantiæ unitas. Cum enim præmissum esset, Spiritus Domini replevit orbem terrarum, statim subinfertur, et hoc quod continet omnia, non is qui continet omnia, quamvis et sic quidem recte dici potuisset. Sed miranda ratione voluit Scriptura sacra, ut dictum est, sub tanta verborum brevitate et personarum pluralitatem, et substantiæ unitatem ostendere. Personarum pluralitas ostenditur in eo quod spiritus iste Spiritus Domini dicitur. Alius est enim ipse, atque alius ille, cujus Spiritus dicitur esse; identitas vero substantiæ ostenditur, dum idem Spiritus illud esse dicitur per quod omnia continentur. Est itaque hic Spiritus illud idem quod est ille a quo sunt omnia, illud idem quod est ille per quem omnia, illud idem quod est ille qui in principio creavit cœlum et terram, illud quod est ille per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Erit itaque hic Spiritus idem quod Pater, idem quod Filius, quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unus est Deus, una substantia, una natura, una divinitas, una majestas. Recte ergo de hoc Spiritu scribitur : Spiritus Domini replevit orbem terrarum et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. Sed si Spiritus iste omnia continet, pariter et replet, quid est, quæso, quod discipuli Domini hodierna die acceperunt, si eo Spiritu qui omnia replet, et ante hanc diem pleni fuerunt? Quid est quod in hac pentecostes celebritate Spiritus sancti adventum recolimus vel colimus quem constat ubique esse,

Digitized by Google

et omnia replere? Unde quo veniat si ubique est, et nusquam deesse potest, vel quid illi amplius caperent si et antea hoc spiritu pleni fuerunt? Sed sciendum quod hic Spiritus, quemadmodum et tota Trinitas aliter adest per ubique præsentem majestatis suæ potentiam, aliter adest per aspirantem gratiam. Majestatis suæ præsentia adest omnibus creaturis corporeis et incorporeis, tam inanimatis quam animatis. Spiritus enim sapientiæ attingit ubique propter suam munditiam, per illuminantem sapientiam; adest idem Spiritus tantummodo rationalibus creaturis, omnibus tamen sive bonis sive malis, beatis similiter et miseris. Illuminat siquidem omnem hominem venientem in hunc mundum; si omnem hominem, ergo justos et injustos, beandos atque damnandos. Per inspirantem gratiam adest omnibus bonis, perfectis et imperfectis, beatis atque beandis. Ipse enim est qui operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult. Omnibus itaque creaturis inest substantiæ suæ diffusione, omnibus rationalibus adest sapientiæ suæ participatione. Omnibus autem bonis adest gratiæ suæ cooperatione. Præsentia itaque majestatis suæ presto est utique omni creaturæ, semper ubique adest, ut nunquam omnino sicut nunquam abesse potest. Secundum hunc itaque, modum nusquam habet recedere, nusquam habet redire, sed ubique omni in tempore immobiliter permanere. Sapientiæ autem suæ participatione sicut quibusdam creaturis suis immobiliter est absens, sic et aliis quibusdam semper est præsens, illis juxta hunc modum nunquam potest adesse, istis juxta eumdem nunquam potest penitus abesse. Rationalibus enim creaturis penitus abesse non potest quibus semper sapientiæ suæ participatio communicabilis est. Alioquin quomodo, quæso, rationales essent quæ rationis capaces, sapientiæque participes omnino esse non possent? Irrationabilis autem creatura, quia capax rationis non est, secundum sapientiæ participationem hunc Spiritum capere non potest. Alioquin ipsa irrationabilis non esset, si rationis et sapientiæ capax fuisset. Secundum infusionem vero gratiæ eisdem ipsis potest et post diutinam absentiam præsens adesse et iterum post longam præsentiam absens fore, et longius abesse. Secundum hunc itaque modum Spiritus iste vadit et venit, recedit et redit. *Spiritus* enim *ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat aut quo vadat* (*Joan.* III). Gratiæ enim suæ infusionem Spiritus iste, ut dictum est, modo subtrahit, modo impendit, et in hunc modum sæpe vadit et venit. Sed ut magis mireris, contingit sæpe sub uno eodemque tempore hunc Spiritum juxta aliquid manere, et juxta aliquid recedere. Cum enim istæ multiformis gratiæ Spiritus unam *Aliquam gratiam homini ex prius* habitis subtrahit, alia vero et sub eodem tempore habere permittit, nonne eidem homini sub eodem tempore, ut discretum est, juxta aliquid vadit, et juxta aliquid venit? Vides ergo quam dissimiliter se soleat his Spiritus habere secundum triplicem modum infusionis suæ substantiæ videlicet, sapientiæ, vel gratiæ. Sane secundum diffusionem substantiæ suæ creditur ubique esse, secundum infusionem vero gratiæ constat eum hodierna die in illam terram descendere, illamque terram gratiæ suæ illustratione replere, de qua legitur : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat?* (*Luc.* XII.) Quæ est ista terra nisi Ecclesia primitiva? Quæ, inquam, est terra ista in quam descendit ignis ille cœlestis nisi Ecclesia Christi in quam hodie descendit Spiritus sanctus in igne et linguis? Hæc est illa terra quæ in æternum stat, eo quod fundata sit supra firmam petram, et idcireo nec portæ inferorum poterunt prævalere adversus eam. Ad hanc sane terram pertinet quisquis in fide et charitate Christi fixus manet. Nam qui in fide hæsitat, vel adhuc per varia desideria fluctuat, similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur. Qui autem ejusmodi est ad illam terram seu orbem terrarum pertinere non potest, de quo scriptum est : *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo* (*Psal.* XXIV). Quin potius ad maria illa pertinere videtur supra quæ orbis ille terrarum, Domino operante, fundator, de quo et dicit? *Quia ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum* (*ibid.*). Quisquis autem Spiritum Christi non habet, ad hunc orbem terrarum non pertinet. Qui enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si itaque vere, et absque dubio Domini est terra et plenitudo ejus orbis terrarum et universi qui habitant in eo, oportet eum Domini Spiritum habere qui ad hunc orbem terrarum se cupit pertinere. Recte ergo de hoc orbe terrarum intelligitur quod hodierna die tam festive canitur : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Nonne hoc Spiritu terra Domini perfusa imo et repleta fuit, quando primitiva Ecclesia, ut dictum est, Paracletum illum qui a Patre procedit in igneis linguis accepit? Nonne tunc temporis impletum tibi videtur quod in psalmo canitur : *Visitasti terram, et inebriasti eam* (*Psal.* LXIV). In tantum enim terræ hujus habitatores musto illo spirituali inebriati sunt, ut quivis eorum qui tunc temporis eos audire poterat juste mirari debuisset quomodo illi ebrii essent cum esset hora diei jam tertia. Siquidem repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (*Act.* II), hoc est sane quod annuatim recolere debemus, hoc utique quod annuatim recolimus, cum canimus : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

Vultis et illud nosse quomodo in illa terra omnia continebat in qua omnia repleverat. Cogita ergo post hujus Spiritus repletionem quam constanter egerit qui prius ad ancillæ vocem expavit Christumque negavit. Sic et cæteri qui prius se occultabant propter metum Judæorum, jam palam profitentur Christum coram principibus sacerdotum. Unde hoc eis, nisi quia virtute ex alto indati erant

Digitized by Google

in eo quod Spiritum Domini acceperant : *Spiritus enim oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII). Quidquid constantiæ, quidquid patientiæ in ipsis erat, ex illo Spiritu erat qui eorum corda repleverat. Denique quidquid virtutis, quidquid fortitudinis habebant, ab eodem Spiritu acceperant qui omnia continebat. Nemo ergo sibi attribuat quod in fide stat, vel in bono perseverat. Nemo enim potest dicere, Domine Jesu, nisi in Spiritu sancto. Si non potest sine hoc Spiritu boni aliquid dicere, quando poterit sine ipso boni aliquid facere? Ipse enim est qui operatur omnia in omnibus dividens singulis prout vult. In illo ergo stat omnis qui in bono perseverat, et qui stat videat ne cadat. Sed quomodo, inquis, aliquis cadere, imo quomodo vel aliquid boni alicui excidere valet, si Spiritus iste omnia continet? An forte illa dicuntur esse quæ iste Spiritus dignatur continere? Quis enim neget quin verum esse amittat quem Spiritus iste dimiserit? Nullo denique modo possunt ad verum esse pertinere quæ ab hoc Spiritu non sunt quem constat omnia continere. Quomodo enim vel esse dicendi sunt quæ verum esse amiserunt? Sed iterum iidem ipsi quasi ad esse redeunt, cum hunc Domini spiritum recipiunt, ipso id utique agente qui vocat ad ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt (*Rom.* IV). Emittet enim spiritum suum et creabuntur, et renovabit faciem terræ (*Psal.* CIII). Omnis ergo rectitudinis status sicut per ipsum obtinetur, sic nihilominus et ab ipso continetur. Et quia quod ab illo deseritur desinit quodammodo esse, recte hic Spiritus dicitur omnia continere.

Sed quæro item quomodo idem Spiritus scientiam vocis habuit. An forte in eo quod habere fecit, sic et Abrahæ dictum est (*Gen.* XXII). Nunc scio quod timeas Deum pro eo quod discesseris scire feci. Quod autem esset miranda vel stupenda scientia illa vocis quam Spiritus ille dedit quantum corda discipulorum replevit testantur Judæi illi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est : *Nonne ecce omnes isti*, inquiunt, *qui loquuntur Galilæi sunt. Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus* (*Act.* II). Sed, ne tibi parum videatur, quod linguis omnium nationum loquuntur, interroga adhuc eosdem Judæos quid eisdem linguis loquantur : *Audivimus eos*, inquiunt, *loquentes nostris linguis magnalia Dei* (*ibid.*). O quantum est magnalia Dei vel in una lingua loqui. Sed quamvis magnum fuerit quod foris per verbum sonuerunt, multo magis tamen creditur quod ipsi intus audierunt. Magnum sane fuit vocem illam audire per quam discipuli Christi magnalia Dei docuerunt, sed multo magis fuit illam internæ aspirationis vocem intelligere per quam ipsi didicerunt, utriusque tamen vocis scientiam habebant, et ejus per quam didicerant, et ejus per quam docebant. Alioquin magnalia Dei nec ipsi nossent, nec aliis innotuissent. Vox illa quam exterius formabant, vox erat corporalis, vox illa quam interius audiebant, vox erat spiritualis. Illa cum strepitu extrinsecus sonabat, et alia post alia quomodo poterat et quantum valebat auditoribus exprimebat, ista absque omni strepitu intrinsecus spiritabat, et in momento, et in ictu oculi quomodo volebat, et quantum placebat mentibus imprimebat. O quantum est inter vocem et vocem, inter vocem corporalem et vocem illam spiritualem! Utriusque tamen scientiam habet, utriusque scientiam habere facit Spiritus ille qui omnia continet. Nam sane, sicut legis, hoc quod continet omnia scientiam habet vocis, parum obsecro tibi sit qui hæc audis vel legis, solam illam vocem audisse vel nosse, ejusque scientiam habere quæ solet exterius perstrepere. Stude et satage illam audire et intelligere quæ sola sufficit in omnem veritatem adducere, et sola sine verborum strepitu docet hominem scientiam, hanc internæ aspirationis vocem propheta ambiebat, cum dicebat : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* CXVIII). Quid tamen mirum si ad illam anhelabat, si in illam suspirabat cujus virtutem, cujus dulcedinem tam edoctus, toties expertus fuerat? Audistis superius de ejus virtute, vultis adhuc de ejus dulcedine audire? Audistis, inquam, illas internæ locutiones quam efficaces sint ad docendum, attendite et modo quam dulces sint ad audiendum. Ille tamen hoc dicat quem experientia docuerat : *Quam dulcia*, inquit, *faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo* (*Psal.* XCIII). Si tam magnum est, tamque jucundum, ut experta loquar, spirituales viros audire, et doctos adeo doctores veritatis habere, quanto majus, quantoque jucundius ab ipso Deo quotidie discere, quotidie didicisse. Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Hanc sane beatitudinem perdere, Dominique sui doctrinam amittere propheta metuebat, cum in oratione dicebat : *Domine, quis similis erit tibi; ne taceas neque compescaris, Deus* (*Psal.* LXXXII). Parum utique mihi est si linguis hominum loquar et angelorum, nisi merear quandoque audire et intelligere quid loquatur in me Dominus Deus. Quid enim juvat scientiam habere humanæ, seu angelicæ vocis et ejus vocem nescire qui scientiam habet, et cum vult habere facit omnis vocis? O vere beati apostoli qui talem magistrum habuerunt, qui Spiritum veritatis acceperunt, qui omnium scientiam habuit, qui omnium scientiam dare potuit. O vere beati quorum corda Spiritus iste gratia sua replevit, quorum animos ad omnem virtutem roboravit, quorum mentes ad omnem scientiam illuminavit! Recte in ejus facti recordatione canimus quod jam toties replicavimus, et replicare non cessamus : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc, quod continet omnia scientiam habet vocis.*

Ecce jam diximus secundum quem modum potuerunt Christi discipuli Domini Spiritum accipere quæ tamen eis secundum aliquid nunquam potuit deesse, quam constat ubique esse et omnia implere. Qui enim secundum majestatis suæ præsentiam ubique est, secundum gratiæ suæ exhibitionem, ubi

Digitized by Google

jam diximus, adesse et abesse potest. In hoc itaque Illis Spiritus iste præsentiæ suæ copiam exhibuit, quod eis gratiæ suæ abundantiam infudit. Veraciter igitur et absque dubio hodierna die Spiritum sanctum acceperunt qui ipsius adventum secundum Christi promissum cum fide et desiderio exspectaverunt. Sed iterum quæro nunquid ante illum Spiritus sancti adventum sine Spiritu sancto fuerunt? Nunquid ante illam Pentecostes diem gratiam sancti Spiritus non habuerunt? Si nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto, nunquid Petrus tunc temporis erat sine illo, quando tam secure quam vere ante Christum de Christo ausus est confiteri, *quia tu es Christus Filius Dei vivi?* (*Matth.* XVI.) Nunquidnam discipuli Christi sine Spiritu sancto erant quando spiritum immundum de obsessis corporibus ejiciebant, et cætera in hunc modum multa signa faciebant? (*Luc.* X.) Certe ante illam diem factum novimus, nec inde dubitare debemus quod in Evangelio legimus, quia insufflavit eis Jesus, dicens : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (*Joan.* XX). Sed ut cætera taceam, sine Spiritus sancti gratia nec in Christum saltem credere potuerunt. Quid ergo hodierna die acceperunt, si et ante hanc diem Spiritus sancti gratia perfusi fuerunt? Sed constat sane quod ejusmodi stillicidia gratiæ dantur modo ad solam infusionem, modo vero usque ad diffusionem, quandoque autem etiam usque ad effusionem. Infusio est etiamsi minus influit quam vas capere possit. Diffusio est quando eousque profunditur donec nulla ejus pars vacua relinquatur. Infusio in effusionem jam transit quando quod effusum est supereffluit. Juxta hujus similitudinis formam multi accipiunt Spiritus sancti gratiam, alii ad solam infusionem, alii usque ad diffusionem, alii autem usque ad effusionem. Ad solam infusionem accipit qui gratiam quidem percipit, minus tamen quam sibi sufficere possit. Usque ad diffusionem accipit qui tantum gratiæ percipit quantum sibi sufficere possit. Usque ad effusionem accipit cui tantum suppetit quod sibi et certis sufficere possit. Infusio est ad sustentationem, diffusio ad satietatem, effusio ad erogationem. Infusio ad refectionem, diffusio ad repletionem, effusio ad dispensationem. Infusio ad boni inchoationem, diffusio et effusio ad boni consummationem. Infusio ad ædificationem sui, effusio ad ædificationem proximi. Ex hac ergo homo accipit ut prosit, ex illis ut proficiat. Possumus itaque et gratiam habere et ejus tamen plenitudine carere. Aliud enim est habere gratiam præsentem, et aliud est habere gratiam sufficientem. Certe et ante hanc diem discipuli Domini sine gratia non fuerunt, sed in hac die gratiæ plenitudinem acceperunt. Denique unus ex illis erat quem gratia plenum Scriptura affirmat, cum dicat: *Stephanus plenus gratia et fortitudine faciebat signa et prodigia multa in populo* (*Act.* VI).

Acceperunt itaque Spiritus sancti infusionem apostoli hoc tempore usque ad diffusionem, quia repleti sunt omnes Spiritu sancto, nec ad solam diffusionem, verum etiam usque ad effusionem, quia cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei. Qui ergo Spiritu sancto repleti sunt, gratiæ plenitudinem acceperunt. Et qui prius habuerunt gratiam præsentem, jam habere cœperunt gratiam sufficientem. Qualis fuerit prima gratia testatur casus Petri; qualis fuerit secunda, loquitur constantia Stephani. Certe nec Petrus caderet si gratiæ plenitudinem haberet, nec Stephanus in tanto virtutum fastigio staret, si plenitudine careret. Quod autem eos plenitudinem gratiæ accepisse dicimus, sic sane intelligi volumus quod sufficientem quidem gratiam acceperunt, non quod omnem gratiam post illam infusionem possederunt. Omnem enim gratiam possidere vel capere potuisse, est utique solius illius de cujus plenitudine omnes accepimus. Nihil itaque aliud dicimus unumquemlibet gratiæ plenitudinem accipere quam secundum præsentis vitæ statum et uniuscujusque capacitatem gratiam sufficientem habere. Nam alia sane erat illa plenitudo gratiæ quam homo habere poterat, seu potius habebat ante peccatum; et alia quam modo habet vel habere valet secundum præsentis miseriæ statum. Ante peccatum siquidem homo sufficientem gratiam habuit, et ad omne malum cavendum, et omne debitum solvendum, alioquin non potuit vitare peccatum. Hanc autem gratiæ plenitudinem in hac vita sicut nemo habet, sic absque dubio nec habere valet. Cui enim hominum unquam datum est, vel omne debitum implesse, vel omne illicitum vitasse? Hoc de illo solo recte creditur de quo veraciter scribitur : *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Quantum ergo ad præsentis vitæ statum nihil aliud dicimus hominem aliquem Spiritu sancto plenum esse, vel gratiæ plenitudinem habere, quam gratiam sufficientem a Domino accepisse ad omnia illa quæ ab ipso vult districte exigere, quamvis non ad omnia illa quæ ipsi disponit misericorditer ignoscere. Multa tamen sunt et magna, imo et cæteris omnibus magis ardua atque difficiliora : quæ Deus ab homine exigit postquam peccavit, quæ utique nunquam exigeret si homo nunquam peccasset. Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Recole, quæso, quanta pro Christo passi sunt qui ab ipso audierunt : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XXI; *Luc.* IX). Nosti satis per quam viam Christus intravit in vitam æternam. Oportebat enim pati Christum et resurgere a mortuis, et ita intrare in gloriam suam (*Luc.* XXIV). Similiter et sancti ludibria et verbera experti, insuper vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occasione gladii mortui sunt (*Hebr.* XI), ut post Christum currerent, et Christi viam tenentes cum Christo ad vitam intrarent.

Sed nunquid tolerantiam tribulationum et laborum, injuriarum et contumeliarum, passionis et

Digitized by Google

mortis Deus ab homine exigeret si homo non peccasset. Omnino non exigeret. Sed ecce ejusmodi omnia modo ab homine exigit, et ad ejusmodi omnia multis quidem gratiam suam misericorditer tribuit, et largiter impendit. Videtur itaque homo juxta aliquid majorem quidem gratiam in hujus mortalitatis nostræ statu posse percipere, quamvis primæ illius perfectionis integritatem ad plenum non possit recuperare. Et miro utique modo qui ad primam illam perfectæ puritatis viam non sufficit, ad majora se jam virtutum certamina accingit. Sicut igitur vasculum plenum dicimus quando tantum capit quantum capere potest, sic hominem gratia plenum asserimus, quando talem tantamque gratiam accipit, ad qualem quantamve habitudinis suæ capacitatem idoneus est. Accipit itaque alius alio majorem, et alius alio minorem ; et secundum quod divisiones gratiarum sunt unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum ; alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu. Et in hunc modum alia multa operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. Ecce qualem, fratres, Paracletum, ecce qualem consolatorem acceperunt qui a Domino audire meruerunt: *Rogabo Patrem meum et alium Paracletum dabit vobis* (*Joan.* XIV). O quale erit habere ipsum consolatorem qui potens est operari omnia in omnibus, et dividere singulis prout vult! Si ergo volumus talem consolatorem habere, studeamus tales esse in quos dignetur descendere et sua gratia : *Super quem*, inquit, *requiescit Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et timentem sermones meos?* (*Isa.* LXVI.) Ecce qualem esse oportet qui hujus Spiritus adventum exspectat. O quam libenter, quam gratulanter debemus nos ad omnem subjectionem dejicere, ad omnem humilitatem inclinare, ut mereamur hunc Spiritum accipere, et talem consolatorem habere! Cogita, quæso, quam sit dulce, quamve delectabile ejus consolatione foveri, ejus dulcedine repleri, cujus suavitas omnem suavitatem vincit, cujus dulcedo omnem dulcedinem excedit. Audi quid de eo sentiat de quo ista dulcedo emanat : *Spiritus*, inquit, *meus super me dulcis* (*Eccle.* XXIV). O cor felix, quod hoc melle repleris! o anima beata, quæ hac suavitate reficeris! mel invenisti, comede quod satis est. Gustate et videte, obsecro, qui ejusmodi estis; gustate, inquam, et videte quam sit suavis Spiritus ille super mel dulcis. Miror si non exclamabitis in voce exsultationis et confessionis : O Domine, quam suavis est Spiritus tuus in nobis! Beati qui esuriunt et sitiunt suavitatem hanc intimam, quoniam ipsi saturabuntur cum gustaverint eam. Audacter affirmo quia sola una hujus mellis stilla potest quod totus mundus facere non potest. Cor quod totius copia mundi non satiat, una hujus dulcedinis gutta plene inebriat. Certe magnus ille Alexander qui totum mundum subjugare potuit, A desiderio suo satisfacere non potuit. Nam subjugato sibi mundo, si mundus adhuc alius esset quem sibi subjici posse confideret, non minori aviditate in illum subjiciendum sibi aspiraret. Et si, illo item subjugato, alii et alii adhuc superessent, cordis illius ingluviem irritare potius quam satiare potuissent. Cogita ergo quanta sit latitudo illius orbis terrarum qui intus est, quem exterior iste orbis terrarum quantumcunque dilatatus vel quotiescunque multiplicatus satiare non potest. Nonne philosophi videntur errasse qui hominem microcosmum, id est minorem mundum, dixere? Nunquidnam, obsecro, non merito major mundus dicendus est humanus ille animus qui mundo utique major est, quem totus mundus nulla sua dilatatione, nulla B sui multiplicatione satiare potest? Si enim iste orbis terrarum latitudini cordis unius comparetur, quid aliud, incapacitatis vel aviditatis illius comparatione, quam parva quædam buccella esse videtur quiæ in illud interioris hominis os injecta penitus implere non valet, imo pene non comparet? Sed si ad illam internam et supernam dulcedinem inhias, si ad veram et æternam suavitatem suspiras, audi quid tibi divinitus præcipitur, et attende quid tibi simul promittitur : *Dilata os tuum, et implebo illud* (*Psal.* LXXX). Certe, si terrena oblectamenta esuris, si carnales voluptates sitis, melius est tibi os tuum contrahere quam dilatare, desiderium tuum restringere quam extendere, cum nusquam locorum invenias unde illud satiare, et illi satisfacere valeas. Quidnam est os illud interioris C hominis nisi desiderium cordis? Nam os illud exterioris hominis implere, nec Deo magnum promittere, nec homini magnum accipere quia una buccella panis valet et solet illud implere. Sed illud os interioris hominis (desiderium videlicet cordis) nunquam satiatur, nunquam impletur nisi interius spiritualibus deliciis, et beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis. Certe quisquis es qui spirituales delicias ad manus habes vel habere potes, habes unde impleas os tuum, habes unde impleas ventrem tuum, habes et unde impleas tabernaculum tuum. Dilata ergo locum tentorii tui, longe fac funiculos tuos, extende, ne parcas. Sufficiunt D satis et superabundant deliciæ Spiritus ad implendum os tuum, ventrem tuum, tabernaculum tuum, ad implendum denique universum illum orbem terrarum, de cujus latitudine multa jam diximus, verumtamen digne exprimere non potuimus.

Cum igitur interna illa dulcedine in hunc modum Spiritus Domini repleverit orbem terrarum, et repleverit in bonis desiderium tuum, mirari incipies quomodo terra illa quæ non satiatur aqua possit saturari dulcedine illa. An forte melle saturari potest quæ aqua saturari non potest? An forte quæ non potest aqua satiari, spirituali vino potest et inebriari : *Visitasti terram et inebriasti eam* (*Psal.* LXIV). Tali utique vino potati sunt quos Judæi mirati sunt quomodo ebrii essent, cum esset hora diei

Digitized by Google

vix tertia. Audistis vino inebriatos, audite et melle satiatos : *Cibavit illos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos.* (*Psal.* LXXX). Nescit omnino, nescit quæ sit vera et plena refectio : quem non satiat supercœlestis illa et plus quam dulcedo mellea : et potest Domino psallere qui est ejusmodi : *Quia anima mea sicut terra sine aqua tibi* (*Psal.* CXLII). Econtrario autem quotiescunque dulcor ille spiritualis satiavit animam inanem, et animam esurientem satiavit bonis, psallere debet et dicere : *Quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum* (*Sap.* I), eo quod ipse sit qui impleverit in bonis omne desiderium suum. Uti autem superius jam designavimus, non omnes æquiformiter hanc intimæ dulcedinis accipiunt instillationem : alii namque ad solam infusionem, alii autem usque ad diffusionem, alii vero accipiunt etiam usque ad effusionem. Si contentus es adhuc infusione sola, merito dicetur tibi : *Quia mel et lac sub lingua tua* (*Cant.* IV). Sed cum infusionis ejusmodi abundantiori copia repleveris non solummodo sinum mentis verum etiam oris, et hanc spiritualis dulcedinis instillationem usque ad diffusionem acceperis, tibi dictum putabis : *Diffusa est gratia in labiis tuis* (*Psal.* XLIV). Cum vero ista spiritualis gratiæ inundatio cœperit altius excrescere, et per os ubertim emanare, et dulcedinis infusio in effusionem transire, merito, ut arbitror, ejusmodi effusione jam facta, dicetur tibi quicunque es ejusmodi effusione anima perfusa : *Quia favus distillans labia tua* (*Cant.* IV). Hanc intimæ dulcedinis abundantiam profecto expertus erat qui dicebat : *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ quam abscondisti timentibus te !* (*Psal.* XXX.) Hanc absque dubio expertus erat qui omnem aliam consolationem renuebat quoties de hujus subtractione dolebat, unde et dicebat : *Renuit consolari anima mea* (*Psal.* LXXVI). Hæc enim sola animum in intimis finxit, et per aliena desideria currere, et evagari non sinit. Mirari itaque habet cui hæc experiri licet, humanus ille animus vagus et profugus super terram, qui fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet, quomodo in uno suavitatis internæ desiderio totus inhæreat, et quomodo tota illa tot desideriorum turba ad unum se votum astringat, vel quomodo tanta tam innumerabilium cogitationum familia in uno eodemque concupiscentiæ suæ respectu fixa permaneat. Sed unde hoc, quæso, nisi quod Spiritus Domini qui replet omnia, simul et etiam continet omnia ? In eo enim quod replet, in eo ipso et continet. Nam unde interiora nostra sua dulcedine afficit, inde ad se omnes cordis motus convertit, et in illius expertæ suavitatis desiderio figit. Nunquam enim discursus ille fluctuantium desideriorum, et tumultuantium cogitationum compescitur, nisi interna refectione satietur. Quandiu enim mens ad veram et plenam refectionem pertingere non valet, habet semper quo per desiderium festinet, una itaque eademque spiritualis dulcedo est quæ sola sufficit intima nostra satiare, et ad unam pacem componere, ita ut idem Spiritus recte dicatur omnia replere, et omnia continere. Sed hanc utique spiritualem satietatem melius vindicat, et facilius comparat paupertas spiritus quam copia census. Vere beati pauperes spiritu secundum sententiam Domini Jesu (*Matth.* V). Edent enim pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum. Econtra divites egucrunt, et esurierunt. Merito ergo pauperes laudabunt qui saturari meruerunt. O quam jucunda laudatio quæ hanc saturitatem sequitur ! O quam intima exsultatio quæ hanc suavitatem comitatur ! *Memoriam*, inquit, *abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, et justitia tua exsultabunt* (*Psal.* CXLIV). Ad hanc utique laudationem, ad ejusmodi exsultationem illius intimæ suavitatis convivas Propheta invitabat, cum dicebat : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus* (*Psal.* CII). Et causa subditur, cum dicitur : *Qui replet in bonis desiderium tuum* (*ibid.*). Quanta, quæso, acclamatio ; quanta, obsecro, vociferatio in altum ascendit, et ad aures Domini Sabaoth pertingit, quando tota illa interna familia divinæ laudationi pariter acclamat, et in voce exsultationis et confessionis pari concordia reboat ; quando tota interioris hominis substantia in tripudium resolvitur, et mens hominis medullitus resoluta tota in jubilum vertitur ? Hæc est illa vox salutis quæ auditur in tabernaculis justorum. Vere vox est salutis, vox jubilationis. Beatus enim populus qui scit jubilationem (*Psal.* CXVII). Quis itaque vocis hujus dignitatem digne explicare, quis digne saltem vel æstimare possit ? Solus itaque ille Domini Spiritus eam novit, et digne pensare sufficit, qui cordis duritiam in ejusmodi tripudium sua dulcedine resolvit. Quæ alia vox, quæso, rectius intelligitur in eo quod dicitur : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum ; et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis* (*Sap.* I). Quæ, inquam, est ista vox quam Spiritus Domini dicitur nosse, cujus scientiam præ cæteris dignatur habere ? Videtis quomodo vox hic indifferenter ponitur, ut quæcunque sit illa cæteris omnibus dignior atque præstantior magnitudinis suæ excellentia, dignitatisque prærogativa recte intelligatur. Sic utique cum Propheta vel Apostolus sine determinatione ponitur, non alius quam prophetarum eximius et apostolorum egregius, David et Paulus consequenter intelligitur. Quæ ergo est ista vox vocum, nisi illa quæ sola valet et solet facere populum beatum ? Beatus populus qui scit jubilationem. Beatus ille qui in seipso invenit, qui in intimis suis sentit unde pro se, et quasi ex sententia psallere possit : Spiritus Domini replevit orbem terrarum ; et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Beatus vir ille cujus desiderium spirituali quadam dulcedine ita fuerit satiatum atque repletum, ut de cordis sui latitudine vel aviditate veraciter fateri audeat quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Beata illa anima cujus omnia ex intimo præcordia in solius divinæ dulcedinis desiderio ita fuerit infixa, et ab omni concupiscentiæ casu

Digitized by Google

aliena, ut pro conscientiæ testimonio, pro intimis suis profiteri audeat; quia Spiritus Domini est hoc quod continet omnia. Beata illa anima quæ ejusmodi gratulationis et gratiarum actionis vociferationem in seipsa attendit, cujus scientiam soli illi digne ascribat qui in illa omnia replet et omnia continet, ita ut cum fiducia dicat, et pro experientia psallat: Spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc, A quod continet omnia, scientiam habet vocis. Vere et absque dubio virtutem hujus solemnitatis experiri mihi videtur cujus lingua pro conscientiæ testimonio in hanc professionem resolvitur, quando ex abundantia cordis os loquitur, ita ut veraciter pro seipso profiteatur quia Spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.

DE COMPARATIONE CHRISTI AD FLOREM ET MARIÆ AD VIRGAM.

Virgo Dei genitrix virga est, flos Filius ejus; quia recte dicitur virga beata Virgo Maria, virga recta, virga erecta et in cœlum usque porrecta, virga gracilis, virga flexibilis, virga florigera, virga fructifera. Recta per fidem, erecta per speciem, procera per longanimitatem; per humilitatem gracilis, per compassionem flexibilis, per virginalem conceptionem florigera, per partum salutis fructifera. Virgo Dei Genitrix virga est, flos Filius ejus. O quam bene, quam recte flos dicitur, qui ex virga virginali producitur! Quid flore tenuius, quid flore tenerius? Quid ad tactum lenius, quid ad portandum levius? Quid flore formosius, quid flore fragrantius, quid flore fructuosius si effectum attendimus? In flore namque mellificatio, ex flore fructificatio. Ex flore itaque favus et fructus. In favo mel et cera, in fructu potus et esca. Si parva sunt ista, addo quia et in flore est medicina. Quid namque flore tenuius, cum astringitur; quid tenerius, cum atteritur; quid lenius, cum attrectatur; quid levius, cum portatur; quid speciosius, cum aspicitur; quid fragrantius, cum odoratur; quid utilius, si effectus attenditur? Septem itaque sunt quæ in flore miramur, tenuitatem, B teneritudinem, lenitatem, levitatem, pulchritudinem, odorem, utilitatem. Ex his itaque collige virginis ille Filius qualis invenitur ab illis quibus in florem vertitur. Nam qui incredulis et prævaricatoribus est lapis offensionis et petra scandali, flos est spe et amore inhærentibus illi; flos utique mirabilis, spe et utilitate singularis; flos, inquam, est Filius virginis. Flos tenuis ad indignationem, tener ad miserationem, mansuetudine lenis, damnatione levis, pulcher per conversationem, fragrans per repromissionem, utilis per remunerationem. Est ergo tenuis in flagellis, tener in misericordiis, lenis in donis, levis in præceptis, pulcher in exemplis, fragrans in promissis, fructuosus in præmiis. Hic flos factus est nobis medicina, ex illo mel et cera, in ipso potus et esca. Medicina in redemptione, potus et esca in justificatione, mel et cera in glorificatione. C Ex hac medicina sanitas sempiternæ incorruptibilitatis; ex ejus esca refectio internæ satietatis; ex ejusmodi potu ebrietas æternæ securitatis; de illius cera splendor summæ claritatis; in ejus melle dulcor indeficientis felicitatis.

DE SACRIFICIO DAVID PROPHETÆ,

Et quid distet inter ipsum et sacrificium Abrahæ patriarchæ.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum; offeram tibi boves cum hircis (*Psal.* LXX). Videamus, si placet, quid sibi velint hujusmodi sacrificia, caro arietina, caro bovina, caro hircina. Puto namque hæc omnia in figura esse dicta. Alioquin si in his omnibus carnaliter sapitis, si solam litteram attenditis, attendite quid dicatur vobis: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* (*Psal.* XLIX.) In carnalibus igitur Judæorum sacrificiis nihil carnaliter sapiamus, sed quæ juxta litteram carnem sapiunt spiritualiter discutiamus. Nunquam enim carnem arietinam, bovinam, vel hircinam Propheta Domino velut pro magno promitteret, nisi in his aliquid magnum, Dominoque admodum gratum adumbrari perspexisset. Aries est animal admodum mansuetum, quod coram tondente obmutescit, et non aperit os suum. In D hoc ipso itaque formam mansuetudinis gerit, quæ inter pressuras et contumelias patientiam custodit. Vultis audire quanta sit virtus mansuetudinis, vel quæ sit retributio hujus muneris? *Mansueti autem*, inquit, *hæreditabunt terram: et delectabuntur in multitudine pacis* (*Psal.* XXXVI). Quantum, quæso, est æternam hæreditatem accipere, et cum pace possidere? Sed quali pace? Delectabuntur, inquit, in multitudine pacis. Parum fuit ei dicere, delectabuntur in pace, sed delectabuntur, ait, in multitudine pacis, quia pacis illius non erit finis. Est autem aries dux gregis. Oportet ergo per virtutem mansuetudinis formam se exhibere totius congregationis, ita ut sit in exemplum omnibus aliis, qui vult esse auctor hujus muneris. Probatam ergo mansuetudinem et omnibus imitabilem habere, hoc est arietem offerre; probata autem virtus corripit

Digitized by Google

insipientes. Ecce de ariete, videamus nunc de bove. Bos, ut novimus, sponte inclinat collum suum ad portandum jugum. Hæc est forma obedientiæ quæ se solet semper, et debet subdere voluntati alienæ. Quemadmodum igitur in ariete probata mansuetudo, sic in bove intelligitur voluntaria subjectio. O quale quantumque sacrificium suam voluntatem omnino postponere, et totum se ad alienum arbitrium exponere, nihil sibi de semetipso reservare! O quam confidenter crucifixo astabit, qui se propter ipsum ad omnem obedientiam subdit! Cum quanta conscientiæ securitate verus obediens ad thronum gratiæ illius accedet, qui factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis! Cum quantis tropæis de stadio hujus vitæ exibit, qui semetipsum propter Christum penitus abjicit, et alienæ servituti addicit, juxta Salomonis sententiam : *Vir obediens loquitur victorias* (*Prov.* xi). Profecto hoc loquitur quod operatur. Quanta victoria vincere peccatum! Quanta victoria vincere seipsum, vincere mundum, vincere diabolum! Sic omnia vincit qui propriam voluntatem evincit, qui cervicem suam obedientiæ jugo libenter supponit. Bovem itaque offerre est voluntariam subjectionem libenter exhibere. Ecce de carne bovina. Videamus nunc quid sentiendum sit de carne hircina.

Scimus satis quæ sit illa virtus quæ hominem facit sibi ipsi vilescere, et quasi in suis naribus fetere. Hircus sane habet odorem fetidum, et quasi hircum Domino offerimus per voluntarium contemptum. Sicut in bove itaque voluntaria subjectio, sic in hirco apte figuratur voluntaria abjectio. Semetipsum ergo ad omnem vilitatem et abjectionem propter Dominum exponere, et infirmitatem suam humiliter recognoscere, est Domino hircinam carnem offerre. Ejusmodi caro quanto minus sapit palato humano, tanto magis sapit palato divino. Excelsus enim Dominus et humilia respicit, et alta a longe cognoscit. Ecce jam diximus quid sibi velint hujusmodi sacrificia, caro arietina, caro bovina, caro hircina. Arietina caro, probata mansuetudo; bovina caro, voluntaria subjectio; hircina caro, voluntaria abjectio. Hæc sunt sacrificia medullata, sacrificia Domino admodum grata. Medulla intra ossa latitat, et impinguat. Virtutum medulla, intentio bona; virtutum medulla, devotio intima. Ex bona namque intentione, ex intima animi devotione virtutes irrigantur, et ad perseverantiæ robur solidantur. Sacrificia itaque medullata, obsequia devota. Sit ergo devota mansuetudo nostra, sit obedientia nostra, sit humilitas nostra devota, ut sit medullata quælibet oblatio nostra. Ecce habemus quales hostias Domino offerre debeamus. Ecce habemus quales epulas ei apponamus, cum volumus. Puto quia si ex designatis animalibus tria ei fercula opponimus, gratam admodum ei cœnam exhibere poterimus : *Ecce ego*, inquit, *pulso ad ostium : si quis aperuerit mihi, intrabo ad ipsum, et cœnabo cum illo* (*Apoc.* iv). Introducamus eum interim ad cœnam nostram, ut quandoque introduci mereamur ad cœnam suam.

A Si qui autem sunt in vobis viri divitiarum quibus parum sit tria tantummodo ei ad similitudinem David fercula apponere, studeant juxta exemplum Abrahæ, quartum et quintum superaddere. Quinquepartitum namque sacrificium Domino Abraham obtulit, sicut ex ipsius Domini institutione accepit; accepta namque promissione Abraham de terra Chananæorum quam in suis hæredibus possessurus erat, nimio familiaritatis ausu quam apud Dominum habebat, signum in hoc ipsum a Domino humiliter quærebat : *Domine Deus*, inquit, *unde scire possum quod possessurus sim eam?* Et Dominus Abraham : *Sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium : turturem, et columbam* (*Gen.* xv). Fecit Abraham quod ex divina institutione accepit, et super hostias suas accepto cœlitus igne, signum quod concupierat obtinuit. Quia ignem cœlitus accepit, signum profecto magnæ dilectionis fuit, et merito sperandi majora magnam fiduciam præbuit : minora namque beneficia libenter impensa dant ausum absque dubio præsumendi majora. Sic arrhas accipimus, ut conventionis certitudinem inconcussam teneamus. Divinæ ergo promissionis quasi quædam arrha Abrahæ, fuit ignis ille cœlitus missus, qui suas hostias absumpsit. Puto quia et nos si ignem cœlestem, si ignem divinitus missum acceperimus, de divinis promissionibus jam ulterius omnino dubitare non poterimus : *Ignem*, inquit, *veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut ardeat?* (*Luc.* xii.) Sed quando hunc ignem Jesus de summis attulit, nunquid in terris tunc temporis ignis defuit, aut forte bonus non fuit? Invenit absque dubio ignem terrestrem, attulit autem ignem cœlestem. Illum venit exstinguere, istum vehementer accendere. Omnis amor ignis est, sed non omnis amor bonus est. Malus ignis amor secularis, amor carnis, amor turpitudinis. Bonus ignis amor spiritualis, amor veritatis, amor virtutis. Bonum itaque est illum exstinguere, bonum nihilominus istum accendere, et diligenter nutrire. Bonus ignis, ignis charitatis, ignis bonus et vehementer nutriendus. Hic est ignis qui de cœlis venit, qui super discipulos in igneis linguis descendit : *Charitas Dei*, dicit Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v). Ecce ignis qui cœlitus mittitur; ecce ignis qui nonnisi divinitus datur. Absque dubio qui hunc ignem acceperit, de æternæ hæreditatis promissione ulterius dubitare non poterit. Profecto ubi charitatis abundantia est, diffidentiæ locus esse non potest. Perfecta enim charitas foras mittit timorem.

Vultis autem apertius nosse quia qui hunc ignem accipiunt, de æternæ hæreditatis promissione hæsitare non possunt : *Charitas*, inquit, *omnia suffert, omnia credit, omnia sperat* (*I Cor.* xiii). Quomodo namque de divinis promissis diffidat, quæ omnia credit, quæ omnia sperat? Puto quia cœlestem hunc ignem Propheta acceperat, quando dicebat : *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Psal.* xxvi). Et Abrahæ

Digitized by Google

quidem Chananæorum terra repromittitur, et quasi arrha quadam in igne desuper misso accepta in spei suæ certitudine solidatur. Quoniam igitur Abrahæ dictæ sunt promissiones, si volumus ejusmodi promissionum cohæredes existere, satagamus designatum ignem a Domino precibus obtinere. Cogitemus quale sit terram lacte et melle manantem in hæreditatem accipere, et eam de manibus Chananæorum violenter eripere. Res utique grandis, et valde difficilis. Novit hoc patriarcha, et bene novit; et idcirco tantæ promissionis confidentiam signo confirmari quæsivit. Sed quæ est ista terra, putamus, quæ lacte et melle manat, quæ tanta dulcedine tota redundat? Ubi, quæso, est hæc terra? Ubi quærenda, vel quo invenienda? De regno cœlorum catholica fides certissime agnovit quod intra nos sit. Sed cœlum illud quod intra non est, cur non habeat sui generis terram, quemadmodum et illud quod cernitur habet terram suam? Si intra nos est regnum cœlorum, cur non et intra nos sit terra viventium? Certe hæreditas illa quæ spiritualibus promittitur, spiritualis esse comprobatur. Si vultis, terra est; si vultis, cœlum est. Terra propter stabilitatem, cœlum propter sublimitatem. Si spirituales sumus, si spiritualiter sapimus, terram hanc lacte et melle manantem quæramus interius, non exterius. Quæramus itaque quæ ista terra sit, quæ cultores suos mira dulcedine reficit, dulcedine potat, dulcedine pascit. Scimus autem quia cum cætera elementa semper in motu sint et nunquam quiescere possint, sola terra uno in loco subsistit, et summa se quiete componit. Scimus nihilominus quia timor solet semper mentem concutere, securitas autem stabilire, et ad quietem componere. Formam igitur terræ in eo ipso conscientiæ securitas gerit quæ cor humanum semper ad quietem colligere consuevit. Hæc terra multa prorsus dulcedine manat, quia cordis jucunditatem conscientiæ securitas parat. Promissionis terra, conscientia secura; terra melliflua, conscientia jucunda. Merito talis terra Chananæis aufertur, merito talis terra Judæis confertur. Pessimum hominum genus omnium, qui tunc temporis fuerunt in terra, genus Chananæorum. Optimum hominum genus omnium, qui tunc temporis fuerunt in terra genus Hebræorum. Videtis quod hæc terra sit aut valde malorum, aut valde bonorum. Profecto securitatem conscientiæ non valent vel solent, nisi aut valde mali aut valde boni, habere. Vultis apertius nosse quomodo ejusmodi terram soleant valde mali possidere? Sunt impii qui ita securi sunt ac si opera habeant justorum (*Eccle.* VIII). Impius enim cum venerit in profundum malorum contemnit (*Prov.* XVIII). Scimus nihilominus quia perfecta charitas foras mittit timorem, et e vestigio intromittit securitatem. Si enim cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus apud eum. Vides certe quod securitatem conscientiæ facit aut magna perversio, aut magna perfectio. Conscientia mala atque secura in valde malis; conscientia bona atque secura in valde bonis; conscientia mala, sed non secura in non valde malis; conscientia bona et non secura in non valde bonis. Quandiu ergo conscientia est secura et mala, adhuc sunt Chananæi in terra. Cum autem cœperit esse conscientia secura et bona, noveris jam Judæos morari in terra. Securitatem enim conscientiæ non solet omnino facere, nisi aut multa enormitas vitiorum, aut magna perfectio virtutum. Hæc est hæreditas illa quam omnino oportet de manibus Chananæorum eripere, et ab omni labe vitiorum summo studio purgare. Hæc est hæreditas illa quæ fluit lacte et melle, quia securitas conscientiæ solet mentem humanam lætitia et exsultatione replere. Lactis et mellis dulcedine refici nos voluit, qui dixit: *Lætamini in Domino et exsultate justi* (*Psal.* XXXII). Securitas falsa facit gaudium falsum, securitas vera gaudium verum. O quale quantumque gaudium habet bonæ conscientiæ testimonium! *Gloria nostra*, inquit, *hæc testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). In lacte et melle intellige duplex gaudium, conscientiæ securæ et bonæ. Geminum sane gaudium integra conscientia parit, gaudium de beatitudine corporis, gaudium de beatitudine mentis. Ex hac gemina retributione gaudemus interim in spe, in futuro autem gaudebimus in re; lac de carne profluit, mel cum rore de cœlo descendit. Lactea dulcedo quidem de carne trahitur, quando ex corporis beatitudine gaudium et exsultatio oritur. Melliflua dulcedo velut e cœlo defluit, quando de mentis incorruptibilitate inæstimabilis quædam gratulatio surgit. Lac est et illa dulcedo quam hauriemus in contemplandis creaturis; mel autem est illa quæ mentem inebriat ex contemplatione Creatoris. Nonne et hoc erit lac sugere, de inspecta Christi humanitate gaudere? Nonne et hoc erit summæ dulcedinis melle refici, de inspecta Christi divinitate in immensum gloriari? In lacte quidem dulcedo sola, non tamen summa; in melle vero dulcedo et sola et summa. Quid enim melle dulcius? In contemplanda Christi humanitate jucunditas quidem magna, non tamen summa. In contemplanda autem ejus divinitate jucunditas et sola et summa. Pertinet ad beatitudinem hominis exterioris exterioribus oculis videre in Deo naturam humanam. Pertinet vero ad beatitudinem hominis interioris interioribus oculis videre in homine naturam divinam. In lacte ergo intellige quidquid beatificæ dulcedinis corporeis sensibus corporea substantia subministrat. In melle accipe quidquid glorificæ jucunditatis in corporeis sensibus incorporea substantia distillat

Quid itaque aliud erit terram lacte et melle manantem in hæreditatem accipere, quam geminæ beatitudinis æternam securitatem in æternum possidere? Si igitur hujusmodi promissionnes cum fideli Abraham hæreditare cupimus ad spei nostræ certitudinem, cœlestem illum quem superius designavimus ignem velut pro signo petamus. Nam, sicut superius docuimus, cor quod charitatis igne plene incanduerit, nulla ignorantiæ nebula, nullus diffi-

Digitized by Google

dentiæ torpor involvere poterit. Sed qui ad similitudinem Abrahæ ignem cœlitus missum optat accipere, studeat æque et ipse simile sacrificium offerre. Jubetur itaque Abraham, uti jam dictum est, sumere vaccam triennem, et capram trimam, et arietem trium annorum, turturem quoque et columbam (*Gen.* xv). Videamus modo quid sibi velit hoc sacrificium Abrahæ, vel in quo videatur a jam dicto illo David sacrificio differre. Quid, quæso, est quod Dominus a summo patriarcha non bovem, sed vaccam quærit? Nunquidnam in hoc genere hostiarum plus feminam quam masculum diligit? Forte sic est. Neque enim a tanto amico exigeret quod minus ipse diligeret. Si mystice dicta mystica interpretatione discutiantur, puto palam fieri ratum inveniri quod dicitur: Scimus de bove quia jugum portare potest, lac autem dare non potest. Contingit vero vaccam utrumque facere, et lac dare, et domini sui jugum portare. O quale sacrificium, et obedientiæ jugum humiliter portare, et inter quælibet obedientiæ arduа cordis dulcedinem servare, et nil aliud quam lacteum dulcorem per verba distillare! Multi cum dura sibi præcipiuntur molestum quidem habent, nec tam dulciter quam fortiter sustinent. Scimus autem quia masculinus sexus quam femininus fortior est; sed lac tamen dare non potest. Bovem itaque facit obedientia fortis, vaccam vero obedientia dulcis. Bovem offerre est obedire viriliter, vaccam offerre est obedire gratanter. Bovem offerimus obediendo constanter, vaccam offerimus obediendo gratulanter. Caro bovina, obedientia robusta; caro vaccina, obedientia jucunda. Qui igitur potest, carnem offerat vaccinam; qui hoc non potest, offerat bovinam. Qui neutrum potest ex istis, offerat saltem vitulum de armentis. Vitulus sane ad jugum portandum nutritur, interim tamen ad ipsum non applicatur. Quod autem interim non portat, non est ex vitio recalcitrationis, sed ex defectu possibilitatis. Si igitur obedientiam non profiteris, non quia non vis, sed quia non possis: vitulum voves et solvis. Quid enim intelligimus per vitulum, nisi obediendi propositum, quemadmodum in bove et vacca obedientiæ exercitium? Si igitur vaccam vel bovem offerre non potes, offer vel vitulum, quem, cum integre volueris, ad manum habere potes. Certe si non potes habere obedientiæ officium vel usum, potes habere obedientiæ propositum, potes habere obedientiæ desiderium; et cum volueris, offerre potes ejusmodi vitulum. Qui matrimonio juncti sunt, non statim obedientiam profiteri possunt, cum volunt. Matrimonio namque juncti, sine alterutra licentia non possunt ab invicem separari, et ideo nec obedientiam profiteri. Vitulum ergo offerant qui ejusmodi sunt, qui obedientiæ jugum pro mentis arbitrio subire non possunt. Hinc est quod pro peccato ignorantiæ in lege unctus, sacerdos jubetur vitulum offerre. Sacerdos unctus, prælatus charitate præditus. Sacerdos unctus, prælatus erga proximum pius et erga Deum devotus. A Ejusmodi sacerdos, quanto subjectos suos verius diligit, tanto eorum errata vehementius insectatur et odit. Sed sæpe dum eorum culpas minus discrete percutit, dum percussorum vires pensare nescit, vel negligit, charitatem in eis minus caute feriens exstinguit. Per ignorantiam itaque peccat, quando malum unde amputare debuerat accumulat. Sacerdos igitur qui indiscrete agendo dum bonum intendit per errorem delinquit, vitulum pro peccato suo offerat, et obediendi potius quam imperandi desiderium de cætero habeat, qui creditum sibi regiminis officium ad plenum prout oportet dispensare non possó, per experientiam jam probat. Quid enim est aliud eum vitulum offerre, quam male jam et desiderare subesse potius quam præesse, et obedientiam aliis potius exhibere quam ab aliis exigere. Offert igitur vitulum de armentis, qui fieri jam optat quasi unus ex subjectis.

Notandum sane quod sacerdos per ignorantiam peccans jubetur pro peccato non bovem, sed vitulum offerre, ne pastoralem curam quam semel accepit audeat temere et inconsulte abjicere. Debet ergo qui ejusmodi est, subjectionis locum non tam subire quam ambire, non tam arripere quam desiderare, et hoc erit non tam bovem quam vitulum offerre. Amorem ergo prælationis ab affectu suo abscindat, prælationis tamen officium propter timorem Dei et utilitatem proximi teneat, donec opportunum et rationabilem exitum inveniat, et interim pro peccato suo vitulum per subjectionis desiderium offerat. Illud autem quid esse dicimus quod David non bovem, sed boves promittit, de manibus vero Abrahæ Dominus non vaccas, sed vaccam exigere voluit? Si plus est boves quam bovem promittere et exsolvere, cur non et æque majus sit vaccas quam vaccam in Dei sacrificio exhibere? Sed nunquid in sacrificio Abrahæ debemus credere aliquid minus a perfecto esse potuisse? Cui ergo perfectio jure ascribitur, si summo patriarchæ denegatur? Quis autem dicat vel Dominum tantum amicum ad optima non instituisse, vel tantum virum ad perfectionis instituta animum promptum non habere? Ut autem breviter dicam quid in bove vel bobus sentiam, hoc est, ut mihi videtur, bovem offerre, manum suam ad debitam obedientiam plene exsolvendam fortiter extendere. Hæc hostia geminatur, quando et ad debitam et ad indebitam obedientiam operationis nostræ manus viriliter extenditur. Pene omnes cum ad religionem venimus, obedientiam cum determinatione promittimus, nam obedientiam secundum ordinem profitemur. Non est ergo in prælati potestate ad ea quæ supra professionis suæ ordinem sunt, subjectum suum violenter cogere. Debitum namque est quod præcipitur secundum ordinem, indebitum quod est supra professionem. Boves itaque cum Propheta offerimus, quoniam et debitam et indebitam obedientiam animo nostro extorquemus, et constanter exhibemus. Vaccas autem veraciter tunc offerimus, quando utramque obedientiam non

Digitized by Google

solum æquanimiter, sed etiam delectabiliter exsolvimus. Quomodo ergo ad Abraham sola vacca requiritur, vel a tanto, ut dictum est, viro una tantum exsolvitur? Nam nec sola indebita obedientia ad debiti solutionem, nec sola debita sufficit ad perfectionem. Dicam certe, dicam quod super hac re animus mihi suggerit, judicet quisque quomodo voluerit. Potes, si volueris, nullam obedientiam indebitam tibi facere, et tunc non video quomodo Deus a te possit plus quam unam vaccam exigere. Si promittis coram Deo tuo, vel profiteris coram prælato tuo obedientiam ad omnia, jam tibi de reliquo nulla obedientia erit indebita, et pro debito obedientiæ sufficit tibi solam vaccam offerre. Melius, ut mihi videtur, una sola vacca juxta hunc modum offertur, quam cum hostia tua juxta prædictum modum geminatur. Nulla sane tibi obedientia videbitur gravis, vel importabilis, si illius exemplum perfecte æmularis qui factus est obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II). Vaccam ergo in Domini sacrificio juxta Abrahæ exemplum offerimus, si plenam ad omnia obedientiam promittimus, et cum gaudio exsolvimus. Prompti autem et parati simus quantum in nobis est, non solum melioribus, vel æqualibus, verum et pejoribus talem obedientiam exhibere, et constabit nos procul dubio juxta Dominicum præceptum vel documentum vaccam triennem obtulisse. Hostiam talem, vaccam profecto triennem, offerre nos voluit qui dixit : *Subjecti estote humanæ creaturæ propter Deum* (*I Petr.* II). Ecce de vacca, nunc videamus de capra. Sed facile est, ni fallor, ex superioribus colligere, cur maluit Dominus ab Abraham capram potius quam hircum exigere. In hirco vel capra intelligitur voluntarius contemptus. Capra autem lac præbere solet, non hircus. Capram ergo offerre est contemptum suum magna cordis dulcedine sustinere. Est autem, ut dictum est superius, fortior sexus masculinus quam femininus. Hircus ergo non capra offertur, cum sui contemptus a quolibet non tam gaudenter suscipitur, quam fortiter sustinetur. Qui ergo capram non potest, offerat vel hircum; qui horum potest neutrum, offerat vel hædum. Hædus tenera res est, et qui sine lacte matris vix vel nullo modo vivere potest. Hædum itaque offert, qui contemptum suum ægre quidem et cum magna molestia sustinet, alienæ tamen consolationis lacte recreatus patientiam sibi extorquet. Dum itaque contemptum suum alius sustinet patienter, alius fortiter, alius gratanter, unus hædum, alter caprum, alius capram offerre videtur. Si igitur contemptus patientiam amplecteris, offers hædum de capris. Offers caprum contemnendo contemptum tuum. Offers capram exhilarescendo ad illatam injuriam. Capra, ni fallor, erat oblatio eorum de quibus habetis in Actibus apostolorum : *Ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V). Si autem pauperculus es, et ad oblationem capræ vel hirci non sufficis, offer saltem hædum de capris. Hædinis certe carnibus Jacob patrem suum satiavit, et fratri debitam benedictionem accepit. Audis benedictionem, attende et qualem : *Det tibi Deus*, inquit, *de rore cœli, et de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, et vini, et olei, et serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, ille maledictus; et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur* (*Gen.* XXVII). Qui igitur cupit talem benedictionem hæreditare, audiat consilium Rebeccæ : *Affer*, inquit, *mihi duos hædos optimos, ut ex eis faciam escas patri tuo, quibus libenter vescitur* (*ibid.*). Vides certe quod duos eum hædos parare oporteat, qui ad tantam benedictionem anhelat. Certe cum male agis, juste contemneris. Et quid aliud quam hædinas carnes offers si patientiam amplecteris? Qui autem etiam inter bona opera contemnitur, et tamen patientiam amplectitur, hostiam suam geminare videtur. Geminos itaque hædos offerre, est tam justum quam injustum contemptum patienter sustinere. Geminum autem hircum tunc quivis offerre videtur, quando ad justum et ad injustum contemptum fortiter sustinendum promptus invenitur. Capras autem offerre, est ad utrumque contemptum mente hilarescere, et inter quaslibet injurias, quamlibet injustas, cordis dulcedinem corde retinere. Sed qui cum beato Job veraciter dicere potest : *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea* (*Job* XXVII), nescio quomodo in hoc genere sacrificii possit geminari illius hostia.

Quomodo enim, quæso, justum contemptum incurrere valet, quem sua conscientia in nullo remordet? Merito ergo Dominus ab Abraham unam tantum capram quæsivit, cujus vita irreprehensibilis fuit, et qui ab aliis nonnisi indigne contemni potuit. Merito David suam in hac parte hostiam duplicavit, qui inter multa bona quæ egit, gravissima etiam quædam mala commisit. Habuit itaque in vita sua et unde juste et unde nonnisi injuste reprehendi vel contemni potuisset, unde et necesse fuit ut suam hostiam in Domini sacrificio geminaret. Felix qui sic vivit, ut non sit unde ab aliis jure reprehendi possit. Sufficit ei qui ejusmodi est caprum unum offerre, et injustum contemptum æquanimiter sustinere. Capra autem tunc est perfecti viri oblatio, cum injuste spretus suscipit cum gaudio. Contemnimur sane modo a superioribus, modo a coæqualibus, modo ab inferioribus. Debemus autem quorumlibet derisus et opprobria injusta libenter, imo et gratulanter suscipere, et hoc erit, ut arbitror, capram trimam offerre. Ecce de vacca, ecce de capra. Superest adhuc considerare de oblatione arietina. Bidens animal mansuetum est, et idcirco, ut jam docuimus, potest hujusmodi animal mansuetudinem figurare. Pecudem ergo offers, cum mansuetudinem exhibes. In te autem est utrum velis agnum vel ovem sive arietem offerre, et in Domini sacrificium ponere. Agnus, ut

Digitized by Google

novimus, lac non tam fundit quam sugit. Econtrario autem ovis non tam sugit quam fundit. Aries vero neutrum horum solet facere, quin potius cornibus ferire. Agnum itaque facit, qui ex alienæ consolationis dulcedine ad mansuetudinis gratiam proficit. Ovem autem in Domini sacrificio exhibet, qui blandæ consolationis, et piæ sollicitudinis studio alios ad mansuetudinis gratiam promovet. Arietem vero tunc veraciter offerimus, si in spiritu lenitatis delinquentes corripimus, et pro Domino zelantes contra prævaricatores piæ severitatis cornibus sævimus. In agno itaque intelligimus mansuetudinem trepidantem, in ove mansuetudinem blandientem, in ariete mansuetudinem zelantem. In agno mansuetudinem timoratam, in ove mansuetudinem piam, in ariete mansuetudinem severam. Agnum offers humiliter acquiescendo, ovem devote blandiendo, arietem pie increpando. Itaque in mansuetudine suscipite insitum verbum quod potest salvare animas vestras, et agnum obtulistis. Confortate manus fatigatas et genua dissoluta roborate, et ovem sacrificatis. Juxta Apostolum autem argue, obsecra, increpa (*II Tim.* IV) virtute mansuetudinis ubique servata, et erit aries, ut arbitror, oblatio tua. Puto jam non miraris cur Dominus in hoc genere hostiæ masculinum sexum ab Abraham exegerit, qui in aliis hostiarum generibus femininum prælegit. Non est mirum vel insolitum animum mansuetudine fundatum cordis dulcedinem corde servare, et juxta ovis similitudinem conceptam dulcedinem quasi lac quoddam effundere, et per verba distillare. Sed hoc vere magnum, hoc vere mirandum, cum cor mansuetum et pium sibi extorquet pro Domino zelata, et increpationis cornibus delinquentes ferire.

Quantum ad me attinet plus miror, vel malo unum arietem juxta Danielis somnium ventilante a contra Occidentem, et contra Aquilonem, et Meridiem, quam plures oves lacte abundantes. O quale quantumque sacrificium erit pro veritatis testimonio, nec sibi ipsi quidem parcere, sed pro rectitudinis zelo persequentium furorem contra se sponte provocare. O quale sacrificium suas injurias cum mansuetudine pati, libenter oblivisci, domini injuriis vehementer indignari, et increpationis cornibus sæviendo fortiter ulcisci! Hoc est, ut arbitror, arietem offerre, et in Domini sacrificio ponere. Sed merito et hoc in loco, juxta superiorem modum, quæritur cur ab Abraham unus tantum aries exigitur, cum David propheta majus aliquid proponere vel promittere videatur, in eo quod dicitur: *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum* (*Psal.* LXV). Non dicit cum incenso arietis, sed cum incenso arietum. Sed, sicut in capræ immolatione docuimus quia quandoque juste, quandoque injuste contemnimur, sic sane modo juste, modo injuste affligimur, et vicissim justam vel injustam persecutionem patimur. Qui igitur justam persecutionem quoties incurrit cum mansuetudine tolerat, quasi unum qui ejusmodi est arietem in Domini sacrificium immolat. Qui autem inter zelandum pro Domino modo juste, modo injuste affligitur, et utramlibet persecutionem sine mansuetudinis suæ detrimento patitur, iste profecto hostiam suam geminare videtur. Qui vero sine querela sunt, et irreprehensibiliter vivunt, hi sane non habent unde hostiam suam geminare vel debeant vel valeant. Puto quia illis sufficiebat ad perfectionem unius tantum arietis oblatio, de quibus testimonium habemus ex Evangelio: *Erant autem ambo*, inquit evangelista, *justi ante Deum incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela* (*Luc.* I). Animadvertis, ut arbitror, quod majus sit unum arietem juxta hunc modum offerre, quam juxta prædictum modum hostiam suam geminare. Ille vero trium annorum arietem Domino immolat, qui non solum in potentiores vel æque potentes, sed etiam potentiores liberæ increpationis cornibus impugnat, quoties zelus rectitudinis hoc exigit, vel regula veritatis dictat. Ecce jam diximus quid de vacca, quid de capra, quid demum de ariete sentire debeamus. Ex his itaque, ut arbitror, animadvertitis qualia fercula in Domini mensam parare debeatis. Sed, si Domino mensam locupletem volumus exhibere, debemus ad similitudinem Abrahæ ex turture et columba adhuc quartum vel quintum ferculum superaddere. Studiis igitur perfectæ operationis adjungamus etiam studia contemplationis. Illa sane ad quadrupedia, ista pertinent ad volatilia. Quadrupedia in terra degunt, volatilia pennis se in alta sustollunt. Per actionem quasi in terra conversamur, per cogitatum et desiderium in sublimibus suspendimur. Quasi igitur pennata animalia Domino offerimus, quoties ex devotionis officio ad futurorum considerationem penna contemplationis volamus. Per turturem et columbam intellige contemplationem geminam. In turture contemplationem æternorum malorum, in columba contemplationem æternorum bonorum. Hæ autem aves non tam canere quam gemere solent, et gemitum pro cantu habent. Sicut in penna gratiam contemplationis, sic in earum cantu vel gemitu intellige virtutem compunctionis. Debemus itaque hinc inde æterna mala vel bona meditari, contemplari et in eorum consideratione compungi, et hoc erit turturem et columbam offerre, et pro parte hostiam nostram duplicare. Turtur solitudinem diligit, et solivagus incedit, et in hoc formam timoris gerit, qui semper diverticulum quærit. Columba gregatim volat, et ex eo formam dilectionis ostentat, quæ corda semper conciliat, et in unam pacis concordiam ligat. In turture igitur compunctio timoris, in columba attenditur compunctio amoris. Si æterna mala meditaris, et in eorum consideratione non compungeris, turturis pennas habes, sed turturis cantum non habes. Si in æternorum bonorum contemplatione defigeris et in eorum desiderio inardescis et lacrymas fundis, profecto columbinum et volatum et cantum te habere ostendis.

Digitized by Google

DE DIFFERENTIA

SACRIFICII ABRAHÆ A SACRIFICIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Audivimus de magno patriarcha Abraham quod A obtulerit in sacrificium Domini turturem et columbam, beatæ vero Virginis Mariæ sacrificium fuit par turturum, et duo pulli columbarum. Multum omnino videtur differre sacrificium patriarchæ Abrahæ a sacrificio beatæ Virginis Mariæ. Quid horum majus, quid horum melius? Sed quis audeat aliquem sanctorum nisi solum Sanctum sanctorum beatæ Virgini Mariæ anteferre, vel æquiparare? Indubitanter itaque quod opinium est tantæ dominæ attribuimus, sed iterum valde durum ut perfectioni tanti patriarchæ aliquid detrahamus. Omnino tamen non videtur esse sine causa talis vel tanta hostiarum differentia. Sed si juvat ista plenius intelligere, opus est altiori consideratione. Videtur autem ad turturis volatum et cantum pertinere in æternorum malorum consi- B deratione, gemitum et planctum effundere. In æternorum vero bonorum contemplatione gemere et suspirare, hoc est columbinum cantum habere. Recolat itaque homo quid boni peccando amiserit, vel quid mali eodem modo incurrerit, ut melius plenius-que intelligat ad quem statum laborando, gemendo, suspirando anhelare oporteat. Geminam namque captivitatem peccando incurrit, et geminam dignitatem amisit. Sponte siquidem subditus culpæ, invitus quidem addictus est pœnæ, et de cætero perdidit stabilitatem gratiæ et perpetuitatem gloriæ. Tali itaque gratia et gloria nudatus, homo volens nolens subservit peccato et subjicitur flagello, et brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi C flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet. Geminam itaque captivitatem, utpote exactionem culpæ et pœnæ nascendo contrahimus, et quandiu hic vivimus fixam gratiæ stabilitatem gloriæque perpetuitatem recuperare non possumus. Debemus ergo omni diligentia, et quanta possumus instantia ad hoc utique laborare, modumque in omnibus obtinere, ut mala quæ contraximus nascendo, deponamus moriendo, et bona illa quæ in procursu hujus vitæ recuperare non possumus, statim ad ingressum subsequentis vitæ obtineamus. Perfecti namque viri in ipso statim exitu animæ, in ipso primordio incipientis vitæ emancipantur a culpa, et liberantur a pœna, confirmantur in gratia, et sublimantur in D gloria. Hanc autem geminam libertatem a culpa et pœna, hanc vero geminam dignitatem in gratia et gloria, quas soli perfecti accipiunt in egressu animæ, quid aliud dixerim quam quasdam primitias plenitudinis futuræ? Accipiunt ergo perfecti primitias istas in sola anima, accepturi postmodum plenitudinem in utraque natura. Pro primitiis vero geminæ libertatis gemere et suspirare, et de ipsis per mortem obtinendam firmam spem tenere: hoc erit, ut arbitror, par turturum offerre. Pro primitiis autem geminæ dignitatis gemitus et suspiria effundere, et eorum obtentum in exitu animæ de Domini pietate præsumere: hoc erit, ni fallor, duas columbas in Domini sacrificio impendere. Geminam libertatem, et geminam, ut diximus, dignitatem in morte accipiunt soli perfecti, unam vero libertatem, et unam tantum dignitatem accipiunt omnes electi. Nam statim post egressum animæ sub eodem temporis momento, et emancipantur a peccato, et confirmantur in bono. Siquidem electorum, sed minus perfectorum animæ sicut et cæteræ mox in corporis sui depositione sortis suæ sententiam accipiunt, et ex eo quod æternam damnationem evaserunt, ex eo quod futuram glorificationem suam præ-noscunt, ex eo quod a gratia Salvatoris Christi post tot delicta se nunquam destitutos esse cognoscunt, ad tantum Conditoris sui amorem convalescunt, ut nemo eorum de cætero aliquid omnino facere vellet unde Deum offenderet, etiamsi id impune liceret. Econtra autem omnes reprobi postquam damnationis suæ sententiam accipiunt, ad quantulamcunque divini amoris scintillulam nunquam assurgunt, et ex quo de æternis bonis penitus desperant, ad ea quæ in hac vita noverant, et perverse amaverant, desiderant redire, et in eis semper vivere vellent, si impune hoc possent. Constat itaque eos peccato in perpetuum subservire, non tam actione quam voluntate. Malorum itaque animæ in exitu suo confirmantur in malo, bonorum vero confirmantur in bono.

Et quamvis electæ quædam, sed minus perfectæ teneantur adhuc satisfactionis debito, et multo forte tempore purgentur a vitio, absit tamen ut de cætero aliquo modo subserviant peccato. Emancipantur itaque a culpa, non tamen liberantur a pœna, confirmantur in gratia, nec tamen sublimantur in gloria: sed quod post mortem Salvatoris agitur erga minus perfectos, hoc ante solutum redemptionis nostræ pretium agebatur etiam erga valde perfectos. Emancipabantur namque a servitute peccandi, nec tamen liberabantur ab omni debito patiendi. Nam, ut de cæteris taceam, patiebantur certe exsilium et ergastulum. Sed quale ergastulum? Certe infernum. Taceo quod non rapiebantur ad gaudia cœli, sed nec revertebantur ad amœna paradisi. Quamvis igitur confirmarentur in bono, non tamen consummabantur in gaudio. Audenter dico, quod nec ipse Abraham geminam illam libertatem quæ est a culpa et pœna in corporis depositione accepit: nam illam quæ est a captivitate longinquæ peregrinationis nec

Digitized by Google

petere, sed nec sperare præsumpsit; merito ergo non turtures, sed turturem obtulit, et pro hac parte hostiam suam duplicare non debuit. Quod dico de obtentu geminæ libertatis, idem dico de obtentu geminæ dignitatis. Stabilitatem namque prioris gratiæ quam speravit et quæsivit in morte accepit, sed ante Salvatoris adventum ad æternitatis gloriam transire non potuit. Merito ergo ejus oblatio in ejusmodi avium genere, nonnisi una columba fuit. Beata vero virgo Maria, quoniam de utraque tam libertate quam dignitate in carnis depositione obtinenda secura fuit, recte hostiam suam ex utraque parte duplicare potuit. Jam, credo, tenetis quam merito debuit ejusmodi differentia interesse inter sacrificium Abrahæ et sacrificium beatæ virginis Mariæ. Sed adhuc illud in his videtur inquisitione dignum, cum magis elegerit offerre par turturum quam par columbarum, e converso autem duos pullos columbarum potius quam duos pullos turturum. Unum autem scio, quia bona cœlestia, bona æterna, quanto certius, quanto fidentius speramus, tanto libentius, tanto propensius pro eis laboramus. Quanto autem pro eis amplius desudamus, tanto majora vel potiora speramus. Quanto autem meliora speramus, tanto ardentius amamus. Quanto vero ardentius amamus, tanto vehementius, tanto anxius desideramus. Sic utique sic ex securitate spei nascitur anxietas desiderii. Habes itaque avem in spei securitate, habes ejus pullum in desiderii anxietate. Spes siquidem quæ cœlestibus et æternis inhiat, avium more ad alta quidem et longinqua volat. Pullus de volucre nascitur, et desiderii anxietas eo ordine quo diximus de spei certitudine generatur. Pullorum est assidue clamare, et raro a clamore cessare. Novit hoc ille qui dixit : *Sicut pullus hirundinis, sic clamabo* (*Isa.* XXXVIII). Pullus itaque satis anxie clamare solet, et anxium desiderium in aure Conditoris vocem magni clamoris habet. Hinc est quod Moysi tacenti, sed anxio desiderio æstuanti dicitur a Domino : *Quid clamas ad me?* (*Exod.* XIV.) Hinc est illud Psalmistæ : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus* (*Psal.* X). Solet autem hujusmodi desiderium in quibusdam adeo crescere, ut tædeat eos vivere, ita ut veraciter vox illorum videatur esse : *Tædet animam meam vitæ meæ* (*Job* X). Illud namque bonum quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quis, quæso, poterit cum spei certitudine exspectare, et ingenti desiderio non æstuare, et pene nonnisi impatienter vivere? Pertinet autem ad avem, ut dictum, confidentia spei, ad ejus vero pullum impatientia desiderii. Audi vocem volucris in loco solitudinis suaviter modulantis : *Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostræ hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis* (*II Cor.* V). Ecce quanta confidentia spei. Attende et in alio vehementiam desiderii, simul et intellige clamorem vociferantis pulli : *Quando veniam*, inquit, *et apparebo ante faciem Dei* (*Psal.* XLI). Sed quando aliquis hujus vitæ fastidio, futuræque vitæ desiderio æstuat, interest utique qua intentione id agat. Nam alium ad hoc ipsum timor impellit, alium vero amoris vehementia trahit. Illum exagitat timor ancipitis periculi, et incumbentis mali, istum amor et æstus perfruendi desiderii. Audi vocem de medio periculorum anxiantis : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Accipe et illam amoris nimietate æstuantis : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* I). Utrobique audis desiderium mortis, et tædium vitæ præsentis. Illa vox pertinet ad pullos turturum, ista ad pullos columbarum. Qui enim jam geminæ, quas superius distinximus, captivitatis odio geminæque libertatis desiderio mori desiderat, et multis gemitibus atque suspiriis in idipsum anhelat, quid aliud in Dei auribus quam mors pullorum de nido turturum clamitat? Qui autem cum moriendi desiderio orat et plorat pro abundantia gratiæ et gloriæ quam in futuro exspectat, quid aliud quam pullorum more voce columbina clamat? Geminam namque libertatem in carnis depositione firmiter sperare, et in hac exspectatione patienter vivere, hoc est, ut jam diximus, par turturum offerre. Harum vero libertatum desiderio ardentius æstuare, et pro earum obtentu citius mori velle, et hoc ipsum quod vivit impatienter ferre, hoc esse videtur de pullis turturum hostiam immolare. Similiter qui sublimationem geminæ dignitatis in spe securitatis patienter exspectat, par columbarum in Domini sacrificio immolat. Qui vero morarum impatiens in idipsum anhelat et æstuat, de pullis columbarum Domino sacrificium parat.

Quis enim plenitudinem illam gratiæ et gloriæ quantumlibet perfectus in hac vita obtinere, quam statim post animæ exitum obtinere non dubitat, sic ut possit jugiter divinæ contemplationi inhærere, et ab illa nulla abduci cogitatione, ut possit in illo solo delectari, et in illo omni hora vel momento gloriari? Non est hoc hujus vitæ ut oportet quantumlibet perfectum tantæ jucunditatis dulcedinem, ut cætera taceam, saltem dormiendo interpolare. Quis illud primum et maximum mandatum in hac vita ad plenum possit implere, Deum videlicet toto corde, tota anima, tota virtute diligere? Qui igitur pro obtinendo tantæ plenitudinis desiderio vitam istam fastidit, et pro implendi desiderii acceleratione suspirat, ingemiscit, et lacrymas fundit, pullos columbinos Domini sacrificio impendit. Multi in magnis tribulationibus et tentationibus sunt, et fortiter agunt, securi de gemina libertate, si detur perseverare. Sed sæpe non novelli eorum qui ejusmodi sunt, propter metum cadendi, et laborem patiendi, desiderant cito mori, ut ab omni periculi suspicione de cætero possint esse securi. Sed attende ne forte videatur esse signum nonnullius impatientiæ laborum certamina subterfugere vel signum similiter nonnullius diffidentiæ sub cadendi metu ultra modum trepidare. Certum namque esse debet perfectis omnibus, quia

Digitized by Google

fidelis est Deus, qui non patietur nos tentari supra id quod possumus ferre, sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possimus sustinere (*I Cor.* x). Hinc est quod quidam inter summa pericula tam constanter agunt, tam securi de Domini protectione consistunt, ut indubitanter audeant et dicant, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom.* VIII). Quantum itaque ad considerationem evadendi periculi, majus videtur firma de Domini protectione securitas spei, quam nimia vehementia desiderii. Sed illud pertinet ad par turturum, istud ad pullos B corum. Majus ergo videtur esse par turturum quam eorum pullos offerre. Sed absque dubio alia videtur esse lex timoris, atque alia, nisi fallor, amoris. Velle quiescere et esse securum, non est tam amantis amicum quam amantis semetipsum. Illum vero quem diligit anima sua velle videre, illius desiderio æstuare, et donec illum videat, apprehendat, inhæreat nullo modo posse quiescere, videtur esse signum summæ devotionis et admirandæ charitatis. Videtur itaque pro hac parte multo majus aliquid esse impatientia æstuantis desiderii, quam sine ardenti desiderio sola securitas spei. Sed istud ultimum pertinet ad par columbarum, illud primum ad pullos earum. Majus itaque sacrificium videtur esse, duos pullos columbarum quam ipsas columbas offerre. C Ecce quod diu quæsivimus tandem aliquando invenimus, quia majus aliquid est offerre par turturum, quam pullos eorum; econtrario vero minus videtur offerre par columbarum quam pullos earum. Jam non miraris, ut arbitror, si sanctarum sanctissima, perpetua Virgo Maria in utroque genere hostiæ obtulit quod juxta mysterii dignitatem utrobique optimum esse cognovit. Absit ut dicamus vel credamus beatam Virginem Mariam propter metum patiendi, vel timorem cadendi mortis desiderio urgeri. De nullo enim sanctorum rectius creditur quam de ipsa quod parata fuerit semper quantum in ipsa fuit, ad omnia tormentorum genera pro Christi nomine sustinenda. Metu vero cadendi quomodo urgeri potuit, quæ in carne qua Christi carnem genuit, nu- D trivit, nil contradictionis portavit? Ad momentaneum contactum dextræ salutaris leprosus mundatur (*Matth.* VIII), ad tactum fimbriæ mundata est et illa quæ fluxum sanguinis patiebatur (*Luc.* VIII), quanto magis illam ab omni contagio mentis et corporis mundari oportuit, quæ tandiu totum in utero, quæ toties totum in gremio circumplexa fuit, quæ illius, ut sic dicam, medelæ plenitudinem modo intus infusam, modo exterius adhibitam sufficienter habuit; illius, inquam, medelæ quæ tollendis omnibus omnium morbidorum morbis satis superque sufficere possit? Quomodo, obsecro, cadendi vel patiendi metu usque ad vitæ tædium urgeri potuit, quæ juxta angelicæ salutationis præconium gratia A plena fuit? Sed quo eam impellere non potuit timor, potuit attrahere amor. Quis unquam ex omnibus Christi dilectoribus libentius mori vellet, ut ejus divinitatem videre posset, ut majestati illius immensitatique perpetua contemplatione inhæreret? Quis unquam hujusmodi desiderii fervore ardentius æstuavit? Quanto certe præ cæteris dilexit, tanto præ cæteris divinæ visionis dulcedinem, dulcedinisque sempiternitatem ardentius desideravit. Audenter dico quod nec illa quæ præ cæteris dilexit huic dulcedini inseparabiliter inhærere, vel hanc solam et sine interpolatione haurire potuit, quandiu in hac vita fuit, et corpus corruptibile portavit. Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem (*Sap.* VIII).

Quia igitur illam plenitudinem gratiæ et gloriæ in hac vita obtinere non potuit, quam in sua assumptione accepit, quid mirum si acceptionis illius horam ardenter desideravit, quam nullus cadendi vel patiendi timor ad mortis desiderium impellere potuit? Par turturum in eo quidem obtulit, quod geminam libertatem in carnis suæ depositione quam confidenter tam patienter exspectavit. Pullos vero columbinos potius quam par columbarum obtulit, in eo quod ad geminam illam superius jam dictam gratiæ et gloriæ plenitudinem, etiam cum mortis desiderio anhelavit. Abraham vero, ut dictum est, ad carnis depositionem, non de obtentu gloriæ, sed de sola acceptione stabilis gratiæ securus fuit, non tamen in ea plenitudine quam beata Virgo Maria, vel perfectorum quilibet sub hoc tempore accepit. Quid ergo mirum, si horam acceptionis tepidius desideravit, qui minus speravit? Recte ergo non pullos vel pullum columbarum, sed solam columbam obtulit. Turturem itaque Abraham in spe certa obtinendæ libertatis a culpa, columbam obtulit in spe certa percipiendæ perpetuæ stabilitatis in gratia. Si perfectionis studia æmulari, si spirituales effici volumus, in sacrificio Domini juxta exemplum Abrahæ, animalibus etiam aves adjungere debemus. Aves quidem se in aera suspendunt, quod animalia facere utique non possunt. In avibus itaque intellige studia *spiritualia*, in animalibus exercitia corporalia. Ad animalia pertinent studia exteriora, ad aves studia interiora. Ad illa exercitia corporis, ad ista exercitia mentis. Interiora autem nostra solus Deus videt, exteriora vero nostra videre etiam proximus valet. Illa quæ intus agimus fiunt propter solum Deum, illa quæ extrinsecus gerimus partim propter Deum tantum, partim etiam propter proximum. Multa enim fiunt propter solum beneplacitum divinum, multa propter utilitatem vel beneplacitum hominum. Recte ergo de Abraham Scriptura dicit, quod animalia divisit, aves vero non divisit (*Gen.* XV). In illis namque exercitiis quæ solummodo patent divinis conspectibus, et qualia ad aves pertinere jam diximus, nihil aliud oportet intendere, nisi ut merito debeat

Digitized by Google

divinæ voluntati placere. In corporalibus vero exercitiis quibus tum propter Deum, tum propter proximum insistimus, intentionem geminamus, et pro hac parte hostiam nostram dividimus. Debemus vero hostiam nostram non solum juxta hunc modum dividere, sed etiam divisiones ipsas altrinsecus contra se invicem ponere, et utramque partem alterna consideratione pensare. Nam in his quæ propter proximum facimus, offensam Dei cum omni cautela cavere debemus, et in his quæ propter Deum gerimus, inquantum possumus, proximi scandalum vitare debemus. Solam autem illam hostiam quæ ex animalibus est debemus dividere, sed tam istam quam et illam quæ ex avibus est oportet juxta exemplum Abrahæ a volucrum rapacitate defendere (*ibid.*). Nam volucres, ut scriptum est, super ejus hostiam descendebant, et Abraham eas abigebat. Quid autem intelligimus per hujusmodi volucres, nisi vanas et ineptas cogitationes ? Sæpe ex bonis quæ intus vel exterius operamur, modo superbia, modo inani gloria tangimur, et apud nosmetipsos in immensum gloriamur. Sed, si hujusmodi ineptis cogitationibus viriliter non resistimus, boni operis fructum nobis in Dei oculis evacuamus. Dictæ autem volucres quasi ad sacrificiorum nostrorum rapinam descendunt, quando improbæ cogitationes a spiritibus malignis ad meritorum corruptelam immissæ cordi nostro superveniunt. Nam spiritus quidem maligni eo ipso quasi supra nos sunt, quo eminentioris conditionis et angelicæ naturæ existunt, et in Evangelio volucres cœli dicti sunt (*Matth.* XIII ; *Marc.* IV ; *Luc.* VIII). Debemus itaque ineptas cogitationes, et quaslibet immissiones per angelos malos, per increpationem ferire, et hoc erit ejusmodi volucres abigere. Qui igitur hæc audit vel legit, apostolico documento addiscat, quomodo elationis vel ineptæ gloriationis rapacitatem abigere oporteat. *Quid*, inquit, *habes quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?* (*I Cor.* IV.) Solum malum habere potes de teipso, nullum autem bonum, nisi ex munere divino. Attende ergo quam sit impudens gloriatio gloriari de malo tuo, vel de bono non tuo. Si ista diligenter, si ista frequenter retractamus, devotionis nostræ hostiam citius ab ea quam diximus volucrum rapacitate eripimus. Ecce habemus quales hostias debeamus Domino Deo nostro offerre, ecce habemus quomodo eas oporteat a rapacitatis incursu defendere. Utinam unusquisque nostrum hujusmodi studiis eousque insistat, donec sol occumbat, et vanitatis amor paulatim deficiat, et carnalis prudentiæ radio subducto fervore concupiscentiæ tepescat. Per globum namque igneum atque corporeum qui molem terræ circumire non desinit, et in circuitu pergens nunquam requiescit, quid melius, quid rectius hoc loco intelligimus, quam amorem terrenorum, amorem transeuntium qui infima ambit, et animum quem inflammat nunquam quiescere sinit? Sol iste et per prudentiam carnis splendet, et per carnis concupiscentiam fervet. Sol A iste absque dubio tunc occumbit, quando carnalis prudentia hebescit, et carnalis concupiscentia sensim refrigescit.

Ut autem sciamus quid ejusmodi solis occasum quandoque sequi soleat, audiamus quid Scriptura dicat : *Cumque sol occubuisset, irruit sopor super Abraham, et horror magnus et tenebrosus invasit eum* (*Gen.* XV). Solis itaque occasum sopor, soporem sequitur horror. Per soporem corporis, ut omnes novimus, sensus corporeus sopitur, et animus humanus a rebus adjacentibus alienatur. Congrue igitur satis per soporem mentis alienatio intelligitur. In hujusmodi vero sopore mens sæpe ex divina revelatione cognoscit, et quasi per somnum apta visione cernit quæ prius et velut vigilans vix tenuiter, vel B nullo modo cognoscere potuit. Hinc est illud quod in Job per Eliu dicitur : *Per somnium in visione nocturna quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum, et erudiens eos instruit disciplina* (*Job* XXXIII). Hujusmodi sopor juxta arbitrium hominis nullo modo venit, sed pro beneplacito ipsius qui illum immittere consuevit. Merito ergo de hoc sopore dicitur quia irruit, eo quod subito et inopinate venit. Sopor itaque irruit, quando spiritualis quispiam repentino impetu in mentis alienationem transit. Quando autem homo juxta hunc modum soporatur, et extra semetipsum rapitur, mira et stupenda sunt sæpe quæ per excessum videntur. Miraris fortassis qui hæc audis, quia C nil in te tale adhuc experiris. Nescis quia omnia tempus habent. Vigilantia utique et sopor tempus habent. Vigilantia in die, sopor in nocte. Forte tibi nondum sol occubuit, necdum vanitatis amor defecit. Sole fervente, nescit ille quem determinavimus sopor irruere. Solis occasum, ut diximus, sequitur sopor, soporem nihilominus quandoque subsequitur horror. Multa enim mens humana sub hujus sæpe soporis tempore videt, quæ sine pavore et tremore seu etiam horrore videre non valet. Unde est illud Eliphat Themanites : *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, et tremor, et omnia ossa mea perterrita sunt* (*Job* IV). Audi et alium, et attende quid intellexerit quasi per somnium : *Ego dixi in excessu mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum* (*Psal.* XXX). D Quid mirum, si ejus animus inhorruit qui se a facie Domini projectum vidit? De hujusmodi terrore vel horrore per ipsum Job dicit : *Si dixero, Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in stratu meo, terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties* (*Job* XVII). Quasi enim per somnia terretur, et per visiones horrore concutitur, quando mens humana supra semetipsam ducta, et ad divinorum judiciorum contemplationem rapta, ex divina revelatione videt quantis periculis quotidianis momentis subjacet. Videt quam sint infinita æterna bona quæ perdidit, quam sint horrenda æterna mala quæ meruit ; videt quam facile sit omni hora cadere, semel lapso quam sit impossibile per semetipsum resur-

Digitized by Google

gere; videt quomodo quidam a summis virtutum studiis in ima vitiorum cadunt, quomodo e converso quidam ab imo vitiorum ad summa virtutum fastigia consurgunt, et in his omnibus nescit homo finem suum, sed, sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves comprehenduntur laqueo, sic capiuntur homines tempore malo cum eis extemplo supervenerit. Quid ergo mirum si quodam horrore concutiuntur qui sub quanto periculorum incerto humana infirmitas laboret divinitus erudiuntur? Denique attende quid Abraham quasi per soporem didicerit, et animadvertes quam merito inhorruerit. Dictum namque est ad eum : *Scito prænoscens quod peregrinum sit futurum semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis* (*Gen.* xv). Per semen Abrahæ, si vis, intellige ipsas virtutes. Per semen Abrahæ, si vis, intellige virtutum æmulatores, Abrahæ exemplo viventes, et vitæ ipsius imitatores. Nonne virtutes ipsæ regi Pharaoni deserviunt, quando sinistra intentione fiunt, et per hypocrisim depravatæ nil nisi mortis lucra conquirunt?

Et sæpe fit ut virtutum studia quæ inchoata fuerant intentione bona, tandem actitentur intentione mala. Nonne semen Abrahæ regi Pharaoni in luto et latere servit, quando quilibet virtutum æmulator fortis, qui egrediens de terra et de cognatione sua, diu juxta Abrahæ exemplar, juxta tandem aliquando in modum David in aliquod flagitium cadit? Nam et hujusmodi quilibet, si iterum ad justitiam revertitur, inter filios Abrahæ reputatur. Attende ergo quam sit plenum timoris pariter et horroris, quod nec in excelso quodam vel de fastigio virtutis detur homini in hac vita ullus locus securitatis. Valde est rarum et vere paucorum magna agere, nec se magnum putare, multis præeminere, neminem despicere. Cum enim quilibet nostrum miranda agit, cæterosque studiorum bonorum agilitate præcedit, facile est ut illud Pharisæi dicat apud semetipsum : *Non sum sicut cæteri hominum* (*Luc.* xi). Unde fit sæpe ut his qui ejusmodi sunt gratia divina subtrahatur, et cadere permittantur, et eousque nonnunquam paulatim perducuntur, ut tandem aliquando sint tam pertinaces in malo quam prius fuerant constantes in bono. Nonne hoc est quod Dominus minatur, cum ad Abraham dicitur : Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua? Cum cætera elementa semper fluctuare soleant, sola terra in æternum stat, unde congrue satis cordis stabilitatem designat. Sed quam bonum est esse stabilem in proposito bono, tam malum est esse stabilem in proposito malo. Illud est constantiæ, istud pertinaciæ. Constantia itaque in bono, terra est bonorum; pertinacia in malo, terra est malorum. Quando itaque quilibet prædestinati ad viam æternam perducuntur, paulatim ad ejusmodi pertinaciam vere peregrinantur in terra aliena, in terra non sua. Ecce quid facit superbia, ecce quid facit arrogantia. Vasa itaque misericordiæ cum incipiunt de suis meritis intumescere, pia dei dispensatione permittuntur cadere, ut discant humiliter sapere, et de infirmitate sua vera sentire. Cognitio autem humanæ infirmitatis ut plena sit in quatuor gradibus consistit : duos habemus in consideratione mali, duos in consideratione boni. In consideratione mali, primo ut sciamus nos nullum malum nostra virtute posse cavere; secundo ut sciamus a nullo malo post lapsum nostra virtute posse resurgere. In consideratione boni, ut cognoscamus nos ad nullum bonum nostra industria posse convalescere, secundo ut cognoscamus nec in eo quod divinitus accepimus nostra industria posse perseverare. In cognitione autem sui multiplex promotio profectuum, quid aliud est quam quædam successio alternantium dierum? Omnis autem alternatio crescentium seu decrescentium dierum sub anno concluditur, et solis cursu consummatur. Recte ergo per annum in qualicunque re plenitudo et consummatio cognitionis intelligitur. Ad hoc vero, juxta quod superius dictum est, permittitur homo in uno aliquo vitio multoties multiformiter cadere, ut per multa experimenta plene et integre addiscat ab ejusmodi servitute nulla sua virtute se posse eripere. Quando autem ista experientiæ multiformitas usque ad cognitionis plenitudinem perducitur, quasi annus consumatur. Quando autem eumdem infirmitatis suæ defectum quilibet in aliis et aliis vitiis per quotidiana experimenta addiscit, et eamdem veritatis sententiam quam in multis experimento probavit, etiam in aliis ex ratione colligit, et tandem idem in omnibus universaliter sentit, jam annorum numerus in cognitionis multiplicatione in centenarium surgit. Nam, quia omnes digiti et articuli ab eisdem denominati et ab utrisque compositi infra centenarium concluduntur, recte in centenario universitas figuratur. In anno itaque plenitudinem, et in centenario intellige universitatem. Quando ergo necessariæ cognitionis abundantiam et in singulis sufficienter, et in omnibus generaliter habemus, annualem eruditionis nostræ procursum in centenarium producimus. Infirmitatis autem nostræ cognitionem superius per quatuor gradus distinximus. Oportet ergo quasi quadringentorum annorum numerum explere, si volumus hanc, quam prælocuti sumus, quadrifidæ scientiæ plenitudinem apprehendere. Pro certo habeas, nec est unde hæsitare debeas, quod eo usque oporteat te Pharaoni Ægyptiisque subesse, vitiis vitiorumque incentoribus subservire, donec experientiæ magisterio docearis de tua infirmitate vera sentire, donec plene addiscas in cavendis vel corrigendis malis, in obtinendis vel conservandis bonis nil omnino de tua virtute præsumere. Ecce jam audivimus unde patriarcha inhorruit, et quidem unde merito inhorrere debuit. Audivimus quæ erant ad terrorem, audiamus et quæ esse poterant ad consolationem : *Verumtamen gentem*, inquit, *cui servituri sunt, ego judicabo. Et post hæc egredientur cum magna substantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace,*

Digitized by Google

sepultus in senectute bona : generatione quarta revertentur huc. Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus (*Gen.* xv).

Ecce, ut ex istis animadvertere possumus, ex divina revelatione, et velut per somnium addiscimus modo tristia, modo jucunda, modo autem ex utrisque permista. Gentem, inquit, cui servituri sunt ego judicabo. Per gentes siquidem sive vitia, sive vitiorum incentores velis intelligere, utrosque utique habet Deus judicio suo atterere, et de bonorum cordibus exturbare, et illa quidem sic atterendo ut undique omnino non sint istos vero damnando ut de cætero semper miseri sint, et bonis in aliquo in æternum prævalere non possint. Et post hæc, inquit, egredientur cum magna substantia. Scimus quidem quia filii reconciliationis ex casu suo eruditur ad discretionem, ad circumspectionem, ad humilitatem et compassionem, ad constantiam, ad patientiam simul et perseverantiam. Egrediuntur itaque cum magna substantia quando secum reportant hujusmodi virtutum lucra, et scientiæ talenta. Habes ergo animarum substantiam in pœnitentiæ fructibus et virtutum lucris ; habes virtutum substantiam in scientiæ et sapientiæ thesauris. De hujusmodi substantiæ thesauro intelligitur illud in psalmo : *Et eduxit eos cum auro et argento* (*Psal.* civ). Vide ergo quam sit mirandum, quam jucundum, quam stupendum quod ipsa etiam ruina morum bonis cooperatur in bonum, et impletur quod in Apostolo legitur : *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* vi). Cooperatur itaque in bonum quod in terra non sua ad tempus subserviunt, qui tandem aliquando inde cum magna substantia exeunt. Cooperatur in bonum quod aliquantulum temporis vitiis succumbunt, qui postmodum quanto exercitatiores tanto cautiores, quanto humiliores tanto constantiores vel robustiores resurgunt. Verum illi supra modum felices judicandi sunt qui ad humilitatis gratiam ex prævidentiæ dono proficiunt, qui humanæ infirmitatis modum non tam ex propria quam aliena ruina addiscunt. Horum persona in Abraham exprimitur cui a Domino dicitur : Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Nec Dominus prædicit, nec aliqua Scriptura innuit quod Abraham alicubi alicujus servitio addictus fuerit. Non igitur sæpe cadendo, sæpe resurgendo vitiisque subserviendo ad humilitatis gratiam profecit. Sed dum in libro providentiæ, revelante Deo, lectitat, per aliorum exempla probat quid de sua infirmitate sentire debeat. Videamus ergo si illam humilitatis revelatam quam superius per quatuor gradus distinximus in istius divinitus edocti dictis invenire valeamus. Loquentem ergo eum Domino audiamus : *Loquar*, inquit, *cum Domino meo cum sim pulvis et cinis* (*Gen.* xviii). Pulvis ad omnem flatum de suo loco excutitur, et quocunque dejectus, nunquam nisi alieno impulsu levatur. Ecce, homines formam defectus humani, quantum pertinet ad considerationem mali.

Subtracta namque gratia et protectione divina, homo ad inimici suggestionem in quodcunque malum dejicitur, et semel dejectum ad status rectitudinem propria virtute roboratur. Cinis ex se nullum omnino germen producit, et aliunde susceptum, non dicam ad incrementum, sed ad sustentamentum nutrire ulla sua pinguedine omnino non sufficit. Habes hic item formam defectus humani, quantum pertinet ad considerationem boni. Nullum siquidem boni operis germen potest homo ex semetipso sine operante gratia producere, et cum ex gratia operante habere jam cœperit, per semetipsum omnino non poterit sine ejus cooperatione custodire. Ecce Abraham, ut ex his ejus dictis intelligitur, ad illam humilitatis plenitudinem divinitus eruditus invenitur, ad quam per quadruplicatum annorum centenarium a multis post multa experimenta pervenitur. Quod itaque alii vix per multa experimenta, hoc alii facile addiscunt ex revelatione divina. Tu autem, inquit, ibis. Tu, quem præ cæteris abundantiore gratia præveni, tu quem præ cæteris profundius illuminavi. Tu ibis ad patres tuos in pace, immunis ab omni indignæ et duræ servitutis oppressione. Quid autem est ad patres suos ire, nisi eodem virtutum tramite quo alii in vitæ via præcessere, ad intimæ quietis tranquillitatem bonorum operum agilitate properare? Ergo ad pacem properabat qui in pace iturus erat. Ibat per pacem et ad pacem ; per pacem internam, ad pacem æternam. Per pacem illam quæ mutuo sibi conciliat omnem sensum, ad pacem illam quæ exsuperat omnem sensum. Sopienda itaque est illa discordia quæ est inter carnem et spiritum, ut transiri possit ad illam quæ est supra omnem sensum. Quid autem est Dominum hujusmodi promissiones alicui facere, nisi eum ad ejusmodi spem et certitudinem interna inspiratione animare? Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. In senectute solet tam sensus quam appetitus exterioris hominis languescere, et quotidianis detrimentis defectui appropinquare. Senectus bona, quando sub idem temporis quo exteriorum et transeuntium appetitus minuitur, inde interiorum et æternorum innovatur. Senectus bona, quando exterior sensus decrescit, interior vero excrescit. Senectus bona, quando eo ipso interior homo roboratur, quo exterior homo infirmatur : *Cum enim infirmor*, inquit, *tunc fortior sum et potens* (*II Cor.* xii). Melior est senectus morum quam annorum, meritorum quam temporum. Gloriosius est appetitum exteriorum bonorum languescere ex studio industriæ, quam ex vitio naturæ. Sepultus, inquit, in senectute bona. Prius homo moritur ut postmodum sepeliatur. Mortuus quidem desinit videre, sed non statim desinit videri. Sepultus vero desinit videre, simul et videri. Qui vult ergo huic mundo mortuus esse, oportet illum oculos illos claudere, quos in primis

Digitized by Google

parentibus legimus apertos fuisse, et oblectamenta sensuum non attendere, nec avertere.

Sed et tunc qui ejusmodi est quasi post mortem sepulturam invenit, quando per sapientiæ studium, æternitatisque desiderium, a mundanis insuper mundana transiens, in ejusmodi statum proficit, quale carnalis quilibet non dicam scire, sed nec suspicari possit. Per vitam activam mortificamur, per speculativam et contemplativam cum Abraham quasi duplici spelunca sepelimur. Proprium est speculative invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicere, et velut per speculum et in ænigmate videre. Proprium est contemplativæ, veritatem absque involucro, et quasi facie ad faciem videre. Per speculativam itaque et contemplativam a rebus humanis absentamur, et, ut dictum est, velut duplici spelunca sepelimur. Bonum itaque est desiderii appetitum studiique conatum a rebus humanis languescere, deficere, absentare, et cœlestibus theoriis immersos carnaliter sapientium obtutus latere. Sic vir virtutum æmulator inveteratur, moritur, sepelitur. Ecce de Abraham vel de eis quorum formam gerit audivimus : nunc de filiis peregrinationis quid consolationis adjungat audiamus : Et quarta, inquit, generatione revertentur huc. Quod quarta generatione dicit, non ab Abrahæ tempore, sed a peregrinationis tempore computare debes, sicut ex Evangelio vel aliis locis Scripturarum habes. Quando interna illa familia cogitationum sive voluntatum in peregrina abducitur, et vitiorum servituti urgentibus tentationibus addicitur, primo quidem non desinit conscientia omni hora submurmurare, et inquiete agere, sed paulatim invalescere prava consuetudine ad hoc usque perducitur, ut exactoribus suis desinat recalcitrare, et velut vitula docta diligere triturarn serviat sine murmure et contradictione. Sed cum tempus beneplaciti, tempusque miserendi coram Domino advenerit, et post multa mala, Domino miserante et quasi Moysi officio visitante, ad pœnitentiam compuncta fuerit, incipit jam recalcitrare, et captivitatis jugum jam excutere velle, sed nondum tamen potest prævalere. Deinde crebrescentibus consolationibus divinis, multisque coruscantibus velut miraculis, incipit paulatim convalescere, robur acquirere, audaciam assumere, et tandem aliquando hostibus prævalere, sed non sine magno labore et summa difficultate.

Ad ultimum vero vitiorum tyrannide subacta, et tota illa velut Pharaonis militia intimæ compunctionis mundatione submersa, invalescente bonæ consuetudinis studio, hostiumque terrore sublato, incipit jam de bonæ conscientiæ tranquillitate gaudere, et ad promissam jucundæ securitatis terram appropinquare. Prima itaque generatio servientium nec reclamantium, secunda reclamantium nec prævalentium, tertia prævalentium et laborantium, quarta prævalentium et quiescentium. In solitudine namque commorantibus, ciboque cœlesti victitantibus, quod aliud esse oportuit officii genus quam vacare et videre quoniam suavis est Dominus? In primis est conscientia tranquilla et mala, in secundis inquieta et mala, in tertiis inquieta sed bona, in quartis tranquilla et bona. Per conscientiæ vero tranquillitatem appropinquatur ad conscientiæ securitatem. Jucunditas [securitas] securæ conscientiæ est illa, uti superius dictum est, terra fluens lacte et melle quæ a Domino promittitur et datur hæredibus Abrahæ. Merito ergo dicitur : Generatione autem quarta revertentur huc. Et additur : Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Secundum differentiam morum dispensantur merita singulorum. Sunt qui magis confunduntur vel compunguntur de turpi cogitatione, quam quidam alii ex turpissima actione. Hinc est quod quidam post turpem cogitationem, rapiuntur usque ad pravam delectationem. Alii ex delectatione prava labuntur in solum pravitatis consensum, alii etiam post consensum præcipitantur in actum. Quidam etiam perversam actionem ducunt in consuetudinem. Moderatur itaque casus singulorum, secundum illius utique arbitrium cujus dispensatione omnia cooperantur bonis in bonum. Inveniuntur quidam sane tantæ impudentiæ, tantæ duritiæ atque superbiæ, ut post multa mala vix valeant ad plenam infirmitatis suæ cognitionem erudiri, vix in veritate humiliari, vix de sua pravitate intime compungi. Amorrhæorum itaque iniquitates tunc completæ videntur, quando, eo dispensante qui omnia moderatur, ad eam enormitatem excrescere permittuntur, quæ suo tempore abundanter sufficiant ad cordis impudentiam, duritiam, superbiam confundendam, conterendam, conculcandam. Ecce jam audimus quanta Abraham ex divina revelatione didicit postquam ei sol occubuit, sopor irruit, horror invasit. Adhuc repetit Scriptura quod superius jam dixerat, ut quæ sint illa quæ solis occasum sequi soleant ostendat plenius : *Cum ergo*, inquit, *occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa et apparuit clibanus fumans et lampas ignis transiens inter divisiones illas* (*Gen.* xv). Dixit quid audierit, dicit iterum quid viderit postquam ei sol iste occubuit, et carnalis amor defecit. Audivimus quæ audierit, attendamus et quæ viderit. Prius ignem fumigantem, postea ignem flammantem. Prius ignem succendentem, postea ignem illuminantem. Vidit ergo clibanum fumigantem et lampadem. Nemo sane accendit lampadem ad calefactionem, sed ad solam illuminationem. Econtrario vero nemo succendit clibanum ad illuminationis beneficium, sed ad calefaciendum. In clibano itaque fumante intellige incendium amoris, in lampade lucem gratiæ revelantis. Item et illud attende quia ad hoc ignem clibano immittimus, ut ejus interiora, non autem exteriora calefaciamus. In incendio itaque clibani intellige amorem spiritualium, amorem internum, amorem virtutum. Ignis ergo quasi in clibano succenditur, et quasi in interioribus clausus tenetur, quando amor cordis interioribus nutritur, et tunc vere vel-

Digitized by Google

ut intus clausus ubi oritur illic cohibetur, quando animus ad animi bona diligenda, desideranda acrius inflammatur. Quasi clibanum succendimus, quando cordis desiderium ad ea quæ intimius desideranda sunt vehementius inflammamus. Vera et intima animi bona vere et intime desideranda dicimus ipsam virtutem, ipsam bonitatem. Quando ergo sine respectu mercedis virtus propter virtutem ipsam diligitur, quando etiam sine retributionis intentione bonitas ipsa propter semetipsam amatur, vere et absque dubio amoris incendium in intimis succendi et ne ad exteriora erumpat in intimis coerceri videtur. Sed illud merito quæritur, cur Abrahæ clibanus fumans, et non potius flagrans ostenditur? Sed scimus quia in clibani succensione in primordio quidem semper fumus suboritur, sed, paulatim crescente incendio, paulatim et ipse decrescere, tandem autem omnino deficere videtur. Quid ergo aliud quam quædam intimi amoris inchoatio exprimitur, in eo quod Abrahæ clibanus fumans per visionem ostenditur? Nam quantumcunque homo in charitatis promotione in hac vita videatur profecisse, si futuræ vitæ plenitudinem cogites, in ejus comparatione non videbitur nisi quædam perfectionis inchoatio fuisse. Et fumus quidem oculos urit, lacrymasque producit, et charitas secundum statum vitæ præsentis quantumcunque profecerit bene examinatus diligenter inspectus, ex conscientiæ remordatione animum compungit, quoniam quandiu hic vivitur, quod ei divinitus præcipitur toto corde, tota anima, tota mente non diligit. In clibano itaque fumante exprimitur inchoatio dilectionis intimæ et summæ. In charitate siquidem nihil sublimius, nihil præclarius invenitur, quam cum bonitas ipsa per semetipsam diligitur. Sed sicut in clibano fumigante recte intelligitur quædam inchoatio intimæ et summæ dilectionis, sic et in lampade convenienter exprimitur quædam inchoatio intimæ et summæ lucis. Nemo enim lucernam illuminat, ut circumquaque regionem, vel quæ in ea circumquaque sunt videat. Sed ad hoc sane lucernam accendimus, ut propinqua, et quæ in penetralium nostrorum interioribus sunt videamus. Quid autem vicinius spiritui quam ipse sibi, nisi forte cum vana sectando semetipsum deserit, et intima sua projiciendo ipse quidem a semetipso recedit? Quid illi magis vicinum, quid magis intimum esse potest, illo spiritu qui ubique est, et nusquam deesse potest? Certe pravum est cor hominis et inscrutabile, nec potest cognosci sicut nec videri nisi ad lumen lucernæ desuper missæ divinitus incensæ. Nam et Abrahæ desuper mittitur, et Psalmistæ divinitus illuminatur: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* XVII). Si itaque sine beneficio divinæ lucernæ non potes videre intima tua, quanto magis arcana divina? Homini itaque lucerna divinitus illuminatur, quando ei intimorum bonorum supereminentia in divino lumine manifestatur. Sed si divinæ revelationis formam Abrahæ oportuit exhibere, cur ipsa ei in lucerna exprimitur, et non potius in sole? Sed quantumcunque humana intelligentia in hac vita in intimæ lucis manifestatione profecerit, usque ad perfectum diem non excrescit, et futuræ illius plenitudinis nonnisi quoddam quasi initium sumit. Sicut ergo in clibano fumigante merito intelligitur quædam inchoatio futuræ plenitudinis in summæ bonitatis amore, sic in lucerna ardente recte intelligimus quoddam futuræ plenitudinis initium in summæ sapientiæ contemplatione. Solent autem hæc duo mutua incrementa in alterutrum præstare: nam dilectio ex cognitione et cognitio crescit ex dilectione. Contingit tamen ut homo eo sæpe tempore quo multum per desiderium fervet, parum videat; et e converso eo tempore quo multa videt, parum ferveat. In his autem absque dubio summus ille artifex artis utique suæ peritiam ostendit. Et quam nihil homo nisi ex divini muneris cooperatione possit innotescit, dum ei in causarum effectibus præter spem et æstimationem contingit. Hoc est quod Abrahæ clibanus fumans et lampas ostenditur et tam divinæ aspirationis quam revelationis seorsum et seorsum forma proponitur.

Attendendum est autem quomodo hic vel ibi videtur: *Transiens*, inquit, *inter divisiones ipsas* (*Gen.* XV). Quod per figuram cernimus, rerum experientia probamus. Bonitatis namque veritatisque revelatio semper in bonorum omnium fontem tendit, et animum quem afficit post se in idipsum trahit. Sed quid illud est quod spiritualium exemplar quod patriarcha vidit, inter medias ei divisiones apparuit? Sicut superius jam diximus, illi bostias suas dividunt qui in bonis quæ agunt tum Deo, tum proximo placere contendunt, qui tam iram Dei quam scandalum proximi, cum omni studio devitare proponunt. Absque dubio nihil laboriosius, nihil difficilius. Vide ergo gemina illa quæ superius descripta est gratia quam merito inde confertur vel cumulatur, unde animus humanus propter Deum acrius urgetur: nam hoc est quod Abrahæ inter medias divisiones clibanus et lampas apparuisse describitur. Sed notandum quia Abraham antequam ista videret, caliginem tenebrosam incurrit. Profecto qui humani erroris opaca, periculorumque latebrosa in quibus versatur necdum agnovit, ad illum veræ dilectionis ignem, qui infimis inhærere nescit non pertingit. Qui necdum intelligit quod tentatio sit vita hominis super terram, exsilii quod patitur ignarus, nescit suspirare ad patriam, nescit lucem internam, nescit veri et intimi amoris flagrantiam. Hic est ignis qui cœlitus immittitur, qui post solis occasum datur. Hic est qui fiduciam generat, confidentiam parat, nutrit spem, tollit timorem. Charitas enim omnia credit, omnia sperat. Denique perfecta charitas foras mittit timorem. Nam et Abraham postquam ignem illum cœlitus missum meruit accipere, nusquam de cætero legitur de Domini promissionibus dubitasse. Et nos certe, si terram illam lacte et melle manantem

Digitized by Google

hæreditare concupiscimus, ad ejusmodi ignis acceptionem, in quantum possumus, anhelare debemus. Qualem hostiam patriarcha, et eo ordine quo ipse. A obtulit et ipsi paremus, et absque dubio in signum accipiendæ hæreditatis qualem desideramus ignem accipiemus.

TRACTATUS DE GEMINO PASCHATE.

SERMO IN RAMIS PALMARUM.

Geminum pascha colimus, geminum sane celebrare debemus. Primum est illud, quod vulgo solet floridum dici, de quo et modo compellimur aliqua pro tempore loqui. Sed quem, quæso, de tali tempore loqui non oblectet? quem ejus B amœnitas in sui laudem non excitet, vel ad amorem inflammet? O tempus amœnum, tempus acceptum, tempus floridum! Tempus amœnum, quod florum multiplici varietate distinguitur; tempus acceptum, quod grato circumquaque odore respergitur. Cui, quæso, gratum vel acceptum non sit, cum jam veraciter dici possit : *Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit : flores apparuerunt : Vinæ florentes odorem dederunt?* (*Cant.* II.) Cui non libeat in ejus laude illud apostolicum exclamare : *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis?* (*II Cor.* VI.) Acceptabile utique tempus, quod floribus ornatur; nec minus salubre de quo et fructus speratur. Absque omni ambiguitate si non præcedat floridum tempus, frustra, et spe vana fru- C ctus exspectamus. Præcedat ergo pascha florigerum, ut subsequatur pascha fructiferum. Hoc geminum pascha debemus sane festivum ducere, et cum omni celebritate suscipere. Vis nosse apertius quid sit quod dicere velimus? Nosti, ut arbitror, quia pascha *transitus* interpretatur, et a transitu Domini pascha nominatur. Quid ergo dicimus pascha floridum, nisi transitum honestum et gratum? Quid autem pascha fructiferum, nisi transitum jucundum et omni gaudio plenum? Accipe ergo geminum transitum utrumque gratum, utrumque honestum. Primum est ut transeamus de malitia ad justitiam, secundum est ut transeamus de miseria ad gloriam. Fratres, quid ad hæc dicimus, vel quales esse putamus hujusmodi transitus? Quale, quæso, erit transire de iniqui- D tate ad bonitatem, transire de calamitate ad beatitudinem? Primus transitus ad pascha primum, secundus pertinet ad pascha secundum. Videtis, obsecro, quam libenter et gratanter debeamus hujusmodi tempus festivum ducere, et solemniter celebrare. Et quidem pascha illud secundum, omnes in commune diligimus et pariter affectamus. Sed nunquid primum illud eadem devotione suscipitur, vel pari studio celebratur? Utinam omnes tam studerent esse boni quam affectant esse beati, vere tunc futuri tam beati quam boni! Utinam tam affectarent omnes justorum primordia, quam optant extrema! *Moriatur*, ait Balaam, *anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII), sed qui volunt habere justorum novissimis similia, studeant habere eadem primordia. Floreant interim per justitiam et fructum capient ex ea, vitam æternam. De vita justa, vita æterna; de vita bona, vita beata; de tali flore, fructus talis; de vita perfecta, vita perennis. Omnis arbor ex fructu suo cognoscitur. Non est arbor mala, quæ facit fructus bonos. Si arbor bona, et fructus ejus boni, et flores ejus grati. Sed semper necesse est flores præcedere ut fructus sequantur, alioquin sine præcedentibus floribus frustra sperantur. Præcedat ergo pascha floridum, ut sequatur pascha fructiferum; transeamus interim de inhonestate ad honestatem, ut postmodum transeamus de infelicitate ad felicitatem. Si adhuc mali sumus, transeamus de malo ad bonum; si boni, transeamus de bono in melius, et per melius in optimum et fecimus pascha floridum.

Cur, quæso, homines in hoc pascha florido conveniunt, nisi ut processionem pro more faciant? Nonne ipsum procedere est transire et pascha facere? Et ipsum quidem pascha tunc floridum facimus si ordinate et ad honestiora transimus, et processionem quidem pulchram facimus si in bono proficimus. Quam pulchram, quam speciosam putamus processionem ire de virtute in virtutem, qui retro sunt oblivisci et in anteriora extendi? O quales flores, veræ virtutes! Sternamus itaque viam nostram floribus talibus, et per florida virtutum transeamus, munde et honeste procedamus, ut processionem nostram pulchram et gratam faciamus et pascha floridum digna celebritate perficiamus. O quam mundum, quam jucundum erit per flores ire et per virtutum amœna transire, per crocum charitatis, per lilium castitatis, per passionis rosam et humilitatis violam! O quam laudabile, o quam amabile gratum odorem undique spargere, et opinionis suæ fragrantiam circumquaque diffundere, et ad jucundum processionis suæ spectaculum undique accurentium animos attrahere et ad probitatis suæ exemplum intuentium animos provocare! Hæc itaque est processio prima, et pertinet ad pascha primum : nam est et alia, et ipsa pertinet ad pascha secundum. Processio prima, promotio ad perfectionem bonitatis; processio secunda, promotio ad plenitudinem beatitudinis. Geminam processionem Christus fecit, geminam sane facere nos voluit : *Exivi*, inquit, *a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem* (*Joan.* XVI). A summo cœlo egressio ejus, hæc est processio prima; et occursus ejus usque ad summum ejus, hæc est processio

Digitized by Google

secunda. Primo descendit, postea ascendit. Prima processio est humiliationis, secunda est exaltationis. Si vere Christiani sumus Christum imitari debemus. Qui enim se dicit in Christo manere, debet sicut Christus ambulavit et ipse ambulare. Primo humiliemur cum Christo ut postmodum exaltemur cum Christo. Humiliamini interim sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in die judicii, in tempore adventus Domini nostri Jesu Christi. Sequamur itaque Christum interim qua ivit in terris, ut tandem sequi mereamur qua ivit in cœlis : *Oculi sapientiæ in capite ejus* (*Eccle.* II). Si sapiens es, qui Christum caput habes, ad ipsum respicere debes. Itineris ejus vestigia attende et virtute qua potes sequi contende. Vide ergo quomodo processit, vel qua te via præcessit certe paschalis ista hodiernæ festivitatis processio, quæ generaliter sit ex operum ejus recordatione, vel imitatione processit. Attende ergo quam ejus processionem tibi evangelista describat, vel quam tibi imitandam proponat. Videamus ergo unde incœpit, videamus quo perrexit, videamus qua transiit, videamus quomodo processit : hoc est quod dicere volo, quod te attendere moneo : unde, et quo, qua et quomodo processionem suam Christus fecerit. Unde incœpit? A Bethania (*Joan.* XII; *Matth.* XXI; *Marc.* XI; *Luc.* XIX). Quo tendit? In Jerusalem. Qua transiit? Per montem Oliveti. Quomodo venit? In asino. A Bethania itaque iter suum incœpit, et in Jerusalem perrexit, in asino sedens et per Olivetum transiens, hæc est processio Christi, quam imitari debent Christiani. Ecce quo ordine, ecce quali itinere, in Jerusalem ire debemus; ecce ad quem finem in omni eo quod agimus tendere debemus. Servate, fratres, unitatem fidei in vinculo pacis, et in Jerusalem estis, et qualem Christus docuit processionem consummastis. Nam Jerusalem, ut nostis, interpretatur *visio pacis*. Ecce, fratres, quid est ad quod hortari vos volumus, ut pacem quæramus, pacem apprehendamus, pacem custodiamus. Declina a malo et fac bonum, et qualem processionem Christianum decet inchoasti; inquire pacem, et persequere eam, et ad Jerusalem venisti, et processionem consummasti. Denique quintum in nobis est, habeamus pacem cum omnibus, et in Jerusalem sumus, habemus sane alios superiores, alios inferiores, alios autem pares. Habeamus ergo pacem cum superioribus, pacem cum inferioribus, pacem cum paribus, et habemus pacem cum omnibus, et usque ad Jerusalem pervenimus. Primum itaque et pernecessarium per omnem modum, ne perturbemus pacem prælatorum nostrorum quibus a Domino est dictum : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* X). Parati simus omni hora ad omnem obedientiam, et absque dubio habemus cum prælatis nostris pacem plenam. In quo, quæso, erga nos perturbari possunt, si nolumus omne quod nolunt, et volumus omne quod volunt? Si ergo volumus ad Hierusalem tendere, et pacem veram obtinere, oportet ab obedientia incipere, et iter pacis a Bethania inchoare. Nam Bethania interpretatur *domus obedientiæ*.

Sed nec illud hic prætereundum puto quod tamen breviter admonere volo, quod alii nobis sunt superiores potestate, alii autem dignitate, illi officio, isti merito. Illi præsunt quibusdam gradibus honoris et potestatis, isti præcellunt quibusdam proventibus sapientiæ, et sanctitatis; illos perfecit electio humana, istos extulit ordinatio divina. Cogita ergo quale sit, illos vereri quos prætulit humana institutio, et hos nolle venerari quos singulariter magnificavit divina dispositio. Si debito honore venerandi sunt qui ad tempus nobis præsunt, quanto honore digni sunt qui merito sanctitatis in sempiternum nos æterna exaltatione præcellunt? Hinc est quod boni prælati hujusmodi subjectos cum magno honore venerantur, quibus tamen quibusdam, ut dictum est, prælationum gradibus principantur. Primo igitur et præcipue satagendum est, ut habeamus pacem cum omnibus nobis superioribus, sed nec hoc sufficere debet, nisi studeamus servare vinculum pacis, etiam cum inferioribus et infirmioribus. Superiores deinire debemus obsequendo et obediendo, inferiores infirmitati eorum compatiendo et subveniendo. Superioribus obedientia exhibenda, inferioribus misericordia impendenda. Ergo a Bethania iter inchoandum, sed per Olivetum transeundum. Nam et ἔλεον apud Græcos *misericordiam* sonat, et ipsum oleum opera pietatis designat. Per montem itaque Oliveti transimus, cum infirmioribus quibuscunque pietatis operam impendimus, cum eorum infirmitati compatimur potius quam irascimur vel indignamur. Certe vides quantum hoc valeat ad infirmorum pacem obtinendam, et ad animi tui tranquillitatem possidendam. Qui enim turbatur et indignatur ad omnem offensam quam videt, quando, quæso, pacem inveniet? quando, obsecro, veram animi tranquillitatem obtinebit, vel saltem obtinendam sperabit? Semper in infirmioribus inveniet quod jure reprehendat, quod misericorditer tolerari debeat. Alioquin infirmi non essent qui infirmitatis nihil haberent. Profectus itaque nostri promotio vel processio per montem Oliveti fiat, et pietas nostra in immensum excrescat, ut magnitudinis jure justo mons dici queat, ut discamus infirmorum non tantum minima, sed etiam maxima cum animi tranquillitate tolerare, et proximorum infirmitatem non solum corporalem sed etiam spiritalem patienter et cum pietate sustinere. Profecto si hæc agimus, jam Hierusalem appropinquamus, et pacis plenitudinem eo vicinius attingimus, quo obedientiæ et misericordiæ perfectionem altius apprehendimus.

Puto quia jam opus erit asinum quærere, et inter ejusmodi virtutum insignia humilitatis sibi præsidium vindicare; sic et Christus Jesus cum appropinquarent Hierosolymis asinum sibi adduci fecit, et super ipsum sedit. Scimus autem omnes asinum esse animal sordidum et vile, mansuetissimum sane,

Digitized by Google

sed pene præ cæteris omnibus contemptibile : humilitatis itaque, ut arbitror, formam gerit, per quam animus sibi ipse vilescit, et in contemptum venit. Et quidem sine hujusmodi animali poterit forte processio nostra fore spectabilis, non tamen absque dubio sine eo erit, vel esse poterit usque adeo admirabilis. Quis, obsecro, non digne miretur choris præcedentium et hinc inde psallentium asinum interesse, et inter tam gloriosos, solemnesque apparatus tam sordidum animal apparere? Certe quantum ad me attinet in meis quidem oculis mirabilius apparet, hominem pontificalibus indutum in asino sedere, et inter ejusmodi insignia tale subsellium non erubescere, quam illud cunctis pene dulce lignum in manibus portare quam mitram in capite, vel pallium in humeris gestare. Nec novum sane, nec mirum de virtutibus gloriari, sed illud magnum atque mirandum inter summa quæque ornamenta virtutum asinum non dedignari, humilitatis bono firmiter inhærere, unum eumdemque hominem aliis omnibus mirabilem soli sibi contemptibilem apparere. Hoc ordine sane processionem nostram mirabilem facimus, si inter obedientiæ et misericordiæ fastigia humilitatis modestiam non deserimus; hac sane arte poterimus pares nostros nobis conciliare, si summa cum diligentia studeamus semper novissimum locum tenere, illos nobis venerationis officio, et honoris loco sine simulatione præferre, imo et præferendos esse veraciter credere, et sibi persuadere, et aliis persuaderi velle. Vides certe quia in hoc negotio opus habemus, quod pene nobis excidit, ex asina, et ejus pullo. Duo sunt, humilitas et humiliatio : humilitas in asina, humiliatio designatur in pullo. Pullus ex asina nascitur, et ex humilitate humiliatio vera oritur; humilitas interius, humiliatio exterius; humilitas in corde, humiliatio in actione, humilitas pertinet ad affectum, humiliatio autem ad actum. Sola autem humiliatio illa necesse est vera sit, quæ ex humilitate descendit. Qui infirmitatem suam veraciter agnoscit, et in oculis suis sibi ipse vilescit jam asinam in suam quasi præsentiam adduxit. Sed si non oculis hominum se humiliare vel contemptibile apparere erubescit, matrem quidem præsentem habet, sed usque adhuc pulli præsentia caruit. Si te exterius humilias, sed magnum aliquid de te existimas, pullum habes, sed matrem non habes. Adducamus itaque asinam et pullum cum ea, ut veraciter humiles sumus in mente, et veram humiliationem exhibeamus in actione. Alioquin si te ficte humilias, et fraudulenter incedis, eum, secundum prophetæ sententiam : *Compulsus fueris transire flumina, discooperire crura, absque dubio turpitudo tua revelabitur* (*Isa.* XLVII), eo quod nihil opertum sit quod non reveletur.

Studeamus ergo veraciter humiles esse, et veraciter humiles apparere, et hoc ordine, ut arbitror, poterimus pares nostros nobis conciliare. Constat namque quia inter pares maxime nasci solet invidia, et ex invidia discordia? Sed si in asino, ut dictum est, sedemus, et infimum inter eos, et vilem quemdam, et abjectum locum tenemus, invidiæ fomitem amputamus. Absque dubio vera humiliatio non solummodo pacem inter pares reformat, sed etiam cum superioribus et cum inferioribus confirmat. Vide ergo quale sit tale subsellium quærere, et si opus fuerit etiam de longinquo adducere. Aliis namque facile assumitur de proximo, aliis autem adduci opportet de longinquo. Qui enim adhuc enormiter vivunt, et erubescenda committunt, satis ad manum inveniunt unde erubescant, et humiliare se debeant. Qualis fuit publicanus ille qui erubescebat vel oculos suos in cœlum levare non audebat. Sed qui in vita sua nil erubescendum invenium, quales esse credo qui de Bethania veniunt et per Olivetum transeunt qui pascha floridum faciunt, et viam suam virtutum floribus sternunt, necesse habent, ut arbitror, asinum de longinquo adducere, et humilationis suæ materiam vel de pristinæ vitæ lapsu vel de futuræ vitæ statu assumere. Sic et Paulus eo quod ad manum non haberet unde sibi de proximo asinum assumeret, quoniam sibi nihil conscius esset, ad antiquæ conversationis viam considerationis suæ exploratores misit et inde sibi humiliandi materiam ascivit. Audi unde sibi asinum adducat, vel quam humilem sibi dejectionis locum eligat, cum dicat : *Ego minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei* (*1 Cor.* XV); sed quid ille factarus est qui cum beato Job dicere potest : *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea* (*Job* XXVII), profecto qui ejusmodi est, non habet unde asinum adducat de his quæ jam post tergum reliquit, quia unde sibi vileseat de præterita conversatione non invenit. Sed ecce habet quid faciat, ante faciem suam mittat modum summæ perfectionis quam nondum apprehendit ad quam attendat. Attendat autem quæ sit illa perfectio angelicæ puritatis, quæ illa consummatio angelicæ integritatis, et absque dubio in castello quod contra se est imperfectionis suæ modum ex comparatione colligere potest. Consideret quæ sit illa futuræ vitæ puritas, vel qualis ejus integritas, quam sit pura ab omni malo, quam sit integra in omni bono, pura ab omni corruptione, integra ab omni imperfectione, et puto quia in hoc gemino ministerio asinum sibi adducere valeat, et invenire unde se veraciter humiliare debeat. Profecto tutum non erit sine hujusmodi humili subsellio pueris Hebræorum occurrere, ac clamantibus illis undique : Euge, euge, eo quod pueri sint, et idcirco discernere non possunt, quos, quando, vel quomodo debeant laudare. Tale, ut arbitror, subsellium voluit nos Apostolus quærere, cum admoneret nos de nobis non alta sapere : *Non alta*, inquit, *sapientes, sed humilibus consentientes* (*Rom.* XII). Hic est processionis modus quem Christus tenuit, quem utique et nos tenere voluit. Vultis apertius noscere, quia a Bethania venit, et quia in omni, quod egit obedientiam tenuit : *Non veni*, inquit,

Digitized by Google

facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris (*Joan.* VI). Et Apostolus protestatur: *Quod factus sit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philipp.* II). Utique et per montem Oliveti transiit, et ex morte sua quam pro nobis sustinuit, quantum nos diligeret ostendit. Majorem enim charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vultis scire quomodo in asino sedit, vel quam humilis venit, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Sed quod per omnem ejusmodi viam in Hierusalem tendat, quis ignorat nisi forte quem latere valeat, quod ipse sit pax nostra, quæ fecit utraque unum, medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua lege mandatorum decretis evacuans. Ecce quomodo Christus transiit, ecce qualibus floribus viam suam stravit ut pascha floridum faceret et per virtutum amœna transiret. Ecce qualis fuit Christi processio. Ecce unde, et quo, ecce qua, et quomodo, quod superius proposuisse me recolo. Ex obedientia per pietatem, cum humilitate ad pacem. Nescio si compendiosius recapitulari potuit quod superius prolixior oratio copiosius digessit. Memento, et tu talibus floribus viam tuam sternere, si cupis pascha floridum celebrare. Boni flores obedientia et misericordia, boni flores humilitas et pax. Ecce, inquis, de floribus, et ubi sunt fructus. Vultis in Christo nosse qui sint fructus servatæ obedientiæ, vel impensæ misericordiæ quod factus est pro nobis obediens Patri usque ad mortem. Recole illud Apostoli: *Quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur; quod enim vivit, vivit Deo* (*Rom.* VI). Accipe et illud quis sit fructus quæsitæ pacis, vel susceptæ humilitatis. *Propter quod*, inquit, *et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II). Ecce qualis transitus, ecce quam fructuosus. De morte ad vitam, de tribulatione ad gloriam; ecce pascha secundum, ecce pascha fructiferum: o qualis fructus vita et gloria! O fructus dulcis, o fructus sublimis, sempiterna vita cum summa gloria, et gloria summa cum vita sempiterna. Sed hos fructus Christus noluit comedere solus, quinimo dispersit dedit pauperibus. Et jam: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. Unus quisque autem in suo ordine. Primitiæ quidem Christus, deinde qui sunt ejus* (*I Cor.* XV). Et in loco, ubi dictum est: *Non populus meus vos, jam dicitur eis, filii Dei viventis* (*Ose.* I). *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituuntur multi. Si enim in unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantia gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum* (*Rom.* V). Scientes igitur quis sit fructus obedientiæ immortalitas vera et incorruptio vitæ æternæ, accurramus omnes cum magna festinatione in Bethaniam, subjicientes nos ad omnem obedientiam. De ejus fructu nihil diffidentes, sed sine ulla hæsitatione tenentes, quia oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.

Sed quia secundum Apostolum corporalis labor ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia valet promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ, transeamus per montem Oliveti exercentes nos ad pietatem, scientes absque dubio, quod accepturi simus oleum pro oleo, oleum lætitiæ pro oleo misericordiæ. Beati enim misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Nec vos pudeat sedere in asino, vel recumbere in novissimo loco, non ignorantes quoniam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Nihil itaque fiat per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum, libenter, ut arbitror, nos humiliamus, sive veræ humiliationis fructum attendimus. Absque dubio sicut omnis qui se exaltat humiliabitur, sic omnis qui se humiliat exaltabitur. Cogita tamen quæ sit exaltatio, ista ut agnoscas quem fructum habeat humiliatio vera. Quale aut quantum putas possidere regnum cœlorum: nam ipsum arbitror veræ humiliationis fructum. Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; ecce quo ordine, ecce quo fructu, vel fine debeamus procedere, et in Hierusalem tendere. Profecto si hoc ordine incedimus, si hac intentione properamus, Hierusalem appropinquamus; si obedientiam cum charitate et humilitate servamus, veram quam quærimus pacem citius invenimus. O stultum, o cæcum qui studiose non properat ubi pacem, et pacem veram inveniat! Vultis tamen fructum ejus agnoscere, ut inde colligere valeatis quantum ad eam obtinendam oporteat properare: *Beati*, inquam, *pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). O fructus mirabilis, o fructus singularis, o quanta gloria servi, et servi tam indigni fieri filium Dei. Quid ei, quæso, jam sapere, vel satisfacere possit quem hujus fructus concupiscentia non trahit. Si hunc fructum esurimus, si eo frui desideramus, veræ paci studeamus. Teneamus interim pacem quam nobis Christus reliquit, et securi exspectemus illam quam promisit: *Pacem*, inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV). Non turbetur itaque cor tuum, neque formidet, et pacem habes quam tibi Christus reliquit, et servare te voluit. Sed forte, et illam quæris quænam sit quam Christus promisit, vel suam nominavit. Sed quibus, quæso, verbis explicare possum quæ sit illa pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum. Curramus itaque per pacem ad pacem, per pacem internam ad pacem æternam. Nam est pax quæ est tantum exterius, et est pax quæ est tantum interius, et est pax quæ est simul interius et exterius. Prima perti-

Digitized by Google

net ad solam carnem, secunda ad solam mentem, tertia ad mentem simul et carnem. Primam et secundam in hac vita, nunquam tamen simul habere possumus, quas semper in moribus disparibus seorsum et seorsum videmus, tertiam in futura tantum vita speramus, unde et æternam nominavimus. Primam venit Christus destruere, secundam statuere, tertiam dare, sed in futurum tamen reservare. De prima dicit : *Non veni mittere pacem in terra, sed gladium* (*Matth.* XI). De secunda et tertia illud intelligimus quod et jam supra posuimus : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XII). Detestemur itaque illam quam Christus damnavit, amemus illam quam Christus docuit, speremus illam quam Christus nobis reposuit, quia fidelis est qui promisit. Amemus internam, speremus æternam. Illa ad florem, ista pertinet ad fructum ; illa ad pascha primum, ista pertinet ad pascha secundum. Qui adhuc amat primam, relinquat eam, et transeat ad secundam, certus quod per ipsam transiturus sit ad tertiam. Qui ad secundam transiit, jam pascha primum, jam pascha floridum celebravit. Quid de secunda ad tertiam, secundum jam transitum fecit, et de ejus fructibus gustavit, ad secundum pascha jam transiit cujus celebritas sempiterna erit. Ecce de floribus, ecce de fructibus tentamus : istos desideremus, illos, ut in æternum fuit, mereamur, et de æterna celebritate sine fine lætemur.

SERMO IN DIE PASCHÆ.

Pascha nostrum immolatus est Christus, fratres, Scripturas scitis et virtutem earum. Ideo sermo noster ad vos non erit doctrina, sed admonitio, et notorum ad memoriam revocatio. De quo fonte enim bibo ego, bibitis et vos. Ubi haurio hauritis et vos. Si ego haurio aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, hauritis et vos. Judicate ergo tanquam spiritales utrum aqua quam vobis propinabo fluat de medio fontium, an sit hausta de fontibus Salvatoris. Pascha nostrum immolatus est Christus. Fructuosa Domini passio, et gloriosa ipsius resurrectio, non solum facta sunt et signa, sed insuper remedia. Non solum sunt veritas et figura, sed etiam medicina. Veritas sunt quia vere qui mortuus est ex infirmitate resurrexit ex virtute. Signa sunt et figura, quia mortuus est et resurrexit ut peccatis mortui justitiæ vivamus. Medicina sunt, quia mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit, propter justificationem nostram. De exemplo ergo et remedio passionis, et de remedio et exemplo resurrectionis pro modulo nostro prosequamur. Christus factus est obediens usque ad mortem, humilitatis perfectæ et charitatis consummatæ dedit nobis exemplum. Quæ sit autem vera humilitas et non ficta, ipsis verbis expressit loquens ad Patrem, dicens : *Non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI). Hæc est vox veræ humilitatis, quæ semper humanæ voluntati præponit divinam, et in hoc ab humanis in divina dirigitur. Nec hoc solum, sed etiam alterius hominis, non solum majoris vel partis, sed etiam inferioris voluntatem suæ præponit. Contraria vox superbiæ est ; non sicut tu, sed sicut ego, cujus proprium est suam præponere voluntatem ; non solum hominis alterius voluntatem, sed etiam divinæ, et in hoc a divinis in ima demergitur. Humilis ergo non suam, sed Dei facit voluntatem. Superbus vero non Dei, sed suam facit voluntatem ; humilis non suam, sed Dei quærit gloriam. Superbus vero non Dei, sed propriam quærit gloriam. Humilis ædificat super petram, superbus super arenam. Omnes ergo superbi discipuli sunt diaboli qui est rex et magister super filios superbiæ. Omnes vero humiles discipuli sunt Christi, qui ad hoc ut humilitatem doceret et fieret magister humilitatis, humilis factus est : unde et gloriatur in discipulis, humilis in humilibus dicens : *Ecce ego et pueri mei quos dedit mihi Dominus* (*Isa.* VIII). Tales enim dat Filio, trahens eos ad Filium, juxta illud : *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (*Joan.* VI). Qui veniunt ad Filium tracti a Patre, non inviti veniunt, sed sine coactione, sine necessitate, voluntate, amore et in cordis vinculo. In hoc enim Pater trahit ad Filium humiles, quod eis revelat Filium. Unde : *Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI). Filius autem ad se venientes non foras ejicit, sed benigne suscipit. Et ut probet eos an eum diligant, fasciculum myrrhæ eis apponit, de quo et ipse comedit, sicut et de torrente bibit transiens per foramen acus, per angustias scilicet passionis. Ipsi vero præ amoris magnitudine non sentiunt amaritudinem myrrhæ gloriando in tribulatione. Unde unus ex illis ait : Scimus quia neque mors, neque vita poterit separare nos a charitate Christi (*Rom.* VIII). Charitatis etiam consummatæ exemplum nobis in ipsa sua immolatione dedit, orando pro inimicis. Quam descripsit, ubi ait : *Nemo majorem charitatem habet quam ut animam suam det pro amicis suis* (*Joan.* XV). Dominus vero Jesus animam suam, cum essemus inimici posuit, et in hoc charitatem suam commendavit. Quam Apostolus supereminere scientiæ dicit. Quam quidem comprehendere non possumus, nisi fuerimus radicati et fundati in charitate. Radicati ad similitudinem arboris, fundati ad similitudinem domus, fundati per dilectionem Dei, per quam sumus domus Dei, et templum, et Deus habitat in nobis. Radicati per dilectionem proximi per quam sumus arbores fructiferæ proferentes folia protectionis, et fructum sustentationis. Qui autem sic sunt in charitate radicati et fundati, possunt comprehendere quæ sit latitudo et longitudo, et altitudo, et profundum charitatis cum omnibus sanctis. Latitudo charitatis in hoc consideratur ut diligatur inimicus, longitudo ut perseveretur usque in finem. Altitudo ut omnia fiant propter Deum. Profundum vero charitatis in hoc attenditur, ut homo nil boni sibi ascribat, sed totum gratiæ Dei, cui causas investigare est nimis profundum, excedens sensum humanum, scilicet cur hunc induxit,

Digitized by Google

illum vocet. Unde Apostolus : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus* (*Rom.* xi). Medicamento humilitatis sanatur morbus totius elationis. Dono charitatis curatur infirmitas cupiditatis. Per hæc duo scilicet superbiam et concupiscentiam habitabat in nobis princeps hujus mundi, per superbiam in mente, per concupiscentiam in carne. Sed nunc princeps hujus mundi ejectus est foras per gratiam Christi ; unde ipse ait : *Ecce ejicio dæmonia, et perficio sanitates* (*Luc.* xxiii). In hoc quod peccata dimittuntur, dæmonia ejiciuntur. In hoc quod virtutes mentibus infunduntur, sanitates perficiuntur.

De remedio passionis de cætero dicendum est quod in justitia et misericordia intelligitur. Salvator enim noster, cum sit omnipotens, solo verbo virtutis suæ potuit hominem liberare de potestate tenebrarum. Sed in nostra liberatione maluit uti justitia quam potentia, quia diabolus amator est potentiæ, desertor justitiæ. In quo homines magis eum imitantur qui affectant potentiam et exosam habent justitiam. Quæ est illa justitia ? Audite. Christus innocens est, et immunis ab omni peccato, solus inter mortuos liber non habens causam peccati sub auctore peccati. Sicut ipse ait : *Venit princeps mundi hujus et in me non habet quidquam* (*Joan.* xiv). Tota enim possessio hostis antiqui est peccatum, qui data est in hæreditatem terra spe sterilis, spinis et sentibus plena, terra, cui maledixit Dominus, cui ceciderunt funes in obscuris et tenebrosis. De hac tota substantia ejus nihil invenitur in Christo, occidit tamen innocentem, et ideo jussus est recedere a nocentibus confugientibus ad Christum. Occidit eum qui nil debuit morti, et jussus est recedere a debitoribus mortis credentibus in eum qui pro eis mortuus est. Misericordia autem nostræ redemptionis in hoc insinuatur, Christus sola charitate, nostræ miseriæ compassione Patri obediens mortem pertulit, et in hoc ipso apud Deum Patrem multum meruit, omneque meritum suum suis membris concessit. Et in sua passione eum qui mortis habebat imperium destruxit, et hominis reatum expiavit, et peccatorem Deo Patri reconciliavit, et sicut David Goliam gladio proprio occidit, sic Christus diabolum propriis armis peremit. Quæ fuerunt arma diaboli quibus mundum vicit, et a Christo victus est? Mors, quia auctor peccati ideo ex divina sententia mortem corporis inferre potuit quibus voluit, ideoque homines timore obnoxii erant peccati vel diaboli servituti, et quælibet patiebantur ne morerentur. Unde Job ait : *Pellem pro pelle, et omnia dabit homo pro anima sua* (*Job* ii). Salvator vero voluntarie mortem suscepit, et moriendo mortem destruxit, et sic homines a timore mortis eripuit. Unde sancti jam mortem timent, sed cupiunt dissolvi et esse cum Christo. De hoc remedio ait Salvator : *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* iii).

Nota est vobis historia qualiter filii Israel murmurantes percussi sunt ab ignitis serpentibus in deserto. Tunc Moyses præcepto Domini serpentem æneum in pertica erexit, ad quem filii Israel aspicientes sanabantur a morsibus serpentinis. Per hunc serpentem æneum in pertica exaltatum intelligimus Christum crucifixum, quia per serpentem mors intravit in mundum, ideo mors per eum figuratur. Serpens ille æneus similitudinem habuit serpentis sed non habuit venenum. Sic et Christus similitudinem habuit carnis peccatricis, sed non habuit venenum peccati. Quia, si peccati venenum haberet, a veneno peccati non liberaret. Quoties ergo a serpentibus percutimur, id est, dæmonibus vulneramur, ad hunc serpentem aspiciamus oculo carnis et oculo mentis : oculo carnis per imitationem exempli, ut crucifigamus carnem cum vitiis et concupiscentiis ; oculo mentis per fidem remedii dicendo cum Petro : *Quia non est aliud nomen in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* iv), et sine dubio perfecte curabimur ab omni plaga, et per imitationem exempli sanabimur ab omni actu peccati, per fidem remedii purgabimur ab omni reatu, hoc est infirmum Dei quod est fortius hominibus. Quis enim hominum potuit facere quod Christus per mortem suam effecit? Nullus, imo nec totus mundus, hoc est stultum Dei quod est sapientius hominibus. Quis enim hujus sacramenti potest penetrare profunditatem ? Nunc de remedio resurrectionis dicendum est : Pascha nostrum immolatus est Christus. Pascha interpretatur *transitus*, qui pertinet ad resurrectionem, imo transitus Domini ipsa est resurrectio Domini, unde dies præsens dies Paschæ, et dies resurrectionis dicitur. Christus enim resurgens ex mortuis transivit de morte ad vitam, de corruptibilitate ad incorruptionem, et in hoc factus est pascha nostrum, quia in illo et per illum transimus de tenebris ad lucem, de vitiis ad virtutes, de hoste ad patrem, de morte ad vitam.

Et videte quomodo constat quia justus ex fide vivit. Ubi ergo non est fides, nec justitia, ibi non est justitia nec vita. In morte autem Christi fides ejus, et jam in apostolis mortua est ; quia, percusso pastore, dispersæ sunt oves. Ipso autem resurgente et discipulis suis apparente, reformata est fides in apostolis. Insuper accensa sunt corda, et inflammata amore et desiderio immortalitatis et futuræ beatitudinis et sic intus vivificati et justificati transmigraverunt de infidelitate ad fidem, de peccato ad justitiam, et sic de morte animæ transierunt ad vitam : *Hodie namque*, ut dicit Apostolus, *datum est Christo nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* xxi). Ab æterno quidem habuit nomen quod est super omne nomen secundum divinitatem, et in sua incarnatione quidem nomen datum homini per gratiam, sed quod hucusque latuit per resurrectionem in palam venit. Ideoque Dominus tot argumentis ipsam resurrectionem probavit. Quia ipsa con-

Digitized by Google

stante, cætera constant, ipsa enim est quasi basis sub columna, quasi fundamentum fundamentorum, cui omnes articuli fidei innituntur. Unde apostolus totam summam nostræ salutis in ipsa posuit dicens : *Si corde credideris, et ore confessus fueris quia Deus suscitavit eum a mortuis, salvus eris* (*Rom.* x). Hanc igitur non solum credere, sed etiam in jugi memoria tenere debemus. Unde Apostolus ait ad Timotheum : *Mementote Dominum Jesum resurrexisse a mortuis* (*II Tim.* II). Sicut enim ex cupiditate quæ est radix omnium malorum oriuntur mala desideria, et nociva quæ mergunt homines in perditionem et in interitum, sic ex assidua resurrectionis memoria nascuntur sancta desideria, et affectiones piæ, mundi contemptus, amor æternorum, et mutatur homo in virum alterum, et spiritualis efficitur. Una igitur resurrectio Domini secundum carnem, geminam nostram resurrectionem efficit, et animarum in præsenti, de qua dicit Joannes in Apocalypsi : *Beatus qui habet partem in prima resurrectione, quia non lædetur a morte secunda* (*Apoc.* xx), et resurrectionem corporum in futuro. De qua Apostolus : *Et reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (*Philipp.* III). Restat de exemplo resurrectionis, de quo dicit Apostolus : *Quomodo Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (*Rom.* VI). Jam nos igitur innovati, et in novitate vitæ positi ambulemus de novitate in novitatem, de claritate in claritatem, de virtute in virtutem : nam in eadem virtute de gradu in gradum procedimus.

Has autem interiores processiones, spirituales profectus, incrementa virtutum figurant istæ exteriores processiones quas his diebus solemnius frequentavimus, quas cum magna devotione nos celebrare decet, gaudentes tum de resurrectione capitis nostri, tum de resurrectione mentium in præsenti, tum de resurrectione corporum quæ erit in futuro. Sed præcipue de resurrectione Jesu Christi quæ est causa nostræ geminæ. Ideoque summa gaudiorum inde est, quod cantamus : Christus resurgens ex mortuis, etc. Interiores vero processiones omni quidem tempore faciendæ sunt, sed potissimum hac solemnitate quæ non solummodo aguntur, sed præsentantur. Ut autem utiliter fiant, duo sunt necessaria, scilicet cithara et psalterium. Non quidem materialia, sed eorum significata. Cithara sonat ab inferiori, et ideo significat vitiorum mortificationem, psalterium vero sonat a superiori, et ideo significat bonorum operum exhibitionem. Qui citharizat et non psallit, vel psallit et non citharizat, non procedit, non proficit, quia neutrum sine altero reddit sonum jucundum, quia psalterium jucundum cum cithara ; quia, sicut scriptum est : *Honor regis judicium diligit* (*Psal.* xcv), honorem summo regi damus, cum de beneficiis gratias referimus. Sed hic honor judicium diligit, quo mala puniuntur, et vitia mortificantur, quia non est speciosa laus in ore peccatorum. Nam solos rectos decet laudatio. Unde etiam Apostolus docens nos hanc paschalem solemnitatem celebrare, ait : *Expurgate vetus fermentum* (*I Cor.* v). Vetus fermentum vocat quodlibet mortale peccatum, quod nos corrumpit, et veteres et acidos reddit. Unde idem Paulus præmisit : *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (*ibid.*). Unum enim peccatum, peremptorium omnia bona merita reddit inutilia, et ad salutem insufficientia, juxta illud : *Qui offendit in uno, omnium est reus* (*Jac.* II). Quod non est scilicet intelligendum quasi qui unum peccatum habet omnia habeat, et pro omnibus sit puniendus, nec etiam de virtutibus concedimus, quod qui unam habet, omnia habeat. Dicit enim Hieronymus quod hæc est philosophica sententia. Qui unam habet virtutem, omnes habet, sed non divina. Nec, inquit, curæ est quid dicat Aristoteles ; sed quid Paulus ? Quomodo ergo intelligendum est, qui offendit in uno, omnium est reus ? Nunquid qui facit furtum, reus est homicidii, adulterii, sacrilegii et aliorum ? Esse reum alicujus non uno modo dicitur. Aliter enim quis dicitur reus peccati, aliter reus capitis. Reus peccati est aliquis, id est, dignius ut pro peccato puniatur. Reus est capitis, id est dignus ut caput amittat. Sic, cum dicitur : Qui offendit in uno, omnium est reus, non intelligitur omnium peccatorum, quasi pro omnibus puniendus, sed intelligitur omnium bonorum quæ fecit, ut illa amittat. Ut si quis novem præcepta faciat, et unum solum transgrediatur, offendens in uno, factus est omnium reus, id est, dignus ut meritum novem præceptorum amittat, quia efficacius est unum transgressum ad damnationem, quam novem impleta ad salutem. Hanc autem sententiam confirmat Salomon, dicens : *Qui in uno offendit multa bona perdet* (*Eccle.* IX). Iste igitur tres auctoritates, *scilicet modicum fermentum totam massam corrumpit*, et *qui offendit in uno, omnium est reus*, et *qui offendit in uno multa bona perdet*, juxta eumdem sensum intelligendæ sunt. Vobis igitur, fratres, qui multo tempore laudabiliter vixistis, providendum est ne modicum fermentum totam massam bonorum meritorum corrumpat ; ne in uno offendentes sitis omnium rei, et multa bona perdatis ; ne igitur hoc contingat juxta Apostolum, paschalem solemnitatem in animis celebrare. Panis azymus absque fermento est, si gignat sinceritatem, scilicet puritatem a vitiis. Per hoc autem quod est solidus, designat veritatem, scilicet bonorum operum exhibitionem. Sinceritas partim ad citharam, veritas ad psalterium. Sed ecce est aliquis qui vitia mortificat et bona agit, sed omnia retorquet ad propriam gloriam. Iste procedit, sed non proficit, quia Dei gloriam non requirit. Unde Dominus per Prophetam : *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium, et cithara* (*Psal.* XXXVI). Nil enim prodest portare citharam et psalterium, nisi fiat totum propter Deum. Debemus enim declinare a malis et insistere bonis, ad Dei laudem et gloriam. Unde Apostolus : *Vir est imago et gloria Dei* (*I Cor.* XI) ; vir in vitiorum mortificatione,

Digitized by Google

imago in bonis agendis. Quis enim dicit se in Christo manere, debet sicut et ipse ambulavit et ipse ambulare, hoc est eum imitari, et ideo imago ab imitando scilicet, gloria Dei, ut Deus non ipse vir per omnia glorificetur. Hanc eamdem processionem Dominus designat, ubi ait : *Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* (*Marc.* II). Surge a vitiis, tolle grabatum tuum, id est, porta a quo portaberis, id est, sicut frater tuus tolerabat infirmitates tuas, sic tu tolera infirmitates fratris tui, et hæc faciendo ambula per rectam intentionem in domum tuam, id est, paradisum ut omnia facias propter spem futuræ vitæ. Nemo cum uxore Lot retro respiciat, vel quasi canis ad vomitum redeat, vel cum filiis Israel in Ægyptum ad ollas mente eat, quia, juxta Veritatem : *Nemo mittens manum ad aratrum* (*Luc.* IX), etc. Nunc igitur summatim videamus unde hæc processio incipere debeat, et quousque pervenire, vel procedere. Mens igitur lætetur, spiritus exsultet, os, lingua novum canticum depromant. Manus sinistra tympanizet, vel citharizet. Dextra manus psallat, imo utraque manu utamur pro dextera, ut omnia interiora et exteriora laudem A et gloriam Deo concrepent, ut totus homo tendat ad Deum, juxta illud : *Levemus corda cum manibus in cœlum, ut qui totum fecit totum possideat* (*Thren.* III). Sic igitur procedamus donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi obviam Christo in aera. Deus bonus pastor, qui posuit animam suam pro ovibus suis, introducat nos in veram terram promissionis, in terram viventium, quæ fluit lacte et melle. Hæc terra viventium est nobis promissa a Christo qui est Dei virtus et Dei sapientia, quam terram dabit nobis in hæreditatem, quando manifestabit se nobis ducens ad paternam visionem, ad summi boni fruitionem, ad omnium deliciarum affluentiam. Et nos egredientes et ingredientes pascua inveniemus. B Egrediemur per sensum carnis, et pascua inveniemus in lacte humanitatis Christi. Ingrediemur per sensum rationis, et pascua inveniemus in melle divinitatis ejus. Ibi erit æterna satietas, gaudium plenum quod nemo tollet a nobis, quia æternum hoc erit in fine sine fine, ad quem nos perducat ipse auctor pietatis. Amen.

DE EXTERMINATIONE MALI ET PROMOTIONE BONI.

TRACTATUS PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid est tibi, mare, quod fugisti; et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum? (*Psal.* CXIII.) Exclamatio est vox ista Prophetæ, cum admiratione ; admiratio cum exsultatione. Videbat enim divinum quoddam miraculum ; nec unum tantum, sed geminum, utrumque magnum, utrumque mirum, utrumque valde stupendum. Videbat mare ante conspectum Israel fugere ; videbat Jordanem cursus sui impetum in fontem reflectere; videbat utrumque Hebræo populo cedere et proficiscentibus liberum iter relinquere. Quid horum non novum, quid horum non mirum? Utrumque ita contemplabatur, et ad utrumque mirabatur, et de utroque gratulabatur. Exclamat ergo in voce exsultationis et confessionis : Quid est tibi, mare, quod fugisti : et tu, Jordanis, D quia conversus es retrorsum? Primum miraculum fit in exitu Israel de Ægypto, secundum autem fit in exitu Israel de deserto. Quis mihi tandem aliquando det perfecte deserere regionem dissimilitudinis : quis mihi dare possit introire in terram promissionis, ut æque videre possim fugam maris, et conversionem Jordanis ? Pulchrum spectaculum, satisque jucundum videre aquam maris fugientem, videre aquam Jordanis revertentem, amaram recedere, dulcem refluere, amaritudinem deficere, dulC cedinem redundare. Quisquis hæc vides, miror si non et ipse exclames : *Quid est tibi, mare, quod fugisti ; et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum ?* Nunquam solent fieri hujusmodi miracula, nisi ante veros Judæos, nisi ante bonos Hebræos.

CAPUT II.

De gemina confessione, et gemina promotione.

Confessio facit Judæum, transitus facit Hebræum. Judæus siquidem *confitens*, Hebræus *transiens* interpretatur. Et est confessio vera, et est confessio ficta. Similiter est transitus bonus et est transitus malus. Confessio vera facit Judæum verum, et transitus bonus facit Hebræum bonum. Ascribere tibi mala tua, ascribere Deo tuo bona tua, confessio vera, confessio recta. Illa est criminis, ista est laudis; utraque sane utilis, utraque laudabilis. Similiter est duplex transitus; uterque quidem bonus, uterque necessarius. Qui transit de malo ad bonum, bene quidem transit ; et qui transit de bono ad optimum, bonum et ipse transitum facit. Cognosce ergo, et confitere mala tua, et noli in ipsis remanere ; sed transi ea, et factus est transitus primus, et confessio prima. Similiter confitere Deo de bonis tuis, lauda ipsum pro bonis suis, et noli torpere in ipsis : sed nitere quantum potes ad meliora, et transi ad optima, et factus est transitus secundus, et confessio secunda.

Digitized by Google

Ad confessionem primam solet fieri miraculum primum et ad confessionem secundam solet fieri miraculum secundum. Per confessionem siquidem criminis efficitur fuga maris, et ad confessionem laudis statim convertitur Jordanis.

CAPUT III.

Quomodo confessio criminis valeat ad exterminium mali.

Omnia namque in confessione lavantur : conscientia mundatur, amaritudo tollitur, mare fugatur, tranquillitas redit, spes reviviscit, animis hilarescit. Siquidem beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quid est lugere, contristari, nisi maris tempestatibus agi? Et quid est gaudium consolationis, nisi fuga maris et absentatio doloris? Audi Judæum crimina sua confitentem, et attende ante eum aquam maris fugientem : *Dixi*, inquit, *confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). Iniquitatem confitebatur, et mare fugabatur, quia impietas remittebatur. Impietas enim mare est, dulcem siquidem aquam facere non potest; sed est aqua ejus salsa valde et multum amara, et amaritudo ejus amaritudo amarissima. Quid, quæso, dulcedinis habet invidia? Quid, obsecro, dulcoris habet iracundia; quid suavitatis impatientia? Hujusmodi, ut arbitror, aquæ quælibet amaræ sunt, et mare faciunt, quia nulli penitus sapere, nemini placere possunt. Vides ne ergo quale sit hujusmodi mare magnum, et spatiosum manibus quod potest appellari malitiæ. Nam est et aliud quod potest dici miseriæ habens et ipsum quidem minime dulcem aquam, sed minus tamen amaram. Sed felix qui dominatur a mari usque ad mare, ut nulli subjaceat culpæ, nulli succumbat pœnæ, in tantum, ut non dominetur omnis ei iniquitas, nec eum opprimat ulla adversitas. Felix ante cujus conspectum mare fugit malitia recedit, miseria cedit, conscientia hilarescit. Numquidnam qui ejusmodi est, fiducialiter psallere non potest? Quid est tibi, mare, quod fugisti? Si vis ergo et tu fac quemdam bonæ professionis Judæum; confitere ex corde peccatum tuum, ut possis et ipse videre tale spectaculum, tam grande miraculum, et psallere non dubites hujusmodi hymnum. Quid est tibi, mare, quod fugisti?

CAPUT IV.

Quomodo confessio laudis valeat ad promotionem boni.

Sed nunc illud consideremus, quomodo ad confessionem laudis soleat fieri conversio Jordanis. Sed hoc melius, ut arbitror, operando quam disputando discimus, hoc citius experiendo quam loquendo probamus. Denique satage et tu confiteri, mirari, venerari Dei potentiam, Dei sapientiam, Dei misericordiam, et certus sis quia, quanto plus laudabis, tanto ardentius amabis. Ne te ergo pigeat divinam gratiam multum laudare, ut multum ames; multum amare, ut multum desideres. Quanto enim vehementius desiderabis, tanto citius obtinebis quod multum concupiscis. Ama quod prius contemnebas, contemne quod prius amabas, et securus sis, quia conversus est Jordanis. Dilige Deum, despice mundum, et vere fatebor quia Jordanis conversus est retrorsum. Qualis, quæso, ista est conversio Jordanis : quam mirabilis, quam laudabilis, quam amabilis, totum impetum amoris, totam inundationem dilectionis, totam affluentiam delectationis, magna cum festinatione currere non deorsum, sed sursum, quærere quæ sursum sunt, non quæ super terram; ita ut veraciter profiteri possis, quia Jordanis conversus est retrorsum! Hæc causa, ut arbitror, exstitit, cur Prophetam fieri Judæum nec piguit, nec puduit, eo quod veraciter agnoverit quia *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime* (*Psal.* XCI). Inde est illa firma professio et devota promissio : *Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum* (*Psal.* CVIII). Nonne Judæum se esse voluit, cum dixit : *Lauda, anima mea, Dominum?* (*Psal.* CXLV.) Nonne aquam Jordanis deorsum fluere prohibuit cum animam suam blanda allocutione admonuit? *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus* (*Psal.* XLII). Nonne Jordanis fluenta converti desideravit, cum ait : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi* (*Psal.* CXIV). Miror si hoc audies, et ipse non ambis fieri Judæus, et confiteri Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus, et inveniaris dignus, cui dignetur Dominus ostendere tam grande miraculum, ut cum Propheta psallere possis; quia Jordanis conversus est retrorsum.

CAPUT V.

Quod prima promotio virtutis sit in contemptu mundi.

Sed nec illud, quæso, tibi satis, cum fueris Judæus, nisi efficiaris pariter et Hebræus. Profecto idem ipsi Hebræi, qui et Judæi, licet ex alio Judæi, et ex alio Hebræi. Nam confessio, ut dictum est, Judæum, et transitus efficit Hebræum. Denique et tu ipse, si in Ægypto es, transi, et desere Ægyptum, et fecisti quemdam bonæ spei Hebræum, et videbis in fuga maris magnum illud et stupendum miraculum. Sed, si ipsum etiam desertum transire studueris, videbis adhuc majora his in conversione Jordanis. Primus ergo transitus est de Ægypto, secundus de deserto. Primo transi de mundo ad teipsum, secundo de teipso in Deum. Mundum amasti, mundum despice, et transi. Desere curas sæculi, et age curam tui, et incipis esse cultor eremi. Rediens de Ægypti tenebris, de erroribus mundanis ad secretiora cordis, nihil aliud invenies, nisi locum horroris et vastæ solitudinis. Hæc est enim terra illa deserta, invia, et inaquosa, conscientia videlicet diu neglecta, omnino inculta, spinis et tribulis obsita, et omni horrore plena. Oportet ergo te Ægyptum deserere, et hujusmodi eremum petere, si cupis fugam maris oculis tuis aspicere, sicut et David elongavit fugiens, et mansit in solitudine, im-

Digitized by Google

ple prævaricator, quod prævaricatoribus præcipitur, ubi dicitur : *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isai.* XLVI), et factus est transitus primus, et de cætero recte appellaris Hebræus.

CAPUT VI.

Quod secunda promotio virtutis sit in contemptu sui.

Redi ergo ad teipsum, et omni custodia custodi cor tuum. Sed væ tibi, si remanes ibi. Noli remanere, sed transi pergens, et pertransiens in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. Transi ergo et teipsum, perge in Deum tuum, quære et apprehende summum bonum. Audi illam qui clamitat in plateis; ausculta vocem Sapientiæ, ad hunc secundum nos transitum admonentis : *Transite ad me*, inquit, *omnes qui concupiscitis me* (*Eccle.* XXIV). Desere mundum, et factus est transitus Israel de Ægypto. Contemne teipsum, et factus est transitus Israel de deserto. Primum ergo transitum facit contemptus mundi, secundum transitum efficit contemptus sui. Ad primum transitum mare fugatur. Ad secundum transitum Jordanis convertitur. Fuga maris exterminatio amaritudinis. Conversio Jordanis reordinatio charitatis.

CAPUT VII.

Quomodo per contemptum mundi fiat exterminium mali.

Vis apertius audire, plenius nosce quomodo ad primum transitum Hebræorum, qualiter ad mundi contemptum fiat fuga maris, amaritudinis exterminium. Statim absque dubio ut Ægyptum deserueris, ut mundum post te totum rejeceris : perit causa timoris, causa doloris, radix amaritudinis (radix siquidem omnium malorum cupiditas). Cum enim poteris mundum plene evadere, cum cœperis nulla ejus prospera concupiscere, nulla ejus adversa pertimescere, quid jam erit quod tuam mentem poterit perturbare? Quid, quæso, rectius in fuga maris accipimus, quam nullis fatigari perturbationibus? Denique non turbetur cor vestrum, neque formidet, et mare ante conspectum nostrum fugiens abiit et recessit. Puto quia mare non jam erit amplius quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, quando jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt. Quid enim est timor et tremor et mœror, nisi aquæ maris amaræ nimis, omnisque omnino expertes dulcedinis? Venit in altitudinem maris hujusmodi Propheta, ni fallor, cum diceret : *Timor et tremor venerunt super me* (*Psal.* LIV). Et illud : *Tribulatio et angustia invenerunt me* (*Psal.* CXVIII). Mare hujusmodi offendunt quotquot Ægyptum deserunt, desertum petunt, promissionis terram concupiscunt. Oportet enim nos per multas tribulationes transire in regnum Dei.

CAPUT VIII.

Quod contritio animi nunc sit in adjutorium, nunc ad firmamentum boni.

Hujusmodi mare alii habent ante se, alii autem post se. Qui autem ante se habent, est eis ad impedimentum; qui juxta se habent, est eis in adjutorium; qui post se habent, est eis ad firmamentum. Sic itaque Israelitici Ægyptum deserentes, desertum intrare volentes, et ad promissionis terram suspirantes, prius habuerunt mare ante se ad impedimentum profectionis; post habuerunt juxta se in adjutorium defensionis, quando erat eis pro muro a dextris et sinistris; tandem habuerunt post se in firmamentum securitatis, inimicis eorum ab eo submersis seu interclusis. Ante nos futura, juxta nos præsentia, post nos præterita. Mare ante nos, timor futurorum periculorum est. Mare juxta nos, labor incumbentium certaminum est. Mare post nos, dolor perpetratorum malorum; mare ante nos, timor pusillanimitatis; mare autem juxta nos, labor sollicitudinis; mare post nos, dolor pœnitudinis. Timor pusillanimitatis impedit; labor sollicitudinis munit; dolor pœnitudinis protegit. Alius aliorum vitam considerans et studium, cum videat multos etiam post professionis votum reverti ad vomitum, redire ad sæculum, nec saltem audet inchoare bonum, iste ante se mare habet, sed ad impedimentum. Quid enim est cordis trepidatio, mentis hæsitatio, nisi quædam quasi maris fluctuatio? Qui enim hæsitaverit, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Alius hunc timorem viriliter calcat, maris fluctuationes ante se fugat, cordis sui trepidationem castigat, ad toleranda pro Domino quælibet pericula animum fortiter præparat, et pro hac parte psallere non dubitat, mare vidit et fugit, eo quod omnis inutilis trepidatio ante ejus conspectum fugiat atque discedat. Sed, quia sollicitus est, adhuc quomodo debeat vel bonorum negligentiam cavere, vel malorum subreptionem declinare, patitur quidem mare, quamvis non ante se, in utroque tamen latere, eo quod oporteat hinc ad bona, illinc contra mala constanter agere, multum laborare, et utrobique sollicitum esse. Sed felices illi quos jam virtutum exercitia, laborum certamina, non tam fatigant quam delectant, qui licet solum plangunt, quod tot anteactæ vitæ tempora, vel in iniquitate consumpserunt, vel in vanitate perdiderunt. Qui hujusmodi est, mare post tergum se habere ostendit, sicut ille, qui dixit : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (*Isa.* XXXVIII). Quis autem dubitet hujusmodi hominibus mare post tergum relictum esse, ad tutissimum firmamentum, et subversionem inimicorum? Solet enim amaritudo pœnitentiæ non solum perpetrata mala satisfaciendo delere, verum etiam illud in nobis consuevit efficere, ut quæ non licet, nec libeat repetere.

CAPUT IX.

De utili et inutili contritione.

Consideremus et illud quomodo hic maris aqua, amaritudinis unda aliis sit extra viam, aliis in via. Quis dubitet hanc vitam esse viam ad vitam futuram? Alius dolet pro his quæ sunt præsentis vitæ, alius pro his quæ sunt vitæ futuræ. Qui pro his do-

Digitized by Google

let, quæ sunt in hac vita, huic est mare in via. Qui pro illis dolet, quæ sunt extra hanc vitam, illi est mare juxta viam. In hac vita, et bona et mala; in illa vita, aut sola bona, aut sola mala. Itaque quæ nulla sunt, multum a se differunt, et nulla se similitudinis vicinitate contingunt, eo quod inter ea chaos magnum firmatum sit, in quibus aliqua consimilis qualitatis proportio reperiri non possit. Sed hæc vita inter illa quæ futuræ vitæ sunt, bona sed mala quasi media interjacet, eo quod ad utraque seu hinc seu inde aliqua similitudine appropinquet, quæ bona et mala permista habet. Illius igitur vitæ bonis bonorum suorum (quamvis umbratili similitudine jungitur, sicut et vitæ illius malis, malorum suorum) imaginaria affinitate sociatur. Extra ergo hanc viam sunt, quæ post hanc vitam occurrunt. Extra quidem, et juxta non solum qualitatis similitudine, sed temporis cohæsione. Statim ut ista deserimus in illa absque mora incidimus. Qui igitur pro his timet, dolet et plangit mœroris undam, amaritudinis affluentiam, quasi maris aquam juxta decursus sui viam effundit.

CAPUT X.

De gemina cordis compunctione.

Mœror pro nobis æternis, mare est a dextris; mœror pro malis æternis, mare est a sinistris. Sane si sanæ mentis sumus, pro utrisque debemus time re, dolere et amaris compunctionis lacrymis affluere. Ista timeamus amittere, illa timeamus incurrere, et habemus geminum mare muniens nos fortiter, et ab utroque latere. Recte, ut arbitror, mare, quod in via occurrit, quod profectionis nostræ iter impedit, quod profectus nostri cursum intercludit, justæ severitatis virga percutimus, divinæ districtionis consideratione terremus, futuri examinis recordatione amovemus. Omnis ergo metus noster, omnis mœror noster amoveatur a via, et pro vita inutili, mundanæ vitæ sollicitudine compunctio nostra dividatur ad gemina, ut per timoris mœrorem mala diluamus æterna et per desiderii lacrymas, bona mercemur æterna. Felices qui et hoc geminum duplicis mœroris mare pertranseunt, qui omnem futuræ exspectationis ambiguitatem, et metum, longe post tergum relinquunt, et universum diffidentiæ luctum certæ spei securitate transeunt, utinam et in nobis absorbeatur hujusmodi metus et mœror a supervenientis fiduciæ securitate! Fugiat atque discedat etiam hujusmodi mare, ut possimus et nos cum Propheta psallere : Quid est tibi, mare, quod fugisti? Nonne mare putamus de juxta, illud aufugerat, qui dicebat? *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus judex* (*II Tim.* IV). Puto quia mare omne longe post tergum reliquerat, nec erat unde jam contristari et conturbari debuerat, cum dicebat: Nihil mihi conscius sum.

CAPUT XI.

De vano vel vero mundi contemptu

Sed quid, quæso, illud esse dicimus, quod usque hodie tam multos videmus Ægyptum deserere, qui non merentur tamen in maris effugio tam grande miraculum cernere? Si vere Ægyptum deserunt, si veri Hebræi sunt, eo quod de mundo transeant, et primum Hebræorum transitum faciant, cur et primi saltem miraculi experimentum non capiant? An forte relinquunt sæculum professione, non autem et conversatione, habitu, non affectu? Si gloriari oportet, possum pro hac tantum parte gloriari. Si quidem Hebræi sunt, et ego. Sed videte ne forte non sufficiat nobis et vobis mutasse locum non animum, sæculum non animum mutant, qui trans mare currunt. Quid sic juvat transire et Hebræum non facere? Absque dubio in exitu Israel de Ægypto profugium maris indicat, quam recte sibi quisque hujus vocabuli dignitatem vindicat.

CAPUT XII.

Quam sit difficile ad perfectum sui contemptum pertingere.

Transeamus ex Ægypto corpore, transeamus et corde. Sed neque hoc putemus nobis posse sufficere. Grandis enim adhuc nobis restat via, si ad secundi miraculi visionem volumus pertingere. Procul dubio non est ejusdem facultatis, seu facilitatis Ægyptum exire et eremum pertransire, mundum relinquere, et seipsum vincere, et post seipsum projicere. Illud quasi modicum, quod modico tempore perficitur, hoc post multos labores, per multas tentationes vix tandem aliquando et a paucis consummatur. Illud unius diei est opus, hoc vix post multa tempora explemus. Durum, difficile, grande, seipsum relinquere bene inspicere et plene despicere, perfecte probare et penitus improbare. Hic labor, hic gemitus. Pravum est cor hominis et inscrutabile, et quis cognoscet illud? Filii hominum, usquequo gravi corde, dura cervice et indomabili corde, et quis vincet illud?

CAPUT XIII.

Quibus modis mens ad plenum sui contemptum eruditur.

O quoties necesse est loca mutare, quam sæpe castra figere, quot tentationes tolerare, omnia probare, quod bonum est tenere, abstinere ab omni specie mala! O quoties necesse est ire et reverti, et quæ retro sunt oblivisci, et in anteriora extendi, et item post tergum redeundo capere experientiam sui, et per proprium defectum propriam infirmitatem edoceri! O quoties necesse est in tot errorum devia, tot ambiguitatum opaca, tot vitiorum monstra incidere, perlustrare, aspicere, antequam quis, extrema eremi teneat, et ad humilitatis ultima perveniat, et ad summum sui contemptum perfecte attingat! O quoties necesse est ad Dei misericordiam confugere, et inter tot pericula deprehensum divinam misericordiam quærere et gratiam impetrare! O quam stupenda magnalia! O quam jucunda miracula! O quam admiranda beneficia, in tot divinis revelationibus, in tantis visitationibus, in talibus consolationibus, experiuntur, mirantur, venerantur, quos

Digitized by Google

eremi vastitas, et propriæ infirmitatis magnitudo docuit, nil de sua virtute confidere, sed totum de Dei pietate præsumere, jactare in Domino curam suam, et ponere in Domino Deo spem suam ! Ibi experiri licet in cœlestis cibi dulcedine, quam magna multitudo dulcedinis, quam abscondit Deus diligentibus se, gustare et videre quam suavis Dominus, et quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde. Ibi qui ascendunt in montem Domini, et appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus probantes et profitentes quoniam magna virtus ejus et sapientiæ ejus non est numerus. Novit itaque hoc quicunque in illa terra deserta et inaquosa, sic in sancto apparuit ei, ut videret virtutem suam et gloriam, illius sententiæ experimentum capiens, quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Sed quis enumerare sufficiat quam innumera hujusmodi alternantium vicissitudinum nunc desolationum, nunc consolationum experiri oporteat, quam multa humanæ infirmitatis judicia, quam multa divinæ pietatis argumenta eremi habitatoribus, Deique cultoribus videre contingat, antequam eremi extrema attingant, perfectæque humilitatis metas apprehendant, antequam Jordanis unda venientibus cedat, cursumque retorquens in fontem redeat, humanusque animus sua spernens, seseque contemnens totus in Deum transeat, et in illum a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum per desiderium currat, et ad Deum fontem vivum totum amoris sui impetum retorqueat.

CAPUT XIV

Quod superfluus amor sui inter successus virtutum difficilius vincitur.

O felix anima quæ digna es pro qua dignatur Dominus tam grande miraculum facere; cui liceat tale spectaculum videre, aquas quæ inferiores sunt, et quælibet desideriorum fluenta quæ ad ima tendunt decurrere, atque deficere aquas quæ desuper veniunt, desideria quæ desursum sunt in una mole consistere, ita ut veraciter possit psallere : *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* XXVI). O infelix anima quæ tardas, quæ non festinas, quæ multum non anhelas currere et videre mirari, et obstupescere fluenta Jordanis primo cursum figere, in uno loco stare; et in uno æternitatis desiderio immobiliter inhærere, postea in inferioribus penitus deficere, et in superioribus paulatim crescere. Quid putas, obsecro, miraculi, quid esse prodigii Jordanem retroagi, et tantum fluminis impetum in superiora reverti, præsertim si tempore messis fiat, quo solet implere ripas alvei sui? Cum enim cœperit semen illud quod cecidit in terram bonam producere de se fructum, aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum, solet nimirum eo tempore Jordanis unda altius intumescere, et ut est humani animi, magna de se æstimare, magnum se aliquem credere, cum viderit se multum fructum facere, et ad maturitatis messem pervenire. Tunc, non mirum, quo majora de seipso æstimat, eo majori dilectione dignum se esse judicat, magnumque est valde si non usque ad superfluitatis in ima effluat, et justæ æquitatis metas utilitatisque ripas non excedat. Quantum ergo putas, quam magnum miraculum existimas tibi ipsi vilescere, tibi ipsi magis magisque displicere, eo præcipue tempore, cum incipis veraciter magnus esse, magnusque omnibus apparere? Solent sane, sed neque hoc mirum est, tempore glacialis frigoris, seu etiam æstivi fervoris siccitate Jordanis aquæ minui atque decrescere : et quamlibet elata mens, inter malitiæ frigus et nimios concupiscentiæ æstus sibi ipsi vilescere, et, quamvis invita, infirmitatem suam recognoscere, et a sua de se æstimatione non modicum detumescere. Quis, quæso, tam immane desipiat, qui sibi ipsi inter scelera et flagitia quandoque non displiceat? Sed illud magnum erit, si in tempore messis, et inter virtutum successus possit Jordanis undas intra alvei sui ripas includere, et amoris privati impetum intra modestiæ metas cohibere. Magnum erit si non erumpat ad illicita, vel effluat ad inutilia. Magnum erit si nec seipsum diligit nisi quantum convenit, vel expedit. *Jordanis autem*, inquit Scriptura, *ripas alvei sui tempore messis impleverat* (*Josue* VIII). Impleverat inquit, non excesserat. Noxium ergo, ut puto, non erit ripas implere, sed ripas excedere.

CAPUT XV.

Quomodo gradatim animus ad sui contemptum est promorendus.

Primum ergo est cuique amorem sui ad certam mensuram restringere, ut postmodum mereatur etiam magnum illud et stupendum miraculum videre, Jordanem videlicet primo quidem cursum figere, deinde intumescere, tandem retro ire et ad altiora ascendere. Et illud quidem primum, cohibere videlicet excessum etsi magnum, non tamen mirum; sed ad montana cursum reflectere, mirabile spectaculum et spectabile miraculum. Omnino et absque dubio aliud est amorem sui temperare, et aliud est suspendere atque deflectere. Aliud est moderatus amor sui, et aliud magnus contemptus sui. Puto non sine causa nonnisi in Jordane celebratum est tale miraculum, quod interpretatur *descensio eorum*. Sed quæ est ista descensio nisi cordis humiliatio? Vel quorum eorum, nisi ipsorum descendentium et sponte humiliantium? Quorum enim descensio voluntaria non est, in ipsis quidem est, sed eorum quodammodo non est; quia ipsis non prodest. Oportet ergo ut spontanea sit, ut eis prosit, et eorum veraciter dici possit. Nunquid sponte descendisse, vel in hoc quidquam profecisse creduntur de quibus legitur : *Dejecisti eos dum allevarentur?* (*Psal.* LXXXVIII.) Oportet ergo ab omni mentis elatione descendere, et humiliari spontanea voluntate qui vult magnum illud miraculum videre, non sicut illi inviti dejecti, ad laudem quidem Dei, quamvis ad nullam utilitatem sui. Fit ergo in Jordane tantum in descensione

Digitized by Google

eorum, in descensione descendentium, in humiliatione humiliantium tam celebre factum et cœleste miraculum. Quanto ergo major es, humilia te in omnibus, et tenes ripas Jordanis : dignus cui Jordanis cedat, cui Dominus miracula ostendat.

CAPUT XVI.

Quomodo vano amore exhausto animus in Dei amore dilatatur.

Vis videre aquas Jordanis cursum figere, et in uno loco stare? *Mihi autem*, inquit, *adhærere Deo bonum est; ponere in Domino Deo spem meam* (*Psal.* LXXXII). Vis videre aquas inferiores decurrere atque deficere? *Renuit consolari anima mea* (*Psal.* LXXXVI). Vis videre aquas superiores intumescere et sursum currere? *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (*Psal.* XLI). Denique et tu non eas post concupiscentias tuas et fixisti aquas. Noli diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt : et defecerunt aquæ inferiores quæ deorsum currunt. Denique delectare in Domino, et videbis fixas stare in uno loco. Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et videbis aquas vehementer intumescere, et in magnam, nec mirum, molem consurgere. Puto te non invenire quo eas latius expandas, quam ut toto corde diffundas, et per totam animam extendas, et ex eis totam mentem repleas. O quam vehementer hæc salutaris unda intumuerat in ejus pectore qui dicebat : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo!* (*Philipp.* VIII.) In hanc illud sententiam currit quod Propheta psallendo de seipso pronuntiavit : *Defecit in salutare tuum anima mea* (*Psal.* CXVIII). Sed qualis, quæso, erat illa aquarum inundatio ubi pater exclamare cogitur pro parricida filio? *Absalon fili mi, fili mi Absalon : quis mihi det ut ego moriar pro te, fili mi Absalon?* (*II Reg.* XXIX.) Puto locum reperiri non posse, quo se possent latius expandere. Majorem siquidem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Sic et illa inundatio intumuit non modicum, de qua habemus Dominicum testimonium : *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII). Quid mirum, quæso, si procul apparebant quæ multum tumuerant? Vultis nosse quam procul appareat illius dilectionis inundatio quæ tantum æstuabat, quæ se et usque ad pedum deosculationem unctionemque inclinabat : *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur, quod et hæc fecit in memoriam ejus* (*Matth.* XXVI). Vultis autem adhuc apertius nosse quam procul apparere possint, si tamen ad instar montis intumuerint? *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII). Quam longe, obsecro, apparet quod omnes cognoscere oportet? Sed necesse est, uti jam diximus, veræ charitatis fluenta ad instar montis intumescere quæ volunt tam procul apparere. Sed forte adhuc montem quæris, ad cujus similitudinem aquas intumescere legis. Vide ne forte sit ille mons coagulatus, mons pinguis, mons domus Domini præparatus in vertice montium, eo quod Dominus exaltaverit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum. Ad instar hujus montis, ad similitudinem illius magnæ mirabilisque dilectionis, qua animam suam posuit pro ovibus suis, aquas intumescere debere cognoscat qui eas procul apparere, et Dominicum præceptum implere desiderat : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos* (*ibid.*). Audi similitudinem et adhibe imitationem. Sicut dilexi vos, inquit. Similitudo dilectionis est instar montis. Quantum amavit nos, qui mortuus est propter nos? Nunquidnam hujus montis similitudinem in sua dilectione non tenuerunt qui pro Christo lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt? Idcirco, ut arbitror, in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum, ut apparerent procul, ut ab omnibus viderentur, et illos omnes imitarentur. Sed quid, quæso, miramur si procul apparuerunt aquæ, quæ, sicut scriptum est : *Usque ad Sartan intumuerunt?* (*Josue* III.) Sartan interpretatur *tribulatio eorum*. Tribulatio autem eorum quid est aliud, secundum quod de Jordane jam diximus, nisi tribulatio tribulatorum? Tribulatio autem voluntaria cuique est sua. Quam enim quisque patienter seu etiam libenter suscipit, suam esse facit; quia suæ eam utilitati deservire cogit. Sicut ergo descensio, descensio eorum est qui se sponte humiliant, sic et tribulatio, tribulatio eorum est qui pro Domino tribulationem amant. Illa itaque tribulatio est tribulatorum, quæ tribulatis imputatur ad meritum. Vide ergo aquæ illæ quæ superiores erant, quantum creverant, quantum tumuerant, quæ se et usque ad Sartan extenderant. O fortis ut mors dilectio, quæ et te usque ad Sartan extendis, et usque ad voluntariam tribulationem sinum tuum expandis? Qualis, quæso, est ista dilectionis dilatatio, qualis est ista aquarum inundatio, cor suum extendere et dilatare usque ad voluntariam tribulationem, usque ad spontaneam passionem, usque ad votivam mortem? Ne dubites ergo se in id loci extendisse aquas superiores, quoties vides in tribulatione gaudentes, et suam propter Dominum tribulationem amantes, sicut ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.

CAPUT XVII.

De vani amoris defectu, et veri amoris profectu.

Ergo aquæ superiores usque ad Sartan ascendunt, et aquæ inferiores usque ad mare descendunt. Illæ ascendunt et crescunt, istæ descendunt et decrescunt. Illæ crescunt et intumescunt, istæ decrescunt et deficiunt. Pulchrum spectaculum aquas superiores circa Sartan intumescere et aquas inferiores in mari deficere. Hic intende et obstupesce. Hic intende diligenter, et obstupesce vehementer. Elige in his tam magnis tamque mirandis quid

Digitized by Google

prius, quid amplius mireris an aquas in montanis non defluere sed intumescere, an aquas ex aquis non intumescere sed deficere. *Aquæ autem*, inquit Scriptura, *quæ inferiores erant in mare solitudinis, quod nunc vocatur mortuum, descenderunt usquequo omnino deficerent* (*Josue* III). Quæ ergo inferiores sunt, necesse est in mare descendere, et in mari deficere. Scimus autem quia aquæ quantumlibet dulces sint, quoniam, cum in mare perveniunt, dulcedinem suam servare non possunt. Quæ ergo in mare descendunt, cito amarescunt. *Risus*, inquit, *vester vertatur in luctum, et gaudium in mœrorem* (*Jac.* IV), hoc est dulcem aquam in mare descendere et dulcedinem amittere et dulcem in amaram vertere. Risus sane et gaudium dulcem aquam facit, et hujusmodi quamlibet quam ardenter sitit, tam libenter unusquisque et bibit. Sed luctus et mœror dulcem facere non possunt, nec hujusmodi bibere homines facile volunt. Quoties risus in luctum vertitur, toties aqua inferior in mare labitur et in amaram mutatur. Neque enim risus ad superiores aquas pertinere potest de quo ab ore veritatis dictum est : Væ vobis qui nunc ridetis, quia plorabitis. Quid ergo est inferiores aquas in mare decurrere atque deficere, nisi carnales et infimas delectationes in dolorem trahere, et pœnitendo exstinguere ? Qui enim de perpetrata delectatione plangit et gemit, qui supervenientem horret et respuit, qui futuram timet et declinare satagit, quid aliud quam dulcem sibi in amaram vertit ? Hoc itaque, hoc, inquam, est quod superius mirabamur, quod adhuc usque miramur, dulcem in amaram vertere, gaudium deflere, delectationem dolere, et in hunc modum dulcem in mari deficere. Ergone aquæ circa Sartan intumescunt, ergone aquæ in mari deficiunt ? Siccine, homo, de tribulatione lætaris ? Siccine, homo, de delectatione turbaris ? O mirum, o stupendum ! In voluntaria tribulatione gaudia cumulantur, occursantes delectationes dolore spontaneo exterminantur.

CAPUT XVIIII.

Quomodo per vani amoris defectum mentis perturbationes deficiunt.

Sed quid, quæso, hoc sibi vult quod vocatur mare Mortuum, in quo contigit tam celebre factum ? Quid, quæso, tale nomen accepit ? Nam, quod prius non habuerit ex eo Scriptura satis innuit, quo ait : *Mare solitudinis, quod nunc vocatur Mortuum* (*Josue* III). Puto quia non omne mare solitudinis, nec omnis amaritudo desolationis, imo hoc ipsum mare de quo modo loquimur haud digne tali nomine censetur; nec debet dici mortuum nisi forte in illo contingat prædictum miraculum. Scimus quia quod mortuum est omnino se movere non potest, forte hoc mare postquam incidens unda defecit, postquam influentem et impellentem gurgitem non habuit, a suo fervore defecit, et tumentes illas atque ebullientes fluctuationum suarum procellas amisit. Impetus siquidem influentes Jordanis cursusque rapidissimus illapsu suo vehementissimo ipsum impellebat atque exagitabat, et tranquillum, et quietum esse penitus non sinebat. Ibat ergo tunc temporis tumens et spumans et multum exæstuans, et quasi ad commotionis et inquietationis suæ injuriam vehementer indignans. Sed postquam cœpit influens inundatio deficere, et commotionis causa perire, cœpit et ipsum mare ab illa sua procellosa exagitatione quiescere, et quasi mortuum motum pristinæ inquietationis amittere, et nomen mutare. Sic nimirum, sic torrens voluptatis carnalis et vehemens impetus carnis, quandiu viget, solet esse causa tumoris et indignationis. Solet sane conscientiam totam turbare, amaritudinis fluctus exagitare, et profundissimam illam humani cordis abyssum ab imo evertere, et magnum illud mare magnis tempestatibus agitare. Mens siquidem cœlesti desiderio fervens, puritati studens, et ad perfectionem tendens, quandiu turpes delectationes ex carnis impetu sentire cogitur, necesse est infimis desideriis, et ad ima fluentibus reluctetur. Hinc est quod sibi irascitur, quod sibi indignatur, adversus seipsam sævire videtur, puto quia hujusmodi perturbatio et tumultuatio, vehemensque fluctuatio non facit mare mortuum, sed vivum, sed validum, sed inquietum. Sed postquam cœperint inferiores aquæ decurrere atque deficere, et infimarum delectationum fluxus languescere atque evanescere, incipit et conscientia pariter ad pacem et tranquillitatem seipsam paulatim componere, futuri judicii metum magis magisque deponere, et illas præteritæ indignationis et anxietatis æstuationes amittere, ad mortui similitudinem trepidationis et perturbationis motum non habere. In hunc itaque modum carnalis voluptatis profluvium exhaustum atque exsiccatum, penitusque absumptum facit mare invalidum, et infirmum, et tranquillum, et quod jure debeat dici, mortuum. Vides certe, ut arbitror, quam recte mare suum nomen mutavit, mortuisque nomen concepit, in quo inferiorum decursus aquarum decidit atque defecit.

CAPUT XIX.

Cum qua cautela debeamus cordis perturbationes delere.

Notandum autem quomodo mare hoc debeat juxta aliquid permanere, et tamen secundum aliquid mortuum esse : nam semper necesse est de perpetratis malis pœnitere, odio et detestatione persequi et perhorrescere, non tamen illa semper deflere et trepidare, sed post dignam satisfactionem et concupiscentiam edomitam, consolationem recipere, et ad spem veniæ securitatisque quietem animum reformare. O vere felix multumque beatus, cui datum est cordis perturbationes et tristitiæ tempestates compescere, et magnas illas et mirabiles elationes maris ad tranquillitatem componere ! Unum scio, nec dubitare audeo, quia quandiu amor ad multa spargitur et ad ima derivatur, nunquam ad plenam pacem perducitur, nunquam ad veræ securitatis tranquillitatem serenatur. O anima infelix et misera,

Digitized by Google

usquequo sollicita es, et turbaris erga plurima? porro cum unum sit necessarium, tandem aliquando fige desiderium, dilige unum. Felices illius civitatis cives, cujus participatio in idipsum. Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, noli sinere eas fluere deorsum. An nescis quia qui dimittit aquas suas caput est jurgiorum? Quid per ima desideria defluis? Quid tibi cum bonis perituris, gaudiisque lugendis? An nescis quia omnis aqua quæ deorsum currit, in mare descendit? Omnia siquidem flumina intrant in mare, et omnis infima delectatio desinit in dolore. Risus enim dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupant, eo quod omnis dulcis aqua in mare descendat, et dulcedinem amittat: transit enim mundus, et concupiscentia ejus. Et scimus quia sine dolore non relinquitur, quod cum amore possidetur. Quanto ergo melius est quæ sursum sunt sapere, quæ sursum sunt quærere, et Jordanis fluenta in suum fontem retorquere, ut audeamus et nos illam congratulationis vocem in usum nostræ confessionis assumere? Quid est tibi, mare, quod fugisti; et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?

TRACTATUS SECUNDUS.

Ab hoc loco agitur de studio contemplationis, et quomodo vel quantum valeat ad reformationem veri amoris.

CAPUT PRIMUM.

Sed nec illud hoc in loco prætereundum puto, qua arte, quave industria effici valeat, ut se ultro Jordanis convertat, et spontaneo nutu in suum fontem recurrat. Aliud siquidem est nosse quid expediat, vel quid fieri oporteat, et aliud non ignorare quomodo obtinere valeas quod utile, seu etiam necessarium fore non dubitas. Quis non desperet tanti fluminis impetum posse in montana convertere? Quis, inquam, præsumat naturalem illum humanæ affectionis cursum rapidissimum, impetumque ad ima vehementissimum, posse cohibere, et in contraria deflectere, nisi artem accipiat qua se illud speret efficere? Denique cursum aquæ defluentis præpeditum sæpe audivimus, frequenter et vidimus, neque hoc impossibile judicamus. Nam aliud est in necessariis appetitibus, et in naturalibus affectibus sæpe consensum cohibere et aliud affectionem mutare et humanæ concupiscentiæ profluvium in virtutum montana convertere, et spontaneo quodam intimi amoris nutu contra morem in supercœlestium desideriorum concupiscentias assurgere. Parum ergo puto meam vel cujusque hominis inde proferre sententiam, discamus ab eo qui docet hominem scientiam. Audiamus itaque quid nobis in hoc negotium proponat, vel quid in rei exitum promittat. Cum posuerint, inquit, vestigia pedum suorum sacerdotes qui portant arcam fœderis Domini Dei universæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt decurrent atque deficient; quæ autem desuper veniunt in una mole consistent. Oportet ergo, ut audimus, arcam fœderis Domini præsentem habere, si concupiscimus inferiores aquas deficere, et superiores in una mole consurgere. O felices qui eam, etsi non semper, verumtamen frequenter præsentem habere possunt, in cujus præsentia tam magna, tamque jucunda miracula fiunt. Sed quæ est ista, quæso, arca fœderis, nisi forte illa divinorum donorum prærogativa gratia, videlicet contemplationis? Quæ est illa arca deaurata, nisi humana intelligentia cœlestis sapientiæ fulgore splendida et divinæ inspirationis luce irradiata? Quid rectius intelligimus per illud venerabile sacrarium et sacrorum divinorum reconditorium, quam spiritalem spiritalium virorum intellectum, qui secretorum divinorum sacratiora et sapientiæ arcana et per intelligentiam capit, et per memoriam custodit? Sed quid illud dicimus quod hæc arca dicitur fœderis arca? Numquid nam dare solet hanc tantam gratiam in signum dilectionis et pignus charitatis, qui diligit diligentes se, et suo dignos efficit amore, intantum ut ab illo mereantur audire: Jam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia nota fecit vobis quæ audivi a Patre meo? (*Joan.* xv.) Hæc itaque arca non semper præsens habetur, quia contemplationis gratia etiam ipsis quandoque subtrahitur quibus eam secundum tempus habere conceditur. Arcam ergo præsentem habemus, quando ex inspirante gratia radium contemplationis accipimus. Arcam istam nobiscum portamus, cum divinæ contemplationi diligenter insistimus, et studio sapientiæ salutaris per investigationem seu retractationem vehementer interdimus.

CAPUT II.

Quomodo investigatio et retractatio salubrium valeat ad corrigendum animum.

Isti etenim sunt, ni fallor, arcæ nostræ bajuli, quibus solet vel in alta sustolli, vel in anteriora deferri, ignotorum, scilicet investigatio et cognitorum retractatio. Sine his etenim cito aut deorsum labitur, aut retrorsum repellitur. Sine retractatione siquidem ab oblivionis lapsu non custoditur, et sine investigatione ad cognitionis profectum nunquam promovetur. Solet autem, ut omnes novimus, officium sacerdotum esse circa salutis custodiam, cu-

Digitized by Google

ramque animarum vigilare. Debet ergo investigatio nostra, debet et retractatio nostra circa salutaria, circa saluti obnoxia diligenter intendere, indesinenter insistere, ut sacerdotii dignitatem sibi meritis vindicent, et nominis honorem defensent. O quam digni sacerdotes! O quam idonei arcæ portitores, investigatio salutarium, retractatio salubrium! Horum sacerdotum officio ad Jordanica fluenta arcam nostram deferimus, cum per investigationis et retractationis studium ad desideriorum nostrorum considerationem nostræ contemplationis oculum reflectimus. Ad horum itaque ingressum arcæque accessum, videbis cursum Jordanis, imperiumque dissolutionis, primo lentescere, postmodum hærere, tandemque retrorsum redire. Absque dubio affectionis humanæ profluxum quanto perfectius inspexeris, quanto plenius agnoveris, tanto profecto amplius miraberis, tanto vehementius detestaberis. Considera ergo frequenter, contemplare diligenter cordis tui luxum, desideriorumque profluvium. Vide ergo amorem tuum, unde quo currat, quo per desiderium tendat, vel unde per fastidium recedat, videbis quomodo de sublimibus ad ima labitur et de summis ad infima derivatur. Absque dubio cum hæc cœperis diligenter inspicere, profundeque intelligere, incipies et pariter cum Propheta proclamare: *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXII.)

CAPUT III.

Quod facilius est animum corrigere quam ejus intima penetrare.

Verum illud quanta putamus admiratione dignum, quantave jucunditate amplectendum, quod non vult Deus miraculum suum diutius differre, nec exspectationem nostram in longum protrahere, nec urget nos vel usque ad Jordanis ima descendere, et usque ad illud humani cordis inscrutabile profundum penetrare, antequam incipiat promissionem suam implere. Utique quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, non vult nos diutinæ præstolationis mora suspendere, veraciter sciens quoniam pravum est cor hominis et inscrutabile. Quis enim digne comprehendat? quis explicare sufficiat quanta sit stultitia, quam infinita miseria, summa bona sponte deserere, infima bona avide quærere, æterna gaudia fastidire, transitoria ardenter concupiscere, et pro perituris præmia infinita perdere et mala æterna incurrere? Hujus considerationis incomprehensibilitas causa esse videtur cur a Domino usque ad hoc immensitatis profundum penetrare non cogimur, ne a nobis non modo difficilia, sed et impossibilia exigere videretur. Sed quid ait Scriptura? *Ingressis*, inquit, *sacerdotibus Jordanem, et pedibus eorum tinctis in parte aquæ, steterunt aquæ descendentes in uno loco et ad instar montis intumescentes apparuerunt procul* (*Josue* III). Animadvertis, obsecro, quomodo statim ad primam intinctionem pedum Jordanis incipit cohibere cursum, et converti retrorsum? vix partem aquæ, ut audis, attigerant, et jam Jordanis fluenta impetum suum in seipsa retorquebant.

CAPUT IV.

Quantum valeat cum profunda admiratione infirmitatis nostræ considerationi diutius inhærere.

Sed qui sunt isti, quæso, pedes sacerdotum, ad quorum intinctionem Jordanis convertitur retrorsum? Sed, si per sacerdotem recte intelligimus investigationem, quid rectius intelligitur per ejus pedem (quod est ejus corporis imum) quam investigationis profundum? Pes igitur sacerdotis est profunditas investigationis. Pedem ergo in aqua ponere, est profunda investigatione occulta penetrare. Pes hujuscemodi in aqua tingitur, quando mens adinventionis suæ subtilitatem miratur, et in sua admiratione delectatur. Quid enim est tingi, nisi affici? Quid est affici, nisi contemplari, mirari, delectari? Et quamvis investigationis nostræ pedes non usque ad gurgitis ima extendimus, quia desideriorum nostrorum errores nonnisi ex parte penetramus; ipsos tamen pedes, quamvis nonnisi in parte positos, multum intingimus, multum obstupescentes quod vix, vel ex modica parte comprehendimus. Debemus ergo cordis intima perscrutando eo usque saltem in aquas descendere, donec possimus investigationis nostræ pedes plene intingere, et animum nostrum super erroris nostri considerationem in admirationem et stuporem convertere. Nam hoc ipsum quod comprehendere possumus de stultitiis et erroribus nostris, puto posse sufficere nobis intantum, ut Jordanis cursus sui impetum ultro cohibeat, et nutu spontaneo in posteriora recurrat, pristinæ consuetudinis devia damnans atque detestans, morum suorum lapsum sponte coercens, et in contraria dirigens. Puto quia tunc temporis Propheta super aquas Jordanis intelligentiæ suæ arcam levaverat, cum generalem nec de suo tantum, sed de quolibet corde humano sententiam proferebat: *Universa vanitas omnis homo vivens* (*Psal.* XXXVIII). Videbat quorsum Jordanis fluenta currerent, cum per increpationem exclamaret: *Usquequo diligitis vanitatem et quæritis mendacium?* (*Psal.* XIV.) Videbat ubi cursum suum terminaret, et quam in mari deficeret, cum diceret: *In imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur* (*Psal.* XXXVIII). Profunde pedes in aqua tinxerat, cum in hanc admirationis vocem erumperet: *Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXVIII.) Puto quia ad hanc pedum intinctionem considerationisque admirationem, Jordanis ima desideriorum deserens in superiora redeat, fontemque repetat intantum, ut dicat: *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI).

CAPUT V.

Quomodo post plenam correctionem sui, animus ad æternorum contemplationem introducitur.

Nemo ergo debet hoc ipsum quod comprehendi valet de corruptionis suæ consideratione negligere, neque hoc negligenter, et quasi in transitu videre;

Digitized by Google

sed statim ad arcæ ingressum intinctionemque pedum gressum figere, morasque innectere, donec aqua superior crescat, inferiorque deficiat populusque Hebræorum totus pertranseat. Ut enim cœperimus vitam nostram retractare atque discutere, perscrutationisque nostræ pedes in aqua tingere, statim ut senserimus animum nostrum affici, et ad sui considerationem mirari et indignari, debemus in hoc admirationis nostræ spectaculo libenter immorari donec internorum amor intumescat, inferiorum autem omnino deficiat, totaque desideriorum nostrorum turba pertranseat, terramque promissionis spei suæ certitudine tangat et tenear. Tunc demum, ut arbitror, tempus erit ut et ipsa intelligentiæ nostræ arca promissionis terram intrare possit, cum votorum omnium voluntatumque plebem præmiserit. Prius enim necesse est bona Domini in terra viventium credere, sperare, diligere, multumque desiderare, quam detur nobis cognoscere et intelligere, facie ad faciem videre. *Nisi*, inquit, *credideritis, non intelligetis* (*Isa.* VII). *Qui diligit me*, inquit, *diligetur a Patre meo et manifestabo ei meipsum* (*Joan.* XIV). Manifestationem ergo præcedit dilectio, ut dilectionem sequatur manifestatio. Præcedat arcam affectionum turba, ut turbam subsequatur contemplationis arca. Prius oportet promissionis terram tenere per desiderium quam per intellectum. Puto quia Apostolus totam cogitationum affectionumque suarum multitudinem transegerat, cum dicebat : *Cupio dissolvi, et esse cum Christo* (*Philipp.* I). Quid enim sibi de hujus vitæ desideriis reliquerat, qui nec ipsam vitam præ nimio Christi desiderio diligebat ? Inde est, ut arbitror, quod prævaluit contemplationis suæ arcam in terram lacte et melle manantem introducere, ut videret bona Hierusalem omnibus diebus vitæ suæ, et ex revelatione Domini disceret quod oculus non vidit et auris non audivit, nec in cor hominis ascendit. Mentior, si ipse non gloriatur hujusmodi hominem raptum usque ad tertium cœlum, et audisse ibi arcana verba, quæ non licet homini loqui

CAPUT VI.

Quod in futura vita post æternorum contemplationem, animus ad omne desiderii sui beneplacitum relaxatur.

Puto quia et nos ipsi post internæ familiæ tantæque multitudinis transitum cum cœperimus contemplationis nostræ arcam illuc introducere, et non jam per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem videre, cum tenuerimus actu quod interim tenemus affectu, jam ulterius necesse non erit Jordanem alvei sui fluenta suspendere, et cursus sui impetum renitendo cohibere. Absit, absit, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem ; absit, inquam, absit, ut adhuc necesse sit castigare corpus, et in servitutem redigere, atque etiam tunc mortificari tota die : *Quando justi*, Christo etiam testante, *fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII), et tolletur impius ne videat gloriam Dei. Non nobis omnino dicetur amplius : Nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt, cum fecerit Dominus novum cœlum et novam terram, juxta quod ipsa creatura liberabitura servitute corruptionis in libertatem filiorum Dei. Et licet in creaturis decor sit tunc quam modo incomparabiliter major atque venustior, corporeisque oblectamentis dulcior, propensior atque jucundior, nihil erit quod concupiscentias spiritus imminuere possit in omnibus his quæ sensus corporeus attigerit. Nesciet concupiscentia carnis, nesciet concupiscentia oculorum, concupiscentias spiritus exstinguere, sed accendere ; non refrigerare, sed acrius inflammare. Quidquid exterius, quidquid interius occurrerit, spirituali amori, divinæ dilectioni alimenta ministrabit. Tunc absque dubio animus delectabitur interius, et delectabitur exterius. Delectabitur in rebus spiritualibus, delectabitur in rebus corporalibus, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Tunc revertentur aquæ Jordanis in alveum suum, et fluent sicut ante consueverant. Jordanis alveus commodi appetitus. In hujusmodi alveo aquæ Jordanicæ cum impetu feruntur, quia cordis desideria juxta commodi sui appetitum huc illucque derivantur. Quo putas tendit hujusmodi decursus aquarum nisi in beneplacitum ? Quid ergo est aquas ut ante consueverant currere, nisi beneplacitum sequi et apprehendisse ? Naturaliter quidem omnis appetitus ad commodum trahitur, et hujus alvei ductum sequi in suo illic desiderio nemo prohibetur. Multa hic placent, quæ tamen non decent, et idcirco fieri non debent. Necesse est ergo in hac sæpe vita aquarum impetum cohibere, et concupiscentiarum violentiam viriliter frangere. Nihil illic libebit, nisi et quod licebit. Nihil ergo oberit desideriorum fluenta pro voto effluere, et ad omne beneplacitum derivare. Hujus, ut arbitror, libertatis licentiam Propheta sperabat et suspirabat, cum psallendo proclamaret : *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine* (*Psal.* CXVIII). Sæpe et supra modum sunt alia voluntaria oris et beneplacita cordis. Quia alia mente concupiscimus, atque alia sunt ea quæ ore probamus. Alia sane sunt ea persæpe quæ placent ex sententia, atque alia ea quæ placent ex concupiscentia. Illa placent ex judicio, ista ex desiderio. Illa ex diffinitione, ista ex delectatione. Rogat ergo Propheta ut eadem ipsa quæ sunt votiva, sint et beneplacita, ut in unum conveniant sibique semper occurrant, votum et beneplacitum, sententia et concupiscentia, judicium et desiderium, diffinitio et delectatio. Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine, ut quidquid placet ex discretione placeat ex delectatione, et sola libeant ex delectatione quæ licent ex deliberatione. Transeat ergo, transeat populus Hebræorum ; transeat et arca post ipsum in illam terram lacte et melle manantem, in supernam illam et sempiternam jucunditatem, ut tandem aliquando facie ad faciem videat, quod multo desiderio tantopere ante quæsierat. Transeat ergo grandis illa tot desideriorum turma ;

Digitized by Google

transeat et theorica illa intelligentiæ arca in illa interna et æterna gaudia, ut vel tunc Jordanis liberum cursum recipiat, et omnis humanus affectus licenter et libere in omne se beneplacitum volvat, et humanus animus (utpote summis spiritualibusque bonis firmiter immobiliterque inhærens) in rebus exterioribus et inferioribus nihil contradictionis inveniat. Ni fallor, illa quæ superius intumuerat unda, majori quam prius impetu in alveum suum recurret, et latius expandet, modumque pristinæ limitationis excedet; eo quod amor Verbi creaturarumque majoris incendii alimenta uberrima reperiat, et ob hoc quaquaversum ferventiori desiderio ad omnia ruat.

CAPUT VII.

Quomodo quidam in hac etiam vita ad æternorum contemplationem sublevantur.

Sed hoc quod de arcæ transitu legitur etiam in hac vita secundum aliquem modum impleri posse videtur. Probat hoc apostolicum illud testimonium quod et superius protulimus, quem adhuc talia dicentem in hac corruptibili vita degere non dubitamus. *Scio*, inquit, *hominem in Christo, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum : et scio hujusmodi, quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba quæ non licet homini loqui* (*II Cor.* XII). Ecce ubi contemplationis suæ arcam introduxerat, qui in tertii etiam cœli secreta intelligentiæ oculum fixerat. Puto autem quia nec ipse Paulus usque in id loci arcam levasset, nisi totam illam desideriorum suorum familiam illuc præmisisset, intantum ut omnia arbitraretur ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Multi, ut arbitror, hanc de qua loquimur promissionis terram per meritum possident, qui illuc arcam suam juxta Pauli similitudinem introducere non valent, eo quod adhuc aliquos de interna illa affectionum suarum familia extra hanc terram per desiderium retinent. Sed, cum hæc omnis Hebræorum turba Jordanem transierit, cum et ipsa fœderis arca in terram promissionis subintroducta fuerit, quid, quæso, jam oberit cursum suum repetere, et juxta morem in alveum suum refluere : dummodo congruæ utilitatis justæque necessitatis ripas non excedat, dummodo æquitatis molestiæque alveum sequens ad superfluæ libertatis campum non effluat? Quid enim est Hebræorum turbam Jordanis alveum transisse, nisi cœlestia desideria et ad futuram gloriam tendentia carnis appetitum eo usque perdomuisse, quo jam ulterius non possit ea irretire vel impedire? Et quidem antequam populus Domini cum Domini arca transeat, ne eorum transitum Jordanis unda præpediat, necesse est ejus decursum coercere, et carnis impetum frangere, et animum sæpe etiam a necessaria concupiscentia avertere. Nunquam enim humanus affectus ad æternitatis desiderium perfecte inflammatur, nunquam humanus intellectus ad æternorum contemplationem plene acuitur, nisi carnis cura in rebus etiam licitis multumque necessariis frequenter fortiterque repellatur. Eo usque ergo oportet corpus castigare et in servitutem redigere, donec ulterius jam non possit meritorum profectum ullatenus impedire. Sed postquam prætereuntem turbam arcamque comitantem transmiserit, inquantum spiritualibus exercitiis obviare non poterit, utilitatis suæ alveum sequi cuique licebit. Hinc est quod multos sæpe jam vidimus mira prius abstinentia corpus afflixisse, morbosque graves, imo incurabiles incurrisse, eosdemque ipsos post edomitam concupiscentiam, post acceptam divinitus gratiam, rigoris pristini frena laxare, et corpori suo in cibo et potu, in sommo et vestitu, multo amplius quam custodita sanitas postulasset indulgere. Nam hoc sæpe spiritalibus studiis militat, quod vir plenus gratia corporis vires, inquantum utiliter potest, custodit, aut reparat. Cavere tamen debet qui sibi jam secundum hanc licentiam indulget, ne aquas nimis relaxet, ne utilitatis suæ alveum deserant, modestiæque ripas excedant, fluant saltem ut ante consueverant, de quibus scriptum est quod alvei sui ripas impleverant. Hoc, ut arbitror, soli illi bene facere noverunt qui jam ea quæ sursum sunt sapiunt, qui cœlestium dulcedinem jam degustaverunt, qui terrena fastidiunt, qui arcam suam in illam promissionis terram jam introduxerunt. Non potest, ut arbitror, ad perfectum exteriorum bonorum fastigium pertingere, qui interiorum bonorum dulcedinem nondum meruit gustando sentire. Puto quia Propheta nisi prius gustasset quam suavis est Dominus, et quam magna multitudo dulcedinis domus ejus, puto quia nisi hoc per experimentum didicisset, illud omnino ex sententia dicere non posset : *Renuit consolari anima mea* (*Psal.* LXXVI). Ne ergo semper necesse sit Jordanis cursum cohibere, oportet arcam nostram in ejus ulteriora transponere; sed nec illud licet, nisi possimus omnem illam votorum nostrorum turbam præmittere.

CAPUT VIII.

Quod semper oportet per contemplationis studium prævidere quo debeamus per desiderium tendere.

Debet sane hæc arca nec ubique sequi, nec semper præmitti. In loco horroris et vastæ solitudinis turbam præcedat, in terram promissionis ingredienti turbæ succedat. Præcedat ad nostra, subsequatur ad divina. Citra Jordanem, quæ pertinent ad nos; ultra Jordanem, quæ sunt supra nos. Hic jubemur discutere et approbare et postea tenere : *Omnia*, inquit Apostolus, *probate, quod bonum est tenete* (*I Thess.* V). Illic præcipimur credere, ut quandoque mereamur et intelligere : *Nisi credideritis*, inquit, *non intelligetis* (*Isa.* VII). Debemus ergo, quandiu adhuc in deserto sumus, quandiu per eremum iter agimus, arcam nostram ante nos præmittere, et subtiliter prævidere quo debeat virtutum familia per studium, vel per desiderium subsequendo tendere : *Ut possitis*, inquit Dominus, *videre, et nosse per quam viam ingrediamini, quia prius non ambu-*

Digitized by Google

tastis per eam (*Josue* III). Hinc illud Sapientis sententiæ concinit, cum dicit : *Et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos* (*Prov.* IV). Sed ad illa quæ ultra Jordanem sunt, quæ sensum nostrum excedunt, melius nitimur desiderio quam studio, affectu quam intellectu, eo quod jubemur turbam non arcam præmittere, meliusque sit in hac parte multum desiderare quam multum discutere, ut illuc mereamur introduci quo non valeamus virtute irrumpere. Qui enim scrutator est majestatis, opprimetur a gloria (*Prov.* XXV). Illic ergo præcedat, ut viam ostendat.

CAPUT IX.

De gemina imperfectione quas semper oportet præ oculis habere.

Sed nec illud quidem sermo divinus voluit tacite præterire, quanto viæ spatio debeat subsequentem turbam præire. Sit, inquit, inter arcam spatium cubitorum duorum millium. Vis scire quid sit arcam cum turba esse, vel quid arcam turbam præire? Cum quales per facta vel desideria sumus, diligenti contemplatione attendimus, arcam nostram nobiscum et quasi præsentem habemus. Cum vero quales nos esse oporteat subtiliter aspicimus, intelligentiæ nostræ arcam ante faciem nostram præmittimus, ut quo tendere necesse sit non ignoremus. Quis, quæso, gloriari potest, vel totum facere quod utiliter facere potest, vel totum posse quod fieri oporteret, si fieri potuisset ? Sicut enim nec totum volunt, quod valent, sic nec totum valent, quod debent. Ergo ulterior est facultas quam voluntas, et necessitas longe remotior quam facultas. Præmittamus ergo arcam nostram, non solum usque ad considerationem nostræ possibilitatis, sed etiam usque ad speculationem necessariæ utilitatis, ut attendamus non solum quid melius facere possemus quam facimus, verum etiam quid melius fieri oporteret quam possumus. Quasi ergo cubitos mille arcam suam ante faciem suam præmittit, qui diligenter attendit, qui frequenter aspicit, ubi per meritum esse potuisset, si de possibilibus sibi nihil negligeret. Sed usque ab duo millia cubitorum ulterius progreditur, qui non solum frequenter, sed pene indesinenter contemplatur, quam innumera non faciat, et quam innumera etiam non facere valeat, quæ fieri oporteret si ad illa adimplenda sua virtus non succumberet. Cum aliquid fortiter agere volumus, cubitum nostrum extendimus, et ideo recte per cubitos virtutum exercitia intelligimus. Millenarius perfectionem significare solet, quia majorem numerum nostra computatio non habet. Duo ergo millia cubitorum, ut arbitror, geminam perfectionem designare videntur, integritatem videlicet voluntatis et plenitudinem fortitudinis. Sed quisquis necdum totum valet quod debet, sed nec totum quidem complet quod valet : utraque perfectione caret. Quid ergo est intelligentiæ suæ arcam usque ad duo millia cubitos ante seipsum præmittere, nisi prudenter prævidere quantum sibi desit de gemina perfectione, quarum neutrum necdum potest adimplere ? Verum utique dicam quod sentio, illum solum hoc Dominicum præceptum implevisse puto ; solum illum, inquam, existimo, arcam suam de duobus millibus cubitis præmisisse, qui seipsum indicat geminæ perfectionis, nec saltem exordia hucusque apprehendisse. Nam, si vel unum quidem cubitum de tanto spatio, ambulando, accedendo, properando præcideret, et consummatæ perfectionis saltem sibi primordia arrogasset, duobus millibus cubitis retro post arcam seipsum remanere non vidisset. O virum perfectum, summaque humilitate fundatum, qui semper potest et festinando proficere, et proficiendo festinare, et hanc sibi semper humilitatem servare, ut semper in bono proficiat, et tamen semper nec perfectionis initia habere se credat! Grande spectaculum videre arcam præcedendo festinare, conspicere turbam subsequendo accelerare, et semper tamen tantæ interstitionis modum ad invicem custodire. Quanto promovetur arca, tanto amplius festinat et turba ; et quo turba sequens amplius properat, eo et arca præcedens iter suum accelerat. Sane perfectionis gratiam quanto melius agnoscimus, tanto ardentius et concupiscimus, et quo amplius accendimur ad amorem, eo perfectius illuminamur ad agnitionem. Semper inveniet vir justus quo possit eam ante se duobus millibus cubitis elongare, quia in hac vita nunquam possunt in unum concurrere velle, posse et debere. Hoc est futuri temporis, non vitæ præsentis. Ibi sane, sicut totum volet quod juste valebit, sic totum poterit quod jure debebit. Hic autem et actionem superat agendi facultas, et faciendi possibilitatem excedit debiti necessitas. Constat autem unum ex altero crescere ; quia, cum crescit nostrum velle, crescit et posse, et cum utriusque incremento crescit et debere. Quia quo ardentius bonum appetimus, eo facilius efficimus, et quo majora possumus, eo et majora debemus. Juxta hunc modum necesse est arcam semper in anteriora procedere, et subsequentem turbam post ipsam properare. Parum autem tibi esse debet qui ad terram properas promissionis, quod arcam tuam ante faciem tuam præmittas, nisi iter tuum duobus millibus cubitis præveniat, et quo sequi debeas ostendat. Satage ergo in perfectionis tuæ consideratione et contemplatione, eo usque in ulteriora penetrare, ut veraciter te credas ejus saltem primordia, seu per affectum, seu per effectum necdum attigisse.

CAPUT X.

Exemplum vel forma propositæ considerationis.

Vultis audire hominem duobus millibus cubitis post arcam iter legentem, et perfectionis vitæ nec saltem sibi primordia arrogantem? *Dum adhuc*, inquit, *ordirer, succidit me* (*Isa.* XXXVIII). Non dicit dum adhuc texerem, sed, dum adhuc ordirer. Quid est ordiri, nisi præmeditari ; et quid texere, nisi facere? Nempe quid aliud est texenda ordiri et texere ordita, nisi præordinare facienda et facere præordinata? Dum adhuc, inquit, ordirer, dum

Digitized by Google

adhuc præmeditarer, dum adhuc per meditationem quærerem quid facere debuissem, et necdum plene potuissem invenire, misit manum suam et succidit me. Nondum, inquit, aliquid texeram, necdum bonum agere inchoaveram, non licuit mihi ordinatæ vitæ telam incipere; quia, cum adhuc ordirer, succidit me. Fateor quidem, jam bona facere proposueram, jam quomodo fieri possent disponebam, et jam telam meam ex magna parte orditus eram; sed, dum adhuc ordirer, succidit me, et non potui propositi mei telam, non dicam pertexere, sed nec inchoare. Quantus, quæso, vir iste fuit qui de se tam humiliter sentit, qui sibi nec boni saltem primordia arrogat, cum adhuc ordiri se credat? Nonne ille tibi adhuc ordiri videtur telam quam cum multis texerat, qui diligenter quæsivit ut inveniret, et videret quid esset utile filiis hominum, quo facto opus est sub sole, numero dierum vitæ suæ? Nonne et sibi ipsi videtur adhuc ordiri, non texere, qui diu studuerat cognoscere rationem quam adhuc quærit anima sua, nec potuit invenire? *Ecce hoc inveni*, dixit Ecclesiastes, *unum et alterum, ut invenirem rationem quam adhuc quærit anima mea, et non invenit* (*Eccle.* VII). Quid boni, quid, quæso, magni, homo iste crederet se fecisse qui fatetur se quæsisse, nec tamen invenisse, quo facto opus esse sub sole numero dierum vitæ suæ? Constat quia intelligentiæ suæ arcam ante faciem suam præmiserat, qui quo per desiderium, vel actum sequi deberet quærebat. Sed reputat, ut arbitror, desideriorum suorum turbam quasi otio jam stare, qui rationem quam quærebat fatetur se nondum invenisse. An adhuc audire desideras apertius hominem vix sibi boni exordia ascribentem, et quasi duobus millibus cubitis tunc post arcam legentem? Audi ergo quid dicat: *Et dixi: Nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI). Vix eadem aliquando, inquit, cœpi, quod qui incœpisse me credidi, vix sero cœpi fieri bonus de malo, justus de injusto. Qualem me inveni, talem me esse pronuntiavi, nec puduit imperfectionem meam confiteri; sed dixi: Nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelsi. Non dicit quondam, vel extunc, sed nunc. Nec negat se modo cœpisse, ne putes eum plus quam duobus millibus cubitis post arcam remansisse. Vix cum quædam boni exordia tandem apprehendisse se memorat, ut juxta divinæ institutionis modum arcam suam se subsequi ostendat. Sed, ne quis eum vel hoc ipsum boni exordium sibi ascribere credat, audiat quid huic sententiæ adnectat hæc mutatio dexteræ Excelsi. Non sibi sufficere potuit ut diceret hæc mutatio Dei, nisi diceret hæc mutatio dexteræ Excelsi. Ipsum cui noluit hoc opus ascribere, maluit designare ex descriptione. Excelsum dicit qui hoc fecit, et dexteram nominavit. Ac si aperte dicat: Ille hoc fortiter fecit qui fortia potenter efficere consuevit. Erat sane in oculis ejus admirabile talem de malo ad bonum committere, qualem se meminit quandoque fuisse. Quid, quæso, ille alius de perfectionis itinere confecisse se credidit, qui omnes justitias suas panno menstruatæ mulieris comparavit? Habemus itaque quomodo debeamus arcam nostram ante faciem nostram ad certam mensuram præmittere, ut quantumcunque properemus, nunquam audeamus de duorum millium cubitorum spatio præsumptuosa existimatione aliquid minuere, arbitrantes nos semper vix primordia perfectionis attigisse. Debemus itaque quandiu in deserto sumus, in arcæ nostræ provectione, provectionis nostræ iter colligere, et quo per bonæ conversationis studium sequi oporteat, alia consideratione prænosse.

CAPUT XI.

De his quæ pertinent ad meditationem vel contemplationem, et quantum valeant ad virtutis promotionem talium captus.

Sed non est ejusdem facilitatis præsentis vitæ ordinem disponere, et futuræ gloriam æstimare, meritorum qualitatem discutere, et præmiorum æternorum quantitatem pensare. Quæ enim in terra sunt difficile æstimabimus, et quæ in prospectu sunt inveniemus cum labore; quæ in cœlis sunt autem quis poterit investigare? Invenire itaque quæ in terra sunt, difficile, investigare autem quæ in cœlis sunt, impossibile. Hinc est quod Apostolus monet: *Noli*, inquit, *altum sapere* (*Rom.* XI). Merito ergo arca Domini nonnisi post Hebræorum introitum in illam promissionis terram introducitur, ut quo nostra intelligentia perscrutationis suæ passibus irrumpere non sinitur, divinæ revelationis manuductione intromittatur. Nec tamen negamus de futuræ vitæ qualitate nonnulla, imo multa et magna esse quæ possumus et investigando quærere, et ratiocinando invenire et argumentando construere. Invisibilia enim Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Nequaquam ergo negligenda sunt quæ per investigationem inveniri possunt, sicut et illa ex nostra virtute non præsumere quæ nostram intelligentiam, et humanam rationem excedunt. Illa sunt secundum rationem, ista sunt supra rationem. Illa debemus alta perscrutatione diligenter inquirere, ista debemus ex divina revelatione humiliter exspectare. Illa pertinent ad meditationem, ista ad contemplationem. Nunquam animus ad æternorum bonorum desiderium plene accenditur, nisi qualia vel quanta sit studiose præmeditetur. Et, sicut nunquam sine ingenti desiderio ad eorum contemplationem sublevari meretur, ita sane in æternorum concupiscentias sine vehementi studio perfecte non inflammatur. Hinc est quod ante introitum Israel in promissum regnum, exploratores præmittuntur, et tamen nisi post turbæ ingressum arca non introducitur. Quid est enim exploratores ante introitum suum præmittere, et illius terræ in quam festinamus introire qualitatem sagaci perscrutatione velle prænosse, nisi mentis suæ cogitationes cœlestium bonorum exploratrices in invisibilium perscrutinium dirigere, et meditationes suas in id operis destinare,

Digitized by Google

ut per investigationem inveniat unde possit affectionum suarum turbam in eorum amorem urgere? Præmittamus ergo ante faciem nostram exploratores nostros, sicut et illi Israelitæ quondam præmiserunt suos, nec semel tantum, sed alios post alios secundosque post primos. Quoties de futuris bonis sperandis, seu promerendis subtiliter aliquid quærimus, nuntios exploratores ante nos ipsos præmittimus.

CAPUT XII.

De gemina præmeditatione, præmiorum videlicet et meritorum.

Sed aliud est quærere qualia, vel quanta, vel cujusmodi bona debeamus de meritorum retributione sperare, atque aliud studiose investigare quibus studiis vel exercitiis valebimus ea viriliter obtinere. Illud est primum, istud vero secundum. Primum investigare bona speranda, secundum bona facienda. Quis enim se ad laborum certamina fortiter accingat, nisi mercedis magnitudinem ex divina retributione prænoscat? Sed quid proderit æternam retributionem credere et desiderare, nisi pari studio quærat quis ut agnoscat quibus meritorum studiis possit eam acquirere? Necesse est ergo nuntios post nuntios præmittere, et exploratores alios post primos dirigere. Primi nuntii sunt exploratores præmiorum, secundi nuntii sunt exploratores meritorum. Illi sunt exploratores retributionum, isti sunt exploratores operum. Sic sane sunt alii exploratores, qui mittuntur a Moyse, atque alii exploratores illi qui mittuntur a Josue. Alii sunt quos præmittit Domini propheta, alii sunt quos præmittit Domini athleta. Aliud est officium prophetæ, aliud est officium athletæ. Prophetæ officium est prædicere futura, athletæ autem officium est præordinare facienda. Ad illum pertinet prænosse firmiter credenda, ad istum pertinet præmeditari fortiter agenda. Illud est præscientiæ, istud est providentiæ. Illius est prævidere, istius est providere. Quid est enim prævidentia, nisi exploratio futurorum? Et quid est providentia, nisi exploratio faciendorum? Habemus itaque duo genera exploratorum; utrumque negotiosum, utrumque necessarium. Primum videtur ad Moysen pertinere, secundum vero ad Josue. Juxta hanc itaque similitudinem cogitatuum nostrorum, alii debent esse futurorum prævisores, alii faciendorum provisores, utrique quidem occultorum exploratores, et ignotorum perscrutatores. Vultis audire hominem de futuris præmeditantem, juxta similitudinem Moysi, exploratores ante faciem suam præmittentem? *Meditatus sum*, inquit, *nocte cum corde meo. Nunquid in æternum projiciet Deus, et non apponet, ut complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem? aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* (*Psal.* LXXVI.) Vultis audire hominem de faciendis providentem, et ad Josue similitudinem exploratores ante se destinantem? *Quid*, inquit, *retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal.* CXV.) Vultis audire unum de subtilibus exploratoribus, quid explorando invenerit, vel quid ad illam primam Prophetæ quæstionem ex sententia responderit? *Absterget*, inquit, *Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum, et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt* (*Apoc.* XXI). Ecce quam propitium Deum in futuro iste prævidit de quo David quærit, an aliquando complacitior sit. Sed ad secundam, ut arbitror, explorationem respicit, quod alias invenit, unde et dicit: *Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime* (*Psal.* XCI). Ad primos itaque exploratores pertinet negligentibus animis justa persuadere, ad secundos autem promptos animos et ad omnia paratos ad agenda instruere. Attende ergo cujusmodi nuntia exploratores boni de regionibus illis reportare soleant, vel quantum ad erigendos animos valeant hæc ipsa quæ reportant, et stude alia quærere, et renuntiare, ut et tu valeas in similium concupiscentias audientium animos erigere, vox exploratoris est: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (*I Cor.* XV). Vox exploratoris est: *Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent, judicabunt nationes, et regnabunt in æternum* (*Sap.* III). Vox exploratoris est: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal.* XXX.) Nunquidnam putandus est iste explorator egregius terram illam lacte et melle manantem non intrasse, diligenterque visam perlustrasse, cum intraturis in illam audet tam audacter promittere? *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV). Nonne in his verbis in illam exploratorum sententiam concurrere videtur, ubi dicitur: *Intravimus*, inquiunt, *in terram ad quam misisti nos, quæ vere fluit lacte et melle, ut ex his fructibus cognosci potest* (*Num.* XIII).

CAPUT XIII.

Quomodo speculationi præmiorum oportet vehementius insistere.

Oportet, ut arbitror, huic explorationi quam aliæ vehementius incumbere, et primæ quam secundæ meditationi frequentius insistere, eo quod facilius sit discernere justa quam persuadere laboriosa. Hinc esse, arbitror, quod filii Israel in prima legatione mittunt plures, in secunda autem exploratione mittuntur pauciores. Et merito sane. Siquidem in prima perscrutatione, ut dictum est, fit exploratio præmiorum, in secunda autem exploratione fit perscrutatio meritorum. Sed incomparabiliter majora sunt futuræ beatitudinis præmia, quam possint esse qualiacunque merita nostra. Non sunt enim condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Multi ergo sunt qui mittuntur primo, pauci autem qui mittuntur secundo. Merito multi mittuntur, ubi multa quæruntur, et ad pauca quærenda pauci diriguntur. Illic duodecim, hic duos invenimus. Illic senarius, hic geminatur

Digitized by Google

unus. Unitas a qua senarius inchoat, inchoationem recte designat, sicut et senarius pro sua perfectione, perfectionem designare constat. Quod ergo ibi quæritur est ad perfectionem, non ad inchoationem; quod autem hic invenitur, videtur esse ad inchoationem, non autem ad perfectionem. Ibi perfectio nostræ glorificationis, sed hic est, nonnisi quædam inchoatio nostræ justificationis. In illa glorificatione erit exinanitio omnium malorum et plenitudo omnium bonorum. Sed in hac nostra justificatione, nec est plena exterminatio vitiorum, nec perfecta consummatio virtutum. Ibi plena securitas, perfecta jucunditas. Hic nec plena puritas, nec perfecta integritas. Ibi plena securitas, ubi nullum malum timetur. Ibi perfecta jucunditas, ubi omne bonum possidetur. Hic nec plena puritas, ubi vitium reluctatur; hic nec perfecta integritas, ubi infirmitas dominatur. Ibi ergo ex gemina perfectione securitatis et jucunditatis una beatitudo consummatur, ut senarius duplicetur et duodenarius perficiatur; hic ex gemina imperfectione puritatis, et integritatis nostra justificatio inchoat, ut ex geminatione unitatis in duodenarii consummationem uterque senarius perfectionis suæ exordium capiat. Recte ergo in illa legatione duodecim exploratores mittuntur, ubi geminæ perfectionis beatitudo per investigationem quæritur. Recte duo in ea delegatione diriguntur, ubi perfectæ justificationis vix quædam exordia inveniuntur. Denique duodecim sunt, si bene memini, qui mittuntur in prima exploratione, et duodecim sunt quæ jubentur explorare. Sed et duo sunt, qui in secunda exploratione mittuntur, et duo sunt quæ perscrutari præcipiuntur. Multa sunt quæ de prima exploratione dici possunt; sed hæc ut digne explicentur proprium syntasma requirunt.

CAPUT XIV.

Quod speculatio meritorum in duobus constat.

Sed ut de secunda latius aliquid dicamus, sufficit in ista exploratione illa sufficienter quærere quæ ad illam propheticam admonitionem possint sufficere: *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* xxxvi). Sufficit, inquam, solerter providere, quam caute mala caveamus, quam discrete bona perficiamus. Alia est præmeditatio in cavendis malis, alia præmeditatio in complendis bonis. Sed licet utraque sit alia, nulla tamen debet esse sine altera. Simul eant, simul currant, sibique invicem succurrant, et sine adjutorio alterutro negotium suum nunquam plene expleant. Hi sunt, ut arbitror, exploratores duo provida cautela a malo, provida solertia in bono, quos debemus ante faciem nostram præmittere, et profectuum nostrorum itinera prætentare: *Ite*, ait Josue, *et considerate terram et urbem Jericho* (*Josue* II). Considerate, inquit, terram regionumque qualitatem, diligenter inquirite locorum opportunitatem, ut prænoscamus quo in loco opportunius possimus castra figere, ubi necessitatis articulo expediat declinare, unde oporteat quotidianis usibus necessaria petere. Considerate ergo et inquirite quæque utilia, quæque A opportuna et usibus necessaria. Considerate autem non solum bona, sed et mala, commoda et incommoda, munimenta et pericula. Considerate ergo terram et urbem Jericho. Considerate urbem, munitionum firmitatem, hostiumque multitudinem, ut scire possimus quomodo oporteat obsidionem ordinare, qualiter oppugnare, contra quales bellum agere. Inspicite ergo terram et urbem. Inspicite terram quam Deus fecit, et urbem quam humana inventio instituit. Discutite bonum quod Deus creavit ad bonum nostrum, et malum quod homo invenit in malum suum. Considerate terram et urbem, naturam et consuetudinem. Distinguite bonum creationis et malum corruptionis, bonum conditionis et malum consuetudinis. Si naturæ bonum cognoscimus, scimus quid excolere, quid nutrire, quid multiplicare debeamus. Si morum nostrorum malum perspicimus, quos hostes cavere, quos adversarios oppugnare, quales inimicos interficere oporteat non dubitamus. Ecce quales exploratores debemus ante ingressum nostrum præmittere, ut sciamus contra quæ mala cavenda, et ad quæ bona agenda debeamus vigilare. Qui tales exploratores ante faciem suam præmittit, errorum devia minime formidabit.

B

CAPUT XV.

Quid sit meditationis, et quid sit contemplationis.

Sed ille virtutum exercitus secure incedit, sibique de viæ certitudine nihil diffidit, quem exploratorum C sagacitas instruit, et arcæ ordinata antecessio in suo itinere dirigit. Parum nobis sit ante Hebræorum turbam exploratores dirigere; faciamus et arcam nostram post exploratorum vestigia faciem nostram præcedere. Primum est faciendorum rationem meditationum nostrarum exploratione perquirere et invenire, et postea tandem oportet in contemplationem adducere, ut possimus notam, et promptam, et familiarem habere. Contemplatio pertinet ad arcæ evectionem, sicut meditatio ad explorationem. Aliud est contemplationis, aliud est meditationis. Meditationis est perscrutari occulta, contemplationis est admirari perspicua. Siquidem meditatio est occultæ veritatis studiosa investigatio. Contemplatio est perspicuæ veritatis jucunda admiratio. Quæ autem occulta sunt, D solent ad manifestationem prodire, modo ex propria meditatione, modo ex divina revelatione. Ubi ergo revelationis gratiam præsentem habemus, meditationis officio non egemus. Ubi autem divina revelatio defuerit, mens humana, nec mirum, ad meditationis studium ex necessitate recurrit, et quasi ad exploratorum officia refugit. Sed quidquid mens humana de morum instructione poterit meditationum exploratione cognoscere, debet iterum in contemplationem adducere, et in eorum certitudinem et desiderium animum roborare. Sed cum meditationis adinventio in contemplationem adducitur, quid aliud quam via prius explorata ad arcæ evectionem repetitur, ut virtutum turma absque devia-

Digitized by Google

tionis suspicione secure subsequatur? Per meditationem itaque agitur, ut quidquid utiliter fieri debeat non ignoretur. Sed et contemplatio illud efficere solet, ut adinventa veritas memoriæ tenacius inhæreat, et desiderium acrius inflammet. Per meditationem ergo ad bonum instruimur, et per contemplationem in bono solidamur. Hæc est ratio, ut arbitror, cur debeamus profectuum nostrorum viam, et meditationis exploratione, et intellectualis arcæ processione prætentare.

TRACTATUS TERTIUS.

Hucusque de boni promotione, abhinc de ejusdem confirmatione.

CAPUT PRIMUM.

Libet et illud considerare quid sit quod Dominus jubet de Jordanis medio, de loco ubi steterunt sacerdotum pedes, lapides colligere, et in loco castrorum ponere, et alios undecunque collectos in priori loco reponere. Quæramus ergo quis ille sit locus, quo sacerdotum pedes tempore faciendi miraculi subsistunt, vel quo itidem loco post celebratum miraculum castra figenda sunt. Quis dubitet supra humanam virtutem esse Jordanem retroire, et aquarum congeriem in unam molem consurgere? Quis, quæso, nisi mente excidat, tam stupendum miraculum de sua virtute præsumat? Ubi ergo debet animus sub tantæ rei exspectatione spem suam figere, nisi in fiducia divinæ magnificentiæ? Tutus stationis locus et magnæ securitatis, præsumptio de adjutorio divinæ pietatis. Sed est alius locus loco huic valde dissimilis, subreptio videlicet diffidentiæ et desperationis. Locus sane horridus, plenus timoris, plenus sollicitudinis, et qualem denique decet castris munire, vallo cingere, excubiis circumdare, eo quod non sit tutum propter imminentia pericula in ulteriora procedere. Illum primum tempore divinæ visitationis, istum autem tempore probationis incurrimus. Solet enim divinæ pietatis dispensatio hominem cum sua visitatione confortare, et iterum vario tentationum genere probare: *Visitas*, inquit Job, *eum diluculo, et subito probas illum* (*Job* VII). Ecce duos locos assignavimus, unum confidentiæ, alterum diffidentiæ; unum quo solent divina miracula contingere, alterum quo oportet castra figere. Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current et non deficient. Nonne totum supra hominem est fortitudinem mutare, juxta aquilæ similitudinem volare, currere et non deficere? Sed hoc tamen soli ipsi possunt qui de Domini pietate, non de sua fortitudine præsumunt. Sic Petrus super undas currere potuit quandiu confidentiæ locum spei pede tenuit (*Matth.* XIV). Sed postquam cœpit hunc suæ securitatis locum deserere, non potuit eum unda in superioribus suis amplius librare. Vides quomodo ventus validus superveniens de loco confidentiæ ad locum eum diffidentiæ dejecit, eo quod Dominus juxta morem suum visitasset eum diluculo, et subito probasset illum. Sic filii Israel post factum visumque miraculum, venerunt ad locum castrorum.

CAPUT II.

De confirmatione mentis in bono et obduratione mentis in malo.

Assignavimus differentiam locorum, videamus et duo genera lapidum. Puto esse unum genus lapidum bonorum, puto esse et aliud malorum lapidum. Ad lapides bonos pertinet quælibet mentis confirmatio in bono; ad lapides autem malos, quælibet mentis obduratio in malo. Quid tibi videtur? Soliditas, stabilitas, firmitas, gravitas et multa in hunc modum, nonne tibi videntur quamdam in se lapidum similitudinem trahere, et pro similitudinis jure sibi tale nomen juste vindicare? Quid dicimus de cordis duritia, tenacia vel obstinatia? quid de asperitate, austeritate et crudelitate? Nonne sibi lapidis nomen defendunt quæ in se lapidum similitudinem trahunt? Sed priores illi pertinent ad lapides bonos, sicut et isti posteriores ad lapides malos. Sed puto non esse ejusdem facilitatis bonos vel malos lapides invenire, eo quod difficilius sit bonos lapides quam malorum copiam reperire. Omne enim pretiosum rarum. Boni ergo colliguntur de medio Jordanis, mali autem de quibuscunque locis. De illis Scriptura, ubi eos quærere vel invenire oporteat, manifeste designat; de his autem adinventionis locum determinare quasi superfluum judicat.

CAPUT III.

De malo præsumptionis seu desperationis.

Sed illud videtur mirum magnaque admiratione dignum quod jubemur bonos lapides de bono loco collectos in malo loco reponere, malos autem lapides undecunque collectos in bono loco aggregare. Locus bonus præsumptio confidentiæ, locus malus desperatio diffidentiæ. Sed tamen debemus in loco confidentiæ congregare lapides malos, et in loco diffidentiæ congregare lapides bonos. In die bonorum ne immemor sis malorum, et congregasti lapides malos in loco bono, et in die malorum ne immemor sis bonorum, et congregasti lapides bonos in loco malo. Quid enim est lapides bonos de medio Jordanis (de loco videlicet facti prodigii) colligere, nisi statum mentis qualis tempore divinæ visitationis fuerit diligenter retractare, et cujus firmitatis secundum unamquamque virtutem exstiterit subtiliter investigare, memoriæque commendando quasi quemdam testimonii tumulum erigere? Sed nunquam talium lapidum

Digitized by Google

copiam habemus, nisi prius divinæ visitationis et inspirationis gratiam acceperimus. Testatur hoc qui dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv) ; ergo nec lapides bonos est uspiam colligere nisi ex ejus operatione. Sed malorum lapidum innumeram multitudinem facile invenimus, quos ex tota vita nostra copiose et ad manum colligimus. Quid ergo opus fuit horum locum designare, quos ubertim possumus undecunque congregare ? Cogitet ergo quisque cujus duritiei, cujus obstinationis fuerit, quoties eum divina gratia deseruit, sibique ipsi reliquit : et hoc faciens malorum lapidum tumulum erexit. In hunc itaque modum possumus tumulos erigere, et diversos e diverso constituere, hinc unum de lapidibus bonis, illinc alium de lapidibus malis. Bonorum lapidum sibi congeriem instituit, qui dixit : *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me* (*Psal.* cxviii). Malorum lapidum tumulum erexerat, cum dicebat : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* l).

CAPUT IV.

Quomodo ex malorum nostrorum recordatione oporteat præsumptionem reprimere.

Sic et tu cum locum confidentiæ teipsum tenere præsenseris, et meritis tuis altiora præsumere perspexeris, memento statim quid aliquando fueris, et ad malorum lapidum congeriem oculos reflectens teipsum in humilitate custodis. Bonum est sane præsumere, non de tua tamen fortitudine, sed de Domini pietate. Ad hoc malorum lapidum in loco bono congregatio cuique valeat, ut per malorum suorum memoriam nunquam de suis viribus præsumat. Ut ergo discat unusquisque præsumere, non de seipso, sed de Domino, semper sibi in præsumptionis loco occurrat malorum suorum recordatio : illa sane præsumptionis fiducia Dominum placat, et magnalia impetrat, quam humilitas commendat. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion. Sic econtrario abominabilis est illa præsumptionum fiducia quam generat superbia. Non enim salvatur rex per multam virtutem suam, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Maledictus ergo homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum : erit enim sicut myricæ in deserto, et non saturabitur cum venerit æstas, quam utilis ergo, putamus, erit in hujusmodi loco illa quam præscripsimus malorum lapidum congregatio, vitiorumque recordatio, quæ nos poterit custodire ab hoc exsecrabili superbiæ typo, et protegere ab hujusmodi maledicto.

CAPUT V.

Quomodo ex bonorum nostrorum recordatione oporteat desperationem repellere.

Sic sane periculo imminente, tentatione superveniente, cum præsenseris animum tuum desperatione tangi, et ad diffidentiæ locum dejici, et ad præfinitum castrorum locum devolvi, debes bonorum lapidum tumulum præsentem habere, et ad virtutum præteritarum memoriam oculos reflectere, et ex earum recordatione spei tuæ fiduciam reformare. Sic Job rebus nudatus, filiis viduatus, ulcere percussus, cum se in loco castrorum deprehensum cerneret, et desperationis malo se pulsari præsentiret, ut diffidentiæ malum temperaret, ad bonorum lapidum acervum recurrit, et ex bonorum recordatione castra sua undique munit, et desperationis insultus fortiter repellit, cum dicit : *Oculus fui cæco, et pes claudo ; pater eram pauperum, et causam quam nesciebam diligenter investigabam. Conterebam molas iniqui, et dentibus illius auferebam prædam* (*Job* xxix). Sic et Ezechias sub necessitatis articulo ad hujusmodi lapidum munimina recurrebat, cum de vita diffideret, et ex bonorum actuum suorum repræsentatione, Domini misericordiam provocabat, precumque suarum obtentu, diffidentiæ pericula propulsabat : *Memento*, inquit, *Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim* (*IV Reg.* xx). Debemus itaque et nos promptum et familiare haberi sub omni tempore tentationis, anteactorum bonorum memoriam præsentem tenere et cum hanc consuetudinem in continuum usum duxerimus, quasi lapides bonos, et juxta divinum documentum electos in loco castrorum collocavimus. Nihil enim aliud est electos lapides in unum locum congregare, nisi divinæ confirmationis et corroborationis qualitates diligenter retractare, memoriæque commendare, et nihil aliud est eos in loco castrorum fixisse, nisi hujusmodi memoriam in omni tentationis articulo firmiter assuevisse.

CAPUT VI.

De duodecim principalibus virtutibus in quibus solidandus est animus.

Hos autem de medio Jordanis alveo per Dei virtutem siccato, et ad numerum duodecim tribuum colligimus, quando statum mentis nostræ, qualis sub divinæ visitationis tempore fuerit, diligenter discutimus, et quales tunc temporis in unaquaque principalium virtutum, juxta aliquid fuerimus, subtiliter exquirimus. Hoc est enim singulos de singulis tribubus homines suum lapidem tollere, quantæ firmitatis, juxta aliquid ad singulas virtutes per aspirationis gratiam aliquando exstiterit, veraciter invenisse. Quid autem de duodecim filiis Jacob sentiamus, ex quibus originem trahunt hæ duodecim tribus, alio loco jam diximus. Per Ruben et Simeonem intelligimus timorem et compunctionem ; per Levi, spem ; per Judam, charitatem ; per Issachar, jucunditatem ; per Zabulon, severitatem ; in Gad intelligitur abstinentia ; in Aser, patientia ; in Dan et Nephtalim, circumspectio et speculatio ; in Joseph et Benjamin, discretio et invisibilium contemplatio. Horum autem rationem hoc loco ostendere jam volumus, de quibus quod nobis rectius videbatur alias jam diximus. Sed qui ex tali sobole semen suum in duodecim tribubus multiplicatum esse confidit discat quales lapides de medio Jordanis tollere de-

Digitized by Google

buerit, cum hanc virtutum progeniem usque ad ejus transitum promoverit. Recolat ergo quid roboris, quid fortitudinis vel firmitatis ad divinæ aspirationis afflatum se senserit hausisse, hoc est et lapides electos de loco determinato tulisse. Sed ut per singulos de singulis tribubus homines hæc lapidum electio fiat, hanc considerationis suæ operam per singulas quas distinximus virtutes exerceat, et lapidum suorum numerum usque in duodenarium extendat. Cogitet ergo quisquis cupit post Jordanis conversionem hoc Dominicum præceptum implere; cogitet, inquam, sub tempore divinæ visitationis cujus vigoris fuerit juxta aliquid in unaqualibet virtute. Cogitet quanta soliditas tunc temporis ei fuerit in timore, quanta gravitas in compunctione, quanta stabilitas in spe, quanta integritas in charitate, quanta maturitas in jucunditate, quanta asperitas in severitate. Cogitet quam austerus fuerit in abstinentia, quam robustus in patientia, quam sollicitus in circumspectione, quam assiduus in speculatione, quam certus in discretione, quam quietus in contemplatione. Cum autem hæc omnia plene perspexerit memoriæque mandaverit, tumulum qualem oportuit erexit. Infiniti negotii esset, et quod nemo omnino explere potuisset, si juberet Dominus omnes de omnibus tribubus lapidem suum tollere, eo quod nemo sufficeret seipsum digne pensare, qualis sit ad omnia, non dicam in omni, sed una solummodo qualibet virtute. Sufficit ergo unum aliquod præclarum et insigne æstus sui desiderium per omnes has quas determinavimus virtutes segregare, talisque memoriæ usum firmare et in ejusmodi recordatione sub omni diffidentiæ periculo contra desperationis malum pugnare. Facile enim animum suum quantumlibet dejectum, quantalibet tentatione pulsatum, ad spem divinæ miserationis statumque confidentiæ reparat : qui qualis aliquando ex divina operatione fuerit, ad memoriam revocat. Omnino et absque dubio libenter se exercet in tali studio, cui datum est nosse quid valeat, vel quod utilis sit hæc hujusmodi lapidum studiosa collectio.

CAPUT VII.

De soliditate timoris.

Quam utilem, quæso, putamus illum lapidem quem primo loco posuimus, soliditatem videlicet timoris per quem mens fundatur in solido humilitatis. Quantum autem valeat Dominica illa sententia probat, quæ dicit : *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos ?* (*Isa.* LVI.) Hic est lapis offensionis et petra scandali, nisi forte dubites hunc esse lapidem quem reprobaverunt ædificantes, et factus est in caput anguli. Superbæ etenim mentes, et suam justitiam statuere volentes, nil solent molestius pati, nihil amplius indignari quam apparere despecti et viles videri.

CAPUT VIII.

De gravitate compunctionis.

Sed et secundum lapidem, qui dictus est gravitas compunctionis, apud Jeremiam puto posse reperiri, qui petivit capiti suo aquas ut lugeat interfectos populi sui (*Jer.* V), et datum ei non dubito ab eo qui convertit petram in stagna aquarum et rupes in fontem aquarum. Hanc eamdem petram apud Petrum puto inveniri posse, eo quod tactus dolore cordis intrinsecus egressus sit foras, et flevit amare, percutiens bis silicem, et egressæ sunt aquæ largissimæ, et factum est irriguum superius, et irriguum inferius.

CAPUT IX.

De spei longanimitate.

Tertiam petram, quæ est longanimitas spei, apud Job non dubito posse reperiri, de qua sibi fundebat rivos olei, unde et lenibat dolores corporis sui. Sperabat enim usque ad mane inter tot damna, dolorumque vulnera, nunquam exhaustus oleo spei suæ, nusquam diffidens de unctione divinæ misericordiæ : *Etiamsi occiderit me*, inquiens, *in ipso sperabo* (*Job* XIII).

CAPUT X.

De charitatis integritate.

Quartam itidem apud Petrum petram invenio, cui dictum esse non dubitamus a Domino : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI), eo quod diligeret Christum Domini ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex tota mente sua, veraciter agnoscens quod ipse esset Christus Filius Dei vivi. Ubi, obsecro, invenitur charitatis integritas si eam apud Petrum non reperias, qui coram cordium inspectore audet profiteri et dicere : *Domine, tu scis quia amo te?* (*Joan.* XXI.)

CAPUT XI.

De maturitate jucunditatis.

Quintam autem petram apud populum illum esse dubitare quis audeat, quem Propheta Domini inter cætera prophetiæ dogmata beatificat? *Beatus*, inquit, *populus qui scit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII). Beatos utique esse quis neget, quos Dominus cibavit adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos : jucunditatem etenim et exsultationem thesaurizavit super eos. Animadvertis, ut arbitror, quale sit etiam hunc lapidem inter cæteros possidere, qui fluit jucunditatis melle, et satiat intrantem in gaudium Domini sui interna dulcedine. Quale, quæso, erit quoties opportunum fuerit de petra melle saturari, et de torrente voluptatis in via bibere et inebriari? Hic est quintus ille, ut dictum est, lapis, qui dictus est maturitas jucunditatis. Nil ergo levitatis habeat, nil ei caducum, nil carnale sapiat, ad maguam autem maturitatis gravitatem animum componat, qui solum hoc esurit et sitit, quod de hoc lapide manat.

CAPUT XII.

De asperitate severitatis.

Sed ille, ut arbitror, dimicabat in lapide sexto,

Digitized by Google

cui dictum est a Domino : *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem et ut silicem dedi faciem tuam* (*Ezech.* III). Conterebat ergo Jeremias exasperantem domum Israel in adamante et silice, eo quod esset attrita fronte et duro corde, stansque in porta domus Domini, annuntiabat eis scelera eorum, verba eorum non timens, nec vultus eorum. Hunc lapidem tenet in manibus rex ille fortis et potens in prælio, in quo dejectus est fortis armatus, et vir bellicosus ab adolescentia sua. Prævaluit enim David in Philisthæum in funda et lapide in nomine Domini. Vides certe qualibus armis ille adolescentulus et contemptus et statura pusillus dejecerit Goliam gigantem immanissimum, eo quod doctus esset a Domino doctas habere manus ad prælium et digitos suos ad bellum. Habebat sane arma non carnalia, sed potentia a Deo ad destructionem munitionum, et erat in eis pugnans et destruens omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigens omnem intellectum in obsequium Christi. Super omnes enim docentes se intellexit, et idcirco fiducialiter annuntiavit justitiam Domini in Ecclesia magna, sicut et ipse de seipso de præterito perhibuit, et de futuro promittit : *Annuntiavi*, inquit, *justitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo : Domine, tu scisti* (*Psal.* XXXIX). In promptu itaque habes ulcisci omnem inobedientiam, arguebat elatos, corripiebat inquietos, et in asperrimæ increpationis lapide et correptionis asperitate dejiciebat veritatis adversarios. Et cum esset vir mitissimus in populo suo et mansuetissimus : *Memento*, inquiens, *Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Psal.* CXXXI); cum esset, inquam, tantæ mansuetudinis, nihilominus tamen in matutino interficiebat omnes peccatores terræ, ut disperderet de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

CAPUT XIII.

De austeritate abstinentiæ.

Septimum lapidem diximus esse austeritatem abstinentiæ. In hac petra pater Samson obtulit Domino holocaustum, et obtinuit gignere de sterili virum fortissimum virorum, ad ignominiam gentium, et gloriam plebis suæ Israel (*Judic.* XIII). Puduit sane eum tandem aliquandiu pavisse sterilem, et quæ non parit, et ulterius noluit, sicut nec debuit, debitor esse carnis, ut secundum carnem viveret, sed castigans corpus suum, et in servitutem redigens, hædinasque carnes in abstinentiæ petra immolans, jusque carnium cum carnibus ipsis accepto cœlitus igne consumens, fluxasque corporis restringens noluit de cætero ire post concupiscentias suas. Sicque, impetu carnis edomito, impetum spiritus roboravit, qui carnis infirmitate fit fortior.

CAPUT XIV.

De robore patientiæ.

Post hos lapides sequitur robur patientiæ : quem lapidem me recolo octavo loco annumerasse. Ecce lapis fortissimus, omniumque durissimus. Hunc lapidem tenet in manibus cœlestis militiæ signifer ille protomartyr Stephanus, et factus est ei turris fortitudinis a facie inimici. In hoc lapide lapidum se prementium sustinuit fortiter ictus, nec timuit lapidantium manus, nec eorum impetum, qui stridebant dentibus in eum (*Act.* VII). O lapis fortis et durus, sed dulcedine plenus ! O pectus robustissimum, sed pietate plenum ! Miraris quilibet audis quomodo in patientia sua possedit animam suam, sed mirari potius debuisses quomodo animus sub tanta persecutionis amaritudine non amiserit dulcedinem suam. Ab inimicis premebatur, et pro inimicis precabatur. Sustinebat sævitiam humanam, et suspiciebat gloriam divinam : *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei* (*ibid.*). In terris premebatur, et de cœlis consolabatur. Affligebatur ex illata miseria, afficiebatur ex inolita misericordia, gratulabatur ex inspecta gloria. Ecce sub uno eodemque tempore videbat inferius unde compateretur, videbat superius unde jucundaretur. Ecce quomodo de eodem pectore manabat pietas cum jucunditate, jucunditas cum pietate. Ecce quomodo de eodem vase manat oleum cum melle, oleum pietatis cum melle jucunditatis. Quæ, quæso, est ista in lapide isto olei et mellis impermista confusio et inconfusa permistio ? Miror si non miraris quomodo pugnator fortis sub uno eodemque momento sugebat mel de petra oleumque de saxo durissimo. Mira virtus patientiæ, et quis digne penset pretium hujus petræ, quæ in tanta copia distillat oleum cum melle ? Quanta, quæso, olei et mellis copia inesse deprehenditur, ubi misericordia nulla malitia minuitur, ubi dulcedo nullo dolore attenuatur ? Imo mirum in modum crescit ex dolore delectatio, et ex passione compassio. Martyr sane cum lapidaretur, magis miserebatur inimicis suis quam membris suis. Positis enim genibus orabat, dicens : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt* (*ibid.*). Ecce quoad positionem genuum effusum est oleum, et de cætero velut oleum effusum factum est nomen suum. Siquidem ad miserationem inimici facta est effusio olei, intantum ut adolescens, qui eminus sedebat, respersus sit ex odore unguenti. Incurvato namque corpore et inclinato capite, cœpit oleum effluere, et factum est sicut unguentum in capite, et descendit in oram vestimenti ejus qui vestimenta servabat. Velociter ergo surgens, qui diu sederat in tenebrosis et in umbra mortis cœpit currere in odorem unguentorum, exsultansque ut gigas ad currendam viam suam, quocunque erat impetus Spiritus, illic gradiebatur, et de cætero factus est Christi bonus odor omni loco.

CAPUT XV.

De sollicitudine circumspectionis.

Nonam petram invenio apud Ezechiam, invenio eam et apud amici sponsam, sponsique amicam, cui

Digitized by Google

dicitur in Canticis : *Surge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ* (*Cant.* II). Sic et Ezechias ad sponsæ similitudinem quietem eligens, secretumque captans, sedensque in foraminibus petræ, seu etiam caverna maceriæ, sicut pullus hirundinis, sic clamabat, meditabatur ut columba : O quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam, si forte possim evolare in id loci, ubi passer invenit sibi domum, et turtur nidum ubi reponat pullos suos! Ubi, quæso, quidquam tuti reperietur, si in foraminibus hujusmodi petræ non invenietur, ubi studiosa præmeditatio quæcunque pericula, antequam eveniant, prævidet, et ventura præveniens, ex præteritis futura colligit, et de dubiis rebus non dubios eventus sæpe prænoscit? Quid enim est aliud circumspectio, nisi circumstantium malorum sollicita sagaxque perscrutatio? Ad hanc pertinet præteritorum malorum retractatio, præsentium consideratio, futurorum præmeditatio, ut secundum nomen suum veraciter sit circumspectio. Hujus assiduitas hominem cautum efficit, et quantum possibile est, tutum reddit.

CAPUT XVI.

De assiduitate speculationis.

Decimus lapis dictus est assiduitas speculationis. Jacob declinans a malo, dansque locum iræ, dum peregre proficiscitur festinans, ne fuga sua fieret hieme aut Sabbato, hunc lapidem in itinere invenit, inventumque capiti suo supposuit, ne non haberet ubi caput suum reclinaret, dum in via obdormiret (*Gen.* XXVIII). In hoc lapide in pace, in idipsum obdormit et requiescit, et in itinere requiem invenit, quam nec in cubiculis stratisque purpureis invenire possunt qui mollibus vestiuntur, et in domibus regum sunt. Reclinato itaque capite, Jacob in hoc lapide, clausis que oculis concupiscentiæ (quos apertos legimus in primo parente), dum in hoc reclinatorio alta quiete sopitur, dum exteriorum omnium libenter obliviscitur, animus ejus ad interiora evigilat, videtque quæ prius vigilans et videns videre non poterat. Scala usque in cœlum porrecta, ante ejus oculos erigitur, Dominusque innixus scalæ conspicitur, ut per invisibilem formam, invisibiliumque figuram, in intellectibilium intelligentiam, speculantis animus sublevetur. Felix cui visibilium scientia fit scala ad invisibilia cognoscenda. Pulchrum spectaculum videre hujus scalæ scalaria modo congruo, proportionabiliterque locata, et usque in summum ordinatæ distinctionis continuatione producta, ut per multiplicem creaturarum differentiam, dignitatumque degradationem ordinate distinctam, distincteque ordinatam, paulatim se animus ad superiora promoveat, provectionisque gradibus semper ad altiora conscendat, donec invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur, et Dominus innixus scalæ videatur. Quis, quæso, hoc, nisi in hoc reclinatorio dormiens videret, quis hoc evigilans efficeret, ut ascensionis suæ scalam usque in cœlum protenderet, et visibilium speculationi speculationem invisibilium continuaret? Quid quod in hoc ascensionis tramite angelicæ occursionis alludium sponte se ingerit, ut humanæ investigationi divina revelatio occurrat? Itaque videntur angeli in hac scala nunc ascendere, nunc vero descendere, et nunc ad summa, nunc ad ima animum erudire, ut in divinis et humanis multa, quæ per seipsum non poterat, ex divina revelatione cognoscat. Et possent quidem angeli sine scalæ ministerio pro desiderii sui arbitrio, sive in ima descendere, sive ad summa evolare, nec opus esset divinæ inspirationi in ulla revelationum suarum manifestatione ullius corporeæ similitudinis instrumentum quærere, nisi vellet nos primo per speculum et in ænigmate, et non statim facie ad faciem videre. Ascendunt itaque angeli in hac similitudinum scala atque descendunt, atque alii post alios modo accedunt, modo discedunt, ut dum multiplicium revelationum alia ingeritur, alia subtrahitur, speculantis animus multiformiter illuminetur, ut quæ simul pro intelligentiæ suæ exiguitate capere non poterat, succedenter et per morarum intervalla sigillatim intelligat. Ecce quid inveniunt, qui in hoc lapide obdormiunt. Felices quibus vertitur in scalam, quod aliis solet esse in ruinam. Felices quibus exteriorum scientia fit scala ascensionis, non ruina dejectionis. Felices quibus scientia illa quæ inflat, non est ad inflationem, sed ad inflammationem ejus quæ ædificat. Felices quibus temporalium pulchritudo fit æternitatis instigatio. Oportet ergo, ut animadvertis, caput in lapide reclinare, et in hujus speculationis desiderio animum obdurare, et huic studio pertinaciter insistere, qui cupit hanc ascensionis scalam invenire.

CAPUT XVII.

De certitudine discretionis.

Certitudinem discretionis undecimum lapidem diximus, quam si diligenter quærimus, citius apud Paulum invenimus. Tantum siquidem de discretionis dono confidit, tantum de consilii sui certitudine præsumit, ut fidenter consilium det, ubi Dominicum præceptum non habet : *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII). Hinc est quod aliis seipsum in exemplum conversationis proponit, et vitam suam vivendi formam sequacibus ostendit, cum dicit : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* (*I Cor.* XI). Et recte sane eo quod statuerit Dominus supra petram pedes suos, et direxit gressus suos. Hujusmodi, ut arbitror, lapidibus viatorum illorum via strata erat, de quibus Propheta pro admiratione exclamat : *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* (*Rom.* X.) His, ni fallor, lapidibus magnus ille patriarcha Joseph, quem princeps populorum constituit dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ, ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, et senes ejus prudentiam doceret. His, inquam, lapidibus plateas Ægypti

Digitized by Google

recte creditur stravisse, intantum ut non haberent filii Israel necesse servire in luto et latere omnibus diebus vitæ suæ. Horum adhuc lapidum penuriam Propheta sustinebat, et sub magna discretionis inopia laborabat, cum adhuc fixus esset in limo profundi, eo quod nondum sibi constaret rati certitudo consilii, intantum ut Domino proclamaret et diceret : *Quandiu ponam consilia in anima mea ?* (*Psal.* XVIII.) Sed de hoc limi profundo nunquam plene emersisset, nisi hanc, de qua loquimur, petram tandem aliquando invenisset : *In petra*, inquit, *exaltavit, me, et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos* (*Psal.* XXVI). Qui de hoc genere lapidum viam sibi non sternit, nunquam munde incedit, nunquam stabiles gressus figit. Qui vult ergo firmiter et honeste incedere, debet nil omnino inconsulte agere, et quali debuit lapide constat sibi viam stravisse, et potest secure incedere. Omnia, inquit Sapiens, fac cum consilio, et nunquam pœnitebis (*Eccle.* XXXII).

CAPUT XVIII.

De quiete contemplationis.

Lapidem duodecimum, omniumque novissimum invenire possumus, ut arbitror, apud Dominicum sepulcrum. Dictus est, ut superius est dictum, lapis is tranquillitas contemplationis. De hoc genere lapidum Joseph ille ab Arimathæa sepulcra sibi incidit, sed Jesus in eo mortuus quievit, quia quietem quam prudentia sibi per meditationem quærit, et per diffinitionem describit, sapientia per contemplationem invenit, et per experimentum apprehendit. Semper vera prudentia quærit, et semper quærere debet illam quam Christus docuit pacem, ut non turbetur neque formidet. Semper studet ubi talem pacem inveniat, semper nititur ut veram sibi securitatem defendat, sed semper invenit quod de præterito doleat, quod in præsenti oppugnet, quod in futurum caveat atque pertimescat. Potest ergo animus hanc pacem per prudentiam solerter quærere, et per meditationem subtiliter investigare, nunquam eam tamen nisi per sapientiam et contemplationis gratiam poterit invenire. Sed, cum cœperit animus per puram intelligentiam semetipsum excedere, et in illam incorporeæ lucis claritatem totus intrare, et in his quæ in intimis videt quemdam intimæ suavitatis saporem trahere, et ex eo intelligentiam suam condire, et in sapientiam vertere, intantum in hoc mentis excessu pax illa quæ neque turbatur, neque formidat, invenitur atque obtinetur ut fiat silentium in cœlo quasi hora dimidia, ita ut contemplantis animus nulla altercantium cogitationum tumultuatione turbetur : nihil omnino invenies, vel quod per desiderium petat, vel per fastidium arguat, vel per odium accuset. Ad summam itaque pacem componitur, qui in hoc lapide sepelitur, qui intra contemplationis tranquillitatem totus colligitur atque concluditur. Neque enim lapis iste sicut ille Jacob soli capiti supponitur, neque sicut ille posterior pedibus substernitur, sed toto corpori coaptatur atque applicatur. Hic itaque lapis totum corpus ambit, totum includit, et ab omni parte comprehendit, eo quod pax illa, quæ omnem sensum exsuperat, omnem sensum humanum fundi tus absorbeat, et in divinum quemdam habitum puriorem animæ partem felici transfiguratione convertat. Jacet hic corpus sine sensu et motu in hoc Dominico monumento ; nihil sensualitas, nihil agit imaginatio, et omnis inferior vis animæ proprio interim induitur officio.

Non enim hoc lapideum monumentum (sicut saxeum illud patriarchæ Jacob reclinatorium) suscipit corpus vivum, quamvis sopitum, nec recipit corpus nisi mortificatum. Aliud dormire, aliud est obire. Aliud spiritum suum totum in seipsum colligere, et aliud est supra se levare et seipsum deserere. Aliud est appetitum coercuisse, exteriorumque curam cordi excidisse atque aliud est ipsum sibi in oblivionem venire. Oportet ergo antequam introire liceat in illud intimæ quietis secretum et summæ tranquillitatis arcanum ; oportet, inquam, ut fiat illa valde gravis et vere mirabilis, non dissolutio animæ et corporis, sed alia hac multo mirabilior multoque gloriosior, illa denique, cujus ista est typus, divisio videlicet animæ et spiritus. Hanc autem operari in nobis solet sicut testatur Apostolus, vivus ille Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus. Quid, quæso, uspiam creaturarum hac divisione mirabilius cernitur, ubi id quod essentialiter unum est atque individuum in seipsum scinditur, et quod simplex in se et sine partibus constat a seipso dividitur atque separatur? Neque enim in homine uno alia essentia est ejus spiritus, atque alia ejus est anima, sed prorsus una eademque simplicisque naturæ substantia. Non enim in hoc gemino vocabulo gemina substantia intelligitur ; sed, cum ad distinctionem ponitur gemina vis ejusdem essentiæ, una superior per spiritum, alia inferior per animam designatur. In hac itaque divisione, anima et quod animale est in imo remanet; spiritus autem et quod spirituale est ad summa evolat. Quod corpulentum atque fecalentum quasi corpus emortuum deficit, et recidit in se et sub seipsum ; quod subtile et defæcatum est quasi spiritus efflatus ascendit, et transcendit intra, et ultra semetipsum. O alta quies, o sublimis requies, ubi omne quod humanitus moveri solet motum omnem amittit, ubi omnis qui tunc est motus divinitus fit, et in Deum transit ! Hic ille Spiritus efflatus, et in manus Patris commendatus non, ut ille somniator Jacob, scala indiget, ut ad tertium, ne dicam ad primum, cœlum evolet. Quid, quæso, scala indigeat, quem Pater inter manus bajulat, ut ad tertii cœli secreta rapiat, intantum ut glorietur, et dicat : *Dextera tua suscepit me. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me?* (*Psal.* XVII.) Non ergo opus hic habet Spiritus

Digitized by Google

ille de medio sublatus officio scalæ, nec eget in illa subtilitatis suæ ascensione sustentari alicujus corporeæ similitudinis adumbratione, ubi videt facie ad faciem, non per speculum, et in ænigmate. Mentior si ipsi de seipsis non idem asserunt qui ejusmodi sunt : *Nos autem omnes*, inquiunt, *revelata facie, gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor.* III). Vides certe quid agat, et intelligis, ut arbitror, quid valeat illa divisio animæ et spiritus, de qua superius jam diximus. Spiritus ab infimis dividitur ut ad summa sublimetur. Spiritus ab anima scinditur ut Domino uniatur. Qui enim adhæret Domino, unus spiritus est. Felix divisio, et exspectabilis separatio, ubi quod passibile, quod corruptibile dignoscitur, suis interim passionibus moritur, usque adeo ut nihil passibilitatis, nihil corruptibilitatis interim sentiatur; ubi et illud quod spirituale, quod subtile, usque ad speculationem divinæ gloriæ sublimatur, et in eamdem imaginem transformatur. Pars igitur inferior componitur ad summam pacem et tranquillitatem, pars autem superior sublimatur ad gloriam et jucunditatem. Sic faciem Moysi (superiorem sane corporis partem) a consortio Domini glorificatam agnovimus, ita ut non possent filii Israel intendere vultum ejus propter claritatem ipsius. Quis, quæso, digne dicere, quis explicare, sufficiat quid perfectionis in excessus sui glorificatione spiritus acquirat, quamvis peregrinationis suæ protelationem usque in diem tertium non extendat, etiamsi silentii moram usque ad dimidiam horam non producat, licet eat et redeat in similitudinem fulguris coruscantis ? Sic Moyses de consortio divini colloquii, cum clarificato vultu etiam cornua reportat, ostendens quid virtutis, quid fortitudinis de ejus contubernio contraxerit, qui dat virtutem et fortitudinem plebi suæ benedictus Deus. Redit ergo tandem, et revertitur ad se spiritus ille qui longe excesserat supra se, et quod passibile et corruptibile posuerat, quasi impassibile et incorruptibile ad prioris status comparationem resumit, et in novitatem vitæ resurgit. Quid tibi videtur ad illatam injuriam hilarescere, ad objectam contumeliam non erubescere, de tribulatione gaudere ? nonne hoc est in novitate vitæ ambulare, et secundum aliquem modum seipsum impassibilem ostendere, et suis passionibus non subjacere ? Ecce quousque proficiunt qui in hoc lapide requiescunt. Multa sunt quæ de hac materia dici potuissent, si hoc loco dici debuissent et moderatæ digressionis mensuram non excederent. Puto enim hoc novissimum genus lapidum omnium esse dignissimum atque pretiosissimum. Nullum tamen debemus spernere, sed singulos saltem de singulis quærere, et in unum congregare.

Notandum sane hoc esse primum opus, quod in terra promissionis fieri præcipitur, ut divinorum operum æternum memoriale primo omnium constituatur. Sine hoc enim lapidum cumulo, Dominica illa æternæ hæreditatis promissio nunquam fortiter acquiritur, nunquam secure possidetur. Qui enim beneficiorum divinitus perceptorum obliviscitur, ad majora obtinenda promoveri non meretur.

DE STATU INTERIORIS HOMINIS.

PROLOGUS.

Sero quidem misi quod petenti promisi. Sed necessitatis, non voluntatis, vir amantissime, fuit quod prius non feci quod prius quidem volui, sed multis occasionibus intercurrentibus, propositumque præpedientibus jussionem tuam explere non potui. Unum quod mihi post tam multam promissionis meæ procrastinationem videbatur superesse, statui diuturnæ dilationis dispendia, saltem uberiore debiti fenore recompensare. Inter hæc, amice, amici animum libeat perpendere : cui dulce fuit dulcis amici obsequiis diutius inhærere, et, ut suus labor illius voluntati (non audeo dicere utilitati) diutius militaret, compendiosum opus ex industria in longum protrahere. Sumpta igitur occasione scribendi, seu etiam regula dicendi ex illis Isaiæ verbis, quæ meo tibi munere exponi postulasti, quædam de interioris hominis statu diffusius digessi. Deambulantis itaque, non itinerantis more brevis itineris compendia multiplici evagatione protraxi, non locorum amœna, sed verborum profunda, sententiarumque sublimia curiosa otiositate, et otiosa curiositate perlustrans simul et admirans. Quis enim merito non miretur vetustatis nostræ statum, sub tam compendiosa verborum brevitate plene comprehensum ? Perpendite, obsecro, quam congruo ordine, quam miranda ratione prius vitia, postea peccata mystice describantur, ubi et remediorum contemptus adnectitur, in quibus tribus totius spiritualis corruptionis summa comprehenditur. Triplex vitium, triplex peccatum, triplex remedium : impotentia, ignorantia, concupiscentia. Tria hæc interioris hominis sunt vitia, quæ, cum consensum alliciunt, transeunt in peccata. Secundum hoc itaque triplex genus vitiorum est, et triplex genus peccatorum. Alia namque sunt peccata quæ per infirmitatem, alia quæ per errorem contrahimus, alia vero quæ ex sola perversa voluntate ultro committimus. Triplex remedium intelligimus in divinis institutionibus, in divinis comminationibus, in divinis promissionibus.

Digitized by Google

Hæc itaque novem in paucis Isaiæ verbis hoc eodem ordine, sub summa brevitate comprehenduntur, et miranda ratione ex mystica descriptione designantur, quæ suis in locis plenius exponentur. Vere aliquid magnum, vere aliquid profundum, imo et saluberrimum esse debuit, quod ex ore Dei sonuit, quod de divino oraculo manavit. Si contemnitur A humana, nunquid saltem parvipendenda est doctrina divina? Cum vero mea legeris, multaque reprehendenda inveneris, facile mihi apud te veniam impetrabis. Nam, si insipiens factus sum, tu me coegisti. Da veniam, lector; non ego docere præsumpsi, sed petenti amico satisfacere volui.

TRACTATUS PRIMUS.

De statu interioris hominis post lapsum.

CAPUT PRIMUM.

Omne caput languidum, et omne cor mœrens a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus et livor, et plaga tumens, non est circumligata nec curata medicamine, neque fota oleo (*Isa.* v). Novit Dominus figmentum suum, nec latere potest summum medicum multiplicitas, seu magnitudo morborum. Ecce describit tibi modum, et magnitudinem morbi, ut scias quid debeas plangere, quid procurare, unde ipsi supplicare. Omne, inquit, caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Ecce mala innata, audi adhuc et alia: vulnus et livor et plaga tumens. Ecce mala illata; ecce qualia, ecce quanta. Alia innascuntur, alia infliguntur. Alia sunt quæ patimur intrinsecus, alia sunt quæ offendimus extrinsecus. Illa generantur ex corruptione propria, ista inferuntur sæpe ex insectatione aliena. Languor, mœror, infirmitas ab intus prodeunt; vulnus, livor, plaga tumens de foris adveniunt. Ad cumulum autem malorum sequitur contemptus remediorum, in quo vere est desperatio ægrotorum. Non est, inquit, circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Ecce quantis malis premimur, ecce qualibus incommodis quotidie urgemur. Disce, homo, etsi ab homine dedignaris, disce saltem ab eo qui docet hominem scientiam; disce, inquam, et dole, et defle tantam molestiam, talemque miseriam. Attende et cognosce magnitudinem morbi, ut anxius concupiscas, attentius requiras, ardentius diligas remedia medici. Vide ergo quomodo secundum qualitatem hominis exterioris describitur tibi status hominis interioris, ut per mala exteriora, quæ, qualia, vel quanta sint non ignoras, discas quid de interioribus timere debeas. Quis enim non videat hoc ad litteram omnino stare non posse? Nunquid aliquando visum, vel auditum est omnium capita languere, vel omnium hominum corda mœrere? Omne, inquit, caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Quædam hic membra hominis exterioris designantur ex nomine, ut cum caput, cor, pedem audimus nominare, ad ea quæ B oportet de interioribus nosse compellamur ex his ad interiora aliquam similitudinem contrahere.

CAPUT II.

De tribus principalibus in homine.

Scimus autem quia in humano corpore caput tenet summum locum, pes imum, cor medium et intimum. Caput liberum arbitrium, cor consilium, pes carnale desiderium. Caput toti corpori supereminet, et liberum arbitrium omni actioni præsidet. Cor medium et intimum locum tenet, et salubre consilium vix de occulto erui, et in secreto inveniri valet. Pes in imo jacet, et carnale desiderium per appetitum infimis inhæret. Liberum arbitrium præsidet omni actioni, imo est appetitui, quia etiam cum male egeris, cum jam foribus peccatum adfuerit, subter te tamen erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius. Quid est, erit subter te, nisi sub arbitrio tuo, eo quod quivis appetitus in actum non prodeat sine nutu spontaneo et consensu voluntario? Consilium quæritur in secreto, et eruitur ab intimo, eo quod sapientia trahitur de occulto. In imo jacet carnis concupiscentia, quandiu adhæserit pavimento anima mea, quandiu conglutinatus est in terra venter noster.

CAPUT III.

De dignitate liberi arbitrii.

Inter omnia creationis bona, nihil in homine sublimius, nihil dignius libero arbitrio, nihil utilius, nihil occultius salubri consilio, nihil inferius, nihil infirmius carnali desiderio. Quid, quæso, in homine sublimius, quid dignius inveniri potest, quam illud in quo ad imaginem Dei creatus est? Habet sane libertas arbitrii imaginem non solum æternitatis, sed et divinæ majestatis. Quantum putamus in hoc incommutabili æternitati præ cæteris omnibus liberum arbitrium vicinius accedit, ejusque in se imaginem expressius gerit, quod nulla unquam culpa, nulla demum miseria non dicam destrui, sed nec minui poterit? Vultis et majestatis similitudinem in ipsa perspicere, et quomodo ejus imagine impressa sit evidenter agnoscere? Deus superiorem non habet, nec habere potest, et liberum arbitrium dominium non patitur, nec pati potest, quia violentiam inferre ei nec Creatorem decet, nec creatura potest.

Digitized by Google

Totus infernus, totus mundus, totus denique militiæ cœlestis exercitus in unum concurrat, in hoc unum conjuret, unus ex libero arbitrio consensus in qualicunque re invito extorqueri non valet.

CAPUT IV.

De utilitate consilii.

Sed, sicut hac arbitrii libertate in homine nihil est excellentius, sic et prudenti consilio consultaque prudentia nihil salubrius. Beatus enim homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti et auri. Pretiosior est enim cunctis opibus, et omnia quæ desiderantur huic non valent comparari. Nihil autem hoc sapientiæ dono possidetur utilius, nihil invenitur difficilius. Est enim thesaurus absconditus in agro, quia, secundum quod dictum est, *Sapientia trahitur de occulto* (*Job* xxviii). Sed quod est hoc occultum, vel quem dicimus hunc esse agrum qui occultat hunc thesaurum? Sapientia enim ubi invenitur, et quis est locus intelligentiæ? Quæramus cum beato Job locum sapientiæ et intelligentiæ, et inveniemus eum cum Salomone : *Ego sapientia*, inquit, *habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus* (*Prov.* viii). Quæramus ergo eam quæ habitat consilio apud cor nostrum, quod jam diximus esse consilium. Omni ergo custodia custodi cor tuum, quisquis concupisces hunc tam desiderabilem thesaurum, ne si nolueris custodire, cogaris cum Propheta plangere et dicere : *Cor meum dereliquit me* (*Psal.* xxxix), dolens et deflens, quod interim non habeas ubi debeas thesaurum hunc quærere, vel ubi valeas invenire. Illos, ut arbitror, cor suum reliquerat, et omne eis consilium exciderat, quibus Dominus per increpationem dicebat : *Ephraim columba seducta non habens cor* (*Ose.* vii). Recte ergo ipsis dicitur : gens absque consilio et sine prudentia, utinam saperent et intelligerent et novissima providerent! Quanta ergo cautela cor custodiendum est in quo ille thesaurus invenitur, quo nihil ditius, nihil tutius possidetur! Si enim intraverit sapientia cor tuum secundum sapientis testimonium, et scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, prudentia servabit te.

CAPUT V.

De infirmitate carnalis desiderii.

Sed, sicut nihil utilius prudenti consilio, sic nihil inferius, nihil infirmius carnali desiderio, eo quod juxta pedis similitudinem infimum locum teneat, et per delectationem carnis terrenis inhæreat. Quid, quæso, infirmius, quid abjectius, quod nec illis quidem plene resistimus in quibus erubescimus? Quanta, quæso, vilitas, quantave infirmitas, mente quidem consentire legi Dei quia bona est : quotidie tamen videre aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem in lege peccati? Vides ex his adhuc quam recte intelligatur per caput liberum arbitrium, per cor consilium, per pedem carnale desiderium?

CAPUT VI.

De principatu liberi arbitrii.

A capite totum corpus regitur, a corde totum vivificatur, a pedibus totum circumfertur. Caput totum regit, et liberum arbitrium omnium quæ in homine sunt regimen et moderamen conditionis jure suscepit. Et, sicut ex his omnibus quæ extra hominem sunt nullum dominum patitur, sic et his omnibus quæ in ipso sunt libertatis suæ dignitate principatur. Siquidem et si aliquis motus in homine contra vel præter hominis voluntatem surgit, sicut nunquam ei nisi ex arbitrii libertate consentit, sic nunquam nisi ex ipsius permissione in actum prorumpit. Imperat sane persæpe motui corporis motus sensualitatis, imperat frequenter et animi affectus non solum sensibus, verum et appetitibus. Nihil tamen horum omnium ad conatus sui exit effectum, nisi ad liberi arbitrii nutum voluntariumque consensum. Principatur itaque omnibus liberi arbitrii ultroneus consensus ; quia, secundum sapientiæ documentum, excelso alius excelsior est, et super hos quoque eminentiores sunt alii, et insuper universæ terræ rex imperat servienti. Universæ itaque terræ rex iste imperat ; quia, cum per cætera omnia corporis membra motus omnis ei ad nutum deserviat, illud etiam quod solum ei pro voto non obtemperat, sed in magna sæpe contradictione rebellat, potest et præceps ab actu refrenare, et effrenatum gravi ultione percutere, et animositatis ejus audaciam forti castigatione frangere et emollire. Sic itaque nec ipsum ejus potestatem plene effugit quod ei impudenter contradicit, fortiterque resistit. Recte ergo, ut arbitror, capiti assimilatur, quod cæteris omnibus principatur.

CAPUT VII.

De virtute utilis consilii.

Sed idem ipsum corpus cor vivificat quod, ut dictum est, caput gubernat. Nam ut, secundum physicos, de his aliquid loquar, sicut sedem habet in capite spiritus animalis et in hepate spiritus naturalis, sic sedem sortitur in corde spiritus vitalis. Et, sicut per spiritum animalem corpus sensificatur et modificatur, et sicut per spiritum naturalem vegetatur, sic per spiritum vitalem vivificatur. Est itaque omnis sensus, omnisque motus voluntarius a spiritu animali, vegetatio autem a spiritu naturali, vita vero a spiritu vitali. Quod autem est corpus sine vita, hoc est opus sine intentione bona. Quælibet ergo actio, quamvis bona videatur, quasi mortua judicatur, nisi per consilium ad intentionem bonam animetur. Sicut vita a corde procedit, et se per omnia membra diffundit, sic et intentio bona de consilio surgit, et virtutum opera ad meriti vegetationem animare consuevit. Recte igitur per Sapientem præcipitur : *Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit* (*Prov.* iv). Vita ex ipso procedit quando per consilium intentio depravata corrigitur. Nam mors potius quam vita ex ipso procedit, quando ex consilio intentio bona de-

Digitized by Google

pravatur. Quid enim juvat bonorum operum prolem gignere, et eam per intentionis depravationem necare? Et quale, quæso, erit si liberorum nostrorum interfectores conscientia propria nos esse convincit? Alii in ipso proposito ex mala intentione opera sua corrumpunt, alii post exercitia virtutum ad oblationem vanæ laudis a pristina intentione inanescunt. Quid illi nisi abortivos fetus faciunt, isti quasi jam natos seu etiam adultos occidunt? Nonne melius est non gignere, quam abortivum facere, satisque utilius prolem non parere, quam vel dormiendo opprimere, vel ex consilio necare? Nonne melius est ut vadam absque liberis quam immolare filios meos et filias meas dæmoniis? Nonne multo felicior est sterilis et quæ non parit, quam filiorum suorum necatores sine misericordia, et comestores viscerum hominum, et devoratores sanguinis, et auctores parentes animarum inauxiliatarum? (*Sap.* XII.) Memento semper quia etsi in tuo arbitrio sit viventes occidere, non tamen et æque in tua potestate est mortuos resuscitare. Solus ille hoc potest qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Sane ad præceptum Domini, vaticinante Filio hominis, ad ossa quæ arida in agro inventa sunt ingressus est spiritus in ea, et vixerunt. Quid, quæso, intelligitur per ossa arida, ossa sine anima, et mortua, nisi fortia opera sine intentione bona, et ob hoc virtutum merito vacua, mercedisque retributione frustrata? Verumtamen quæ ejusmodi sunt ad Domini jussum spiritum accipiunt, et reviviscunt, et ad inspirationis ejus gratiam intentione correcta in spem æternæ retributionis revirescunt. Sed quia intentio ex consilio accipit ut recta et bona sit, quasi de corde spiritus procedit, quia ad corporis vivificationem exiens per omnia se virtutum membra diffundit. Recte ergo, ut arbitror, per cor consilium designatur cujus similitudinem imitatur.

CAPUT VIII.

De inquietudine carnalis desiderii.

Sed et illud quod de pedibus diximus, quam carnali desiderio juxta affectum vel appetitum aptetur, facile ostendimus. Sicut enim a pedibus corpus circumfertur, sic a carnali desiderio animus exagitatur atque circumducitur. Dum enim animus carnali desiderio illectus, et abstractus, nunc affectum suum, nunc appetitum sequitur, nunquam quietus, nusquam tranquillus esse permittitur. Quandiu enim vivit vagus et profugus super terram, quotidie currit post concupiscentias suas, repletusque multis miseriis nunquam in eodem statu permanet, dum semper nititur vel apprehendere quod concupiscit, vel effugere quod odit.

CAPUT IX.

De inquietudine humani affectus.

Quis, quæso, digne exponere possit quot modis se affectus humanus variare consuevit? Multis modis se variat, et juxta unamquamque variationis suæ alternationem per multa, et pene per innumera impetum suum relaxat, de uno semper in aliud tendens, et unum post aliud fastidiens, et ad id quod prius despexerat majori sæpe aviditate revertens. Hinc est quod per Salomonem dicitur: *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, et in circulos suos revertitur* (*Eccle.* I). Recte sane lustrando universa in circuitu pergere dicitur spiritus, quia, uti jam dictum est, per diversa rapitur, et multiformiter variatur cordis affectus. Nam quoniam nusquam sufficientem delectationem invenit, de uno semper in aliud tendit. Nunc hoc, nunc illud amat; nunc hoc, nunc istud desiderat; et quæ prius amaverat, iterum despicit, et diu multumque desiderata iterum fastidit. Sed sæpe post fastidium ad abjectas concupiscentias suas avidior redit, et in hunc modum in circuitu pergit, et cursum suum in circulum flectit. Sic amor, sic tumor, sic spes, vel dolor, sic cæterorum quilibet affectus per diversa ducitur, multipliciterque variatur. Sed per omnes affectionum suarum motus, monitionumque modos animus semper in circulos suos revertitur, dum circa eamdem rem vel similem iterum eodem modo afficitur. Nec illud adeo mirum quod spiritus concitatus, et in unam quamlibet partem impulsus per diversa rapitur, et per varia oblectamenta ad satianda desideria fertur, et quasi universam superficiem terræ lustrando ad consuetas atque antiquas delectationes iterum revertitur. Sed illud valde mirabile, dignumque admiratione quod contrariis sæpe et subito flatibus actus, nunc in istam, nunc in oppositam partem agitur, ita ut quod prius ardenter amaverat, insatiabili postmodum odio persequatur. Est autem hoc elementum quod spiritum, vel aerem nominamus præ cæteris omnibus elementis mutabilius, variisque subjacens passionibus. In momento, in ictu oculi incalescit, et iterum eadem facilitate refrigescit, intantum ut ab uno ore et pene sub eodem tempore vel tenuiter exhalatus vel fortiter impulsus, nunc calidus exeat, nunc frigidus prorumpat. Sic spiritus ille spiritualis affectusque passibilis facile afficitur, levique permutatione in contrarias passiones mutatur. Quis nescit quomodo homo ad tenuem spirantis favoris auram totus statim inclinatur ad gratiam, et si ex eodem ore et sub eodem tempore ventus detractionis eruperit, statim affectum in alteram partem flectit, et in odium et in furorem vertit. Mirabile sane imo et miserabile, nobilem illam creaturam ad imaginem Dei creatam, et omni creaturæ prælatam ad modicum verbum, tenuemque flatum, ad linguæ sonitum aerisque ictum, a rectitudinis suæ statu quasi violenter excuti; moxque mirum in modum huc illucque raptari, et turbinis more in vertiginem agitari.

CAPUT X.

De inquietatione carnalis appetitus.

Sic sane et appetitus carnis semper in motu, semper in transitu est, et nunquam in eodem statu permanere potest. Accedit et recedit, crescit atque decrescit, et sic semper recedit atque decrescit ut iterum redeat et crescat; et sic semper redit et cro-

Digitized by Google

scit ut iterum recedat atque decrescat. Verumtamen non eodem discursu vel pari impulsu appetitus quo et affectus animum exagitat vel inquietat. Neque enim ad ventorum similitudinem quotidiana permutatione per multiplices discursus variatur, nec alternis vicibus in contraria contrariis flatibus agitatur, sed fluminis more impetus sui tractum sequitur, donec desiderii effectum consequatur. Non enim momentaneis alter nationibus consuetudinis suæ alveum commutat, ut succedentium desideriorum succedenter pœniteat etiam priusquam id quod concupierat apprehendat. Neque enim concupiscentiæ suæ cursum compescit, vel in contraria divertit, donec desiderium suum satiaverit, sicut affectus qui se variis qualitatibus per momenta singula induit, et impetus sui flatum sub uno sæpe momento in contraria flectit, dum amorem suum sub mira quandoque celeritate in odium vertit. Aliud est enim, varia oblectamenta quærere, et quasi de loco ad locum transire, et postquam satiatus fuerit, alia post alia fastidire, et quasi unum locum post alium deserere, et aliud est cursum suum in contraria flectere, et post pronos decursus in montana redire, quod nec aqua potest, nec appetitus solet facere. Currit tamen semper, et transit, et semper in idipsum redit, unde et Salomon dicit : *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur ut iterum fluant* (*Eccle.* I). Appetitus carnis est abyssus illa magna unde exeunt tot flumina, unde tot surgunt et tam infinita desideria. Videamus ergo locum unde hujusmodi flumina exeunt, locum quo currendo perveniunt. Videamus qua currunt, videamus qua recurrunt. Locus unde carnalis appetitus profluvium exit, necessitas; locus quo tendit, satietas; via qua transit, voluptas; via qua redit, cupiditas. Locus unde excurrit, est defectus nostri detrimentum; locus per quem decurrit, oblectamentum; locus ad quem percurrit, fastidium; locus per quem recurrit, desiderium. Post multum sane satietatis suæ fastidium, iterum ex magno concupiscentiæ suæ desiderio omnis appetitus ad locum suum, ut iterum fluat, revertitur, quia ad reparanda corporis sui detrimenta voluptatis suæ oblectamenta repetere eadem qua prius necessitate urgetur. Et, sicut omnis aquarum decursus in superficie terræ, et per visibiles meatus pertransit, et item per subterraneos invisibilesque meatus recurrit, sic omnis appetitus per invisibilem actionem desideriique expletionem paulatim expellitur, et iterum occulta quadam naturæ operatione, vegetationisque motibus ad insolitos consuetudinis suæ reflexus revocatur? Quale, quæso, et quam miserum est sub hac vertigine semper agi, et hac tantæ inquietationis exagitatione semper involvi? Quam expetenda, imo quam detestanda sunt illa desideriorum nostrorum oblectamenta quæ semper et ex defectu generantur, et in fastidium vertuntur. Sed cur nos dicimus ea in fastidium desinere quæ constat semper, Scriptura id attestante, in amaritudine cursum suum terminare? *Omnia flumina*, ait Scriptura, *intrant in mare et mare non redundat* (*ibid.*). Scimus quia flumina dulcem faciunt aquam, sicut maria amaram. Quid igitur est flumina intrare in mare nisi omnem delectationem carnalem terminari in amaritudine? Omne ergo flumen mare intrat, quia extrema gaudii luctus occupat. Omnis dulcis in mare decidens in amaram vertitur, quandoquidem risus dolore miscebitur. Omnia flumina in mare feruntur, et omnis aqua dulcis in amaram mutatur, quia oblectamentum, ut dictum est, in fastidium vertitur, et omnis delectatio carnis in amaritudine terminatur. Quia enim humana pravitas bonis suis bene uti nescit vel contemnit, superna justitia hoc cuique postmodum in flagellum vertit, unde prius injuste delectando deliquit. Sed flumina in mare intrant, et mare non redundat, quia in omni afflictione nostra, quia in omni percussione sua, divina æquitas modum servat, quia in omni eo quod nos ad ultionem vel ad correctionem percutit, justitiæ metas non excedit. Mare ergo non redundat, quia malitiæ nostræ meritum miseriæ nostræ quantitas non exsuperat. Ex his itaque perpendere licet quomodo nos illi concupiscentiæ pedes, de quibus jam dictum est, seu per affectum, seu per appetitum distrahunt, vel quo fine discursus sui extrema concludunt.

CAPUT XI.

De triplici incommodo hominis.

Sed quia satis jam dictum esse credimus quid de capite, corde, vel pede sentiamus, videamus nunc quid de hujusmodi interioris hominis membris ex divino documento sentire debeamus : *Omne*, inquit, *caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* (*Isai.* I). Caput languet, cor mœret, pes cum toto corpore dolet, quia a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Caput, ut dictum est, liberum arbitrium, cor consilium, pes carnale desiderium. Caput ergo languet, quia liberum arbitrium ad omne bonum torpet. Cor mœret, quia malum quod patitur, consilium sicut nec ignorare, sic nec dissimulare valet. Pes cum toto corpore dolet, quia concupiscentiæ malum undique fervet. Capitis languorem ostendere nobis voluit, qui dixit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Quid languidius eo quod ad quodlibet bonum per se, et quantumlibet minimum minime potest convalescere? Non enim est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Cor mœret, nam et hoc ipsum consilium docet, quia melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii; profecto homo quanto proficit ad consilium, tanto amplius crescit et ad luctum, eo quod *in multa sapientia multa sit indignatio*; et qui apponit scientiam, apponit et dolorem. Quanto enim quisque per consilium melius agnoscit malum quod mœretur, tanto vehementius suis pravitatibus indignatur, et quanto perfectius perspexerit malum quod patitur, tanto acriori doloris stimulo urgetur. Pes cum toto

Digitized by Google

corpore dolet, quia dolorem in singulis membris propria infirmitas extorquet. A planta enim pedis usque ad verticem, ut dictum est, non est in eo sanitas. Quia ergo infirmitas totum possidet, quid mirum si undique dolet : *Non est*, inquit Propheta, *sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum* (*Psal.* XXXVII). Quanta attritio, obsecro, ubi nec caro sanitatem, nec ossa possunt habere pacem? Sic et Job percussus est ulcere pessimo, ita ut a planta pedis usque ad verticem non esset in eo sanitas. Quis, quæso, de corporis sui sanitate glorietur, quando et prophetarum præcipuus de sua infirmitate conqueritur, et vir ille cui non erat similis super terram ulcere pessimo percutitur? Unusquisque enim tentatur a propria concupiscentia abstractus et illectus. Tentatio est vita hominis super terram. In capite itaque languor, in corde mœror, in toto corpore dolor. Omne enim caput languidum, et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Consideremus itaque, si placet, tria ista quæ posuit, languorem, mœrorem sanitatisque privationem : languor est infirmitas perseverans, totumque corpus enervans. Mœror est dolor intus acrius sæviens, et per lacrymas foras erumpens. Sanitas est integritas naturalis complexionis, humorumque omnium commensuratio proportionalis. Infirmitas autem nihil aliud est nisi sanitatis privatio, integritatisque corruptio.

CAPUT XII.

De infirmitate liberi arbitrii.

Vide ergo quanta vel qualis hujus capitis infirmitas sit, quam languori comparavit. Cum enim, ut dictum est, languor sit infirmitas perseverans, totumque corpus enervans, cur caput languidum dicit, nisi quia ejus defectus totum opprimit, et usque in finem vitæ ad plenum curari non possit? Quam recte languidum dicitur quod per seipsum nunquam ad qualecunque bonum movetur? Quid enim boni faciat ex seipso, quando nec dicere potest Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto? Et quidem movetur sæpe ad bonum, nunquam tamen nisi per Spiritum sanctum. Audistis quam late infirmitas ista se expandat, quæ totum occupat, totumque enervat. Vultis et illud audire, quandiu oporteat sub hoc languore tabescere, maledictionisque sententiam sustinere? *Donec revertaris*, inquit, *in terram de qua sumptus es* (*Gen.* III). Sed quomodo, inquis, conveniunt tanta libertas cum tanta infirmitate, vel tanta infirmitas cum tanta libertate? Profecto aliud est esse liberum, aliud est esse robustum, et liber et infirmus esse potes, sicut econtra, et sanus et servus esse potes. Qui sanus et robustus est, multa et magna facere potest. Sed qui liber est, ad aliquid cogi nisi injuste non potest.

CAPUT XIII.

Quid sit libertatis vel quid potestatis.

Non autem arbitrium hominis idcirco liberum dicimus, quia promptum habeat bonum vel malum facere, sed quia liberum habet bono vel malo non consentire. Posse quidem facere malum, est infirmitatis; posse facere bonum, est potestatis, neutrum autem libertatis. Libertatis vero est quod consensus ejus extorqueri vel cohiberi non potest. Potest enim consentire vel non consentire aspirationi divinæ, similiter et suggestioni diabolicæ. Utrumque quidem ex libertate, neutrum autem oportet ex necessitate. Aliud itaque est habere libertatem, et aliud est habere potestatem. Libertatis est quod ad aliquid volendum cogi non potest; privatio autem potestatis quod ad aliquid boni faciendum sufficiens non est. Potestatem itaque promerendi, peccando amittere potuit, libertatem vero arbitrii sicut nunquam non habuit, sic nunquam non habebit; quia nunquam, ut superius jam dictum est, qualicunque peccato vel pœna amitti vel minui poterit. Amisit itaque potestatem, non libertatem. Sed qualem, inquis, potestatem? Audi qualem accepit, et intelliges qualem amisit. *Omnia*, inquit, *subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres cœli et pisces maris, qui perambulant semitas maris* (*Psal.* VIII). Vultis autem nosse quomodo sit hæc sententia in contrarium versa, qualiterque indulta potestas sublata? Attende quomodo ab his modo premitur quibus antea præponebatur : *Devorabunt eos*, inquit, *aves morsu amarissimo, dentes bestiarum immittam in eos cum furore trahentium super terram, atque serpentium* (*Deut.* XXXII).

CAPUT XIV.

De potestate liberi arbitrii ante peccatum.

Quære, obsecro, in microcosmo, nam et sic dictus est homo; quære, inquam, in microcosmo, hoc est in minore mundo; quære in corde humano quid sit illud quod ad imaginem et similitudinem Dei formatur, quod aliis omnibus dignitatis suæ privilegio præfertur, cujus pedibus cætera omnia subjiciuntur, et invenies, ut arbitror, nihil aliud quam liberum rationalemque consensum de quo hoc rectius intelligatur. Hujusmodi namque consensus cur non recte dicatur ad imaginem, et similitudinem Dei factus, inquantum liber ad imaginem, inquantum rationalis ad similitudinem. Hic omnia sibi subjecta ante prævaricationem habuit, et omnino in sibi subjectis nihil contradictionis invenit, quandiu se superiori sponte subjecit, sed debitam obedientiam quam suo superiori exhibuit ab inferioribus accepit. Nihil quod in homine erat ejus imperio contradicebat. Omnia gubernabat, omnia disponebat, omnibus imperabat. Nihil movebatur contra ejus voluntatem, nihil præter ejus voluntatem. Omnis motus corporeus, omnis sensus, omnis appetitus, omnis affectus, omnis cogitatus ad ejus nutum movebatur, dirigebatur, refrenabatur, reprimebatur. O quam sublimis potestas! O quam potens sublimitas, imperare bestiis terræ, volucres cœli et pisces maris sub potestate habere! O dignitas sublimitatis! O sublimitas potestatis, tot volatus avium, tot discursus bestiarum, tot natatus piscium, in tot studiis,

Digitized by Google

tot exercitiis, tot oblectamentis sublimium, investigationum, multiplicium affectionum, variarum voluptatum, sub arbitrii sui jure possidere, et pro voluntate disponere, et ad imperii sui nutum inclinare!

CAPUT XV.

De privatione primæ potestatis.

Sed jam prævaricator hunc tantæ obedientiæ famulatum amisit, quia debitæ servitutis reverentiam suo Creatori exhibere contempsit. Nam, accipiens armaturam zelus Creatoris armavit creaturam in ultionem inimicorum, et pugnat pro illo orbis terrarum contra insensatos. jam leo rugiens circuit quærens quem devoret, et catuli leonum rugientes ut rapiant, sævit draco cum furore trahentium super terram, atque serpentium. Vultis nosse quomodo nunc prævaricatorem ex prævaricationis suæ merito, juxta verbum Domini, devorent aves morsu amarissimo? *Cogitationes meæ*, inquit, *dissipatæ sunt torquentes cor meum* (*Job* XVII). Dentes bestiarum Propheta timebat, cum pro his Domino supplicabat : *Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam* (*Psal.* XXI). Sciebat sane, quia stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia, nec experto latere poterat quam timenda esset talium bestiarum sævitia : *Turbatus est*, inquit alibi, *a furore oculus meus* (*Psal.* VI). Sed mirum in modum, juxta humanæ industriæ usum, idem Propheta bestias domabat ad venationem, et edomitis bestiis indomitas venabatur ad mortem : *Rugiebam*, inquit, *gemitu cordis mei* (*Psal.* XXXVII). Ecce quomodo rugitus gementis suffocabat rugitum prius furentis. Ecce quid contradictionis, ecce quid rebellionis prævaricator invenit in regno quod prius pacatum et tranquillum possedit. Potestatem itaque pristinam perdere, acceptumque regnum amittere potuit, recuperare autem vel retinere nunquam poterit nisi ex ejus munere qui potens est suscitare de pulvere inopem, et de stercore erigere pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. Siquidem Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. Novit hoc qui dixit : Tua est potentia, tuum regnum, Domine. Novit et Propheta quod ipse sit dominator Dominus, et in manu ejus honor, et imperium, et cui voluerit dabit illud, et idcirco ei humiliter supplicat, ut suum sibi regnum restituat, cum dicat : *Da imperium puero tuo* (*Psal.* LXXXV).

CAPUT XVI.

De recuperatione primæ potestatis.

Hoc quotidie regnum paulatim et per partes in suis electis Rex regnum restituit, nunquam tamen in hac vita ad eam pacem vel securitatem quam ante peccatum homo in paradiso habuit, eo quod languor capitis ad plenum curari non possit, et liberum arbitrium primi status vigorem perfecte recuperare nequiverit. Itaque liberum hominis arbitrium, quod ex seipso nihil boni potest, incipit posse quando, quantum voluerit ille qui omnia potest. Quæ enim impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Incipit ergo posse ex divino adjutorio quod non potest de seipso, et quod jam non potest per naturam, accipit bonum posse per gratiam. Quotidie crescit ad bonum, quotidie roboratur contra malum. Crescit ad bonum, ita ut jam in potestate consistens, et habens sub se milites, possit dicere huic : Vade, et vadit; et alii : Veni, et venit; et servo suo : Fac hoc, et facit. Roboratur et æque contra malum, ita ut jam non regnet peccatum in hoc mortali corpore, sæpe autem a Deo, ut jam sibi illud dictum, credat. Absque imperio tuo non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Et quantum hoc esse putamus omnes rebelles animæ motus posse reprimere, et ab actu cohibere, quamvis necdum possit omnes perfecte delere, et regnum suum ad plenam pacem reformare? Quamvis itaque non possit omnes pacis adversarios exstinguere, nec omnium manus, vel pedes truncare, magnum tamen erit, si nulli liceat sine ejus imperio manum, vel pedem movere, et potest qui hujusmodi est veraciter psallere : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Psal.* II). Itaque liber ille arbitrii consensus totius terræ, tot cogitationum, tot affectionum, appetituum, sensuum, imperator et Dominus, non potest interim omnia scandala de regno suo auferre, nec plenam perpetuamque pacem poterit firmare. Sed cum venerit quod perfectum est, et evacuabitur quod ex parte est, cum novissima destruetur mors in victoriam, tunc procul dubio supra modum multiplicabitur ejus imperium, et pacis ejus non erit finis. Tunc demum dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, in diebus illis salvabitur Juda, et Israel habitabit confidenter, eo quod non sit qui exterreat.

CAPUT XVII.

De perturbatione internæ pacis et conflictatione virtutum cum vitiis.

Sed quandiu caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, non potest rex ille qui et spiritualibus et carnalibus concupiscentiis præsidere et præcipere debet, invenire plenam pacem perpetuamque securitatem. Hinc est quod ille princeps populorum (liber videlicet animi consensus) invenit in regno suo tot contradictiones, tot rebelliones, tot conflictationes, tot disceptationes, secundum quod cogitationes cogitationibus contradicunt, et affectiones affectionibus resiliunt, et contrarii motus contrariis motibus occurrunt, et surgit gens contra gentem, et regnum adversus regnum, et insurgunt sæpe boni contra malos, dividuntur contra semetipsos, et facit Dominus concurrere Ægyptios adversus Ægyptios : imo, quod his omnibus est mirabilius, boni insurgunt contra bonos, et pugnat vir adversus fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, et regnum adversus regnum, et unusquisque carnem

Digitized by Google

brachii sui vorabit, Ephraim Manassen, et Manasses Ephraim, simul ipsi contra Judam.

CAPUT XVIII.

Quomodo vitium vitio resistat.

Quis nesciat quam gravis sæpe contentio et quam longa fiat disceptatio inter avaritiam et gulam, non dicam de talento, sed de uno solo nummo, cum quod una vult expendi, altera præcipit reservari. Sic sæpe superbia luxuriæ adversatur, et una ab altera vehementer infestatur, et multoties malum luxuriæ compescitur, ut mens elata habeat unde glorietur. Quam multa sunt quæ prohibet tenacia, quæ tamen præcipit, et prævalet vana gloria. Et in his omnibus dividitur regnum adversus semetipsum. Quis tamen ignorat quam sæpe hoc fiat, ut cum superbiæ superbia obviat, ut una alteri cedat, etiam hoc ipsum quod superbia vincitur, superbiæ militare convincitur? Sic sæpe superbiæ exuvias abjicimus, et de humili habitu amplius intumescimus. Sic honoris sublimitas contemnitur, ut de honoris contemptu quanto occultius, tanto altius sublimemur. Sed cum videris in hunc modum Ægyptios adversus Ægyptios concurrere, noli mirari, neque timere, sed scito quia prope est desolatio ejus. Omne enim regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. Cum ergo audieritis prælia, et seditiones, et opiniones bellorum, nolite terreri. Nam ille manu fortis qui de cœlo venit, rex fortis et potens in prælio, non venit pacem mittere in terram, sed gladium. Venit enim separare patrem adversus filium, et filium adversus patrem suum : et juste quidem, eo quod bonus pater gignat sæpe malum filium, et filius bonus multoties habeat patrem malum. Cum enim mens de turpi delectatione confunditur, et humiliatur, et de tali parente humilitas nascitur, recte talis proles adversus talem patrem separatur. Similiter, cum castitas superbiam gignit, recte prolem suam talis parens detestatur et odit, et se adversus eam dividit et juxta hunc modum pugnat sæpe vir adversus fratrem suum, et vir contra amicum, et inimici hominis domestici illius.

CAPUT XIX.

Quomodo virtus virtuti contradicat.

Sed ad hujus magnæ, et tantæ admirationis cumulum illud accedit, et nescio quid magni prodigii portendit, quod etiam contentio fit inter discipulos, et boni contendunt contra bonos, et fit magna contradictio, et vehemens disceptatio inter ipsos : et aliud sæpe loquitur justitia, et aliud loquitur misericordia, et quod dicitur ab una, contradicitur ab alia, et fit inter hujusmodi concives cœli contentio dura, et eamdem frequenter culpam quam jubet justitia puniri, misericordia mandat ignosci, nec patitur justitia sæpe, vel parum quid se a suo rigore relaxari, nec sustinet misericordia vel minimum quid a sua se lenitate deflecti. Sed imperat hæc ulcisci totum, illa nititur ad totum indulgendum, et unaquæque transgreditur possessionis suæ terminum, et molitur occupare alterius prædium, et contra instituta divinæ sanctionis, et contra regulam discretionis non sinunt sibi dividi terram in funiculo distributionis. Juxta hunc itaque modum dividuntur sæpe boni contra bonos, et insurgunt alii contra alios, et scinditur regnum Israel in duas partes, et concitant inter se sæpe prælia, et seditiones, et nunquam in hac vita, quocunque statu, quocunque profectu invenitur firma pax, aut plena requies. Sed unde, quæso, ista in corde humano multiformis altercatio, et infinita contentio, nisi de languore capitis, et defectu nativæ virtutis, et privatione antiquæ potestatis? Manet enim usque hodie omne caput languidum, et quamvis arbitrium hominis vere sit liberum, perseverat tamen infirmum, nec potest curari ad plenum, donec mortale hoc induerit immortalitatem, et corruptibile hoc induerit incorruptionem. Quomodo enim non habet interior ille homo noster caput languidum, quod per seipsum nunquam vel erigit ad modicum, vel modicum sustinet etiam cum fuerit divinæ opitulationis manu sublevatum? Nunquam enim ad bonum, nisi aliena manu, erigitur, et absque mora ad se, seu etiam sub seipsum relabitur, cum sublevantis manus subtrahitur.

CAPUT XX.

De gratia et natura.

Sed nunquid, inquis, potuit homo aliquid boni de seipso etiam ante peccatum, et cum adhuc esset in paradiso? Quid enim habuit quod non accepit? Nihil sane habuit quod ab alio non acceperit, et nihil omnino potuit nisi ex eo et secundum id quod accepit. Sed alia potuit ex natura, et alia potuit ex gratia. Alia namque bona naturæ, et alia sunt dona gratiæ. Verumtamen et hæc, et illa constat esse ex gratia : nam ex gratia utique est ipsa natura. Prima itaque bona ex gratia prævenienti. Secunda autem bona ex gratia subsequenti. Recte ergo et prævenies, et subsequens potest dici gratia; sed illa prima, ista secunda. Sed consuetudo habet commune nomen uni specialiter attribuere, et ejus significationem circa unius tantum designationem refringere, et secundum gratiam ex usu, gratiam vocare. Nam primam gratiam vocamus potius naturam quam gratiam. Cum ergo dicimus hominem ante peccatum aliquid boni potuisse per seipsum, nihil aliud dicimus quam potuisse per naturale bonum. Sic cum negamus eum aliquid boni posse ex seipso, subintelligimus eum jam nil boni posse ex solo naturali bono. Sed nunquid dicemus eum nil boni potuisse ex natura (hoc est prima gratia) antequam natura esset corrupta? Sed si aliquid boni potuisset, ex ipsa conditionis suæ natura accepit, hoc est quod peccando amisit. Amisit itaque potestatem, non autem libertatem. Nam bonum posse, est vere posse, sicut cogi non posse, est vere liberum esse. Si enim ad bonum seu ad malum ab alio cogi posset, jam omnino liber non esset; et si bonum facere vel malum declinare posset, non solum

Digitized by Google

liber, sed et potens esset. Sed si etiam eum ante peccatum aliquid boni sine adjuncta gratia potuisse negamus, tamen non mediocrem faciendi boni possibilitatem peccando amisisse negare non possumus. Quod enim per gratiam potuit, vere potuit; et quod magna per gratiam potuit, magna possibilitas fuit.

CAPUT XXI.

De integritate gratiæ ante peccatum.

Attende ergo qualem gratiam accepit, et quantum per illam potuit, et tunc intelliges quid potestatis amisit. Sane absque dubio, et sine omni contradictione sufficientem gratiam habuit ante peccatum, non ad omne bonum faciendum, sed ad omne debitum solvendum, et ad omne malum cavendum. Quanta, quæso, hæc potestas ad bonum, et contra malum fuit quam ex cooperante gratia habuit? Quis glorietur se hanc possibilitatis integritatem recuperasse, vel præsumat se posse in hac vita recuperare? Quis, inquam, glorietur se vel totum fecisse quod oportuit, vel totum non fecisse quod non licuit? Quando, quæso, poterit homo omne debitum solvere qui, secundum sententiam Job, non potest respondere unum pro mille? Sed et illud scimus, quia in multis offendimus omnes, et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Gratiam itaque (sed gratis) recuperare potest, et in recuperata gratia quotidie crescere potest. Verumtamen primæ possibilitatis integritatem recuperare non potest. Et si majorem gratiam juxta aliquid recuperare possit, integrans tamen in hac vita habere non poterit. Puer semel truncatus majus corpus habere potest, integrum autem omnino habere non potest : gratiam sane integram veraciter tunc haberet, si ad omne debitum solvendum, et omne illicitum cavendum sibi sufficeret : *Sed*, secundum Salomonis scientiam, *non est justus in terra, et qui non peccet* (*Eccle.* VII). Integram itaque gratiam recuperare non potest, nec ad primæ possibilitatis integritatem post corruptionis suæ malum proficere potest, eo quod caput languidum sit, et infirmitas ejus plenam curationem non recipit.

CAPUT XXII.

De stabilitate gratiæ ante peccatum.

Huc accedit quod gratia quam homo semel accepit ante peccatum, juste subtrahi non potuit. Quam etsi præter meritum acceperat, sine culpa tamen amittere non debebat. Nunc autem omni hora potest juste subtrahi, quia nunquam potest homo sine culpa inveniri. Et, sicut non potest per se semel amissam recuperare, sic quidem gratis recuperatam non potest nisi ex aliena tutela custodire. Vide ergo quantum sit inter primum statum et secundum, inter illum videlicet qui fuit ante peccatum, et hunc qui est post hominis lapsum. Primo habuit gratiam integram et stabilem, nunc autem nec integram nec stabilem. In futura autem vita (postquam absorpta fuerit mors in victoria) habebit non solum stabilem, sed etiam immobilem. Stabilem enim ante peccatum gratiam habuit, quia semel acceptam semper servare potuit. Sed quod immobilem non habuerit, patet ex eo quod eam postmodum amisit. Sed tunc eam immobiliter possidebit, cum eam ulterius amittere non poterit. Nunc autem quandiu in corpore peccati mortaliter vivimus, non dicam immobilem, sed nec stabilem habere possumus. Sæpe negligentibus et torpentibus nobis ultro offertur, et sæpe multis et magnis conatibus nostris subito et inopinate subtrahitur. Quandiu ergo gratiam amissam ad antiquam integritatem vel stabilitatem reparare non possumus, virtutem mentis ad primi vigoris firmitatem non reparamus, et acceptam primæ possibilitatis potestatem in bono ex integro non recuperamus, et languorem capitis in qualicunque virtutum profectu ex magna parte necessario sustinemus. Manet itaque infirmitas cum libertate, et libertas cum infirmitate, intantum ut neutra præjudicet alteri, nec infirmitas libertati, nec libertas infirmitati; quia, nec infirmitas minuit libertatem, nec libertas aufert infirmitatem. Cum igitur legis vel audis liberum arbitrium esse captivum, nihil aliud intellige quam infirmum, et nativæ possibilitatis virtute privatum, quod admonere nos voluit qui hoc designat per caput languidum. Alioqui contrariis assertionibus sibi ipsis contradicunt et seipsos convincunt, qui hominis arbitrium et liberum vocant, et captivum affirmant. Sed forte qui captivum dicunt, pro parte hoc intelligi volunt, eo quod ex parte sit liberum, et ex parte captivum. Sed quis nesciat quia, si mille dominos haberem, et uno solo adhuc premente, cæteris omnibus libertate donarer (utpote qui adhuc Dominum haberem), liber utique recte dici non possem. Constat itaque quod hominis arbitrium liberum dici non possit, si vel ex parte libertatem amisit.

CAPUT XXIII.

De tribus gradibus libertatis, et quod summam libertatem habeat homo.

Sed si diligenter attendimus, puto quia inveniemus hominem non modom libertate non carere, sed magnam (imo summam) libertatem possidere. Primus siquidem libertatis gradus est nulli coactioni subjacere. Secundus autem nulli subjici debere. Tertius vero (et ipse summus) nulli penitus subjici posse. Quomodo ergo arbitrium hominis vere (imo summe) liberum non est, quod sua libertate nulla vi, nulla potestate privari potest. Nam hoc, nec creatura valet, nec Creatorem decet. Sed quomodo vel Creator hoc potest qui nihil quod non decet facere potest? Si igitur nulla violentia arbitrium potest sua privare libertate, constat illud summam libertatem habere. Nihilominus tamen, ut superius monstratum est, voluntas voluntati contradicit, et voluntas voluntati resistit, et alia ab alia impugnatur, et nunc hæc, nunc illa captivatur. Sed in hujus congressionis certamine, sicut voluntas est quæ oppugnat et voluntas quæ oppugnatur, sic voluntas est quæ

Digitized by Google

superat et voluntas quæ superatur. Sed in his omnibus manet libertatis integritas quia semper triumphat voluntas. Hæc itaque arbitrii libertas nec in bonis major, nec in malis est minor, quæ nec per peccatum minuitur, nec per meritum augetur. Quæ enim in omnibus summum gradum obtinet, sicut nec crescere, sic nec decrescere habet. Sed, sicut est miranda arbitrii libertas ab alia cogi non posse, sic miseranda prorsus infirmitas in seipso ad omne bonum torpere. Quia igitur in homine illo interiori inter naturalia bona nihil hac libertate dignius, nihil sublimius invenitur, recte per caput designatur. Et quia, cum assignata infirmitate omnis homo vivit et moritur, congrue sane languori comparatur.

CAPUT XXIV.

De ignorantia boni et mali.

Omne, inquit, caput languidum, et omne cor mœrens. Et juste quidem; quandiu caput omne languet, omne etiam cor mœret. Dolor siquidem capitis est sufficiens causa doloris. Si igitur cor habemus, si omnino excordes non existimus, nisi omni consilio destituti simus, tantum malum dissimulare nec possumus, nec debemus. Si enim per cor, ut dictum est, consilium recte intelligi debet, qui hujusmodi cor habet, dolore carere non valet, quia malum quod in se videt, sine dolore non sustinet, imo quanto melius agnoscit, quanto consultius agit, tanto amplius plangit. Qui enim apponit scientiam, apponit et dolorem. Debet autem dolor noster et acrius nos urgere intus, et apparere exterius. Intus ad remedium, foris ad exemplum. Nam, uti jam dictum est, mœror est dolor intus acrius sæviens, et per lacrymas foras erumpens. Si ergo columba seducta et non habens cor omnino non sumus, si absque consilio et sine prudentia non existimus, probemus in opere quam vere dolemus in corde, et appareat exterius quid patiamur intrinsecus. Ut autem inde dicam quod sentio, in his verbis causam pro effectu positam existimo. In eo enim quod dicitur omne cor mœret, effectus ex causa, ut arbitror, tacite innuitur. Sed cum causam pro effectu positam invenimus, magis quid ex ipso sit, quam quid ipsum sit, quod ponitur per expositionem vel diffinitionem quærere debemus. Secundum hanc itaque considerationem, quid aliud est mœror, nisi lacrymarum effusio, visusque hebetatio? Assidua enim lacrymarum effusio aciem oculorum corrumpit, et citius caligare facit. Recte ergo dicitur, quia omne cor mœret, quia ad omne consilium rationis acumen habet. Hinc est illud Sapientis præceptum, vel documentum : *Noli inniti prudentiæ tuæ* (*Prov.* III). Ignorat enim homo quid conducat sibi in vita sua numero dierum peregrinationis suæ, et tempore quod velut umbra præterit. Nisi enim interior ille oculus caligaret, toties procul dubio in veritatis judicio minime erraret. Unde, quæso, contraria consilia tam sæpe, tamque diversæ sententiæ, non dicam de diversis, sed de uno eodemque corde, et pene sub eodem tempore? Unde, inquam, nisi de cordis caligine, et veritatis ambiguitate?

CAPUT XXV.

De gemino errore judicii.

Duobus autem modis in judicii nostri examine peccamus, dum adhuc frequenter sub tantæ ambiguitatis nubilo viam carpimus. Erramus enim modo in discernenda qualitate, modo in examinanda quantitate. Qui dicit bonum malum, vel malum bonum, in rerum qualitate errat; et qui dicit quod majus est esse minus, et quod minus est esse majus, in quantitate peccat. Qualitas operum profecto eos fefellerat, quos Propheta arguebat, cum diceret : *Væ qui dicitis bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum* (*Isa.* V). In quantitatis examinatione error ille esse deprehenditur, qui per Prophetam redarguitur, cum dicitur : *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum* (*Psal.* LXI). Ad hoc sane aliquid in statera appenditur, ut ejus quantitas non ignoretur. Sic auri, sic argenti pondus quærimus, ut eorum pretium recte æstimemus. Sed nemo in statera mendax esset, si nemo alium deciperet, si nemo ab alio deceptus fuisset, hinc est illud quod per sapientem dicitur : *Statera dolosa pondus, et pondus, utrumque abominabile Deo* (*Prov.* XX). Quo contra in lege præcipitur : *Sit justus modius, æquusque sextarius* (*Levit.* XIX). Hinc est quod filii Israel, cum promissam hæreditatem accipiunt inter se, illam in funiculo distributionis dividunt, ut unaquæque virtus in sua actione justæ æquitatis mensuram teneat, et recto discretionis metas minime excedat. Quis mihi inveniat hominem, qui nunquam erret in æstimatione qualitatis aut quantitatis, qui nunquam circumveniatur a negotio perambulante in tenebris? Optimus negotiator, qui in æstimanda rerum qualitate vel quantitate nunquam valeat falli, nunquam velit fallere. Sed quando hoc poterit homo involutus tenebris, habitans in regione umbræ mortis? Impossibile sane est hoc omni homini, quandiu tenebræ sunt super faciem abyssi, donec ille, qui dixit de tenebris lumen splendescere, emittens lucem suam, et veritatem suam, incipiat lucem a tenebris dividere, et fiat vespere, et mane. Emissa namque et accepta intelligentia veritatis, incipit statim homo videre lucem a tenebris, et discernere primo quidem bona a malis, et mala a bonis; postea autem bona a melioribus, et mala a pejoribus; tandem vero meliora ab optimis, et pejora a pessimis. In hunc sane modum, secundum Sapientis sententiam, semita justorum quasi lumen procedit, et crescit usque ad perfectum diem (*Prov.* IV). Impleturque quod dicitur : *Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem* (*Psal.* XXXVI). Lumen acceptum paulatim procedit, usque ad perfectum diem excrescit, quando accepta veritatis intelligentia paulatim proficit, et quandoque usque ad plenam discretionem pertingit. *Alius*, inquit Apostolus, *judicat*

Digitized by Google

inter diem et diem, et alius judicat omnem diem (*Rom.* xiv). Quale putas Dei donum dare, judicium facere ei qui Filius hominis est? et primum quidem est, ut sciat homo judicare inter diem et noctem, ultimum autem (et hoc ipsum summum) ut sciat judicare omnem diem. Debemus itaque certis quibusdam cognitionis gradibus ascendere, si volumus ab hoc infimo ad summum illud ascensionis culmen pertingere.

CAPUT XXVI.

De quinque gradibus discretionis.

Primum itaque est, uti jam diximus, judicare inter diem et noctem; secundum autem inter noctem et noctem; tertium vero inter diem et diem; quartum, est, judicare omnem noctem; quintum, judicare omnem diem. Inter diem et noctem judicamus, quando bona a malis segregamus. Inter noctem et noctem judicat, qui a malis pejora, a pejoribus pessima discernere non ignorat. Similiter inter diem et diem judicare, est ex bonis meliora, ex melioribus optima eligere. Omnem noctem dijudicat, qui unum quodque vitium digna examinatione pensat. Omnem item diem judicare est, unamquamque virtutem juxta propriam dignitatem æstimare. Quisquis autem hæc quinque veræ discretionis, utilisque cognitionis talenta meruit de Domini largitate percipere, studeat operari in eis, et lucrari alia quinque, ut veritatis imago, quæ ex inspirante gratia impressa est cognitioni, per humanam industriam et cooperantem gratiam imprimatur et affectioni. Alioquin melius est regulam veritatis non agnovisse quam cognitam spernere. Ex acceptis ergo talentis dignum quidem lucrum facimus, et quasi ex quinque talentis alia quinque acquirimus, si juxta regulam cognitæ discretionis studeamus informare qualitatem nostræ affectionis. Studeamus ergo diligere quæ diligenda cognovimus, et quæ dilectione nostra digna non sunt, minime diligamus. Sed nec hoc nobis sufficere debet ascendisse virtutis hunc gradum primum, nisi ascendamus et secundum, et de secundo ad tertium. Quæ igitur in malis deteriora sunt, majori odio persequamur, et quæ in bonis meliora sunt, arctiori dilectione amplectamur, et per secundum ad tertium virtutis gradum nos ascendisse gratulemur. Sed possumus absque dubio quod minus est minus diligere, et quod melius est magis amare, et tamen in utriusque dilectione congruum modum minime servare. Similiter et in contrariorum reprobatione contingit sæpe simili ignorantia peccare. Studeamus ergo per quartum gradum ad quintum ascendere, ut sciamus in omni malo vel bono, odii vel amoris congruam mensuram servare.

CAPUT XXVII.

Quod discretionis gratia modo datur, modo subtrahitur.

Miraris fortassis quomodo concordet præmissa illa prophetica sententia cum hac assertione apostolica. Quomodo enim veraciter dicitur omne cor mœrere, et ex mœrore caligare, si vere invenitur qui possit omnem diem judicare? An forte quia dictum non est omni tempore mœret, quamvis dictum sit omne cor mœret, utrumque recte intelligi valet? Est enim tempus flendi, et est tempus ridendi. Siquidem ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Vespertinum tempus, tempus est tristitiæ; matutinum tempus, tempus est lætitiæ. Illud est tempus flendi, istud est tempus ridendi. Tempus caliginis, tempus est mœroris; tempus lucis, tempus est exsultationis. Novit hoc, qui dixit: *Quod mihi in gaudium esse potest, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video?* (*Tob.* v.) Quare ergo omne cor mœret, nisi quia nullum cor perpetuum diem hic habet, quia lumen cœli semper præsens habere non valet? Oritur enim sol, et occidit, et ad locum suum revertitur, quia veritatis intelligentia modo datur, modo subtrahitur, et post subtractionem iterum eadem, quæ prius gratia recuperatur. Quid ergo mirum, si omne cor mœret, quandiu necessarias tenebras hujusmodi alternantium vicissitudinum sustinet? Quandiu in terra vivimus, quandiu in terra sumus, has temporum vicissitudines necessario sustinemus. In cœlo, dies sine nocte; in inferno, nox sine die; in terra, nec nox sine die, nec dies sine nocte. Itaque in cœlo gaudium sine perturbatione; in inferno dolor sine consolatione; in terra nec dolor sine spe, nec gaudium sine timore. In summo locus semper ridendi; in imo locus semper flendi; in medio tempus ridendi, et tempus flendi. Risus enim dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. Necesse ergo habet omne cor ut doleat, ut lugeat, donec tenebras suas plene evadat, donec solium gloriæ teneat, et fiat thronus ejus sicut dies cœli. Quid ergo mirum, si ille etiam dicatur lugere, qui potest omnem diem judicare, eo quod non possit semper diem habere?

CAPUT XXVIII.

De duobus gradibus deliberationis.

Sed si adhuc diligentius consideremus quid sit judicii vel quid sit consilii, inveniemus quia sæpe consilium titubat, etiam ubi judicium stat; et quia ubi consilium caligat, ibi sæpe judicium clare considerat. Sicut autem superius diximus, per cor consilium intelligimus; vide ergo utrumnam consilium caligare possit etiam ibi, ubi judicium certum fuerit, ut recte dicatur omne cor mœret, quamvis inveniatur qui omnem diem judicet. Aliud est discutere quid sit bonum vel malum in se, et aliud est deliberare quid expediat vel non expediat cuique. Illud est judicii, istud est consilii. Sicut enim non omnes omnia possunt, sic nec omnibus omnia expediunt. Sæpe enim quod in se est majus bonum, quibusdam expedit minus; et quod in se quidem est minus, magis tamen expedit aliquibus. Fit namque sæpe ut quod alii est cumulus damnationis, alii sit occasio salutis, et quod quibusdam est augmentum coronæ, sit aliis causa ruinæ. Quam multos videmus de sublimi graviter corruisse, qui in inferiori gradu solebant, vel poterant fortiter stare. Quam multos

Digitized by Google

videmus in virtutum ascensu, religionisque provectu firmos gressus figere, multumque properare, qui in sæcularis conversationis planitie seguiter ibant, et sæpe cadebant. Ideirco ignorat homo quid sibi conducat in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, et tempore quod velut umbra præterit. Hæc sane est causa cur omne cor mœret, cur consilii oculus caligat etiam in eo qui omnem diem judicat. Vultis tandem apertius nosse quam multa potest judicium, quæ tamen minime potest consilium? Quam multa, quæso, invenimus de quibus indubitanter affirmare audemus quia sunt bona, et item quam innumera reperimus de quibus minime dubitamus, quod veraciter sint mala. Inveni mihi unum aliquem, qui mihi unum aliquid ostendat quod cujusquam mali causa fieri nequeat. Quid, quæso, tam bonum quod non possit fieri casus occasio, vel quid, quæso, tam malum quod fore nequeat cautelæ commonitio? Ecce quomodo omne cor ad omne consilium nutat, ecce quomodo omne consilium ad omnem providentiam caligat, ut recte dici debeat, quia omne cor mœret, ut ex mœrore innuat caliginem quam sustinet. Vides certe quia facilius est judicare quid liceat, quid non liceat, quam eligere quid expediat. Illud est discretionis, istud deliberationis; illud judicii, istud consilii. Alia itaque est illa scientia, et longe alia ista secunda. Alia itaque sunt talenta cognitionis primæ, atque alia sunt talenta cognitionis secundæ; utraque rara, utraque preciosa. Secunda tamen multo rarior quam prima. Sed quamvis rara, non tamen nulla. Quis enim neget multos ex divina inspiratione nosce non solum utilia eligere, verum etiam ex utilibus utiliora secernere, cum non possint ad omnia sufficere, et quid magis, quod minus, et quid minime expediat, sagaciter deprehendere? Scias itaque te gemina valde pretiosa de Domini commissione percepisse talenta, cum cœperis recte distinguere inter utilia, et inutilia, et item inter utilia quæ sint aliis utiliora. Cum igitur hæc geminæ deliberationis talenta de Domini largitate acceperis, stude operari in eis et lucrari ex eis, ut et exterius exprimas in opere quod interius impressum est in cognitione, et duo ex duobus acquirens possis geminata talenta in Dominica lucra reportare.

CAPUT XXIX.

De discretionis et deliberationis norma, et quæ talenta, quomodo sint augenda.

Notandum itaque quod priora illa quinque talenta augenda, et multiplicanda sunt in affectione, ista in actione. Quod enim ibi ex discretione judicii semel impressum est cognitioni studiosæ, postmodum imprimi debet et affectioni, hic autem quod ex consilii deliberatione præfiguratum est in cognitione, ad eamdem prudentiæ regulam reformetur in opere. Ex priori itaque prudentiæ regula debemus magis diligere quæ magis sunt bona, non tamen magis exercere, cum sæpe sint impossibilia, vel minus utilia. Sed, sicut ex hac secunda prudentiæ regula docemur, illa magis exercenda sunt quæ magis expediunt, quamvis sæpe meliora sint quæ exerceri non possunt, vel minime expediunt. Sic itaque studeamus quæ meliora sunt magis amare, ut tamen sciamus, cum hoc expedit, meliora minus exercere; et sic illa quæ magis expediunt, et minus bona sunt amplius exerceamus, ut illa quæ minus exercentur, et meliora probantur magis diligamus. In hunc itaque modum ab uno eodemque Domino alii accipiunt quinque talenta in discretione judicii, alii autem duo in deliberatione consilii.

CAPUT XXX.

Cur non sint quinque gradus deliberationis, sicut et discretionis.

Sed forte miraris cur hic in deliberatione consilii, sicut superius in discretione judicii quinque talenta assignata non sint, cum hic sicut et superius assignari possint. Sed quære diligentius, et invenies citius de reliquis tribus, quia unum ex his quærere, erit inutile, aliud ex his habere, erit impossibile. Tertium ex his tam erit inutile quærere quam impossibile habere. In his enim quæ constat esse inutilia, quid prodest quærere et investigare quæ sunt ex eis magis frivola, cum constet omnia a nostris studiis amovenda? Et tamen per discretionem judicii quærimus inter mala quæ sint aliis pejora, ut sciamus quæ minus, quæ magis sint punienda, ne si ea nos hic minus digne percutimus, in ultimo die punienda reservemus. Singula autem eorum quæ expediunt quid vel quantum utilitatis conferant, neminem puto posse comprehendere, nec hoc scientiæ talentum credo, quempiam in hac vita percepisse, quamvis multos constet de Domini inspiratione et inutilia dignoscere, utiliora eligere. In his autem quæ inutilia sunt, et minime expediunt, singulorum proprietatem quærere et assignare, ut ex duobus superioribus patet, tam erit inutile quam impossibile. Cum ergo hujusmodi talenta de Domini largitate percipimus, tanto in his instantius operari debemus, ut ea cum lucro reportemus, quanto constat quia alieno ea munere possidemus. Nemo itaque sibi attribuat cum recta judicat, vel utilia deliberat.

CAPUT XXXI.

Quod illuminantem gratiam non semper habemus præsentem, nunquam autem sufficientem.

Sed et ille quidem, qui jam hujusmodi talenta accipere meruit, non ita securus sit, quasi jam ulterius falli non possit. Nam, sicut ille solus sapienter discernit et prudenter sibi consulit, quem divina gratia inspirat et ejus inspiratio illuminat, sic tunc solum utrumque utiliter valet cum aspirantem gratiam præsentem habet. Sed quis est qui in hac vita semper gratiam præsentem habeat, vel habere valeat? *Visitas eum*, inquit Job, *diliculo, et subito probas illum* (*Job* VII). Sed si ille prophetarum eximius divinæ revelationis lucem semper præsentem habuisset, Domino utique minime proclamasset: *Illumina oculos meos* (*Psalm.* XI); et illud: *Emitte*

Digitized by Google

lucem tuam, et veritatem tuam (*Psal.* XLII). Divinus itaque ille internæ aspirationis radius quandoque infunditur, quandoque subtrahitur. Posuit enim tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Sed iterum ad Domini nutum ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabantur. Sole itaque occidente, et iterum oriente fit vespere et mane, ut sit tempus flendi et tempus ridendi, pro eo quod ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Quid igitur mirum, si omne cor mœret quod divinam lucem semper præsentem habere non valet, sine qua nihil clare perspicit, nihil recte discernit? Plus aliquid adhuc audeo dicere, et quod nemo, ut arbitror, audeat negare, quia homo etsi gratiam præsentem haberet, nec sic quidem mœroris causas plane evaderet. Nunquam enim homo in hac vita etiam pro hac parte habet gratiam sufficientem, quamvis tamen quandoque habeat gratiam præsentem. Quod enim superius diximus de libertate arbitrii, hoc idem affirmamus de discretione judicii. Sicut namque in hac vita nunquam habemus sufficientem gratiam ad bonum faciendum, sic nunquam hic sufficientem gratiam habere possumus ad verum discernendum. Attende nunc, obsecro, quanta sit multitudo bonorum innumerabilium a summo creaturarum usque ad imum. Inveni mihi unum aliquem ex omnibus qui unum aliquid horum ad plenum comprehendat, de quo secure dicere et veraciter affirmare audeat, quia hoc tantum valet, nec plus, nec minus, et quia hoc tantum diligendum est, nec plus, nec minus. Hoc sane nec ille præsumere potest cui omnem diem judicare dictus est, ut juste mirari debeas, quomodo possit omnem diem judicare qui nullum omnino possit comprehendere. Ecce quantam ambigui caliginem cor humanum sustinet, et quantam quandiu hic vivitur sustinere habet, ut merito dicatur quia omne cor mœret. Mœret utique propter mentis caliginem, et caligat propter mentis mœrorem. Quanto autem mœret, tanto et hebet, et quo amplius hebet, eo et vehementius mœret, quia et ex mœrore hebetatur, et ex hebetudine ad mœrorem renovatur. Superius agnovimus de infirmitate liberi arbitrii per languorem capitis, hic jam didicimus de ambiguitate consilii per mœrorem cordis. Restat adhuc audire, et agnoscere de inquietudine desiderii per infirmitatem corporis.

CAPUT XXXII.

De concupiscentia mali.

A planta, inquit, pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Per pedem, ut dictum est, intelligimus carnale desiderium, per caput autem liberum arbitrium. Planta autem est imum pedis, vertex vero summum capitis. Sed quid inferius jacet quam id quod est in necessitate, et quid altius eminet quam id quod est in potestate? Planta itaque pedis, necessitas infimi desiderii, et vertex capitis potestas liberi arbitrii. Pedis planta, concupiscentia necessaria. Vertex capitis, potestas votiva. Ad pedem pertinet necessitas concupiscendi, ad verticem vero facultas operandi. Pedis imum, necessitas concupiscendi malum; capitis summum, facultas operandi bonum. Bonum hic dico commodum, non meritum. Meritum autem ad sanitatem, non ad infirmitatem pertinet, et de tali vertice dici non deberet. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, nisi forte quis usque exclusivum hic, non inclusivum dicat, et verticem solum a cæterorum membrorum lege excipiat. Sed utinam homo tam haberet verum bonum in potestate, quam vere habet verum malum in necessitate.

CAPUT XXXIII.

Quod totum hominis infirmitati subjacet.

Sed est quoddam bonum quod est ad meritum, et est quoddam quod est ad reatum, et est quoddam quod neque est ad meritum, neque ad reatum. Sed illud quod est ad reatum, rectius dicitur malum quam bonum, quamvis ab his qui libenter committunt malum dicatur, et diligatur quasi bonum. Bonum autem quod non est ad meritum, sicut nec ad reatum, melius dicimus commodum. Hujusmodi autem multa habet homo, non solum in libertate, verum etiam multoties in potestate, sicut, et eorum quæ sunt ad reatum multa habet sæpe non solum in voluntate, sed etiam in necessitate. Eorum autem quæ sunt ad meritum, nihil habet in libero arbitrio nisi ex divino adjutorio. De difficultate illius quod est ad meritum, dicitur: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV), de facultate illius quod non est ad meritum, nec tamen ad reatum dicitur: *Si enim vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se?* (*Matth.* VII.) De necessitate illius quod est ad reatum legitur: *Quod enim nolo malum id ago* (*Rom.* VII). Ex his itaque tribus rerum generibus quæ distinximus, alia potes habere in potestate, alia in libertate, alia in voluntate, alia in necessitate. Illud in potestate est, quod pro arbitrio voluntatis fieri vel prætermitti potest. Illud in libertate habemus ad quod aliena violentia cogi non possumus. In voluntate autem est quod fieri velis, etiamsi id efficere non possis, in necessitate vero habes cui etiam cum volueris resistere non vales. Possemus adhuc hos quatuor differentiarum gradus ad invicem conferre, alternatimque conjungere, et illud interioris hominis nostri corpus per multa membra distinguere, et ab imo pedis sursum, vel a summo capitis deorsum considerationis nostræ modum ordinare. Sed, ne in his nimis immoremur, illud quod hic de hujusmodi corpore dicitur, et quod præteriri non debet intueamur: *A planta*, inquit, *pedis usque ad verticem non est in eo sanitas* (*Isa.* I). Si solum hoc ad sanitatem pertinet quod ad meritum valet, totum quod hominis est infirmitati subjacet, quia nec merito pollet quod est in potestate, nec vitio caret, quod est in necessitate, et

Digitized by Google

utrique incommodo subjacet, et quod est in voluntate, et quod est in libertate. A planta ergo pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Quomodo enim ad bonam valetudinem pertinet quod ad meritum non valet, quod in retributionis judicio nihili est, et ad verum bonum adjuvare non potest, imo magis vero malo obnoxium reddit, et reum constituit? A planta ergo usque ad verticem non est in eo sanitas. Totum infirmitas occupat a capite usque ad verticem, quia potestas nec expellit necessitatem, nec explet voluntatem, nec explicat, sed implicat amplius libertatem. Quo enim plura valet, eo et plura sunt unde et rationem reddere debet. Itaque totum occupavit infirmitas, et a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

CAPUT XXXIV.

Quomodo sit inordinatus, vel quam immoderatus affectus.

Respice tandem ad similitudinem qui plenius nosse cupis spiritualem infirmitatem. Idcirco sane exterioris hominis membra audis nominari, ut ex notis discas quæ de interioris hominis statu non nosti. Considera igitur quæ, vel unde sit exterioris hominis infirmitas, et animadvertes quid de spirituali infirmitate æstimare debeas. Sicut superius autem jam diximus, sanitas corporis est integritas naturalis complexionis, humorumque omnium commensuratio proportionalis. Infirmitas autem est sanitatis privatio, integritatisque corruptio. Quatuor ergo sunt humores ex quibus omne corpus conficitur, vegetatur, moderatur, nutritur atque conservatur. Hi omnes in omni corpore ad unam legem sub rata, sed dissimili in dissimilibus proportione concurrunt, et diversam in diversis complexionem constituunt. Debet itaque ordo congruus, congruaque mensura secundum naturæ modum inesse singulis, ut sit in eis, ut dictum est, commensuratio proportionalis. Quandiu autem unusquisque proprium locum occupat, modumque sibi congruum servat, corpus in sua sanitate perdurat. Quod autem sunt quatuor humores in corpore, hoc sunt quatuor principales affectiones in corde, et quod est sensus in carne, hoc est intellectus in mente. Visus etiam habet sensum cordis, sicut sensum corporis nominare, unde et sententiam a corde, vel a cordis non a corporis sensu solemus dicere. Amor itaque et odium, gaudium et dolor, quatuor principales affectiones sunt, ex quibus cætera omnia desideriorum, voluntatum, votorum, affectionumque originem trahunt. Vide ergo quam multa amamus, vel odimus, quæ tamen amasse, vel odisse minime, vel moderatius deberemus, et item quam multa sunt pro quibus inordinate vel immoderate gaudemus, sive dolemus. Quemadmodum autem humores in corpore, sic et affectiones in corde, secundum quod ordinem modumque congruum perturbant, varias infirmitates procreant. Superius jam vidimus quam sit hebes cordis sensus. Videamus nunc quam sit infirmus cordis affectus. Ostende ergo mihi unum aliquid circa quod affectum tuum ita ad certam, legitimamque mensuram restringas, ut aliter omnino, aut amplius, aut minus circa ipsum extendere non debeas. Sed quomodo poterit animus affectum suum ad perfectam æquitatis legem vel in una aliqua re restringere, quandiu intellectus nullam rem poterit ad plenum comprehendere, nec dignitatis ejus mensuram sub perfecta determinatione assignare? Quomodo enim fieri potest quod sciri non potest? Si enim nescitur certa mensura plenæ et perfectæ dilectionis, vel cujuslibet alterius affectionis, quomodo custodiri potest mensura quæ sciri non potest? Si itaque animi affectus in multis est inordinatus, et in nullo penitus ad summam æquitatis mensuram moderatus, non est quod mirari vel dubitare debeas, cum legas : *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Omni hora (imo per singula pene momenta) in nostra æstimatione fallimur, et ruptis æquitatis loris ad nostra desideria effrenamur. Nusquam modus; nusquam certa mensura servatur, dum animus semper ex carnis impetu turbinis more huc illucque impellitur. A planta itaque pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Felix tempus et exspectabilis hora, ubi jam ulterius nulla cogitatio in sua examinatione fallitur, ubi nulla affectio in suo desiderio effrenatur. Hanc cognitionis integritatem virtutisque perfectionem nulla interim possumus cogitatione attingere, nulla animi industria servare.

CAPUT XXXV.

Quomodo homo ad legitimam integritatis mensuram perducitur.

Hæc est illa promissi denarii rotunditas, et veræ summæque perfectionis integritas, quæ in Domini vinea laborantibus promittitur, sed nonnisi in fine diei postque operis consummationem tribuitur, Domini vinea, humana conscientia. Hæc est vinea Domini electa in qua plantavit omne semen verum. Pro hujus vineæ cultura Dominus exit, cum suam voluntatem per internam aspirationem innotescere facit, Domini itaque egressio ejus est manifestatio. Iteratio egressionis augmentatio est cognitionis. Multiplex egressio, multiformis manifestatio. Diversitas horarum, varii gradus profectuum. Secundum processum itaque dici successionemque horarum Dominus egreditur, quia secundum perfectionis profectum, virtutumque promotionem divina cognitio augmentatur. Vineæ cultores, cogitationes, et affectiones. Hujusmodi cultores in vineæ cultura laborare habent, quia in conscientiæ emundatione utrique desudare debent. Primi exercendi sunt in investigatione veritatis, secundi autem in exercitatione virtutis. Ad illos pertinet in altum fodere, et occulta penetrare, ad istos spectat sarmentorum superflua amputare, et morum inutilia resecare. Illorum labor est correctio errorum, istorum labor castigatio vitiorum, introducuntur sane mane, hora tertia,

Digitized by Google

sexta, nona et undecima qui laborant in vinea, et desudant in hujusmodi cultura. Mane primo lux incipit apparere, ad tertiam dies solet incalescere, ad sextam autem vehementius æstuare, ad nonam constat solem ad inferiora inclinare, caloremque temperare, ad undecimam vero contingit calorem cum luce paulatim deficere. Quid itaque est ortus lucis, nisi illuminatio veritatis, et quid est inchoatio caloris, nisi acceptatio bonitatis? Æstuationem autem caloris, fervor est dilectionis. Temperamentum vero caloris est abominatio vanitatis. Sed et subtractio caloris et lucis, quid aliud est quam refrenatio cupiditatis, seu etiam hebetatio prudentiæ carnalis? Mane itaque facit discretio boni et mali, tertiam appetitus veri boni, meridiem desiderium summi boni, nonam fastidium falsi boni, undecimam vero efficit odium, seu etiam oblivio veri mali. Mane itaque illuminatur intellectus, ad tertiam corrigitur consensus, ad sextam inflammatur affectus, ad novam restringitur sive etiam hebetatur corporis sensus, ad undecimam refrigeratur carnalis appetitus. Si enim corporis sensus a sua evagatione non restringitur, carnalis appetitus inquietudo non exstinguitur. Sed cum corporis sensus viriliter donatur vigore abstinentiæ, et violenter restringitur rigore disciplinæ, incipit in assuetis oblectamentis minus minusque delectari, et ad pristinas delectationes magis magisque hebetari. Hebetudinem autem sensuum necessario sequitur lentitudo appetituum. Inquantum ergo appetitus, vel cæteri hominis sensus ad æquitatis mensuram restringitur, eo citius retributionis denarius perfectionisque forma percipitur, et ad integritatis rotunditatem appropinquatur. Nihil enim aliud est omnes in fine denarium percipere, nisi in omnibus sensibus nostris tandem perfectionis formam possidere.

CAPUT XXXVI.

Quibus gradibus ad integritatis plenitudinem perducimur.

Primo igitur omnium est consilium quærere, et eo invento voluntatem corrigere, sicque animum ex virtutum exercitio ad cœlestium desiderium inflammare. Sed post æternorum desiderium debemus etiam a licitis sensus nostros cohibere, ut illicitorum possimus appetitum temperare, vel, inquantum possibile est, penitus exstinguere. Cui dubium quin hæc omnia cooperentur ad spiritualis vineæ cultum, et rectitudo consiliorum, et correctio voluntatum, æstuatio cœlestium desideriorum, restrictio sensuum, moderatio appetituum?

Notandum sane de hujus Dominicæ vineæ cultoribus, quia quo quique veniunt tardius, tanto laborant et minus. Quo enim profectus nostri dies amplius crescit, eo utique virtutum exercitium magis magisque dulcescit, et quo amplius desideriorum appetitus temperatur, eo utique pondus diei et æstus minus minusque sentitur. Nam, quantum crescit amor, tantum decrescit et labor. Per amorem siquidem fit jugum suave, et onus leve, quod prius videbatur intolerabile. Illud quoque sciendum, quia quo profectus nostri diem producimus, quantum ad ejus finem appropinquamus, tanto puriora, tanto perfectiora vota seu desideria habemus. Hinc est quod hi qui tardius veniunt prius denarium accipiunt, quia in proficientibus quidem succedentia semper perfectæ integritati vicinius appropinquant. A novissimis autem remunerationis ordo incipitur, quia prius peccati fomes tollitur qui appetitui principaliter dominatur, et ad legitimum modum æquitatisque mensuram appetitus restringitur, integritatisque denario donatur, quam in cæteris sensibus homo glorificetur. Quemadmodum enim nunquam nisi per consilium bonum voluntas emendatur, et nisi voluntate correcta nunquam sensus vel appetitus restringitur atque corrigitur, sic e converso prius est, absque dubio, ut vitium appetitum vel sensuum destruatur, quam voluntas bona ad veram pacem componatur. Et quandiu voluntas invenit unde oporteat erubescere, semper cogitatio habet quod debeat accusare. Omnes autem vineæ cultores, ad vesperum, denarium accipiunt, qui in vineæ cultura perseverant. Quid est vespera, nisi diei finis, terminus laboris, hora quietis, tempus retributionis? Ad vesperam itaque denarius ab omnibus accipitur, quia post consummatum laborem, retributionisque tempore, omnis sensus hominis ad perfectionis integritatem, sicut dictum est, sublimatur. Unum ergo idemque tempus est finis laboris, et inchoatio quietis, terminus operis, et hora retributionis. Nunquam enim labor culturæ finitur, nunquam inquietudo conscientiæ compescitur, nisi cum animi profectus ad perfectionis terminum perducitur.

CAPUT XXXVII.

Quod eadem perfectionis forma futura sit in cogitatione, et in affectione.

Sed quid illud dicimus, quod una eademque retributionis mensura impenditur omnibus? Nihil additur primis, nihil minuitur novissimis. Quis nesciat recta consilia in cultura vineæ, tam recta desideria quam recta opera præcedere? Quod enim sine consilio concupiscitur, vel agitur, non ad vineæ cultum, sed ad vineæ detrimentum cooperatur. Prior itaque est in vinea labor cogitationum quam affectionum. Quandiu autem in hac vita sumus, quandiu in vinea laboramus, plus utique est, quod de perfectionis plenitudine attingere possumus cogitatione, quam quod interim possumus plenæ affectioni imprimere, vel opere explere. Quis enim totum hoc possit quod se debere, vel decere cognoscit? Sed cum retributionis tempus institerit, cum Domini operariis mercedis, gratia perfectionis denarius redditus fuerit, nihil majus erit in consilio quam in desiderio, nihil minus in affectione quam in cogitatione. Procul dubio post acceptam retributionem quidquid unusquisque se debere vel decere cognoverit, totum et poterit, totum implebit. Eadem igitur

Digitized by Google

perfectionis forma, quæ fuerit in cognitione, eadem prorsus, eadem penitus erit et in dilectione. Eumdem itaque denarium accipiunt novissimi, quem merentur accipere et primi. Sed quis ille operarius est, qui primo introducitur, sed novissime remuneratur, cui etiam per increpationem dicitur : *Tolle quod tuum est, et vade. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?* (*Matth.* xx.) Quis ad cordis munditiam, cum tanta difficultate anhelaret ; quis in hujusmodi cultura tantum laboris impenderet, nisi eum sua conscientia remorderet ? Primus itaque operarius vineæ, cogitatio, accusatrix conscientiæ. Hujus operarii oculus tanto nobis est nequior tantoque molestior, quanto nobis Dominus fuerit benignior atque munificentior. Quanto enim majorem gratiam a Domino accipimus, tanto acriore remordentis conscientiæ stimulo urgemur quoties peccamus. Quandiu in nobis aliquid imperfectionis invenire poterit, ejus nos respectus confundit, perturbat et cruciat. Hujus itaque operarii labor nunquam finitur, donec omnis imperfectio de medio tollatur, et ad integritatis plenitudinem homo reformetur, et perfectionis denario muneretur. Sed post remunerationis consummationem tollet quod suum est, et vadet, quia quod jure reprehendat non inveniens redargutionis stimulus quiescet, et evanescet. O qualis tunc erit cognitionis perfectio ! o quanta virtutis consummatio ! Ubi nulla æstimatio, vel ad modicum fallitur, ubi nulla affectio uspiam effrenatur. Sed quod tunc de omni affectione, et ad omnia speramus, hoc nunc de nulla, vel in qualicunque re præsumere audemus. Vide ergo quanta ibi erit nostra virtus, vide quantus hic sit noster defectus. O quanta tunc erit hominis firmitas, o quanta est interim ejus infirmitas ! A planta enim pedis usque ad verticem non est in eo sanitas. Summam siquidem æquitatis mensuram, quam in omni re tunc cognoscere et custodire poterit, in nulla hic nosse, vel posse, nisi præsumptuose, confidit. Vides certe, ut arbitror, hanc infirmitatis humanæ corruptelam, quam late grassatur, quæ omni affectui usque adeo ad omnia dominatur, ut recte de eo dicatur : A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

TRACTATUS SECUNDUS.

Hucusque de triplici vitio, nunc de triplici peccato.

CAPUT PRIMUM.

Videamus autem nunc ea quæ sequuntur : *Vulnus, et livor, et plaga tumens, non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo* (*Isa.* i). Triplex malum jam superius descripsit ; ecce jam alia tria iterum adjungit, vulnus videlicet, livorem et plagam tumentem. Tria illa quæ superius posuit quasi ab intus generantur : nam tria illa quæ modo adjunguntur, quasi a foris infliguntur. Languor capitis, mœror cordis, dolor infirmi corporis, quasi ab intus surgunt ex defectu naturæ. Vulnus, et livor, et plaga tumens quasi de foris occurrunt ex supervenienti occasione. Per languorem capitis, ut dictum est, intelligimus debilitatem liberi arbitrii ad bonum, per infirmitatem corporis, inquietudinem desiderii ad malum, per mœrorem cordis caliginem, et ambiguitatem judicii ad utrumque discernendum. In languore itaque intelligitur impotentia boni, in vexatione infirmitatis, concupiscentia mali. In nubilo mœroris, ignorantia boni et mali. Quis autem non videat hæc tria mala ita inviscerata esse, ut quantumcunque sibi prospiciat, quantumlibet caute agat, non possit homo his malis carere, quæ ab intus surgunt ex defectu naturæ? Quis enim est, qui ad bonum agendum, etiam invitus, aliquando non torpeat? Quis in tenebras ignorantiæ contra voluntatem quandoque non incidat? Quis concupiscentiæ laqueos ita penitus evadat, ut eos etiam quandoque sollicite fugiens, et fortiter retinens non incurrat? Sed illa quæ per consensum admittimus, quasi ex propria negligentia, vel incuriæ toleramus. Ista igitur, quæ per consensum admittuntur, quasi quædam vulnera animæ naturæ infliguntur. Nam illa quæ inviti etiam toleramus, et quibus nulla prudentia, nulla industria resistere valemus, potius, ut dictum est, naturæ innata quam exterius sunt inflicta. Hæc itaque tria mala (quæ quasi a foris homini infliguntur), audi quomodo describuntur. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo. Primo illud consideremus quid inter se differre voluit plagam et vulnus. Sed forte quod quærimus in eo innuitur, quod cum plaga ponitur, tumens adjungitur, ut plaga intelligatur quæ tumet, et vulnus quod omni tumore caret. Vulnus itaque est, ubi membrum non læditur interius, nisi quantum aperitur exterius. Livor autem est, ubi ex contritione interius corrumpitur, nec tamen ad vulneris similitudinem exterius aperitur. Plaga autem tumens est, ubi et latius conteritur intrinsecus, et tamen vulneris more in parte aperitur extrinsecus. Videntur autem singula proprias differentias habere, quibus tamen constat commune extrinsecus infligi ex supervenienti contritione, sicut illis primis ab intus surgere ex interna corruptione. Recte itaque tria illa quæ primo loco posita sunt, generaliter referimus ad omnia, et sola vitia tria ista quæ modo adjunguntur ad sola peccata, sicut tria illa quæ ultimo loco ponun-

Digitized by Google

tur ad utrorumque remedia. Per languorem itaque capitis, per mœrorem cordis, per infirmitatem corporis, intelligamus triplex vitium; per vulnus, livorem et plagam tumentem, triplex peccatum; per ligamentum, medicamentum et oleum, triplex remedium.

CAPUT II.

Quid sit vitium, et quid sit peccatum.

Sane sicut aliud est morbus atque aliud est vulnus, sic procul dubio aliud est vitium atque aliud est peccatum. Sicut in corpore videmus, sic et de corde intelligere debemus, quia aliud est ex occulto prodiens interna corruptio, atque aliud extrinsecus inflicta manifesta contritio. Sic aliud est quando malum in sola cogitatione, etiam ab initio sentitur, atque aliud quod nutu spontaneo ex deliberatione committitur. Illud quasi ab intus nascitur, istud quasi extrinsecus infligitur. Vitium itaque est ipsa infirmitas naturalis corruptionis, peccatum vero est ipsa prava assentatio tentantis infirmitatis. Vitium est quasi quædam passio naturæ, peccatum vero est spontanea quædam actio industriæ. Vitium est ipse appetitus mali, qui solet præcedere vel provocare consensum, peccatum autem ipse est consensus mali, qui solet sæpe subsequi vel comitari appetitum. Profecto aliud est pravum motum in corde sentire, atque aliud pravo motui consentire. Quod pravum motum sentimus, vitium est; quod pravo motui consentimus, peccatum est. Vitium itaque est in sensu, et in affectu; peccatum vero est in solo consensu seu etiam effectu. Quando quod verum est videtur nobis falsum, et quod falsum videtur esse verum, vitium est in sensu. Quando quod justum est videtur nobis amarum, et quod injustum est videtur esse jucundum, vitium est in affectu. Sed cum falsæ opinioni fidem adhibemus, jam sensus nostri vitium transit in peccatum. Sic cum pravæ delectationi acquiescimus, affectus nostri vitium similiter transit in reatum. In hunc modum vitia in peccata transeunt, et consentientem reum constituunt. Vitium itaque sensuum fit origo errorum, vitium vero affectuum radix iniquitatum. Sensum autem non corporis, sed cordis hic intelligimus, unde et sententiam dici non ambigimus, hebes itaque sensus et exordinatus affectus omnium malorum origo sunt, ut diximus. In hunc itaque modum vitium dominatur sensui, et affectui, et cum consensum allicit, vel etiam in effectum transit, fit causa peccati. Consensum autem non semper effectus consequitur; sed cum necessitate præpeditur, solo consensu peccati culpa consummatur. Ecce jam distinximus quid a se distent vitium et peccatum, secundum quem distinctionis modum ostendimus, triplex vitium, et triplex peccatum. Fastidium boni, desiderium mali, ambiguitas utriusque discernendi. Ecce triplex vitium, de quibus est superius jam dictum. In languore etenim capitis ostensum est homo quam sit torpens (imo quam sit impotens) ad bonum; in infirmitate corporis quam sit fervens, et inquietus ad malum; in mœrore cordis quam sit hebes et lippus ad utrumque discernendum. Ecce tria vitia, impotentia, ignorantia, concupiscentia. Sed quoniam de his quæ dicenda videbantur, jam superius diximus, eadem replicare hic non debemus.

CAPUT III.

Quod tribus modis peccata contrahimus.

Secundum autem hoc triplex genus vitiorum, est et triplex genus peccatorum. Alia enim sunt, in qua incidimus per infirmitatem, alia quæ incurrimus per errorem, alia quæ committimus per solam iniquitatem. Peccata infirmitatis dicimus, quæ quamvis fortiter et prudenter insistimus, ad plenum tamen vitare non possumus. Quando malum committimus, quia bonum putamus, per errorem et ignorantiam peccamus. Qui autem quod malum novit, et vitare potuit ex industria committit, ex sola malitia, quia ex solo amore, et concupiscentia mali delinquit. Secundum hunc triplicem peccandi modum dicimur peccare in Patrem, peccare in Filium, peccare in Spiritum sanctum. Nam quamvis una eademque sit potentia, sapientia et bonitas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, secundum quemdam tamen modum loquendi in quibusdam Scripturæ locis, potentia Patri, sapientia Filio, benignitas Spiritui sancto (quasi specialiter) videntur assignari. Qui igitur per infirmitatem delinquit, ei utique valde contrarius est qui summa potentia est. Qui vero per ignorantiam peccat, ei utique valde contrarius est qui summa sapientia est. Qui autem per solam malitiam offendit, quomodo ei magis adversari potest qui summa bonitas est? Secundum hunc itaque considerationis modum, specialiter videtur agere contra Patrem, qui peccat per infirmitatem; specialiter contra Filium agit, qui per ignorantiam delinquit; specialiter Spiritui sancto adversatur, quod per malitiam committitur. Recte autem ei qui peccat in Spiritum sanctum non remittitur in hoc sæculo, nec in futuro; quia, qui per malitiam peccat, si in præsenti pœnitet, recte ab eo exigitur plena satisfactio, non pœnitenti vero debetur plena damnatio in futuro. Qui vero peccant ex infirmitate vel ignorantia, sicut aliquam excusationem habent in culpa, sic aliquid remissionis habere debent in pœna. Recte cum eis vel in præsenti satisfactione, vel in futura damnatione remissius agitur quorum culpa per impotentiæ, vel ignorantiæ excusationem levigatur. Recte nihilominus qui in culpa nihil habent excusationis, in pœna similiter nihil accipiunt remissionis. Miro itaque modo qui de voluntariis peccatis pœnitentiam agunt in hac vita, remissionem sine remissione accipiunt. Accipiunt namque plenam remissionem commissi criminis, sine ulla remissione condignæ satisfactionis. Peccare itaque in Patrem, ut dictum est, est peccare per impotentiam; peccare in Filium, est peccare per ignorantiam; peccare in Spiritum sanctum, est peccare per malitiam.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quid quibus peccatis sit proprium.

Audiamus ergo quomodo hæc eadem mala in Isaia ab eodem veritatis magistro describantur, cum dicitur : Vulnus, inquit, et livor, et plaga tumens. Per vulnus itaque intelligimus illud peccatum quod committitur per solam infirmitatem ; per livorem, illud quod contrahitur per solum errorem ; per plagam tumentem, illud quod consummatur per iniquitatem. Si enim per vulnus illam contritionem intelligimus, quæ quidem exterius aperitur, intrinsecus autem in tumorem minime vertitur, vide quam recte per ipsum peccatum infirmitatis designetur. Quid enim est contritio exterius aperta, nisi culpa manifesta sine simulatione, et contradictione aliqua? Quid enim est contritio sine tumore, nisi culpa, sine elatione, culpa cum humiliatione et confusione? Talia utique sunt peccata quæ per infirmitatem, (et quasi inviti), committimus : nulla enim amplius erubescimus, nulla amplius damnamus. Nam peccata ignorantiæ magis solemus negare quam accusare, et peccata malitiæ magis consuevimus vel per impudentiam jactitare, vel contumaciam defendere. Tales utique illi esse describuntur qui per sapientiam arguuntur. De quibus dicitur : *Quod lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II). Livor est ubi contritio pelle obtenditur, et ne sanies profluat, eadem qua tegitur pelle prohibetur. Sic ignorantiæ peccatum, ne in apertum prodeat, sub ambiguitatis suæ obumbraculo se velat, et ne per confessionis aperturam corruptionis suæ putredo erumpat, falsæ opinionis velamento se palliat. Ejusmodi tamen mens sæpe quæ suo errori cedit falsæque opinioni acquiescit, nec sic quidem in suis tenebris quiescere sinitur, ut secura sibi esse videatur. Sed variarum sententiarum alternatio, multiplicisque ambiguitatis fluctuatio mentem modo huc, modo illuc impellit, et eam quietam esse non sinit, sicque ad livoris similitudinem trepidam conscientiam et per sollicitudinem excoquit, et in formidinis nigredinem vertit. Recte autem per plagam tumentem peccatum malitiæ exprimitur, quod sine Dei contemptu minime committitur. Peccatum enim quod facile vitare possumus, quod et peccatum esse indubitanter agnoscimus, quomodo, quæso, sine Dei contemptu perpetrare valemus? Talia namque peccata, peccata malitiæ recte dicuntur, quæ neque per ignorantiam, neque per infirmitatem, sed sola mala voluntate committuntur. Quid itaque est tumor in percussuræ contritione, nisi contumacia in culpæ commissione, Deique contemptus in præcepti transgressione? Recte ergo, ut diximus, per vulnus quod in tumorem non vertitur, exprimitur peccatum infirmitatis, recte per livorem qui pelle tegitur, peccatum erroris, recte per plagam quæ tumore inflatur, peccatum malignitatis.

CAPUT V.

De peccato triplici, actionis, cogitationis, consuetudinis.

Vel possumus per vulnus intelligere mortuum extra domum, per livorem mortuum intra domum, per plagam tumentem mortuum jam putrescentem intra tumulum : per vulnus peccatum actionis, per livorem autem intelligimus peccatum cogitationis, per plagam tumentem peccatum consuetudinis.

Et notandum quia, sicut nihil aliud est plaga tumens quam vulnus in tumorem versum, sic peccatum consuetudinis nihil aliud est quam actionis malum in consuetudinem ductum, peccatum ergo per actionem manifestum, quid aliud est quam vulnus apertum, cadaver elatum? Et quid aliud est peccatum adhuc in cogitatione latens, nisi livor sub pelle putrescens, vel cadaver domus suæ latebras necdum deserens? Vel quid aliud est consuetudo mala, et jam per infamiam putrida, quam plaga ex putredine jam tumida, vel fœtentis cadaveris membra jam tabida? Neminem moveat quod prius ponitur contritio vulneris quam livoris, cum per vulnus peccatum actionis, et per livorem intelligi debeat peccatum cogitationis. Rectius namque fortassis et quasi congruis incrementi gradibus ordinari, et distingui corruptionis nostræ modus cuiquam videretur, si primo loco livor, secundo vulnus, novissimo plaga tumens poneretur, ut post malum cogitationis, malum actionis, et post utraque hæc malum consuetudinis describeretur. Sciendum tamen est quod, quamvis peccatum actionis secundum aliquid sit majus peccatum, tamen cogitationis secundum aliquid est periculosius. Nam peccatum actionis quamvis forte majus sit ad reatum, peccatum tamen cogitationis vide ne forte difficilius sit ad sanandum. Peccatum enim manifestum quo magis erubescimus, eo sæpe maturius corrigimus. Sæpe etiam culpa per actionem manifesta, vel admonitione corrigitur, vel ultione percussa ab invito deseritur. Hinc est quod in Evangelio Lucæ prius juvenis mortuus extra domum elatus resuscitatus legitur, quam puella mortua quæ adhuc intra domum invenitur. Si ergo per vulnus peccatum actionis, et per livorem peccatum cogitationis recte intelligimus, quid mirum si prius vulnus, et postea livorem in mystica lectione invenimus, cum peccatum cogitationis peccato actionis videatur esse periculosius, et hujus ordinis rationem evangelico exemplo approbemus? Recte autem plaga tumens novissimo loco, et quoddam quasi fastigium ponitur, per quam malum pravæ consuetudinis designatur, eo quod ad reatum immanius, et ad sanandum difficilius cæteris omnibus invenitur.

CAPUT VI.

Quod prædicta singula tribus modis possint accipi.

Vel per vulnus quod est sine tumore, sed et nihilominus sine omni curatione possumus intelligere peccatum quod accusamus, nec tamen deserimus per livorem, peccatum quod per hypocrisim tegi-

Digitized by Google

mus. Per plagam tumentem, peccatum quod per contumaciam defendimus. Tribus itaque modis peccati contritio aperitur, tribus modis obducitur, tribus modis inflatur. Aperitur, in modum vulneris; obducitur, in modum livoris; inflatur, in modum plagæ tumentis. Vulnus apertum, peccatum manifestum. Sed peccati vulnus aliter manifestatur homini in seipso, aliter proximo, aliter Deo. Sibi, per cognitionem, proximo, per actionem, Deo, per confessionem. Quantum enim in nobis est, illud Deo abscondimus, quod coram ipso per propriam confessionem damnare nolumus. Tribus item modis peccati contritio absconditur, et ad livoris similitudinem quadam occultationis pelle obducitur. Aliter enim absconditur nobismetipsis, aliter Dei oculis, aliter occultatur proximis. Nobis absconditur per errorem; Deo, per taciturnitatem; proximo per simulationem. Similiter peccati macula tribus modis intumescit, et se in plagæ tumentis morem inflatione distendit. In semetipso putrescit per malitiam, coram proximo per impudentiam, contra Deum intumescit per contumaciam. Homo enim prius per malitiam destruit seipsum, per impudentiam perdit proximum, per contumaciam impugnat Deum.

A

B

CAPUT VII.

Quid quibus peccatis sit familiare.

Sed licet hæc tria accidentia videamur generaliter omni peccato attribuere, quoniam unum idemque corruptionis malum in aliis, vel in eodem homine, alio et alio tempore, modo apertum, modo occultum, modo tumidum solemus invenire, speciale tamen, vel potius familiare quibusdam peccatis solet esse cum quadam libertate, potius quam tumore in apertum prodire; quibusdam autem cum ingenti elationis inflatione erumpere, quibusdam vero nunquam deprehendi, sed semper latere velle. Quis enim nesciat quomodo tristitia soleat seipsam totam in verbis producere, et per querimoniam effluere, et juxta vulneris modum, quasi quoddam sanguinis profluvium in planctu et gemitu effundere? Invidentiæ autem malum sub silentio se abscondit, quia livida mens vitium suum manifestare erubescit, et idcirco dissimulationis pelle se palliat, ne, si in apertum prodeat, contemptui pateat omnibusque vilescat. Solet tamen hoc malum semper seipsum, sed invitum, prodere per manifestum indicium, eo quod habere soleat torvum respectum, amarum responsum, pallidum vultum, et cætera latentis infirmitatis signa, in hunc modum, ita ut quamvis latere velit, penitus tamen latere non possit. Sed juxta livoris similitudinem evidenter exterius appareat, quamvis sub dissimulationis pelle, ut dictum est, latens per verbum non erumpat. Ira vero ad illatam injuriam indignatione intumescens, et pro plagæ tumentis more per minas et contumelias foras erumpens, dum pudore aut timore sæpe magna ex parte coerceatur, latius interius per votum, quam exterius per verbum in ultionis malum grassatur. Perpendis sane, ut arbitror, quanta similitudo tristitiæ cum vulnere invidiæ, cum livore iracundiæ, cum plaga tumente. Quanta vero, quamve timenda sint hæc mala docemur ex ipsa divina Scriptura. Quale enim tristitiæ malum esse creditur, quæ, testante Apostolo, mortem operatur? (*II Cor.* VII.) Quid autem de invidia, quid de iracundia sentire debeamus, sacræ identidem Scripturæ testimonio approbamus: *Virum stultum*, inquit, *interficit iracundia, et parvulum occidit invidia* (*Job.* v). Attende ergo quam magna mala singula hæc esse jure credantur, quæ omnia secundum Scripturæ attestationem mortem operantur.

C

TRACTATUS III.

Hucusque de triplici peccato, nunc de triplici remedio.

CAPUT PRIMUM.

Adhuc ad augmentum mali et illud accedit quod hæc quæ mortalia sunt, nulla pene arte, nulla sagacitate ad plenum vitari possunt. Quis, quæso, se cum tanta cautela, cum tanta vigilantia custodiat, ut nunquam morsus tristitiæ, nunquam morsus invidiæ vel iracundiæ sentiat? Sed si hæc tanta mala plene vitare non possumus, cur saltem remedia contemnimus? Remediorum sane contemptus ostenditur in eo quod dicitur: Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo. Tria sunt mala quæ præmittuntur, et tria remedia quæ subinferuntur: vulnus, et livor, et plaga tumens. Ecce triplex malum, cui subjungitur triplex remedium, in ligamentis, curamentis et fomentis. Et forte cui videbitur singula singulis debere aptari, et ligamenta ad vulnus, curationes ad livorem, fomenta ad plagam tumentem debere referri. Sed ne hanc verborum distinctionem sequamur ipsius litteræ ratione prohibemur. Cum enim circumligata (non circumligatum) ponitur, non hoc ad vulnus singulariter debere referri probatur. Similiter cum curata (non curatus lego) quomodo solummodo ad livorem referri debeat, non video. Cum ergo circumligata, curata, fota legamus, cogimur ut singula hæc ad plagam referamus. Ut autem ad præmissa etiam duo singula referri queant, nil obstat, cum hoc nec littera prohibeat, nec sententiæ ratio obsistat. Intelligimus autem ligamenta in mandatis, curamenta in minis, fomenta in promissis.

D

Digitized by Google

CAPUT II.

De triplici institutione.

Congrua satis similitudo vinculorum, et mandatorum, vinculis siquidem coarctamur, et mandatis utique divinis a nostris voluntatibus coercemur. Vinculis trahimur, vinculis retinemur, vinculis astringimur. Vincula attrahentia, præceptiones; vincula retinentia, prohibitiones; vincula constringentia, admonitiones. Præceptio est eorum quæ fieri oportet. Prohibitio eorum quæ fieri non licet. Admonitio eorum est quæ quidem expedit fieri, cum tamen sine culpa possint præteriri. Præceptionibus sane illuc sæpe urgemur, quo boni operis gressum sine difficultate non dirigimus. Prohibitionibus autem inde sæpe retrahimur, quo per desiderium properamus. Admonitionibus vero cordium nostrorum hiantia seu etiam fluxa arctius alligamus, cum voluntates nostras a licitorum etiam usu sæpe restringimus. Vincula itaque attrahentia sunt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et proximum tuum sicut te ipsum. Honora patrem tuum, et matrem tuam. Vincula retinentia sunt: Non occides, non mœchaberis, non furtum facies. Vincula constringentia sunt: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et illud quod a Domino de virginitate proponitur, cum dicitur: *Qui potest capere capiat* (*Matth.* x), unde et Apostolus: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, sed consilium do. Bonum est homini sic esse* (*I Cor.* vii); et alibi: *Bonum est homini mulierem non tangere* (*ibid.*). Hujusmodi ergo vinculis vitiorum nostrorum vulnera hiantia, animæque contritiones constringimus, et a foris munimus, quoties noxia desideria ab actu, seu etiam consensu cohibemus.

CAPUT III.

De triplici comminatione.

Sed ad perfectæ sanitatis reparationem non sufficit pravæ assentationis malum, adhibitis mandatorum vinculis restringere, nisi satagamus pari sollicitudine noxios affectionum carnalium humores voluptatumque putredinem, adhibitis curationum congruarum medelis exstirpare. Ecce triplex tibi curationum genus ostendimus, in divinis videlicet comminationibus, sicut superius de vinculis docuimus. Comminatio correptionis, comminatio reprobationis, comminatio damnationis. De primo dictum est: *Quem enim diligit Deus corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* xi). De secundo autem scriptum est: *Ergo cui vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* ix). De tertio est illud: *Tunc dicet illis qui a sinistris ejus erunt: Ite, maledicti, in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus* (*Matth.* xxv). Comminatio castigationis est: *Si ambulaveritis ex adverso mihi, nec volueritis audire me, addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra* (*Levit.* xxvi), et illud quo paulo superius ponitur: *Addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra, et conteram superbiam duritiæ vestræ*. Comminatio obdurationis est: *Ecce ego indurabo cor Pharaonis* (*Exod.* iv). Comminatio damnationis est: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur* (*Marc.* ix). Amarus utique est hujusmodi herbarum succus, sed ad noxios vitiorum humores dessiccandos efficacissimus. Quis enim tam effrenatus qui non studeat concupiscentias suas temperare, si diligenter attendat memoriterque retineat quod soleat Dominus in quibusdam electis suis malas delectationes in hac vita etiam septuplum punire? Quis non pertimescat perversis consuetudinibus pertinaciter insistere? quisve non festinet pravum usum citius corrigere, cum audiat quosdam etiam in hac vita in reprobum sensum dari, et jumentis insipientibus comparari, et propter obstinationem obligationemque peccati irremediabiliter gehennalibus pœnis tradi, ne forte, si resipiscere voluerint cum adhuc possint, jam ulterius omnino non possint? Restat adhuc tertia species omnium efficacissima atque potentissima, et in hujusmodi morborum medelam præ cæteris omnibus præstantissima. Hæc est enim illa quæ inveteratos vitiorum morbos efficassime solet curare, et pene desperatos morbidos ad plenam sanitatem reformare. Quis enim tam insensatæ, tam obstinatæ mentis homo uspiam poterit inveniri qui non expavescat et omnino abhorreat transitoria carnis blandimenta tormentis æternis mercari, si diligenter inspiciat, indesinenterque attendat, quam sint modica seu etiam momentanea ista omnia carnis oblectamenta quæ pertranseunt, et quam sint immania, quamve atrocia tormenta illa æterna quæ finem non habeant nec habere possunt? Vide ergo quia magna ex parte in nostra potestate est sanitatem nostram recuperare, si studeamus morbis nostris hujusmodi medelam modo congruo adhibere. Vulnus itaque, et livor, et plaga tumens quæ non est circumligata, neque curata hujusmodi medicamine: quid jam miramur, quidve conquerimur si non potest sanitatem recuperare? Juste quidem in suis contritionibus deficit et perit: cui, cum abundanter in hujusmodi speciebus suppeteret, morbis suis congrua curationum medicamenta adhibere noluit. An nescitis qui contemnitis hujusmodi curationum medicamenta, quia secundum Sapientis sententiam: *Curatio cessare facit peccata maxima?* (*Eccle.* x.) Sed forte prædictarum herbarum succum (utpote amarum multumque mordacem) horretis, unde et vulneribus vestris hujusmodi adhibere forte pertimescitis. Sed si forte videtur vobis earum amaritudo amarissima, illud quoque attendite, quia et medela efficacissima.

CAPUT IV.

De triplici promissione.

Accipite tamen triplex adhuc olei genus in divinis utique promissionibus, ut habeatis in quo possitis, cum opportunum fuerit, doloris acerbitatem lenire, et membra jam jamque convalescentia fovere, seu etiam jam sanata nutrire. Prima itaque olei species est promissio veniæ; secunda, promissio

Digitized by Google

gratiæ; tertia, promissio gloriæ. Est enim præstabilis super malitiam misericors et miserator Dominus, et non solum delictorum veniam, verum etiam gratiam et gloriam dabit Dominus. Nonne ad illam primam olei speciem (quam nos diximus promissionem veniæ) videtur illud pertinere : *Si fuerint*, inquit, *peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, sicut lana alba erunt* (*Isai.* I). Ad secundum autem, id est promissionem gratiæ, illud pertinere videtur, de quo per Apostolum dicitur : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus, unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* (*I Cor.* XII). Sed si tertiam olei speciem in promissione gloriæ accipimus, nonne ad hanc illud tibi pertinere videtur quod alibi in eodem Apostolo legimus ? *Alia quidem*, inquit, *cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella autem a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale* (*I Cor.* XV).

CAPUT V.

De triplici virtute triplicis promissionis.

Ecce habes tres species olei, singulas utique non vilis, vel mediocris pretii. Omnes sane pretiosæ et in diversos usus necessariæ, sive ad cibaria condienda, sive ad luminaria continuanda, sive ad vulnera medenda. Primum tamen præcipuum est, meliusque proficit in usum unctionis; secundum in usum luminis ; tertium in usum refectionis. Primum siquidem fovet salubrius, secundum ardet clarius, tertium sapit dulcius. Illud sane olei genus videtur præ cæteris dulcius sapere, quod dici solet in Scriptura oleum lætitiæ (*Psal.* XLVI), quod quid aliud est quam participatio gloriæ? Sed illud præ cæteris omnibus videtur ardere clarius, et illuminare efficacius, de quo quidem legimus, quod unctio ejus docet nos de omnibus; quia, sicut sine gratiæ illustratione non possumus viam veritatis, vel ad modicum tenere, sic sine ejus ducatu, non possumus vitæ viam perdere, vel uspiam aberrare. Sic sane præ cæteris illud genus olei videtur melius proficere ad curam medendi, de quo habes quod putrescit jugum a facie olei, eo quod divinæ remissionis miseratione pereat usus peccandi, servitusque peccati (*Joan.* VIII). Sed licet ista de singulis specialiter assignavimus, singulas tamen species ad doloris levamen utiles, multumque efficaces, usu quotidiano probare possumus. Quam enim, quæso, tantam doloris cujusque acerbitatem poterimus invenire, quam tanta illa divinarum promissionum dulcedo non possit lenire ?

CAPUT VI.

De triplici levamine contra triplicem dolorem.

Alii dolent ex inflictione contritionis, et vulneris, alii ex languore infirmitatis, alii ex defatigatione tribulationis et laboris. Inflictio vulneris commissio criminis. Languor infirmitatis defectus virtutis. Defatigatio laboris, tædium exspectationis, surgens ex multitudine tribulationis et impatienti desiderio promissæ retributionis. Ex his sane omnibus dolor surgit, animumque nonnis multipliciter affligit. Sed contra triplicem dolorem habes triplicem olei spem. Si itaque doles ex vulnere criminisque commissione, habes oleum propositæ veniæ ex Domini utique promissione. Si doles ex infirmitate, et defectio virtutis tenuit te, habes oleum promissæ gratiæ. Si doles fatigatus afflictione, jinungere oleo lætitiæ in spe promissæ gratiæ. Si itaque pœnitentiæ dolor affligit cor tuum, et te urget acerbius *conscientia peccatorum*, accipe unctionem, et recipe consolationem. Ad illam namque Dominicam vocem (imo divinæ unctionis effusionem). *Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini autem a viis vestris pessimis, et quare moriemini domus Israel* (*Ezech.* XXXIII). Quæ, quæso, tam immanis est cujuscunque contritionis pœnitentiæque amaritudo, quam lenire non possit hujusmodi divinæ unctionis infusio? Si doles de languore et defectu tuo, insiste precibus, nec prius desistas donec induaris virtute ab alto, donec quiescas penitusque convalescas ab omni dolore vel languore tuo, utpote delibutus pretiosissimo illo evangelicæ hydriæ unguento : *Si enim nostis*, inquit, *cum sitis mali bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se ?* (*Luc.* XI). Sed ut amplius mireris, in nostra relinquitur potestate ab eo qui dat, et non improperat, ut quivis quantum voluerit tollat, cum dicat : *Omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur* (*Matth.* VII). Noli itaque parcus esse in expendendo, nec avarus in erogando. Quanto magis erogas, tanto amplius abundas : *Gratis*, inquit, *accepistis, gratis date* (*Matth.* X). Nescit sane gratiæ effusio, oleique hujusmodi emanatio in viduæ manibus cessare, nisi cum vasa vacua defuerint, quæ possit implere. Si in tribulationibus deficis, nimiove labore fatigaris, habes gloriæ unctionem, unde fatigationis tuæ dolorem lenire possis, cum ab illo pretioso unguentario accipis quod audis : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII) : *id enim quod in pœnitenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*

Digitized by Google

(*II Cor.* IV). Audi adhuc ejusmodi unguentarium eamdem olei speciem gloriæque unctionem proferentem : *Cum enim*, inquit, *Christus apparuerit, vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* I).

CAPUT VII.

Assignatio triplicis promissionis.

Prima sane olei species erat, quod Samaritanus ille vulneribus ejus infundebat qui in latrones inciderat : qui etiam spoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt semivivo relicto (*Luc.* X). Hoc genere unguenti peccatrix illa peccatorum suorum vulnera sanavit, dolorisque nimietatem tandem aliquando mitigavit, quæ a Domino tandem audire meruit : *Dimissa sunt ei peccata multa* (*Luc.* VII). Hoc unguento de Domini munere dives ad Domini pedes venit, et novissimis Domini membris largiter impendit pietatis unctionem, quam desuper se accepisse cognovit ut peccatrix, et pœnitens, peccatoribus et pœnitentibus pietatis beneficium impenderet, quale de Dei misericordia gratis se accepisse meminisset. Hoc pietatis unguentum servus ille nequam in Domini pedes effundere noluit, quod tamen de Domini munere in tanta abundantia accepit : unde et id quod prius gratis accepit, reddere postea compellitur, cum ei per exprobrationem dicitur : *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* (*Matth.* XVIII.) Secunda, ut arbitror, olei species fuit cujus debitorem se esse recognovit, qui interroganti sibi respondit : *Quantum*, inquit, *debes domino meo? Et ille : Centum cados olei* (*Luc.* XVI). Attende, obsecro, in quanta abundantia gratiæ oleum acceperat, qui centum cados olei se debere non negat. Hoc olei debitum reddere compellebat, qui domini sui debitores alloquendo instanter admonebat : *Videte*, inquit, *ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (*I Cor.* VI). Hoc olei debitum in seipso cognovit, et confiteri non erubuit, cum dixit : *Gratia Dei sum id quod sum* (*I Cor.* XV). Quantum autem pro reddendo hoc olei debito laboret, ostendit in eo quod subsequenter adjungit, *et gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laborovi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (*ibid.*). Tertia autem, ni fallor, olei species erat, quo prudentes illæ quinque virgines abundabant, unde et earum lampades exstingui non poterant, quæ olei defectum non timebant. Accurrunt itaque et properant in abundantia hujus olei, et fatuis virginibus foris stantibus, cum fiducia intrant in gaudium Domini sui, et in lætitia sempiterna recumbunt ad nuptias Agni (*Matth.* XXV). Hujus olei plenitudinem acceperat, quo et denique plene delibatus erat, de quo et Propheta veraciter asseverat : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV ; *Hebr.* I). Recte sane præ consortibus, vel participibus suis, nec solum præ hominibus, verum etiam præ angelis. *Tanto enim melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit* (*Hebr.* I). *Gloria* namque *et honore* coronatus, accepit *nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philipp.* II; *Hebr.* I). Dignus sane qui acciperet plenitudinem gloriæ, qui prius acceperat plenitudinem gratiæ : *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis* (*Joan.* I). Nec dubium itaque est eum veraciter accepisse omnem plenitudinem (juxta unamquamque superius assignatam olei speciem), *in quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II). Est enim fons misericordiæ, ab ipso fluenta totius gratiæ, in ipso abyssus æternæ et infinitæ gloriæ. Cur, quæso, adhuc hujusmodi olei inopia laboramus? *Omnes* enim *de ejus plenitudine accepimus* (*Joan.* I), si voluimus. Tantummodo petamus et accipiemus. Pretiosissimum olei genus est illud, quod dictum est oleum lætitiæ, seu gloriæ, quod tamen ipse præcipit nos postulare, promittitque se dare. *Petite*, inquit, *et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum* (*Joan.* XVI). Satis itaque ad manus habemus quod, cum integre volumus, ad petitionem accipimus.

CAPUT VIII.

Assignatio multiplicis utilitatis in divinis promissionibus, et prædictorum recapitulatio.

Habemus ergo tres olei species, omnes utique tam necessarias quam utiles. Primam, contra triplicem contritionem, vulneris, livoris, plagæ tumentis. Secundam autem, contra triplicem dolorem, languidi capitis, mœsti cordis, ægroti corporis. Tertiam vero contra triplicem fatigationem (etiam sani corporis) videlicet laboris, egestatis, persecutionis. Habes oleum divinæ misericordiæ, in quo foveas vulnera peccatorum ; habes oleum gratiæ, in quo mitiges morbos vitiorum ; habes oleum gloriæ, in quo lenias fatigationes certaminum. Sicut aliud est morbus, et aliud vulnus, sicut superius docuimus, sic aliud est vitium, et aliud est peccatum. Vitium est ipsius naturalis boni etiam invitus defectus, peccatum est tentantis mali spontaneus consensus. Vitium itaque est corruptio naturæ ex qua fit prona et cupida illius etiam mali sæpe, cui tamen consentire nolit. Peccatum vero est perversio industriæ per quam sæpe illi etiam malo sponte consentit cui facile resistere potuit. Prius itaque est sanare vulnera peccatorum. Secundum autem est curare morbos vitiorum. Tertium vero lenire dolores fatigationum. In peccatorum itaque medelam, ut dictum est, habemus oleum misericordiæ ; in vitiorum curam, oleum gratiæ ; in defectuum cautelam, oleum gloriæ ; in peccatorum sane medelam, habes utique confectionem illam propheticam ex prima olei specie confectam : *Beati*, inquit, *quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). Mirabile sane misericordiæ unguentum, quod non solum de infirmo sanum, sed et de misero efficit beatum : *Beatus vir*, inquit, *cui non imputavit Dominus peccatum* (*ibid.*). Contra vitiorum morbos corru-

Digitized by Google

ptionemque naturæ accipe adhuc aliam unguenti confectionem ex oleo gratiæ : *Beatus cujus Deus Jacob adjutor ejus* (*Psal.* CXLV). Accipe adhuc unctionem aliam eodem gratiæ oleo confectam : *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (*Psal.* XCIII). Accipe et illud : *Beatus vir qui confidit in Domino; erit Dominus fiducia ejus* (*Jer.* XVII). Beatus vir qui Dominum habet adjutorem, eruditorem, protectorem. Beatus quem Dominus adjuvat, erudit et protegit ; adjuvat ad bonum, defendit contra malum, erudit ad utrumque discernendum. Adjuvare, erudire, defendere, totum est gratiæ. Primum itaque est contra defectum fortitudinis, secundum contra defectum veritatis, tertium contra defectum virtutis. Omnia contra defectum boni naturalis. Primum contra debilitatem languidi capitis, secundum contra caliginem mœrentis cordis, tertium contra anxietatem infirmi corporis inquietudinemque æstuantis cupiditatis. Habemus adhuc tertiam olei speciem, et ex ipsa similiter triformem unguenti confectionem, contra triplicem corporis jam convalescentis defatigationem. Contra fatigationem laboris, habes illud: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit* (*Psal.* CXXVII). Contra afflictionem egestatis, habes illud : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Contra tribulationem persecutionis, habes illud : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*ibid.*). Quis, quæso, inter tot tribulationum certamina non modo non doleat, imo etiam non exhilarescat, cum Scripturæ sacræ attestatione addiscat, et de quo dubitare non audeat, quoniam *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se?* (*Jac.* I.) Hinc est quod apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* V). Quam recte hæc olei tertia species dicitur oleum lætitiæ, quæ facit etiam de tribulatione gaudere! Quis enim non lætetur, imo et glorietur, in infirmitatibus et tribulationibus suis, cum speret accipere in præmium certaminis quod *oculus non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se?* (*I Cor.* II.) Hæc de diversis olei speciebus jam diximus, ut sciamus quas, in quales usus utiles, seu etiam necessarias habemus; nec nobis debet sufficere hoc de hujusmodi olei speciebus cognovisse, utilitatisque earum a se invicem distinguere potuisse, nisi studeamus ex his secundum uniuscujusque utilitatem atque virtutem infirma nostra fovere, ne illa divinæ increpationis sententia videatur nosipsos arguere : *Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota eleo* (*Isa.* I).

TRACTATUS

DE POTESTATE LIGANDI ET SOLVENDI.

CAPUT PRIMUM.

Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI). Quæritis a me utrum hæc ligandi et solvendi potestas, quæ Petro apostolo in his verbis datur, eadem sit quæ alibi omnibus apostolis, et in ipsis omnibus eorum vicariis in commune concedit, cum dicitur : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX). Dicitis namque quia de potestate ligandi atque solvendi, remittendi et retinendi peccata, similiter et de clavibus regni cœlorum diversi diversa sentiunt, et alii alio modo, et aliter exponunt. Quæritis itaque utrumnam apostoli eorumque vicarii potestatem in illis Dominicis verbis acceperunt, ut homines a debito æternæ damnationis absolvere possint. Sunt namque, ut dicitis, qui hoc affirmant, sunt similiter et alii qui hoc ipsum negant. Unde et adhuc opponendo quæritis, et quærendo opponitis, si sacerdotibus datum est homines ab æternæ damnationis debito posse solvere, nunquid et eodem debito aliquos posse ligare? Ecce duo veniunt ad sacerdotem, unus crimine obduratus et eo ipso ligatus, alius veraciter justus, et eo ipso solutus, nunquid potest vel ligatum solvere, vel solutum ligare? Nam non est solutio nisi ejus qui prius ligatus fuerat, nec ligatio nisi ejus qui prius solutus erat. Item ecce duo criminosi veniunt ad sacerdotem, unus vere pœnitens, alter omnino impœnitens : nunquid potest, quæso, impœnitentis peccata remittere, et vere pœnitentis pro voto retinere?

CAPUT II.

In primis itaque notandum quod peccatorum obligatio consideratur circa duo. Alia est ejus illa obligatio per quam homo obligatur ad culpam, et alia est illa per quam obligatur ad pœnam. In uno obligatur vinculo captivitatis. In altero vero obligatur debito damnationis. Si enim homo in aliquod grave peccatum ceciderit, jam non est in ejus potestate ut per semetipsum resurgere possit : per semetipsum potest a Domino recedere, sed per semetipsum non potest ad ipsum redire. Est siquidem, secundum Psalmistam, *Spiritus vadens et non rediens.* (*Psal.* LXXVII). Unde et illud ejusdem Psalmistæ : *Beatus*

Digitized by Google

vir qui non abiit in consilio impiorum (*Psal.* I). Hinc est quod obligatio culpæ dicitur mors animæ; quia, sicut per mortem exteriorem corpus restringitur ab operibus quæ sunt ad vitam, sic anima per obligationem culpæ mortificatur ad opera quæ sunt ad vitam æternam. Sed homo semel vinctus atque captivatus utinam teneretur ad solam captivitatem, sed quod miserrimum est tenetur etiam ad peccandi servitutem. Nam, *qui facit peccatum servus est peccati* (*Joan.* VIII). Unde fit ut quotidianas usuras exsolvat, et reatus sui debitum quotidie augescat. Inde est illa promissio, quam habetis in Psalmo : *Ex usuris et iniquitate redimet animas eorum* (*Psal.* VII). Culpæ itaque obligatio versatur circa duo. In uno accenditur vinculum captivitatis, in alio debitum servitutis. Ecce de obligatione culpæ. Nunc autem videamus de obligatione pœnæ.

CAPUT III.

Ad cumulum namque miseriæ tenetur prævaricator merito prævaricationis suæ non solum vinctus ad culpam, verum etiam addictus ad pœnam. Eo ipso siquidem quo illud committit quod quantum in se in æternum corrigere non possit, et in ipsius injuriam qui in æternum vivit, eo ipso, inquam, æternæ damnationis debitum incurrit. Damnatio autem æterna in sacra Scriptura dicitur *Mors secunda* (*Apoc.* XX) : nam, sicut ex obligatione culpæ retrahitur anima a beneplacito divino, sic ex inflictione damnationis æternæ alienatur anima ab omni beneplacito proprio. Hominem autem ejusmodi vinculis obligatum solus ille solvere potest qui vere omnipotens est, et omnia potest. *Quæ* autem *apud homines impossibilia sunt, possibilia sunt apud Deum* (*Luc.* XVIII). Nullum namque cor tam lapideum, tam durum, vel obstinatum quod Dominus statim, cum voluerit, ad veram pœnitentiam emollire non possit. Hinc est illud utique beati Joannis Baptistæ : *Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III; *Luc* III). Quando ergo ille qui omnia potest prævaricatorem ad veram pœnitentiam compungit, quid aliud, quæso, quam perpetualem culpam, et eo ipso perpetualem pœnam terminabilem facit? Sic utique, sic transit pœna in pœnam, æterna in transitoriam, et qui prius tenebatur debito damnationis, modo jam tenetur debito expiationis. Ecce habetis quod pœnæ obligatio versatur circa duo. Aliud namque est debitum damnationis, et longe aliud debitum expiationis. Ecce jam aperte tenemus, sicut ex superioribus cognovimus, quod duo considerantur circa obligationem culpæ, duo similiter circa obligationem pœnæ. Nam in culpæ obligatione, ut dictum est, invenis vinculum captivitatis, et vinculum servitutis. Ex vinculo captivitatis illaqueatur ne redeat ad faciendum bonum, ex vinculo servitutis attrahitur, et exagitatur ad augendum malum. Utrumque autem ad damnationis augmentum. Similiter in obligatione pœnæ constat procul dubio geminum vinculum esse, vinculum damnationis, vinculum expiationis. Ex illo tenetur homo ad pœnam æternam, ex isto ad pœnam transitoriam, et ad illam quidem ad malum suum, ad istam ad bonum suum. Nam ex illa homo cruciatur, nec purgatur; ex ista vero sic torquetur ut purgetur.

Et notandum quod captivitatis et servitutis obligatione tenetur unus idemque homo sub uno et eodem tempore, damnationis vero et expiationis vinculo nunquam tenetur unus idemque homo sub tempore uno. Nam eo ipso sæpe expiationis debito tenetur quo damnationis debito absolvitur.

CAPUT IV.

Sicut itaque est gemina obligatio, sic absque dubio est gemina solutio. Primam autem solutionem facit Dominus semper per semetipsum, secundam vero quandoque per se solum, quandoque per ministrum suum. Obligationem namque culpæ solus Dominus solet et valet dissolvere, operatur eam tamen quandoque cum nonnulla ministrorum suorum cooperatione. Hæc tamen cooperatio non solet esse tantummodo sacerdotum, verum etiam aliorum. Nec hanc quidem cooperandi gratiam aliqui habent in potestate, sed modo isti, modo illi accipiunt, vel non accipiunt pro divina dispensatione. Soli autem sacerdotes licentiam quam in ligando et solvendo divinitus acceperunt habent in potestate, et possunt eam, prout ratio dictaverit, omni tempore exercere. Notandum autem quod sub uno eodemque momento ad consensum criminis consentientis animus triplici funiculo astringitur, et vinculis captivitatis, servitutis, damnationis, quantum in se solo est, insolubiliter ligatur. Scimus namque quia *funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccle.* IV). Vere et absque dubio ad rumpendum difficilis est, qui nisi ab ipso solo qui est trinus et unus disrumpi non potest. Hic autem funiculus triplex ad rumpendum difficilis eo ipso disrumpitur, quo anima peccatrix ab eo qui omnia potest ad veram pœnitentiam compungitur. Prævaricator itaque sub uno eodemque tempore solvitur a culpæ obligatione et a debito damnationis æternæ. Ex eo enim quod ejus culpa finem accepit, simul et illud obtinuit, ut ejus pœna finem accipere posset, et pœna æterna in pœnam transitoriam transiret. Hinc est quod propheta David vere pœnitens et dicens : *Peccavi*, id statim ex prophetico oraculo accepit responsi : *Dominus quoque transtulit peccatum tuum* (*II Reg.* XII). Statim namque ad veram pœnitentiam transit pœna in pœnam, æterna in transitoriam, non purgatoria in purgatoriam. Hinc est prophetica illa tam vera quam nota sententia : *Quacunque hora ingemuerit peccator, salvus erit* (*Ezech.* XXXIII). Sub eo namque tempore quo salubriter ingemuit, causam veraciter obtinuit per quam salvari possit, si sub eodem momento de medio sublatus fuerit. In eamdem sententiam currere videtur quod per Psalmistam dicitur : *Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXII). Ex hac prophetica sententia datur intelligi quod ad veram contritionem et confessionem cordis remittitur iniquitas veraciter pœnitentis.

Digitized by Google

Notandum diligenter quod non dicit, tu remisisti peccatum meum, sed, impietatem peccati mei. Quod enim iniquitatis est et impietatis, et procul dubio æternam pœnam merebatur, statim ad veram pœnitentis animæ contritionem remittitur, quamvis quod impuritatis est in ejus peccato postmodum per transitoriam pœnam purgetur. Quid enim aliud intelligitur nomine impietatis quam specialis injuria Creatoris? Ab ipso enim sumus, ab ipso habemus quidquid boni habemus. Quid ergo magis impium, quid potest esse magis injuriosum quam contra tantæ pietatis Dominum, et eum qui vivit in æternum, illud improbe committere, quod, quantum in te est, non possis in æternum corrigere? Impietas itaque peccati tunc veraciter remittitur, quando ad veram prævaricatricis animæ pœnitentiam Creatoris injuria indulgetur, et cui æterna pœna debebatur, purgatoria sola et transitoria multatur. Notandum autem hoc loco quod infideles et criminosi baptisma cum fide suscipientes sic absolvuntur debito damnationis, ut non teneantur debito expiationis: fideles vero et criminosi post lapsum vere pœnitentes sic absolvuntur debito damnationis, ut tamen teneantur sub debito expiationis.

A

B

CAPUT V.

Vera pœnitentia est abominatio peccati cum voto cavendi, confitendi, satisfaciendi. Quatuor namque ista debet habere pœnitentia vera. Duo ex his nos docet conscientia propria, reliqua duo doctrina authentica. Quem enim propria conscientia non doceat, quod accepta injuria nec homo ab alio quam ab homine placari valeat, nisi eum de illata injuria pœnitere et iterare nolle confidat. De remedio autem confitendi est illud beati Jacobi apostoli: *Confitemini*, inquit, *alterutrum peccata vestra* (*Jac.* v). De exhibenda autem digna satisfactione, habet illud Joannis Baptistæ: *Facite*, inquit, *dignos fructus pœnitentiæ* (*Luc.* III). Prævaricator itaque et pœnitens debito confitendi et satisfaciendi tenetur quandiu divinitus tempus et opportunitas ei in hoc ipsum conceditur. Eget ergo sacerdotis absolutione quandiu datur hoc posse. Solus namque ille sub hac conditione non tenetur, cui exsequendi facultas divinitus denegatur. Ea quæ hucusque jam diximus idcirco prælocuti sumus, ut plenius intelligamus in liberatione et absolutione peccatorum quid Dominus faciat per seipsum solum, quid per se simul et ministrum suum, quid aliquando per ministrum suum solum. Nunc itaque illi considerationi diligentius insistamus, propter quod totum negotium suscepimus.

C

D

CAPUT VI.

Sciendum itaque quod sacerdotalis illa potestas ligandi atque solvendi maxime versatur circa geminum modum expiandi. Expiandi siquidem modus consistit in duobus. Nam, quia nullum peccatum impunitum, oportet ut expietur aut in hac vita juxta arbitrium sacerdotis per dignum pœnitentiæ fructum, aut in vita futura juxta divinum arbitrium per ignem purgatorium. Habet itaque peccatrix anima a solo damnationis debito relaxata, et adhuc debito expiationis obnoxia; habet, inquam, et quomodo per sacerdotale officium possit utiliter ligari, et unde egeat misericorditer absolvi. Vere namque pœnitens libenter subit judicium humanum ut merito evadere possit judicium divinum. Ligatur ergo per sacerdotem debito dignæ satisfactionis, et absolvitur ab illo quod ignem meretur debito futuræ purgationis. Eo ipso namque quo devote suscipit sententiam humanam, meretur evadere sententiam divinam. Ecce quomodo habes quod sub uno eodemque tempore homo solvitur atque ligatur. De hac ligandi atque solvendi potestate a Domino dictum intellige: *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris*, etc.

Notandum autem quod quemadmodum in divina solutione transit pœna in pœnam, æterna in transitoriam, sic in sacerdotali absolutione transfertur sententia in sententiam, divina in humanam. Utrobique ergo peccator solvitur, utrobique ligatur, sed ibi absolutio est causa obligationis, hic e converso obligatio est causa absolutionis. Hinc est quod cum ad Petrum dicitur: *Quodcunque solveris super terram erit solutum et in cœlis*, præmittitur: *Quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis*. Nam, uti jam diximus, eo ipso in posterum absolvitur a debito debitæ animadversionis, quod hic interim ab homine ligatur debito præsentis satisfactionis. Ad hanc solvendi potestatem et illud pertinere videtur quod a Domino apostolis omnibus, et in ipsis omnibus eorum vicariis, dicitur: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Quid enim est peccata remittere, nisi districtionis sententiam quæ peccatis debetur relaxando absolvere et absolvendo relaxare? Et quid est peccata retinere, nisi non vere pœnitentes nolle absolvere? Multi enim confitentium absolutionem quærunt, qui tamen crimina sua ex toto deserere nolunt. Multi cautelam de futuro promittunt, sed satisfacere nolunt. Ejusmodi omnes eo quod vere non pœnitent, procul dubio absolvi non debent. Hoc est enim vere pœnitere, de præterita prævaricatione dolere cum firmo proposito confitendi, satisfaciendi, et cum omni cautela cavendi. In hunc modum pœnitentes merito debent absolvi. Alioquin sine absolutione remitti, et hoc est peccata retineri.

CAPUT VII.

Ecce ex his quæ jam diximus manifeste intelligere poterimus in resolutione peccatorum quid Dominus faciat per semetipsum, quid per ministrum suum, quid vero per se simul et officio ministrorum. Per semetipsum sane solvit vinculum obdurationis, per se simul et ministrum suum, debitum æternæ damnationis, per ministrum vero debitum futuræ purgationis. Primæ namque resolutionis potestatem sibi soli reservavit; secundam vero resolutionem per se simul et ministrum facit; tertiam autem Dominus non tam per seipsum quam per mini-

Digitized by Google

strum suum facere consuevit. Recte quidem dicitur quod Dominus vere pœnitentem a vinculo damnationis absolvit, recte nihilominus quod sacerdos hoc facit. Et Dominus quidem ad confessionem cordis, et sacerdos ad confessionem oris. Sola enim cordis confessio pœnitenti ad salutem animæ sufficit veraciter, cum articulus necessitatis oris confessionem et sacerdotis absolutionem excludit : unde recte dicimus quod tunc Dominus absolvit. Sed quoniam oris confessio, et sacerdotis absolutio a vere pœnitente exigitur quandiu divinitus ei in hoc ipsum facultas conceditur, recte quidem debitæ damnationis absolutio etiam sacerdoti ascribitur. Ecce habemus cur hujusmodi absolutionem tam Domino quam ministro ascribimus.

CAPUT VIII.

Nunc illud quidem dignum consideratione videtur, cur illa solutio quæ est a debito futuræ purgationis sacerdoti specialiter attribuitur. Sed scimus quod vere pœnitens sine sacerdotis absolutione æternam damnationem evadere potest, cum eam habere non potest. Sed non æque dicimus quod sine sacerdotis absolutione et injuncta satisfactione debitum futuræ purgationis vere pœnitens evadere possit, quoties eas articulus necessitatis excluserit.

Notandum quod vinculum damnationis Dominus solvit conditionaliter, minister vero Domini simpliciter, et, ut sic dicam, integraliter. Pœnitentem namque a debito damnationis Deus absolvit sub tali conditione, ut eum oporteat, prout potest, sacerdotis absolutionem quærere, et ad ejus arbitrium debito more satisfacere. Nam, si facere neglexerit, periculum æternum non evadit. Sacerdotis autem absolutione suscepta, et conditione qua tenebatur suppleta, etiamsi statim mori contigerit, æternam damnationem evasit. Sed sicut debitum æternæ damnationis conditionaliter solvitur a Domino, sic pro certo debitum futuræ purgationis conditionaliter solvitur a servo. Nam quilibet criminosus per sacerdotem absolutus tenetur sub conditione solvendæ satisfactionis, ut possit evadere incendium futuræ purgationis. Debitum itaque damnationis æternæ solvit sacerdos integre et absolute, debitum futuræ purgationis sub conditione. Nam firmum propositum satisfaciendi habentem, sive exsequendi tempus habeat, sive non habeat, absolutio sacerdotis liberat a debito damnationis, sed non æque et a debito futuræ purgationis.

CAPUT IX.

Iterum et illud notandum, quod ad sacerdotale officium pertinet gemina ligatio sicut et gemina solutio. Alia est namque solutio qua solvunt pœnitentes a debito damnationis, alia est illa qua solvunt ejusmodi a debito futuræ purgationis. Sic alia est illa ligatio qua ligant veraciter pœnitentes debito injunctæ satisfactionis, et alia qua ligant intoleranda committentes, nec tamen pœnitentes, vinculo anathematis. Illos ligant ut a periculosiori vinculo absolvant, istos, ut ad pœnitentiam adducant. De illa ergo absolutione qua prævaricator a debito damnationis absolvitur, intelligitur illud quod a Domino dicitur : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta erunt.* Nam valent et debent sacerdotes vere pœnitentium et debitam satisfactionem suscipientium peccata remittere, et a debito damnationis absolvere, cæteros vero sine absolutione remittere. Sed et illud quod dicitur ad Petrum : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in cœlis*, de illa specialiter absolutione debemus intelligere qua solent sacerdotes et debent ligando absolvere et absolvendo ligare. Nam eo ipso solvunt pœnitentes a debito futuræ purgationis, quo eos ligant debito præsentis satisfactionis.

CAPUT X.

Constat itaque, quod superius jam diximus, quod illud vinculum quod est ad obligationem culpæ, solus Dominus valet et solet per semetipsum solvere ; illud autem quod est ad obligationem pœnæ, tum per semetipsum, tum per ministrum suum solet dirumpere. In resuscitatione autem Lazari invenies utrumque figurari. Hunc enim Dominus et ressuscitat per semetipsum, et solvit ministerio famulantium. Per ipsum ergo Dominum solvitur a vinculis interioribus, officio vero obsequentium a vinculis exterioribus. Quis nesciat quod mors membra morientium adeo insolubiliter ligat, ut nullum eorum officium suum implere, sed nec ad modicum movere se valeat? Ab his vinculis Dominus Lazarum solvit, quando eum ad vitam animavit. Suscitato autem Lazaro et a mortis vinculis absoluto dicitur a Domino : *Lazare, veni foras* (*Joan.* xi). Quid est hominem prius sepultum foras venire, nisi mortali culpa obligatum quemlibet tenebrosum illud lapideæ obdurationis suæ latibulum sponte deserere? Et quid est institis vinctum foras prodire, et se oculis Domino assistentium ingerere, nisi his qui solvendi potestatem accipiunt, quibus peccatorum vinculis ad divinæ ultionis sententiam astrictus teneatur per oris confessionem ostendere? *Solvite*, inquit, *eum, et sinite abire* (*ibid*). Bene autem de suscitato et ligato dicitur : Solvite eum, et sinite abire. Si enim solutus prius non esset, liberam eundi et intrandi domum suam facultatem non haberet. Scimus absque dubio quia peccator et pœnitens quousque debito damnationis, vel futuræ purgationis tenetur nec solvitur, domum illam quam Paulus describit, intrare non poterit : *Scimus*, inquit, *quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis* (*II Cor.* v). Hanc domum post hujus terrestris solutionem libere intrat qui in hac vita minime contraxit quod in futura vita purgare oporteat. Alioquin oportebit ut prius debitum purgationis exsolvat. Si quis vero contraxit quod acerba

Digitized by Google

et diutina purgatione dignum fuit, si per injunctam et per expletam satisfactionem in hac vita absolvi meruit, soluta terrestris hujus habitationis domo in illam statim æternæ quietis mansionem lætus intrabit. Hinc ergo perpendi potest quomodo ingressum paradisi et januam cœli quam divina severitas criminaliter agentibus claudit, accepta divinitus potestas ligandi atque solvendi pastorali ministerio aperire consuevit. Potestas itaque ligandi atque solvendi videntur esse claves illæ de quibus a Domino dictum est ad Petrum : *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Ecce jam habemus quod quærere proposuimus, habemus quæ sit illa potestas ligandi atque solvendi sacerdotibus data, quomodo, vel quorum valeant et debeant remittere, vel retinere peccata.

CAPUT XI.

Sed adhuc pergis et dicis : Si non possunt quoslibet ligare pariter et absolvere, quorumlibet peccata remittere, quorumlibet retinere, quid est quod generaliter dicitur ad Petrum : *Quodcunque ligaveris, quodcunque solveris* ? Similiter et generaliter proponitur quod apostolis omnibus in commune dicitur : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Merito te hæc quæstio moveret si Dominus Petro dixisset : Quodcunque volueris ligare ligatum erit, et quodcunque volueris solvere solutum erit ; sed hoc non dixit, nec sic intelligi voluit. Si quis ligare voluerit quod ligare non potest, nunquid idcirco ligatum erit? Quis hoc dicat ? Non ergo dicit, quæcunque ligare volueris, sed, quodcunque ligaveris ligatum erit in cœlis. Ille utique vere ligatur qui juxta confessionis suæ tenorem justo satisfactionis debito obligatur. Ille sacerdotali officio veraciter absolvitur, cujus peccatum ad condignam satisfactionem juste remittitur. Ligat itaque et absolvit sacerdotis sententia justa, neutrum vero sacerdotis sententia injusta.

CAPUT XII.

Sic sane peccata eorum pro certo remittuntur qui juste absolvi merentur, illorum vero peccata procul dubio retinentur, non quibus injuste, sed quibus juste peccatorum absolutio denegatur. Quod igitur ad Petrum Dominus dicit, idem valet ac si aliis verbis diceret : Quod ligatum aut solutum fuerit a te, ligatum vel solutum erit et apud me. Qui a te debitæ satisfactionis injunctione constringitur, apud me ejusdem satisfactionis debitor tenetur, et qui a te debitam peccatorum suorum absolutionem meruit, ex meo judicio pro hac parte ulterius arctari non poterit. Juxta hunc modum et id intelligere debemus quod dicitur apostolis omnibus : Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt. Peccata siquidem delinquentium apud Dominum remissa vel retenta erunt, quæ per ministros suos sacerdotes juste vel remissa vel retenta sunt. Quod utrumque ab eis tunc veraciter fit, quando ad quodlibet exsequendum canonico ordine incedunt : neutrum enim pro voto, sed pro merito et ordine instituto facere possunt. Exstat quorumdam de potestate ligandi atque solvendi sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius quam refellenda. Putant enim et prædicant sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos. Sed nunquid Dominus dicit : Quodcunque ligatum ostenderis erit ligatum, et quodcunque solutum ostenderis erit solutum? Dicunt apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque ostendendi cum Dominus hoc non dicat : Quorum remiseritis, inquit, peccata, non quorum remissa ostenderitis, remittuntur eis. Dicunt, quia in remittendis vel retinendis culpis id juris et officii habent evangelici sacerdotes, quod olim sub lege habebant legales in curandis leprosis. Non autem habebant illi legales potestatem curandi, sed judicandi et ostendendi utrum essent an non essent qui putabantur leprosi. Ecce concedimus quod isti et illi idem habent officium, illi discernendi inter lepram et lepram, isti dijudicandi inter culpam et culpam. Et utinam quam vere id officii habent, tam digne et exercerent!

CAPUT XIII.

Sed illud quæro, utrum accipiant ex ordinatione, an potius ex eruditione inter lepram et lepram, inter culpam et culpam posse discernere? Audaciter dico, quia si sine discernendi scientia ad ordinationem accedunt, sine illa inde recedunt, et si cum illa eunt et redeunt, aliunde habuerunt. Constat itaque, quod consequens est, quia in ordinatione non accipiunt potestatem aliam, ergo nec aliquam. Ubi ergo erit illa potestas ligandi atque solvendi? Sed dicunt ad ista : Quid est culpa, nisi lepra? et quid est lepram mundare, nisi culpam amputare? Misit autem Dominus leprosum ad sacerdotem non ut eum mundaret, sed ut eum sacerdos mundatum ostenderet. Sed absque dubio neutrum Dominus jubet ut ad hoc vel illud iret : *Vade*, inquit, *ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses* (*Matth.*, VIII). Sicut non dicit : Vade ad sacerdotem ut te mundum reddat, sic non dicit : Vade ad sacerdotem ut te mundum ostendat. Unum Dominus fecit, tria præcepit : leprosum mundavit, simul et præcepit ire, ostendere et offerre. Quid est leprosum mundari, nisi peccatorem quemlibet peccatorum suorum sordes abominari? Quid est mundatum leprosum ire, nisi prioris vitæ statum relinquere, peccata prius perpetrata deserere? Sacerdoti autem se ostendere, est qualis prius fuerit, cujus propositi modo sit per confessionem aperire. Offert munus et quale Moyses instituit, qui ad omnem canonicæ institutionis satisfactionem juxta sacerdotis arbitrium seipsum exponit. In primo consideratur odium peccati, in secundo votum continendi, in tertio propositum confitendi, in quarto

Digitized by Google

studium satisfaciendi. Votum continendi hoc loco large accipitur, non tantum continendi a libidine, verum etiam a quolibet crimine. Pro certo in vera pœnitentia quatuor ista omnia sunt requirenda. Ubi aliquod horum deest, vera pœnitentia non est, sine qua et peccatorum lepra mundari non potest. Quando Deus dat animæ peccatrici odisse quod prius amabat, detestari quod antea desiderabat cum voto continendi, confitendi, satisfaciendi, efficitur statim emundatio integra et plena leprosi. Quid est autem leproso in lepræ emundatione tria illa præcipere, nisi votum continendi, confitendi, satisfaciendi per internam aspirationem purgandæ animæ persuadere?

CAPUT XIV

Sed hæc omnia, inquis, Dominus per semetipsum operatur. Quid ergo sacerdoti relinquitur? Multum per omnem modum, et vere magnum et valde magnum. Sicut aliud est resuscitare mortuum, et aliud solvere vinctum, sic aliud est leprosum mundare, et aliud ejus vincula solvere. Nunquid ergo, inquis, leprosus ille ligatus erat? Tu es magister in Israel et hæc ignoras? Vere utique, vere ligatus erat duræ necessitatis nodo, quo eum Moyses astrinxerat : *Omni*, inquit, *tempore quo leprosus est et immundus, solus habitabit extra castra* (*Levit.* XIII). O vinculum durum et valde detestandum, quo quis quandiu ligatur insolubiliter tenetur, ut ei omnino non liceat vel castra Christo militantium ingredi, vel ad propria reverti. Nonne leprosum, sed mundatum sacerdos ligat et solvit? Ligat in reddenda debitæ satisfactionis et purgationis hostia, solvit in indulta revertendi licentia. Et si vultis recipere, emundatio leprosi non est tantum una, sed terna. Unam ex his tantum facit Dominus per semetipsum, cæteras duas per ministrum suum. Sed quæ sit leprosi hæc trina emundatio, relinquatur interim lectoris judicio.

CAPUT XV.

Notandum autem in curandis leprosis quod quidam statim purgantur, et sic ad sacerdotem mittuntur; quidam vero mittuntur, et in eundo curantur. Sunt qui ad primam pœnitentiæ suæ compunctionem habent animum promptum et paratum ad omne veræ pœnitentiæ debitum solvendum. In illis itaque nulla est emundationis mora, qui in ipsa compunctione sua gratiam accipiunt ad tria illa superius jam dicta, paratum animum habentes ad continendum, confitendum, satisfaciendum. Quidam vero ad pœnitentiam compuncti, propositum quidem habent continendi, confitendi, sed ad condignam satisfactionem sunt tepidi. Hinc est quod de decem illis leprosis duo tantum præcipiuntur, de tertio vero tacetur : *Ite*, inquit, *et ostendite vos sacerdotibus* (*Luc.* XVII), nec eis præcipitur offerre aliquod munus. Tantum potuerunt, quantum divinitus acceperunt. Ut enim Dominus ostendat omnia bona nostra ab ipso esse, gratiam suam quandoque exhibet in uno, subtrahit in alio. Vides illud, ut credo, quam merito differtur emundatio quibus deest veræ pœnitentiæ plenitudo : *Dum irent*, inquit, *mundati sunt* (*ibid.*). Quid est ire, nisi proficere? Eunt igitur qui ex eo quod jam acceperunt proficiunt ad id posse quod prius non potuerunt. Qui ergo de perpetrato jam malo magis magisque jam dolendo per votum continendi et confitendi ad votum satisfaciendi proficiunt, et votum voto adjungunt, quia veræ pœnitentiæ perfectionem jam tenent, peccati lepram velut eundo deponunt. Nota quod plures sunt quorum emundatio differtur comparatione eorum qui sine mora mundantur, quia magis abundant ad satisfactionem pigri, quam ad satisfactionem prompti.

CAPUT XVI.

Ex ante jam dictis habemus quod sunt multi qui curantur in sacerdotis absentia. Sunt similiter nonnulli qui curantur in sacerdotis præsentia. Nam et in resuscitatione Lazari præsentes erant et quibus solvendus fuerat. Alii itaque curantur sub ipsa missione, alii in ipsa profectione, alii vero in ipsa perventione. Ex his enim qui ad sacerdotem veniunt sunt multi qui solam voluntatem confitendi habent, sed voto continendi seu etiam satisfaciendi funditus carent. Adeo enim corrupti sunt jam ex prava consuetudine ut omnino diffidant se posse continere, vel ad satisfaciendum sufficere. Ejusmodi tamen nonnulli post multam sacerdotis exhortationem, seu etiam post longam disputationem, dum de sola Domini misericordia, non de propria industria præsumere docentur per visitantem gratiam ad veram pœnitentiam compuncti, in vitæ novitate divinitus animantur. Perpendis ex his, ut credo, quam sit multis ejusmodi utile ad confessionem festinare.

CAPUT XVII.

Sunt vero nonnulli qui prædictorum trium nullum habent, sed velut monumento lapideo, et lapide superjecto in Lazari modum mortui jacent. Lapideo monumento mortuus tenetur, qui in prævaricatione sua per multam animi obstinaciam obduratur. Lapidea moles in peccatis mortuo superponitur; quando ex diffidentiæ magnitudine spes quam ad Deum habere debuerat intercluditur : *Tollite*, inquit, *lapidem* (*Joan.* XI). Quid est lapidem tollere, nisi per exhortationis gratiam divinitus datam obduratæ diffidentiæ molem funditus semovere, et radianti desuper lumini viam aperire? Juxta illud Isaiæ : *Parate vias Domini : rectas facite semitas Dei nostri* (*Isa.* XL). Tunc autem pastoralis cura in hoc ipsum non inaniter laborat, cum Dominus hoc fieri disponit et imperat. Quid est enim hoc Dominum imperare, nisi in hoc ipsum animum pastoris interna allocutione urgere et gratiam dare? Tunc autem Domini minister utiliter agit quod suum est pastoris, cum ipse Dominus dignatur operari quod suum est Salvatoris : *Lazare*, inquit, *veni foras* (*Joan.* XI, 43). In hac una vocatione tria dat intelligere. Qui exit locum deserit in quo prius fuit. Est enim foras exire seipsum foris astantium aspectibus ingerere. Idem vero est venire quod vocanti appropinquare. Quid est autem resuscitatum inde ubi mortuus jacuerat

Digitized by Google

exire, nisi peccatum suum penitus et in perpetuum deserere ? Quid est vinctum quemlibet eorum se aspectibus per quos solvi poterat præsentare, nisi criminosum quemlibet quibus peccatorum nexibus teneatur sui ipsius accusatione ostendere ? Vocanti Domino appropinquat qui dignis pœnitentiæ fructibus Deum de die in diem placat. Primum pertinet ad votum continendi, secundum ad votum confitendi, tertium ad votum satisfaciendi. Ecce quomodo quidam in pastoris præsentia accipiunt triplex hoc votum, quod prius omnino non habuerunt.

CAPUT XVIII.

Sed nunc ad illud redeamus propter quod prædicta omnia digessimus. Distinguamus diligenter quid Dominus faciat per semetipsum, quid faciat per ministrum suum. Per semetipsum resuscitat mortuum, per ministros solvit ligatum. Per semetipsum mundat leprosum, ministerio sacerdotis reducit ejectum. Mortuum resuscitare, leprosum mundare, ad idem videtur respicere : nam utrobique solvitur obligatio culpæ. Sed et vinctum solvere, vel ejectum reducere, ad idem nihilominus videtur respicere, quoniam utrobique sequitur obligatio pœnæ. Leprosus mundatur, quando perversus quisque pravitatis suæ sordibus divinitus exuitur; mortuus resuscitatur, quando peccato captivatus ad bene vivendum divinitus animatur. Post emundationem lepræ sacerdotali officio interveniente, ejectus prius in sua reducitur, quando æternæ quietis mansionem quam peccando amiserat per injunctam satisfactionem recuperasse cognoscitur. Institis involutus, et a Domini ministris solutus, abire et ad sua redire permittitur, quando per absolutionem et consilium sacerdotis ad vitæ novitatem reformatur.

CAPUT XIX.

Ad ea quæ superius dicta sunt quidam quidem opponunt et dicunt : Qui veraciter de suis criminibus pœnitent, pro certo jam charitatem habent. Alioquin quod scribitur quomodo de eis recte intelligitur : *Quacunque hora peccator ingemuerit salvus erit ?* (*Ezech.* xxxiii). Nemo enim qui charitatis capax est, sine charitate salvare potest. Sed, ut putant, qui charitatem habet debito damnationis æternæ teneri non valet. Quomodo ergo sacerdos eum ab ejusmodi debito absolvit, si ante sacerdotalem absolutionem charitate interveniente absolvi jam meruit? Sed absque ulla dubitatione patriarchæ et prophetæ charitatem habuere, et tamen tenebantur debito damnationis æternæ. Alioquin nec ad inferna descenderent, nec Christi morte, nec ulla redemptione egerent. Absque ulla igitur ambiguitate tenebantur debito damnationis æternæ, non quod eis æterna fuerit, sed quod eis æterna fuisset, nisi mors Christi eos ab hoc debito absolveret. Constat ergo quod utrumque simul contingat, ut et homo charitatem habeat, et eum adhuc debitum damnationis teneat. Nonne, inquiunt, iste peccator Christi membrum esse cœpit ex quo charitatem habere cœpit ? Quomodo ergo poterit esse membrum Christi et debito damnationis teneri? Membrum Christi dici potest homo secundum geminam considerationem aut secundum prædestinationem, aut secundum habitudinem. Secundum prædestinationem potest quis membrum Christi esse, et necdum charitatem habere, et e converso Christi quidem membrum non esse, et charitatem habere. Juxta namque Domini testimonium : *Refrigescet charitas multorum* (*Matth.* xxiv). Secundum ergo hanc acceptionem contingit hominem esse membrum Christi, et adhuc vinculo debitæ damnationis teneri; secundum habitudinem autem membrum Christi dicitur, quando in se habet unde hoc ipsum efficitur. Sed nunquid membrum Christi charitas illa facit, quæ ad tempus inardescit et in modico refrigescit? Absque dubio qui perseverantem charitatem nunquam accipiunt, nunquam de veris illis Christi membris fuerunt qui corporis ejus integritatem perficiunt. Secundum quamdam tamen acceptionem possumus et solemus charitatem transitoriam habentes, membra Christi dicere, propter membrorum ipsius conformitatem quam ad tempus videntur habere.

CAPUT XX.

Sed ut a pie quærentibus omnem scrupulum amoveamus, dicimus quod triplici modo membrum Christi dici solemus : prædestinatione, præparatione, concorporatione. Prædestinatione, qui ad vitam divinitus præordinatur; præparatione, quando paganus et falsus Christianus veraciter compungitur, et ad veritatem et charitatem imbuitur; concorporatione, quando ille per corporis ablutionem, iste per sacerdotis absolutionem Ecclesiæ Christi consociatur. Primum agitur proposito divinæ voluntatis, secundum proposito propriæ deliberationis, tertium vero officio sacerdotis. Ex corporali advertere possumus quid de spirituali ædificatione sentire debeamus. Ecce de silva lignum eligitur ut in ædificio ponatur, postea dolatur; et ad modum formamque congruam dolando præparatur. Ad ultimum ædificio connectatur, et ipsi suo in loco coaptatur. Ecce quo unum idemque lignum fit ædificii membrum. Primo sola electione, secundo præparatione, tertio compaginatione. Sic sane multi jam sunt membrum Christi prædestinatione, necdum tamen præparatione. Multi vero præparatione, sed necdum tamen concorporatione. Augustinus, cum adhuc infidelis esset, secundum prædestinationem membrum Christi fuit. Conformitatis præparatione membrum Christi exstitit, cum corde credens et devotione fervens ad baptisma festinavit. Baptizatus vero et Ecclesiæ consociatus membris Christi concorporatus fuit. Si quis ergo charitatem habet ante susceptum sacramentum reconciliationis nostræ, dici potest membrum Christi quadam conformitatis præparatione, necdum tamen concorporatione. Per mortem enim Christi Deo reconciliamur, et per baptisma Christo consepelimur, et membris ejus concorporamur. Ex his jam patet,

Digitized by Google

ut arbitror, juxta quam acceptionem possit quis membrum Christi dici, et debito damnationis teneri. Secundum quod dictum est de pagano, intelligi potest quid sentiendum sit de criminoso et pœnitente Christiano.

CAPUT XXI.

Sed dicis ad ista fortassis quod alia sit conditio Christiani et alia gentilis. Putas fortassis quod quilibet Christianus sub ipsa hora veræ compunctionis solvitur a debito damnationis, quamvis aliter sentiendum sit de non baptizatis. Nemo enim solvitur a debito damnationis nisi participatione nostræ redemptionis. Per baptisma vero cæteraque Christi sacramenta homo accipit ut ejus particeps fieri possit. Dico autem quoniam quod baptizando accipit paganus, peccando perdit criminosus Christianus. Nam participium sacramentorum Christi criminator amittit quod prius in baptismate accepit. Audacter dico, si ante sacerdotis absolutionem ad communionem corporis et sanguinis Christi accesserit, judicium sibi pro certo manducat et bibit, etsi eum peccasse jam multum pœniteat, et vehementer doleat et ingemiscat. Qua ergo ratione contendis et dicis quod intime pœnitens ante accessum ad sacerdotem a debito damnationis solutus est, qui ante sacerdotis absolutionem salutis nostræ sacramentis nisi ad damnationis cumulum participare non potest? Tam itaque criminosus Christianus quam quilibet paganus eget reconciliatione, et ubi necessitas non obstiterit, utraque efficienda per officium sacerdotale, ista per ablutionem, illa per absolutionem.

CAPUT XXII.

Et si vultis nosse et potestis patienter audire, facilius reconciliatur paganus post crimina centum, quam Christianus quilibet post unum solum. Hinc est quod cuilibet pagano quantumlibet criminoso, accepto baptismate, nulla injungitur satisfactio: Christiano autem criminaliter peccanti, sed jam pœnitenti et confitenti, non sufficit sacerdotis absolutio sola sine satisfactione injuncta. Sola vero Christi hostia, mactata videlicet caro, satisfacit pro recenter baptizato. Per ignorantiam enim peccantibus ad expiationem satisfacit hostiæ per legem determinatæ oblatio. Sed *voluntarie peccantibus*, juxta Apostolum, *non relinquitur hostia pro peccato* (*Hebr.* x). Quod in lege mystice præcipitur, hoc sub isto tempore, amoto figuræ velamine, quotidie verius adimpletur. Præcipitur in lege, ut anima quæ per ignorantiam peccaverit, hoc vel illud pro peccato offerat, et dimittitur ei quod per ignorantiam commiserat (*Levit.* v). Sed de voluntarie peccantibus præcipitur reddere *animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede* (*Levit.* XXIV; *Deut.* XIX). Quidquid ab infideli committitur, inter peccatum ignorantiæ deputatur. Nam et si sciat se peccasse cum peccat, nescit tamen examinare pondus peccati; nescit enim illud non posse expiari nisi per mortem hominis Dei. Caligo itaque hujusmodi ignorantiæ supra modum levigat immanitatem culpæ. Christiani vero qui se cognoscunt redemptos a morte per mortem Christi, procul dubio non possunt per hujusmodi ignorantiam excusari. Ad plenam itaque satisfactionem pro peccato illis hostia conceditur, istis omnino non relinquitur. Ubi peccatum per hostiam expiatur, alienæ potius quam propriæ carnis mactatione reconciliatur. Infideli itaque converso et in Christi fide baptizato nulla satisfactio, nulla carnis afflictio injungitur, cui propter priorem ignorantiam ad expiationem peccati hostia conceditur: nam per passionem et mortem Christi ab omni reatu ad plenum purgatur. Criminosus autem Christianus quoniam per infidelitatis ignorantiam de suis criminibus nullatenus excusatur, in propria carne punitur, et quasi voluntarie peccanti post acceptam veritatis notitiam voluntaria satisfactio injungitur. Et quod contra Deum jam non ignoranter præsumpsit, non sola hostiæ oblatione, sed propriæ carnis maceratione et mortificatione purgatur. Ecce quod superius jam diximus, quod difficilius expiatur criminosus Christianus quam criminosus paganus. Sed cur, quæso, expiatur difficilius, nisi quia offendit gravius? Dicis quod Christianus criminosus et pœnitens solvitur a debito damnationis ante sacerdotis absolutionem, et non audes dicere quod paganus criminosus et pœnitens ab eodem debito solvatur ante sacerdotis absolutionem, et non attendis quam sit contra existimationem, imo et contra omnem rationem ut dicatur statim ad veram pœnitentiam solvi qui peccavit majus, et non dicatur statim ad veram pœnitentiam solvi qui peccavit minus. Constat in commune quod nemo possit impœnitentem absolvere. Secundum quosdam vero nemo pœnitentem absolvit, quoniam sub ipsa compunctionis hora, ut dicunt, absolutionem divinitus accepit. Sed si nemo absolvit impœnitentem, nemo pœnitentem, ergo nemo neminem. Sed qui hoc credit fallacem facit eum qui dicit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Constat ergo pro certo quod sacerdotes peccata remittunt, pœnitentes absolvunt. Peccator quacunque hora ingemuerit, in hoc sane salvus erit, quod de tali qui absolvi non potuit, talis fit cui absolutio negari non possit.

CAPUT XXIII.

Sunt adhuc qui mirantur et quærunt quomodo dicitur Deus vel Dei minister peccata remittere, cum profecto inveniatur uterque pœnitentium peccata et puniendo expiare et expiando punire. Quæ est, inquiunt, ista remissio, ubi exigitur diuturna sæpe et satis molesta expiatio? Ex his quæ longe superius dixi, quod quæritur quantum mihi videtur satis patet. Sed ad majorem evidentiam ante jam dictis aliquid addere non me pigebit ubi oportet. In omni peccato duo sunt consideranda, divina videlicet injuria et committentis corruptela. Illud est iniquitatis et impietatis, istud inhonestatis et deformitatis. Unum namque idemque peccatum et iniquitas est quantum ad Deum, et deformitas quantum

Digitized by Google

ad seipsum. Hinc est illud evangelistæ Joannis : *Omnis qui facit peccatum et iniquitatem facit, et peccatum est iniquitas* (*I Joan.* III). Procul dubio iniquitas est quando quis proximum suum injuste lædit, et in hoc, ut arbitror, nemo non consentit. Iniquitas est quando aliquis Deum suum reprehendit, accusat, blasphemat, et nemo est nisi mentis inops qui id inficiari præsumat. Sed aliquis fortassis cum in crapula, ebrietate, luxuria et ejusmodi cæteris suis desideriis satisfacit, iniquitatem esse non credit, maximæ si sine proximi læsione id facit. Sed certe, cum hoc facit, Deum offendit. Quanta enim injuria est Creatoris, nobilissimam creaturam, et ad Dei similitudinem factam, vitiorum sordibus fœdare, et divinæ similitudini similitudinem jumenti superducere? *Homo*, inquit, *cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Cogitet homo quanta pro ipso Creator suus fecerit, qualia pro ipso Redemptor suus sustinuerit, et inde poterit rectius æstimare quam sit iniquum vel impium tanto Domino, tam benefico amico, injuriam pro beneficiis reddere et ipsum vel in modico offendere. Offendit autem qui corrumpit nobilissimum illud opus suum; corrumpit vero qui facit peccatum. Igitur qui peccatum facit et iniquitatem facit, quia peccatum ipsum, ut diximus, iniquitas seu etiam impietas est in quantum Deum offendit, inhonestas et deformitas in quantum committentem corrumpit. Valet ergo Deus et solet in uno eodemque crimine et id quod iniquitatis et impietatis est remittere, et quod inhonestatis et impuritatis est per semetipsum purgatorio igne mundare, vel quid in hoc purgationis debito remittendum, vel quid satisfactionis medela curandum sit ministrorum suorum dispensationi committere. Quid tibi videtur summus ille medicus in ejusmodi opere facere et quotidie facere, nisi illud quod ad suam injuriam pertinet remittere et ægrotanti servo qualem corruptela sua exigebat, medelam adhibere? Hinc, ut arbitror, illud evidenter patet, quam vera, quam misericordiæ plena sit illa peccatorum remissio, quam Deus facit quando vere pœnitenti suam injuriam et eo ipso pœnam æternam remittit. Qui enim contumaciter præsumit quod quantum in ipso est in æternum corrigere non possit, et ad ejus injuriam qui in æternum vivit, et omnipotens sit, procul dubio debitum æternæ damnationis incurrit. Hominem autem divinitus absolvi ab ejusmodi debito, quanta, quæso, et quam ineffabilis miseratio? Nunquid Dei beneficentiam obnubilat et non potius magnificat, quod peccatricis animæ remediis quibus oportet et peccatum expiat et vitium purgat? Quis, quæso, neget esse remissionem veram et misericordiæ plenam, quando ad veram pœnitentiam, dissimulata injuria propria, remittit pœnam æternam, insuper et morbis ægroti adhibet medicinam? Hinc ergo possumus colligere sacerdotalis illa absolutio quantæ virtutis sit et excellentiæ, quæ veraciter pœnitentem et studiose satisfacientem liberat, non solum a truci incendio æterni supplicii, verum etiam a concremationc ignis purgatorii. Ex corporalibus morbis perpendamus quid de spiritualibus sentire debeamus. Novimus quoniam quidam cauterio, quidam curantur unguento. Est autem magnum et misericordiæ plenum quantumlibet acerbo remedio a morbo curari mortifero. Quanta ergo, quæso, indulgentia, quantave beneficentia id putrescentis morbi leni mederi unguento, quod post modicum opus haberet curari cauterio? Quid autem est quælibet pœnitentialis satisfactio nisi unguentum lene in comparatione concrementionis purgatoriæ? Ecce habes quid debeas sentire tam de divina quam de sacerdotali remissione.

CAPUT XXIV.

Possumus tamen dicere quod aliud sit peccata remittere, aliud autem peccata dimittere, quamvis forte inveniatur ubi unum pro altero ponitur. Peccata namque dimittere, hoc est ex toto indulgere. Peccata vero remittere, hoc est debitam eis pœnam temperare, et ex majori parte relaxare. Quantam ergo, quæso, peccati remissionem, vel pœnæ relaxationem putas, quando ex munere divino pœna æterna in purgatoriam et transitoriam transfertur vel sacerdotali officio illud purgatorium incendium in pœnam pœnitentialem transmutatur? Ecce jam habes quod ipse quæsisti, quæ videlicet vel qualis sit divina seu sacerdotalis remissio ubi exigitur diuturna sæpe et satis molesta expiatio. Quod enim possint sacerdotes peccata remittere, et futura incendia pœnitentiali satisfactione exstinguere, omnes in commune credimus et tenemus. Quod autem possint quælibet peccata quantumlibet criminalia ex toto dimittere, et sine aliqua omnino satisfactione plene et sine periculo indulgere, nec credimus, nec tenemus. Vide certe quod multum sit inter remittere atque dimittere. Nam remittere est pœnam peccati juxta congruum miserationis modum temperare; dimittere vero totum indulgere, et sine animadversione relinquere. Hinc est quod dicitur nobis : *Dimittite et dimittetur vobis* (*Luc.* VI), et merito quidem, ut non in parte iram reservemus, sed ex toto dimittamus qui totum nobis dimitti volumus. Hinc est quod Domino in quotidiana oratione dicimus : *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris Matth.* VI). Sed quia justitiæ simul et misericordiæ est inter parcendum ex parte percuti, et ad purgationis nostræ medelam proficit ex parte puniri, remittendi potius quam dimittendi potestas conferturin eo quod dicitur : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*; inde est quod de remissione non de dimissione gratulatur qui Domino confitetur : *Tu remisisti impietatem peccati mei* Nam qui damnationis æternæ sententiam evaserat, purgationis suæ medelam non sine metu exspectabat.

CAPUT XXV.

Tribus autem modis, ut mihi videtur, peccatorum

Digitized by Google

purgatio agitur. Agitur aliquando secundum solam severitatem, aliquando secundum solam pietatem, aliquando secundum moderationem utriusque, ut miseratio ipsa non sit sine nonnulla severitate nec severitas sine miseratione. Siquidem in igne purgatorio est intolerabilis afflictio sine totius consolationis remedio. In voluntaria satisfactione est afflictio cum multiplici consolatione. In lavacro regenerationis plena emundatio nihil habens afflictionis. Prima purgatio agitur per incendium, secunda per flagellum, tertia per lavacrum. Per incendium purgatorii ignis scoria peccati excoquitur, per flagellum satisfactionis palea peccati excutitur, per lavacrum regenerationis peccati macula absque pœna diluitur. Sunt multi qui in extremis veraciter pœnitent, sed morte præventi tempus satisfaciendi non habent, et his quidem in eorum peccatis quod iniquitatis et impietatis est ad veram eorum pœnitentiam remittitur, quod vero turpitudinis et impuritatis purgatorio igne excoquitur. Ex his dictum intellige quod in Psalmo habes : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates !* (*Psal.* XXXI.) Alii cum magna devotione ad confessionem veniunt, et cum omni studio et sollicitudine satisfactionem exsolvunt, et turpitudinem suam charitatis operibus et virtutum varietate obducunt. Fit itaque in eis quod alias legis, quod *Charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV). In his adimpletur prophetica illa sententia : *Beati quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI). Multi post multa flagitia, et blasphemias, de Judæis vel gentibus venientes in Christo regenerantur, quibus tamen pro præteritis malis nihil satisfactionis injungitur, quia renatis in Christo de anteactis malis nihil imputatur. Pro ejusmodi quolibet puta esse dictum : *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* (*ibid.*) Et sunt nonnulli qui tam profunde et intime pœnitent, et tanto devotionis ardore in ipsa sua pœnitentia fervent, et tantum de Domini pietate præsumunt, ut hoc ipsum eis ad peccatorum suorum expiationem sufficiat, et Dominum sibi per omnia placabilem reddant. Testatur hoc ipsum tam sero pœnitens ille evangelicus latro, qui statim audire meruit : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII). Ejusmodi quilibet in eorum meritum quibus a Domino non imputatur peccatum, sed dimittuntur eis peccata multa quoniam diligunt multum. In his igitur quæ jam diximus luce clarius videtur quod per Psalmistam audimus : Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata : beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.

TRACTATUS

DE JUDICIARIA POTESTATE IN FINALI ET UNIVERSALI JUDICIO.

In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX). Ecce audivimus quid Veritas ipsa apostolicis viris promittat. Sed audiamus adhuc quid alio loco dicat : *Qui non credit*, inquit, *jam judicatus est* (*Joan.* III). Ex hac, ni fallor, gemina Scriptura oritur illa sententia, quod quatuor ordines sunt eorum qui ad illud tremendum judicium veniunt. Nam ex illa prima sententia colliguntur ordines tres, judicaturi, judicandi et salvandi, judicandi et damnandi. Iis tribus juxta aliam sententiam quartus ordo adjungitur, judicati et damnati. Sed si hujusmodi idcirco judicati dicuntur, quia eorum damnatio certa habetur, non satis video cur istis quatuor, quos jam diximus, quintum ordinem non annumeremus. Nam parvulorum statim post baptisma morientium tam est certa salvatio quam non credentium certa damnatio, nisi forte his qui nil proprii meriti unquam habuerunt velit quis summum perfectionis gradum attribuere, et judicantium ordini annumerare. Sed dico : Si quidam qui in hac adhuc vita sunt jam judicati dicuntur, illi qui jam sententiam suæ damnationis acceperunt cur non multo rectius jam judicati dicantur ? Non enim soli illi qui non credunt statim post mortem ad inferna descendunt. Si quis autem contendat illos solos ante generale judicium ad inferna descendere, illud saltem non audebit negare, omnes videlicet in exitu animæ vel bonam vel malam sententiam accipere, et unumquemque vel ad supplicium, vel in refrigerium ire. Sed puniendi quidem atque salvandi eo ipso quo puniuntur purgantur. Unde et ignis ille purgatorius dicitur per quem in eis peccati rubigo consumitur. Qui autem puniuntur et purgantur eo ipso agnoscunt seipsos ad salutem reservari, quo se videant paulatim ab omni labe mundari. Cæteri vero eo ipso sententiam suæ damnationis agnoscunt, quo nullum purgationis remedium accipiunt. Quorumlibet igitur mortuorum salvatio seu damnatio, quamvis sit incerta apud nos, videtur tamen certa apud illos. Si ergo recte jam judicati dicuntur qui necdum meritorum suorum retributionem acceperunt, quare non multo magis illi qui jam receperunt, et salvationis vel damnationis suæ sententiam certissime, ut dictum est, agnoverunt ? Qui ergo sunt illi qui ab apostolicis viris dicuntur judicandi ? Si dicimus quia soli illi qui in Salvatoris adventu vivi inventi erunt, et nondum ullam retributionis suæ sententiam acceperunt, Joannis nobis in hoc sententia contradicit, qui in Apocalypsi sua scribit : *Et dedit*, inquit, *mare mortuos qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos qui in ipsis erant, et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum*

Digitized by Google

(*Apoc.* xx). Ecce audis quoniam mors et infernus dederunt mortuos quæ erant in ipsis, ut secundum opera eorum judicaretur de singulis. Tu forte illos solos in illo extremo examine judicandos putabas, quorum salvatio vel damnatio exstat incerta. Sed quorum, quæso, damnatio certior est, quam spirituum malignorum? Sed quid de illis dicit Apostolus: *An nescitis quia angelos judicabimus?* (*I Cor.* VI.) Ecce dicuntur judicandi, qui tamen juxta aliquid recte dicuntur judicati. Vide ergo ne forte similiter et illi qui jam dicuntur judicati, recte dicantur et adhuc judicandi. An forte idipsum tibi quæris adhuc amplius probari? *Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent, judicabunt nationes* (*Sap.* V). Quid apertius? Judicabunt nationes. Nonne hi sunt qui non credunt, et idcirco jam judicati sunt? Videntur itaque omnes aut judicaturi, aut judicandi, et de judicandis quidem alii salvandi, alii autem damnandi. Videntur itaque in illo futuro judicio tres ordines tantum esse. Quomodo ergo quatuor, vel potius quinque? Ut autem de cæteris taceam, ut quid vel illi iterum judicantur quorum damnatio non dicam prænoscitur, sed jam inchoata rectissime creditur? Quo autem modo apostoli eos judicabunt qui ab eis absque dubio judicandi sunt? An forte dicturi sumus quia hoc sit apostolos judicium facere damnandis quia damnandi sunt, salvandis quia salvandi sunt? Sed quid magni erit dicere hoc illis quia damnandi erunt; illis, inquam, qui damnationis suæ sententiam cognoverunt, seu etiam exceperunt? Sed forte dicis, quia hoc est apostolicos viros inferiores quosque judicare ex inspectione conscientiæ singulorum quam juste isti salventur, illi damnentur discernere. Quomodo enim creditur Deus in illa die manifestare abscondita tenebrarum, nisi quod absque dubio revelabit intima et occulta conscientiarum? Non erit itaque illud judicium in altercatione sermonum, sed manifestatione cogitationum: *Testimonium*, secundum Apostolum, *reddente singulis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die cum judicabit Dominus occulta hominum* (*Rom.* II.) Sed procul dubio ad inspectionem mutuarum conscientiarum sicut palam erit apostolis quam recte reprobi damnentur, sic palam erit reprobis quam recte apostoli glorificentur. Sicut ergo apostoli dicuntur judicare reprobos, cur non recte et reprobi dicantur judicare apostolos? An forte dicturi sumus, quia boni vident conscientias malorum, sed mali non vident conscientias bonorum? Sed si boni quique mutuo conscientias alterutras conspiciunt, cur juxta prædictam judicandi rationem non se invicem judicabunt? Sicut ergo inferiores a superioribus, sic superiores judicabuntur ab inferioribus. An forte perfectiores videbunt conscientias inferiorum, inferiores vero non videbunt conscientias perfectorum? Sed si superiores quique videbunt conscientias inferiorum, boni utique omnes videbunt conscientias malorum. Cur ergo non dicuntur judicare reprobos quilibet electi quemadmodum et apostoli? Sed si ad majorem eorum confusionem patebunt omnibus conscientiæ malorum, cur non æque ad majorem eorum gloriam pateant omnibus conscientiæ bonorum? Quomodo ergo non se invicem judicabunt qui se invicem exterius interiusque videbunt? Quid ergo quasi pro magno apostolis promittitur, cum eis a Domino dicitur: *Sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel.*

Ex hac itaque sententiarum perplexione, ut arbitror, patet in his omnibus sub quanto involucro veritas latet. In primis itaque sciendum est quod aliter consideratur judicium secundum hoc quod versatur in sola cogitatione, aliter secundum hoc quod exercetur in opere. Illud est præscientiæ, istud, ut sic dicam, experientiæ. Illud cognitionis, istud exsecutionis. Illud est præsentis vitæ, istud vitæ futuræ. Illud itaque judicium quod dicitur præscientiæ, non impedit illud in quo est exsecutio sententiæ. Istud ergo quod est præsentis vitæ non tollit illud quod est vitæ futuræ; imo si illud non esset futurum, istud esset nullum. Si igitur consideres judicium præsentis Ecclesiæ secundum modum hujus vitæ, invenies ordines quatuor, vel potius quinque. Nam, exceptis his quos novit in locum judicum assurgere, certa est de quorumdam damnatione, certa de quorumdam salvatione, et de quibus certam sententiam non habet, novit alios ad vitam, alios ad mortem pertinere. Quantum autem ad ultimum futuræ vitæ examen, tres ordines tantum inveniuntur. Alii autem judicant, non autem judicantur; alii vero judicantur et salvantur; alii judicantur et damnantur. Jam vides, ut arbitror, quam recte dicantur adhuc judicandi illi etiam qui jam dicuntur judicati. Judicium siquidem quod in præsenti prænoscitur, in futuro irrogatur. Sed illud forte erit adhuc aliquibus mirabile, quod illi qui post mortem retributionem pro meritorum suorum qualitate receperunt, adhuc ad judicium venturi, et pro suis meritis judicandi sunt, maxime illi qui damnationis suæ sententiam et agnoverunt et acceperunt. Sciendum itaque est quod judicium aliquando est secundum partem, aliquando secundum plenitudinem. Secundum partem est, quod fit de sola sententiæ qualitate, non autem de ejus quantitate. Tale est judicium præsentis Ecclesiæ. Nam qualitatem sententiæ (utrum videlicet damnandi vel salvandi sunt) de quibusdam novimus, sed quantitatem suppliciorum in hac vita vel unius alicujus damnati scire non possumus. Sed illud utique judicium quod mortem hominis sequitur non solum in qualitate, sed etiam in quantitate juxta meritorum modum dispensabitur. Moderabitur autem retributionum quantitas et secundum multitudinem, et secundum magnitudinem. Secundum multitudinem, ut ubi fuit multiplex culpa, ibi sit et multi-

Digitized by Google

plex pœna. Secundum magnitudinem, ut in uno quoque genere peccandi, ubi fuerit culpa major, ibi sit et pœna intensior. Judicium itaque hujus vitæ videtur uniforme; nam est, ut jam diximus, de sola sententiæ qualitate. Illud autem quod datur in hominis morte videtur esse multiforme, non tamen omniforme. Nam quamvis modificetur secundum totam vitam hominis, non tamen secundum totum quod est hominis. Quamvis enim unusquisque in morte accipiat prout gessit in corpore, recipit tamen in anima sola, non autem in anima simul et corpore. Vide ergo quid sit inter istud secundum et illud tertium ultimumque judicium. Istud quod fit in uniuscujusque morte, et illud quod futurum est in communi omnium resurrectione. Istud, ut dictum est, fit de tota vita hominis, non tamen secundum totum quod est hominis. Illud autem ultimum judicium erit de toto, et secundum totum. Istud fit cum aliquibus et coram aliquibus, illud fiet simul de omnibus et coram omnibus. Vide quam recte confunditur coram universis, qui hic non timuit offendere Dominum universitatis. Vide quam recte glorificatur coram omnibus, qui Dominum universitatis glorificavit in omnibus. Vide quam recte caput perditionis coram omnibus dejectionis suæ ignominiam suscipit, qui a principio omnium dejectioni insudavit. Attende autem illud ultimum judicium quam sit congruum, vel ut sic dicam necessarium. Sæpe divina judicia quasi injusta reprehendimus; sæpe contra ejus flagella murmuramus. Ibi, judicantibus apostolicis viris, propalabitur coram universis quam justus Dominus in omnibus viis suis et sanctus in omnibus operibus suis. Erit itaque ultimum illud judicium usquequaque plenissimum, ita ut sufficienter respondeat conscientiis singulorum, simul et omnium. Erit ergo omniforme quod ad omnia poterit satisfacere. Primum itaque dicatur uniforme, secundum multiforme, tertium omniforme. Primum autem et secundum judicium sunt secundum partem, solum vero tertium erit secundum plenitudinem. Nam quamvis secundum sit multo plenius primo, tertium tamen erit incomparabiliter plenius illo. Sicut itaque primum exigit secundum, sic secundum exigit tertium.

Restat solum illud quærere, quis sit ille judicandi modus qui apostolis promittitur, cum dicitur: *Sedebitis et vos judicantes duodecim tribus Israel*, vel illud: *Judicabunt sancti nationes et dominabuntur populis* (*Sap.* III). Videamus itaque quid Joannes de hoc judicio dicat cum in Apocalypsi sua scribat: *Et vidi*, inquit, *mortuos magnos, et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt, et alius liber apertus est qui est vitæ, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum* (*Apoc.* XX). Quid intelligimus per hos libros, nisi singulorum conscientias? Apertio igitur librorum, manifestatio conscientiarum. His libris inscribitur quidquid ab eis memoriter retinetur. His libris quasi scriptum tenetur quidquid ab eis plena intelligentia comprehenditur. In aliis itaque hujusmodi libris continentur merita humana, in aliis vero etiam judicia divina. In illis qualitas actionum, in istis qualitas etiam retributionum. Unusquisque enim in corde suo quasi scriptum gerit unde sua cum conscientia accusat, vel defendit. Qui autem divinæ contemplationi assistunt, qui in libro Sapientiæ quotidie legunt, velut in cordium voluminibus transcribunt quidquid jam perspicua veritatis intelligentia conprehendunt. Quid itaque sunt judicandorum conscientiæ, nisi quædam, ut sic dicam, actiones scriptæ? Quid vero sunt judicantium corda divinitus in omnem veritatem edocta, nisi quædam quasi canonum decreta? Ex hac gemina Scriptura omnis sententia trahitur, unde judicandorum quilibet damnatur, vel absolvitur. Judicandos itaque nihil aliud est actionum suarum libros coram judicibus aperire, quam conscientias illis non posse abscondere. Nihil vero aliud est judices in hujusmodi codicibus legere, quam conscientiarum occulta manifesta visione penetrare, et quo quisque merito polleat, vel sordescat, indubitanter agnoscere. Judices autem coram judicandis decretorum suorum libros aperire, est ad cordium suorum inspectionem inferiorum quorumlibet visum admittere, sensumque suum in his quæ ad judicii rationem spectant revelare. Judicandi vero, dum in hujusmodi quasi canonum decretis legunt, retributionis sententiam, sententiæque rationem quam quisque meretur inveniunt. Hujusmodi itaque scripturam legere, hoc erit eis judicii sententiam accepisse. Hoc autem erit apostolicos viros judicandorum quemlibet judicare, dandæ sententiæ rationem oculis eorum ingerere. Certe si haberem aurem apertam ad verbum cordis sicut habeo ad verbum oris, posses utique me sola cogitatione de tuis quæ velles secretis docere. Docenda namque cogitare hoc esset docere, et docenda cogitantem intellexisse, hoc esset discenda didicisse. Omne autem quod a sensato dicitur prius cogitatur quam dicatur. Proposita igitur quæstione solutionem cogitare, hoc esset quæstionem solvere si possemus mutuas cogitationes videre. Ecce quam facilis doctrina esset si aurem apertam haberemus ad alieni cordis cogitatum, quanto magis si ad ejus sensum oculum haberemus apertum? Attende quæ dico. Aliud est videre cogitatum, et longe aliud videre sensum. Multa habeo in cognitione quæ modo non habeo in cogitatione. Et innumera sunt de quibus certam et promptam sententiam teneo, de quibus modo nil cogito. In hujusmodi autem, cum placuerit, possum sensum meum videre, et in considerationem adducere. Quod agitur in corde meo, hoc, ni fallor, et in tuo. Si igitur possem videre cor tuum quemadmodum videt seipsum, ex sola sæpe contemplatione sensus tui posset ipstrui ignorantia cordis mei, et quod nunc agitur verbo oris, tunc ageretur verbo cordis. Quid est enim cordis dicere, nisi sic sentire? Verbum itaque cordis sententia

Digitized by Google

intelligentias (4). Judicantis itaque sententiam ad cordis ejus inspectionem vidisse et intellexisse, hoc est judicium dedisse et accepisse. Nonne in ultimo illo examine judicandorum conscientia etiam tacendo profitebitur coram judicaturis : talis et talis est culpa mea? Nonne judicantium intelligentia coram judicandis etiam tacendo protestabitur, quoniam pro tali et tali culpa debetur talis et talis pœna? Quæ est enim ista confessio vel attestatio, nisi mutua ad alterutrum conscientiarum vel intelligentiarum revelatio.

Miraris fortassis qui hæc audis. Audi adhuc unde amplius mireris. Certe, si possemus mutuos sensus in alterius cordibus alternatim legere, possent te centum homines sub uno eodemque tempore de diversis quæstionibus consulere et responsum accipere. Nonne idem esset cuique propositæ quæstionis solutionem accepisse, et certam sententiæ tuæ veritatem in corde tuo legisse? Nil itaque obstat ultimo examine uno etiam quolibet judicante diversos diversis de causis diversas sententias simul et sub eodem momento accipere. Alioquin quomodo duodecim homines, duodecim tribus Israel poterunt judicare, nisi forte putes eos in hoc negotio multa tempora expendere? An forte quia multi sunt qui in numerum judicantium concurrunt putandi sunt inter se officium dividere, et tali modo vel ordine negotium accelerare? Sed quantulus, quæso, numerus judicantium in comparatione judicandorum? Sed cur de rebus invisibilibus non credimus quod in rebus visibilibus similitudinis attestatione probamus? Certe si multarum quæstionum solutiones scriptæ essent in uno tomo, et coram multis inspectoribus explicaretur, et a diversis per diversas quæstiones legeretur, sub uno eodemque momento posset simul et sub eodem tempore diversis ad diversa satisfacere, et nodos dubitationum dissolvere. Cur ergo non credatur charta incorporea digito Dei inscripta hoc posse præstare oculis incorporeis, quod charta corporea digito humano exarata præstare probatur oculis corporeis? Dicis ad hæc fortassis : Ecce concedamus unum eumdemque judicem multis pro singulis causis juxta ostensæ similitudinis rationem sub eodem temporis momento posse satisfacere. Sed nunquid æque concedendum est unum eumdemque hominem posse simul et semel pro omnibus quæ gessit et rationem reddere, et pro singulis sententiam retributionis accipere? Nam testimonium habemus ex Evangelio : Quia oportet nos rationem reddere etiam pro omni verbo otioso (*Matth.* XII). Sed si credimus nos de singulis verbis vel factis, cogitationibus, voluntatibus siggillatim et succedenter respondere, quot, quæso, tempora oportet in ejus examinatione expendere quem constat, ut scribitur, nongentos annos, et eo amplius vixisse? Sed miramur quæque, vel etiam minime credimus quæ experti non sumus. Miramur utique utpote qui interim alienas conscientias non videmus, et proprias nonnisi palpando, nec nisi ex parte cognoscimus. Certe, si contingit quempiam quemlibet domum inter densas nocturni temporis tenebras intrare, potest multa eorum quæ ibi latent etiam palpando deprehendere. Sed si alius supervenerit et cum lucerna intraverit, cogita quam multa sunt quæ potest sibi et aliis sub uno et simplici aspectu ostendere, non solum eorum quæ vix potuit per multa tempora palpando cognoscere, sed et eorum quoque quæ nullo modo posset palpando deprehendere.

Ut enim de cæteris taceam, quando inter album et nigrum, inter formosum et deforme palpando discernere poterimus, quod ad lumen lucernæ sub primo statim aspectu dijudicamus? Quid autem sunt perfectorum corda divinæ sapientiæ splendore illustrata, nisi luminaria accensa? De his lucernis Dominus minatur ubi per prophetam loquitur : *In tempore illo scrutabor domos Hierusalem in lucernis* (*Soph.* I). Hierusalem idem sonat quod *visio pacis*. Domus itaque Hierusalem sunt conscientiæ securæ : nam hæ sunt quæ videntur internam pacem habere. Quid igitur fiet de domibus Babylonis quando domus etiam Hierusalem scrutandæ sunt cum lucernis? Quid erit de conscientiis turpibus et desperatis, si confidentiæ præsumptio tollitur etiam male securis? Domus itaque Hierusalem a Domino perscrutandæ perhibentur, quia in illis etiam conscientiis quæ securæ sibi videbantur nihil occultum, nihil indiscussum relinquetur quod a veritatis lumine non arguatur. Hoc autem domorum scrutinium cum lucernis se Dominus facturum perhibet, quia latebrosarum etiam cogitationum vel voluntatum judicium, illorum utique ministerio faciet, quos summa veritatis intelligentia ad omnis judicii examen intime illuminavit. Splendor ergo quidam divini luminis de perfectorum cordibus radiabit, qui unicuique universa quæ in corde suo bona vel mala latebant, manifesta visione denudabit. Cogita igitur quomodo nunc ad hujus corporeæ lucis infusionem eorum quæ in domo sua sunt statim omnia circumspicit, et non solum quantitatem, sed qualitatem rerum sub uno et simplici aspectu deprehendit. Constat autem lucem illam incorpoream, multo præstantiorem, multo efficaciorem in genere proprio, quam ista sit vel esse possit in genere suo. Parum itaque est quod dixi quod radius ille incorporeus plene demonstrat singulos sibimetipsis, imo et sibi et aliis. Videmus quomodo ad primum radium emergentis solis omnia quæ omnium oculis cæca nox abduxerat, iterum omnium oculis reddat, quomodo statim omnia pateant quæ prius latebant. Vix adhuc montium cacumina lucis radium suscipiunt, et jam ex luminis reverberatione quam in valles refundunt, omnia quæ ibi sunt, omnia quæ ibi fiunt omnibus patefiunt. Sic utique, sic summi et perfecti viri perpetua stabili-

(4) Deest hic aliquid.

Digitized by Google

tate fundati, stupenda sublimitate magnificati et vere montes æterni, radium divinæ sapientiæ immediate suscipiunt, et ex suscepta, ut sic dicam, reverberatione quam circumquaque diffundunt, omnia, quæ pro judicii ratione manifestari oportet, sub temporis momento in lucem adducunt. Hinc est illud quod audis in Psalmis : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis* (*Psal.* LXXV). Jam, ut arbitror, ex parte perpendis ista illuminatio a montibus æternis quam fit absque omni ambiguitate mirabilis. Nam ex illo divini splendoris lumine quod immediate suscipiunt ad inferiora refundendo judicandorum quibuslibet tam meritorum quam retributionum qualitatem haud dubia visione ostendunt. Certe nos qui in hac adhuc vita sumus cum aliquos illustrare volumus, multos ad idem, sed diversos ad diversa sub uno eodemque tempore illuminare non possumus. Sed, si non possumus simul et sub eodem tempore erudire diversos ad diversa, quanto minus unum eumdemque ad multa multumque diversa? Cogita ergo quam sit mirabilis illuminatio illa ubi sub una visione in multitudine maxima singulorum quilibet simul et semel illuminatur ad innumera. Sed istam mentis dilatationem qua ad tam multa sub una visione comprehendenda in Dei lumine dilatatur animus humanus, quia per experientiam interim probare non possumus, difficile credimus. Hic illud occurrit quod venerabilis papa Gregorius de beato Benedicto scribit (lib. II *Dialog.*, cap. 35). Refert siquidem de illo quod quodam tempore, dum nocturnis insisteret orationibus, subito fusa desuper luce totus mundus quasi sub uno solis radio collectus ante ejus oculos est adductus. Sed audiamus quid ipse Gregorius ad hæc velut exponendo adjungit : « Quod autem, inquit, collectus mundus ante ejus oculos dicitur, non cœlum et terra contracta est, sed videntis animus dilatatus. » Si igitur animus in hoc adhuc mundo positi in Dei lumine tantum dilatari potuit, qui mortali carne circumdatus, et sub hujus vitæ statu eatenus constitutus fuit, quid de illo futuræ vitæ statu credere debemus ubi alterutras conscientias mutuo videbimus? Sed si ad corporeæ lucis infusionem innumera possunt sub uno aspectu cadere, quanto magis ad illam incorporeæ lucis infusionem credendum est incomparabiliter plura posse comprehendi sub una et simplici visione? Si igitur juxta proprietatis suæ similitudinem demus incorporeæ luci quod experimento probamus de luce visibili, nescio quid impediat ultimum illud judicium sub omni celeritate fieri. An forte hoc ipsum Dominus per similitudinem exprimere voluit cum dixit : *Sicut fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, sic erit adventus Filii hominis?* (*Matth.* XXIV.) Fulgur certe cum paret, subito apparet, et sub omni celeritate disparet. De illa itaque luce quæ malorum conscientias detegit, et quales qualia mereantur ostendit, nunquid credere oportet quod subito illis appareat et subito disparet, quamvis memoria eorum quæ viderint omnino non pereat? Non enim sine causa fortassis adventum suum fulguri potius quam radio solis comparavit : nam et ipse ab oriente usque in occidentem pertingit, sed fulgur nunquam nisi ad modicum apparet; nam de radio solis multo aliter accidere solet. Apparebit itaque sicut fulgur, et ab oriente in occidentem attingens a fine usque in finem, ut sub miranda celeritate omnia quæ ubique terrarum sunt, erunt, vel fuerunt, proferat in lucem, et quantum spectat ad judicii rationem omnia simul et semel prodeant ad manifestationem : *Omnes*, inquit Apostolus, *resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi*, etc. (*I Cor.* XV). Qui poterit omnium corpora sub tanta festinatione reparare, nunquidnam sub eadem celeritate non poterit omnium corda ad quæcunque voluerit in quantum placuerit illuminare? Si tantæ claritatis radium qualem superius designavimus de virorum apostolicorum cordibus radiare non putamus, quid de illo corde dicturi sumus in quo habitat candor ille lucis æternæ, in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, in quo habitat plenitudo illius luminis quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? Nemo utique fidelium est qui dubitare audeat lucem ad omnia sufficientem de Christi corde posse radiare, et, quod consequens est, nemo qui negare præsumat tantæ illustrationis radios viros apostolicos immediate suscipere, et in alios refundere, ut constet quod scriptum est : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Erunt itaque absque dubio apostolici viri præ hominibus cæteris, imo et præ omnibus spiritibus malignis, non solum veritatis intelligentia perspicaciores, sed et potestatis prærogativa supereminentiores, in tantum ut cæterorum omnium nemo omnino possit eorum vel sententiam refellere, vel violentiæ resistere. Nam et tortores dæmones qui prius homines trahebant ad tormenta, jam versa vice juxta decreta judicantium hominum disponentur per loca pœnalia. Ecce jam apparet, ut arbitror, quæ sit illa judiciariæ potestatis prærogativa apostolicis viris ab uno omnium Domino collata. Ecce quæ prius putabatur nullius esse momenti tantæ sublimitatis inventa est, quanta a minus eruditis vix poterit credi.

TRACTATUS DE SPIRITU BLASPHEMIÆ.

Quæ in Evangelio leguntur de spiritu blasphemiæ, obscura, ut dicis, et perplexa sunt valde. Expetis autem et exspectas audire ex me quid sentiam inde. Sed periculosa præsumptio de suo ingenio præsumere, quod præclarissima ingenia non tactum, sed indefinitum reliquerunt. Solius Domini est certe quando, et cui voluerit, ejusmodi revelare. Ut autem verum fatear, videtur mihi durum valde petitioni tuæ omnino deesse. Super hoc igitur involucro si videtur aliquid, quærendo, non diffiniendo loquamur.

Digitized by Google

Sunt qui se fatentur nescire quid sit spiritus blasphemiæ. Audacter tamen affirmant quod hoc genus culpæ omnino sit inexpiabile, adeo ut quisquis in hoc semel lapsus fuerit, de cætero omnino salvari non possit. Sunt autem et alii summæ auctoritatis viri, qui nullum peccatum credunt inexpiabile, nisi quod impœnitentia facit irremediabile. Hinc est illa æstimatio putantium quod per impœnitentiam fit, peccatur in Spiritum sanctum, quia in eo specialiter agitur contra ipsum per quem omnis est remissio peccatorum. Sunt qui putant quod hoc sit peccatum in Spiritum sanctum, de Dei misericordia desperare propter immanitatem scelerum. Sed qui ejusmodi est, si iterum ad veritatem redeat et veraciter pœniteat, quis ei veniam patere contradicat? Attende ergo quod hominibus desperatis sola impœnitentia claudit viam salutis. Habere autem animum obstinatum, sunt qui putant peccatum in Spiritum sanctum esse. Secundum eos autem idem est obstinatio quod summa animi obduratio, qui adeo obduratus sit ut de cætero pœnitere non possit. Sed quid in se eis aufert locum indulgentiæ, nisi pertinacia impœnitentiæ? Quod ergo diximus de desperatis, dicamus et de obstinatis, quod impœnitentia claudit eis viam salutis. Sed et alii qui peccatum in Spiritum dicunt irremediabile malum, hac ratione id fieri affirmant, quia sic statim obdurantur, ut deinceps pœnitere non valeant. Sed juxta hoc eo ipso omni remedio carent quod pœnitere non valent. Attende ergo quod in hoc unum concurrit horum omnium sententia, quod sola impœnitentia facit peccata insolubilia.

Notandum autem quod dicunt impœnitentes in Spiritum sanctum peccare, non tamen dicunt omnes impœnitentes spiritum blasphemiæ habere. Juxta id autem quod in Scripturis sanctis specialiter attribuitur potentia Patri, sapientia Filio, bonitas vero Spiritui sancto: juxta hoc, inquam, dicunt quod peccare per infirmitatem sit peccare in Patrem; peccare vero per ignorantiam, sit peccare in Filium; per solam autem peccare malitiam, sit peccare in Spiritum sanctum. Et qui per infirmitatem vel ignorantiam peccant sicut aliquid excusationis habent in culpa, sic aliquid remissionis accipiunt in pœna. Sed qui per solam malitiam peccantes in Spiritum sanctum delinquunt, nil ejusmodi remissionis accipiunt, et non remittitur eis in hoc sæculo, nec in futuro. Si enim pœnitent, debetur eis plena satisfactio; si non pœnitent, plena damnatio. Sed quamvis per malitiam peccantes dicantur in Spiritum sanctum peccare, non tamen dici possunt hujusmodi omnes sicut nec omnes impœnitentes spiritum blasphemiæ habere. Ex verbis sane Dominicis perpendere possumus quod hoc genus culpæ sit præ omnibus detestabile. Quæramus itaque diligentius quid sit illud peccati genus quod est præ omnibus detestabilius. Quædam hominum peccata specialiter pertinent ad corruptelam propriam, sicut ebrietas et stupra; quædam specialiter ad proximi injuriam, sicut homicidia et furta; quædam specialiter ad contumeliam divinam, quemadmodum blasphemia. Sed quis nesciat quod contumelia Creatoris sit detestabilior cæteris?

Sed si quis blasphemet tormentis compulsus, vel per ignorantiam deceptus, quis neget tolerabilius quam si blasphemet malitia sola ductus? Malignitate ergo blasphemia præ cæteris est pessima. Est autem in hoc genere sceleratissimum, et in quo malitia crescit ad summum, quando quis in Dei vituperiis delectatur, et in eis gloriatur. Quid est blasphemia, nisi vituperatio divina? Ad hoc autem quisque aspirat quod valitudo affectat, multumque desiderat. Quid ergo aliud videtur spiritus blasphemiæ quam affectatio et desiderium vituperationis divinæ? Miratur quis et forte non credit quod adhuc malitiæ articulum humana corruptibilitas ascendere, imo descendere possit. Sed quem hujusmodi cogitatio pulsat, audiat quid de hujusmodi hominibus Dominus dicat: *Nunc autem oderunt me et Patrem meum* (*Joan.* xv). Pro certo quod quisque odit, hoc improbat, hoc vituperat, hoc et ab aliis odio haberi et vituperari desiderat. Hinc est quod qui ejusmodi erant, de Christo dicebant quod immundum spiritum habebat (*Matth.* III). Pro certo non ista dicebant quia verum esse credebant. Nam assidue videbant fieri ab eo quæ nemo facere posset, nisi Deus esset cum illo. Ideo tamen dicebant, quia in eum quem odio habebant aliorum odia et vituperia concitare volebant. Attende ergo quam sint contrarii spiritus isti, spiritus blasphemiæ et spiritus Dei. Spiritus blasphemiæ aspirat ad odium Dei; Spiritus sanctus inspirat amorem Dei. Nam *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v). Vides ergo quomodo spiritus blasphemiæ Spiritui sancto adversatur, et semper in contrarium nititur. De hoc spiritu dicit Dominus quod *non remittetur hominibus* (*Matth.* XII). Ad idem respicit quod alias dicit: *Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti* (*Marc.* III). Ex his Domini verbis, ut credo, assertionis suæ argumentum trahunt, qui spiritum blasphemiæ malum irremediabile omnino dicunt. Credo Augustinum ista legisse, tamen multo aliter quam istos sensisse. Quod Dominus per Prophetam ait: *Convertam in profundum maris* (*Psal.* LXVII). Augustinus, intelligit de hominibus desperatissimis. Alias autem dicit quod obstinatos Dominus doctores facit in eo quod *mittit crystallum sicut buccellam* (*Psal.* CXLVII). In libro Retractationum seipsum accusat vel potius excusat, quod de peccato in Spiritum sanctum quodam loco minus caute scripserat, quod tamen putando potius quam affirmando dixerat. Ibi aperte dicit quod de quocunque pessimo in hac vita constituto non est desperandum, quin potius pro ipso orandum, quoniam non impudenter pro eo oratur de quo non desperatur. Quid enim est dicere esse genus peccati de quo homo [non] possit veniam consequi?

Digitized by Google

quid, inquam, aliud est hoc dicere quam ejusmodi hominem docere ut desperet, et cum Cain dicat : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear?* (*Gen.* IV). Quis audeat ut dicat modum humanæ malitiæ, modum excedere misericordiæ divinæ ? Dicit Psalmista de Domino : *Quod copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* CXXIX). Sed quomodo, quæso, copiosa erit, si est peccati genus quod nunquam in aliquo dissolvit ? Ecce finis miseriæ nostræ juxta quosdam invenitur, de quo nullus ad Dominum convertitur, contra illam sententiam qua dicitur : *Reminiscentur et convertentur ad Dominum omnes fines terræ* (*Psal.* XXI). Nonne satius esset humiliter fateri Dominica illa verba se parum intelligere quam sua expositione aliquos ad desperationem trahere ? Nonne satius est in magni illius (magistrum Hugonem loquor) nostri temporis theologi sententiam pergere, quam aliquibus pontem misericordiæ præcidere, et in desperationis profundum dejicere ? Superius eam breviter prælibavimus, nunc juxta ejus tenorem in explanandarum considerationem pergamus.

Secundum evangelistam Matthæum audis dicentem Dominum : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemiæ non remittetur; et quicunque dixerit verbum contra Filium hominis remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XXI). Prius generalem sententiam ponit, postea excipienda excipit. Ponit remissibilia, excipit irremissibilia. Spiritus, inquit, blasphemiæ non remittitur eo quod hoc malum in se nil habeat excusationis, nihil meretur accipere excusatoriæ remissionis. Quod de hoc malo dixit, hoc idem adjungit de quolibet verbo in Spiritum sanctum prolato : Quicunque, inquit, dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, nec in futuro. Quid hic dicturi sunt qui omnem vel semel in Spiritum blasphemantem æternæ damnationi addicunt ! Nunquid dicturi sunt, quod omnis, qui qualecunque verbum contra Spiritum sanctum dixerit in æternum peribit ? Quod si abhorrent hoc dicere, exponant nobis quomodo oporteat intelligere quod dicitur de verbo contra Spiritum sanctum prolato, quia non remittetur in hoc sæculo, vel in futuro. Nam, si dicturi sunt hoc malum esse expiabile, juxta aliquid tamen irremissibile, videant ne idem dici possit de spiritu blasphemiæ. Aliud est enim peccatum esse inexpiabile, atque aliud juxta hoc quod hic accipitur esse irremissibile. Peccatum diaboli inexpiabile est, quod nullo remedio expurgari potest ; illud autem hominis peccatum non incongrue irremissibile dici poterit, cui nulla pœnæ relaxatio sit, quæ in peccatis actualiter similibus fieri contingit. Ecce unam eamdemque blasphemiam unus facit ex coactione, alius ex aliqua deceptione, tertius ex sola malignitate. Ecce in tribus culpa, quantum ad actionem, per omnia similis. In duobus tamen accipit aliquid remissionis, quoniam habet aliquid excusationis. In tertio nullam accipit ejusmodi remissionem, quoniam nullam habebit excusationem. Primus, ex his peccat in Patrem, secundus in Filium, tertius (illi cui non remittitur) peccat in Spiritum sanctum, hoc est quod Dominus dicit secundum evangelistam Marcum : *Qui blasphemaverit, inquit, in Spiritum sanctum non habet remissionem in æternum* (*Marc.* III). Quod dicitur remissio dari vel non dari secundum mutuum respectum accipientium, vel non accipientium, pro eodem opere debet intelligi. Nam de districtissima pro eadem blasphemia aliquid remittitur blasphemantibus in Patrem et Filium, nihil vero blasphemantibus in Spiritum sanctum. Bene ergo dicitur de eo qui blasphemaverit in Spiritum sanctum quod non habet remissionem in æternum. Quoniam si pœnitet, nihil ei de plenitudine districtissimæ expiationis ; si non pœnitet, nihil ei remittitur de plenitudine districtissimæ damnationis. Quod merito hoc fiat consequenter adjungitur, cum dicat : Sed est reus æterni delicti. Quod dicit idem valet ac si apertius diceret : Idcirco remissionem non habet, sed nec habere debet, quia non est reus ejusmodi delicti cui debeat aliquid remitti. Sed est reus delicti omnium pessimi, quoniam reus æterni delicti, et talis cui non debeat aliqua determinate remissionis relaxatio fieri sicut superius docuimus, hoc est in Spiritum sanctum blasphemare, ex sola malignitate verbum blasphemiæ proferre. Sed talis blasphemia nunquam potest fieri delictum sine detestabili et exsecrabili odio Dei, procul dubio Dei odium delictum est æternum. Æternum delictum dici quod nunquam excidit, quod in perpetuum esse contingit. Pro certo sicut nunquam excidit amor Dei, sic nunquam excidit odium Dei : *Charitas*, inquit Apostolus, *nunquam excidit* (*I Cor.* XIII). Quod ab Apostolo de Dei amore dictum est, de Dei etiam odio dici potest. Et, sicut Dei amor recte dici potest meritum æternum, sic et odium Dei merito dicitur delictum æternum. Quod dicitur de charitate quia nunquam excidit, non est intelligendum quod semel habita amitti non possit sed quod, contra fidei et spei proprietatem in æternum esse non desistit. Sic sunt quædam mala quæ locum habent solummodo in hac vita, sicut adulteria et furta, quædam vero etiam in hac vita simul et futura. Nam qui cum Dei odio ex hac vita discedit, sub eodem morbo in æternum tabescit, et qui in æternum odit, in æternum delinquit, et sine cessatione delinquendo meretur quod sine cessatione patiatur. Qui igitur reus est divini odii, reus est æterni delicti. Sed, sicut superius est demonstratum, blasphemia quæ est in Spiritum sanctum nunquam est præter Dei odium. Merito ergo dicitur de blasphemo hujusmodi quod sit reus æterni delicti. Quidam autem ad id quod Dominus dicit, addunt de suo quod Dominus non dicit. Dominus dicit quod sit reus æterni delicti; isti dicunt quod sit æternaliter reus æterni delicti. Qui enim dicit ejusmodi hominem nulla ratione posse veniam promereri, nonne dicit eum æternaliter reum esse æterni deli-

Digitized by Google

eti? Sed forte hoc isti ex eo colligunt quod ex Dominica voce audiunt. Qui blasphemaverit in Spiritum sanctum non habet remissionem in æternum. Sed nunquid non idem dictum est ab eodem Domino de verbo contra Spiritum sanctum dicto? Qui dixerit, inquit, verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quot, quæso, homines poterunt inveniri qui audeant ut dicant nunquam verbum aliquod contra Spiritum sanctum dixisse. Nunquid cæteri omnes desperandi sunt qui hoc dicere non præsumunt? Nunquid de semetipsis desperare debent qui hoc dicere non audent? Sed si per hujusmodi doctrinam bos vel asinus in puteum desperationis cadat, timeo ne animalium Dominus animalium hominum pretium de manu doctoris, imo dejectoris requirat.

Sunt autem quidam temporaliter rei temporalis et transitorii delicti, et sunt quidam æternaliter rei temporalis et transitorii delicti. Item sunt alii æterni delicti æternaliter rei. Cur non sint et alii æterni delicti temporaliter rei? Adulterium in tempore actualiter fit et transit, et adulterantem reum constituit, sed temporaliter reum si veraciter pœnituerit, æternaliter autem si pœnitere noluerit. Qui cum Dei odio de hac vita transit, æterni delicti æternaliter reus erit. Sic et delictum quod, juxta quod diximus, potest dici æternum, veraciter pœnitentem nonnisi ad tempus constituit reum. Siquidem possunt esse æternaliter rei temporalis delicti juxta divinam justitiam, cur non aliqui credantur esse ad tempus rei æterni delicti juxta divinam misericordiam? Miserationes ejus super omnia opera ejus. Ejus siquidem miserationibus nihil est mirabilius, et eo ipso super omnia opera ejus. Consideremus adhuc quid Marcus de suo adjungat ad ea quæ Dominus dixerat: *Quoniam dicebant*, inquit, *Spiritum immundum habet* (*Marc.* III). In his verbis videtur evangelista rationem reddere; unde contingit Dominum de pessimo genere blasphemandi ista diserere. Ostendit ergo evangelista quod idcirco Dominus eos doceret de blasphemia quæ remissionem non habet, quoniam dicebant quod spiritum immundum haberet. Absque omni ambiguo ista Christi contumelia erat detestabilis blasphemia. Sed istud, quæso, blasphemiæ verbum fuit contra ipsum hominis Filium, an contra Spiritum sanctum? Sed si dicitur contra Filium hominis esse, erit verbum remissibile; si contra Spiritum sanctum, erit irremissibile. Sed si dicitur remissibile verbum, nihil ad eam blasphemiam quæ non habet remissionem in æternum, et juxta hoc quod evangelista subjungit, nihil respondet ad Dominica verba quæ præmisit. Compellit itaque cohærentia dictorum credere Christi calumniatores blasphemasse in Spiritum sanctum. Quid ergo dicemus? Nunquid in illum peccabant quem non vituperabant, et in illum non blasphemabant quem verbis suis profanabant? Quis ad ista idoneus? Auctoritate itaque simul et ex ratione possumus aperte colligere Christi profanatores non per ignorantiam, sed per solam malitiam tam nequiter blasphemasse. Intelligebant absque omni ambiguo neminem posse talia signa facere nisi Deus esset cum illo. Quoniam ergo per solam malitiam blasphemabant, in eum cui bonitas specialiter attribui solet, peccabant, et eo ipso quantum ad id genus peccati acerbissimæ pœnæ alleviatione et remissione indigni erant. Nam, si per ignorantiam peccassent et in ipsum qui Dei sapientia est deliquissent, in puniendo peccato remissius ageretur cum ipsis, et in eo reciperent aliquid remissionis. Ex his Domini verbis manifeste colligitur quod quædam quæ omnibus personis communia sunt, quibusdam personis non sine magno mysterio appropriantur. Multa sunt adhuc circa hæc Dominica verba diligenti investigatione digna. Verum hoc melius atque consultius profundioribus ingeniis relinquimus. Super eo quod a me quæsisti dixi quod potui. Si insipiens factus sum, tu me coegisti.

DE DIFFERENTIA PECCATI MORTALIS ET VENIALIS.

Quoniam quæstioni tuæ non potui satisfacere verbo, conabor ut, si fieri potest, satisfaciam vel scripto. Dicis quod a magistris didiceris quod veniale peccatum temporali pœna punitur, mortale vero perpetuam pœnam meretur. Hinc igitur pergis ad inquirendum de his qui, secundum Job, ducunt in bono dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (*Job.* XXI), si cum veniali et mortali peccato deprehensi fuerint et præventi, utrum ad illud pœnæ quod sustinent pro mortali aliquid adjicitur pro peccato veniali. Sed hoc negare non ausus sum, pro eo quod nullum peccatum creditur impunitum. Sed adhuc pergis et quæris utrum adjectio illa sit eis æterna. Sed nec hoc ipsum negare præsumo legens et credens, quia in inferno nulla est redemtio. Quæ est ergo illa, inquit, magistrorum nostrorum sententia, qua inter utrumque distinguitur, si utrumque æterna pœna mulctatur? et quomodo veniale dicitur, si nil veniæ in æternum meretur? et si meretur, quid est quod a justo Judice in æternum nil veniæ impenditur? Nonne hujusmodi quilibet æternæ morti addictus videretur, etiamsi, sublata omnium criminalium pœna, hanc solam quæ ei pro veniali infligitur in æternum pateretur? Nonne etiam secundum hoc peccatum etiam tale rectius diceretur mortale quam veniale? Nam in veniale dicitur respectu gravioris peccati: simili ratione fornicatio potest dici veniale peccatum respectu

Digitized by Google

adulterii, et adulterium respectu flagitii. Hæc sunt quæ objicis, et unde miraris. Sed, sicut convincere niteris ex una consideratione utraque de dictis peccatis esse mortale, miror cur non æque ex alia consideratione attendis, et simili ratione contendis utrumque esse veniale. Nam, sicut in quibusdam utrumque æterna pœna punitur, sic in quibusdam utrumque temporali pœna purgatur. Sicut enim in non pœnitentibus, sed contemnentibus utrumque percutitur pœna æterna, sic in confitentibus et vere pœnitentibus utrumque mundatur pœna transitoria. Quid ergo? Eritne utrumque veniale et non veniale, mortale et non mortale? Sed, si vis inter utrumque recte discernere, attendere debes quid utrumque faciat per se sine alterius adjectione. Ecce unus aliquis multis meritis dives cum uno qualicunque veniali peccato ab hac vita discessit; morte præventus, locum confitendi vel pœnitendi habere non potuit: nunquid pro eo æternam mortem incurret, et non potius, pœna temporali purgante, veniam percipiet? Ecce alium aliquem in multis bonis exercitatum contingit subito in unum aliquod mortale peccatum cadere, et subita morte præventum confitendi, vel pœnitendi spatium omnino non habere: nunquid eum putas ab æterna morte per transitoriam pœnam posse evadere? Quis hoc dicat, vel dicere præsumat? Ex his, ut arbitror, animadvertere licet quid in his duntaxat qui in Christum credunt utrumque faciat per se, et quam merito unum veniale, alterum dicatur mortale. Ecce, ut arbitror, assertio mea non multum distat a magistrorum tuorum sententia, si pensamus potius sensum quam verba. Ut de eo quod quæris dicam quid sentiam, et breviter inter veniale et mortale peccatum distinguam, videtur mihi veniale peccatum quod in Christo renatis per se solum nunquam inducit æternum supplicium, etiamsi defuerit pœnitentiæ remedium. Mortale vero peccatum etiamsi fuerit solum, si pœnitentiæ remedium defuerit, æternam mortem inducit. Veniale itaque peccatum in Christo renatis, quantum in se solo est, semper pertinet ad veniam, mortale vero, quantum in se solo est, semper pertinet ad mortem æternam. Mortale peccatum, quantum mihi videtur, triplici recte ratione distinguitur. Mortale est quod a quovis non potest committi sine grandi corruptione sui. Item, mortale est quod non potest committi sine gravi læsione proximi. Mortale nihilominus quod non potest committi sine magno contemptu Dei. Cætera vero omnia videntur mihi venialia. Veniale peccatum est reatus cui, quantum est in se solum, fide mediante, nunquam debetur æterna damnatio. Mortale peccatum est reatus cui, quantum est in se solum, semper debetur æterna damnatio.

Patris eleemosyna non erit in oblivionem, et vro peccato matris restituetur.

Eleemosyna patris non erit in oblivionem; nam pro peccato matris restituetur tibi bonum (*Eccle.* III). Prima ex his sententiis, inquis, potest intelligi. De alia nescio quid velit sibi. Videamus ergo de prima. Si dicimus eleemosynas non posse venire in oblivionem hominum, videbitur sententia falsa, si non fallit illa Salomonis sententia: *Non est priorum memoria, sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt erit recordatio apud eos qui futuri sunt in novissimo* (*Eccle.* I). Si ad Dei memoriam refertur quod dicitur, sententia non tam falsa quam frivola videbitur. Nonne, quæso, frivolum videtur dicere eleemosynas ei non esse in oblivione, de quo constat quia nihil omnino possit sibi in oblivionem venire? Si igitur superficietenus considerentur, forte alicui videbitur una harum sententiarum frivola, alia falsa. Quomodo pro peccato matris non potius ira restituenda credetur quam gratia? Sed in qualicunque divinarum Scripturarum quam non aliquid falsum, tam nec audemus dicere aliquid frivolum.

Notandum itaque diligenter quod dicitur. Non dicit eleemosyna hominis, sed eleemosyna patris. Ad filium itaque relatio fit, in eo quod Scriptura de patre dicit. Tunc namque eleemosynæ patris quasi oblivioni traditæ videntur, quando pro eis nihil omnino gratiæ filio divinitus impenditur. Quid ergo vult Scriptura sacra hoc loco docere, nisi quod in filio est, ut quantum ad ipsum eleemosynæ patris sui sint vel non sint in oblivione, et (quod multo mirabilius est) ut possit illi etiam peccatum matris prodesse? Vide mirandum, nec tamen falsum. In te est ut nulla gratia impendatur tibi pro bono patris. In te nihilominus ut bona gratia restituatur tibi pro malo matris. Dicit itaque Scriptura tibi quid possit fieri, sed modum implendi tuæ relinquit discretioni. Utraque itaque sententia sit tibi pro emblemate: nam in utraque opus est divinatione. Vis ergo breviter audire quonam modo possit tibi bonum patris prodesse? Patrem venerande, simul et imitando. Vis et illud similiter nosse quonam modo prodesse poterit tibi etiam malum matris tuæ? Matrem venerando, nec tamen imitando. Quod autem dicitur de eleemosynis patris, poterat veraciter dici de eleemosynis matris; et e converso, quod dicitur de peccato matris, poterat dici de peccato patris: sed pro more sacræ Scripturæ, quod utrobique tacetur, utrobique innuitur. Illud tamen notandum quod prolem suam tam mater quam pater fovet et nutrit dulcius, et eo ipso a prole sæpe amatur ardentius. Inde fit ut sit velut naturale, et pene inevitabile vitia matris assuescere majus itaque meritum videtur ex odio iniquitatis illius malum vitare quem plus diligis, et e converso virtutis amore minus amati bonum imitari.

Digitized by Google

TRACTATUS DE GRADIBUS CHARITATIS.

CAPUT PRIMUM.

De insuperabilitate charitatis.

Amico in Jesu Christi visceribus dilecto. Lævam sponsi sub capite, et dexteram in amplexu. Cogit me infantia charitatis tuæ mihi, amantissime, aliquid tibi de charitate scribere, atque supra meipsum præsumere, et supra modum parvitatis meæ, imo, ut mihi sentire videor, effundere de vacuo, et quod non habeo dare. Difficile dico tibi acquiescit animus meus de ea aliquid dicere, sentiens, quod ad eam digne tractandam neque cor, neque lingua sufficiat. Quomodo enim de amore loquetur homo qui non amat, qui vim non sentit amoris? De aliis nempe copiosa in libris occurrit materia; hujus vero aut tota intus est, aut nusquam est, quia non ab exterioribus ad interiora suavitatis suæ secreta transponit, sed ab interioribus ad exteriora transmittit: Solus proinde de ea digne loquitur, qui secundum quod cor dictat verba componit. Ne mireris igitur si alium audire de ipsa mallem quam loqui ipse. Illum, inquam, audire vellem qui calamum linguæ tingeret in sanguine cordis, quia tunc vera et veneranda doctrina est, cum quod lingua loquitur conscientia dictat, charitas suggerit, et spiritus ingerit. Falleris si me talem putas, imo fallor ego. Nam tibi quidem pium est in illa quæ omnia credit æstimare de me supra id quod est in me. Mihi autem durum est bonum quod non habeo de me opinari, cum et si quid haberem expediret forsitan ignorari. Cumque vero diligitur quod non est, sed quod esse putatur, non amor vel amans rem est, sed quod amatur. O magna virtus charitas, quæ vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt! O fortis virtus, quæ neminem spolians omnia rapis, omnia facis tua, et nemini aufers sua, dum bonum quod in alio diligis diligendo acquiris! Et quidem fieri potest ut frustra agas bonum quod operaris. Ut autem ego frustra diligam, fieri omnino non potest. En ad manum est amoris fortitudo quam quæris, cui resistere nemo est qui possit? Omnia sibi subjicit, omnia suis profectibus servire cogit, inimicos amando superat, et sibi amicos facit vel invitos. Nam, etsi habeat æmulos, inimicos omnino non habet. Sola enim quæ in adversis non deficit, quia *patiens est* (*I Cor.* XIII); quæ injurias non rependit, quia *benigna est*; quam felicitas aliena non cruciat, quia *non æmulatur*; quam conscientia mala non pungit, quia *non agit perperam*; quæ honore non extollitur, quia *non inflatur*; quæ præesse non nititur, quia *non est ambitiosa*; quam cupiditas non coarctat, quia *non quærit quæ sua sunt*; quam injuria non provocat, quia *non irritatur*; quam sinistræ suspiciones non fœdant, quia *non cogitat malum*; quam aliena mala non lætificant, quia *non gaudet super iniquitate*; quam errores non cæcant, quia *congaudet veritati*; quam persecutiones non frangunt, quia *omnia sufert*; quam perfidia non indurat, quia *omnia credit etsi non omnibus*; quam desperatio non absorbet, quia *omnia sperat*; quam intolerantia non dejicit, quia *omnia sustinet*; id est, omnia de Deo promissa patienter exspectat; quam mortis separatio non intercidit, quia *nunquam excidit*. Quid nisi morte non vincitur, quæ fortis est, ut mors, imo morte fortior, quæ ipsam quoque mortem mori coegit in morte Redemptoris? O insuperabilis virtus charitas, quæ ipsum quoque insuperabilem superasti, et cui omnia subjecta sunt omnibus quodammodo subjecisti, dum victus amore Deus humiliavit semetipsum formam servi accipiens, factus non modo homo, sed opprobrium hominum et abjectio plebis! Propter nimiam enim charitatem qua dilexit nos, continere non potuit in ira sua misericordias suas, quominus dilectam animam illam inimicis exponeret pro amicis suis, ut mortis terrorem pariter et vigorem tolleret ab amicis suis. Et si contra Deum fortis fuit, quanto magis contra homines prævalebit?

Hinc extunc illa fidelium intrepida constantia cordis, qua supplicia contemnentes et mortem calcantes, læti per medias mortis fauces ad patriam revertuntur. Morientes exsultant et morti insultant, dicentes: *Ubi est, mors, stimulus tuus?* (*I. Cor.* XV.) Jam non stimulus sed jubilus, dum per medium tui latum lætumque exitum a miseria pandis ad regnum. Facit igitur charitas ut pro ipso, vel in ipso mori non metuant, sed affectent, a quo sic amari se vident, ut ne morerentur ipsi morte turpissima voluit condemnari. Admirantes enim et amplexantes in Christo illum amoris excessum quo proposito gaudio sustinuit crucem humana confusione contempta, vicem non rependere confunduntur, atque passionis ejus ludibriis quasi quibusdam aculeis incitati feruntur effrenes in amoris abyssum, in profundum charitatis, id omnino et solummodo quæritantes: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal.* CXV.) Sicque quadam sana et sancta insania mente translati parum amare se reputant sic amati. Vehemens quippe vis amoris ratione non compescitur, quia, teste Apostolo, supereminet scientiæ majestate (*Ephes.* III). Non terretur, quia foris mittit timorem. Miseriis non reprimitur, quia in infirmitate perficitur. Prorsus virtus omnipotens quæ ipsas miserias facit potentes, dum convertit in adjutorium quæ paratæ sunt ad nocendum, qua suffulti milites Christi impavidi certant, certi de victoria mediis periculis incedunt tutissimi, nec dæmonem, nec hominem metuentes. Hinc Paulus, periculis plurimis

Digitized by Google

enumeratis, e quibus inclyte triumphaverat, triumphi causam adjungit, dicens : *Et in his omnibus superamus propter illum qui dilexit nos* (*Rom.* VIII). Securus inter frendentium undique hostium fulgurantes hastas, et circumvolantia spicula cum charitate dormit, quæ sola potens est ignita nequissimi tela exstinguere, quam flumina multa non exstinguunt. Denique multitudinem peccatorum operit et opprimit, et tentationum muscis morientibus non prævalebit. Prævalet, et subjicit, et illum Jebusæum populum cæterosque Chananiti læ stirpis servire facit in tributum, et in materiam exercendæ virtutis. Majoris profecto potentiæ est erectum hostem dejicere, quam conantem reprimere. Charitatis proinde est tentationes non perimere ne insurgant, sed, cum surrexerint, sternere ne procedant. Itaque non tam virtus potens, quam virtutum potentia dicenda est, eo quod ab illa omnes accipiant, ut vere virtutes sint. Hæc vita fidei, spei robur, et omnium intima vis, et medulla virtutum. Hæc quæ vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit, valens ad omnia et omnibus prævalens, quæ ipsam quoque omnipotentiam quodammodo reddit impotentem. Nonne hæc est quæ in Moyse divinæ justitiæ et potentiæ obstans prævaluit in fortitudine? *Dimitte me*, inquit, *ut irascatur furor meus* contra populum istum (*Exod.* XXXII). Audis, *dimitte me*, et Deum teneri non dubites, nec aliunde quam amoris fortitudine. Quæris cujus? Illius utique servi fidelis, qui in populum majorem major fieri et gloriosior renuit, non carnali, ut assolet, detentus affectu, sed ne in Dei gloriam ruerctur venenatis spiculis blasphemorum: *Ne quæso*, ait, *dicant Ægyptii: Callide eduxit eos ut interficeret in montibus*, nec potuit inducere in terram quam promisit (*ibid.*). Quidni cessit potentia, cessit justitia, ubi charitas de corde tam puro non tam rogabat quam urgebat? O quantum talium virorum penuriam patimur, qui pro nostris delictis Domino se opponerent, pacarent iram, averterent ultionem! *Non est*, ait propheta, *qui invocet nomen tuum, qui consurgat, et teneat te* (*Isa.* LXIV). Sola quæ Deum tenere possit vis amoris est, qua non solum teneri se patitur, sed quod non teneatur pie conqueritur in propheta : *Quæsivi de eis virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, et non inveni* (*Ezech.* XXII). Quærit Deus qui sibi se opponat irato, cujus profecto proprium est misereri, peregrinum ulcisci. Peregrinum, inquit, opus ejus ab illo, quod opus? Nimirum opus ultionis et iræ. Charitas igitur sua fortitudine extentam Dei manum ne feriat continet. Satan sub pedibus conterit, et super inimicorum capita carbones congerit. Potens non modo adversus carnem et sanguinem, sed et adversus principatus et potestates tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cœlestibus; in adversis fortis, sed fortior in prosperis. Solus enim Christi amor est qui ridentis et irridentis fortunæ pure blanditias sprevit, et conspuit, sapore dulciori delectatus; cujus respectu omnis dulcedo amara est, omnis jucunditas mœror est. Omne pulchrum fœdum; omne suave molestum. Et hæc de ejus insuperabilitate sufficiant, et si non ad materiæ copiam, quæ multa est nimis, saltem prosint ad occupationem tuam. Jam ad ejus insatiabilitatem accedamus.

CAPUT II.

De amoris insatiabilitate.

Sane amoris fortitudinem illa efficit dulcedo quam sentit, cujus qui gustant illo gustu facile Deum amant. Anima cuncta contemnit quæ nisi in hujus contemptu amari non possunt, sciens dilectum prius invenire non posse quam prætereuntis mundi figuram quodam despectu pertransierit. Hinc se in se totam perstringens non jam ascensoriis gradibus vel passibus utitur, sed inopinatis capitibus, vel excessibus fertur, volans, non vadens in illa sublimia secreta cœlestia. Unde et Paulus non in tertium cœlum ascendisse, sed raptum fuisse perhibetur. Sic affici quasi deificari est, dum animus divino debriatus amore obliviscitur omnium, et totus pergit in Deum, gustans illud quod nemo novit, nisi qui accipit. At quoties illam felicitatem participat, istam miseriam nesciat necesse est, quæ utique simul esse non possunt. Ad hunc tamen amoris gradum, etsi mortalibus interdum pervenire datur, diu tamen stare omino prohibetur, donec corruptibilibus exuta exuviis libere evaserint in libertatem gloriæ filiorum Dei. Nituntur tamen, et trahuntur illius faciei desiderio: *Quam*, juxta prophetam, *Pater ut adamantem posuit, ut ferrea quæque attrahere possit infuniculis charitatis* (*Osee* XI). Tractus iste etsi suavem quamdam habeat violentiam, magis tamen mortalitatis impotentiam notat, qua mole gravata misera anima, sæpe a volatu suo decidit, et deficit a conatu, si non ab illo trahitur qui exaltatus a terra omnia trahit ad seipsum. Habent igitur amatorii spiritus corporis corruptione detenti et distenti crebram de Dei visitatione lætitiam, sed nullam copiam, dum nec plena esse sinitur, nec morosa. Unde et quodam jucundo loco interim Deus ludere videtur cum filiis hominum, a quibus, dum teneri putatur, e manibus labitur, insectatus se comprehendi patitur, et disparens rursum non videtur, donec denuo lacrymis et precibus vocatus revertatur, et ita, licet delectet visitatio, molestat vicissitudo. Sed quanto, putas, stupore perfunditur anima, subtracta illa dulcedine, et ad hos sensuum laqueos captiva retracta? Nonne quasi de patria spirituum pulsa in vallem corporum in aliud quoddam ignotum sæculum sibi cecidisse videtur longe priori dissimile, in quo et charitas friget et sensualitas regnat, caligat oculus mentis et sensus viget corporis? Hæret tunc, et alta trahens suspiria inde misera unde beata efficitur. Nam quo gratiora fuerat experta, eo molestius fert ea sibi esse subtracta. Subtractio enim rei amatæ augmentatio desiderii est, et quod ardentius optas, cares ægrius. Et hic est languor

Digitized by Google

amoris, quod non est aliud nisi tædium impatientis desiderii quo necesse est affici mentem vehementer amantis, absente quem amat. O præsens absentia, et absens præsentia ejus qui simul perditur et habetur! Frustra, ni fallor, sic languentis animæ conatur quis lenire dolorem, temperare mœrorem, cum de intus curari oporteat dulce vulnus amoris. Nullo proinde humano solatio mitigatur secreti doloris sacra amaritudo, cum, sublato interno dulcoris gustu, nil queat exterius consolari, imo juxta beati Job sententiam : *Omnes consolatores reputat onerosos* (*Job.* xxx). Sensit hoc, qui dixit : *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* lxxvi). Felix tristitia, quæ non de creatura, sed de Creatore concipitur, quæ nulla præsentis vitæ luget incommoda! Dignum plane est ut Deum totius consolationis consolatorem habeat, qui rerum fluentium qualibet affluentia renuit consolari! Non est igitur citra Deum unde possit solatium capere, qui præter illum didicit nil amare. Habeant alii vana et varia sua solatia quibus dicitur : *Væ vobis divitibus qui hic habetis consolationem vestram* (*Luc.* vi). Sibi solus consolator est qui et inhabitator est. Charitas Deus, qui etsi justis nunquam desit ad meritum, plerumque tamen ad solatium abest; illud utilius, jucundius istud habetur. Latet igitur dum sensum cordis minime tangit illa suavitas habita, sed abdita. Moram autem faciente quem desiderat, non jam cum illis fatuis dormitat, vel dormit, sed crebris succussa suspiriis et gemitibus excitata dis-imulare non valet ultra mœstitiam, nec ignem abscondere qui triste pectus adurit. Non jam deliberat, non consulit rationi, non verecundatur, modum ignorat et ordinem, id omnino et solummodo satagente animo, quomodo redeat in præsentia dulcedo cujus quantamlibet festinationem reputat tarditatem, hoc est, dulcissime, quod aliquando quæsisti, quid sit quod ait beatus Augustinus : « Amor Dei non capit de impossibilitate solatium. » Omne enim desiderium tunc ratione solet mitigari, cum desideratum impossibile sit haberi. Amoris tamen violentia nulla impossibilitate frenatur. Nam etsi animam terrena inhabitatione pressam et immersam luto, illa felicitate ex integro frui omnino omni homini constet impossibile, nullum tamen sic amanti hæc impossibilitas præbet solatium, quo minus ardeat et æstuet in fruendi desiderio, quo tamen desiderio, etsi ratio excæcatur, Deus tamen minime offenditur, qui simile quoddam suo videtur innuisse præcepto : *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omni mente* (*Deut.* vi), quod tamen in hac vita mortali, vel potius morte vitali, sicut a nemine constat posse impleri, ita ab omni homine debet optari, unde et in justi descriptione dicitur : *In mandatis ejus volet nimis* (*Psal.* cxi). Quid est velle nimis, nisi plus velle quam posse? Quo sensu et ergo dictum puto, *Adolescentulæ dilexerunt te nimis* (*Cant* i). Infinitus quippe, et immensus est Deus in quem tendit amor eorum, ut nullus esse debeat finis, vel mensura amoris. Amat igitur sic amans anima, etsi non minus posse suo, minus tamen velle suo, nec capit de hac impossibilitate solatium, sed potius desiderii suscipit incrementum. *Concupivit*, ait quidam, *anima mea desiderare justificationes tuas* (*Psal.* cxviii). Non potuit satiari desiderio, qui nihil desiderare concupivit. Fames enim animæ desiderium est. Sic vero Deum amans anima amore non satiatur quia Deus amor est, quem qui amat, amorem amat. Amare autem amorem circulum facit, ut nullus sit finis amoris. Vides igitur quemadmodum insuperabilis est charitas, omnia superans, ita et insatiabilis, omnia vorans, et ex copia parit inopiam, dum ex prægustatis deliciis amplius in desideriis exardescit. Quod et si dentur ad plenitudinem, nunquam tamen ad satietatem : *Qui edunt me*, inquit, *adhuc esurient* (*Eccle.* xxiv). O bone Deus, quem amare edere est, quomodo amantes te sic reficis ut magis esuriant, nisi quia tu simul cibus es et esuriens? Et qui te non gustavit te prorsus esurire nescit. Ad hoc ergo cibas, ut esurire facias : *Esurientes*, ait illa puella, *implevit bonis* (*Luc.* i); implevit, non satiavit. Amoris namque bona eo minus satiant, quo magis replent. Implevit bonis; quibus bonis? nolo a me quæras quæ sint bona charitatis, profecto illa esse æstimo de quibus dicitur : *Oculus non vidit absque te, quæ præparasti diligentibus te;* et alio loco : *Oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascendit* (*Isa.* lxiv; *I Cor.* ii). Audis diligentibus præparata, ut dilectionis bona fore non ambigas. In hac enim repositæ sunt æternitatis deliciæ, et omnis cœlestis suavitas. In hac sunt pax, patientia, longanimitas et gaudium in Spiritu sancto, et quidquid jucundum mente concipit, et ultra; hæc, inquam, præparasti diligentibus te, sed abscondisti timentibus te, donec charitas foras mittat timoris velamen, ut videre possint quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quæ, etsi repleat, satiat nunquam. Non audeo dicere ipsos si qui sunt secunda stola vestitos.

Objicis forsan illud : *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* xvi), et illud quod ad Hierusalem quæ sursum est dicitur : *Adipe frumenti satiat te* (*Psal.* cxlvii); sed satietatem desideranti abundantiam ibi notare noveris, non desiderii finem. Finis autem desiderii, ut ait quidam, satietas est. Qui vero semper esuriunt, liquet quod satiati non sunt. Sed vere beata esuries quæ esurit solum quod habet, et solum habet quod esurit. Iis itaque persuasis charitati tuæ, quod dulcedine divini amoris nemo in futuro satiari poterit, nemo in præsenti impleri, de qua impossibilitate solatium tibi sit nullum habere solatium, patientiam tibi opto, sed patientem esse in hoc magis expedit.

CAPUT III.

Quod amor incessabiliter videt amatum.

Iis igitur utcunque prætactis, ad investiganda reliqua stylus percurrat, quatenus ad tam digna aditum aperire dignabitur in dulcedine sua pauperi

Digitized by Google

Deus. Solet tamen facilius in his patere ingressus pie pulsantibus, quam subtiliter perscrutantibus. Pulsat qui affectat, et qui orat, et pulsanti aperitur. Non enim ambigendum est quin libenter pulsanti aperiat, qui nondum pulsanti hortatur ut pulset. Sic Deus prius vult a se requiri etiam quod promittit, et ideo quod dare disposuit prius promittit ut rogandi ausum præbeat, et quod daturus gratis erat devota promereatur oratio. In hoc a nobis merita extorquet, dum nos prævenit tribuendo quod retribuat, gratis agit ne gratis tribuat, plane dignus ut reametur, qui sic nos prævenit in amando : *In hoc*, inquit Joannes, *est charitas, non quasi nos dilexerimus illum, sed quia prior ipse dilexit nos* (*I Joan.* IV). Præcedit igitur amor suus, nostro quidem benignior, sed noster reprehendi ur, ipse enim adhuc ingratos gratis diligit, nos vero suo dono et debito constat diligere. Dat unde, et facit quod ametur, ut de suo, et pro suo pariter diligatur. Et quidem donum istud prosequi omitto, eo quod ineffabile sit. Nam etsi sentiri a paucitate spiritualium possit, exprimi tamen a nemine potest. Solum ille novit qui dat, et qui accipit, exclusis cæteris, ipsis etiam accipientibus et habentibus suspecta est et incerta ipsa collatio : idque salubriter, ne præsumant. Sed nunc, quæso, mi Severine, reduc oculos ad hæc inferiora, et vide quæ videntes plerique non vident, et adverte si non cuncta quæ vel nobis in prosperis serviunt, vel contra nos sæviunt in adversis quædam non sint charitatis calcaria urgentia quodammodo ad cursum amoris. Ad hoc enim omnia cursus suos dirigunt ut humanis utilitatibus et oblectamentis occurrant, vel defectibus certe succurrant. Hoc cœlum et terra, mare et aera, hic circuitus temporum redivivis patribus antiqua innovans, dilapsa reformans, consumpta restaurans implere non cessat, ut sicut hæc continua communia beneficia respuere nemo est qui possit, ita qui benefacit non diligere nemo est qui debet. Assentiris forsitan de prosperis, at adversa quomodo amorem doceant, vel exigant, tibi innotescere cupis. Cum plerumque humana ingratitudo superbe sibi arrogat dona Conditoris, vult idem hominis Conditor alto salubrique consilio hominem tribulationibus exerceri, ut cum defecerit homo et subvenerit Deus, Deus ut dignum est ametur ab homine, hoc enim est quod dicit : *Invoca me in die tribulationis, eruam te, et honorificabis me* (*Psal.* XLIX). Ex occasione quippe frequentium necessitatum crebris necesse est in tribulationibus Deum ab homine frequentari, frequentando gustari, gustando probari quam dulcis est Deus. Sicque fit ut cor ferreum quod beneficiis emolliri nequibat, flagellis eruditum ad gratiam liberantis liquescat, discatque Deum diligere, et si non propter suam bonitatem, certe propter propriam utilitatem, et hic gradus amoris amare inchoantibus primus est ; jam vero amantibus infimus, cum non propter ipsum, sed propter nos Deum diligimus (*I Joan.* II). Liquet igitur quemadmodum tamen carnaliter et carnalia amantem ad Dei amorem adversa instruunt, et quodammodo cogunt. Sed et ipsis amore succensis, non inferiori consilio interdum prospera subtrahuntur, et ingerunt se adversa, ut si forte (quod vitare difficile est) blandiens prosperitas aliquando sibi subripuit amoris particulam, succedens tollat adversitas, quæ sola (juxta beati Joannis doctrinam) veraciter : *Docet non diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt* (*Joan.* II). Sic Israelitæ coguntur ab Ægyptiis Ægyptum egredi (*Exod.* XII); quia, teste beato Gregorio, dum mundus calamitatibus animum pulsat, nil aliud nisi ut non diligatur clamat. Solus igitur amor est quem a nobis Deus exigit, aut cum beneficiis obruit, aut cum flagellis corripit, vel consiliis instruit, vel mandatis astringit. Plenitudo legis est charitas, et legem continet et prophetas, quia quidquid divina lege indicitur, vel interdicitur, ad solum amorem reducitur. Solve tributum amoris, et Domino noveris satisfactum. Quid igitur, inquit, nobis prodest tanta in nostro victu parcitas, in habitu vilitas, in vigiliis et disciplinis jugis austeritas ? Paucis accipe, quædam sunt charitatis obsequia placentia et placantia si in charitate fiant. At sine charitate nihil prosunt, hæc est enim virtus in qua nec minimum opus respuitur, sine qua nec maximum acceptatur : non prædicatio, etiamsi fiat linguis angelorum; non fides, etiamsi montes transferat; non eleemosyna, etiamsi omnes facultates in cibos pauperum distribuat; non corporis afflictio, etiamsi tradatur corpus ita ut ardeat; non missarum solemnia, quia ante fratris reconciliationem munus prohibetur offerri. Ipse enim amator hominis Deus est, cui omnis creatura merito confitetur, et dicit : *Bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV); sed hoc solum requirit ab homine, quod nulli constat difficile. Solus enim amor est, ut ait beatus Augustinus, qui nomen difficultatis ignorat, qui cum multa amico impenderit, pauca vel nulla se judicat impendisse. Hinc est quod illa annorum multitudo : *Videbantur Jacob dies pauci præ amoris magnitudine* (*Gen.* XXIX). Verus enim amans animus quidquid pro amico patitur præ amore vix sentit, dum sic totus amori intenditur, ut præter dilectum nil pœnæ cogitare sinatur, quia signaculum gerit super cor, et super brachium suum. Denique qua parte subrepere possit illius oblivio, qui præter illos radios incircumspecti luminis, præter illos rivos incorruptæ dulcedinis quibus ineffabiliter animam influit, in rebus etiam visibilibus amanti se exhibere non cessat. Integer quippe amator Dei, quocunque se vertit, familiarem habet admonitionem amoris, rebus his pro speculis utitur, et in omne quod cernit sui amatoris sibi resultat memoria. Aspicit cuncta quæ condidit, et quo condiderit fine, et in his non tam admirabilis quam amabilis sibi occurrit, atque ex arrha dilectionis quam præcontulit sapienter æstimat quanta reservavit in dotem. Castus profecto columbinusque

Digitized by Google

oculus amor est, qui in rebus humano usui concessit nulla libidine figitur, sed in transitoriis contemplatur æternum. Iste est oculus qui non claditur, quia carnalitatis palpebra caret, nullo injecto turbatur, quia nihil admittit forinsecus, nulla cæcatur caligine, quia tenebræ in eo non sunt ullæ, nullo gravatur sopore, ipso teste qui ait : *Ego dormio et cor meum vigilat* (*Cant.* v). Oculus rectus, oculus vere dexter, quem nulla seorsum avertit sinistra intentio, nulla deorsum inflexit terrena affectio. Oculus vero simplex et prudens quem nulla concutit incerta suspicio, nulla detinet curiosa sollicitudo, illum incessabiliter intuens in quem angeli prospicere desiderant. Amor enim vehemens, ut ait beatus Augustinus, non potest non videre quem amat, quia amor oculus est, et amare videre est. Hoc oculo se vulnerari fatetur qui ait : *Vulnerasti me in uno oculorum tuorum.* (*Cant.* iv). Duos nempe oculos habet anima. Unum quo intelligit, et alium quo requirit illum qui respicit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Et horum duorum dexter oculus est amor qui requirendo vulnerat. Neque enim ille saliens in montibus et transiliens colles. Omnem sensum superans, humanum videlicet et angelicum, absque vulnere capitur duntaxat amoris. Quæris quid sit vulnerari Deum? Respondeo ego, quod est illam omnipotentiam nostræ infirmitati pie condescendere, et quasi quædam vulneris apertura internæ suavitatis secreta patefacere. Vulnerari ergo potest, qui etsi sit impassibilis, non tamen est incompassibilis. Vulnus hoc absque ira infligitur, et absque dolore sentitur. Hunc vulnerantem oculum ille Ammonitarum rex suo infelici fœdere molitur eruere : *In hoc, inquam, feriam vobiscum fœdus, ut omnium vestrum oculos dextros eruam* (*I Reg.* ii). Sublato enim amore, qui dexter oculus est, ad solum errorem remanet intellectus quem sinistrum diximus. Intelligere quippe non amare illorum error exstitit. *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* i). Quod multi qui errores persequi videntur hoc errore cæcantur; quo nullus forsitan potest deterior inveniri. Videtur itaque ab amantibus Deus oculo utroque, sed altero vulneratur, quia ubi intellectus caligat, amor penetrat, et ubi ille repellitur, iste admittitur. Quippe perscrutari prohibemur, et plus sapere quam oportet, sed amare etiam plusquam possimus præcipimur. Non potest igitur obturari amoris oculus quo minus videre possit quem amat; etsi non videtur sicut est, quod teste beato Joanne : *Servatur in præmium* (*Joan.* iv), certe tamen videtur; sicut vult quid in præsenti, ad solatium indulgetur. Videtur enim a quolibet amante prout amat, ab alio quidem sic, ab alio vero sic, pro varietate affectuum quibus feruntur in ipsum. Alii ad Divinitatis arcana ferventius inhiant. Alii humanitatis mysteria securius admirantur, contemplantes consilium altissimum Dei super salutem generis humani, totum quidem tutum est quod oculus intuetur amoris, qui solus nunc videt ad meritum, visurus quandoque ad præmium, cum sublato corruptionis nubilo : *Faciem illam*, ut scriptum est, *videbit in jubilo* (*Job.* xxxiii). Poterant his multa adjici famelicis, etsi non fastidiosis profutura; sed ne prolixiori sermone te gravem, stylum premo multo plura, fateor, cupientem.

CAPUT IV.

De amoris inseparabilitate.

Jam nunc ad medium veniat ultimæ petitionis tuæ particula, maxime illa quam instanter postulas, vir devotissime Severine, meis quidem labiis, sed tuis certe meritis explicanda, quibus non tantum in studiis, sed et in cunctis necessitatibus non mediocriter fido. Ut autem in ea quæ proposuimus suo tramite sermo gradiatur, quæ dicta sunt brevi revocentur epilogo. Habes autem in præmissis quod charitas insuperabiliter pugnat, insatiabiliter gustat, incessabiliter videt. In manibus ardet, et inseparabiliter hæret. Adeo nempe tenax est amoris glutinum, ut non tam jungere quam unire dicatur. Prorsus juxta prophetam : *Glutinum bonum est tripliciter uniens virum virtutis* (*Isa.* xli), videlicet sibi, proximo, Deoque sic, quod ei conveniat et cohæreat in unitate. In se quippe per amorem homo unus efficitur, dum se intra se recolligens et reductis affectibus cunctis a locis quibus captivi tenentur solum unum incommutabiliter amat, nec amplius in diversa mutatur. Paratus enim per amorem in plura nusquam sibi invenitur unus vel idem, sed semper sibi ipsi dissimilis, quia toties variari cogitur, quoties quod amat variatur : qui enim labenti innititur, necesse est ut cum labente labatur. Proximo per charitatem unitur homo, dum non solum sine querela, quantum in ipso est, idem omnibus studet effici, sed et omnium successibus coaptari : gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus, infirmari cum infirmis, et cum scandalizatis uri, juxta quod scriptum est : *Socius in tribulatione et regno* (*Apoc.* i). Sic multitudinis credentium erat cor unum et anima una, quam [cujus] nec voluntatum varietas, nec rerum proprietas animos dividebat, sed firmiter stringebat charitas, et suaviter cohibebat in unitate spiritus, in vinculo pacis. Heu in quam inferiori sæculo dilapsi sumus! Heu in quos fines, imo fæces sæculorum homines devenerunt! cum (ut de sæculi hominibus taceamus quos excæcavit ambitio) ipsa religionis electio nostro miserabili tempore tanta divisione spargatur, ut vix unus alteri conveniat in unum, nisi forte adversus Dominum et adversus Christum ejus. Ubique apparent scissuræ civitatis David, et intantum jam hiant, ut vicinam quinam omnino minentur. Servatur sub tunica una et veste simili cor varium et omnino dissimile, ita ut de religione antiqua vix signa serventur, et venientibus ad sepulcrum Domini quod claustrum est, Christum quærentibus sola linteamina pateant, id est, habitus forma... Fateor, tædet hic esse; exeamus hinc, neque

Digitized by Google

enim hoc loco de vitiis loqui propositum est. Deum etiam homini, et hominem Deo unit charitas non solum illa ineffabili unitate qua nostra natura Verbo æterno in unitate personæ unitur, quam effecit utique illa charitas qua ante mundi constitutionem nos dilexit, sed illa qua ait Apostolus : *Qui adhæret Deo unus spiritus est* (*I Cor.* VI).

Profecto unitas hæc amoris est, qua homo secundum cor Dei totis votis supernæ et æternæ voluntati conformis unitur Deo glutino quod non dissipabitur, et vinculo quod non disrumpetur. Est enim charitas vinculum perfectionis quo membra fidelium arctissimo complexu sibi invicem hærent et suo capiti per omnes juncturas connectuntur in unum corpus, in mutuo participio bonorum omnium, ut fidenter quilibet dicere possit, *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua* (*Psal.* CXVIII). De hoc dictum puto : *Funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccle.* IV). Triplex dicitur eo quod, ut præfatus sum, tripliciter ligat. Vis tibi funiculum triplicem describat Apostolus : *Finis*, inquit, *præcepti est charitas, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* V). Solum cor purum est quod perefluere nescit : nil facilius fœdatur corde exposito, quod sola continet charitas ne frustra pateat. Porro, secundum Apostolum, conscientiam bonam habet ad omnes qui proximi bonum æque ut proprium diligit, si quominus convincitur non habere illam quæ non quærit quæ sua sunt. Fides non ficta illa est, quæ per dilectionem operatur ; alioquin, non modo fictam, sed etiam mortuam Jacobus eam dicere non veretur (*Jac.* II). Et vere iste triplex funiculus difficile rumpitur, quo vinctus Paulus audet et dicit : *Quis nos separabit a charitate Christi, tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas?* (*Rom.* VIII) Validum profecto vinculum cui nulla prævalet violentia, inseparabiliter continens amantem pariter cum amato. Nemo me æstimet cum illis sentire, imo desipere qui charitatem semel habitam asserunt ultra perdi non posse, quia si omnis qui habet charitatem habet et perseverantiam, frustra suos discipulos Dominus monuisset, dicens : *Manete in dilectione mea* (*Joan.* XV). Sed in hoc indubitanter censerem charitatem sponte posse deseri, non violenter auferri. Offertur omni, aufertur nulli, ut nullus nisi suo vitio illa careat. Ut autem hac unitiva virtute in unum concurrere possint affectus amantium, cor amantis a se liquefieri necesse est, ut transfundi possit, et transformari, et in illum quem amat mutari et uniri alteri, quemadmodum aquæ stilla infusa vino deficere a se tota videtur dum alterius saporem induit et colorem. Hinc illi pie amantium crebri defectus, imo profectus de se in se nihil sentiunt, nisi quod in Christo Jesu. Nosti quid dicere velim, nemo te melius. Solum liquidum est quod omni formæ congruit, quod optime convenit cordi amatoris. *Factum est*, ait ille, *cor meum tanquam cera liquescens* (*Psal.* XXI). Res liquescendo mollitur, dilatatur, purgatur, et nunc hunc tripli- A cem effectum considera in amore, qui vere ignis divinus est, corda resolvens, purgans et conflans in massam unitatis, quemadmodum varia metalla soluta igne concurrunt in unum. Ad tactum cujus mollitur et cedit illa odiosa durities quæ est insensibilitas cordis, quia homo nec se sentit, nec alium, nec pietate flectitur, nec precibus movetur, exemplis non inducitur, minis non terretur, beneficiis duratur, flagellis non eruditur. Frontosus ad turpia, pronus ad illicita, subdi nescius, nisi cum resistere non possunt [potest], et in omnibus his exemplum tibi fit Pharao homo duri cordis. Emollitur autem cor, juxta beati Pauli doctrinam, dilatatur in charitate (*II Cor.* VI), et a dextris et a sinistris usquequaque diffunditur, subveniens pariter hostibus et amicis, atque grato B quodam et spontaneo cursu omnibus occurrit, congaudens profectibus, vel defectibus condolens proximorum. Fluit igitur, sed non effluit, quia sic se derivat ad alios, ut a se aliquatenus non recedat. Et vide tu ne forte Propheta senserit ad ipsum, qui cum cor suum ceræ liquescenti comparasset, protinus adjunxit, *in medio ventris mei* (*Psal.* XXI) : liquidum ergo fuit, sed extra se non effluebat. Solus effluit qui sic intendit aliis ut sibi non attendat : *Videte*, ait Apostolus, *ne forte perfluatis* (*Hebr.* II) ; neque etiam necesse est ut in his excessibus quibus humani spiritus lutosis sensibus divino munere avellumur, extra se esse dicamus, cum Paulus in suo raptu an in corpore, an extra corpus fuerit, se dicat prorsus ignorare. Ubi ergo sunt, inquis? In eo quod interius C est sui, profundum est cor hominis et inscrutabile : homo enim secretus sibi est quod solus sui ipsius noscat quod interius, non ergo ducuntur sed inducuntur spiritus in illo interiori cœnaculo, quodque et illuc, clausis seorsum sensuum ostiis, securius secretiusque castissimo complexu conveniant cum Dilecto, et ibi melius secum sunt, et cum sic ibi sunt simul, tutius se habent.

Porro cor liquefactum purgari necesse est, et ad purum excoqui si quam habet scoriam ipso amore qui ignis consumens est, paleas ignorantiæ et delicta juventutis purgans, et purgatissimam animam faciens divino dignam conjugio, non habentem maculam neque rugam. Audi flammam vorantem : D *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII). Denique Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, et ad mortem imputatur nihil ; omne autem quod ipse non imputaverit, sic est quasi non sit : *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* (*Psal.* XXXI). Nam qui non habuerit nemo est, nisi ille qui est inter mortuos liber. Sic calefactum, et liquefactum cor, facile ad omnem dilecti sermonem compungitur et ebullit, experiens illud quod canitur : *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est* (*Cant.* V), et illud quod in Evangelio legitur : *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via?* (*Luc.* XXIV.) O dulcis confabulatio Dei in anima, quæ sine lingua et labiorum formatur strepitu, quæ sine aure percipitur,

Digitized by Google

sed sub silentio solus qui loquitur et cui loquitur audit illam, a qua omnis alienus excluditur! Sunt autem verba illa quædam cœlestis fontis irrigua, rigantia corda arentia et tædentia præ amoris desiderio. Quorum dulcis narratio de civitate Dei, de pace et copia civitatis, de civium gloria, et decore lucidissimæ mansionis, pellens a corde fastidium, et a corpore fatigationem, nuntians amico quod possessio ejus sit, et ad eam possit ascendere, nec aliud petiit, vel passus est qui dicebat : *Dormitavit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis?* (*Psal.* CXVIII.) Similia autem sunt verba veritatis nostris cogitationibus, et nemo tam vigil observator est motuum, qui facile discernat quid cor pariat, vel quod audiat, nisi qui Dominum loquentem advertit : *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* (*Matth.* IX.) Et illud : *De corde exeunt cogitationes malæ* (*Matth.* XV). Et item : *Qui mendacium loquitur, de suo loquitur* (*Joan.* VIII). Et istud Apostoli : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis* (*II Cor.* III). Mala ergo in cordibus dicimus juxta illud : *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus* (*Psal.* XIII). Bona autem audimus : Unde : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV). Et prorsus huic auditui dabitur gaudium et lætitia, nec revertetur verbum vacuum, sed faciet ad quodcunque misit illud, rigans et fecundans penetralia cordis : qui talibus verbis docentur, dociA biles Dei sunt, et unctio eos docet, quæ sola omnem veritatem docet suavi celerique magisterio. Loquitur quædam profunda mysteria Dei quæ non libet homini loqui et, si audire liceat, qualia apud magistros sæculi nullatenus audiantur, quorum virtute et auditu corda liquescunt, liquescendo deficiunt, et deficiendo perficiuntur. Dura in illam unitatem concurrunt, quam suis Salvator orat et optat in Evangelio : *Ut sint*, inquit, *unum sicut, et nos unum sumus* (*Joan.* XVII). Cujus sanctus Joannes in sua Epistola meminit, dicens : *Sicut ipse est, et nos sumus in mundo* (*I Joan.* IV), ut sicut videlicet illa beata beatificans personarum Trinitas amore continetur æterno absque confusione et divisione, ut nec unitatem turbet personarum divinarum qui essentiam non multiplicat, nec unitas Trinitatem redigat in singularitatem personæ, sic et ipsi uniantur et ordinentur B in charitate, cum comparatione quidem sed qualicunque similitudine, nec absurdum putetur quod dixi Deum amore contineri, cum non alio dixerim quam seipso et quam seipsum. Hæc autem pauca ita suscipiat charitas tua, ut cum a te perlecta fuerint, nulli transcribenda concedas, nisi quibus ad ædificationem animæ talia credideris expedire. Nosti enim quam proni sint quidam simplicia dicta conspuere, his solum intenti quæ quæstiones verborum generant, quarum nullus est finis, et fructus modicus.

TRACTATUS

DE QUATUOR GRADIBUS VIOLENTÆ CHARITATIS.

Vulnerata charitate ego sum. Urget charitas de C charitate loqui, libenter me impendo charitatis obsequio, et dulce quidem, et omnino delectabile de dilectione loqui. Jucunda materia, et satis copiosa, et quæ omnino generare non possit vel tædium scribenti, vel fastidium legenti. Sapit enim supra modum cordis palato quod charitate conditur, si dederit homo pro dilectione omnem substantiam domus suæ, quasi nihil despiciet eam. Magna vis dilectionis, miranda virtus charitatis. Multi gradus in ea, et in ipsis magna differentia. Et quis eos digne distinguere vel saltem dinumerare sufficiat? Est sane in ea affectus humanitatis, sodalitatis, affinitatis, consanguinitatis, fraternitatis, et in hunc modum alii multi, super hos tamen omnes dilectionis gra- D dus est amor ille ardens et fervens qui cor penetrat, et affectum inflammat, animamque ipsam eousque medullitus transfigit, ut veraciter dicere possit : Vulnerata charitate ego sum. Cogitemus ergo quæ sit illa supereminentia charitatis Christi, quæ dilectionem parentum, nunc amorem prolis, uxoris affectum transcendit vel exstinguit, insuper et animam suam in odium vertit. O vehementia dilectionis! o violentia charitatis! o excellentia, o supereminentia charitatis Christi! Hoc est, fratres, quod intendimus, hoc est illud de quo loqui volumus, de vehementia charitatis, de supereminentia perfectæ æmulationis. Nostis satis quia aliud est loqui de ipsa charitate, et aliud de ejus consummatione. Aliud sane loqui de ipsa, atque aliud de ejus violentia. Attendo ad opera violentæ charitatis, et invenio quæ sit vehementia perfectæ æmulationis. Ecce video alios vulneratos, alios ligatos, alios languentes, alios deficientes, non tamen a charitate. Charitas vulnerat, charitas ligat, charitas languidum facit, charitas defectum adducit. Quid horum non mirum, quid horum non violentum? Hi sunt gradus quibus interim toti intendere ad illam quam multum concupiscitis, audite de illa, et anhelate in illam quam vehementer ambitis. Vultis audire de charitate vulnerante? *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui* (*Cant.* IV). Vultis audire de charitate ligante? *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis* (*Osee.* I). Vultis audire de charitate languente? *Filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum*

Digitized by Google

meum, annuntiate ei quia amore langueo (*Cant.* v). Vultis audire de charitate deficiente, et in defectum adducente? *Defecit*, inquit, *in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum supersperavi* (*Psal.* CXVIII). Charitas itaque defectum facit, languorem adducit. Charitas vincula habet, charitas vulnera facit.

Sed qui sunt isti funiculi Adam primi parentis nostri, nisi munera Dei? Quæ, inquam, sunt ista charitatis vincula, nisi Dei beneficia? Bona naturæ, gratiæ et gloriæ. His enim beneficentiæ vinculis obnoxium fecit, et benevolentiæ debitorem constituit. Naturam condidit, gratiam contulit, gloriam repromisit. Ecce funiculus triplex : Dona conditionis, bona justificationis, præmia glorificationis. Et scimus quia funiculus triplex difficile rumpitur, fuit tamen ruptus. A sæculo enim confregit homo jugum, rupit vincula. Adjecit autem et Dominus adhuc manu valida multiplicare super nos charitatis suæ vincula, ut nos sibi arctius astringeret, altius irretiret. Contulit nobis bona sua, pertulit pro nobis mala nostra, ut ex utroque sibi obnoxios redderet, et de bonis quæ contulit nobis, et de malis quæ pro nobis pertulit. In hujusmodi charitatis funiculis captivam duxit captivitatem, largiter donans dona hominibus, et libenter sustinens mala pro hominibus. O quam male fortis est, quem tot charitatis vincula tenere non possunt! O quam male liber est, quem hujus captivitatis jura non involvunt! Sed ecce ad illum amoris gradum redimus quem primo loco posuimus, et vulnerantem jam diximus. Nonne tibi corde percussus videtur, quando igneus ille amoris aculeus mentem hominis medullitus penetrat, affectumque transverberat interim, ut desiderii sui æstus cohibere vel dissimulare omnino non valeat? Desiderio ardet, fervet affectu, æstuat, anhelat, profunde ingemiscens et longa suspiria trahens, hæc tibi animæ vulneratæ certa sint signa gemitus atque suspiria, vultus pallens atque tabescens. Hic tamen gradus interpolationem recipit, et incumbentium negotiorum curis et sollicitudinibus cædit. Febricitantium itaque more qui hoc typo vexantur, nunc acrius uruntur, nunc occupationum suarum occasione aliquantulum recreantur. Sed iterum post modicam interpolationem æstuans, ardor ferventior redit, animumque jam fractum acrius incendit et vehementius urit. Sæpe itaque recedens semperque seipso major rediens paulatim animum emollit, viresque effringit atque exhaurit, donec plene animum sibi subigat, atque substernat, jugique sui memoria totum occupet, totum implicet, totum obliget, ita ut hoc ei excidere aut aliud cogitare non possit, et jam de primo gradu ad secundum transit. Primum enim gradum diximus qui vulnerat, secundum qui ligat. Nonne vere et absque ulla contradictione animus ligatus est, quando hoc unum oblivisci, aut aliud meditari non potest? Quidquid agat, quidquid dicat, hoc semper mente revolvitur perennique memoria retinetur hoc; dormiens somniat, hoc vigilans omni hora retractat.

A Facile est perpendere hinc, ut arbitror, quomodo hic gradus superiorem transcendit, qui mentem hominis nec ad horam quietam esse permittit. Recte itaque dictum est quod prior sit ille gradus qui vulnerat, secundus autem ille qui ligat. Sæpe enim minus est vulnerari quam ligari. Quis enim nesciat quam sæpe contingat, ut miles in conflictu certaminis percussus et vulneratus persequentis manus effugiat, et cum inflicto vulnere liber tamen evadat. Sed postquam in congressu certaminis miles percussus dejicitur, dejectus comprehenditur : comprehensus adducitur, adductus incarceratur, incarceratus concatenatur atque ligatur, jam omnino captivus tenetur.

B Quid horum, quæso, majus, quidve molestius? Nonne tolerabilius est quamvis vulneratum effugere, tamen liberum, quam captum atque ligatum teneri captivum? Hic autem gradus non sicut ille superior aliquam interpolationem recipit, sed acutæ febris more continuo ardore animum urit, jugique desiderii sui æstu incendit, nec die nec nocte animam quiescere sinit. Itaque, sicut ille qui lecto decubat vel quem catena coercet, ab eo loco quo addicti sunt elongari non possunt, sic utique qui ab hoc secundo violentæ charitatis gradu absorptus est, quidquid agat, quocunque se vertat ab illa una et intima sollicitudinis suæ cura avelli non potest. Primi itaque gradus impetum in pravis desideriis non resistendo, sed declinando, non tam reluctando quam fugiendo repellere debemus et possumus, si C solliciti semper ad utiles et honestas tam occupationes quam meditationes provida mente confugiamus, et impleamus quod scriptum est : *Fugite fornicationem* (*I Cor.* VI). Primi itaque gradus violentia declinari potest, superari non potest; secundi autem gradus vehementia omnino non valet nec reluctando superari, nec fugiendo declinari. Audi captivum et gementem, et de fuga desperantem : *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam* (*Psal.* CXLI). Sed sæpe ut videmus qui fugere non possunt, redimere se possunt. Cum ergo tentationem non possumus vel virtute repellere, vel prudentia declinare, debemus per mi ericordiæ et obedientiæ opera nos ipsos redimere, et a servitutis jugo eripere. Hæ sunt veræ et D propriæ divitiæ de quibus scriptum est : *Redemptio animæ viri, divitiæ propriæ* (*Prov.* XIII). Sed cum ad hunc secundum vehementiæ gradum amor excreverit, quid est, quæso, quo se amplius extendere possit? Quid hac vehementia vehementius esse potest, si superari non potest, si declinari non potest? Si omnino insuperabilis est, si omnino inseparabilis est quid hac vehementia vehementius esse potest? Si ab alio affectu superari non potest, summus est, et si inseparabiliter inhæret, sempiternus est, et quid ejus violentia violentius esse potest, si summus et sempiternus est? Sed aliud est esse summum atque aliud est esse solum; sicut et aliud est semper præsentem esse, et aliud consortem omnino non admittere. Possumus enim et præsentes esse et multos socios

Digitized by Google

habere, et præ omnibus quidem superiorem locum tenere. Vides ergo quanta supereminentiæ magnitudo ad excrescendum ei adhuc supersit, ut cum summus jam sit, etiam solus esse possit? Ad tertium itaque jam violentiæ gradum amor ascendit, quando omnem alium affectum excludit, quando nihil præter unum vel propter unum diligit. In hoc itaque tertio violentæ charitatis gradu nil omnino satisfacere potest præter unum, sicut et nihil sapere nisi propter unum. Unum amat, unum diligit, unum sitit, unum concupiscit. Ad ipsum anhelat, in ipsum suspirat, ex ipso inardescit, in ipso requiescit. Solum est in quo reficitur, solum ex quo satiatur. Nil dulcescit, nihil sapit nisi hoc uno condiatur. Quidquid ultro se offerat, quidquid sponte occurrat, cito rejicitur, subito conculcatur quod suo affectui non militat, vel ejusmodi desiderio non deserviat. Sed quis hujus affectus tyrannidem digne describat? quomodo omne desiderium expellit, quomodo omne studium excludit, quomodo omnem exercitum violenter opprimit quem suæ concupiscentiæ deservire non prospicit? Quidquid agat, quidquid fiat inutile, imo intolerabile videtur, nisi in unum desiderii sui finem concurrat atque conducat. Cum frui potest eo quod diligit, omnia pariter habere se credit. Sine illo horrent omnia, sordent universa. Si enim eo frui non possit corpore deficit, et corde tabescit. Consilium non recipit, rationi non acquiescit, nullam omnino consolationem admittit.

In secundo adhuc gradu alienis negotiis per actionem utique occupari potest, sed per cogitationem non potest, quia ejus quod diligit omnino oblivisci non potest. In hoc autem gradu mens tabida et amoris nimietate languida, sicut non potest alia meditari, sic nec potest aliena operari. Ille gradus cogitationes involvit, iste etiam actiones dissolvit. Ille ligat in cogitatione, iste enervat in actione. In illo gradu manus ac pedes adhuc liberos habemus, et febricitantis more huc atque illuc extendere atque jactare possumus, quia pro discretionis arbitrio adhuc eos extendere, et in bono opere exercere et possumus et debemus. In hoc autem gradu amoris nimietas ad languoris similitudinem manus ac pedes enervat, ut deinceps mens nil penitus pro arbitrio agat. Mens itaque in hoc statu quasi immobilis manet, et nusquam se per cogitationem neque per actionem movet, nisi quo eam vel desiderium trahit vel affectus impellit. In pravis autem desideriis in primo adhuc gradu, ut superius dictum est, per circumspectionis studium fugere potest; in secundo autem gradu ubi fugiendi locus omnino non est, per bona adhuc opera redimere se potest. In hoc autem gradu quid his potest præsidii, quod genus potest esse remedii, qui jam nec necessaria meditari, nec utilia possunt operari? Audi tam corde quam corpore languidum, corpore tabidum et corde turbatum : *Cor meum conturbatum est in me, dereliquit me virtus mea* (*Psal.* LXII). Sub hoc necessitatis articulo nullum aliud remedii genus invenio quam ad divinam clementiam respicere, ejusque misericordiam implorare. Si omnino languidus es, si manus et pedes liberos non habes, certe adhuc linguam habes, et labia movere potes. Si ergo tuæ industriæ nullus evadendi locus relictus est, clama ad eum qui omnia potest. Vides, ut arbitror, vis illa amoris quantum jam invaluit, cum ad hujus tertii gradus vehementiam exercendo ascendit, et mirum est, si habet adhuc aliquid quo amplius ascendere possit. In primo gradu transfigit affectionem, in secundo ligat cogitationem, in tertio dissolvit actionem. Affectio itaque captivatur in primo, cogitatio in secundo, actio autem in tertio. In his totum hominis est, et quid his amplius habere potest? Si ergo totum captivatum est quod hominis est, quid illi ulterius fieri potest? Si vis illa amoris totum possidet, si amoris magnitudo totum absorbet, in quo se, quæso, amplius dilatare valet? Si enim totum obtinuit, non est quod ulterius vindicare possit. Sed quid dicimus si totum obtinet, et totum ei sufficere non valet? Quid, inquam, dicturi sumus, si totum in potestate est, totum tamen desiderio satisfacere non potest? Certe incomparabiliter majus est quod homo non valet, quam quidquid homo valet. Utrumque tamen desiderari potest, et quod homo potest, et quod homo non potest. Vide ergo quam infinitum sit quo desiderium in se extendere possit, etiam postquam ad tertium gradum pervenerit.

Quartus itaque violentæ charitatis gradus est, quando æstuantis animi desiderio jam omnino nihil satisfacere potest. Hic gradus quia humanæ possibilitatis metas semel excessit, crescendi, ut cæteri, terminum nescit, quia semper invenit quod adhuc concupiscere possit. Quidquid agat, quidquid sibi fiat, desiderium ardentis animæ non satiat; sitit et bibit, bibendo tamen sitim suam non exstinguit, sed quo amplius bibit, eo amplius et sitit. Avidæ enim, imo insatiabilis animæ sitis vel esuries non sedatur, sed irritatur dum voto suo pro voto perfruitur. In hoc statu non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu, dum vel absentem loquitur, vel præsentem intuetur. Sed hujus supremi gradus violentiam quis digne explicare valeat, quis ejus supereminentiam vel digne pensare sufficiat? Quid, quæso, est quod cor hominis profundius penetret, acerbius cruciet, vehementius exagitet? Quid, quæso, molestius, quidve acerbius, cum sitim suam nec resistendo temperare, nec inebriando possit exstinguere? Miranda imo et miseranda ingluvies, quæ nec ulla accuratione expellitur, nec aliqua satisfactione sedatur. Morbus irremediabilis et omnino desperabilis, ubi semper et remedium quæritur, et nusquam invenitur, imo quidquid præsumitur ad remedium salutis, vertitur in augmentum furoris. Hic est ille gradus, ut diximus, qui defectum adducit, qui de remedio jam desperare facit. Et sicut desperatus æger qui quasi præmortuis membris jacet, jam ulterius quid agat vel ab alio exspectare debeat non habet, jam ei omnis medicorum cura subtrahitur,

Digitized by Google

sibique ipsi totus relinquitur, solo adhuc spiritu anhelat, et omni hora quasi ad exitum appropinquat. Ultimum jam spiritum trahit, et quid circa se agatur, vel quid sibi fiat, nec attendit, nec advertit. Sic sic sane qui ejusmodi æstuantis desiderii ardore anhelat, quidquid sibi fiat omnino non potest vel remedium afferre vel consolationem adhibere. Dum igitur adhibita consolatio quælibet omnino animum non tangit, quodammodo quasi præmortuus quæ circa se geruntur omnino non sentit. In pravis autem desideriis, dum mens humana ad hunc statum violenter attrahitur, nil aliud jam superest, nisi ut pro ipso ab aliis oretur, si forte Dominus fidem illorum respiciens vitæque restituens reddat illum matri suæ, qui potens est etiam de lapidibus suscitare filios Abrahæ et quoties voluerit deducit ad inferos et reducit. In hoc statu amor sæpe quasi in insaniam vertitur, nisi mira prudentia parique constantia ejus impetus refrenetur. In hoc statu inter amantes sæpe iræ surgunt, sæpe rixas committunt, et cum veræ inimicitiarum causæ non suppetunt, falsas, et sæpe nec verisimiles fingunt. In hoc statu amor sæpe in odium transit, dum mutuo desiderio nihil satisfacere possit. Hinc fit illud quod sæpe in quibusdam vidimus, ut quo se prius ardentius diligere videbantur, eo se postmodum vehementiori odio persequerentur; imo, quod magis mirum est, sæpe sub uno eodemque tempore sic odiunt, ut tamen per desiderium æstuare non desinant, et sic diligunt, ut tamen velut ex odio persequi non desistant. Diligendo itaque odiunt, et odiendo diligunt, et modo mirabili, imo miserabili crescit ex desiderio odium, et ex odio desiderium. Et ignis et grando mista pariter feruntur, dum nec æstus desiderii odii gelu possit dissolvere, nec detestationis grando concupiscentiæ ardentis ignem possit exstinguere. Supra modum autem, imo supra naturam ignis convalescit in aqua, quia amoris incendium magis exæstuat ex alterutra contradictione, quam invalescere posset ex mutua pace.

Ecce jam habemus in ardenti dilectione quatuor violentiæ gradus, de quibus superius proposuimus. Primus ergo violentiæ gradus est, quando mens desiderio suo resistere non potest; secundus autem gradus est, quando illud oblivisci non potest; tertius vero gradus est, quando ei aliud sapere non potest; quartus autem, qui et ultimus, quando nec ipsum ei satisfacere potest. In primo itaque gradu amor est insuperabilis, in secundo inseparabilis, in tertio singularis, in quarto insatiabilis. Insuperabilis est qui alii affectui non cedit; inseparabilis, qui a memoria nunquam recedit; singularis, qui socium non recipit; insatiabilis, cum ei satisfieri non possit. Et quamvis per singulos gradus possint notari singula, specialius tamen in primo gradu notatur amoris excellentia, in secundo ejus vehementia, in tertio ejus violentia, in quarto ejus supereminentia. Quanta enim excellentia amoris quæ omnem alium affectum excedit! Quanta, quæso, vehementia dilectionis quæ mentem quiescere non sinit! Quanta, obsecro, violentia charitatis quæ omnem alium affectum violenter expellit! Quanta supereminentia æmulationis cui omnino nihil sufficit? O excellentia amoris! o vehementia dilectionis! o charitatis violentia! o æmulationis supereminentia! Illi quatuor amoris gradus aliter se habent in affectibus divinis, atque aliter in affectibus humanis, atque omnino aliter se habent in desideriis spiritualibus, et in desideriis carnalibus. In desideriis spiritalibus, quanto major, tanto et melior. In desideriis carnalibus, quanto est major, tanto est pejor. In affectibus divinis, ipse qui summus, idem et præcipuus. In affectibus humanis, ille qui summus, ipse est et pessimus. In humanis sane affectibus primus potest esse bonus, secundus absque dubio est malus, pejor tamen est tertius, quartus autem est pessimus. Scimus quia in humanis affectibus conjugalis amor primum locum tenere debet, et idcirco in nuptiali toro ille amoris gradus bonus esse valet qui omnibus aliis affectibus dominari solet. Mutuus namque intimi amoris affectus inter fœderatos pacis vincula astringit, et indissolubilem illam perpetuandamque societatem gratam et jucundam reddit. Primus ergo gradus in humanis, ut dictum est, affectibus bonus esse potest, nam secundus absque dubio malus est. Cum enim mentem indissolubiliter obligaverit, dum eam in aliam sollicitudinem transire non sinit, sæpe et providendorum curam, et disponendorum providentiam tollit. Tertius autem ille amoris gradus qui omnem alium affectum excludit, non solum est malus, imo etiam incipit esse amarus; cum voto suo semper pro voto frui impossibile sit, et ex alia aliqua re consolationem recipere non possit. Quartus autem gradus, ut diximus, omnium est pessimus. Quid illo pejus inveniri possit quod animam non solum malam, sed et miseram reddit? Quid miserabilius quam ejus rei desiderio semper fatigari cujus fructu nunquam possis satiari? Superius docuimus quomodo sub hoc gradu assiduo æstu et gelu mens uritur, dum nec ex desiderio odium, nec ex odio desiderium exstinguitur. Et quid hoc aliud quam quædam forma futuræ damnationis esse videtur, ubi semper transitur de calore ignium ad frigora nivium, et de frigore nivium ad calores ignium. Hic itaque ultimus amoris gradus in humanis desideriis omnium pessimus est, in divinis autem affectibus, ut dictum est, omnium est præcipuus. Ibi enim humano animo quidquid sibi fiat sufficere non potest, hic autem quidquid pro Deo suo faciat, voto suo satisfacere non potest. Ibi mens semper sollicita est quid sibi fiat, non quod ipsa faciat. Hic majorem sollicitudinem mens gerit quid ipsa faciat quam quid sibi fiat. In cœlestibus itaque desideriis quanto affectus est major, quanto gradus superior, tanto utique melior atque pretiosior. O quam pretiosus primus ille dilectionis gradus in Dei amore, quando est insuperabilis! Multo pretiosior ille secundus, quando ardens affectus incipit esse inseparabilis! Multo tamen adhuc melior est, quando

Digitized by Google

in alia aliqua re quam in Deo delectari non potest. Summus autem atque præcipuus amoris gradus est, quando desiderio suo nihil satisfacere potest. Jam in primo gradu : *Aquæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam* (*Cant.* VIII), eo quod insuperabilis sit. In secundo jam gradu : *Ponit anima dilectum suum sicut signaculum super cor suum* (*ibid.*), eo quod illum omnino oblivisci non possit. In tertio jam gradu : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione quasi nihil despiciet eam* (*ibid.*), eo quod in re alia aliquis delectari non possit. In quarto autem gradu : *Fortis est ut mors, dilectio, et dura, et ut infernus æmulatio* (*ibid.*), eo quo ei parum sit quidquid pro Deo suo facere vel sustinere possit. In primo gradu amor insuperabilis dicitur : *Diligam te, Domine, fortitudo mea* (*Psal.* XVII). In secundo inseparabilis amor dicitur : *Adhæreat lingua mea faucibus meis si non meminero tui* (*Psal.* CXXXVI). In tertio gradu singularis amor dicitur : *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI). In quarto gradu dicitur insatiabilis amor : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal.* CXV.) In primo est insuperabilis, et dicitur : *Quis nos separabit a charitate? An tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* (*Rom.* VIII.) In secundo *charitas nunquam excidit*, eo quod inseparabilis sit, unde et dicitur : *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII), eo quod ab illo avelli non possit. In tertio : *Omnia arbitratur ut stercora ut Christum lucrifaciat* (*Philip.* III). In quarto *sibi vivere Christus est, et mori lucrum*, eo quod cupiat *dissolvi et esse cum Christo* (*Philip.* I). In primo gradu diligitur Deus ex corde, et ex anima et mente, nullum tamen horum fit ex toto. In secundo diligitur ex toto corde. In tertio diligitur ex tota anima. In quarto autem diligitur ex tota virtute. Dilectio ex corde, dilectio quæ est ex deliberatione; diligere autem ex anima, est diligere ex affectione; ad cor consilium, ad animam autem pertinet desiderium. Vultis autem nosse quod consilium ad cor debeamus referre? *Ephraim*, inquit, *columba seducta, non habens cor* (*Ose.* VII). Quid est populum cor non habere nisi ipsum sine consilio esse? Quid, inquam, est populum columbam esse seductam, et sine corde, nisi quod alibi dicit : *Gens absque consilio et sine prudentia?* (*Deut.* XXXII.) Nihil itaque aliud est sine corde esse, quam consilio et prudentia carere. Sed quemadmodum jam dictum est, sicut ad cor consilium, sic ad animam pertinet desiderium : *Qui perdiderit*, inquit, *animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (*Joan.* XII). Quid est aliud animam suam in hoc mundo perdere, nisi in hoc mundo (quemadmodum alias præceptum est) : *Post concupiscentias suas non ire?* (*Eccle.* XVIII.) Quo enim in hoc mundo quis desideria sua propter Deum mortificat, eo verius ipsa ad æternam plenitudinem dilatat. Diligere itaque ex corde est diligere ex consilio et deliberatione. Diligere ex anima, est diligere ex desiderio et affectione. Illud ex studio, istud pro voto. Diligere ex toto corde, ex tota anima, et ex tota virtute, est omne studium, omne desiderium, omne exercitium in hoc unum impendere.

Sæpe ad aliquid diligendum trahimur ex affectione, et tamen renitimur ex ratione. Et sæpe multa ex proposito deliberationis diligimus, quæ tamen per desiderii appetitum minime affectamus. In carnalibus itaque desideriis sæpe prius est diligere ex anima quam diligere ex corde. In spiritualibus autem semper prius est diligere ex deliberatione quam ex affectione. Nunquam enim spiritualia ex desiderio diligimus, nisi ad eorum affectum cum magno studio animum inflammemus. Si igitur Deum cupimus ex tota anima diligere, prius satagamus diligere ex toto corde. In hoc sit omnis nostra cogitatio, ad hoc omnis nostra deliberatio, circa hoc omnis nostra meditatio, si volumus diligere ex toto desiderio. Sed sicut nunquam ex tota anima diligimus, nisi prius toto corde diligamus, sic nunquam tota virtute diligimus, nisi prius tota anima diligamus. Si enim ad aliquid affectum habemus quod propter Deum non diligimus, profecto adulterinus affectus in tantum summæ charitatis con tantiam frangit viresque ejus imminuit, in quantum ad aliena desideria animum trahit vel impellit. In primo igitur gradu, ut dictum est, diligitur ex corde, in secundo diligitur ex toto corde, in tertio autem ex tota anima, et in quarto ex omni virtute. Forte adhuc David in primo gradu erat, sed jam de secundo præsumebat quando psallens dicebat : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo* (*Psal.* CX). Qui in secundo gradu est fiducialiter psallere potest : *In toto corde meo exquisivi te* (*Psal.* CXVIII). Qui tertium gradum obtinet, profecto ejusmodi jam dicere valet. *Concupivit anima mea, Domine, desiderare justificationes tuas in omni tempore* (*ibid.*). Qui quartum gradum ascendit, et Deum ex tota virtute diligit, dicere potest, profecto : *Non timebo quid faciat mihi homo* (*Psal.* CXVIII), eo quod sit paratum cor ejus, sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, non commovebitur in æternum donec despiciat inimicos suos. In primo gradu, fit desponsatio, in secundo nuptiæ, in tertio copula, in quarto puerperium. In primo gradu dilectæ dicitur : *Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia, et judicio, et in misericordia, et in miserationibus, et sponsabo te mihi in fide* (*Osee* II). In secundo gradu, fiunt nuptiæ in Cana Galilææ, et dicitur ei : *Ecce ego rir tuus, et post me ingredi non cessabis* (*Jer.* III). De tertio gradu dicitur : *Qui adhæret Domino unus spiritus est* (*I Cor.* VI). De quarto dicitur : *Concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum* (*Isa.* XXVI). In primo itaque gradu, dilecta frequenter visitatur ; in secundo ducitur ; in tertio dilecto copulatur ; in quarto fecundatur. In primo ergo gradu semper suspensa ad reditum dilecti clamat, et dicit : *Veni, dilecte mi, similis esto capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel* (*Cant.* II). In secundo, invitatur ut veniat, et dici-

Digitized by Google

tur ei : *Veni ad Libanum, soror mea, sponsa, veni a Libano* (*Cant.* IV). In tertio gradu dilecto copulata prostratur, et dicit : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* VIII). In quarto gradu de sua fecunditate gloriatur, et dicit : *Filioli mei quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis* (*Galat.* IV). Unde et ei dicitur : *Duo ubera tua sicut duo hinnuli caprearum qui pascuntur in liliis* (*Cant.* IV). Penetremus adhuc profundius, et loquamur apertius. In primo gradu anima sitit, in secundo sitit ad Deum, in tertio sitit in Deum, in quarto sitit secundum Deum. Deum anima sitit, quæ dicit : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te* (*Isa.* XXVI). Ad Deum anima sitit, quæ dicit : *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Domini?* (*Psal.* XLI.) In Deum anima sitit, quæ dicit : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea* (*Psal.* LXII). Secundum Deum anima sitit, quæ dicitur : *Concupivit anima mea, Domine, justificationes tuas in omni tempore* (*Psal.* CXVIII). Sitit anima Deum, quando experiri desiderat quæ sit illa interna dulcedo quæ mentem hominis inebriare solet, dum incipit gustare, et videre quam suavis est Dominus. Sitit anima ad Deum, quando per contemplationis gratiam supra se elevari, et Legem in decore suo videre desiderat, ut veraciter audeat et dicat : *Quia vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII). In Deum anima tunc sitit, quando per mentis excessum tota in Deum transire concupiscit, ita ut sui penitus oblita veraciter dicere possit : *Sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit* (*II Cor.* XII). Secundum Deum anima sitit, quando de propria voluntate, non dicam in carnalibus, sed nec in spiritualibus quidem animus aliquid de suo arbitrio relinquit, sed totum Domino committit, nunquam cogitans quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ut et ipsa dicere possit : *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem Patris mei qui in cœlis est* (*Joan.* V). In primo itaque gradu Deus intrat ad animum, et animus redit ad seipsum. In secundo gradu ascendit supra seipsum et elevatur ad Deum. In tertio gradu animus elevatus ad Deum totus transit in ipsum. In quarto animus exit propter Deum, et descendit sub semetipsum. In primo animus ingreditur ad seipsum, in secundo transgreditur semetipsum. In primo pergit in seipsum, in tertio pergit in Deum suum. In primo ingreditur propter seipsum, in quarto egreditur propter proximum. In primo intrat meditatione, in secundo ascendit contemplatione, in tertio retroducitur in jubilatione, in quarto egreditur ex compassione. In primo itaque gradu spiritus ille super mel dulcis intrat ad animam, et dulcedine sua inebriat eam, in tantum ut habeat mel et lac sub lingua sua, et fiant favus distillans labia sua. Memoriam abundantiæ suavitatis eructabunt qui ejusmodi sunt, eo quod ex abundantia cordis os loquatur. Hæc est prima consolatio quæ abrenuntiantes sæculo primo excipit, et in boni proposito consolidare consuevit. Hic est cibus ille cœlestis qui egredientes de Ægypto solet reficere et per solitudinem pascere, hoc est illud manna absconditum quod nemo novit nisi qui accipit. Hic est ille dulcor spiritualis et interna suavitas, quæ quasi modo genitos infantes semper solet lactare et alere, et ad maturitatis robur paulatim perducere.

In hoc itaque statu anima a Domino in solitudinem ducitur, ibique lactatur, ut interna dulcedine inebrietur. Audi quid de hoc statu dicitur, ubi Dominus per prophetam loquitur : *Propter hoc*, inquit, *ecce ego lactabo eam, et educam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus* (*Ose* II). Sed prius oportet Ægyptum deserere, prius oportet mare rubrum transire. Prius necesse est Ægyptios in aquis perire, prius necesse est Ægypti cibos deficere, quam possimus hoc spirituale alimentum cibumque cœlestem percipere, Ægyptum non solum corpore, sed et corde deserat, mundique amorem penitus deponat qui cœlestis illos solitudinis cibos desiderat. Transeat rubrum mare, omnem mœrorem et amaritudinem studeat de corde expellere qui satiari desiderat interna dulcedine. Prius subjugentur Ægyptii pereantque mores perversi, ne degenerem convivam dedignentur cives angelici. Prius necesse est Ægyptiacos cibos deficere, et carnales voluptates in abominationem vertere, quam experiri liceat quæ sint illæ internæ et æternæ deliciæ. Absque dubio amor Dei quanto plenius omnem alium affectum vincit, tanto sæpius, tanto uberius animum interna jucunditate reficit. Sub hoc itaque statu mens sugit mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Sub hoc statu stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel. Sub hoc statu animam esurientem et sitientem sæpe Dominus visitat, sæpe interna suavitate satiat, spiritusque sui dulcedine inebriat. Sæpe sub hoc statu Dominus descendit de cœlis, sæpe visitat sedentem in tenebris et umbra mortis, sæpe gloria Domini implet tabernaculum fœderis. Sic tamen præsentiam suam exhibet ut faciem suam minime ostendat. Dulcorem suum infundit, sed decorem suum non ostendit. Infundit suavitatem, sed non ostendit claritatem. Suavitas itaque ejus sentitur, sed species non cernitur. Adhuc nubes et caligo in circuitu ejus. Adhuc thronus ejus in columna nubis. Et lene quidem, et blandum admodum quod sentitur, sed nubilum omnino quod cernitur. Nondum namque apparet in lumine. Et quamvis appareat in igne, magis tamen in igne accendente quam illuminante. Accendit namque affectum, sed nondum illuminat intellectum. Desiderium inflammat, sed intellectum non illuminat. In hoc itaque statu anima dilectum suum sentire potest, sed, sicut dictum est, videre non potest. Et si videt, quidem videt quasi in nocte, videt velut sub nube, videt denique per speculum in ænigmate, nondum autem facie ad faciem. Unde et dicit : *Illumina faciem tuam super servum tuum* (*Psal.* CXVIII). Hoc igitur ex isto primo

Digitized by Google

dilectionis gradu agitur ut, dum mens sæpe visitatur, sæpe reficitur, sæpe inebriatur, quandoque ad majora audenda provocetur. Incipit ergo tandem aliquando ampliora præsumere, et sublimiora postulare. In tantum, ut audeat et dicat : *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi temetipsum* (*Exod.* XXXIII). Nec tamen quod petitur statim pro voto percipitur, quamvis intimo desiderio postuletur. Oportet sane ardenter petere, diligenter quærere, fortiter pulsare, et in his omnibus pertinaciter insistere, si optata volumus obtinere. Nonne tibi videtur jamdiu multumque laborasse, jamque pene deficere, et quasi a spe concidisse, qui dicit : *Usquequo, Domine, oblivisceris mei in finem, usquequo avertis faciem tuam a me?* (*Psal.* CXII). Sed sciens quia omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur, iterum iterumque fiduciam recipit, viresque ejus resumit, et dicit : *Exquisivit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI). Quando ergo mens cum magno studio ardentique desiderio ad divinæ contemplationis gratiam proficit, jam quasi ad secundum amoris gradum proficit, quando meretur per revelationem inspicere quod oculos non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, ita ut veraciter dicere possit : *Nobis autem revelavit Deus per spiritum suum* (*I Cor.* II). Nonne hanc gratiam videtur accepisse qui angelos ascendentes et descendentes meruit videre, simulque Dominum innixum scalæ? Unde et dicit : *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen.* XXXII). Hanc gratiam acceperat, et quasi assuetus repetebat, qui dicebat : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua* (*Psal.* XLII). Hanc gratiam acceperant, et penna contemplationis volabant quos propheta mirando intuebatur, et intuendo mirabatur : *Qui sunt isti*, inquit, *qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas?* (*Isai.* LX.) In hoc itaque gradu alii petunt sibi dari pennas ut aquilæ : *Quis*, inquit, *dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (*Psal.* LIV). Et alias propheta *Qui sperant*, inquit, *in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, volabunt et non deficient* (*Psal.* XL). In hoc gradu contemplationis suæ alis animæ sustolluntur supra altitudinem nubium; in hoc gradu ejusmodi alis evolant usque ad cœlum, non solum usque ad primum, sed etiam ad secundum, ita ut de reliquo dicere possint : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). Supra hoc geminum cœlum est adhuc tertium cœlum, quod dicitur cœlum cœlorum. Ad hoc itaque tertium cœlum omnino ascendere non possunt etiam illi qui ad secundum amoris gradum profecerunt. Quod est terra ad primum cœlum; et quod est primum cœlum ad secundum, hoc est secundum cœlum ad cœlum cœlorum. Secundum itaque cœlum, si vultis, terra est, et cœlum, imo et cœlum cœli est. Sed cœlum cœli est ad primum cœlum, terra autem ad cœlum cœlorum. Hanc terram, ut arbitror, Propheta significare voluit, cum dicit : *Portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI). Habet itaque hæc terra cœlum suum; habet et solem suum. Nec alium hunc esse arbitror quam illum quem Dominus per prophetam pollicetur : *Non occidet ultra sol tuus, et luna tua non minuetur, quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam* (*Isai.* LX). Si igitur in hoc cœlo, sive in hac terra es, illum solem videre habes sub quo æstuant et ardent illi angelici spiritus qui seraphin hoc est ardentes dicti sunt. Et ex re nomen habere meruerunt, eo quod non sit ex eis omnibus qui se abscondat a calore ejus. Solem itaque justitiæ videre potes si in hac terra es, et ad secundum amoris gradum profecisti, et dicitur tibi : *Non erit amplius tibi sol ad lucendum per diem; nec splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus in gloriam tuam* (*Ibid.*) In hoc itaque statu experiri licet illius sententiæ veritatem, quam *dulce lumen, et delectabile oculis videre solem* (*Eccle.* XI). In hoc statu anima experientiæ magisterio edocta psallit ex sententia : *Quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia* (*Psal.* LXXXIII). Verum hujus visionis jucunditas quanta sit, quis digne exprimere possit? Hæc sane jucunditas semel experta, semel degustata; sicut præsens nec fastidiri potest, sic absens nec oblivisci potest. Dum enim animus ab illo lumine descendit, et ad seipsum recidit, quasdam inde secum reliquias cogitationum trahit ex quibus seipsum reficit, imo et diem festum agit, quemadmodum Scriptura loquitur quæ dicit : *Et reliquiæ cogitationum diem festum agent tibi* (*Psal.* LXXVIII). Cogita igitur quanta sit solemnitas in abundantia visionis, si festum agitur ex reliquiis cogitationis. Quæ erit jucunditas in ipsa visione, si tanta delectatio est in ejus recordatione? Hæc itaque in hoc statu divini luminis revelatio, revelationisque admiratio jugi recordatione, perennique memoria ita animum insolubiliter ligat, ut expertam jucunditatem oblivisci non valeat. Et sicut in priori gradu degustata suavitas animum satiat, affectumque transfigit, sic in hoc gradu inspecta claritas cogitationem ligat, ut illius oblivisci, vel aliud cogitare non possit. In secundo itaque gradu, ut dictum est, cœlum cœlorum, lumenque illud inaccessibile videri potest, sed adiri non potest, alioquin inaccessibile non esset, si adiri potuisset : *Beatus*, inquit Apostolus, *et solus potens Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem* (*I Tim.* VI). Adiri itaque non potest, quod inaccessibile est. Denique et Apostolus ad illam æterni luminis regionem se raptum fuisse gloriatur : *Scio*, inquit, *hominem in Christo, sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit : raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum* (*II Cor.* XII). Tertius itaque amoris gradus est quando mens hominis in illam rapitur divini luminis abyssum, ita ut humanus animus in hoc statu exteriori omnium oblitus penitus

Digitized by Google

nesciat seipsum totusque transeat in Deum suum, et faciat quod scriptum est : *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.* (*Psal.* LXVII). In hoc itaque statu plene compescitur, profundeque sopitur carnalium desideriorum turba, et fit in cœlo silentium quasi hora dimidia. Et quidquid molestiæ inest absorbetur a gloria. In hoc statu dum mens a seipsa alienatur, dum in illud divini arcani secretarium rapitur, dum ab illo divini amoris incendio undique circumdatur, intime penetratur, usquequaque inflammatur seipsam penitus exuit, divinum quemdam affectum induit, et inspectæ pulchritudini configurata tota in aliam gloriam transit.

Vide quid intersit inter ferrum et ferrum : inter ferrum frigidum et fervidum, hoc est inter animum et animum, inter animum tepidum, et animum divino incendio inflammatum. Cum enim ferrum in ignem projicitur, tam frigidum quam nigrum procul dubio primo videtur. Sed dum in ignis incendio moram facit, paulatim incalescit, paulatim nigredinem deponit, sensimque incandescens, paulatim in se ignis similitudinem trahit, donec tandem totum liquefiat, et a seipso plene deficiat, et in aliam penitus qualitatem transeat. Sic itaque, sic anima divini ardoris rogo intimique amoris incendio absorpta, æternorumque desideriorum globis undique circumsepta primo incalescit, postea incandescit, tandem autem tota liquescit, et a priori statu penitus deficit. Vultis audire ex ejusmodi igne jam incalescentes, et internorum desideriorum æstibus jamjamque inardescentes ? *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas?* (*Luc.* XXIV.) Nonne et illi ex circumfusa divinitatis flamma, et velut ex inspecta gloria incandescunt, et divinæ luci configurati jam quasi in aliam gloriam transeunt, qui revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformantur a claritate in claritatem tanquam a Domini Spiritu ? Vultis adhuc audire animam divinæ lectionis igne succensam et liquefactam : *Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est* (*Cant.* v). Statim siquidem ut ad illud internum divini arcani secretum admittitur, præ admirationis magnitudine, jucunditatisque abundantia, in seipsa, imo in ipsum qui loquitur tota resolvitur, dum incipit audire arcana illa verba quæ non licet homini loqui, et intelligi incerta et occulta sapientiæ divinæ manifestari sibi. In hoc itaque statu Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. In hoc statu qui adhæret Domino unus Spiritus est. In hoc statu, ut dictum est, anima in illum quem diligit tota liquescit, et in seipsa tota languescit, unde et dicit : *Fulcite me floribus, stipate me malis quia amore langueo* (*Cant.* II). Quemadmodum igitur in liquidis vel in liquefactis nihil duritiæ, nil firmitatis videmus inesse, sed duris omnibus ac rigidis sine difficultate cedere, et quemadmodum in languidis videmus nil proprii vigoris, nil nativæ virtutis habere; sed totum quod juvat ex alieno arbitrio pendere, sic qui ad hunc tertium amoris gradum profecerunt, nil jam propria voluntate agunt : nihil omnino suo arbitrio relinquunt, sed divinæ dispositioni omnia committunt. Omne eorum votum, omne desiderium ad divinum pendet nutum, ad divinum spectat arbitrium. Et, sicut primus gradus affectum sauciat, et sicut secundus cogitationem ligat, sic tertius actionem implicat, ut omnino circa aliquid occupari non possit, nisi quo eum divinæ voluntatis virtus trahit, vel impellit.

Cum igitur anima in hunc modum divino fuerit igne decocta, medullitus emollita, penitusque liquefacta, quid jam supererit nisi ut ei proponatur quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens atque perfecta, quasi quædam ad quam informetur consummatæ virtutis, formula ? Sicut enim exclusores liquefactis metallis propositisque formulis, quamlibet imaginem pro voluntatis arbitrio excudunt et vasa quælibet juxta modum congruum formamque destinatam producunt; sic anima in hoc esse ad omnem divinæ voluntatis nutum facile se applicat, imo spontaneo quodam desiderio ad omne ejus arbitrium seipsam accommodat, et juxta divini beneplaciti modum omnem voluntatem suam informat. Et, sicut metallum liquefactum quocunque ei via aperitur, facile ad inferiora currendo delabitur, sic anima in hoc esse ad omnem obedientiam se sponte humiliat, et ad omnem humilitatem juxta divinæ dispositionis ordinem libenter inclinat. In hoc itaque statu animæ ejusmodi proponitur forma voluntati Christi, unde et dicitur ei : *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit autem semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II). Hæc est forma humilitatis Christi, ad quam conformare se debet quisquis supernum consummatæ charitatis gradum attingere volet. Majorem siquidem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Ad summum itaque charitatis culmen profecerunt, et jam in quarto charitatis gradu positi sunt, qui pro amicis animam suam ponere, et illud Apostolicum implere jam possunt : *Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit vos, et tradidit semetipsum pro vobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.* (*Ephes.* v). In tertio itaque gradu anima in Deum glorificatur, in quarto propter Deum humiliatur. In tertio gradu conformatur divinæ claritati, in quarto vero conformatur Christianæ humilitati. Et cum in tertio gradu quodammodo, quasi in forma Dei esset, nihilominus tamen in quarto gradu semetipsum exinanire incipit, formam servi accipiens, et habitu iterum invenitur ut homo. In tertio itaque gradu quodammodo mortificatur in Deum, in quarto quasi resuscitatur in Christum. Qui

Digitized by Google

igitur in quarto gradu est, veraciter dicere potest : *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II). Incipit ergo in novitate vitæ ambulare qui ejusmodi est, quia de reliquo sibi vivere Christus est, et mori lucrum. Coarctatur sane e duobus desiderium habens dissolvi et cum Christo esse : multo enim melius, permanere in carne necessarium ducit propter nos. Charitas enim Christi urget eum; sit igitur nova creatura, qui ejusmodi est; vetera transierunt, et ecce nova facta sunt omnia. In tertio enim gradu mortificatus, in quarto quasi resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, quod enim vivit, vivit Deo. Secundum aliquem igitur modum anima in hoc gradu efficitur immortalis, et impassibilis. Quomodo enim mortalis est si mori non potest? aut quomodo mori potest, si ab ea separari non potest, qui vita est? Scimus satis cujus sit ista sententia : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV). Quomodo ergo mori potest, qui ab illis separari non potest: *Certus sum*, inquit, *quia neque mors neque vita, neque angeli, neque archangeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu* (*Rom.* VIII). Nonne et ille secundum aliquem modum impassibilis videri possit, qui illata damna non sentit, qui semper ad omnem injuriam hilarescit, et quidquid infertur ad pœnam, totum præsumit ad gloriam, juxta illam Apostoli sententiam : *Libenter*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (*II Cor.* XII). Quasi enim impassibilis manet, cui in passionibus, et contumeliis pro Christo complacet : *Propter quod complaceo mihi*, inquit, *in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo* (*ibid.*). Qui in hoc gradu est, dicere fidenter potest : *Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philip.* IV), eo quod sciat satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati. In hoc gradu charitas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. In hoc gradu charitas patiens est, benigna est, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, nescit reddere malum pro malo, nec maledictum pro maledicto. Sed econtrario benedicit. Qui ad hunc charitatis gradum ascendit, absque dubio in hoc gradu amoris est qui veraciter dicere potest : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (*I Cor.* IX). Denique cupit anathema fieri a Christo pro fratribus suis, qui ejusmodi est. Quid ergo dicemus? nonne hic amoris gradus videtur animum hominis quasi in amentiam vertere, dum non sinit eum in sua æmulatione modum, mensuramve tenere? Nonne summæ amentiæ videtur esse, veram vitam repellere, summam sapientiam arguere, omni potentiæ resistere? Nonne vitam repellit, qui pro fratribus a Christo separari cupit, sicut et ille, qui dicit : Aut ignosce illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti? (*Exod.* XXXII.) Nonne sapientiam arguere, seu velle docere videtur, qui ad Dominum loquitur : *Absit a te ut hanc rem facias et occidas cum impio justum fiatque justus sicut impius* (*Gen.* XVIII). Non est tuum hoc, qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium? Nonne omnipotentiæ resistere tentavit, Omnipotentisque iram mitigare homo præsumpsit atque prævaluit, quando jam egressa sententia a Domino, quando jam sæviente incendio, igni furenti homo se objecit, et timentes ac morientes medius interstetit, necessitatique finem imposuit? Ecce in quantam præsumptionis audaciam, consummatio charitatis solet mentem hominis erigere, ecce quomodo facit hominem ultra hominem præsumere. Sic enim totum plus est quam humanum, quod de Domino præsumit, quod pro Domino agit, quod in Domino agit, quod in Domino vivit. Totum mirum, totum stupendum. Quantum præsumit de Domino, tantum se dejicit pro Domino. Quantum ascendit per præumptionem, tantum descendit per humiliationem. Sicut supra hominem est quo ascendit per fiduciam, sic ultra hominem est quo descendit per patientiam. In primo itaque gradu, ut dictum est, animus redit ad se ipsum, in secundo ascendit in Deum, in tertio transit in Deum, in quarto descendit sub semetipsum. In primo et secundo elevatur; in tertio et quarto transfiguratur. In primo ad semetipsum ascendit, in secundo semetipsum transcendit, in tertio configuratur claritati Dei, in quarto configuratur humilitati Christi. Vel in primo reducitur, in secundo transfertur, in tertio transfiguratur, in quarto resuscitatur.

Digitized by Google

RICHARDI SANCTI VICTORIS
OPERUM PARS TERTIA.

EPISTOLÆ ET MISCELLANEA.

EPISTOLA PRIMA.

(*Epist S. Thomæ Cantuar.* edit. GILES. t. II, p. 200.)

ERNISII ABBATIS ET R. PRIORIS S. VICTORIS PARIS. AD ROBERTUM HEREFORDIENSEM.

ROBERTO Herefordiensi episcopo, ERNISIUS abbas, et R. prior Sancti Victoris Parisiensis.

Magnam de promotione vestra concepit Ecclesia nostra lætitiam, et spe non modica hilarati sunt auditores vestri, tum universi scholares animati ad amorem litterarum, et cultum virtutum, vestri laboris et successus exemplo. Nos autem idcirco gavisi sumus quia vos præ cæteris amabamus et Ecclesiam Anglorum, quam præter charitatem, quam habemus ad omnes Ecclesias, quadam speciali affectione, natura suadente, diligimus, vestra confidebamus eruditione proficere, et religione provocari ad divinæ legis cultum, et contra adversa roborari vestræ prædicationis officio, et virtutis exemplo. Nunc autem supra modum dolemus, quod neque desideria nostra de vobis impleta sunt, nec preces nostras pro vobis Dominus exaudivit. Et utinam essent aures vestræ ad ora scholarium et religiosorum suspiria audiretis, ut sic erigeretur spiritus vester, qui divitiarum pondere dicitur opprimi, et amore episcopandi, et deliciarum affluentia infirmari. Nam, ut aiunt illi, confirmaverunt vos divitiæ, quas in schola et frequenti verborum commercio consuevistis canigenas appellare. Speciosum tunc depingebatis episcoporum verbo, quem ex voto nostro doctrina nunc exprimeretis et vita. Nunquid tunc fungebamini vice cotis,

. . . . . *acutum*
Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi?
(HORAT. *Ars. poet.* v, 304.)

Mirum est si non tinniunt aures vestræ a confabulatione scholarium, detractione æmulorum, et amicorum querelis. Adversus patrem vestrum et consecratorem, eumdemque pro justitia, et libertate Ecclesiæ exsulantem, nuper appellastis eum aliis, qui subversionem justitiæ quærunt et suam eversionem, et ponendo eum impiis portionem, unde vehementer dolemus, famam vestram plurimum denigrastis. Nunquid enim litteras appellatorias non vidistis, quas episcopi ad archiepiscopum suum transmiserunt? Certe si non vidistis, stultum fuit, ut pace vestra veritatem loquatur charitas, non examinatum de re tanta, et quæ ad Ecclesiam Romanam perferenda est, signare testimonium. Si autem vidistis eas, qua conscientia, qua fronte, ausi fuistis asserere, et ut scribitis, cum omni fiducia prædicare, quod falsum esse novit, non modo vicinia tota, sed fere Latinus orbis? Prædicatis enim, quem sic scribitis, et ut de vestra potissimum utatur auctoritate, signatis scripturam cum episcopo Londoniensi, quod rex vester, etsi interdum ut homo deliquerit, omnes excessus suos corrigere paratus est, et in omnibus obtemperare justitiæ, et si non credatur ei, etiam satisdationem offert, et adjicitis: *Quoniam diligit corripientes se, et increpantes libenter auscultat.* Sed qui hoc verum esse putat, quid credet esse falsum? Noti sunt enim mores hominis, ut vos talia prædicantes oporteat quærere peregrinum, sed extra Latinum orbem. Vos autem qui justitiam ejus astruitis, quam innocentiam allegatis in ejectione mulierum, et parvulorum innocentium proscriptione? Sed hæc, et his similia Dominus judicabit, et facientem, et consentientes pari pœna percellet. Cogitate interim quam sententiam tunc accepturi sint episcopi, qui modo tantis patrocinantur injuriis. Hæc sincera charitate, dulcissime Pater, scripsimus vobis, ut memineritis doctrinæ vestræ, officii vestri, desiderii nostri, et divini judicii, ut redimatis famam vestram, et Ecclesiam, quæ in manibus vestris collabitur, studeatis erigere. Vestri fuimus, sumus vestri, et Deo propitio, semper erimus prompti ad honorem et obsequium vestrum.

EPISTOLA II.

PRIORIS S. VICTORIS PARIS. ET R. ABBATIS S. AUGUSTINI AD ALEXANDRUM PAPAM.

(*Ibid.*)

ALEXANDRO papæ, prior Sancti Victoris et R... abbas quondam S. Augustini.

Sanctis viris, etc. — *Vide in Alexandro* III.

EPISTOLA III.

WILLELMI PRIORIS URSICAMPI (4*) AD RICHARDUM PRIOREM S. VICTORIS.

Petit aliquod ex ejus opusculis describendum.

(MARTENE, *Ampl. Collect.*, VI, 235.)

Dilecto suo domno RICHARDO, priori de S. Victore, frater Willelmus, dictus prior Ursicampi, salutem in Domino.

Libellum vestrum quem remitti vobis mandastis

(4*) Ursicampus, insigne monasterium ordinis Cisterciensis, anno 1129 fundatum.

Digitized by Google

ego ipse reportavi in quadragesima; sed quoniam A tunc non eratis apud S. Victorem, fratri Hugoni hospitali vestro illum commendavi, insinuans ei ut vobis illum redderet. Rogamus autem ut aliquod opusculum vestrum nobis mittatis quod nondum habuimus, scilicet *de somnio Nabuchodonosor*, vel *illumina faciem tuam super servum tuum*. Nam et hoc scribere incœperamus, sed in exemplari vestro imperfectum reperimus. Vale.

EPISTOLA IV.

G. PRESBYTERI ANILCURTENSIS AD RICHARDUM PRIOREM S. VICTORIS.

Petit ab eo Passionem sive lectiones novem de S. Victore, inserendas in Breviario.

(MARTENE, *ibid.*)

G. Dei gratia Anilcurtensis Ecclesiæ presbyter, dilecto fratri suo R. venerabili priori Ecclesiæ S. Victoris Parisiensis, salutem.

Mandamus atque rogamus dilectionem vestram quatenus passionem B. Victoris, quæ apud nos non invenitur, vel novem lectiones de ipsa passione transcriptas per præsentium latorem nobis mittatis. Scribimus enim quemdam librum, quem Breviarium vocant, cui eas inserere dignum duximus. Vale.

EPISTOLA V.

G. (5) AD RICHARDUM PRIOREM S. VICTORIS.

Cupit rescire quid cum rege et abbate S. Germani egerit pro suo negotio.

(MARTENE, *ibid.*, col. 237.)

Charissimo suo RICHARDO venerando priori S. Victoris, humilis frater G., salutem eamdem quam sibi.

Si iter prosperum a nobis ad propria habuistis, si gratiam in conspectu regis invenistis, si recte ac prospere apud domnum abbatem, si abbatem S. Germani super negotio nostro convenistis, per præsentium latorem nobis significare non gravetur dilectio vestra. Salutate nobis domnum abbatem, qui humilitatem nostram non solum ad obsequendum, sed ad obediendum in quibus sibi placuerit promptam inveniet. Salutate nobis domnum Rogerum abbatem Augensem, charissimum nostrum.

EPISTOLA VI.

(G. PRIORIS ECCLESIÆ S. ALBANI AD R. DE S. VICTORE. D

DUCHESNE, *Scrip. franc.*, IV, 747. sequentes ex eodem fonte prodeunt.)

Venerabili domino et amico magistro R. priori de Sancto Victore, suus G. prior Ecclesiæ Sancti Albani, salutem et sinceræ dilectionis integritatem

Habeo vobis gratias, quantæ sunt indicibiles, quod gratiæ vestræ fratri meo Math. tam copiosus fructus arrisit, metiorque ex illis impensis quanta vobis debeam latorem præsentium nepotem meum securitate commendare. Precor igitur ut benignitas quæ in altero processit, se ad utrumque extendat et geminata charitas me vobis multipliciter reddat obligatum; et ut cumulato assurgam gaudio, aliquid mihi voluntatis vestræ dilectio vestra remandet, quo mei experimentum capiatis amoris. Valete.

EPISTOLA VII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Venerabili amico suo et merito honorabili Ric. priori de Sancto Victore, suus G. prior ecclesiæ S. Albani, salutem et affectum debitæ dilectionis.

Quia fratris mei M. qui in partibus vestris amore scientiæ peregrinatur, tam singulari gratia, tam peculiari liberalitatis prærogativa proventum curastis, gratias habeo dilectioni vestræ: nec quid amoris et obsequii vobis animus meus promittat, muti facile valebunt apices explicare. Sed utinam eveniat, ut quo vos amplector affectu, operis exsecutio viva voce loquatur! Quomodo enim benignitatem, quam sibi a vobis collatam memoratus Matthæus prædicat, ab eminentia vestra possem sperare, a qua prorsus nihil merui? Cerno siquidem plane quam amatorium illud Catonis tenaci memoriæ prudentia vestra commandaverit: *Si vis amari, ama.* Restat igitur ut, quod tam fertili principio inchoastis, talari supervestire velitis tunica. Mihi autem etsi recompensandi desit effectus, non deerit tamen affectus. Hocque modicum munus non pro munere, sed ad amoris indicium vobis transmitto, vicissim postulans ut scriptorum vestrorum mihi rescripto occasione inventa nomina innotescant. Ego autem curabo, ut si exemplaria non desint, scientiæ vestræ thesauro Anglia nostra resplendeat.

EPISTOLA VIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Venerabili fratri et amico R. priori de Sancto Victore, Fr. S. humilis minister Ecclesiæ Sancti Albani, salutem et debitum sinceræ dilectionis obsequium.

Opuscula magistri Hugonis, quæ in partibus nostris undecunque quæsita reperire potuimus, summo studio et exactissima diligentia sicut tantæ venerationis scripta collegimus, et ex eis plurima in volumina nonnulla redegimus. Quoniam autem ex memorati viri tractatibus aliquot apud vos contineri, quæ in partibus cismarinis aut omnino non sunt, aut adhuc in Anglia nostra rarescunt, comperta relatione, didicimus, latori præsentium eorum quæ penes nos habentur notulas compendiosas tradidimus. De vestra nimirum charitate confisi, quod in opera sibi commissa in oculis vestræ sinceritatis nostro debeat interventu gratiæ plenitudinem obtinere. Sanctitatem igitur vestram obnixe rogamus ac petimus, quatenus memorato præsentium latori tractatus magistri Hugonis inspiciendi copiam, ob reverentiam beati Albani et nostræ precis intuitu benigne, si placet, indulgeatis; et ut eos quos

(5) Guillelmus, ut opinor, canonicus S. Genovefæ

Digitized by Google

apud nos non haberi compererit, commodius quomodocunque exscribi faciat, precamur ut ei in præsenti negotio vestri consilii simul et auxilii gratia respectus fraternæ charitatis aspiret. Valete.

EPISTOLA IX.

M. AD RICHARDUM.

Domino R. Dei gratia priori Ecclesiæ Sancti Victoris, suus M., ad quam potius affectat hilariter ascendere salutem.

Interea quæ in domo vestra deposui, sunt duo linteamina et duo mantilia quorum usu nunc exstat mihi opus. Quare vestra id benignitas efficiat ut utraque a se invicem discernantur, et alterum linteaminum, quod cælatura caret, cum altero quoquo quod recentius est manutergiorum per hunc amicum nostrum fratrem Walterum mihi transmittatur. Reliqua vero simul posita in custodia vestra sicut prius habeantur, donec ego ad vos veniam. Venerabili amico vestro priori Sancti Evurtii, et huic præsentium latori Fratri Waltero gratias habeatis, qui pro veneratione vestra plura mihi parati sunt exhibere quam velim ab eis gratis accipere. Vale perpetuo in Christo Jesu Domino nostro. Ubicunque terrarum existam, vester sum, cupiens vestræ voluntati morem gerere, liberalitatique deservire. Quod res ipsa, Deo annuente, explicabit, si quando tempus futurum nobis obsequendi vobis locum conciliaverit.

EPISTOLA X.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Domino R. Dei gratia priori Sancti Victoris, suus M., ad quam veritatis via perducit salutem.

Successus sui aperit indicia quisquis horum inititur gratiæ, quorum promeruit amicitias. Quorum enim sibi quisque conciliavit affectus ex meritis, corumdem jure, prout honestati tamen congruit, fungitur officiis. Ego itaque non hoc calle in amicitias vestras deductus, qua benignitas in vobis insita mihi præmonstravit accessus, ad gratiam vestram gratis intravi. Dum enim bonitatis vestræ statum recolo, mihi liquido innotescit liberalitatem vestram, prout decet ac expedit, cunctis patere. Quare, ut excellenti vestræ consuetudini morem suum geram, charitatis vestræ magnificentiam convenio, quatenus penes vos locum mihi quempiam placidi affectus piique desiderii patere concedatis. Super amicitia domini Walteri prioris Sancti Evurtii, multimodas grates vobis refero. Si quid vobis placuerit, per hunc nuntium meum amico vestro priori Sancti Albani mandare poteritis. Valete. Si qui amicorum vestrorum manent in locis, per quæ hic puer iter habebit, precor vestra eum ad eos transmittat, ne injurias ei fieri in via patiantur. Perpetuo valete.

EPISTOLA XI.

G. PRIORIS S. ALBANI AD RICHARDUM.

Venerabili amico, et merito honorabili Ric. priori de Sancto Victore, G. prior ecclesiæ Sancti Albani, salutem et debitæ dilectionis affectum.

Quia petitiones meas jam pridem curæ vestræ delegatas diligenter prosequi studuistis, præsentem cæteris securus adnecto. Precibus igitur meis, ut mos vester permittit, inflectimini, et latorem præsentium fratrem meum M. suscipiat dilectio vestra meo intuitu commendatum, et in quo necesse habuerit ei vestrum astipuletur consilium, ut vobis habeam multipliciores gratiarum actiones. Munusculum, quod vobis ex parte mea porrigendum transmisi, dignanter vestra dilectio suscipiat, et potius mittentis affectum quam missi attendite parvitatem. Valete.

DE ERUDITIONE HOMINIS INTERIORIS

LIBRI TRES.

Occasione accepta ex somnio Nabuchodonosor apud Danielem.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De mystico somnio regis Nabuchodonosor, et summa intentionis totius operis.

Quid illud Nabuchodonosor somnium juxta litteram designet, potissima illa Danielis expositio docet. Sed displicere non debet, si tropologica discussio ex eadem materia eliciat quod ad veritatis scientiam, vel morum disciplinam lectorem ædificet. Ut ergo summam intentionis ejus paucis perstringam, videtur propheta hoc loco ex mystica visione designare quomodo viros virtutum contingat paulatim defluere, et quibusdam detrimentorum gradibus in ima corruere, et per visitantem gratiam quandoque ad pristinam, vel potius potiorem animi statum resurgere. Hæc autem permutationis corruptela, vel reparationis medela accidere utique solet in utraque vita, tam activa videlicet quam contemplativa. Utriusque, ni fallor, in hac una visione typus ex-

Digitized by Google

primitur, si recte pensetur. Quid enim est quod Nabuchodonosor mysticam visionem accepit, amisit, et postmodum iterum cumulatius agnovit. Nam ipsam cum ipsius interpretatione ad ultimum recipere meruit. Quid, inquam, in his omnibus nobis innuitur, nisi quod contemplationis gratia quandoque divinitus datur, interdum subtrahitur, tandemque multiplicius reparatur. Activæ autem vitæ detrimenta designantur in statua, quæ inchoata ex auro desinit in testa, in summo aurea, in medio argentea, vel ærea, in imo ferrea vel testea. Ecce ut vides quanto inferior, tanto semper invenitur seipsa deterior. In varia permutatione metallorum signantur varia detrimenta regnorum, et in utrisque multiformis defectus morum, vel meritorum. Sed ecce post multiplicem regnorum defectum, regnum illud suscitatur, quod non dissipabitur in æternum. Sic sæpe mens humana post multiplicem ruinam, divina inspiratione compuncta ad justitiam redit, et ex ipso suo casu erudita et humiliata, quanto eruditior quantoque humilior, tanto et fortior resurgit.

Illud quoque notandum quod contemplativæ vitæ gratia quam activæ facilius elabitur, sed multo difficilius reparatur. Hinc est quod Nabuchodonosor somnii visionem quam tam facile amisit, cum tanta difficultate recuperavit. Hinc est quod regnorum detrimentum latius describitur, et gradibus distinguitur, et inexterminabilis regni subintroductio paucis perstringitur, et subito quidem, et sine ulla degradatione subinfertur. Et forte quod de qualibet geminæ vitæ gratia dicitur, de utraque intelligi datur. Nam Scriptura sacra sæpe unum dicit, et aliud innuit. Solet itaque vicissim utrumque contingere, et hominem videlicet in activa exercitatum, subito et inopinate cadere, et item a contemplativa dejectum per visitantem gratiam miranda facilitate resurgere. Sed congrue satis hoc loco, ubi de utriusque vitæ lapsu vel reparatione agitur, congrue, inquam, utriusque proprietatem expressit, et qua sibi proportione respondeant ostendit. Nam a contemplativa facilius decidimus, et ad activam facilius resurgimus. Hæc autem regis Nabuchodonosor visio (sicut et cætera ipsius) satis evidenter ostendit quam apte tale nomen accepit. Nam somnium procul dubio quod vidit futurorum præsagium fuit. Et illud nihilominus quod per præsagium futurum prævidit rerum aliarum signum fuit : nam morum accidentia expressit. Vide ergo quam recte tale nomen sortitur. Nabuchodonosor quippe prophetans istiusmodi signum interpretatur. Nonne Nabuchodonosor per mysticam visionem prophetabat, unde et ejus visio prophetia erat, quæ varios regnorum defectus portendebat? Quis autem nesciat quia omnia in figura contingebant illis? Ergo illa regnorum permutatio figura fuit quia aliud aliquid per mysterium significavit; et rerum spiritualium signum fuit. Signum itaque prophetabat, qui in futurorum præsagio rerum spiritualium figuras prævidebat. Sed quale signum? Signum istiusmodi, hoc est signum tale quod, quale, vel quam verum sit, potest experimento probari, et quasi ad oculum ostendi, vel signum istiusmodi quasi ejus rei quæ potest digito ostendi. Si enim in detrimento regnorum morum detrimentum dicitur intelligi, quo, quæso, in loco, vel tempore hoc non possit ostendi, hoc non possit videri. Et hæc quidem illi nominis interpretatio satis congruit, secundum quod ei accidit. Nam est et alia non minus congrua secundum quod fecit : interpretatur namque Nabuchodonosor *sessio in agnitione angustiæ*. Quid est sedere, nisi semetipsum humiliare? Attende autem quantum rex iste seipsum humiliavit, qui Danielem servum sibi ex captivitate addictum adoravit, quando regni sui dejectionem (quam sine angustia nosse non poterat) ipso exponente agnovit. In agnitione itaque angustiæ sedit, qui audito imminenti periculo ad prophetantis se pedes humiliter prostravit. Hæc autem quæ dicta sunt de nominis interpretatione videntur historiæ alludere, sed nihilominus et illud considerandum est quomodo valeant mysterio congruere. Quid enim aliud designat hæc tanta persona quæ pariter videtur esse rex, atque propheta, nisi animum gemina præditum gratia et plene exercitatum tam vita activa quam contemplativa? Nonne tibi videtur animus humanus in se regiam quodammodo personam gerere, cum cœperit affectibus et passionibus (tum ex liberi arbitrii jure, tum ex gratiæ collatione) fortiter præsidere, et cum auctoritate imperare, et illud quod intra nos est regnum cœlorum viriliter vendicare? Nonne tibi videtur dono quodam quasi prophetiæ pollere, cum jam ex providentiæ munere acceperit imminentia pericula posse prævidere atque prædicere, maxime autem cum jam cœperit per contemplationis gratiam mysteriorum profunda rimare, et per mentis excessum, et velut per somnium divinorum judiciorum arcana mirari? Recte autem et Nabuchodonosor dicitur qui prævidentiæ dono donatur, et tunc veraciter qui ejusmodi est signum prophetat, cum ex causis præcedentibus morum detrimenta prævideat. Nam semper detrimenta meritorum designant detrimenta præmiorum. Absque dubio namque quantum detrahitur merito, tantum semper detrahitur et præmio. Prophetat igitur signum, et signum istiusmodi, qui ejusmodi signum vel ejus rei signum prædicit quæ, qualia sint, possunt quodammodo digito ostendi, et experimento probari. Sæpe autem defectus bonorum desideriorum præsignat defectum bonorum operum. Nam, torpente voluntate, necesse est animum postmodum a bono studio tepescere. Solet autem et e converso contingere. Cui vero datum est imminentia pericula, et mala adhuc futura posse prævidere, si curat et satagit cum dolore et animi angustia illa in considerationem adducere, et semetipsum in eorum exspectatione humiliare, potest ei idem nomen secundum aliam interpretationem congruere. Nam Nabuchodonosor, ut dictum est, interpretatur

Digitized by Google

sessio in agnitione angustiæ. Nemo autem miretur quod per regem iniquum animus virilis, et vir virtutum intelligi dicitur. Quis enim nesciat (nisi sacrarum litterarum imperitus) quam sæpe in Scripturis significet Christum serpens animal venenosum, et leo animal ferocissimum? Et si exponenti beato Gregorio credimus, in David adultero per mysterium intelligitur Christus, et in innocente Uria intelligitur perfidus ille Judaicus populus. Quid igitur mirum si per regem iniquum quem improbamus, intelligimus rem justam quam approbamus? Et quidem in rege injusto quamvis fuerit voluntas inordinata, erat tamen ei potestas ordinata. Non est enim potestas nisi a Deo. *Quæ autem a Deo sunt*, teste Apostolo, *ordinata sunt* (*Rom.* XIII). Recte itaque satis regia potestas virtutum animum designat, qui regnum illud internum moribus sibi vendicat, sive liberum arbitrium per quod ex cooperante gratia affectionibus et passionibus suis animus imperat.

CAPUT II.

Quomodo contemplationis gratia quibusdam modo datur, modo subtrahitur, interimque amissa recuperatur.

In anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, et conterritus est spiritus ejus, et somnium ejus fugit ab eo (*Dan.* II). Primum studium virilis animi esse debet, ut possit dominari affectionibus; secundum ut possit imperare cogitationibus; tertium ergo animus spiritalia quæque, et vitiorum suorum victrix anima in regno suo extunc jam incipit habere, quando excessibus suis edomitis jam prævalet, non solum affectionibus, verum etiam cogitationibus imperare, ut utrumque possit et illas ab illicita concupiscentia, et istas ab inepta evagatione restringere. Quid est autem somnium videre et futurorum præsagia, seu occultorum mysteria prævidere, nisi gratiam contemplationis divinitus accipere, et per mentis excessum judiciorum divinorum cognitionem ex divina revelatione percipere? Recte autem anno secundo rex iste somnium vidit, quia spiritualis quisque post edomitam concupiscentiam cognitionumque disciplinam, tandem aliquando contemplationis studio vacare prævalet atque assuescit. Sæpe autem fit ut, dum humanus animus ad divinorum judiciorum subtilitatem, seu etiam districtionem contemplandam ducitur, ex ea ipsa divinæ districtionis consideratione quam percipit, subito timore medullitus concutiatur. Dum enim mens rudis, et cœlestibus disciplinis minus erudita, de propria industria, magis quam de gratia divina, adhuc omnia præsumit, facile in hunc timorem ex divinæ severitatis contemplatione, æquitatisque illius consideratione cadit. Præsumptuosa namque mens, dum miranda subtilitate conspicit, quam sit supra humanam virtutem divinis beneficiis respondere, et divina severitas pro æquitatis jure quam valeat, vel debeat erga nos districte agere, sæpe in immensam formidinem (imo pene usque in desperationem) solet seipsam præcipitare. Sed dum trepidus animus hujusmodi pavore confunditur (ut taceam quam juste absque ulla dubitatione, tam misericorditer quam utiliter) sub hoc necessitatis articulo, contemplationis gratia subtrahitur, ne a subtilitatis suæ nimietate in desperationis foveam totus præcipitetur. Somnium itaque quasi ab eo fugit, dum illam quam per mentis excessum videre consuevit contemplationis lucem amittit.

Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli, et magi, et malefici, et Chaldæi, ut indicarent regi somnia sua. Regium profecto animum gerit, qui desideriis suis imperare, et studia, et exercitia sua pro deliberationis arbitrio disponere consuevit. Ejusmodi itaque animus regius omnes sapientes Babylonis in unum convenire facit, et diversas quodammodo sectas in unum per scrutinium cogit, quando omnem sollicitudinem, et indagationem (quas per varia studia, et exercitia dispergere consuevit) uni, et soli cœlestis doctrinæ negotio impendit. Ab ejusmodi autem sapientibus, et quasi in unum coeuntibus, quasi somnia nostra amissa requirimus, quando subtracta contemplationis nostræ spectacula, per multiplicem et infatigabilem studiorum nostrorum instantiam reparare satagimus. *Qui cum venissent, statuerunt coram rege.* Ecce quid dicitur; ecce qualis convocatio coram rege stare perhibetur. Regium animum necdum te habere existimes, si subtilissima illa cogitationum tuarum acumina undecunque pro voto colligere, et pro arbitrii libertate, cujuscunque intentionis studio immobiliter figere necdum vales. *Et dixit ad eos rex: Vidi somnium, et mente confusus ignoro quid viderim.* Sapientium nostrorum convocationem alloquimur, quando perscrutationum nostrarum evagationem in intimis increpamus, vel ad sublimium investigationem inflammamus. Studeamus autem juxta hujus similitudinem profectuum nostrorum damna non negligere, quin potius studia nostra ad eorum reparationem incitare.

Illud sane notandum quod superius dicit se esse conterritum, hic autem mente confusum. Sed sciendum quia mens humana, dum ad divinæ æquitatis ardua limpidius contemplanda sublevatur ex infirmitatis suæ reverberatione, sub uno eodemque tempore unde terretur, inde confunditur. Nam procul dubio in divinæ justitiæ consideratione, invaletudinisque humanæ comparatione homo infirmitatem suam horrescit, pariter et erubescit. *Responderuntque Chaldæi regi, Syriace: Rex, in sempiternum vive.* Dic somnium servis tuis, et interpretationem ejus indicabimus. Primo loco considerandum cui et quomodo responderunt. Utique Chaldaico regi, Syriace quod quidem idem est, sicut Hieronymus super hunc eumdem locum diffinivit, quod Chaldaice. Quid itaque est regi in propria lingua respondere, nisi expresse et manifeste quod sciri oportet insinuare? Cum enim cuilibet aliquid in

Digitized by Google

aliena et ignota lingua dicitur, strepitus quidem vocis ad aures, sed sensus ejus usque ad animum non ingreditur. Quasi ergo in propria, et nota lingua respondetur, quando id, quod opportunitas exigit, convenienter intimatur. Quod si ad nominis interpretationem recurrimus, in eamdem proculdubio sententiam reducimur. Syria namque interpretatur *sublimis*. Quid itaque erit respondere Syriace, nisi sublimiter respondere ? et quid erit respondere sublimiter, nisi respondere convenienter et sufficienter? Nihil autem melius, nil certius, nihilque sublimius animus agnoscit quam quod per experimentum didicit, et forte hic est proprius atque præcipuus, et omnino sublimissimus humanæ animæ discendi modus, quando aliquid proprio experimento probamus. Nonne tuæ tibi cogitationes seu occupationes, tam proprie quam aperte respondent, et satis sublimiter ad veritatem erudiunt quando ex proprio defectu docent, et quasi per experientiam loquuntur, quam frustra vel temere aliquid supra humanum modum de propria industria præsumitur? Tota sane istorum responsio hoc maxime videtnr continere (illud videlicet) quod rex violenter exigebat, omnino non posse. In ejusmodi ergo sapientibus, quales tibi superius ostendimus, hoc erit, ut opinor, eorum respondere suam impossibilitatem proprio experimento docere. Singula autem responsionis eorum pertractemus, et primum de primo videamus.

CAPUT III.

Quod in omne quod agimus, intentioni bonæ studere et gratiæ divinæ inniti debeamus.

Rex, inquiunt, *in sempiternum vive* (*Dan.* II). Ut itaque ad invicem conferamus exteriora cum interioribus, corporalia cum spiritualibus, utinam internam illam familiam, tam disciplinatam habeamus quam disciplinatam, istam exteriorem agnovimus. Audivimus quid prima fronte suo regi respondeant, et forte hoc ipsum eos ipse docuerat, doceamus et nostram (in omni videlicet nostro conamine) simillima respondere : Rex, in sempiternum vive. Quid tamen hoc erit, quæso, exoptatio, an admonitio ? Exoptatio, ut hoc valeat, an admonitio, ut in hoc ipsum omne studium impendat ? Quæ est autem vita illius interni principis, et internæ illius familiæ dominatoris? Quæ, inquam, est illius principalis in anima (humanæ videlicet mentis) vita, nisi intentio bona? Quidquid homo agat, etiamsi bonum sit, inutile tamen erit, nisi bona intentione fiat. Tunc autem mens hominis etiam inter bona opera moritur, quando intentio depravatur. Veritatis attestatio est : *Quia, si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit* (*Matth.* VI). Quid igitur erit in sempiternum vivere, nisi in omni opere bono intentionem bonam habere ? Utinam ad omnem conatum nostrum, ad omne incœptum bonum, hæc nobis responsio primo occurrat, in hoc omnis nostra cogitatio suspiret, et satagat, ut in æternum vivamus, quod tunc quidem fiet, si nihil nisi bonum, et sine bona intentione agamus. Ut enim de cæteris taceamus, o quoties ipsam veritatem, non pro veritate, sed pro vanitate quærimus, et inventam veritatem, non in veritate, sed ad vanitatem diligimus, et quod miserrimum est, in verbis vitæ ad mortis lucra negotiamur, vel certe interioris hominis vitam recte intelligimus gratiam divinam ! Sicut enim corpus nihil potest sine vita sua, id est sine anima, sic interior homo noster nihil boni potest sine gratia divina : *Gratia, Dei*, inquit, apostolus, *sum id quod sum* (*Cor.* XV). Et Veritas ipsa de se : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Quid ergo est dicere, in sempiternum vivere, nisi indesinenter gratiæ adhærere ? Quidquid disponas non de tua industria, sed de divina gratia præsumas. Quidquid peragas, illi, non tibi ascribas hoc utique regi illi, et eo maxime tempore dicendum erat, quod illud quod divinitus acceperat humanitus quærebat, et ad aliud quod sperabatur, humanæ potius industriæ, quam divinæ gratiæ innitebatur. Sed illud est valde mirum (imo supra humanum modum stupendum) quod sæpe cum hæc apud nosmetipsos tacite loquimur, et intime sentimus, nihilominus tamen, et sub eodem tempore propriæ industriæ innitimur, ac si cooperantem gratiam penitus ignoremus. Sæpe cum de divinæ gratiæ commendatione, subtiliter aliquid apud proximos loquimur de nostræ locutionis subtilitate apud nosmetipsos glorianur. O infinita hominis stultitia, et recte quidem dicis hominem nil posse sine gratia ? Sed si veritatem loqueris, unde gloriaris ? Doceamus itaque occultorum perscrutatrices subtilissimas, illas videlicet nostras cogitationes, ut in omni nostro studio, in omni negotio hoc primum, hoc præcipue satagant, hanc nobis sollicitudinem primo ingenerant, ut studeamus totum quod proponimus de gratia præsumere, totum quod efficimus gratiæ divinæ ascribere, et hoc pertinet ad sempiternum vivere.

CAPUT IV.

Quomodo secundum varios studiorum suorum successus, quidam se, vel enerviter dejiciunt, vel inaniter extollunt.

Dic, inquit, *somnium servis tuis, et interpretationem ejus indicabimus* (*Dan*, II). Attende quid dicunt. Unum exigunt, et aliud promittunt. Exigunt a rege visionem, et ejus pollicentur interpretationem. Et tamen quam vane exigunt, tam falso promittunt. Unum autem erat quod veraciter dicere possent, si vera confiteri voluissent, visionem videlicet minime nosse, nec per se scire penitus potuisse. Qui ergo falsa profitentur, cur saltem vera non confitentur ? Communis pudentia generalis impudentia. Communis pudentia impossibilitatem suam celare, generalis impudentia, ultra possibilitatem præsumere. *Et respondens rex, ait Chaldæis : Sermo recessit a me. Nisi indicaveritis mihi somnium, et conjecturam ejus, peribitis vos et domus vestræ publicabuntur. Si autem somnium, et conjec-*

Digitized by Google

turam ejus narraveritis, præmia, et dona, et honorem multum a me accipietis. Quis, quæso, regem, Nabuchodonosor libere non reprehendat, quod sapientes suos pro tali causa perditioni addicat, cum forte et ipse simile, vel pejora faciat? Quid enim est sapientes suos ultro perdere, nisi sapientiæ studia penitus omittere, et subtilissima illa ingenii sui acumina in doctrinæ alicujus investigatione ulterius exercere jam nolle? Quid autem est sapientium domos publicare, et ad communem omnium usum redigere? Domos autem, illum habitationis nostræ locum dicere consuevimus, ad quem semper post multiplices labores atque discursus quiescendi gratia recurrere solemus. Quid igitur per sapientium domum rectius datur intelligere quam privata illa atque secreta quietis suæ otia quibus solent studiosi quique doctrinæ studiis vacare? Sapientium igitur nostrorum domus, quodammodo publicantur, quando studiosa illa quietis nostræ otia, ad omnem dissolutionis evagationem exponuntur, doctrinæque secreta penetralia ad omnem curam vel curiositatem prostituuntur. Quam multos videmus post præclara studiorum suorum insignia, scientiæque magnalia, cum forte ad qualemcunque honoris gradum promoti fuerint, vel forte administrationis cujuscunque curam susceperint, omnem statim doctrinarum suarum disciplinam despicere, sæcularibus negotiis solum semperque vacare, cunctos sapientiæ cultores sub uno die perdere, eorumque abdita secreta publicare? Quid isti facerent si Nabuchodonosor regnum acciperent? Quam multos itidem videmus, post multum spiritualium exercitiorum instantiam, post acceptam denique contemplationis gratiam, cum forte ab illo sublimitatis suæ statu aliqua tentatione, vel qualicunque fatigatione dejecti fuerint, et ad illam celsitudinis suæ artem sine aliquo, vel forte sine magno labore redire non posse perspexerint, omnem protinus spiritualium studiorum industriam deponere, vel damnare, et seipsos sub omni hora ad omnes vagos, vanosque discursus exponere. Videas illos non solum illa contemplationis suæ otia non repetere, verum etiam omnem meditationis, seu lectionis instantiam penitus omittere. Quid aliud isti quam sapientes suos occidunt, qui omnes spiritales intellectus in semetipsis varia desideriorum suorum fluctuatione obducunt? Ecce audivimus de minis, videamus de promissis. *Si autem somnium*, inquit, *et conjecturam ejus narraveritis, præmia et dona, et honorem multum accipietis a me.* Præmium est quando illud accipimus quod meruimus; donum, quando illud accipimus, quod necdum meruimus; honor autem quando et illud obtinemus, ad quod promerendum minus idonei sumus. Præmium itaque est quod meritis redditur, donum quod gratis impenditur, honor quod ex sola dignitate confertur: præmia, inquit, et dona, et honorem multum accipietis a me. Nihil, fratres, verius: quam libenter sapientibus nostris stipendia meritorum impendimus, quam gratanter eis honorem debitum vel gratuitum conferimus? Et ut inde quid sentiam plenius absolvam, nihil certius exspecto, nihil amplius timeo quam ut nimium honorem et majorem reverentiam quam oporteat ejusmodi sapientibus impendi, quisque satagat, cum forte suis desideriis satisfecerint, et votis suis pro voto responderint. Quis suis studiis et disciplinis non amplius ascribat, quam ipsa Veritas dictat? Quis, quæso, opinionem scientiæ et sapientiæ suæ, non solum, juxta æquitatis modum, sed et præter, imo supra æquitatis debitum nolit extendere? Quoties itaque animus studiis suis libenter insistit, et inde sibi famæ et gloriæ dilatationem promittit, loquitur quodammodo sapientibus suis, et præmia, et dona, et honorem multum accipietis.

CAPUT V.

Quam multis modis animus seipsum decipit, et suum sibi vitium non invitus abscondit.

Proposito præmio, statim rex subjungit, et dicit: *Somnium igitur, et interpretationem ejus indicate mihi* (*Dan.* II). Duo quærit, somnium, et interpretationem ejus. Aliud est divinorum judiciorum arcana ex divina revelatione cognoscere, et aliud est eorumdem rationem perpendere vel penetrare potuisse. Hoc ad somnii cognitionem, illud pertinet ad ejus interpretationem. Quam multa divinorum judiciorum cognoscimus, quorum rationem nulla nostra discussione penetramus. *Responderunt secundo, atque dixerunt: Rex somnium servis suis dicat, et interpretationem ejus indicabimus.* Quid est iterum respondere, nisi impossibilitatem suam iterato conanimis sui defectu plenius perfectiusque docere? O quam difficile humana impudentia, a sua præsumptione reprimitur. Ecce post plura experimenta adhuc impossibilia exiguntur, adhuc impossibilia promittuntur. Sed videamus quid sequitur: *Respondit rex, et ait: Certe novi quia tempus redimitis, scientes quod recesserit a me sermo. Si igitur somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem et deceptione plenam composueritis, ut loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi ut sciam, quod interpretationem quoque ejus veram loquamini.* Ecce ex sua instantia rex non nihil profecit, qui tandem aliquando eorum duplicitatem deprehendit, et te quidem non putes parum profecisse, cum cordis tui duplicitatem poteris ad liquidum deprehendere. Quam multa sæpe simulamus, quam multa dissimulamus. Infirma nostra libenter dissimulamus, et illa quæ omnino non possumus, posse vel habere nos bona simulamus: et mirum valde quod libenter animus seipsum decipit, et suum sibi vitium non invitus abscondit. Ecce utrumque vitium simulationis et dissimulationis rex in suis subjectis deprehendit, et dissimulationis quidem in eo quod dicit: Certe novi quia tempus redimitis. Simulationis in eo quod post pauca adjungit, una est de vobis sententia, quod interpre-

Digitized by Google

tationem quoque fallacem composueritis. Ignorantiam suam dissimulabant, et aperte fateri volebant, et in hoc tempus redimebant, et tamen de somnii interpretatione falsa promittebant. Sed dissimulationis malum in eis rex experiendo probavit, simulationis vero malum ex ratione cognovit, dum unum vitium ex alio collegit. Si enim nec illud poterant, quod minus erat, quomodo illud potuissent quo majus erat ? Perpendis ex his, ut opinor, et animadvertis, quod alia in nobis experimento probamus, et alia utique ex ratione colligimus. *Responderunt ergo Chaldæi coram rege, et dixerunt : Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere.* Ecce jam tertio respondent, et tandem aliquando defectum suum manifeste docent. Et ut tres responsionis vicissitudines gradibus distinguamus, vide ne forte prima illa responsio sit dubitationis, secunda timoris, tertia desperationis. Et ad primum quidem conatum quando aliquid incipimus, nec tamen perficimus, incipimus sæpe de incœpti nostri consummatione dubitare. Ad secundum autem amplius formidare. Ad tertium vero conatum, cum nullum consequimur effectum, solemus penitus desperare.

Et nota quod dubitatio et formido habent responsionem ambiguam, desperatio autem habet responsionem manifestam. Sic utique illi primo et secundo ignorantiam suam magis minuunt quam loquuntur. Ad tertiam autem, lucem jam palam profitentur. Audiamus tamen quam falso vera loquantur : Non est, inquiunt, homo super terram, qui sermonem tuum possit implere. Non dicunt simpliciter, nos non possumus, quod utique verum erat, sed non est homo super terram qui possit, quod absque dubio falsum erat. Nam et Daniel homo erat, et super terram erat, qui hoc potuit, sicut postea rei exitus probavit. Potuit tamen non ex propria industria, sed ex gratia divina. Quis enim dicat non posse quod orando potuit obtinere ? Vide quot modis, et quam sæpe seipsum animus humanus decipiat, sed quis hoc plene explicare sufficiat ? Quam multa sæpe nos posse præsumimus quæ tamen omnino non possumus, et quam multa quæ omnino non possumus neminem posse putamus ? Quid, quæso, est quod animus humanus secundum bonum quod in se probat alios omnino non prædicat, et tamen secundum malum quod in seipso invenit, alios adjicit ? Ecce sapientes isti quod de somnii interpretatione præsumebant, non tamen et æque omnibus in commune attribuebant. Verumtamen quod de somnii recuperatione non poterant, neminem posse confirmant. Sed ut totum hoc secundum unum eumdemque animum consideremus, nihil sane in nobis debemus vel temere præsumere, vel temere desperare. Nam sæpe quod uno modo non possumus, alio modo facile explicamus. Quam multa sæpe quæ non possumus actitando, obtinemus orando.

CAPUT VI.

Quam temere, vel frustra ex humana industria præsumimus quod ex angelica solum, seu divina revelatione exspectare debemus.

Videamus tamen quid isti adhuc addant, subtiliter discutientes quid vitiose, vel quid forte veraciter dicant. Nam et incaute prolata ad nostram cautelam valent, et recte prolata ad imitationis studium informare habent. *Sed neque regum quisquam*, inquiunt, *magnus, et potens verbum hujusmodi sciscitatur ab omni ariolo, et mago, et Chaldæo* (*Dan.* II). Rex recte dicitur qui ad regnum sublimatur. Sed quid ait rex ille, vere Rex regum et Dominus dominantium ? *Regnum cœlorum*, inquit, *intra vos est* (*Luc.* XVII). Ad hoc sane regnum sublimari possumus, si perfecte id volumus. Habet sane hoc regnum intra nos existens incolas multos et habitatores infinitos. Quanto autem quisque ejusmodi regnum amplius dilatat, fidelius dispensat, districtius regit, prudentius disponit, tanto potentior efficitur, tanto major judicatur. Ad hoc autem regnum magis provehit atque conducit paupertas spiritus quam copia sensus : *Beati* enim *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Qui ejusmodi regnum accipit fiducialiter psallit, cum dicit : *Ego autem constitutus sum rex ab eo* (*Psal.* II). Bene autem de ejusmodi regibus dicitur. Sed neque regum quisquam magnus, et potens verbum hujuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, et mago, et Chaldæo. In hoc autem dicti reges magni sunt, et suam sibi potentiam defendunt, quod nihil de propria virtute præsumunt, quanto minus ea quæ supra hominem sunt? Certe illud verbum rex divinitus acceperat, et omnino tale erat quod nisi ex Dei revelatione sciri non poterat. Quod ergo sciri non poterat nisi a Deo, qua temeritate præsumitur ab homine ariolo, mago, vel Chaldæo? Quid igitur est hujuscemodi verbum ab ejusmodi quovis sapiente scisciari nolle, nec debere, nisi ea quæ supra hominem sunt ex nulla humana industria, vel arte debere præsumere ? Hinc est quod additur, cum dicitur : *Sermo enim quem tu, rex, quæris gravis est, nec reperietur quisquam qui indicet illum in conspectu regis, exceptis diis quorum non est cum hominibus conversatio.* Certe quod supra hominem erat, rex ab homine exigere non debebat. Quid autem gravius, quidve molestius quam hominem ab homine, homini impossibilia exigere, et quæ supra humanum modum sunt ab humana possibilitate extorquere velle? Sed quæ impossibilia sunt apud homines, apud Deum possibilia sunt. Exceptis, inquiunt, diis quorum non est cum hominibus conversatio. Recte hoc loco satis per deos sanctos intelligimus angelos. Si enim propter imaginis, seu etiam similitudinis participationem homines dicti sunt dii, quanto rectius angeli? *Ego dixi: dii estis et filii Excelsi* (*Psal.* LXXXI), et angeli quidem omni hora, imo omni pene momento inter homines versantur, et tamen cum hominibus non conversantur, quia et tunc quidem cum inter homines sunt,

Digitized by Google

non humanitus, sed cœlitus, et vere divinitus degunt. Quis neget vel nesciat angelos hominibus multa quæ supra homines sunt revelare potuisse, et revelare solere? Sed ut adhuc de exterioribus ad intima nostra similitudinem trahamus, sic sæpe quæ nulla nostra investigatione penetramus, ex divinis revelationibus et inspirationibus agnoscimus. Si autem per deos quis intelligi velit non angelos, sed homines divinitus aspiratos quorum conversatio jam non sit cum hominibus (hoc est humana sapientibus) eo quod jam veraciter dicere possunt : nostra conversatio in cœlis est, nihil verius dici potest. Multa enim ex divina inspiratione agnoscunt, quæ humanam investigationem excedunt. Si vero sententia illa superior ad hunc sensum accommodatur, nihil in ea nisi rectum sonare videtur ubi dicitur. Non est homo super terram qui sermonem tuum, rex, possit implere, quasi dicatur : Nemo eorum qui super terram sunt, nisi illi tantum qui cœlesti conversatione cœlos ascendunt.

CAPUT VII.

Quomodo post præclara sæpe studiorum suorum insignia mens tam sæcularium quam spiritalium doctrinarum curam deponit; et se totam ad sola exteriora negotia exponit.

Quo audito, rex in furore et in ira magna præcipit ut perirent omnes sapientes Babylonis. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur (*Dan.* II). Ecce quod superius jam prælocuti sumus. Postquam rex de somnii sui recuperatione desperavit, in furore et ira omnes sapientes suos perire decrevit. Uti jam diximus, hoc est sapientes suos perdere, per acutos illos atque subtiles scientiæ et sapientiæ intellectus secundum pristinam consuetudinem et assuetam exercitationem ulterius non requirere, et cujuscunque doctrinæ studiis nullam penitus operam dare, vel curam impendere. Quasi somnium visum amittitur, quando illa per quam ad sublimia mens frequenter sublevabatur gratia contemplationis subtrahitur, et tunc quidem velut de ejus recuperatione desperamus, quando diu multumque laborantes, nihilque proficientes spiritalium illam spectaculorum nostrorum jucunditatem ulterius nos recuperare posse diffidimus. Sed fit sæpe ut, dum illam quam amare consueverat divinarum revelationum speculationem amittit animus, diutina fatigatione jam fractus, non solum ejus in cujus reparatione defecit, sed quorumcunque studiorum curam deponat, et omnes sapientes suos quodammodo perdere disponat. In furore, inquit, et ira magna. Furor est perturbatio mentis, totius expers rationis. Ira est mentis perturbatio magna, sed a ratione non penitus aliena. Quasi ex furore agitamur, et actitamur, quando sine respectu rationis in id, quod fieri non oportet, nos ipsos præcipites damus. Ira sæpe commoti intelligimus quid faciendum sit, cum tamen refrenari non possit, si magna fuerit. In primo itaque perturbationis nostræ impetu sæpe, nec saltem ad rationem respicimus, postmodum autem rationem quidem videmus, sed sequi non possumus, tandem vero intuemur et sequimur. Recte ergo prius furor, et postea ira ponitur.

Notandum sane quod sapientes Babylonis dicuntur, qui hoc loco perire præcipiuntur. Puto alios esse sapientes Babyloniorum, et alios esse sapientes Judæorum. Illi sane occupantur circa terrena, isti circa divina. Illi sane sectantur sapientiam mundi, quæ stultitia est apud Deum, isti scrutantur etiam profunda Dei, utpote spiritales, et spiritualibus spiritualia comparantes. Quid igitur per sapientes Babyloniorum, nisi scientias sæculares? et quid per sapientes Judæorum intelligimus, nisi doctrinas spiritales? Quasi ergo sapientes Babylonis damnationi addicimus, quando sæculares disciplinas a nostris studiis amputamus. Harum amputationi conscientia nostra facilius acquiescit, et eo levius earum abjectioni consentit, quo eas (quamvis ad aliquid utiles humanæ saluti) minime necessarias attendit. Primo ergo sapientes Babylonis trucidantur, unde est quod de eis dicitur : Et egressa sententia sapientes interficiebantur. Sententia egreditur, quando id quod quisque mente deliberaverat atque statuerat, tandem aliquando ex opere manifestat. Quasi adhuc intrinsecus est, quod adhuc versatur, et latet in mente, et velut jam exercitus esse incipit, quando jam apparet in opere. Sequitur : Quærebanturque Daniel et socii ejus, ut perirent. Ecce quomodo malum grassatur. Audivimus superius quomodo sapientes Babylonis interficiebantur, ecce jam sapientes Judæorum quæruntur, ut interficiantur. Ecce quibus gradibus studiosa mens sæpe a sua vivacitate resolvitur, et a summis paulatim ad deteriora relabitur, prius sæcularium, postea spiritalium doctrinam curam deponit, et se totam ad sola exteriora negotia exponit, et in se quasi omnes scientiæ et sapientiæ cultores interficit, dum post humanarum artium despectum, contemplationis, meditationis, lectionis et orationis instantiam penitus deserit.

Notandum tamen quod de sapientibus Judæorum dicitur, quia ad perditionem quærebantur. Quid, quæso, est locum ubi ejusmodi sapientes ad perditionem inveniri valeant quærere, nisi occasionem seu etiam excusationis alicujus opportunitatem captare, quo tutius atque liberius et cum securiori conscientia sacræ etiam eruditionis studia dissoluta mens possit abjicere? sæpe enim infirmitatem corporis prætendimus, cum spiritualia exercitia abjicimus. Sæpe charitatem hoc esse fingimus, quod contemplativam vitam deserentes exterioribus negotiis nos ipsos funditus exponimus. In hunc modum occasio, et quasi loci opportunitas quæritur, ubi Daniel cum cæteris sapientibus Judæorum ad interficiendum inveniatur. Si hujus Danielis facta consulimus, quid rectius quam cordis devotionem in ipso figurari inveniemus? Vide quomodo sub omni adversitate, et qualicunque necessitate semper ad Dominum recurrit et consulit, auxilium divinum implorat et ac-

Digitized by Google

cipit. Quis autem nesciat veræ devotionis esse sub omni necessitatis articulo, ad divina præsidia confugere, et tam in ambiguis quam adversis hinc consilium, illinc auxilium humiliter petere, et efficaciter impetrare? Scimus autem, quia intime et devote nunquam mens orat, quæ se ad devotionem studiosis præmeditationibus prius non excitat. Hi sunt enim veræ devotionis socii inseparabiles, circumspectæ, discretæ et providæ cogitationes. Sine hujusmodi enim sociis et cooperatoribus, quælibet nostra devotio non novit vel valet orare quomodo oportet.

CAPUT VIII.

Quomodo in omni proposito, vel instituto debeamus æquitatis regulam consulere, et improvide statuta ad saniorem sententiam revocare.

Tunc Daniel requisivit de lege, atque sententia ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis, et interrogavit eum qui a rege acceperat potestatem, quam ob causam tam crudelis sententia a facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli, Daniel ingressus rogavit regem, ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi (*Dan.* II). Sicut in Daniele intelligitur fervor devotionis, sic per principem militiæ recte, ut arbitror, intelligimus zelum rectitudinis et rigorem districtæ severitatis. Certe sine rigore justæ severitatis, nec illud quidem regnum licet in pace vel securitate possidere, in quo solent homines hominibus imperare, et in quo solent homines possidentium pacem perturbare. Quis imperantium unquam pace diutina frui, vel lætari potuit, qui pacis adversarios, cum potuit et oportuit districte judicare, et fortiter ferire noluit? Quanto magis autem in illo utique regno, in quo non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus, quanto magis, inquam, in ejusmodi regno oportet nos fortiter agere, et omnes perstrepentium cogitationum, vel affectionum tumultus, et quoslibet internæ pacis perturbatores districta animadversione ferire? Bonus sane iste princeps militiæ (rigor videlicet; et severitas justitiæ) cujus legibus, vel disciplinis quisquis non obtemperat, ab illa cœlestis militiæ societate se alienat. Recte autem, ut arbitror, iste princeps militiæ Arioch dicitur. Nam Arioch *ad solitudinem redigens* interpretatur. Scimus quia regnum cœlorum intra nos est. Debet itaque iste princeps militiæ quodcunque regnum vel regionem videt contra hoc regnum exsurgere, vel rebellare, et æterni regis legibus non obtemperare, forti impugnatione evertere, et ad sempiternam solitudinem redigere, et si fieri potest, in æternum delere. Si igitur per Danielem devotionem, per Arioch zelum rectitudinis debemus intelligere, quid est Danielem ab Arioch de lege, et sententia regis quærere, nisi compunctam mentem æquitatis judicium consulere, et ex magna devotione vehementer discutere, an forte justum vel injustum sit, quod meminit se prius per spiritus sui impetum statuisse? Multa enim tempore compunctionis et orationis mens hominis mala et injusta esse invenit, quæ prius ex animi impetu, et quasi præcipitanter definivit, quæ tamen injusta esse tunc temporis non advertit, et multa sæpe ex eodem spiritus sui impetu homo contra conscientiam suam dictat, et tamen eamdem animi sui præcipitationem, postmodum sub orationis et devotionis suæ tempore temperat, et ad saniorem sententiam reformat. Debemus itaque ea quæ præcipitanter, magis quam prudenter statuimus, et mala esse pertimescimus, postmodum diligenter discutere, et utrum justa an injusta, utilia an inutilia sint, sagaci retractatione perquirere, et in hunc modum quasi per Danielem officium Arioch de lege vel sententia data requiritur, dum de quolibet minus consulto mentis proposito ex magna devotione, tandem aliquando veræ æquitatis, et summæ discretionis regula consulitur. Quid sit autem ad interficiendos sapientes egredi, ex superioribus facile potest perpendi. Sciendum autem quod inconsulte sententiæ definitionem vel qualitatem sæpe tunc facilius deprehendimus, ampliusque formidamus, cum jam qualis sit, ex ipso opere et quasi per experimentum probamus. Hinc est quod Arioch hoc loco tunc primum de sententiæ datione consulitur, cum ad ejus occasionem jam jamque egreditur.

CAPUT IX

Quod quidquid contra nos accidere solet, dispensante Deo, libero mentis arbitrio, juxta meritorum qualitatem respondet.

Sed si per Arioch districtio æquitatis recte intelligitur, mirum fortassis, nec immerito, alicui videbitur, quomodo ejusmodi sententiæ executio ad Arioch officium spectare dicatur, cum eadem utique sententia, nec juxta historiam, nec juxta mysticam intelligentiam justa judicetur. An forte rex juxta historiam furore turbatus justum esse credidit, quod veraciter justum non fuit, eo quod tunc veraciter dicere potuerit: Turbatus est a furore oculus meus? Sic sane quidam juxta hujus similitudinis typum, zelum quidem rectitudinis generantes, sed secundum scientiam non habentes, rectum credunt esse vel fingunt quod sapientes suos occidunt, majora sibi meritorum lucra proponentes vel promittentes ex corporalibus exercitiis acquirere, quam ex spiritualibus quidem, in quibus interim non possunt quantum vel quam leviter volunt, proficere. Sed si adhuc profundius inspiciamus, et ad divina judicia recurramus, statim videbimus quia multa quæ homo injuste disponit vel agit, Deus nonnisi juste fieri permittit. Cur ergo et illa non dicantur ad Arioch officium pertinere, quæ juxta hanc considerationem ex divinæ districtionis æquitate, nostris probantur meritis respondere? Et interrogavit, inquit, eum qui a rege acceperat potestatem. Attende ergo quod Arioch iste a rege potestatem accepit, quia quidquid

Digitized by Google

circa nos utiliter seu inutiliter accidit, ex liberi arbitrii merito vel vitio descendit. Accipit autem Arioch exercendæ modo utilis, modo inutilis sententiæ potestatem a rege, aliquando a sciente et volente, aliquando a sciente et nolente quandoque a non sciente et volente, quandoque a nesciente et nolente. Quemadmodum enim dictum est, quod cuique accidere solet, dispensante Deo, libertatis arbitrio juxta meritorum qualitatem respondet. Quidquid ergo circa nos agitur pro meritorum retributione æquitatisque jure, justo Dei judicio moderatur. Sed providus ille animi obtutus, sæpe sub magnæ perturbationis suæ impetu, Omnipotentis beneplacitum seu judicium agnoscit et acquiescit. Aliquando agnoscit, nec acquiescit, quandoque autem sic effectus est ut voluntatem Dei solam circa se fieri concupiscat, quamvis eam interim ad plenum non intelligat, modo autem sic afficitur ut voluntati Dei omnino acquiescere non possit, etiamsi illam (quam interim scire non potest) ad plenum scire potuisset. Sed quid mirum si humanus animus non potest semper acquiescere etiam cognitæ divinæ voluntati, quando quidem sæpe nec suæ potest acquiescere utilitati? Sæpe enim per impatientiam sententiam dictat quam suæ utilitati esse contrariam penitus non ignorat. Non igitur tunc tantum dictus ille princeps militiæ a suo rege exercendæ sententiæ potestatem accipit, quando ejusmodi rex aliquid juste et utiliter disponit, sed etiam nunc quidem, quando aliquid per impudentiam seu etiam per impatientiam ordinat quod Dei dispositione, præcedentibus ejus meritis, æquitatis retributione respondeat, imo etiam tunc quando aliquid agit unde odiosam, quamvis justam, sententiam incurrit.

CAPUT X.

Quibus considerationibus pensanda sunt quæ circa nos accidunt.

Videamus adhuc autem quid illud sit quod Daniel ab Arioch iterum inquirit. Quam ob causam tam crudelis sententia a facie esset regis egressa. Ordo congruus, et diligenter observandus, prius interrogatur de lege et sententia, postea de ejusdem sententiæ causa. Procul dubio diligenter inquirendum, et vehementer discutiendum (in rebus utique dubiis et maxime periculosis) prius de qualitate actionis, et consequenter quidem de qualitate intentionis. Nam sæpe culpa quæ ex actione contrahitur, ex qualitate intentionis nonnihil levigatur. Quod tamen inquirit de causa sententiæ, ad duo, ut arbitror, possumus imo et debemus referre, qua videlicet intentione fiat, vel qua Dei dispositione fieri contingat. Et circa actionem quidem quæritur utrumnam sit commoda an incommoda, justa vel injusta. Circa intentionem vero an forte sit pia vel impia, discreta vel indiscreta. Circa Dei autem dispositionem id maxime quisque in diræ vel duræ sententiæ investigatione perquirat, utrum ad utilitatem an ad ultionem nos feriat. Nam sane cum nos percutit vel feriri permittit, modo ad nostram eruditionem, modo ad nostram correctionem, modo ad correptionem, modo ad damnationem, vel alio adhuc quolibet modo id agit. Hæc omnia diligenter inquirenda et subtiliter discutienda. Hæc omnia utilem timorem incutiunt, et mentem in oratione compungunt. Hæc omnia mentem humiliant, et nostram devotionem excitant, et ad supplicationem inflammant. Vides certe quam recte, quam discrete hæc omnia Daniel inquirat antequam precibus insistat, vel supplicationi incumbat. Hinc est quod dicitur, cum subditur : Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli, Daniel ingressus rogavit regem. Quid est autem prædicta illa Danielem ab Arioch discere, nisi diligenter et devote consulta districte æquitatis regula tandem aliquando post multam discussionem quæsitam sententiæ, et causæ qualitatem devotam mentem plenius agnoscere.

CAPUT XI.

Quomodo perturbationis nostræ tempore debeamus ad orationis remedia confugere, et ejusmodi suffragium in usum adducere.

Restat modo illud quærere quid sit Danielem ad regem intrare. Recte fortassis per regem qui in omnibus præsidet et imperat, intelligimus hoc loco vehementem animi motum, et validum libere voluntatis impetum, cui facile quælibet alia affectio cedat vel obediat. Et quam multis (cum sunt vehementer affecti, vel acriter commoti) omnino non occurrit rationem vel discretionem consulere, quanto minus ad orationem confugere, vel ullam devotionem admittere? Sed quid aliud hoc dicimus esse, quam sapientium neminem coram rege audere apparere? Sæpe tamen qui ejusmodi sunt, post sedatum animi impetum, cum ad semetipsos redeunt, ad discretionis judicium et devotionis officium recurrunt, satagentes corrigere in quibus perturbationis tempore excesserunt. Sed si circa cordis disciplinam studiosi sumus quemadmodum esse debemus, doceamus et assuescamus animum nostrum sub quovis impetu et perturbationis tempore ad discretionis consulta confugere, et hoc est sapientes ante conspectum regis amittere. Sed quia sæpe contigit ut nulla rationis attestatione præcipitem perturbationis suæ impetum lenire possit, debet mens sub ejusmodi necessitatis articulo ad devotionis auxilia recurrere, et ad pacandam perturbationis suæ violentiam divinæ miserationis suffragia impetrare, et ejusmodi devotionis remedium oportet in usum adducere, et hoc est Danielem ad regem intrare. Quasi enim ad regem Daniel ingreditur, quando ad pacandum animi impetum, sub ipso etiam præcipitationis impulsu devotio suffragatur.

Notandum autem quod superius dicitur introductus, hic vero simpliciter ponitur quod sit ingressus. Puto autem quia aliud, et aliud sit ab alio introduci, vel per semetipsum ingredi, sicut ex superioribus patet, sub omni vehementi animi impetu devotæ orationis suffragium præsto habere, hoc est

Digitized by Google

Danielem in præsentia furentis regis non deesse. Sed, ut omnes communiter et sollicitudine efficimus, alia orando, et Deo supplicando precibus obtinemus. Quando igitur humana sagacitate et exercitatione devotionis præsidium ad sedandum animi impetum assuescitur, ille noster Daniel quodammodo ante dicti regis præsentiam, alieno officio introducitur. Quando autem hoc non tam meditando quam orando efficitur, Daniel procul dubio ad regem per semetipsum ingreditur. Debemus itaque studiosa et sagaci præmeditatione mentem nostram ad devotionem excitare, et hoc erit Danielem alieno officio introducere. Item, quia sæpe etiam cum necessitas exigit et urget, devote orare non possumus, divinæ visitationis et nostræ compunctionis tempore oremus, ut necessitatis tempore orare possimus. Si itaque orandi facultas oratione obtinetur, Daniel pro certo per semetipsum ingreditur. Sed nec illud quidem negligenter prætercundum quod sub tempore regiæ perturbationis et furoris legitur ingressus. Nam introductionis tempore nullum profecto regiæ perturbationis vel indicium accipimus. Non enim credere oportet hunc regem semper esse iratum, atque aliquo furore turbatum. Aliud est animi impetum esse vehementem, aliud est esse præcipitem. Aliud, inquam, validum esse atque invictum, atque aliud esse ira et insania plenum. Aliud denique invincibilem et pene immobilem, aliud vero intolerabilem et plane irrationabilem. Sed quis, quæso, Danielem sub regii furoris tempore præsumeret, vel auderet ante regem adducere? Supra humanam industriam, et virtutem esse judico tantæ et tam intimæ perturbationis tempore orationi incumbere, cum vix, vel nullo potius modo tunc temporis contingat ejus saltem meminisse. Oportet ergo, eo quo supra diximus modo, Danielem per semetipsum coram rege turbato intrare, si vult sub tantæ necessitatis articulo periculo repugnare. Mens itaque studiosa, et circa salutem suam sollicita, quæ adhuc, cum fuerit perturbata, perturbationi suæ orando repugnare non novit, et hujusmodi usum, vel gratiam necdum obtinuit, oret, et impetret tempore tranquillitatis divinitus sibi dari gratiam orandi sub tempore perturbationis. In hunc modum forsitan dabitur Danieli quandoque ad regem per semetipsum intrare, et adhuc ipso furente, et tunc forte poterit non semel tantum, sed sæpe et assidue malæ sententiæ differendæ inducias petere et obtinere, ad hoc ut eam possit postmodum penitus delere. Quando intimæ perturbationis suæ tempore devota mens humiliter petit et supplicat, ne sub concitati furoris impetu divina eum pietas aliquid per impatientiam agere permittat, unde postmodum pœnitere oporteat, si impetrat quod optat, quid aliud devotionis nostræ Daniel videtur tibi facere, quam furentis regis insaniam mitigare? Cum autem ad aliquid præcipitis affectionis suæ vehementia trahi se sentit, quod interim sub tantæ perturbationis suæ nube, vel turbine utrumne rectum sit agnoscere ad plenum non possit, si interim patientiam sibi petit, donec quid faciendum sit tranquillitatis suæ tempore rectius possit discernere, accipiendo quod petit quid aliud tibi videtur efficere, quam inducias petere et accipere? Daniel, inquit, ingressus rogavit regem ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. Vides certe quia devotio pie et utiliter de Domini pietate sæpe præsumit, quæ nulla sua sagacitate humana industria efficere possit, et quam juste de Domini pietate magna præsumimus, si magnanimitatem nostram pro amore ejus, cum ejus adjutorio vincamus.

CAPUT XII

Qualibus meditationibus oportet animum ad devotionem inflammare, vel quomodo oporteat studiorum nostrorum instantiam reformare.

Sed videamus quid post hæc Daniel fecerit, vel quid de eo scriptum sit: *Et ingressus domum suam, Ananiæ, Misaeli, Azariæ sociis suis indicavit negotium, ut quærerent misericordiam a facie Dei cœli super sacramento isto, et non perirent Daniel, et socii ejus, cum cæteris sapientibus Babylonis* (*Dan.* II). Per tres istos, Danielis socios individuos, et comites inseparabiles, circumspectionem, discretionem, deliberationem intelligimus, sine quibus veræ devotionis officium nullo modo posse expleri quotidiano experimento probamus. Si enim intime et devote orare volumus, primum est ut vitam nostram circumspiciamus. Videamus quibus studiis vel exercitiis occupari consuevimus, vel quibus adhuc occupari sumus, vel quale propositum in his de futuro habemus. Sed quid ista juvat in considerationem adducere, nisi eadem sollicitudine satagamus singula quæque forti examinatione discernere, et bona a malis vigili sagacitate secernere, ut sciamus pro quibus debeamus Domino supplicare, seu etiam gratias agere? Cognitis autem seu bonis, seu malis nostris, restat adhuc provida deliberatione perquirere qua occupatione vel sollicitudine possimus, et pro præteritis malis satisfacere, et de præsentibus se explicare, et de futuris cautelam curiosius exhibere. Primum est circumspectionis, secundum est discretionis, tertium est deliberationis. Circumspectionis est morum nostrorum modum in considerationem adducere; discretionis est in omnibus judicium facere; deliberatio autem consilium quærere, et invenire. Circumspectio dicit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (*Isai.* XXXVIII). Discretio fatetur: *Feci judicium et justitiam* (*Psal.* XCVIII). Deliberatio loquitur: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (*Psal.* CXV.) Ad circumspectionis studium revocatur, cui dicitur: *Leva in circuitu oculos tuos* (*Isai.* XLIX), et vide tunc ubi prostrata sis, meretrix. Ad discretionis examen animare nos voluit, qui dixit: *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* XI). Deliberationis officium præcipitur, seu etiam commendatur cum per sapientem dicitur: *Omnia fac cum consilio,*

Digitized by Google

et in æternum non pœnitebis (*Eccli.* xxxii). Quis autem non videat horum officia veræ utique devotioni quam sint necessaria? Quis enim unquam intime et devote orare potuit, si vitam suam circumspicere, discutere, disponere postposuit? Quoties igitur necessitas urget devotæ orationi vehementius incumbere, oportet nos ad circumspectionis, et discretionis, seu etiam deliberationis officia recurrere, et ejusmodi studiis negotiosisque meditationibus animum nostrum ad devotionem inflammare, et hoc est Danielem sociorum suorum suffragia in orationis suæ usum asciscere. Daniel itaque quasi ad domus suæ penetralia recurrit, et ad orationis suæ negotia perfectius explenda velut cooperatores quærit, quando, instante jam orationis tempore, seu etiam urgentis necessitatis articulo, devota mens solitam et in id officii necessariam quietis suæ opportunitatem repetit, et providis quibusdam, et in ejusmodi usum idoneis meditationibus devotionem suam animare seu inflammare contendit. Sociis suis, inquit, indicavit negotium. Quasi a Daniele Danielis sociis negotium indicatur, quando ex devotione agitur ut imminens negotium in considerationem, examinationem, consultationem adducatur. Misericordia autem impetranda proponitur, si compuncta mens in eo quod devote exsequitur non suis meritis, sed divinis miserationibus innititur.

Notandum sane juxta historiam quod Daniel propheta negotium illud sacramentum vocet, unde in eo mysticam rerum intelligentiam latitare quis dubitet? Et non perirent, inquit, Daniel, et socii ejus cum cæteris sapientibus Babylonis. Juxta hujus rei exemplum, cum viderimus mentem nostram post sæcularium studiorum contemptum ad spiritualia etiam exercitia torpere, et paulatim deficere, et sapientum nostrorum periculum imminere, debemus et nos modis omnibus illud a Domino petere, unde possimus consuetam studiorum nostrorum instantiam reparare, vel confirmare. Est autem, ut pariter novimus, tam in studio orandi quam meditandi labor pergrandis, et mentibus vagis, et inquietis pene intolerabilis. In contemplatione vero jucunditas est mirabilis et pene singularis. Quando igitur contemplationis gratia studiosis mentibus confertur labor ille cæterorum studiorum ex ejus dulcedine, in quantum dulcoratur, in tantum levigatur, seu temperatur. Si ergo ejusmodi gratiam nondum accepimus, vel subtractam dolemus, debemus illam ad studiorum nostrorum confirmationem vel reformationem a Domino expetere. Cum igitur hæc agimus, quid aliud, quæso, fecisse videmur quam divinarum revelationum somnia quærere, ut habeamus unde possimus nostros illos superius designatos sapientes in sua integritate conservare? Tunc Danieli per visionem nocte mysterium revelatum est. Mysterii revelatio quasi nocte percipitur, quando veritatis illustratio tenuiter quidem, et ex parte, et velut ad lunæ lumen videtur. Mysterii revelationem quasi nocte percipimus, quando de aliquo Divinitatis arcano quid sentiendum sit ipsi quidem intelligimus, sed rationem qua illud et aliis probare possumus in promptu necdum habemus. Revelationis lumen quasi in nocte et velut in mediis tenebris apparet, quando quis mysterii declarationem quam per intelligentiam videt, sermone explicare, et quasi in apertam lucem proferre, non valet. Sed cum per diutinam retractationem postmodum agimus, ut acceptam veritatis intelligentiam quam ipsi prius vix vel tenuiter videre potuimus, perspicua demonstratione aliis declarare possimus, quid aliud quam quod nocte percipimus sub dici luce proferimus? Recte ergo nulla postmodum fit mentio noctis, ubi Daniel quod prius nocte accepit, tandem aliquando palam loquitur in præsentia regis.

CAPUT XIII.

Quomodo semper ad innovationem intelligentiæ debeamus non nostram industriam, sed Domini magnificentiam magnificare.

Sed accepta mysterii revelatione videamus adhuc quid Daniel agat vel dicat: *Et Daniel benedixit Deo cœli, et locutus ait: Sit nomen Domini benedictum a sæculo, et usque in sæculum, quia sapientia et fortitudo ejus sunt, et ipse mutat tempora et ætates, transfert regna atque constituit* (*Dan.* ii). Exemplo discamus quid ipsi facere debeamus, cum revelantis gratiæ lumen accipimus. Satagamus itaque juxta Danielis exemplum illi gloriam, et honorem, et gratiarum actionem referre, a quo habemus sapere, et intelligere, et quidquid boni nos constat habere. Quod multi sunt qui cum lumen veritatis accipiunt, statim hoc suis meritis, vel studiis ascribunt, seipsos magnificant, et attollunt, cæteros omnes sui comparatione despiciunt. Loquitur apud se anima ejusmodi, super omnes docentes me intellexi. Nititur illud Salomonicum ad se tam imprudenter quam inaniter trahere: *Præcessi sapientia omnes qui fuerunt ante me* (*Eccle.* i). Econtra nos demus illi gloriam a quo accepimus intelligentiam. Studeamus semper statim in ipso exortu revelantis gratiæ, in ipsa innovatione illuminatæ intelligentiæ, digna Deo laudum præconia referre. Buccinate in neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ. Neomenia, nova luna, nova luna intelligenti innovata, et divinitus aspirata. Scimus quia luna lumen a seipsa non habet, sed a sole accipit ut lucere possit. Sic sane humana intelligentia divinitus accepit, ut veri luminis radiis renitere possit. Quoties igitur novos divinæ illustrationis radios accipimus, et aliquid quod humanam intelligentiam excedit ex divina revelatione cognoscimus, debemus statim in gratiarum actionem assurgere, et magnificentiæ tuba in divinæ bonitatis præconia reboare: *Magnificate*, inquit, *Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum* (*Psal.* xxxiii). Ecce quomodo buccina personuit; ecce quomodo ad clangorem buccinæ secum et alios animavit. Ejusmodi buccinæ clangorem in nova luna fieri voluit, vel se facturum spopondit, cum dixit: *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum*

Digitized by Google

(*Psal.* xv). Sic Daniel cum revelantis gratiæ lumen accepit, quasi ad novæ lunæ exortum magnificentiæ tuba personuit, cum ait : Sit nomen Domini benedictum a sæculo, et usque in sæculum, quia sapientia, et fortitudo ejus sunt.

CAPUT XIV.

Quod triplex sit veræ devotionis officium.

Notandum sane quod triplex sit officium veræ et perfectæ devotionis. Primum est confessio criminis, secundum postulatio miserationis, tertium glorificatio miserentis. Primum est accusatio culpæ, secundum supplicatio veniæ, tertium magnificatio divinæ munificentiæ. Hæc omnia iste noster Daniel magnifice exsequitur, sicut ex ejus verbis cognoscitur. Confessio et accusatio est culpæ, ubi alio loco Domino loquitur in oratione : *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis ac judiciis* (*Dan.* ix). Supplicatio, et imploratio est veniæ, ubi legis eodem ipso dicente : *Exaudi, Domine ; placare, Domine ; attende, et fac* (*ibid.*). Glorificatio et magnificatio sui Creatoris sibique miserentis est procul dubio quod hoc in loco legis : *Sit nomen Domini benedictum a sæculo, et usque in sæculum, quia sapientia, et fortitudo ejus sunt, et ipse mutat tempora et ætates, transfert regna, atque constituit* (*Dan.* ii). Sapientia et fortitudo sane accipientis quidem bona, sed procul dubio largientis Dei bona sunt, quia ex ejus utique munere acceperunt quicunque sapientiam et fortitudinem habent, quicunque sapienter et fortiter agere potuerunt. *Quid enim habes*, inquit Apostolus, *quod non accepisti ?* (*I Cor.* xiv). Ipse, inquit, mutat tempora et ætates. Scimus quia omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cœlo. Tempus plantandi, et tempus evellendi quod plantatum est. Juxta hunc modum, et in aliis rebus considerari potest. Ex occasione itaque temporis opportunitatem accipimus, ut modo hæc, modo illa utilius vel expeditius agere valeamus. Nostris itaque usibus tempora mutat, quando nunc harum, illarum virtutum exercitiis opportunitatem accommodat. Sed quid, quæso, juvat exercendorum accepisse opportunitatem, nisi ex ejusdem largitatis munere accipiamus et exsequendi facultatem ? Scimus autem quia ætates diversæ aliis, et aliis effectibus sunt magis aptæ. Certe quæ in pueritia discimus profundius retinemus, et expeditius proferimus. In juvenili ætate est virtus corporis robustior, et animus audacior, et idcirco ea ætas ad exercitationis usum efficacior. Usque ad provectiorem ætatem tum multiplex doctrina, tum multiplex rerum experientia quotidianis provectibus scientiam auget, et idcirco ea ætas præ cæteris omnibus consiliis viget, prudentia pollet. Prima itaque dictarum ætatum ad discendum, secunda ad exercitandum, tertia vero prævalet ad discernendum. Juxta similitudinem annorum et meritorum, ut sic dicam, ætates consideramus, et secundum diversorum provectuum differentiam, diversarum virtutum efficaciam nos habere cognoscimus. Differentes itaque efficaciæ, facultates diversæ quodammodo sunt annorum ætates. Temporum ergo et ætatum modos meritorum ille optimus moderator alternat, qui nunc harum, nunc illarum virtutum tam facultatem, quam opportunitatem pietatis suæ dispensatione administrat. Transfert regna atque constituit, quando eversa vitiorum tyrannide virtutes regnare facit. De his vitiorum, virtutumve populis, et tam de horum destructione quam illarum exaltatione mystice scribitur, cum per Prophetam dicitur : *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, et plantasti eam* (*Psal.* lxxix). Vinea plantatur quando bonum propositum in bona intentione figitur. Gentes ejiciuntur, quando confessionis edicto, professionis voto interminatur peccatis, vitiis abrenuntiatur. In eamdem sententiam currit, quod alios idem Propheta de vitiorum exstirpatione, vel virtutum plantatione cavit : *Ejecisti gentes, et plantasti eos, afflixisti populos, et expulisti eos* (*ibid.*). Odiosus ille vitiorum populus afflictionis magnitudine expellitur, cum tandem aliquando tam contritione corporis quam compunctione cordis a carnalium desideriorum dominatione anima diu multumque oppressa liberatur. In hunc itaque modum salutis nostræ auctor et protector, dum vitiorum in nobis dominium destruit, virtutes vero in eorum locum restituit, transfert regna, atque constituit. Et recte quidem, quia Domini est regnum, ipse dominabitur gentium : *Dat*, inquit, *sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta, et lux cum eo est.* Nemo ergo de suo ingenio præsumat, nemo interiorum vel exteriorum scientiam suis studiis vel meritis ascribat. Ipse est enim qui dat sapientibus sapientiam, ipse æque qui dat scientiam intelligentibus disciplinam. In eamdem procul dubio sententiam pergit qui dicit : *Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum eo fuit semper, et est ante ævum* (*Eccle.* i). Utrique consentit, qui ait : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum* (*Jac.* i). Ipse revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta. Pro illis quæ vere profunda sunt, et humanæ intelligentiæ modum excedunt, Apostolus exclamat, cum dicit : *O altitudo sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* xi.) De his tamen ipsis sublimibus et profundis revelat utique per Spiritum suum quantum sciri oportet, vel expedit nobis. Revelat ergo profunda et arcana secreti sui, nec hæc tantum, sed et occulta consilii alieni quæ nobis aliena malignitas abscondit, ut facilius decipere nos possit. Audisti quid de ejus revelatione optare vel sperare debeamus, audi adhuc quid de ejus scientia timeamus. Novit in tenebris constituta ; novit sane intima nostra et quælibet cordis nostri occulta, nec solum illa quæ soli ipsi de nobis scimus, et alios latere volumus, sed ea etiam quæ in conscientiæ nostræ latebris ipsi penetrare non sufficimus. Revelat ergo sua, re

Digitized by Google

velat aliena, novit nostra. Revelat arcana sua, revelat fraudulenta aliena, novit occulta nostra. Revelat profunda dispensationis suæ, revelat abscondita fraudis diabolicæ, novit tenebrosa conscientiæ humanæ. Revelat profunda sua, ut sciamus quid de illo credere, quid ab illo sperare debeamus. Revelat abscondita aliena, ut sciamus quid timere, quid cavere debeamus. Novit tenebrosa nostra, ne illum aliquid latere posse credamus, et nos ipsos spe vana decipiamus. Revelat profunda et abscondita, et novit in tenebris constituta : *Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Psal.* L). Ecce revelatio profundorum, et alibi orat in idipsum : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* CXVIII). De absconditis alienis timebat qui dicebat : *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi* (*Psal.* XXX). Ad idipsum respicit quod alias psallit : *Linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum* (*Psal.* XIII). Nonne abscondere volebant venenum quod sub lingua portabant? Latebrosa nostra cum latere non posse credebat, qui dicebat : *Omnia autem nuda, et aperta sunt oculis Dei* (*Hebr.* IV). Salomonis sententia est quod solus ipse scit omnia, vel sciat omnia corda filiorum hominum (*Sap.* IX). Cujus sententiæ concinit, qui dicit : *Scrutans corda et renes Deus* (*Psal.* VII). Sed quid sibi voluit quod dicit, et lux cum eo est. Absque dubio Deus lux est, et in eo tenebræ non sunt ullæ. Cur ergo non dicit quod veraciter dicere potuit, quia Deus lux est, sed ait, et cum eo lux est? An forte hoc docere nos voluit, quia ubi ipse per inhabitantem gratiam manserit, necessariæ cognitionis lumen deesse non possit? Nam lumen quidem quod ipse est, prout ipsum est, in hac utique vita interim videre non possumus; sed lumen quod cum ipso est, non solum ad solatium, sed etiam ad suffragium accipere consuevimus. Quale autem hoc lumen esse dicimus, per quod quid agere, quid vitare, quid diligere, quid odio habere, quid credere vel sperare debemus agnoscimus? Qualis, quæso, est lux ista quæ novit profunda et abscondita, ipso utique revelante, ipso denique inspirante, qui dat sapientibus sapientiam, et scientiam intelligentibus disciplinam? Hucusque Daniel glorificavit Deum pro communi bono, nunc autem pro speciali beneficio sibi sociisque suis specialiter impenso. *Tibi*, inquit, *Deus patrum meorum confiteor, teque laudo, quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi, et nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.* Superius dixit, dat sapientiam sapientibus. Hic autem dicit : Quia sapientiam et fortitudinem dedisti mihi ; et item : Quia sermonem regis aperuisti nobis. Præcipuus ordo charitatis bona communia præferre privatis. Charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Qui ergo communia bona charitatis instinctu propriis anteposuit, quid mirum si prius hostiam laudis obtulit pro illis quæ plus dilexit?

Notandum autem quod tria illa, quæ Danielis officio superius assignavimus in hoc uno versu pariter notare possumus. Nota vocem confessionis et glorificationis in eo quod legis : Tibi, Deus patrum meorum, confiteor, teque laudo ; supplicationis autem preces se obtulisse ostendit in eo quod dicit : Et nunc ostendisti nobis quæ rogavimus te. In his autem tribus, ni fallor, veræ devotionis officium continetur vel expletur.

CAPUT XV.

Quomodo debeamus æquitatis regulam arctius consulere, eo maxime tempore quo oportet quodlibet sublimitatis officium explere.

Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est : Sapientes Babylonis ne perdas, introduc me in conspectu regis, et solutionem regi narrabo (*Dan.* II). Si per Danielem recte fervor devotionis, per Arioch intelligitur districtio æquitatis, quid erit aliud ad Arioch velle intrare, nisi secretioria æquitatis arcana profundius quærere, et quid districta justitia exigat, intima perscrutatione perspicere velle? Hoc autem negotium Danieli tunc recte ascribitur, quando mens humana in idipsum ex magna animi devotione urgetur. Daniel itaque ad Arioch intrat, quando æquitatis consulta devotio quærit. Est et alia adhuc intrandi ad eum causa (nec forte minus necessaria) quando ei scilicet medullitus infundere volumus, quod ex divina revelatione in ejus sensibus corrigendum agnovimus. Ibi ad eum intramus, ut ex multa investigatione, justitiæque examinatione, quid sit rectum agnoscamus ; hic ad illum ingredimur, ut rectum divinitus agnitum rectitudinis zèlo arctius imprimamus. Ibi itaque intramus causa discendi, hic causa docendi ; vel illic causa quærendi, hic causa persuadendi. Sed ingressionis causam citius advertimus, si quid dicat attendimus : Sapientes Babylonis ne perdas. Ecce quod rex turbatus fieri præcepit, Daniel divinitus illuminatus fieri prohibuit, et fit sæpe, ut quod turbati, et per impetum animi velut rectum discernimus, et quasi Arioch officio fieri posse vel debere præsumimus, postmodum ad preces et orationem conversi, et inter compunctionis nostræ lacrymas divinitus illuminati, injustum esse invenimus quod prius rectum putabamus. Sic devotio sæpe iniquum esse invenit, fierique defendit, quod violentus animi impetus quasi sub regio furore fieri decrevit : Sapientes, inquit, Babylonis ne perdas. Et addit : Introduc me in conspectu regis, et solutionem regi narrabo. Quid, quæso, hoc loco ab alio se introduci petit, qui jam superius ante regis conspectum per semetipsum intravit? Sed superius intravit, ut regi supplicaret; hic vero, ut regem doceret. Illud fuit humilitatis, istud magnæ sublimitatis. Magnæ, inquam, sublimitatis fuit illud regem docere, quod ab alio nemine poterat didicisse. Ad humilitatis ergo obsequia libenter seipsum ingessit, ad celsitudinis officia impudenter se ingerere declinavit. Exemplo discamus quid in ejusmodi facere debeamus. Cum locum magisterii sive ex præcepto, sive pro officio suspicere

Digitized by Google

oportet, prius mens ad Arioch introeat. Justitiæ consulta requirat, et ut bonum opus bene et juste exsequatur, sollicita examinatione prævideat. Fac, inquit, bene bonum. Bonum tum fit, quando opus bonum ex bona intentione surgit, et modo congruo procedit. Facile est ut ambitio vel cenodoxia ad conspicuum et præclarum nos opus impellat. Facile est ut fermentum Pharisæorum, totam boni operis nostri massam corrumpat. Nullo modo ab Arioch introducimur, quando ad opus bonum sinistra intentione impellimur. Quoties igitur docendi locum suscipimus, prævideamus quam juste, quam ordinate susceptum officium expleamus. Videamus ne aliquid falsum vel frivolum, ne aliquid ineptum vel inordinatum dicamus. Hanc, ni fallor, discendi vel docendi regulam custodit, cui illud Psalmistæ convenire potuit: *Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio* (*Psal.* CXI). Et forte hoc erit Arioch exterius consulere, contra sermonis vel operis vitia nos ipsos rectitudinis consiliis præmunire. Tunc autem quasi intrinsecus consulitur, quando de interioribus quæritur, et contra cogitationum vel afflictionum corruptelam, justitiæ institutis anima præmunitur. Maxime eo tempore debemus ad Arioch intrare, et ejus manuductionem quærere, et nihil sine justitiæ præmeditatione vel munitione agere; maxime, inquam, eo tempore ubi debemus celsitudinis loco apparere, vel sublimitatis officium explere. Introduc me, inquit, in conspectu regis, et solutionem regi narrabo. Tunc autem Daniel noster veraciter dicti Arioch manuductione utitur, quando ex recordatione divinæ districtionis, veræque justitiæ consideratione animus compungitur. Et tunc quasi ante regiam præsentiam ab ejusmodi duce introducitur, quando sub quovis animi impetu, et quasi sub regiæ potestatis præsentia, per districti examinis respectum cor hominis ad devotionem facile inflammatur.

CAPUT XVI.

Quibus gradibus mysteriorum cognitio proficit, et ad quantam scientiæ perfectionem animus sæpe merito devotionis ascendit.

Et solutionem, inquit, regi narrabo. Quæ est ista mysticæ visionis solutio, nisi sacramentorum mysteriorumque divinorum facilis enodatio, et prompta explicatio? Si autem per regem recte liberi arbitrii potestatem oportet intelligere, quid aliud erit ejusmodi solutionem ad regiam notitiam pervenire, quam mysteriorum divinorum rationem palam et in promptu habere? Si igitur liberum, et promptum, et in potestate nostra habemus occultorum enodationem in commune proferre cum volumus, jam mysteriorum divinorum scientiam, et enodationem in nostro arbitrio esse, et quasi ad regiam potestatem jam pervenisse non dubitamus. Hæc autem tanta scientiæ vel doctrinæ dilatatio Danieli tunc recte ascribitur, quando ejusmodi gratia merito devotionis acquiritur et possidetur. Videamus ergo quibus promotionis gradibus divinorum cognitio dilatatur. Primo omnium Daniel mysticæ visionis notitiam ex divina revelatione accepit. Postea etiam ejus utique sociis res eadem innotuit, tandem autem ejusdem rei scientia usque ad regis notitiam pervenit. De primo dicitur: *Tunc Danieli per visionem nocte mysterium revelatum est.* Postmodum autem tam pro se, quam pro sociis suis Daniel profitetur: *Quia sermonem*, inquit, *regis aperuisti nobis.* Et nunc de propalanda regi ejusdem rei notitia idem ipse pollicetur. Introduc me in conspectum regis, et solutionem regi narrabo. Et ut breviter absolvam quid super his sentiam, alii in sua oratione, alii in sua meditatione, alii autem in ipsa sua sæpe locutione, revelationem divinam accipiunt, et sublimia quælibet atque profunda ex divina inspiratione cognoscunt. Verumtamen non solum illud quod orando, sed et illud etiam quod meditando vel loquendo subtiliter penetramus, tunc etiam recte Danieli attribuimus, quando horum quodlibet merito devotionis acquirimus. Quidam itaque sunt qui nunquam nisi post intimam compunctionem, et quasi post cordis emundationem ad sublimia contemplanda vel penetranda ascendere possunt, qualium personam Job in seipso expressit, cum dicit: *Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantes aquæ sic rugitus meus* (*Job.* III). Antequam comedat suspirare habet necesse, qui nisi per compunctionis gratiam, et post lacrymarum effusionem, ad intimam animæ refectionem, veritatisque pabula nullo modo potest pertingere. Alii in suis meditationibus divinis revelationibus copiose affluunt, et forte adhuc tales sunt, qui sine præmeditatione, vel subtilia penetrare, vel subtiliter disserere omnino non possunt. Priores itaque illi suis orationibus, isti autem suis meditationibus ignem sibi divinæ revelationis accendunt: *Et in meditatione mea exardescet ignis*, ait Psalmista (*Psal.* XXXVIII). Ignis in meditatione exardescit, quando animus et propriis investigationibus ad divinæ revelationis lucem, arcanorumque manifestationem proficit. Ignis in meditatione exardescit, quando ex propria inquisitione ad veritatis cognitionem, et amorem animus incandescit. Quosdam autem constat ad tantam eruditionem profecisse, ut possint omni hora de subtilibus quibusque subtiliter disserere, et ad quælibet interrogata (sine præmeditatione aliqua) pene semper sufficienter respondere, parati semper, quemadmodum scriptum est, ad satisfactionem omni poscenti rationem et ea quæ in nobis est fide, et spe (*I Petr.* III). Quidam autem ex eis qui ejusmodi sunt divinæ revelationis, lucem tam familiarem habent, ut multa eis etiam inter loquendum revelentur, ex illis quæ ipsi prius ignorabant. Quandiu igitur per solam cordis compunctionem divinam revelationem animus obtinet, quasi solus Daniel usque adhuc mysteriorum notitiam habet. Quando autem meditationibus nostris tam divina revelatio occurrit, jam mysticæ visionis agnitio usque ad Danielis socios pervenit. Cum autem jam cœperit mens illustrantem gratiam tam familiarem, et quasi ad manum habere, ut

Digitized by Google

pro arbitrio et voluntate possit, cum placuerit, ad quælibet discutienda, astruenda, defendenda sub omni pene hora sufficere, jam occultorum enodatio incipit se usque ad regiam notitiam dilatare. Nonne regio quodam jure in facultate profundiorum scientia, vel eruditio possidetur, quando pro voluntatis arbitrio de quibuslibet mysticis et profundis, facile et absque ulla difficultate disseritur? Ecce ad quantam scientiæ perfectionem sæpe animus merito devotionis perducitur, ecce qualis fructus sæpe veram devotionem sequitur. Hunc devotionis suæ fructum provida mens antequam obtineat sæpe et prudenter prævidet, et fidenter exspectat. Unde fit maxime, ut devotionis studiis vehementius incumbat. Solutionem, inquit, regi narrabo. Et additur : *Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, et dixit ei : Inveni hominem de filiis transmigrationis Judæ qui solutionem regi significet.* Ecce, ut audis, accepta promissione solutionis illius quam rex multum desideravit, Danielem Arioch ad regem introduxit. Ut superius dictum est, Daniel ad Arioch manuducitur, quando ex conspectu districtæ æquitatis fervor devotionis inflammatur. Multis autem modis atque respectibus humanus compungitur animus. Optimus autem pene modus compunctionis qui surgit ex consideratione districti examinis. Daniel itaque non a quovis, sed quasi ab Arioch tunc introducitur, quando ex consideratione veræ justitiæ minus servatæ, animus intime compungitur. Ad regem introducitur, et quasi regiæ potestati assistitur, quando vera devotio ex virtute possidetur, et ea animus pro arbitrio utitur. Festine introducitur, quando facile, et absque mora cum oportuerit, ad cordis contritionem animus emollitur. Studeat ergo ejusmodi facultatem, seu facilitatem compunctionis et devotionis habere, qui ad eam quam superius assignavimus scientiæ dilatationem cupit attingere. Prius est enim ut Daniel per Arioch, et cum festinatione introeat, quam regi sermo desideratus innotescat.

CAPUT XVII.

Quod ille summum devotionis culmen attingit, qui quidquid sibi molestiæ etiam præter meritum accidit, suis meritis ascribit.

Inveni, inquit Arioch, hominem de filiis transmigrationis Judæ, qui solutionem regi annuntiet. Ab Arioch invenitur, quod æquitatis judicio justum et rectum esse deprehenditur. Invenit itaque Arioch Danielem idoneum, et dignum qui tantam acciperet gratiam, qui mysteriorum revelationem divinitus perciperet, qui solutionem regi annuntiaret. Et forte quod de filiis transmigrationis Judæ fuit, quam longam captivitatem patienter sustinuit, Danielis meritum in idipsum adjuvit, et eum ad tantæ gratiæ susceptionem aptiorem exhibuit. Iste Daniel utique de Jerusalem in Babylonem captivatus fuerat, et fortassis nihil tale commiserat unde ejusmodi captivitatem incurreret, nisi eum communis casus involveret, et aliena malitia injuste opprimeret. Nihilominus tamen meritis suis ascribebat captivitatem quam sine culpa sustinebat. *Peccavimus*, inquit, *iniquitatem fecimus, impie egimus, et recessimus, et declinavimus a mandatis tuis ac judiciis* (*Dan.* IX). Recte ergo de filiis transmigrationis Judæ dicitur, qui etiam inter immeritæ oppressionis flagella Domino humiliter confitetur. Nam et Judas *confitens* interpretatur. Vide ergo quam recte divinitus glorificari meruit qui divinam gloriam (non propriam) in tanta, et tali afflictione vivendo, et confitendo quæsivit. Quam multi non tam propria culpa, quam aliena malitia notam suspicionis incurrunt, et quasi de Hierusalem ad Babylonem, et veluti de loco pacis et quietis ad locum confusionis et captivitatis transeunt. Hierusalem namque *visio pacis*, Babylon *confusio* interpretatur. Quid itaque est de Jerusalem in Babylonem injuste captivum transire, nisi sub sinistra, sed tamen falsa, suspicione laborare? Pravorum est semper bonorum vitam lacerare, et cum vera non possunt, falsa tamen criminatione impetere, et cum ad operum infamationem deficiunt, simplicem illum intentionis eorum oculum nota, si possunt, sinistræ suspicionis obducunt. Velut igitur in modum Danielis mens justi sub injusta captivitate apud Babylonem tenetur, quando falsa suspicione laborans, injustæ confusionis opprobrio tam impudenter quam irreverenter affligitur. Nonne sub Babylonica, ut sic dicam, afflictione gemebat, qui dicebat : *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me* (*Psal.* XLIII). Cogita tamen illam confusionis suæ captivitatem quam tunc sustinuit, quam sine culpa tunc temporis portavit, qui secura conscientia dicere potuit : *Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo* (*ibid.*). Sed cum inter instantia flagella præsentem in nobis culpam minime deprehendimus, nec tunc quidem securi esse debemus. Ad hoc nos suo exemplo erudivit, qui ait : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum* (*I Cor.* IV). Sæpe etenim pro præcedenti, sæpe pro præsenti, sed latenti, culpa percutimur, et pro tali quidem quam omnino nullam, vel forte satisfactione deletam credebamus. Et quidem, quod omnino fatendum est, non semper ad correptionem, seu ad purgationem percutimur. Sed modo ad eruditionem, modo ad probationem, seu alio quolibet modo flagellamur. Sed veræ et perfectæ devotionis est pœnam quam patitur suis semper meritis ascribere, et culpam quam in se minime deprehendit, ex occulto timere. Ille itaque devotionis fervor quasi summum perfectionis culmen jam attigit, qui quodlibet injustum confusionis opprobrium, et quidquid sibi etiam præter meritum accidit, suis meritis ascribit, qui in omni afflictione sua Dominum glorificat, et semetipsum in omnibus sine simultate accusat. Quam recte ille devotionis fervor inter filios transmigrationis Judæ deputatur, qui inter quælibet injustæ exprobrationis ignominiosa semper Domino humiliter confitetur. Sæpe autem qui ejusmodi sunt qui divinam præ cæteris gloriam quærunt, qui se-

Digitized by Google

ipsos inglorios vident, et videri non refugiunt, supra cæteros gratiam divinitus percipiunt. Inveni, inquit, hominem de filiis transmigrationis, qui solutionem regi annuntiet.

CAPUT XVIII.

Quod de virtute devotionis sæpe minus præsumimus quam debeamus, et quod aliud est munus mysticæ intelligentiæ, et aliud munus mysticæ doctrinæ.

Respondit rex, et dixit Danieli, cujus nomen erat Balthasar : Putasne vere potes indicare mihi somnium, quod vidi, et interpretationem ejus? Regem Danieli respondere, suamque diffidentiam ostendere, nihil aliud est quam ejusmodi animi vitium, veram devotionem non posse latere. Sæpe enim vitia quædam quæ allo tempore non possumus, compunctionis nostræ hora, et inter devotionis nostræ lacrymas facile deprehendimus. Perfecta siquidem devotio omnia discutit, omnia dijudicat. Spiritualis enim dijudicat omnia, et ipse a nemine judicatur.

Notandum sane quod Daniel dum profunda et mystica requirit, cum sublimia et subtilia pollicetur, Balthasar appellatur, quod *capillus capitis* interpretatur. Est autem capillus capitis, ut nostis, longus admodum atque subtilis. Quid itaque capillus capitis, nisi subtilis profunditas, et profunda subtilitas mentis? Et perfecta devotio profecto mentem et ad profunditatem illuminat, et ad omnem subtilitatem exacuit. Est autem et capillus capitis ornatus, et mens utique hominis ex vera devotione in quantum a vitiis purgatur, in quantum ad veritatem illuminatur, in quantum ad virtutem inflammatur, in tantum procul dubio decoratur, vel ornatur. Nota ergo quod et ille de Balthasar promissione diffidit, qui ei tale nomen imposuit. Nam a rege utique ejusmodi nomen accepit. Et fit quidem ut mens ad miram subtilitatem ex multa devotione exacui se sentiat atque intelligat, et tamen sub tempore necessitatis minus quam valeat, vel debeat de virtute devotionis præsumat. Putasne vere, inquit, potes indicare mihi somnium quod vidi, et interpretationem ejus? Et Daniel superius : Introduc me in conspectu regis et solutionem regi narrabo. Ecce unde Daniel præsumit, fideuterque promittit, regia sollicitudo diffidit. Totum hoc sæpe apud unum eumdemque animum agitur, et pene quot affectibus tangitur, tot sententiis variatur. Unam eamdemque rem modo sperat, modo desperat, et secundum varios effectus sive respectus, sententias suæ æstimationis alternat. Sed ista alternantium vicissitudinum fluctuatio, tandem utili exitu optimoque fine concluditur, quando quod de humana industria desperatur, tandem aliquando devotionis magisterio totum de gratia divina præsumitur. Quid enim est responsio Danielis, nisi magisterium veræ devotionis? *Et respondens Daniel coram rege ait : Mysterium quod rex interrogat sapientes, magi, et arioli, et aruspices nequeunt indicare regi. Sed est Deus in cœlis revelans mysteria, qui indicavit tibi Nabuchodonosor quæ ventura sunt novissimis temporibus.* Sed quia Daniel mysticam jam visionem agnoverat quam adhuc regia sollicitudo quærebat, cupit sibi quis fortassis apertius ostendi quomodo una, eademque res ab eodem animo possit juxta aliquid sciri, et juxta aliquid nesciri. Sed aliud est mysteriorum profunda per solam intelligentiam capere, aliud est autem quoties volueris facile explicare, et explanare posse. Vide quam rari sunt qui mystica Scripturarum sine aliena opera et expositione penetrare valeant, multo tamen pauciores qui earum explanationem verbo, vel scripto ad aliorum notitiam propalare queant. Perpendis ergo, ut arbitror, quia aliud est munus mysticæ intelligentiæ, atque aliud est munus mysticæ doctrinæ. Alii in uno, alii in alio præpollent, alii autem in utroque eminent. Si super hoc Moysi dicta consulimus, ipsum sapientia, fratremque ejus eloquentia præeminere cognoscimus. Si ad David respicimus, in uno utrumque invenire poterimus : *Incerta, et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* (*Psal.* L). Ecce de uno. Itemque pro alio : *Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio* (*Psal.* LXXVII). Quidam autem jam primum perceperunt, et de secundo quidem penitus diffidunt. Mysticam jam visionem Jeremias cognoverat, qui super hoc ipsum interrogatus, dicebat : *Virgam vigilantem ego video;* et item : *Ollam succensam ego video, et faciem ejus à facie aquilonis* (*Jer.* I). Ecce jam audis de uno munere profitentem, audi eumdem de alio adhuc diffidentem : *A, a, a, Domine, nescio loqui.* Ejusmodi sane diffidentia exprimitur, cum cognoscenti visionem jam dicitur. Putasne vere potes indicare mihi somnium quod vidi? Talis diffidentia redarguitur, et unde ejusmodi gratia desperari, vel sperari debeat ostenditur, cum dicitur : Mysterium quod rex interrogat sapientes, magi, et arioli, et aruspices nequeunt indicare regi. Sed est Deus in cœlis revelans mysteria. Docet itaque nos in his verbis Daniel noster, ea quæ supra hominem sunt, et humanum sensum excedunt, de humana industria penitus desperare, et de sola Domini revelatione exspectare. Quod autem dicit ostensa sibi quæ futura sunt novissimis temporibus, ad illud procul dubio respicere videtur quod in fine visionis post cætera adjungitur : Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram. Quam sint magna, quamve profunda, et quanta veneratione digna ea quæ visio ista juxta allegoricum, imo pene juxta historicum sensum loquitur, nemo Scripturarum sanctarum peritus ignorare permittitur. Sed sic ista ad nostram seu aliorum ædificationem juxta moralem sensum discutimus, ut de tanti mysterii auctoritate juxta sacratiorem intelligentiam, nihil minuere vel attenuare præsumamus. Illud itaque stupendum, et multa admiratione dignum occurrit, quomodo contemplationis oculis tam late pateat, qui divinæ revelationis cooperatione se usque ad ea quæ in novissimo fiunt perlustranda di-

Digitized by Google

latat. Qui indicavit tibi, rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt novissimis temporibus, non ait quæ ventura sunt tibi, sed quæ ventura sunt novissimis temporibus.

Quærendum itaque est, ne forte aliquid in his verbis lateat quod non uni alicui tantum, sed pluribus, seu etiam præfectis pene omnibus juxta aliquid convenire queat. Neque enim alibi quam apud electos regnum cœlorum suscitatur. Regnum quod secundum Danielis sententiam in æternum non dissipatur, regnum quod intra nos esse dicitur: *Regnum, inquit Dominus, cœlorum intra vos est* (*Luc.* XVII). Hoc profecto regnum in electis suis Dominus in novissimis eorum suscitat, qualicunque modo eos in primordiis suis per varia tentamenta fluctuare permittat.

CAPUT XIX.

Quod amissam contemplationis gratiam, melius devotione, quam investigatione recuperamus, et quod id quoque gratis obtinemus quod merito devotionis acquirimus.

Sed ecce jam Daniel ad visionis narrationem vel expositionem accedit, cum adjungit : *Somnium tuum, et visiones capitis tui in cubili tuo, hujuscemodi sunt* (*Dan.* II). Quia per somnium sopitur sensus corporeus, recte per illum mentis excessum intelligimus, et per somnium, ea quæ per mentis excessum videmus. Caput est summum et præcipuum membrum corporis, et mens est principale hominis interioris. Visiones itaque capitis sunt contemplationes mentis. In cubili autem quiescere consuevimus, et idcirco in ipso quietis otium recte intelligimus. In hoc cubili quasi ad quiescendum interior homo noster locatur, quando animus ad summam tranquillitatem componitur. In hoc cubili tunc quodammodo somnium videtur, quando inter intimæ quietis suæ, summæque tranquillitatis otia mens ad sublimia contemplanda sublevatur. Somnium, inquit, tuum et visiones capitis tui hujuscemodi sunt. Nihil aliud est Danielem nostrum ista dicere, amissumque somnium retractare, regemque docere, quam devotam mentem sæpe post amissam contemplationis gratiam, qualis in ea aliquando fuerit, ad memoriam revocare, et per multam compunctionis instantiam iterum eam reparare, firmiusque tandem atque perfectius possidere. Firmius namque atque perfectius rex per Danielis officium visionem suam cognovit, quam prius per semetipsum accepit. Ad hoc namque sæpe ejusmodi gratia quibusdam in suis primordiis datur, atque subtrahitur, ut per experientiam agnoscant quid cum quanta aviditate expetere debeant. Ad hoc iterum (nec tamen sine magno labore) datur recuperari, ut ex eo melius innotescat, quam stricte oporteat custodiri. Sed ut ad sequentia transeamus, ecce Daniel antequam visionem explicet, duo quidem præmittere studet, quomodo videlicet eam rex prius obtinuerit, vel ad eam postmodum ipse Daniel recuperare possit. Et de primo quidem : *Tu rex*, inquit, *cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset futurum post te. Et qui revelat mysteria ostendit tibi quæ ventura sunt.* Ac si aperte dicat : Quia de futuris studiose quæsisti, futurorum revelationem accipere meruisti. De secundo quoque adjungit : *Mihi* autem *quoque non in sapientia quæ est in me plus quam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est, sed ut interpretatio regi manifesta fieret, et cogitationes mentis tuæ scires.* Ac si regi apertius dicat : Mihi quoque ipsum est revelatum, non per sensum proprium, non ob meritum meum, sed ad profectum tuum. Palam autem omnibus puto hoc ipsum, quantum juxta historiam placeat, quod aliud quidem quod precibus obtinuerat industriæ, vel meritis suis nullo modo ascribat. Tu rex, inquit, cœpisti. Et tu cogita, et excogita, si vales, quantum futurorum cogitatio apud Deum valeat, quæ futurorum revelatione divinitus remunerari soleat. Audi hominem de futuris sollicitum, et in ejusmodi cogitationibus vehementer occupatum : *Nunquid in æternum projiciet Deus, et non apponet ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet a generatione in generationem?* (*Psal.* LXXVI.) Audi eumdem de ejusmodi edoctum, et de his quæ quæsierat profunde illuminatum : *Miserator, et misericors Dominus, longanimis, et multum misericors, non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur* (*Psal.* CII). Forte tunc futurorum revelationem amiserat, et amisisse dolebat, cum diceret : *Jam non est propheta, et nos non cognoscet amplius* (*Psal.* LXXIII). Et item : *Et lumen oculorum, et ipsum non est mecum* (*Psal.* XXXVII). Ad pristinam, ni fallor, gratiam aspirabat, qui dicebat : *Quis mihi det, ut sim juxta dies pristinos?* (*Job.* XXIX.) Solitam mysteriorum revelationem repetebat, qui a Domino postulabat : *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* CXVIII). Tu quoque qui hæc audis, vel legis, si ab ejusmodi gratia excidisse te sentis, attende diligenter quid tecum tacitus agis, cogita quibus cogitationibus vehementer occuparis. Si sola vana, sola instantia meditaris, quid mirum si profundorum, si futurorum revelatione fraudaris? In initio conversionis tuæ, quando sola æterna, sola spiritualia et futura cogitasti, quando sola sublimia suspirasti, quid mirum si secundum desiderium tuum consolari meruisti? Desiderium pauperum exaudivit Dominus. Desisti jam ad Domini pedes sedere et quiescere, ad similitudinem Mariæ. Turbaris jam erga plurima, ad similitudinem Marthæ. Memento ergo unde excideris, et age pœnitentiam, et priora opera fac. Si pristinam illam gratiam cupis reformare, si visiones capitis tui in cubili tuo quæris recuperare, recurre ad Danielem, renova devotionem. Ad cordis sane renovationem, ad amissæ gratiæ reformationem melius proficis, citius promoveris intima devotione quam profunda investigatione, nisi forte investigatio tua sit circa detrimenta tua, detrimentorumque remedia. Consonat in hæc verba Danielis illa sententia. Mihi quoque non in sapien-

Digitized by Google

tia quæ est in me plus quam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est. Certe omne verbum sapientiæ, et intellectus sciscitans rex, decuplum super omnes ariolos, et magos in Daniele invenit. Verumtamen vir tantæ sapientiæ, non tam investigatione, quam prece, quod quæsivit obtinuit. Nemo ergo quærat per humanam sapientiam ea quæ sunt supra humanam intelligentiam. Ad profundiorem fortassis intelligentiam nos vocat, quod nec illud sibi Daniel ascribat quod merito devotionis obtinuerat. Sed ut interpretatio, inquit, regi manifesta fieret. Forte et illud gratis obtinetur, quod merito devotionis acquiritur. Nam et ipsam devotionem quidem non a nobis habemus, sed ex munere largientis accipimus : *Quid enim habes*, inquit Apostolus, *quod non accepisti ?* (*I Cor.* IV). Ergo et devotione, et gratia quidem : *Gratis*, inquit, *accepistis, gratis date* (*Matth.* X). Si igitur devotione gratis accipimus, gratuitum est et id quod ejus merito obtinemus. Quando gratia pro gratia impenditur, sicut primum, ita et secundum munus gratis obtinetur. Non ergo dona Dei percipimus, quia meruimus, sed ut ex eis proficere, vel prodesse possimus. Et veritatis quidem intelligentiam accipimus ad profectum nostrum ; veritatis autem doctrinam ad profectum aliorum. Ex utraque autem liberum arbitrium ad bonum adjuvatur, et ad boni cooperationem utraque illi divinitus impenditur. Per regem vero, ut diximus, arbitrii libertatem accipimus. Danieli itaque perplexorum interpretatio, divinorum judiciorum ratio, quasi ad hoc datur, ut regi manifestetur, quando ad hoc devotio ad veritatem illuminatur, ut liberum arbitrium habeat, et agnoscat in quo se exercere, quid cavere, quid eligere debeat.

CAPUT XX.

Compendiosa recapitulatio prædictorum cum similitudinis attestatione.

Juvat hoc loco in considerationem adducere quomodo ista lectio, et evangelica videantur sibi mystica locutione concinere. Refert Lucas evangelista quomodo voluerit Dominus itinerantibus discipulis præsentiam suam in peregrina specie exhibere, et postmodum subtrahere, sed cum rogantibus manere, ad compellentes intrare, et tandem aliquando inter epulas speciem quam recognoscerent ostendere (*Luc*, XXIV). Quid itaque est Christum, hoc est Dei sapientiam, in peregrina specie præsentem habere, nisi veritatem non in sua simplicitate, sed per speculum, vel ænigmate videre? Extra domum autem et quasi in itinere hæc visio ostenditur, quando sublimium contemplatio per mentis excessum et velut in transitu videtur. Quasi duo exeuntes sunt, qui et ambulantes ejusmodi conspiciunt, quando ratio, et intelligentia humanum modum excedentes furtim quidem, et raptim sublimium spectacula percurrunt. Tunc autem Dominus longius se ire fingit, nec tamen penitus recedit, quando contemplationis gratiam quam misericorditer impendere consuevit, non minus utiliter ad tempus subtrahit, ut melius per experientiam doceat cum quanta aviditate requiri, vel retineri debeat. Manere autem, et ad eos intrare compellitur, quando multa precum instantia amissa gratia reparatur, ut visionem exterius oblatam introrsum trahat, et per excessum visa, animus ad se ipsum reversus memoriter retineat, et ad contemplationis gratiam de cætero familiarius possideat. Cibos quales Dominus amat, et delectari solet, apponimus, quando eum pro recuperatione vel accumulatione gratiæ in voce exsultationis et confessionis laudamus, honoramus, magnificamus : *In voce*, inquit, *exsultationis, et confessionis sonus epulantis* (*Psal.* XLI). Inter hos sæpe exsultationis et confessionis nostræ hymnos sinus mentis dilatatur, sensus acuitur, et ad mystica penetranda, et usque ad Divinitatis arcana sæpe rimanda, intelligentia illuminatur : *Sacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me, et illic iter quo ostendam salutare Dei* (*Psal.* XLIX). Panis coram nobis procul dubio a Domino frangitur, quando mysteriorum profunditas mystica interpretatione aperitur, ipsoque revelante cognoscitur. Ex hac panis fractione, mysteriorumque revelatione agitur, ut Dominus in propria specie recognoscatur, et ipsa Veritas (utpote figurarum velamine amoto) in sua simplicitate perspiciatur, Dominique præsentia ex gratiæ ipsius infusione perpendatur. Dominus autem (qui et Dei sapientia) ab oculis intuentium evanescit, quando ex contemplatione et admiratione divinæ sapientiæ contemplantis et admirantis animo innotescit, quantum ejus incomprehensibilitas omnem humanam intelligentiam excedit : *O altitudo*, inquit, *divitiarum, sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI). Humanus siquidem animus, quanto subtilius ad Dei sapientiam contemplandam illuminatur, tanto validius in semetipsum luminis illius immensitate reverberatur, quod est ab intuentis oculis evanescere, et seipsam quasi ostendendo subducere. Ex his itaque licet perpendere, quanta similitudinis proportione hæc gemina lectio videatur sibi respondere. Quod enim Dominus se in peregrina specie ostendit, hoc est, quod Nabuchodonosor veritatis revelationem sub mystico velamine accepit. Quod ibi Dominus longius iter se finxit, hoc est, quod visio regi ostensa ad modicum, se ab ejus memoria elongavit. Quod ibi qui apparuerat remanere, et intrare compellitur, hoc est, quod hic elongata visio multa instantia quæritur, et tandem Danielis sollicitudine multo profundius, multo perfectius percipitur vel retinetur. Quod ille qui illic apparuerat, tandem aliquando manifesta visione cognoscitur, hoc est, quod hoc in loco ablatæ visionis obnubilata veritas prophetica demum interpretatione manifestatur. In his, et aliis quibusdam hanc geminam lectionem sibi invicem concinere

Digitized by Google

videbit, si quis est, qui hæc altius perscrutari velit. Habet tamen illa lectio sua quædam propria, et ista de quibus non est modo dicendum per singula. His itaque per excessum excussis, et pro similitudinis attestatione collatis, ad visionis explicationem, seu explanationem redeamus.

CAPUT XXI.

Quomodo oporteat unumquemque a præsumptionis suæ altitudine detumescere, qui cupit in vera stabilitate quandoque fixus manere.

Tu rex videbas, et ecce quasi statua una grandis statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te, et intuitus ejus erat terribilis. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat. Pectus autem et brachia de argento. Porro venter et femora ex ære, tibiæ autem ferreæ. Pedum quædam pars erat ferrea, quædam fictilis. Videbas ita, donec abscisus est lapis sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est eis. Lapis autem qui percussit statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram. Hoc est somnium (*Dan.* II). Ecce, ut videre potes, imago illa, quæ per visionem cernitur, varia permutatione semper in deteriora ducitur, et quæ in somno a pretiosissima materia incipit, per multiplicia detrimenta decurrens, tandem in vilissimam materiam desinit. Quod enim inchoatur ex auro, ad ultimum consummatur in luto. Ut igitur breviter perstringam quid super his, juxta generalem quamdam considerationem, sentiam, unumquemque oportere puto, juxta propositam ostensæ visionis formam, apud semetipsum a propria æstimatione decrescere, et a sui confidentia magis magisque deficere, præsumptionemque temperare, si regnum cœlorum intus apud semetipsum optat ædificari, et illud utique regnum, quod nunquam possit finiri. Omnis homo naturaliter seipsum amat, et approbat, et sane in quantum diligit, in tantum et magni pendit. Semper autem ex magnitudine dilectionis, pendet mensura æstimationis, quia modus dilectionis est sine modo, sine mensura est æstimationis suæ magnitudo. O quam rarum ut homo inveniri possit, qui contra Apostoli sententiam non se putet aliquid esse, cum nihil sit! Sed nunquid saltem aliquid parvum? Imo vere magnum, et valde magnum supra modum, et, ut figurate loquar, pene plusquam aureum, cum veraciter sit vile lutum, utquid superbis terra et cinis? *Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera cœli posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus* (*Abd.* IV). Oportet itaque eum qui adhuc apud se in immensum tumet, ab enormi illa æstimationis propriæ altitudine detumescere, et ad veræ humiliationis ima gradatim descendere, et tandem aliquando seipsum velut nihilum et inane reputare velut vile lutum despiciendo calcare, et quasi favillam et cinerem omni hora aspicere, si illud æternæ stabilitatis regnum cupit in scipso consurgere. Concinit in hanc sententiam cui non erat similis super terram : *Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri* (*Job* XXX). Vultis autem adhuc apertius audire quam omnino ab omni confidentia sui dejectus fuit ille qui inter omnes orientales magnus apparuit? *Desperavi*, inquit, *nequaquam ultra jam vivam* (*Job* VII). Desperasse se dicit, sed dubitas forte de quo, de Domino an de seipso? Audi ergo quid alibi dicat, et agnosce quam fortiter in Domini confidentia fixus manebat : *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo* (*Job* XIII). Sperabat itaque, sed de Domino. Desperabat nihilominus, sed de seipso. O quanta perversitas de seipso præsumere, et de Domini pietate desperare! Si multum de tua virtute confidis, ibi te in altum erigis, et quasi ad instar montis intumescis, ubi te submittere, et velut vallem facere debuisses. Bonum est ergo dicere huic monti tollere, et mittere in mari. Propter ejusmodi montes conturbabitur terra, et transferentur montes in cor maris. Econtra si de Domini protectione diffidis, ibi procul dubio satis prave atque perverse vallem efficis, ubi collem, imo montem, et montem excelsum valde habere debueras. Ut igitur sint prava in directa, et aspera in vias planas, ejusmodi omnis vallis implebitur, omnis mons et collis humiliabitur, et tunc temporis elevabitur mons domus Domini supra verticem montium. O quanta mentis altitudo! o quanta fortitudo vel firmitas in sola Domini pietate confidere, et in ejusmodi confidentia fixum manere! Hic est ille mons qui post statuæ dejectionem propriæque confidentiæ extenuationem vel exterminationem ex modico in immensum crescit, ut in æternum moveri non possit : *Qui confidit*, inquit, *in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem* (*Psal.* CXXIV). Hic est mons quem oportet universam terræ superficiem implere, ita ut nihil audeat homo de sua industria, nihil omnino nisi de Domini virtute præsumere. Puto, quia non potest abscondi civitas supra hunc montem sita. Si mihi credis, ædificabis tibi in hoc monte structuram illam, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum, ut sit firmamentum in terra in summis montium. In hoc sane eminenti metropolim, et sedem imperii habere debet regnum charitatis, et regni ejus non erit finis. Regnum siquidem charitatis, ni fallor, est illud regnum secundum Danielis sententiam quod in æternum non dissipabitur. Ecce quid tibi statuæ hujus erectio, vel dejectio proponat, ecce qualia, vel quanta tibi per similitudinem repræsentat.

CAPUT XXII.

De modo conditionis, vel corruptibilitatis humanæ, et quod in quolibet virtutum culmine ovorteat morum ruinam timere.

Quid est statua, nisi effigies humana? Quid itaque est statuam, hoc est similitudinem humanam per visionem cernere, nisi humanæ vitæ modum, vel ordinem, quasi per speculum, et in ænigmate

Digitized by Google

oculo contemplationis aspicere? *Tu rex*, inquit, *videbas, et ecce quasi statua una grandis* (*Dan.* II). Si modum vel qualitatem humanæ vitæ perscrutari velis, si ad dignitatem conditionis, si ad facilitatem reparationis, ad quodlibet horum te verteris, videbis te in singulis deficere, et nihil horum ad plenum posse comprehendere. Vide ergo in intuentis oculis quam grande est, quod ab ipsius aspectu omnino comprehendi non potest: *Statua*, inquit, *illa magna, et statura sublimis, stabat contra te, et intuitus ejus erat terribilis.* Bene autem postquam magnam dixit, et sublimem forte adjungit. Siquidem aliud est esse magnum, et aliud est esse altum. Nam et ager magnus dicitur, qui tamen nulla altitudine attollitur. Sic sane quædam pene incomprehensibilia sunt, quæ tamen multa investigatione, vel admiratione digna non sunt. Sed quod hanc statuam grandem, sublimem, terribilem audivimus, ad triplicem considerationem recte accommodare possumus. Humanæ siquidem vitæ conditio, quæ in hac statua figuratur, quamvis unumquodque secundum aliquid in singulis invenitur, specialius tamen, et expressius, ex uno grandis, ex altero sublimis, et ex alio invenitur terribilis. Una itaque humanæ conditionis consideratio et immanis est, ex ea parte qua subjacet corruptioni; et sublimis est ex ea parte qua reservatur reparationi; et terribilis ex ea parte qua patet perditioni. Vultis audire quanta immanitas corruptionis? *Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Hierusalem; cui exæquabo te, et consolabor te, virgo filia Sion? Magna velut mare contritio tua. Quis medebitur tui?* (*Thren.* II). Vultis agnoscere quanta sit sublimitas reparationis? *Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos prædestinavit, hos et vocavit, et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et magnificavit* (*Rom.* VIII). Vultis et illud nosse quantus sit terror divinæ percussionis? *Quis*, inquit, *novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* (*Psal.* LXXXIX). Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent. Attende ergo magnitudinem statuæ nostræ in consideratione culpæ; altitudinem, in consideratione gratiæ; terrorem, in consideratione pœnæ. Quære culpæ magnitudinem, et secundum culpam originalem, et secundum culpam actualem. Et pro culpa originali audi quid de homine dicitur homini: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Et de culpa actuali, accipe vocem improperii: *In omni colle sublimi, et sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix* (*Jer.* II). Unde est quod ei dicitur: Leva in circuitu oculos tuos, et vide ubi nunc prostrata sis meretrix. O vere gratiæ altitudinem, tam secundum gratiam justificantem quam secundum gratiam confirmantem, quam secundum gratiam glorificantem! Metire si vales sublimitatis celsitudinem, secundum gratiam justificantem: *Nam quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras* (*Psal.* CII). Suscipe et eminentiæ altitudinem, secundum gratiam confirmantem. Quoniam secundum altitudinem cœli terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Æstima, si potes, dignitatis sublimitatem, secundum gratiam glorificantem: *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Si autem filii, et hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* XIV). O statuæ nostræ aspectum vere terribilem, secundum pœnæ addictionem; terribilem, secundum judicium corruptionis; terribilem, secundum judicium reprobationis; terribilem, secundum judicium damnationis! O aspectum terroris, secundum judicium corruptionis! Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei. O aspectum plenum horroris secundum judicium reprobationis! *Et sicut non probaverunt*, inquit Apostolus, *Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia* (*Rom.* I). O aspectum plenum terroris, plenum horroris, secundum judicium damnationis! Terribilis enim, secundum eumdem Apostolum, quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio quæ consumptura est adversarios. Ignis enim eorum non exstinguetur, et vermis eorum non morietur. Eorum utique qui ducunt in bono dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Ex his omnibus, ut arbitror, perpendis quam sit horrendum incidere in manus Dei viventis. Quid his terribilius dici, quid his horribilius potest excogitari? Et intuitus, inquit, ejus erat terribilis. Quod autem de statua dicitur, stabat contra te, non multa eget expositione. Tunc procul dubio contra unum quemlibet hujusmodi statua erigitur, quando speculantis animi fœditas, infirmitas, calamitas oculis ejus ingeritur, et qualis sit, vel qualis adhuc esse possit, ei per revelationem ostenditur, ut ejus impudentia, superbia, duritia confundatur, humilietur, conteratur: *Arguam te*, inquit, *et statuam contra faciem tuam* (*Psal.* XLIX). Divinitus arguitur, quando divina inspiratione jam tactus animus conscientiæ propriæ accusatione confunditur. Et quasi contra faciem propriam prævaricatrix anima statuitur, quando in fœditatis suæ consideratione contra semetipsum per increpationem servire videtur. Contra speculantis itaque animum statua quodammodo statuitur, quando ad sui ipsius confusionem, et humiliationem divino quodam nutu suæ ei corruptibilitatis imago proponitur. Disce itaque, homo, disce confidentiam tui (si subito, et semel non potes, gradatim saltem et per temporum intervalla), deponere stude; satage de te humiliora semper magis magisque sentire, ut ad veram perfectamque humilitatem possis vel

Digitized by Google

sero pertingere. Hæc sunt consummatæ charitatis inconcussa fundamenta, hæc sunt æternæ securitatis regnantis animæ firma munimenta. Depone arrogantiam, deprime superbiam, contere perversam illam de tua virtute fiduciam, jacta in Domino curam tuam. Omnem virtutem, omnem fortitudinem, omnem industriam tuam reputa velut cinerem et favillam. Quid aliud notavit favillam quam omni turbini cedere, imo ad quemlibet, vel tenuem flatum dissilire, quietisque suæ locum deserere? Congrua satis corruptelæ nostræ forma, et imago convenienter expressa in cinere et favilla. Vide, quisquis es, ne forte oporteat velis nolis, quandoque interius vel exterius talem forte, interius apud te in tua existimatione, vel exterius etiam coram aliis in tua actione. Interius, inquam, ex proposito et studio voluntatis, vel exterius ex defectu et fluctu humanæ corruptibilitatis, et quam multi sunt qui nullo modo ab altitudine propriæ æstimationis descendunt, nisi tunc primum cum exterius in actione turpiter cadunt. Ad hoc namque procul dubio nonnulli permittuntur in actione deformiter cadere, et aurum suum in argentum, argentum in æs, æs in ferrum, ferrum in testam mutare, ut ex proprio defectu, et quasi per experimentum discant, quid de propria virtute et fortitudine sentire debeant. Videamus ergo quomodo quosdam contingat, juxta ostensæ imaginis formam, quasi de summis bonis pene usque in extrema mala per varios corruptionum defectus corruere, et velut aureum caput in testeos pedes terminare, ut discamus, in quolibet virtutum culmine morum ruinam timere, ut sataganus semper et ubique veræ et perfectæ humilitatis formam modumque tenere.

CAPUT XXIII.

Quod de magno sæpe virtutum culmine soleat mens humana gradatim in ima corruere.

Qui stat, ait Apostolus, *videat ne cadat* (*I Cor.* x). De quantumlibet celso fastigio facile potest in ima corrui, vel in profundum demergi, imo procul dubio quanto gradus altior, tanto casus deterior. Debet nos semper istud Nabuchodonosor somnium, et cautos reddere, et sollicitos efficere. Vide, obsecro, visionis ejus statuam; vide, inquam, a quanta sublimitate incipitur, et in qualem tandem finem deducitur. Habet sane caput aureum, et finem testeum. Quid auro charius, quid testa vilius? Attende et illud quomodo gradatim ad deteriora vergit, et quandoque in fœdissimo fine finem facit. Prima pars aurea, secunda argentea, tertia ærea, quarta ferrea, et quinta describitur testea. In auro intelligitur charitas, in argento veritas, in ære simultas, in ferro crudelitas, in testa fictili fragilitas. Testa enim facile frangitur, et per eam recte impatientiæ fragilitas figuratur. Ferrum quod cætera omnia metalla comminuit et domat, competenter quidem crudelitatis violentiam designat, quæ resistentia quæque premit, ut opprimat. Æs autem argentum imitatur in sono, sed multum dissonat in pretio. Sic simulatio suavem adulationis tinnitum habet in sermone, et suaviter reboat, et dulciter resultat in opere; sed quantum per verbum, et exercitium demulcet extrinsecus, tantum per consilium et desiderium pallet intrinsecus. Argentum quoque quo frequentiori usu atteritur, eo utique clarior redditur: sic veritas vehementi discussione quo magis eo melius commendatur, si veritatis consilia experientiæ usu certiora, eo clariora redduntur. Charitatis claritatem auri fulgor exprimit, quæ cœlestis desiderii igne flammescit; et, sicut aurum cæteris metallis præfertur, sic charitas cæteras virtutes supergreditur. O quantum est inter testam et aurum, inter statuæ finem et statuæ principium! Statua, quæ ex auro incipit, testam desinit. Puto, quia nemo repente fit turpissimus. Sed qui minima negligit, paulatim defluit. Sicut quibusdam profectuum gradibus ad alta conscenditur, sic rursum gradatim ad ima descenditur. Attende quomodo in hac statua prius aurum, postea argentum, post hæc mediante ære, sequitur et ferrum. O quanta differentia auri et ferri! O quantum in se differunt charitas et crudelitas! Quid tamen de his ait Veritas? *Abundabit*, inquit, *iniquitas, et refrigescet charitas multorum* (*Matth.* xxiv). Vide, quæso, unde quo pervenitur de abundantia charitatis ad abundantiam iniquitatis. Charitas ad aurum, iniquitas pertinet ad ferrum. O mirabilem (imo detestabilem) commutationem de charitate ad iniquitatem! *Si averterit*, inquit, *justus justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur* (*Ezech.* xviii). Opus detestabile et dignum confusione, quod inchoatur ex auro, et consummatur in testa et ferro. Sic namque describitur pedum pars ferrea, et quædam testea. O confusibiles operarios, qui, in initio conversionis suæ, opus suum inchoant ex auro, et tandem consummant luto. Scimus, quia sæpe cum immundus spiritus exierit de homine, quærens requiem et non inveniens, assumptis secum septem spiritibus nequioribus se, revertitur in domum suam, et ingressus habitat ibi, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus. Quam multos videmus in initio suæ conversionis spe gaudentes, spiritu ferventes, in tribulatione patientes, sollicitos in opere, studiosos in lectione, devotos in oratione. Quid isti videntur tibi, nisi in auro operari, et in charitate initiari? *Charitas enim*, ut scriptum est, *patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*I Cor.* xiii). Nonne operari tibi videtur in auro, cui dictum est a Domino: *Novi opera tua, et charitatem, et fidem, et ministerium, et patientiam tuam?* (*Apoc.* viii.) Sed sunt multi qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Nec tamen qui hujusmodi sunt, statim se in infima demergunt, sed prius de bono in pejus, dehinc de minus bono in malum, et demum de malo in deterius corruunt. Mons enim cadens paulatim defluit, et terra alluvione consumitur. Siquidem quæ hujusmodi sunt, paulatim incipiunt a pristino desiderio

Digitized by Google

tepescere, et priori fervore magis magisque defi- A cere.

CAPUT XXIV.

Quomodo vel quibus corruptionis gradibus de summis in ima corruat sæpe animus humanus.

Nec statim tamen inchoata deserunt, sed agunt adhuc bona quæ possunt. Refrigescente namque charitate, operantur sane bona ex deliberatione. Quid putamus tamen interesse inter priorem illum statum, et istum secundum? Multum per omnem modum. Aliud est bonum sequi ex desiderio, atque aliud ex solo consilio. Aliud, inquam, est bonum operari cum magna delectatione, atque aliud ex sola deliberatione. Istud bonum, sed illud optimum. Istud ad argentum, illud pertinet ad aurum. Pretiosum quidem metallum in argento, licet longe vilius sit B auro. Studeat ergo in argento operari, cui forte deest copia auri : Si non potest bona agere ex delectatione, age tamen saltem ex veritate, et veritas liberabit te. Vultis autem nosse opus quod fit ex hujusmodi argento, quomodo luceat, vel quantum placeat, et possessorem suum quam divitem vel securum reddat? *Omnis*, inquit, *qui facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quoniam bona sunt* (*Joan.* III). Bonum est itaque argento hujusmodi abundare, sed nec minus stultum aurum suum in argentum mutare. Omnis enim homo mittens manum suam in aratrum, et respiciens retro, non est aptus regno Dei. Vultis autem nosse quomodo divinus cum sermo per increpationem fe- C riat, qui aureum opus in argentum commutarat? *Scio*, inquit, *opera tua et laborem, et patientiam tuam* (*Luc.* IX). Ecce opus bonum, ecce brachia, ecce pectus argenteum. Sed videamus quid sequitur, cum postmodum subinfertur : *Sed habeo*, inquit, *adversum te, quod charitatem tuam primam dereliquisti* (*Apoc.* VIII). Arguitur ergo qui adhuc bonum agit, quod charitatem primam reliquit, et aureum caput in pectus argenteum deflexit. Quicunque hujusmodi te esse perpendis, memor esto unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac. Alioqui time illud quod sequitur, quod minime resipiscendi divinus sermo minatur : *Sin autem*, inquit, *venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris* (*Apoc.* II). Time D ergo nisi ad priora bona citius redeas, ne adhuc in deteriora cadas. Elige quid malis; ascendere sive descendere. Non enim potest homo in eodem fixus diutius stare. Fugit enim velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet. Memoriter tene, nec mediocriter time, quoniam qui ad primam charitatem non revertitur, cito ejus candelabrum de loco suo transfertur. Quid per candelabrum gestatorium lucis, nisi opus bonum, opus veritatis? Hujusmodi candelabrum stat in loco suo, quando bonum opus surgit ex proposito bono. Sed hujusmodi candelabrum de loco suo transfertur, cum bona boni operis intentio in malam commutatur. Sic opus argenteum transit in æreum. Et est quidem frequens hoc malum inter filios hominum. Sæpe enim quod prius quis agebat ex veritate, ad laudem hominum resolutus, postmodum actitat pro humano favore : *Populi*, inquit, *meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant* (*Isa.* III). Qui igitur blandum se exhibet in sermone, benignum in opere, pravum autem atque perversum in cogitatione et voluntate, iste profecto abjecto argento jam operatur in ære. Æris enim more suaviter tinnit extrinsecus, sed voluntatis depravatione pallescit intrinsecus. Nunquidnam tibi non tale videtur opus illorum, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. In hujusmodi opere, ut arbitror, desudabat, quem Dominus increpando arguit, cum dicat : *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es* (*Apoc.* III). Sed quisquis hujusmodi es, non te existimes diu posse latere : *Sed si exaltatus fueris ut aquila, et inter sidera posueris nidum tuum : inde detrahan te, dicit Dominus* (*Abd.* I). Quandoque oportet te propheticam imo Dominicam vocem audire : *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, retela crura, transi flumina. Et tunc revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum* (*Isa.* XLVII). Denudata autem turpitudine tua, cum jam cœperint venter et femora ærea apparere, incipies mox laudatoribus tuis, imo jam derisoribus tuis sordescere, et de die in diem magis magisque vilescere. Jam tunc illis incipies irasci, indignari, illos detestari et crudeliter persequi, quibus antea multum placere studuisti. Et quam blandus eras prius, tam eris postmodum asper et durus. Sic æs tuum mutabitur in ferrum, diceturque tibi : *Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena?* (*Jer.* II.) Haud dubium est opus æreum mutasse in ferrum. Lenitatem in severitatem, quorum os maledictione et amaritudine plenum est, qui prius linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum. Qui prius vos tam blandos, tam benignos exhibuistis, unde jam bella et lites in vobis? Jam zelum amarum habetis, et contentiones in vobis. Occiditis et zelatis, litigatis et belligeratis, et unde hæc tam sæva crudelitas et ferri duritia in vobis? Quid putas causæ est, quod sunt tam veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, nisi quod tibias et plantas ferreas habent, qui lætantur cum male egerint, et exsultant in rebus pessimis? Sed hoc est in istis præ omnibus mirabile, imo supra omnia miserabile, quod sicut sunt prompti et audaces ad mala inferenda, sic sunt pusillanimes et supra modum impatientes ad toleranda illata, ut recte mirari possis quonam modo convenire possit ferrum cum testa, tanta crudelitas cum tanta impatientia. Ecce statua nostra in qualem finem desinit, quæ post caput aureum fictiles plantas accepit. Filii Sion inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Quid auro pretiosius, quid testa vilius? Quomodo ergo obscuratum est aurum, mutatus est color op-

Digitized by Google

timus? Quid auro tractabilius, quid testa fragilius? Quomodo charitas se attrectare; quomodo attenuare permittit, quæ omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet? Quid autem voluntate contemptibilius, quid delicata mente dejectius, quæ super et in prosperis per concupiscentiam resolvitur, et in adversis per impatientiam frangitur? *Væ illis, qui perdiderunt sustinentiam, qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in pravas* (*Eccle.* II). Contritio enim et infelicitas in viis eorum. Contritio propter testæ corruptibilitatem, et infelicitas propter ferri rigorem, eo quod pedum pars quædam sit testea, pars vero quædam sit ferrea. Quid autem est, quod hujusmodi homines ad sua iterum desideria convertuntur, quod post opera æris et ferri ad opus figuli trahuntur, nisi quod non habeant (præterquam in concupiscentiis suis) ubi delectentur, eo quod per simulationem prius perdiderint gaudium bonæ conscientiæ, et postmodum per crudelitatem gloriam famæ. Ut autem ea quæ diffusius jam diximus, ad compendium revocemus, in capite aureo, intelligitur devotio, in membris argenteis discretio, in æreis simulatio, in ferreis indignatio, in testeis dissolutio.

CAPUT XXV.

De prædictorum differentia graduum, et qualitate singulorum.

Notandum sane, quid de quibus membris dicitur, et qualia quæque describantur. Describatur autem caput aureum, pectus argenteum, brachia autem argentea, venter et femora ærea, tibiæ ferreæ, pedes ferrei, vel testei pro parte. Capite totum corpus regitur, unde per ipsum recte intentio designatur, quia per ipsam omne actionis nostræ corpus, sive in bonum, sive in malum finem deducitur. Consilium ad cor pertinet, et cor sub pectore latet. Brachiis opera nostra explicamus, cum aliquid a nobis fieri volumus. Venter tenerior pars corporis et velamentum fetoris obsequium portendit compassionis. Femur pudendis subjicitur et perfectam videri se vult humilitas, quæ ad vilia et indigna inclinatur. Tibiæ cæteris membris ossa longiora et robustiora portant, unde et recte severitatis rigorem designant. Pedibus terram tangimus, etiam cum erecti stamus, et quantumcunque mens se ad cœlestia extendat, sine hujus vitæ subsidiis necessitatem suam non sustentat. Per caput itaque, ut dictum est, intelligitur intentio, per pectus deliberatio, per brachium exercitatio, per ventrem compassio, per femur humilitas, per tibiam severitas, per pedem necessitas, per caput desiderium intentionis, per pectus studium deliberationis, per brachium exercitium actionis, per ventrem obsequium pietatis, per femur servitium subjectionis, per tibiam flagellum severitatis, per pedem subsidium necessitatis. Si ergo caput intentio, et aurum devotio, quid aliud est aureum caput, nisi devota intentio? Si pectus deliberatio, brachium actio, argentum vero discretio, quid aliud erit pectus et brachia argentea quam consilia et opera discreta? In ventre compassio, in femore subjectio, et in ære simulatio. Quid itaque aliud est venter et femora ærea, nisi pietas et humilitas ficta? Si per tibiam severitas, si per ferrum crudelitas, quid aliud intelligitur in tibiis ferreis, nisi severitas crudelis? Pes necessitatem, testa voluptatem. Planta ergo testea designat voluptuosam superfluitatem. Pes autem ex parte ferreus, et ex parte testeus describitur, quia delicata mens nunc in eorum odium obduratur, per quos forte a suis desideriis restringitur, nunc vero cum concupita suppetunt, in eorum luxu resolvitur. Quid itaque est fulgor capitis aurei, nisi fervor cœlestis desiderii? Claritas pectoris argentei et brachii argentei, certitudo recti consilii et rectitudo operis certi. Sonoritas æreï ventris et femoris, blandimentum falsæ pietatis, et fictæ humilitatis. Robur ferreæ tibiæ, rigor immoderatæ disciplinæ, fragilitas testei pedis, effrenatio superfluitatis. Caput itaque aureum, sancta desideria faciunt, pectus et brachium argenteum, consilia et opera recta. Ventrem et femur æreum, obsequia et servitia ficta, tibias ferreas flagella sæva, plantam testeam subsidia delicata.

CAPUT XXVI.

Dictum est quomodo defluat homo sæpe de bono in malum, nunc dicitur quomodo corruat sæpe de malo in malum et vitio in vitium.

Si quis autem totum quod de statua dicitur velit accipere in malo, ejus assertioni absque dubio facile cedo. Sed sic tamen sensum suum qui ejusmodi est studeat approbare, ut prædictum minime audeat condemnare, eo quod Spiritus sanctus soleat sæpe in uno quod loquitur plura designare. Nam, sicut aliquid est in hoc scriptione quod facilius accommodatur ad lectionem illam, sic et aliquid invenitur in eadem quod levius applicatur ad istam. Nam aurum sane hujus statuæ, cum optimum legatur, accommodantius in meliorem partem accipi posse videtur. Sed, sicut hoc secundum prædictam lectionem recte accipitur juxta rei veritatem, sic in hac lectione quidem convenienter satis referri potest ad suam de se superbientis animæ æstimationem. Sic quod statua non animal describitur hoc quod per revelationem cernitur, huic secundæ lectioni alacrius arridet, ubi totum quod dicitur in malam partem accipere placet. Quid enim aliud est hujusmodi statua nisi humana figura, sive humana vita? Et quid aliud est humana figura sine rationabili anima, nisi actio congrua sine intentione recta? Toties itaque non dicam animal nutritur, sed statua juxta humanam effigiem fabricatur, quoties homo in ordine conversationem suam secundum carnis prudentiam (quæ inimica est Deo) moderatur. Videamus itaque hujusmodi statuæ qualia quæcunque membra divinus sermo describat, cum dicat, hujus statuæ caput ex auro optimo erat, etc. Secundum hanc itaque acceptionem qua totum referimus in malam partem, per aurum potest intelligi arrogantia, per argentum jactantia, per æs pertinacia, per

Digitized by Google

ferrum sævitia, per testam impatientia. Aurum siquidem omnia metalla pretii sui dignitate præcedit, et superba mens cæteros omnes in sui comparatione despicit. Argentum suavem, et admodum dulcem sonum habet, et jactantia in sui laudis præconio blandam jucundamque se exhibet. Æs eo quod valde durabile existat, recte satis pertinaciam figurat, quæ a suo consilio, vel proposito vix vel nunquam deflecti queat. Ferrum quod cætera soleat metalla domare convenienter satis sævitiam designat, quæ solet cæteros premere. Per testam autem quæ facile frangitur, recte satis impatientia designatur. Aureum itaque sibi caput fabricat, qui sibi sanctitatem arrogat. Pectus argenteum et brachia argentea circumferre videtur, qui de consilii et operis sui rectitudine gloriatur. Quasi ventrem et femora quodammodo ærea habet, qui in his etiam pertinax permanet quæ propter vilitatem despicere, vel propter inhonestatem erubescere deberet. Tibias ferreas habere se ostendit, qui et contra superiores se per audaciam erigit, et inferiores per sævitiam premit. Testeis plantis innititur qui terrenorum amori immoderatius incumbens ad impatientiam effrenatur.

Notandum sane quibus corruptionis gradibus defectus nostri malum incrementum accipiat, quomodo gradatim ad deteriora devergens usque in ima descendat. Vide quomodo arrogantiam sequitur jactantia, jactantiam pertinacia, pertinaciam sævitia, sævitiam impatientia. Jactantiam sane arrogantia præcedit, quia nisi prius elata mens de se alta sentiret, nunquam tam impudenter de scientia, vel sanctitate jactaret. Cum autem quod in semetipsa de sua scientia, vel sanctitate sentit, aliis etiam persuasum esse credit, quid jam mirum si in suo consilio, vel proposito pertinax perstiterit? Nisi vero in suo consilio, vel proposito prius pertinaciter persisteret, nunquam pro eorum defensione in alios tam improbe sæviret. Sævitia impatientiam generat, quia quo quisque proximum suum minus amat, eo utique minus infirma molestius tolerat. Scimus autem quia amoris alveus quo amplius erga proximum obstruitur extrinsecus, eo altius erga semetipsum intumescit intrinsecus. Et quanto quisque miserabilius per privatum amorem in semetipso languet, tanto utique molestias suas molestius sustinet, tantoque difficilius desideria sua cohibet. Hinc est quod erga alios severus, et in semetipso resolutus, dummodo in alios furit, modo in semetipso torpescit, pedibus ex parte ferreis, et ex parte testeis incedit. Et quidem sæpe quædam adeo ex magnis conatibus, quos in principio conversionis audacter præsumpserunt, tam enormiter inanescunt, ut in tanta dissolutione qua tandem tam enerviter vivunt, nec tenue quidem non dicam exprobrationis sed nec correctionis, imo blandæ admonitionis verbum patienter audire possunt: Væ miseris. Quid, quæso, jam de his poterit fieri, vel quæ jam spes ulterius haberi, qui propter arrogantiam nullo modo possunt a suo tumore dejici, A nec propter pertinaciam de suo errore convinci, nec propter ferri duritiam a suo rigore deflecti, nec propter testeam fragilitatem de suo corpore redargui?

CAPUT XXVII.

Quibus reparationis gradibus mens sæpe ex divina operatione resurgit, quæ de magnis bonis in ima cadit.

Sed nec horum tamen ferream, seu lapideam duritiam debemus despicere, potens est enim Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Quæ enim impossibilia sunt apud homines, apud Deum possibilia sunt. Vide enim quod sequitur: *Videbam*, inquit, *ita, donec abscissus est lapis sine manibus, et percussit statuam in pedibus ejus ferreis, et fictilibus, et comminuit eos* (*Dan.* II). Ecce lapis sine manibus abscinditur, unde ferri duritia conteratur, et quidem recte. Quæ enim manus talem lapidem concidere, seu etiam abscindere posset, qui ferrum conterere vel comminuere valeret? Sed quod non potest humana opera vel quælibet humana industria, fit in sola voluntate divina. Solus utique Deus est, qui sine aliquo conatu, sine aliquo sui motu, quoties et quæcunque voluerit potest operari, stabilisque manens dat cuncta moveri. Sed quid, quæso, est, qui hoc potuit et voluit facere manibus, minime voluit hæc perficere? An forte in hujusmodi ferreis et obduratis mentibus melius operatur inspiratione quam percussione, corrigiturque sæpe interna illustratione, quem non possunt flagella corrigere? *Percussi*, inquit, *filios vestros, et non doluerunt, renuerunt recipere disciplinam* (*Jer.* V). Sed cum multo sit levius apud nos dicere quam facere, sæpe tamen in his etiam mentibus, in quibus videtur percutientis manus opera defecisse, operatur quidem miro et incomprehensibili modo interno suo verbo vel sibilo: *Verbum*, inquit, *quod egredietur de ore meo, non redibit ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, et prosperabit in his ad quæ misi illud* (*Isa.* LV). Sic et Spiritus sanctus ubi vult spirat. Verbo enim Domini, cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Lapis itaque sine manibus abscissus, timor Domini divinitus inspiratus, in ictu hujus lapidis statua dejicitur, et monstruosum opus destruitur. Sicut per timorem mens dejicitur a proposito bono, sic per timorem sane excutitur a proposito malo. Sicut enim initium omnis peccati superbia, sic initium sapientiæ timor Domini. In hujusmodi itaque lapide statua concutitur, ut confusibilis mens confundatur et humilietur. Quid est hujusmodi percussio, nisi interna compunctio? Quid autem est percussæ statuæ comminutio, nisi compuncti cordis contritio et humiliatio? Sed scimus quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet. Melius itaque sane conteri in hoc lapide quam erectum stare et superbum sapere. Percussit, inquit, statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos. In inferioribus et deterioribus suis utique statua concutitur, quando mens elata atque

Digitized by Google

perversa per spiritum timoris Domini ad iniquitatis et infirmitatis suæ considerationem reverberatur. Hæc pia Domini percussio tam misericorditer intentatur quam utiliter in hac vita in nobis completur, cum dicitur : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam* (*Psal.* XLIX). In hunc utique modum redargutus, et in infirma sui parte percussus fuerat, et per ejusmodi percussionem seipsum contra seipsum erexerat, qui dicebat : *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal.* L). Sed postquam ferrum et testa concutitur, etiam cætera conteruntur. *Tunc contrita sunt*, inquit, *pariter ferrum, testa, æs, argentum, et aurum.* Vidisti superius, quibus gradibus bonitas defecit, crevit perversitas. Vide nunc quomodo gradatim proficiat totius bonitatis fundamentum, humilitas : prius erubescimus vera mala, postea ficta bona. Novissime etiam vera bona cum sint imperfecta et inconsummata. Sic sane primum conteritur ferrum et testa, deinde membra ærea, novissime argentea et aurea. In malis facilius erubescimus iniquitatem quam infirmitatem. In bonis autem citius erubescimus imperfectionem quam intermissionem. Hinc est quod in infimis membris prius conteritur ferrum quam testa. Superius autem citius comminuuntur argentea, quam aurea membra. Primo itaque in ferri contritionem damnamus mala, quæ per iniquitatem commisimus. In testæ autem contritione, ea quæ per infirmitatem contraximus. Æris autem contritio quid est quam simulati boni reprobatio ? In argenteis membris hoc est, quod nobis minus placet, et quod minime placere debet, non quod sint bona, sed quod non sint optima. In aureo enim opere hoc solum sane reprehensibile cernitur, quod optimi operis inchoatio, usque ad digni vel debiti finis talum non perducitur. In argenti igitur contritione boni operis imperfectio. In auri autem contritione arguitur optimi operis intermissio. Hoc nunc de hujus statuæ contritione jam diximus, secundum eam lectionem quam primo posuimus, ubi partim in bono partim in malo accepimus.

CAPUT XXVIII.

Quibus promotionis gradibus sæpe divinitus reparetur mens quæ de magno malo in deteriora labitur.

Nunc autem secundum eam lectionem, quæ secundo loco ponitur, aliquid loquamur. Sicut nihil facilius erubescimus quam malitiam, sic nihil difficilius cognoscimus vel erubescimus quam arrogantiam. Arrogantia enim oculum mentis obnubilat vel excæcat, ut nec seipsam agnoscere valeat. Qualem enim seipsam mens elata per æstimationem fingit, talem procul dubio veraciter esse se credit. Vide ergo quam difficile sit illa nos in nobis reprehendere, et arguere, et per increpationem et reprobationem conterere, in quibus dudum credidimus nos veraciter debere et aliis placere. Sed quoniam jactantia, dum gloriam suam foras dilatare studet, veris falsa permisceat, et non solum ea quæ de se vera, verum etiam quæ novit falsa, aliis de sui æstimatione persuadet. Ibi procul dubio facilius in confusionem dejicitur, ubi de falsa ostentatione, conscientiæ etiam proprio testimonio convincitur. Unde utique est, quod jactantiæ argentum quam aurum arrogantiæ, quo facilius eo et citius atteritur. Sed, sicut multo difficilius arrogantiam quam jactantiam, sic multo laboriosius erubescimus jactantiam quam pertinaciam. Ex jactantia siquidem famam nostram sæpe crevisse, semper autem ex pertinacia decrevisse non dubitamus. Nam nihil aliud pertinaciam dicimus, nisi cum in nostra sententia contra aliorum consilia impudenter persistimus. Quis autem illud malum facilius non erubescat, in quo et aliis se multum displicuisse minime ignorat? Recte igitur prius æs quam argentum contritum esse describitur, quia facilius, ut dictum est, mens de pertinacia quam de jactantia confunditur. Pertinet autem ad contritionem testæ, confusio de propriæ infirmitatis et impatientiæ consideratione. Cum autem perversa mens ad tantam infirmitatem et impatientiam pervenit, ut passionibus suis, etiam cum voluerit, omnino resistere non possit, quis non videat quam facile in hac fragilitatis suæ consideratione erubescat? Facilius autem, ut superius dictum est, illa excusamus quæ per infirmitatem contrahimus, quam quæ ex sola malitia committimus, unde et illa citius erubescimus. Recte ergo, ut legitur, prius comminuitur ferrum quam testa, sicut et post ista, æs, argentum et aurum recte describuntur comminuta. Hujusmodi ergo contritionis ordo describitur, cum dicitur : Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, et aurum. Ubi et adducitur, *et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento ; nullusque locus inventus est in eis.*

CAPUT XXIX.

Quomodo vel ad quantam perfectionem sæpe homo post multiplicem lapsum ex divina operatione resurgat.

Quid per æstivum tempus nisi fervorem spiritus, et quid per aream nisi prudentiam spiritus intelligimus? Quid itaque æstiva area nisi spiritalis intelligentia? In hac area veritatis grana a figurarum paleis vehementis discussionis triturationе excutiuntur. In hac area virtutis annona a vitiorum aristis districte examinationis ventilatione separatur. In hujus areæ tritura laboramus, et quasi grana a paleis separamus, quoties vera et æterna bona a falsis et transitoriis secernimus. Nec nobis sufficiat paleas excutere, sed studeamus etiam earum cumulum igne supposito in favillam vertere, et transeuntium nitorem in nigredinem mutare, et affectum nostrum in eorum contemptum vel odium transformare. In hac area desudat quisquis spiritalis esse desiderat. Spiritalis enim judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. Audi quemdam spiritalem in hac area laborantem : *Proposui*, inquit, *in corde meo quærere, et investigare sapienter de omnibus*

Digitized by Google

quæ fiunt sub sole (*Eccle.* I.) Ecce area, ecce tritura, et ubi est palea, ubi est arista? *Vanitas*, inquit, *vanitatum, et omnia vanitas.* Ecce palea, *et vidi quod in omnibus*, inquit, *esset vanitas, et afflictio spiritus* (*ibid.*). Ecce palea cum arista. Sed ubi est favilla? *Quem ergo*, ait Apostolus, *fructum habuistis in quibus nunc erubescitis?* (*Rom.* VI.) Quid est nigredo favillæ, nisi confusio verecundiæ? Vide ergo quomodo stipularum nitorem in abominationis nigredinem verterant qui jam erubescebant in quibus aliquando delectari consueverant. Audi et illum qui vanitatum palcas non solum in nigredinem, sed etiam in fetorem verterat, cum dicebat: *Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifacerem* (*Philip.* III). Dolor autem pœnitentiæ est ignis ille quo solent spiritales viri vanitatum aristas comburere, et in abominationum favillas vertere. Has utique favillas in conscientiæ nostræ adhuc area toleramus, quandiu de præteritis culpis confusi vel suspecti sumus; sed, flante vento, favillæ, tolluntur, cum ad Spiritus sancti inspirationem reatus nostri formido omnis atque suscipio absorbetur, et per spem veniæ ab omnis confusionis nigredine conscientiæ nostræ area mundatur, ita ut veraciter Domino psallere possimus: projecisti post tergum omnia peccata mea. Nonne in favillam, non dicam membra cætera ferrea vel ærea, sed et caput ejus aureum redactum erat, cum Propheta dicebat: *Et confusio faciei meæ cooperuit me* (*Psal.* XLIII). Nonne pro favillarum eventilatione Domino supplicabit, cum Domino in oratione proclamaret: *In te speravi, non confundar in æternum* (*Psal.* XXX). Nonne nigræ illæ confusionum suarum favillæ vento raptæ atque sublatæ fuerant, cum per veniæ præsumptionem culparum suarum maculis emundatus in laudis confessionem erumperet, dicens: *Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis* (*Psal.* CII). Vide ergo quia corruptionis opibus in favillam redigitur, et postmodum vento raptatur et tollitur; quia, nisi prævaricatrix anima prius confusiones suas cognoscat, et erubescat, et digno pœnitentiæ dolore exurat, et absumat, conscientiæ suæ aream a culparum suarum maculis non emundat, et ad plenam veniæ securitatem nunquam se sublevat. Raptis autem vento nullus locus eis invenitur; quia post diu quæsitam, vixque impetratam veniam contra similes tentationes mens non solum cautior sed et robustior efficitur, imo contra similium corruptionum detrimenta insuperabilis redditur. Nullus sane locus eis potest inveniri, cum ad similem corruptelam nec sensus decipi, nec affectus potest corrumpi. Sed quid illud sibi vult quod lapis ille in quo statua percutitur, percussaque comminuitur; quid, inquam, est quod lapis non crescit in rupem sed mutatur in montem, nec lapis in lapidem grandem sed potius excrescit in montem magnum et eminentem? Sed scimus quia perfecta charitas mittit timorem. Nescit enim perfectio charitatis augere formidinem, sed mutat et magnificat in confidentiæ montem. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum qui habitat in Hierusalem. Videsne, quæso, quomodo concurrunt sibi propheticæ sententiæ, quomodo concordet David cum Daniele, veritas cum figura, Prophetæ sententia cum visione prophetica? *Lapis autem*, ait, *qui percussit statuam factus est mons magnus, et implevit universam terram.* Quam magnus, quæso, mons, qui implevit universam terram, qui non commovebitur in æternum? Vultis audire quam magnus, quam firmus, quam grandis, quam immobilis? Audi alium hunc confidentiæ montem tenentem, et de ejus magnitudine, seu immobilitate proponentem: *Certus sum*, inquit, *quia neque mors*, etc., usque, *quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII).

CAPUT XXX.

Qualem libertatem naturaliter habemus, et qualem potestatem ex gratia accipimus, et quid sit libertatis vel potestatis.

Ecce somnium audivimus. Sed nunquid adhuc interpretatione indigemus? Sicut superius jam dixit, aliud est divinorum judiciorum arcana, et divina revelatione cognoscere, et aliud est eorumdem rationem perpendere, vel penetrare potuisse. Aliud est, inquam, perspicua contemplatione videre quid in rerum universitate soleat vel oporteat accidere, atque aliud est quid cui personæ, quali de causa, quave illius cui accidit utilitate debeat contingere. Unum quasi ad somnii visionem, aliud pertinet ad somnii interpretationem, et quid regi Nabuchodonosor datum est ex divina revelatione per similitudinem videre, ex quanto sublimitatis fastigio contingat hominem in ima corruere, et iterum ad integritatis statum, perfectionisque culmen resurgere, sed non æqua accepit qualitem personæ agnoscere cui debeat tale aliquid accidere. Sed quod per semetipsum videre non potuit, ab alio accepit, cum per Danielem audit: Tu es caput aureum, et post te consurget aliud regnum minus te. Alia itaque est gratia per quam cognoscimus judicia divina, atque alia est illa per quam dijudicamus merita propria vel aliena. Illud est contemplationis, istud est meditationis, seu potius devotionis. Nam illa sane meditatio devotioni recte ascribitur, per quam vitæ nostræ modus meritorumque qualitas dijudicatur. Et quidem infirmitatis nostræ corruptelam nunquam melius cognoscimus, nusquam plenius deprehendimus, quam cum inter compunctionis lacrymas totum cor nostrum Domino effundimus. Si ergo per Danielem devotio recte intelligitur, merito illi gratia illa ascribitur per quam vitæ nostræ status, vel corruptela deprehenditur. Contingit autem sæpe unum in una illarum quas dixi, et alium in alia gratia perfectum esse, et quod quisque per semetipsum non potest, ab alterutro discere. Quandoque vero unus idemque homo utriusque gratiæ plenitudinem accipiet, et tamen in uno co-

Digitized by Google

demque animo quasi unus alium consulit, quando illud quod per unum mentis statum non potuit, per alium addiscit. Nam multa quæ ex contemplationis gratia non possumus, merito devotionis obtinemus. Hoc est quod Daniel a rege consulitur, hoc est quod rex per Danielem eruditur : *Hoc est*, inquit, *somnium interpretationemque ejus dicemus coram te, rex.* Felix cui eo adhuc tempore visio hæc ostenditur, ejusque interpretatio revelatur. Dum adhuc rex est, passionibus suis dominari potest : *Tu*, inquit, *Rex regum es.* Scimus quia motui corporis præsidet corporeus sensus, sensui appetitus, appetitui affectus, et his omnibus rationalis consensus, secundum quod scriptum est, quia excelso alius excelsior est, et super hos quoque eminentiores sunt alii, insuper et universæ terræ rex imperat servienti. Rex itaque regum est rationalis consensus, qui omnibus cordis corporisque motibus præsidet, et intra ditionis suæ jura (accepta tamen divinitus potestate) coercet. Audi enim quod dicitur, et intellige a quo potestas hæc datur : *Tu*, inquit, *rex regum es, et Dominus cœli, regnum et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi.* Liberum arbitrium hominis in coregnum accepit et habet quod aliis omnibus quæ in homine sunt præsidere debet; fortitudinem accepit, et habet quandiu passionibus suis fortiter resistere valet; imperium accepit, et habet quandiu actiones et voluntates, cogitationesque in bono exercet, vel exercere valet. Gloriam accepit, et habet quandiu adhuc de bona conscientia gaudet : *Gloria*, inquit, *nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Scimus quis dicat : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Tantum ergo possumus, quantum posse accepimus. Quid enim habes quod non accepisti, nihil enim aliud est habere hujusmodi potestatem et fortitudinem, quam habere gratiam cooperantem. Potestas tua, cooperatrix gratia. Quantum habes gratiæ, tantum habes et potentiæ; et quantum gratia accepta crescit, tantum et potentia tua proficit; et quantum gratia minuitur, tantum et potentiæ tuæ detrahitur; et si quando subtrahitur gratia, simul perit et potentia. Patet itaque ex his quia aliud est arbitrii potestas, atque aliud est arbitrii libertas. Aliud est enim magna posse, atque aliud est liberum esse. Et liber, et infirmus esse potes, sicut econtrario et sanus, et servus esse potes. Si sanus et robustus es, et multa, et magna facere potes; verumtamen si liber es, ad nihil cogi potes, vel debes. Et si amittis sanitatem, amittis priorem potestatem, non tamen et libertatem. Potestatis itaque est quod bonum facere possumus quandiu id facere valemus. Libertatis autem quod ad nullum seu bonum, seu malum inviti cogi possumus. Quam multi in definitione liberi arbitrii errant, quia inter potestatem et libertatem distinguere ignorant vel dissimulant. Vide tamen quid intersit cum potestatem homo sæpe amittat, libertatem vero nunquam amittere possit. Item nemo ad omnia bona accipit potestatem, sed omnis homo ad omnia bona vel mala accipit libertatem. Nam, uti jam dictum est, ad nullum bonum, vel malum invitus cogi potest. Sed, cum sit liber omnium, non tamen omnium potestatem habet, alioqui omnipotens esset. Multum est autem per omnem modum cum ad illa accipit potestatem, quæ sibi sufficiunt ad salutem. Quid autem cum et illa suppetunt quæ sufficiunt ad perfectionem. Quemadmodum hic dictum est, et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestias agri, volucresque cœli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit? Omnia in quibus habitant filii hominum quasi in manu sua tenet, cum ad illa gratiam cooperantem habet quæ ex ejus adjutorio humanis consiliis et studiis subjacere solent. Bestias agri inter potestatis suæ jura possidet, cum sæcularium desideriorum impetus intra æquitatis terminos fortiter coercere valet. Volucribus cœli potenter imperat, cui cogitationes suas quoties voluerit, bonis meditationibus spiritualibusque theoriis occupat. In hunc itaque modum sub ditione sua universa constitui meruit, qui ad singula horum quæ diximus, gratiam divinitus accepit.

CAPUT XXXI.

De diversis corruptionis gradibus, eorumque proprietatibus descendentium de bono in malum.

Sed quæramus quid illud sibi vult quod ad ista subjungitur : *Tu es ergo*, inquit, *caput aureum, et post te consurget regnum aliud minus te* (*Dan.* II). Attende, quæso, quid dicat, quid sua nos interpretatione docere proponat : Tu es, inquit, caput aureum. Ut enim de cæteris taceam, hoc vel solum puto in quo interprete opus habemus, et utinam interpretantem intelligere, et hoc vel per interpretem nosse possimus. Nonne statua una unius hominis personam repræsentat, et illa, ut exposuimus, cujuslibet de summis in ima ruentis prævaricationem designat? Si unus est qui ejusmodi est, habens caput aureum, pectus argenteum, cætera autem membra ærea vel ferrea, cur, quæso, si ipse cui hoc dicitur, est caput aureum, cur non et ipse sit pectus argenteum, et cætera in hunc modum? An forte in ea parte qua aureus es, ipse es, et ipse non es, in ea parte qua aureus non es? Quisquis ergo es, cum post caput aureum jam cœperis pectus argenteum habere, vide, quæso, et diligenter attende ne forte ipse, jam non sis ipse. Si post multam charitatem, magnamque animi devotionem desieris esse devotus, destiterisque esse aureus, nunquid ipse eris qui prius? *Homo*, inquit, *cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII). Simile esse Deo, mirabile decus; similem esse pecoribus, miserabile dedecus. Ergo alius, et alius similis Deo et similis pecoribus. Homo bonus factus est, et ad bonitatem creatus est : *Solummodo hoc inveni*, inquit Ecclesiastes, *quia fecerit Deus hominem rectum, et ipse immiscuerit se infinitis quæstionibus* (*Eccli.* VII). Si ergo charitate ferves, et in boni dilectione permanes, aureum caput habes, et tu ipse es, quia id quod, et ad quod factus es, et

Digitized by Google

esse debes. Sed, charitate in te refrigescente, cum jam cœperis a pristino fervore deficere, nunquid adhuc eris ipse, et non potius alius minor te? Tu es, inquit, caput aureum, et post te consurget regnum aliud minus te. Nunquid non es jam minor te ipso, cum cœperis facere ex solo consilio, quod prius actitabas ex magno consilio, et multo desiderio? Et post te, inquit, consurget regnum aliud minus te. Nonne aliud regnum est cum mens regitur solo consilio, quam cum agitur etiam boni desiderio? Nonne est minus regnum sine desiderio solum consilium, quam cum prudenti consilio fervens desiderium? Nonne minus est bonum facere ex sola deliberatione, quam etiam ex magna dilectione seu delectatione. Recte ergo dicitur: Et post te consurget regnum aliud minus te. Et postea de tertio regno subinfertur, cum dicitur: Et regnum tertium aliud æreum quod imperabit universæ terræ. Sicut ad aurum pertinet quod fit ex dilectione, et sicut ad argentum quod fit ex sola deliberatione, sic ad æs pertinet bonum quod fit ex simulatione. In primo regnat charitas, in secundo veritas, in tertio regnat simultas. Vide ergo, quæso, quam recte videtur huic tertio regno convenire quod imperare describitur universæ terræ. Neque enim habet hujus regni imperator sortem in regno cœlorum qui in bono opere exercet corpus suum, sed negligit in bona voluntate nutrire cor suum: *Regnum cœlorum*, inquit, *intra vos est* (*Luc.* XVII). Intus sane, intus in corde regnat charitas, intus regnat veritas, nec his tamen finibus contentæ per bonum opus erumpunt foras. Vide ergo ne forte duo illa prædicta regna pertineant ad regnum cœlorum, si omnino regnum cœlorum intra nos est, eo quod utrumque illorum intra nos inveniri potest. Sed ille tertii regni rex et imperator, non habens partem in regno cœlorum, de summo depulsus et foras ejectus, quia in cœlo non potest, regnum sibi vindicat in terra. Projecit enim intima sua in vita sua, et non potest dicere, nostra conversatio in cœlis est. Quanto magis ergo ejus dominatio in cœlis esse non potest? Imperat tamen universæ terræ exercens carnem in bono opere, mentem relinquens vacuam bona intentione. *Et quartum regnum*, inquit, *erit velut ferrum. Quomodo ferrum comminuit, et domat omnia, sic comminuet hæc omnia et conteret.* Quid est quod dicit hæc omnia, nisi quod hoc regnum conterit cætera regna prædicta. Quomodo cætera metalla comminuere solet ferrum, ea videlicet, aurum et argentum? Sicut in auro charitas, in argento veritas, in ære simultas, sic, ut superius dictum est, in ferro signatur crudelitas. Quis autem nesciat quomodo rigor crudelitatis dissipare, et destruere soleat sanctum desiderium, quod pertinet ad aurum; verum consilium, quod pertinet ad argentum; pium sed simulatum obsequium, quod pertinet ad opus æreum? Bene ergo dictum est, et regnum quartum erit velut ferrum.

CAPUT XXXII.

De diversis corruptionis gradibus, eorumque proprietatibus, descendentium de malo in malum.

Sed oportet nos item paululum ad superiora redire, et quomodo hæc interpretatio aliæ lectioni etiam conveniat ostendere. Secundum autem eam lectionem, primum regnum est arrogantiæ, secundum est jactantiæ, tertium pertinaciæ, quartum sævitiæ. Arrogantia siquidem pertinet ad opus aureum, jactantia ad opus argenteum, pertinacia ad opus æreum, sævitia ad ferreum. Videamus quid interpres noster de aureo capite dicat, quidve sentiat, vel quomodo illud ei conveniat: *Tu*, inquit, *rex regum es: et Deus cœli, regnum et fortitudinem et imperium et gloriam dedit tibi, et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestias agri volucresque cœli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit.* Sæpe cum talem tantamque gratiam accipimus qualem hic descriptam, vel superius expositam audivimus, fit ut inde contra Deum superbiamus, unde devotiores vel magis obnoxii Deo esse debuimus. Sed illud, quæso, quam pium quantave admiratione dignum, quod cum tumida mens nostra contra Deum superbit, non statim nos districta animadversione percutit, nec gratiam suam illico subtrahit. Sed prius nos pia admonitione convenit, modo interius, modo exterius; intus per divinam revelationem, exterius per humanam exhortationem. Intus, per internam aspirationem, exterius per humanam rationem, sicut hic prius in occulto per somnium, postea in manifesto per verbum. Tu, inquit, rex regum es, quia fortibus fortioribusque fortior, fortissimus dominari potes, quia adhuc gratiam adjutricem habes, pœnitentiam ergo age, dum potes, dum gratiam adhuc cooperantem habes. Adhuc rex regum es et principaliter etiam vitiis adhuc principari, passionibusque tuis adhuc dominari potes. Quia gratiam licet deserens, nondum ab illa desertus es. Noli, inquit, superbire, noli altum sapere, cordis tui arrogantiam citius depone, et quod de Dei munere potes, noli tibi ascribere: Deus enim cœli, regnum et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi. Adhuc in cordis vel corporis tui motibus habes regnum, quia bonos disponere; habes fortitudinem, quia malis resistere; imperium, quia negligentius urgere; gloriam, quia potes rebelles revincere. Non est tamen unde superbias, non est quod tibi ascribas: Deus enim cœli dedit omnia ista tibi, et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestias agri, volucresque cœli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit. Quod bestiis agri, quod volucribus cœli præsides, quod appetitibus carnis, quod cogitationibus mentis dominari potes, quod bona operari, quod utilia meditari vales non de tua virtute, sed de divino munere habes. Omnia enim in quibus filii hominum habitant, et quæ rationi rectisque consiliis obtemperant, ex ejus munere fiunt, ejus cooperatione in actum prodeunt, bene proveniunt, prospere succedunt. Quidquid ergo utiliter potes,

Digitized by Google

ex ipso, et per ipsum potes, qui nihil non potest, quia omnia potest. Omnis itaque possibilitas tua ex ejus munere venit, qui sub ditione tua hæc omnia constituit. Tu ergo, inquit, caput aureum es, qui, adhuc comitante gratia, et mala corrigere, et bona exercere potes. Preme ergo superbiam, ne perdas et gratiam : Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Scimus autem quia initium omnis peccati superbia. Qui autem facit peccatum, servus est peccati. Quid ergo ? Nunquidnam jam non erit aliud regnum, cum jam cœperit dominari peccatum, et tu exhibere famulatum, quam tunc erat cum tu poteras peccatum premere; ita ut non reguaret in tuo mortali corpore? Puto ergo quia cum cœperis gratiam per superbiam amittere, et teipsum perdere, sine qua nihil poteris facere; puto, inquam, quia jam consurget aliud regnum minus te, secundum quod scriptum est : Tu, inquit, caput aureum es, et post te consurget regnum aliud minus te. Sed quia arrogans quisque gloriatur in seipso, jactantia autem in favore alieno, recte secundum aliquid de aureo capite, hoc est de arrogante, dici potest, quia adhuc ipse est, eo quod seipsum necdum deseruit, qui gloriam suam in seipso constituit. Recedit autem a seipso, cum gloriam ponit in altero. Cogita autem quanto minus sit gloriari in sibilo alieni oris, et laudibus falsis, quam in propriis bonis, et sæpe veris, quamvis ab alio acceptis. Recte ergo dicitur : Tu caput aureum es, et post te consurget regnum aliud minus te, et additur, et regnum aliud tertium æreum quod imperabit universæ terræ. Æs, eo quod valde durabile existat, recte, ut superius diximus, pertinaciam designat. Ventrem itaque, et femora quæ pudendis adjacent quasi ærea quis tunc habet, quando his etiam pertinaciter inhæret quæ etiam erubescere deberet. Vide ergo quam apte videatur huic regno congruere quod dicitur imperare universæ terræ. Quomodo enim universæ terræ non imperat quod usque ad ignominiosa imperanda tyrannidem suam dilatat ? Et quartum, inquit, regnum erit velut ferrum. Quomodo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet omnia hæc, et conteret. Si in ferro sævitiam debemus intelligere, quomodo, quæso, hujusmodi regnum regna cætera queat comminuere atque conterere? Absque dubio quantumcunque mens impudens sit, gloriam tamen quam in seipsa per arrogantiam, vel in altero per jactantiam habere consuevit omnino (nec mirum) perturbat atque confundit. Quis enim inter tot sævitiæ suæ tam apertas insanias vel sanctum se credat, vel ab alio hoc posse credi confidat? Regnum autem pertinaciæ adeo solent violenta illa sævitiæ jura conterere atque confundere, ut in nullo proposito (quamvis recto, quamvis honesto) furoris sui tempore mens possit perseverare. Sed quidquid tranquillitatis tempore mens de pace seu patientia, etiam cum voto vel sacramento deliberat atque disponit, perturbationis suæ tempore furor superveniens dissipat atque dissolvit. Ea quæ de visionis hujus expositione hucusque jam diximus, secundum duplicem considerationem, juxta intelligentiæ nostræ modum pertractavimus. Cætera autem quæ sequuntur utramque lectionem in eamdem sententiam concurrunt, geminam expositionem (ut ea quæ præmissa sunt) non requirunt. Quid enim est sævitia nisi crudelitas ? Sic et impatientia, quid aliud quam miseranda fragilitas? Sic sub diversis nominibus idem intelligere debemus.

CAPUT XXXIII.

Quomodo mens in semetipsam scinditur, laceratur, confunditur, cum ad corruptionis extrema pervenitur.

Nunc ergo sequentia consideremus : *Porro*, inquit, *quia vidisti et pedum, et digitorum partem testeam figuli, et partem ferream, regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur* (*Dan.* 1). Sed si per pedem necessitas, per ferrum intelligitur crudelitas, quid sibi vult quod pedum pars quædam ferrea esse describitur ? Nunquidnam quisque erga proprias necessitates durus, et immitis seu etiam inflexibilis invenitur? Scimus quia avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias fructus non capiet ex eis, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi divitiis, nec recogitat, dicens : Cui laboro, et fraudo animam meam bonis? Nonne tibi videtur incedere ferrea planta qui cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, et in curis multis, et in ærumna atque in tristitia ? Vere, ut scriptum est, *avaro nihil est scelestius* (*Eccle.* x), qui nec proximo compatitur, nec sui miseretur. Quid jam miramur ejusmodi hominem habere tibias ferreas, cum jam habet plantas ? Quid jam conquerimur quod immitis est erga proximos, qui jam obduratus est erga usus proprios? Qui sibi nequam est, cui bonus erit ?

Notate tamen quod qui ejusmodi est, prius in tibiis ferreis obduratur erga proximum suum. Postmodum etiam in ferreis pedibus obduratur erga semetipsum. Vide ergo quisquis hæc legis, ne forte post amorem studiumque sapientiæ revertaris ad amorem lucrumque pecuniæ, hoc est aureum caput in ferreos pedes deflectere. Viscera avari crudelia : pone nunc ante oculos tuos, et considera quoslibet avaros. Vide, quæso, quam sint solliciti, quam laboriosi, quam parci, quam austeri sibi. Quid tamen sæpe idem facere consueverunt, vel adhuc quoque facturi sunt, si ab alieno gratis nutriantur, vestiantur, protegantur ? Videbis utique eos mollibus vestiri velle, crapula et ebrietate madere, somno et otio torpere, irasci et indignari cum sibi videant aliquid de assuetis deesse. Nunquidnam tibi non videtur ejusmodi pedibus ex parte ferreis et ex parte testeis incedere, cum videas unum eumdemque in suis tam parcum, in alienis tam prodigum esse, modo austeritati, modo luxui deservire? Porro, inquit, quod vidisti pedum et digitorum partem testeam figuli, et partem ferream, regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur.

Digitized by Google

Pes in quinque digitos dividitur, et necessitatis conditio procul dubio in quinque partitur, cum ad omnes corporis sensus dilatatur. Sed cum sensuum oblectamenta studiose quærimus vel caute declinamus, quid aliud quam duobus pedibus hinc inde, a dextris et a sinistris nitimur, et inter prospera et adversa per desideriorum nostrorum iter gradimur? Sed sæpe videas hos uni, illos alii sensui vehementius indulgere, et propter unius alicujus sensus delicias, aliorum sensuum molestias libenter sustinere. Quam multi multo tempore magnoque labore acquirunt quod sub unius diei, vel horæ crapula vel ebrietate expendunt? Quot timores, quot honores, quot algores hostis, noctis et frigoris adulteri sponte tolerant, ut ad momentanea fœdæ voluptatis blandimenta pertingant? Nonne hujusmodi omnes pedum vel digitorum partem testeam, partem ferream habent, qui in uno tam patientes et pene insensibiles, in altero tam impatientes existunt? Porro quia vidisti, inquit, pedum et digitorum partem testeam figuli, et partem ferream, regnum divisum erit. Vere divisum erit quod hujusmodi fuerit. Nam ut aliqua in unum ex pluribus exempli causa ponamus, cum unus idemque sæpe sit avarus, et gulosus; quanta, quæso, rixa vel contentio sit frequenter in corde illius, cum unum eumdemque nummum sæpe gula expendere, avaritia jubeat reservare. In hunc itaque modum multoties levi ex causa regnum in seipsum dividitur, perturbatur atque confunditur, donec funditus desoletur. Omne enim regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

Notandum sane quod de hoc regno dicitur, quod tamen, inquit, de plantario ferri orietur. Cum enim prævaricatrix mens primo ad sæcularia desideria revertitur, ad tolerandos mundi labores animus obduratur, et tunc temporis, secundum sententiam Job, esse sub sentibus delicias computat (*Job* XXII), dum ad desideriorum suorum finem qualicunque modo pertingat. O quam felices essent, si ea quæ sustinent pro amore pecuniæ, vel alicujus adipiscendæ sæcularis pompæ vel gloriæ, patienter sustinerent pro amore justitiæ! Sed qui tot molestias, tot injurias, tot contumelias, sæpe tam patienter tolerant pro lucro cupiditatis, nec unum vel leve correctionis verbum æquanimiter audiunt pro amore virtutis. Hoc esse puto quod sequitur, cum statim subinfertur: *Secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto, et digitos ex parte ferreos, et ex parte fictiles, ex parte erit solidum, et ex parte erit contritum*. Fortes enim et patientes, ut dictum est, ejusmodi homines sunt in ea parte qua eorum labor posset militare virtuti. Quod autem dicit ex testa, ex luto quid aliud est hujusmodi testa nisi fœda consuetudo? Quasi enim lutum in testam duratur quando fœda actio in consuetudinem ducitur, sed ex fœdæ consuetudinis obduratione homo ad impatientiam dejicitur, et testæ more leviter nunc per iracundiam frangitur, nunc in concupiscentiam resolvitur. Sed, sicut de avaris ostendimus, videntur multi suis voluptatibus libenter tunc satisfacere, cum hoc possunt sine dispendio pecuniæ, cum autem sine lucri damno non possunt, vehementer contraire. Nonne tibi videntur isti ferrum, et testam ex luto pariter commiscere? *Quia autem vidisti*, inquit, *ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semini, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testæ*. Quæ sunt humana semina nisi carnalis prudentiæ consilia? Docet nos prudentia carnis propter usui necessaria pecuniam quærere. Docet nos eadem multa de vitæ necessariis detrahere, et pecuniæ parcere, ne videatur in necessarios usus deficere. Ecce quomodo adhæreat humano semini cum videatur unum quasi ex consilio alterum requirere, non tamen permiscentur, quia unum alteri videtur sæpe contradicere. Aliud imperat amor divitiarum, atque aliud amor deliciarum; aliud æstus voluptatis, aliud quæstus cupiditatis. Sed cum in hunc modum diversa vitia hominem per diversa rapiunt, vel ad contraria impellunt miserabiliter affligunt, nec die nec nocte quiescere sinunt, et modo mirabili atque miserabili qui ejusmodi sunt damnationis suæ tempora præveniunt, dum interna animi anxietate, vel exteriori afflictione erga semetipsos desæviunt, et nisi superna eos clementia respiciat, per temporalia tormenta ad æterna vadunt.

CAPUT XXXIV.

Quomodo divinitus promovetur homo quandoque de profundo iniquitatis ad summum fastigium charitatis.

Sed divina miseratio sæpe venit in adjutorium salutis quod, quantum in ipsis est, cumulus est damnationis, secundum quod scriptum est, ubi abundavit iniquitas, superabundavit et gratia (*Matth.* XXIV). Nam sæpe superna gratia dum hujusmodi homines inter calamitatum suarum angustias visitat, hanc eamdem infelicitatis suæ immanitatem eorum oculis objicit, et in ejus consideratione ad pœnitentiæ lamenta compungit, et eductas de lacu miseriæ, et de luto fæcis, quibusdam profectuum gradibus de profundo iniquitatis provehit ad summum fastigium charitatis. Nonne hoc est quod Scriptura loquitur, ubi consequenter adjungitur: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus populo alteri non dabitur. Comminuet, et consumet universa regna hæc, et ipsum stabit in æternum, secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum* (*Dan.* II). In diebus itaque regnorum illorum sub tempore tantæ malitiæ, et tantæ miseriæ datur abundantia gratiæ, et suscitatur regnum charitatis quod nunquam potest perire. Qui enim manet in dilectione, manebit in æternum. Itaque hoc regnum in æternum non dissipabitur. *Charitas* enim *omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* (*I Cor.* XIII). Et regnum ejus populo alteri non da-

Digitized by Google

ditur, hic est enim fons ille (ut ait Augustinus) de quo non communicat alienus : *Comminuet*, inquit, *et consumet universa regna hæc.* Vultis autem nosse quomodo charitas universa regna hæc comminuit atque consumit : *Charitas*, ait Apostolus, *patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Adhuc additur de hoc regno, quia ipsum stabit in æternum, et *Charitas*, ait Apostolus, *nunquam excidit*, secundum quod vidisti, inquit, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum. Scimus quia regnum Dei a timore inchoatur, sed in charitate consummatur. Per lapidem itaque timoris dejicitur opus confusionis, et fundatur regnum charitatis. Sed lapis sine manibus abscinditur per quem charitatis regnum fundatur : timoris enim incussio, charitatisque inspiratio fit in Spiritu sancto non opere humano : *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* v). Comminuet, inquit, atque consumet universa regna hæc, secundum quod vidisti, quod lapis abscissus est sine manibus, et contrivit testam, et ferrum, et æs, et argentum, et aurum. Destructio adversantium regnorum incipitur a timore, perficitur in charitate. Per timorem eradicantur a consensu, per charitatem evelluntur ab effectu. Comminuit ergo testeam fragilitatem charitas, quæ patiens est, comminuit ferreum rigorem charitas, quæ benigna est. Quid, quæso, est in quo simulationis æs comminuitur, nisi charitas quæ non æmulatur? Quid vero est quod comminuit æream pertinaciam, nisi charitas quæ non agit perperam? Si in argento jactantia, in auro intelligitur arrogantia, quid eis tam contrarium quam charitas quæ non inflatur, nec est ambitiosa, nec quærens quæ sunt sua? Si aut in argento illud opus intelligitur quod fit ex sola deliberatione, non autem ex dilectione, non fit tam ex dilectione quam ex veritate, quid tam consentaneum charitati quæ congaudet veritati? Si in aureo capite optimi operis defectus reprehenditur, eo quod ad debiti finis talum non perducitur, quid melius hoc opus arguit vel corrigit quam perfecta charitas quæ nunquam excidit? O felix charitatis regnum quod manet in æternum! O felix regnum quod nunquam dissipabitur, quando populo alteri in æternum dabitur! Felix regnum in quo patientia durat, benignitas perseverat! Felix regnum, in quo nemo æmulatur, felix utique in quo non agitur perperam, nemo inflatur, felix vere in quo nemo ambitiosus quærit quæ sua sunt; nemo uritur! Forte in hoc nobis aliquid innuit, quod cum superius in enumeratione contritionis prius ferrum, postea testam posuerit, hoc in loco sane prius testam, postea autem ferrum ponit. Sed scimus quia in aliis timor, in aliis autem principatur pudor. Nam alii quidem sunt magis timorati quam verecundi, alii vero magis verecundi quam timorati. Qui igitur timidiores sunt facilius compunguntur ex consideratione propriæ crudelitatis quam voluptatis. Qui vero verecundiores familiarius ad pœnitentiam emolliuntur ex recordatione fœdæ voluptatis quam iniquitatis. Si igitur per ferrum crudelitas, per testam recte voluptas intelligitur, quid mirum si alias, alio et alio ordine ferrum et testa comminuta leguntur, cum pro qualitate animorum ; vel morum in aliis et aliis intimæ compunctionis et veræ contritionis ordo vel occasio varietur?

CAPUT XXXV.

Quæ sit nimis sera, vel quæ sit utilis et certa prudentia.

Prosequitur adhuc Daniel, et addit : *Deus magnus*, inquit, *ostendit regi quæ futura sunt postea* (*Dan.* II). Deus, inquit, magnus, forte in ejus cogitatione et dilectione creverat, cui tantam mysteriorum profunditatem revelaverat, ut ejus magnitudinem non immerito præ cæteris magnificare debeat. Deus magnus ostendit regi, non cuilibet homini, sed regi ista Dominus ostendit, ut regia libertate et auctoritate illud suum regendum atque disponendum agnoscat, qui ad futurorum prænotitiam et ejusmodi gratiam anhelat. Deus magnus ostendit regi quæ futura sunt postea. O quanta Dei pietate agitur, ut cum adhuc futura est, dum adhuc præcaveri potest, sua homini ruina reveletur, ut tanta sollicitudine prævideat, et agnoscat quid timere, quid cavere, cui periculo repugnare debeat. Tarda quidem et nimis sera providentia est, cum jam imminens periculum vitari non potest. Deus magnus ostendit regi quæ futura sunt postea. Felix ille qui imminentem ruinam prævidere potest dum adhuc rex est, et passionibus suis dominari et instans adhuc periculum declinare potest! Videamus autem quid post hæc omnia subjungitur, cum dicitur : *Et verum est somnium, et fidelis interpretatio.* Multa sæpe divinorum mysteriorum profunda insitæ nobis rationis vivacitate penetramus, et nonnulla de futuris prudentiæ oculo antequam veniant cauta sollicitudine prævidemus. Sed in his sæpe constantia titubat, et quid per certitudinis securitatem inconcusse teneat haud plene comprehendit. Cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ. Econtra autem, quod in lumine Dei cernimus, quod ex ejus revelatione cognoscimus, tanta certitudine et fiducia tenemus, ut nullo super hoc ambiguitatis ancipiti pulsari possimus. Hoc est quod Psalmista figuraliter exprimit, cum dicit : *Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt* (*Psal.* XVII), Domini respicere, est illuminare. Cum enim sit lux vera, more utique solis eo ipso quo respicit, illustrat, accendit et illuminat. Ad divinum itaque respectum tanto sæpe divini luminis splendore replemur, ut in eo quod divinitus revelatur omnis mox ambiguitatis vel hæsitationis obnubilatio de medio tollatur. Nubes itaque transeunt, cum illæ quæ animum obnubilare consueverant dubitationes recedunt. Nubes transire-

Digitized by Google

est veritatis perspicaciam, et intelligentiæ serenum sine ulla percunctatione tenere. Ejusmodi certitudinem, certitudinisque securitatem in sententiæ suæ assertione habere se docuit qui fiducialiter asseruit. Et verum est somnium, et fidelis interpretatio ejus. Sed quid ad hæc rex fecerit, Scriptura subjungit.

CAPUT XXXVI.

Quod humiliatio instabilis, et indiscreta sit quidem reprehensione digna.

Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam et Danielem adoravit, et hostias, et incensum præcepit ut sacrificarent ei (*Dan.* II). Multum, nec mirum, seipsum humiliavit, et merito humiliari debuit postquam tale tantumque sibi periculum imminere cognovit. Sed in hoc eum quis non jure reprehendat, quod illum qui soli Deo debetur honorem homini mortali exhibeat? Sed forte illum, quia verum templum esse deprehendit, tali honore dignum judicavit. Sed ad ædificationem nostram oportet nos ista diligenter discutere, vel quod in nobis juxta horum similitudinem actitari soleat subtiliter inquirere: Cecidit, inquit, in faciem suam: per faciem homo cognoscitur, et ea pars in homine cæteris decentior vel dignior habetur. Quid itaque aliud est in faciem cadere quam illud etiam quod in se præcipuum, vel optimum est alta desideratione despicere, et illud utique unde aliis innotescere, et velut venerandus apparere consueverat, tanquam infirmum et pene vel penitus nihilum reputare? Attende quomodo in faciem suam cecidit, quomodo seipsum humiliavit, vel humiliari nos voluit, qui omnes justitias nostras panno mulieris menstruatæ comparavit. Sed nec valde magnum, nec admodum mirum si eo nos tempore abjicimus, quo periculum nostrum imminere jam cernimus. Tunc, inquit, rex cecidit in faciem suam. Tunc cecidit cum, Daniele docente, periculum suum agnovit. Sed sciendum quod illa humiliatio, quæ sine perseverantia est, imminenti periculo repugnare non potest.

Illud quoque notandum quod sæpe quo se quis inconsultius et immoderatius abjicit, eo ad insaniorem et enormiorem postmodum superbiam erumpit. Attende in rege humiliationem instabilem et indiscretam, et postmodum superbiam plus quam humanam. Nam qui prius Danielem adoravit, idem ipse postmodum statuam suam adorare præcepit.

CAPUT XXXVII.

Quod in nulla nostra virtute debeamus confidere vel gloriari velle.

Hostias, inquit, et incensum præcepit ut sacrificarent ei. Animalia pro Daniele occidere, vel incensum cremare, et ejusmodi quælibet in ejus usus vel utilitatem expendere omnino non esset culpabile. Culpabile autem hæc illi sacrificare, et homini mortali divinum honorem expendere. In hostiæ immolatione, brutorum et irrationabilium caro mactatur, in incensi concremationis suavis odor latius spargitur. Quasi igitur viva, sed bruta caro mactatur, quando quilibet irrationabilis appetitus vel affectus in nobis carnis contritione mortificatur, et tunc velut incensi odorem latius spargimus, quando cujuscunque virtutis opinionem dignis laudum præconiis dilatamus. Ex his itaque quæ in nostris appetitibus vel affectibus adhuc bestialiter vivunt pro Daniele nostro mactare, et ejusmodi mortificationem in devotionis nostræ usum et utilitatem exercere absque ulla contradictione non erit inutile. Cum autem Danielis officium multiplici laude commendamus, et de virtute devotionis, bonæ opinionis fragrantiam sermonis nostri commendatione circumquaque diffundimus, bonum opus quidem facimus, si in his omnibus Danielis nostri non tam gloriam quam utilitatem quærimus. Et, ut apertius dicam quid sentiam, bonum est utique ob devotionis gratiam et orationis instantiam vitam nostram restringere, bonum est virtutem orationis commendare et laudibus efferre, si tamen ab hoc fiat ut nostra devotio in melius excrescat et ferventior exsurgat, non ut gloriosior appareat. Quam multi sunt qui cum per orationis instantiam, aliquam se obtinuisse gratiam credunt, multum jam de sua devotione vel sanctitate præsumentes magna et ab aliis de ea æstimari volunt. Hoc est quod Nabuchodonosor postquam per Danielem ad voti sui desiderium pervenit, tam inepto quam vano eum honore cumulavit. Hoc autem quod circa hanc de qua loquimur virtutem reprehendimus, in qualibet virtute, vel gratia cavere debemus. Audi aperte, diligenter adverte, memoriter retine si in aliqua gratia, in aliqua industria, si in aliqua virtute tua confidis, præsumis, gloriaris, divinum quidem et satis improbe honorem ei impendis, ne dicam Deum tibi facis. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Maledictus homo qui confidit in homine, ergo qui confidit in se vel aliqua sua virtute: *Gloriam meam*, inquit, *alteri non dabo, nec laudem meam sculptili* (*Isa* XLII).

CAPUT XXXVIII.

Quam multi quærunt virtutum scientiam, morumque doctrinam ad ostentationem, non ad utilitatem.

Quam multi gloriantur, et gloriosi in oculis hominum esse volunt, non dicam de eo quod virtutes vel sanctitatem habeant. Sed quod de virtutibus quidem prudenter disserere, et diserte disputare sciant. O quanto satius, o quanto utilius tibi esset aurum scientiæ et argentum eloquentiæ non habere, quam inde tibi idolum facere! Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Virtutum modum, et formam solam per intelligentiam et doctrinam depingere, et memoria retinere, earum autem effectu carere, quid aliud est quam quædam simulacra corde gestare? Scientia sanctitatis sine intentione bona quid aliud est quam imago sine vita? Scientia sola sine sanctitatis effectu, et bonitatis affectu, quid aliud est quam simulacrum vanum sine motu, et sensu? *Os*, inquit, *habent et non loquentur, oculos habent, et non videbunt; aures habent et non audient, nares habent et non odorabunt*

Digitized by Google

Manus habent, et non palpabunt; pedes habent et non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo (*Psal.* cxiii). Os, ut omnes novimus, est instrumentum loquendi; oculi, instrumentum videndi; aures, instrumentum audiendi, et in hunc modum debet et de aliis intelligi. Quid itaque est os, oculos, aures, vel talium quælibet habere, et ea in nullos usus exercere, nisi officiorum instrumenta habere, et instrumentorum officiis carere? Legis quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* x). Ad os itaque pertinet confessio, ad oculos circumspectio, ad aures obauditio, ad nares discretio, ad manus operatio, ad pedes promotio, ad guttur supplicatio. Ecce illa tua scientia inanis optime fortassis novit quæ sit virtus confessionis. Novit quia omnia in confessione lavantur. Novit fortassis quomodo confiteri debeat, nec tamen confitetur. Os igitur habet et non loquitur. Novit fortassis quomodo vitam suam circumspicere debeat, eam tamen quomodo oportet circumspicere dissimulat. Videndi quodammodo instrumentum habes, sed videndi officio cares. Nosti forte quæ sit virtus obedientiæ, et qualis debeat esse, nec tamen vis obedire. Hoc est aures habere, et non audire. Per scientiam discernendi instrumentum fortassis habes spiritualis odoramenti. Sed dum in moribus discernendi nullum studium impendis, de inutili instrumento inaniter gloriaris. Scis quomodo te oporteat in bono opere exercere, nec tamen vis fructum boni operis per experientiam capere, hoc est manus habere, et non palpare. Quid enim est manibus palpare, nisi operum fructus experiendo probare? Profectuum pedes per scientiam accepisti, si quomodo in anteriora extendere oporteat didicisti. Sed pedes habens minime incedis, si ad profectum non tendis. Supplicandi doctrinam accepisti, et non vis supplicare, hoc est guttur habere, et nolle clamare.

CAPUT XXXIX

Quod in cujuscunque virtutis exsecutione septem ista oporteat observare.

Si autem diligenter attendimus, septem ista in cujuscunque virtutis exsecutione observare debemus. Primum illud quod ad os pertinet, anteacta mala damnare, et accusare. Secundum quod ad oculos pertinet, quid agendum sit diligenter investigare, et per investigationem cognoscere. Tertium quod ad obauditionem pertinet, invento consilio consentiendo acquiescere, et obtemperare velle. Quartum quod quasi varium sit, agendo bono insidiantia mala caute deprehendere, et prudenter discernere. Quintum quod etiam quasi ad manus spectat, deliberatum bonum opere explere. Sextum quasi quadam promotione pedum, ex bono incœpto semper ad meliora tendere. Sed quia ad nullum horum per nosmetipsos sufficientes sumus, ad omnia hæc divinum auxilium implorare debemus. Si autem hæc novimus, nec tamen opere exercemus, quid aliud in acquirendis, et excolendis scientiis otiosis, et inutilibus, quam vana et inania simulacra facimus, vel colimus, dum sola virtutum notitia contenti sumus? Vide quam sit perversum atque damnabile, spiritualem doctrinam ad solam ostentationem non autem ad ædificationem quærere. Carnis prudentia est ista profecto, et quæ prorsus inimica sit Deo? Quid, quæso, prodest, imo quantum obest cum magno labore, et summo studio quærere, et investigare, et anxie scire velle, quæ nullo modo velis opere exercere? Nam luce clarius constat, quia servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens quin potius agens indigna, plagis vapulabit multis. O quale, et quam inutile consilium, consilia vitæ ad hoc solum quærere, ut habeas quo possis cæteris sapientior apparere, et magistri nomen obtinere! Quam acuta prudentia, quam astuta providentia illis consiliis exquirendis vehementer insistere, quibus adeptis, nullo modo velis acquiescere! Sæpe autem hujusmodi mentibus justo Dei judicio accidere videmus, ut quales prius sunt spiritales providentiæ ad spiritualia, tales postmodum fiant carnales providentiæ ad carnalia. Qualia, inquam, spiritualia consilia prius existant ad cœlestia et divina, talia post modicum carnalia consilia inveniantur ad sæcularia et humana. Quemadmodum enim in spiritualibus et animæ lucris prius vident quæ salubriter facere possint, et tamen facere nolint; sit postmodum in carnibus commodis et temporalibis lucris videant quæ utiliter facienda sint, et tamen concupiscentia victi vel socordia devincti, omnino facere non possint. Solent autem hoc ipsum quibusdam etiam utiliter accidere, ita ut ex eo ipso jam incipiant vitia sua detestari et abhorrere, et super hoc ipso divinum auxilium implorare, cum videant nec inter summa pericula seipsos posse a suis excessibus temperare, unde est illa prophetica imprecatio, seu postulatio: *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* cxiii). Sed ut ad id redeamus unde digressi sumus, hinc saltem colligamus quam ineptum sit et inane de solis inanibus virtutum scientiis, et quibusdam quasi ipsarum simulacris gloriari velle, cum apud Deum detestabile sit hominem de aliqua sua virtute præsumere. Ecce Nabuchodonosor reprehendimus, et merito reprehendere debemus quod Danielem, quamvis hominem fidelem, divino honore donari præcepisset, quanto magis si ejus imagini idipsum exhiberi voluisset.

CAPUT XL.

Quod sæpe desiderium corrumpitur unde intelligentia illuminatur.

Sed videamus inter hæc quam vera de Deo senserit vel dixerit, qui tam inania fieri voluit. Loquens ergo rex ait Danieli: *Vere Deus vester Deus deorum est, et Dominus regum, revelans mysteria, quoniam potuisti aperire sacramentum hoc.* (*Dan.* II). Ecce quam sane, et de divinis sentit, et tamen idololatriæ simile quod per opus exercuit. Sic sic sub uno eodemque tempore et Moyses in monte ad summa et divina contemplanda sublimatur, et

Digitized by Google

plebs sibi commissa ad idololatriæ scelus, et vituli A
culturam in valle dejicitur, et fit utique sæpe in uno eodemque animo, modo mirabili atque miserando, ut unde in summis intelligentia humana ad divina illuminatur, inde minus desideriorum turba corrumpatur. Quis enim nesciat quomodo magnitudo revelationum mentem incautam in superbiam elevat, cum Apostolus ipse de seipso dicat : *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet* (*I Cor.* XII). Sæpe etenim quidam adhuc inter ipsa divinarum revelationum spectacula constituti, apud semetipsos tacita mente superbiunt, jam magna de se æstimantes, magni ab aliis æstimari dignum ducunt, jam quomodo et aliis innotescere valeant sagaci sollicitudine perquirunt, jam inanis favoris auram captant, et illam quam apud Deum habere consueverant gloriam veram, in vanam commutant. De qualibus Psalmista : *Et mutaverunt gloriam in similitudinem vituli comedentis fenum* (*Psal.* CV). Cum enim scriptum sit : *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni* (*Isa.* XL). Quid aliud erit vitulus fenum comedens, nisi humani favoris appetitus, carnalem et temporalem gloriam ambiens ? Quid igitur aliud erit vitulum animal quidem petulcum et brutum colere, quam in gloriæ temporalis ambitione irrationabili appetitui deservire, et in temporali et inani gloria gloriam suam constituere ? Et Nabuchodonosor quidem, quem tamen juste reprehendimus, tolerabilius C
aliquid fecit, qui hominem utique animal, videlicet rationale, divino honore donavit. Nam procul dubio irrationabilius erit irrationabile, quam rationabile animal colere. Alii confidunt et gloriantur in propria virtute, alii autem de sola virtutis æstimatione. Illi de eo quod habent vel se credunt habere, isti de eo quod æstimantur ab aliis esse. Illi de testimonio conscientiæ, non quasi apud Deum, isti de testimonio famæ quasi apud proximum tantum. Illud itaque est velut animal irrationabile, istud velut animal rationale. Felix qui gloriatur de conscientiæ testimonio, sic tamen quasi in Domino. Alioquin ingratum valde gloriari de munere, sed non in muneris auctore. Quanto melius, quanto rectius dictus rex Deum quam Danielem adoraret, et D
ei sacrificaret, qui eum quidem (quamvis Danielis officio) docuerat quod quærebat.

CAPUT XLI.

Quod alia ex divina revelatione cognoscimus, alia ex ratione colligimus.

Sed quia reprehendenda, ut jam diximus, fecit, videamus quam recta de Deo senserit in eo, quod dixit : Vere Deus vester, Deus deorum est, et Dominus regum. Cum potestas regia sit principalis et summa, quid est regem hoc dicere, nisi ex intimo animæ sensu hoc fortiter immobiliterque tenere? Quid est hoc Danielem a rege audire, nisi intimum animæ sensum, veram animi devotionem non delere, nec posse latere ? Vel in eo fortassis quod alia Daniel a Deo discit, alia etiam a rege audivit sacra Scriptura mystice innuit, quia in devotionis nostræ usum alia sunt quæ ex divina revelatione discimus, alia quæ ex insita nobis rationis vivacitate perpendimus. Quod autem de Deo loquens vester et noster dicit, respectum gratiæ, non conditionem naturæ attendit. Speciali enim quodammodo illorum proprie erat, qui ex gratiæ ipsius munere, et meritorum prærogativa singularem, præ cæteris apud ipsum familiaritatis locum, et confidentiæ ausum obtinuerant. Et absque dubio devotio est, quæ Deum et propitium reddit, et familiarem efficit. Deus, inquit, deorum, et Dominus regum. Nam etsi sint qui dicantur dii, sive in cœlo, sive in terra, secundum illud : *Ego dixi : Dii estis* (*Psal.* LXXXI), nuncupative quidem sic dici possunt : nam quod Deus naturaliter et substantialiter est, omnino esse non possunt. Est ergo Deus deorum, et Dominus regum. Quia, testante Apostolo : *Non est potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII). Nam quod alii aliis præsunt, quod viri virtutum vitiis et passionibus suis dominari possunt, ex summi Regis sane munere accipiunt. Ait ergo : Vere Deus vester, Deus deorum est, et Dominus regum, revelans mysteria, unde autem hæc colligat, atque conjiciat, statim adnectit, cum dicit : Quia potuisti aperire sacramentum hoc. Ex eo enim, quod sibi secreta cordis sui, ex eo item quod sibi arcana consilii divini, unum de præterito, alterum de futuro, sub uno eodemque tempore revelavit, mira ingenii vivacitate, summæ divinitatis revelationem perpendit. Ex eo autem, quod de sui cordis secreto audivit, et verum probavit, verum et illud esse collegit, quod divinitatis consilio vel proposito interim per experientiam probare non potuit. Prudenter igitur animadvertit summam sapientiam esse, quæ Danieli potuit in tam tenebroso humani cordis abysso alienæ conscientiæ secreta aperire. Nam, secundum Salomonis sententiam, solus Deus est, qui novit cor omnium filiorum hominum. Sagaciter nihilominus deprehendit summam potestatem esse quæ Danieli potuit futurorum, atque gerendorum ordinem et dispositionem pro beneplacito revelare. Quis enim alius quam Deus divinum consilium ei manifestare potuit? Juxta illud, quod Isaias dixit : *Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Isai.* XL.) Teste namque Apostolo, sicut nemo novit quæ sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est, sic nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei. Recte ergo dicitur : Vere Deus vester, Deus deorum est, et Dominus regum, revelans mysteria, quia potuisti aperire sacramentum hoc.

CAPUT XLII.

Quod optimum sit devotionem nostram eousque proficere, quod nulla occupatio possit ejus officium interrumpere.

Tunc rex Danielem in sublime extulit, et munera magna, et multa dedit ei. Si per Danielem devotionem recte intelligimus, quid aliud erit Danielem in

Digitized by Google

sublime attollere quam devotionis officium inter cætera quælibet officia principale et præcipuum reputare, et quasi summo loco habere? Fieri autem solet postquam mens quanta sit virtus veræ devotionis per experientiam ejus probat, ut studiis vehementius intendat et ejus provectibus diligenter insistat, investigando quærat, quærendo inveniat, unde in idipsum ad meliora proficiat. Quid aliud igitur quam munera magna et multa devotionis nostræ Daniel accipit, quando ex alacriter impenso studio, quasi quædam intelligentiæ talenta et prudentiæ lucra facile invenit, unde ad majora crescere, et ad plurima dilatari possit? *Et constituit eum*, inquit, *principem super omnes provincias Babylonis, et præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.* O utinam devotio nostra, eousque proficiat, quo cunctis principibus Babylonis superior, cunctis prudentibus Babyloniæ sapientior appareat, et omni eo quod in mundo placet, vel pretiosum videtur ex mentis nostræ judicio, pretiosior emineat, et ex arbitrii decreto superius lucrum obtineat! Hoc erit, ut arbitror, Danielem a rege principatus, et magisterii arcem accipere. Utinam contingat, tandem aliquando nostram devotionem id perfectionis attingere, quo nulla quantumlibet vehemens affectio, nulla occupatio, nulla sollicitudo, nulla suggestio, vel suasio possit in nobis ejus studium, non dicam dissipare, sed nec quidem interrumpere, et illud immobile Apostolicum impleatur: *Sine intermissione orate!* (*I Thess.* v.) Utinam cætera quælibet officia ita disponantur, vel ordinentur, ut devotionis nostræ usibus et utilitatibus militare, seu etiam subservire probentur!

CAPUT XLIII.

Quod etiam in necessitatis nostræ usibus nihil improvide, nihil inconsulte agere debeamus.

Daniel autem postulavit a rege, et constituit super opera provinciæ Babylonis, Sidrac, Misach et Abdenago (*Dan.* II). Petenti Danieli, rex absque dubio consentit, quando mentis arbitrium facile acceptat, et recipit quidquid ei conscientia sub tempore intimæ devotionis suggerit. Sed quæ, quæso, dicta est illa Babylonis provincia, vel quæ illius provinciæ opera? Certe circumadjacentem Babylonis provinciam Deus fecit: nam muros utique, et ædificia humana industria explevit. Si ergo Babylon recte *confusio* interpretatur, si ejus quælibet confusioni subjacere videntur, quomodo, quæso, ad Babylonem pertinere, vel confusioni subesse potuit, quod Deus fecit et instituit? Scimus autem, quia Deus hominem multiplici necessitati subjecit: nam comedendi bibendi, et quorumlibet ejusmodi necessitatem ex ipso conditionis suæ jure accepit. Sed si in primo illo conditionis suæ statu perstitisset, ista homo nullo modo erubesceret, quia sine omni peccato exercere potuisset. Nunc autem eadem ipsa necessitatis officia juste erubescimus, quia corruptionis nostræ vitio devicti, sine culpa exercere non valemus. Recte ergo Babylonicæ possessioni deputatur lata illa, et vere multum dilatata infirmitatis nostræ corruptela, quæ confusioni subjacere non dubitatur. In hujusmodi itaque provincia, et necessitatis nostræ officio, vel opera, erit omnino perutile prædictos illos viros præfecisse, et sub eorum dispositione omnia redegisse. Sicut superius jam diximus, per istos tres viros, circumspectionem, discretionem, deliberationem intelligere debemus. Debemus itaque non solum in studiis et exercitiis spiritualibus, verum etiam in negotiis sæcularibus et necessitatis usibus nihil incircumspecte, nihil indiscrete, nihil improvide facere. Et hoc erit Sidrach, Misach et Abdenago, super omnia opera provinciæ Babylonis constituisse. Itaque in his etiam, in quibus humanæ necessitati consulimus, vel communi infirmitati deseruimus, nihil sine modestia, nihil sine mensura, nihil sine intentione bona, nihil præter ordinem, nil præter rationem agamus, et quale Daniel magisterium in Babylonica provincia habere nos voluit, obtinemus. Denique secundum Sapientis sententiam, omnia fac cum consilio, et tale magisterium habes, quale tibi propheta designat ex mysterio. Omnino namque opus est circumspectione, discretione, si volumus nihil improvide, nihil inconsulte agere.

CAPUT XLIV.

Quod quidquid animum per cogitationem pulsat, mentis devotionem excitare debeat.

Ad ultimum autem in conclusione sermonis infertur: *Ipse autem Daniel erat in foribus regis* (*Dan.* II). Scimus autem, quia per fores aditus ad interiora patet. Daniel denique, quasi in regis foribus observat, quando devotio nostra circa quaslibet suggestiones caute invigilat, et contra quaslibet maligni machinationes in ipso tentationis aditu oratione repugnat, ne incautam mentem ulla infestatio, vel violentia opprimat, vel fraude circumveniat. Felix animi status, et omni studio expetendus, quando omne quod animum per cogitationem pulsat, et statim absque ulla mora mentis devotionem excitat. Debet itaque devotio mentis omnem arbitrii consensum studiose prævenire, et oratione præmunire. Et hoc erit Danielem regis foribus præsidere. Ad omnem suggestionem, ad omnem emergentem cogitationem petamus a Domino ne nos inducat in tentationem, et habeamus Danielem civitatis nostræ foribus præsidentem. Audi quid secundum hæc Sapiens admoneat, cum dicat: *Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat* (*Tob.* IV). Ad veram autem vitam vias nostras dirigat, qui sine fine vivit, et regnat. Amen.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De conscientiæ securitate, vel profectuum innovatione.

Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, et florens in palatio meo (*Dan.* IV). Quid per domum intelligimus, nisi conscientiam, et quid per palatium, nisi conscientiæ securitatem, securitatisque fiduciam? Nam et palatium domus est, quælibet tamen domus palatium dici non potest. Palatium namque est domus quædam fortis, sublimis atque regalis. Si per domum conscientiam debemus intelligere, recte per palatium intelligitur securitas conscientiæ. In domo itaque sua quietus sedet, quem sua conscientia non remordet. Quietam conscientiam facit præteritorum malorum condigna satisfactio, et instantium malorum cauta providaque declinatio. Quietus itaque in domo manet, quem conscientia sua, nec de præterita, nec de præsenti culpa remordet. Quietus in domo erat, qui veraciter dicebat: *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea* (*Job* XXVII). Quietus in domo sua exstitit, qui veraciter dicere potuit: *Nihil enim mihi conscius sum* (*I Cor.* IV). Quietus sane tunc temporis in domo erat, et in palatio suo florebat, cum dicebat: *Gloria nostra, hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Quia in flore fructus speratur, recte per florem certa futurorum bonorum exspectatio figuratur. Quia flos est inchoatio futurorum fructuum, recte nihilominus per florem intelligitur innovatio profectuum. In flore ergo figuratur vel certa præmiorum exspectatio, vel nova meritorum promotio. In palatio itaque suo ille veraciter floret, qui sub bonæ conscientiæ suæ testimonio coronam gloriæ securus exspectat. Audi in domo sua quiescentem, et in palatio suo florentem: *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo; satiabor, cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Quod dicit in justitia apparebo, pertinet ad domus quietem. Quod dicit satiabor cum apparuerit gloria tua, pertinet ad efflorationem. In palatio suo nihilominus florebat, qui cum magnæ securitatis conscientia dicebat: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex* (*II Tim.* VI). Nonne et ille tibi in palatio suo florere videtur, cujus sensus de die in diem renovatur? In palatio suo sedet, floret, qui inter magna opera sua quæ libenter facit, adhuc majora et meliora in corde proponit.

CAPUT II.

De intellectualis sensus illuminatione, vel quomodo contemplationis nostræ spectacula, menti soleant utilem timorem incutere.

Somnium vidi, inquit, *quod perterruit me, et cogitationes meæ in stratu meo, et visiones capitis mei conturbaverunt me* (*Dan.* IV). Prius dormimus quam somnium videamus. Quia per somnium corporis sensus corporeus sopitur, recte per somnium mentis alienatio intelligitur, per quam exteriorum omnium memoria funditus intercipitur. Somnium autem videre, est in divinæ contemplationis arcanum mente transire. Dormit itaque et somnium videt qui per mentis excessum in sublimium contemplationem ascendit: Somnium, inquit, vidi, quod perterruit me. Hujusmodi somniorum alia deterrent, alia demulcent, alia contristant, alia lætificant. Lætificat sane (nec mirum) contemplatio æternorum gaudiorum, terret vero speculatio divinorum judiciorum. Quis enim digne exprimere possit, quam lætum, quam jucundum sua eum visio sive revelatio facit, cui Deus per Spiritum suum revelavit, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in corde hominis ascendit? Sed quomodo eum econtra sua visio terret, qui mentis sublevatione per contemplationem videt, quam miro, quam occulto Dei judicio quod et de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, et alius natus in regno inopia consummetur? Quem, quæso, divinorum judiciorum abyssus non terreat, cum divino lumine tactus mentis intelligentia perspiciat, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque in omnibus? Viderat utique Propheta, quia judicia Domini abyssus multa et perterruerant eum visiones capitis sui, cum diceret Domino: *A judiciis enim tuis timui* (*Psal.* CXVIII). Solent tamen hujusmodi visiones perterrere, non tam eo tempore quo per excessum mentis videntur, quam tunc temporis cum post excessum somnum ad memoriam revocantur, quando subtili examinatione secum tacita mente retractantur. Hinc est illud quod sequitur, cum dicitur: Et cogitationes meæ in stratu meo, et visiones capitis mei conturbaverunt me. Ex duobus siquidem se asserit conturbari, ex cogitationibus suis, et visionibus capitis sui. Cum enim mens ex divina revelatione mirandum, imo et formidandum aliquid considerat, et postmodum ad se rediens secumque retractans seipsam forti examinatione dijudicat, ne forte digna sit, cui tale aliquid contingat ex propriis nimirum cogitationibus secum agitur, ut sua eam visio perterreat. Cogitationes, inquit, meæ in stratu meo. Quid hic intelligitur per stratum, nisi intimæ quietis otium, visio vero capitis, illuminatio sensus intellectualis. Et visiones, inquit, capitis mei conturbaverunt me. Cogitationes suæ itaque in stratu suo, et visiones capitis sui unumquemque tunc perterrent, terrendoque conturbant, cum ex eo quod secum

Digitized by Google

post divinæ revelationis arcanum meditationis suæ negotioso otio pertractat, ad salubrem sollicitudinem, utilemque formidinem evigilat. Cum enim quis ex divina revelatione cognoscat quomodo soleat alius de bono in melius proficere, alius de malo in deteriora vergere, vel quomodo contingat alios de summis bonis in infima mala corruere, vel de infimis malis ad virtutum summa ascendere; quid, quæso, mirum, si sua eum visio cogat formidare? *Nescit* namque *homo finem suum; sed, sicut pisces capiuntur hamo, et aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit* (*Eccle.* IX).

CAPUT III.

Quod alia sit gratia per quam cognoscimus judicia divina, alia per quam discernimus merita propria.

Vide autem quam sit stupendum, quamve formidandum quod sæpe mens divino lumine irradiata, per contemplationem videat quid tali homini, qualis ipse est, digne debeat contingere, et tamen talem tunc temporis esse nesciat, cui tale judicium ex divina sententia merito incumbat. Nonne Nabuchodonosor regi hoc idem contingit, qui divinam sententiam de arboris abscissione ex Dei revelatione cognovit, verumtamen ostensæ arboris similitudinem ad seipsum trahere ignoravit? Vidit quid tali homini ex divina sententia incumberet, qui ejusmodi arboris imaginem, vel similitudinem in seipso gestaret, et tamen quod talis ipse exstiterit, quia per seipsum non potuit, per alium cognovit. Vide ergo quia alia est gratia, per quam cognoscimus judicia divina, et alia illa per quam discernimus merita propria. Illa namque contemplando, ista invenimus meditando. Illud itaque posse accepimus ex gratia contemplationis, istud vero ex studio meditationis et gratia discretionis. Et sæpe unus idemque homo, utramque simul gratiam accipit quamvis sub uno eodemque tempore simul utramque exercere non possit. Quasi itaque alius alium consulit, quando quod per unum eumdemque mentis statum plene non potuit, ex alio statu alioque tempore discit, quod ad plenam sui cognitionem interim sufficere possit. Hinc est quod Nabuchodonosor per Danielem eruditur de his quæ ipse in sua visione dubitare videtur. Mirumque in modum dum rex prophetæ suam visionem narrat, ignorans docet alium, quod ab eo discat, et Daniel ab interrogante et ignorante discit quid discentem docere debeat. Sic utique, sic sæpe mens prudenter inscia de contemplationis lumine reportat, quod postmodum per meditationem inveniat, pleniusque cognoscat. Accipitque meditatio de præcognita revelationis luce, unde nodos dubitationis dissolvat. Sicut superius jam diximus, per regem liberum arbitrium, per Danielem devotionem intelligimus. Ad ejusmodi itaque regem illa contemplatio pertinet, quæ mentis arbitrio subjacet, quando eam animus jam ad manum habet, et velut ex potestate exercet. Sic et illa meditatio ad Danielem videtur pertinere, quam ex devotionis studio religiosa mens circa morum suorum circumspectionem solet exercere. Designatus ergo rex apud Danielem quasi somniorum suorum interpretationem quærit, et invenit, quando animus, quæ inter liberos contemplationis suæ volatus prospexit, postmodum meditando, et circumspiciendo in moribus suis legit, et altius intelligit. Sed videamus modo quam instanter Nabuchodonosor quæsivit quod nescivit.

CAPUT IV.

Quomodo oporteat sæcularia studia deponere, et ad spiritualium investigationem convertere.

Inter hæc autem, quos capitis visiones et subsequentes cogitationes conturbant, discant regis Nabuchodonosor exemplo quid facere debeant: *Et per me*, inquit, *propositum est decretum, ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, et ut solutionem somnii indicarent mihi* (*Dan.* IV). Ecce quam diligenter, ecce quam instanter quærit quod nescit, nisi prius desistit, donec somnii sui solutionem inveniat quam quærit. Hinc est, quod Job de semetipso dicit: *Causam quam nesciebam, diligenter investigabam* (*Job* XXIX). Decretum proponere, est aliquid firmiter statuere, et quod omnino non liceat temerare. Vide ergo quam vehementer fieri voluit, super quo decretum proponit. Ad sapientes Babylonis pertinet sapientia hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum. Ad sapientes Babylonis pertinet prudentia carnis, quæ inimica est Deo. Sapientes itaque Babylonis sunt peracuta scrutinia mundanæ philosophiæ. Sapientes Babylonis sunt peracuta consilia carnis prudentiæ. Quid itaque erit ejusmodi sapientes introducere, et ad interiora revocare, nisi peracuta illa investigationis nostræ scrutinia, quæ solebamus sæcularibus negotiis impendere, ad spiritualia studia convertere? Quasi enim exterius sunt, quæ sensu exteriori percepi possunt. Illa autem velut intus sunt quæ nisi interiori sensu omnino comprehendi non possunt. Intus ergo spiritualia, foris corporalia. Sapientes itaque Babylonis introducimus quando sæcularia, et quælibet exteriora studia ad spiritualem intelligentiam et spiritualium investigationem convertimus. Sapientes Babylonis introducere, est exteriorum curam postponere, et solis spiritualibus exercitiis studium impendere. Sapientes suos in intimis tenebat, qui dicebat: *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui. Meditatus sum nocte cum corde meo, et exercitabar, et scopebam spiritum meum* (*Psal.* LXXVI).

Notandum autem quod sapientes nostri, modo intus, modo foris sunt, et tamen in conspectu nostro non sunt. Quasi in arbitrii nostri conspectu habetur, quod per intentionem, et ex deliberatione agitur. Sæpe autem contingit ex multa studiorum nostrorum consuetudine animum ad inolita scrutinia incidenter recurrere, et antequam advertat quid intendat, multam ibi moram invectere, hoc est sa-

Digitized by Google

pientes suos ante conspectum suum non habere. Sed ille absque dubio sapientes suos ante conspectum suum sistere facit, qui studia sua ab omni evagatione restringit, et juxta deliberationis suæ propositum solis utilibus, et necessariis impendit. Sapientes suos mens quasi in conspectu suo tenet, et observat, quando circa studiosas meditationes suas tanta cura invigilat, ut investigationis suæ pedem nusquam divertere liceat, nisi quo eas ex deliberatione direxerat, intantum ut sagacitatis suæ industriam, nulla perscrutationum suarum evagatio vel ad modicum prætergredi queat.

CAPUT V.

Quomodo insistere oporteat, qui ad divinorum mysteriorum enodationem anhelat.

Sed videamus modo cur sapientes suos in unum cogat, vel ad interiora compellat, ut solutionem, inquit, somnii indicarent mihi. [Sicut in alterius visionis expositione jam diximus, aliud est divina judicia oculo contemplationis, et quasi per somnium cernere, et aliud eorumdem rationem perpendere, et qua æquitate, vel utilitate proveniant discretionis suæ vivacitate dijudicare. Illud ad somnii visionem, istud pertinet ad somnii interpretationem. Somnium ergo quodammodo videmus, quando occulta Dei judicia in contemplationem et admirationem adducimus. Somnii nostri interpretationem quærimus, quando post contemplationis nostræ spectacula eorum, quæ per mentis sublevationem vidimus rationem, modum et ordinem investigamus. Nonne ad somnii visionem pertinet stupenda illa, quæ in Scripturis legimus divinorum judiciorum magnalia in considerationem adducere, et eorum admirationi diutius et diligentius inhærere? Nonne ad somnii interpretationem pertinet mysticam eorum intelligentiam quærere, et per expositionem explanare posse? Nonne ad hujusmodi somnia anhelabat, qui in oratione dicebat: *Illumina oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua* (*Psal.* CXVIII). Quam autem pro magno haberet in ejusmodi somniorum interpretationem divinitus gratiam accipere, potestis ex illa ejus sententia perpendere. Cum enim de Domino præmiserit: *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel*, statim adnectit: *Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis* (*Psal.* CXLVII). Veluti somnium jam viderat quæ ex contemplationis suæ luce deprehenderat, quod universa æque eveniant justo et impio, bono et malo, mundo et immundo, immolanti victimas et sacrificia contemnenti. Somnii interpretationem quæsierat, sed necdum invenerat, cum alio loco dicebat: *Ecce hoc inveni*, dixit Ecclesiastes, *unum et alterum, ut invenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, et non inveni* (*Eccle.* VII). Oportet ergo sapientes suos in unum congregare, et ad interiora revocare, qui cupit ad ejusmodi, quæ jam determinavimus somniorum interpretationem gratiam obtinere. *Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi et aruspices. Tunc*, inquit, *ingrediebantur.* Quid est tunc, nisi post decretum, post deliberationis propositum? Multi enim sæpe multa proponunt, minime tamen faciunt, quia quam facile aliquid statuunt, tam facile rursum statuta rejiciunt.

Primo itaque observandum nobis est, ut utilia statuamus. Secundo autem, ut utiliter statuta firmiter teneamus. Attende quam firmiter statuit, quod optimus ille deliberator, optimum esse perpendit: *Juravi*, inquit, *et statui custodire judicia justitiæ tuæ* (*Psal.* CXXVIII). Audisti de voti institutione, audi et de voti executione: *Vota mea reddam in conspectu omnis populi ejus* (*Psal.* CXV). Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldæi et aruspices. Superius generaliter de Babylonis sapientibus proposuit, hic quosdam specialiter expressit. Arioli, inquit, magi, Chaldæi et aruspices. Sed quia veraciter constat hujusmodi sapientes non vere sapientes esse, nusquam pene Scriptura sacra dicit eos sapientes nisi cum determinatione, sed modo Babylonis, modo dicit eos rex sapientes regni sui, vel aliquid hujusmodi. Si igitur per ariolos, magos, Chaldæos et aruspices, studia prava, studia frivola, inepta et vana intelligimus, vide quam viriliter, vide quam salubriter ejusmodi studia ad spiritualia exercitia convertimus. Sapientes itaque Babylonis ad interiora compellimus, cum curam et sollicitudinem quam rebus supervacuis impendere solebamus, solis spiritualibus impendimus. Sapientes Babylonis velut in somniorum interpretatione occupamus, quando studiis supervacuis omnino sepositis, in divinorum mysteriorum, seu judiciorum enodatione singulariter insistimus.

CAPUT VI.

Quam sit inane mysteriorum profunda rimari, sine magisterio Spiritus sancti.

Sed sapientibus introductis, adhuc rex addit, et dicit: *Et somnium narravi in conspectu eorum, et solutionem ejus non indicaverunt mihi* (*Dan.* IV). Quid, quæso, est somnia nostra in conspectu sapientum nostrorum narrare, nisi post contemplationem contemplationis nostræ spectacula ad memoriam revocare, sagaci meditatione retractare, studiosis cogitationibus discutere, et ex earum rerum collatione quas novimus quæstionum nostrarum nodos dissolvere, et juxta assuetum perscrutationum nostrarum modum spiritualium rerum investigationem velle formare? Nonne in conspectu sapientum nostrorum somnia nostra narramus et solutionem quærimus, quando ea quæ de humanis scimus, et ea quæ de divinis scire cupimus, mutua collatione conferimus, quando juxta doctum traditarum disciplinarum modum et ordinem divinorum mysteriorum, vel judiciorum perplexa discutere et penetrare præsumimus? Sed quidquid in divinis secretis de humana industria præsumitur, frustra attentatur, et quandiu in hunc modum quæritur, in vanum laboratur. Juxta quod de hoc somnio legitur, et solutionem ejus non indicaverunt mihi. Somniorum sane divinitus ostensorum

Digitized by Google

solutionem sapientes nostri minime inveniunt, quia scientiarum nostrarum disciplinæ, vel quælibet traditiones humanæ, ad divinorum secretorum discussionem et investigationem sufficere non possunt. Quis enim altitudinem illam consilii divini de suo sensu rimari præsumat, cum Domini prophetam clamantem et reclamantem audiat : *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Isai.* XL). Quis profunditatem illam mysteriorum, et Scripturarum divinarum de sua penetrare sagacitate confidat, cum Petrum apostolum legat, quomodo pariter omnes ab ejusmodi præsumptione compescat ? *Hoc*, inquit, *primum intelligentes, quia prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit* (*II Petr.* I). Absque dubio nunquam proprie Scripturarum sacrarum interpretatio fit, sine ejus magisterio, qui eas inspiravit.

A

B

CAPUT VII.

Quod ad mysteriorum enodationem melius proficimus devotione, quam investigatione, et quod veræ devotionis sit omnia discutere, ut possit omnia dijudicare.

Si itaque ad mysticam divinarum Scripturarum intelligentiam, si ad divinorum judiciorum scientiam erudiri volumus, melius in hoc ipsum orando quam investigando proficimus, altius devota compunctione quam profunda perscrutatione illuminamur. Unde est quod ad ea, quæ præmisimus, statim subnectitur : *Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Balthassar secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum sanctorum in semetipso* (*Dan.* IV). Ecce spiritum deorum sanctorum habere dicitur, qui ad somnii interpretationem idoneus invenitur. In eo sane, quod dii isti, dii sancti dicuntur, illi profecto excluduntur, de quibus in psalmo canitur : *Omnes dii gentium, dæmonia* (*Psal.* CXIIII). Sed profecto qui hoc loco designantur, Spiritum sanctum habere creduntur ; quia, si Spiritum sanctum non haberent, dii sancti non essent. De horum numero deorum esse deprehenditur, ad quem voce Dominica dicitur : *Ecce constitui te deum Pharaonis* (*Exod.* VII). Ejusmodi itaque deos Psalmista expressit, cum alio loco dixit : *Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Ejusmodi deorum spiritum omnis sanctus accipit, ut sanctus esse possit. Omnis enim nostra justificatio, omnis nostra sanctificatio, absque ulla dubitatione est a spiritu isto. Sine hoc spiritu nescimus quod oremus, quomodo oportet, ipsum enim esse, docente Apostolo, didicimus qui interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (*Rom.* VIII). Ut ergo devotio nostra possit vera esse, oportet hunc spiritum habere. Si igitur per Danielem vera devotio intelligitur, recte de eo per Nabuchodonosor dicitur : Qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso. Sed cum superius expresserit quosdam sapientes, et quales veraciter constat, vere sapientes non esse, mirum, quomodo dicatur Daniel hoc loco eorum collega esse. Nisi enim cum eis aliquid commune habeat, nescio quomodo eorum collega existat. Illud autem scio quod spiritus ille quem Daniel secundum Scripturæ testimonium acceperat, spirituales efficiat. Spiritualis autem dijudicat omnia, et ipse a nemine judicatur. Spiritus enim solet omnia scrutari, etiam profunda Dei. Si spiritualis dijudicat omnia, si spiritus scrutatur omnia, ergo eadem ipsa quæ mundana philosophia ; ergo eadem ipsa quæ carnalis prudentia. Si omnia, ergo et ipsa quæ quælibet perversa doctrina. Solet namque qui spiritualis est omnia discutere, ut possit omnia judicare. Audi denique quomodo spiritualis ille omnia in sapientia sua tentaverit, ut omnia dijudicare possit : *Dedi*, inquit, *cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque et stultitiam* (*Eccle.* I). Vides quomodo iste rimatur, quomodo scrutatur, non solum bonos mores, verum etiam errores, non solum prudentiam, verum etiam stultitiam. Veræ itaque devotionis est tam bona quam mala in contemplationem adducere, omnia investigare, omnia discutere, ut subsequenter et possit omnia dijudicare. Habet itaque vera devotio ex investigatione et perscrutatione cum Babylonis sapientibus aliquid commune, ut merito dicatur ex eo eorum collega esse. Differunt tamen ex intentione. Nam vera devotio doctrinas vanas atque perversas non ad hoc investigat, ut eis inhæreat, vel in eis ullam fiduciam ponat, sed ut eas dijudicando convincat, confutet atque condemnet. Daniel itaque noster, et mundi sapientes per investigationem eadem via currunt, quamvis per intentionem ad eumdem exitum non pertingunt. Recte ergo Daniel eorum collega dicitur, quibus in studiorum suorum discursibus, nonnulla ex parte communicare videtur.

C

CAPUT VIII.

Quibus devotionis studiis insistere debeat, qui occultorum revelationem divinitus exspectat.

Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel. Perpendis ex his, ut arbitror, quo Daniel iste modo ingreditur de exterioribus ad interiora, modo egreditur de interioribus ad exteriora. Exterius est, quando devotio nostra meditando, dijudicando, orando, sollicita est de rebus exterioribus. Interius est, quando eisdem exercitiis vel studiis occupata est, et sollicita pro rebus interioribus. Necesse enim habet providere bona coram Deo, et coram hominibus. Coram hominibus in sermone et opere, coram Deo in cogitatione et voluntate. Facta itaque et dicta nostra ad judicium revocare, et pro his Domino supplicare, hoc est Danielem exterius esse. Cogitationes, affectiones, voluntates, intentiones alta perscrutatione rimari, et pro ejusmodi in oratione compungi, hoc est Danielem intus morari. Vel hoc est Danielem exterius esse, tam interiora quam exteriora nostra secundum humanum judicium pensare, et hoc est Danielem interius esse, tam ista quam illa, secundum judicium divinum æstimare. Quando inter bona etiam opera quæ agimus, quando inter uti-

D

Digitized by Google

lia quæ dicimus, subtili examinatione pensamus, quid de nobis homines sentirent, quid sentire deberent, si nostras intentiones, si sordidas cogitationes, si pravas affectiones viderent; quando, inquam, hoc agimus, quasi Danielem exterius tenemus. Quando autem studiosa discussione quæritur, qualiter opera, vel dicta nostra in conspectu Dei judicentur, etiam tunc cum secundum judicium humanum bona videntur, quando hujusmodi studio, cum magna devotione insistitur, Daniel noster intus invenitur. Quid itaque est Danielem ad interiora intrare, nisi ex intima devotione in his quæ discutienda sunt, vel quærenda tam de exterioribus quam de interioribus, ad divinum judicium recurrere? Et fit sæpe, dum sapientes nostri in somniorum interpretatione deficiunt, dum studiosæ meditationes, dum intimæ perscrutationes divinorum judiciorum, arcana divinorum mysteriorum profunda penetrare præsumunt, nec possunt; fit, inquam sæpe ut mens post hujusmodi defectum, ex ipso suo defectu admonita, ad semetipsam redeat, infirmitatem suam diligentius attendat, et sine Dei adjutorio quod nihil possit plenius agnoscat. Incipit tunc ex infirmitatis suæ consideratione gemere, suspirare, præsumptiones suas arguere, et de propriis studiis prius inaniter præsumpta jam de sola Domini revelatione sperare, et devotionis studio penitus insistere. Et hoc est Danielem post sapientes intrare.

CAPUT IX.

Quanta virtus veræ devotionis sit, quæ Filium Dei facit, quæ animum humanum Deo conjungit.

Donec collega, inquit, ingressus est in conspectu meo Daniel, cujus nomen Balthassar. Balthassar *capillus capitis* interpretatur. Recte ergo Daniel Balthassar dicitur, quia mens nostra ex vera devotione adornatur, ex vera devotione ad omnem profunditatem subtiliatur. Sed in hoc loco cum Daniel Balthassar dicitur, aliquid adhuc latere adjungitur, unde, ut arbitror, ad profundiorem intelligentiam provocamur. Daniel, inquit, cujus nomen Balthassar, secundum nomen Dei mei. Illud autem hoc loco prænonere jam volumus, quod multa Scripturarum loca ineptum aliquid vel perversum sonant juxta historiam, quæ tamen mystice discussa, rectum aliquid loquuntur juxta spiritalem intelligentiam. Nam quod Daniel a rege, secundum nomen Dei sui Balthassar dicitur, quid aliud quam idololatriam juxta litteram sonare videtur? Sed sicut beatus Gregorius dicit: « Sæpe res quælibet per historiam virtus est, per significationem culpa, sicut aliquando res gesta in facto causa damnationis est, in scripto autem, prophetia virtutis. » Nam cum de regis David culpa, dum de Uriæ innocentia tractaret, dum per adulterantem David Christum, per Uriam innocentem populum Judaicum interpretari voluisset, quid, inquit, per effectum istum David scelestius, quid Uria mundius dici potest? Sed rursus per mysterium, quid David sacratius, quid Uria infidelius invenitur, quando et ille per vitæ culpam prophetiæ signat innocentiam, et iste per vitæ innocentiam in prophetia exprimit culpam? Virtus namque sacri eloquii sic transacta narrat, ut ventura exprimat. Sic in facto rem approbat, ut ei in mysterio contradicat. Sic gesta damnat, ut hæc mystice gerenda persuadeat. Sic et hoc loco sane, quod juxta historiam est reprehensibile, juxta mysterium potest commendabile aliquid exprimere. Cui nomen, inquit, Balthassar secundum nomen Dei mei. Si per regiam personam, regium recte intelligimus animum, quem, quæso, dicit Deum suum nisi Christum? Nam, quamvis Pater, et Filius, et Spiritus sanctus veraciter sit unus idemque Deus, Christum tamen, secundum quemdam dicendi modum, recte religiosus quisque suum esse dicit, cujus nomine insignitum, cujus gratia præventum se meminit, cujus denique personæ agnoscit familarius inhærere per Incarnationis mysterium ex communione naturæ. Si vero Balthassar *capillus capitis* interpretatur, videamus modo quomodo hoc nomen Christo congruere videatur, vel quomodo secundum hoc Dei sui nomen, mysticus Daniel merito nuncupetur. Scimus autem, quia caput viri Christus, caput vero Christi, Deus. Scimus absque dubio quia Trinitas Deus, principium est omnium creaturarum; scimus nihilominus quia persona Patris principium est aliarum in Trinitate personarum. Et quamvis secundum alium et alium modum dicatur principium hic et ibi, utrobique tamen tam congruenter quam veraciter potest principium dici. Quia igitur persona Patris, principium omnium est, jure ex capite designari potest. Si igitur Dei digitus, per similitudinem dicitur Spiritus sanctus, cur per similitudinem, similiter Christus non dicatur hujus capitis capillus? Capillus de capite oritur, et Christus de Patre generatur. Dominus dixit ad me: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Hebr.* I). Caput capillo ornatur, et Pater per Christum clarificatur: *Pater*, inquit, *clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te* (*Joan.* XVII). Vides certe, quam juste Christus, Balthassar, hoc est capillus capitis, dicitur, quem verum Dei Patris Filium catholica fides veraciter confitetur. Nonne et nos secundum hoc nomen accipimus, quando a Christo, et per Christum obtinemus, ut merito filii Dei dici debeamus? *Fratres*, ait Joannes apostolus, *filii Dei sumus, et nondum apparet quid erimus* (*1 Joan.* III). Hinc est quod ei qui voluntarie genuit nos verbo virtutis suæ in quotidiana oratione dicimus: *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI). Si igitur Christus convenienter satis Balthassar dici potest, quia summi Patris Filius est, cur non et verus Christianus secundum dictam nominis rationem Balthassar dicatur, qui secundum adoptionis gratiam inter ejusdem Dei Patris filios deputatur? Non tamen omnis Christianus hoc nomine est, vel honore dignus. Sola devotio est quæ eos discernit, sola devotio filios Dei facit. Si itaque devotio in Daniele intelligitur, vide quam recte Balthassar per effectum dicitur. Per quem

Digitized by Google

quilibet in filiorum libertatem adoptatur. Quid autem aliud est devotio, nisi fervida mentis in Deum dilectio? *Charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v). Recte ergo devotio capillus capitis dicitur, quæ quasi de summo omnium capite profluere videtur, dum de summi Patris inspiratione procreatur. Recte Balthassar dicitur, qui in modum capilli summo omnium capiti inhærere videtur. Perpendis, ut arbitror, ex his quanta sit virtus veræ devotionis, quæ filium Dei facit, quæ animum humanum Deo conjungit, et cum eo quasi unum spiritum efficit. *Qui* enim *adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* vi).

CAPUT X

Quod maxime sub tempore orandi quibusdam solet intellectualis sensus aperiri.

Ingresso Daniele, rex coram ipso somnium loquitur, sicut verbis subsequentibus ostenditur: *Et somnium*, inquit, *coram ipso locutus sum* (*Dan.* iv). Somnium ejusmodi coram Daniele loqui, est mysteriorum quæ divinitus erudiri cupimus, sub tempore orandi memoria tangi, et inter orandum divinæ revelationis desiderio affici. Nam quemadmodum experti recognoscunt illi qui frequentibus relevationibus divinitus relevari lætificarique meruerunt, sub tempore orandi maxime solent illuminantis gratiæ lumen accipere, et ex ejus inspiratione mysteriorum profunda penetrare. Ex intima namque compunctione animus lavatur, mundatur, et procul dubio quanto purior redditur, tanto facilius, tanto profundius illuminatur. Hinc est, quod Balaam de semetipso testatur: *Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis Dei intuitus est, qui cadit, et sic aperientur oculi ejus* (*Num.* xxiv). Quid est quod dicitur, quod cadendo oculi aperiuntur, nisi quod inter orandum sæpe intellectualis sensus aperitur. Solemus nos sane in terram toto corpore sæpe prosternere, cum volumus attentius orare. Quantum ergo ad expositionem litteræ spectare videtur, oculi ei quasi cadendo aperiuntur, qui lumen revelantis gratiæ accipit, dum se in orationem prosternit. Si autem eadem littera mystice discutitur, in eamdem sententiam concurrere videtur. Quid enim est cadere, nisi semetipsum ex peccatorum suorum recordatione humiliare, et ex vera contritione cordis rigorem deponere? Sed animus sæpe, dum semetipsum in hunc modum dejicit, in majori gratia resurgit, quia lumen oculorum suorum cadendo recuperat, quos male erectus clausos tenebat. Possumus tamen dicere, quod hoc sit absque dubio cadere, blandienti culpæ consentire. Scimus autem quia nonnulli sunt, qui ex multitudine revelationum suarum se attollunt. Permittuntur autem qui ejusmodi sunt ex digno Dei judicio cadere, ut desinant superbire. Dum igitur in culpam labuntur, confunduntur, compunguntur, compuncti purgantur, purgati illuminantur. Sed si illuminati iterum superbiunt, superbiendo lumen quod receperant, amittunt. Illuminati itaque et elati iterum atque iterum dejiciuntur, lapsi et humiliati iterum et iterum illuminantur. Hanc cadendi resurgendique vicissitudinem sæpe alternant, et hos alternandi modos multi diu, multumque frequentant. Multi autem hanc alternandi consuetudinem pessimo tandem fine concludunt, de quibus constat quod spiritualium charismatum gratiam non tam ad suam quam ad aliorum utilitatem acceperunt. Horum absque dubio Balaam typum ex suis operibus gessit, horum proprietatem in suis verbis expressit, cum dicit: Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis videt, qui cadit, et sic aperiuntur oculi ejus.

CAPUT XI.

Quod sæculares scientiæ debeant spiritualibus studiis subservire, et veræ devotionis lucris militare.

Sed ut ad id redeamus unde digressi sumus, illud pro certo tenemus quod multi sæpe sub orationis suæ tempore lumen revelantis gratiæ suscipiunt, et quod ad ejusmodi gratiam multi ex virtute devotionis proficiunt. Hinc est quod rex a Daniele somnii sui interpretationem cum omni fiducia exigit, cum dicit: *Balthassar princeps ariolorum quem ego scio quod spiritum deorum sanctorum habeas in te, et omne sacramentum non est impossibile tibi. Visiones somniorum meorum quas vidi et solutionem eorum narra* (*Dan.* iv). In quibus verbis illud primo notandum, quod dicitur hoc loco princeps ariolorum, qui superius dictus est collega eorum, nec eorum tantum, sed aliorum Babyloniæ sapientum. Inter sæculares utique scientias quasdam scimus utiles et usui necessarias, quasdam vero (qualis ars ariolandi est) omnino perversas. Si igitur has quæ absque dubio sunt perversæ, potest vera devotio ad aliquem virtutis usum convertere, et in eis quemdam spiritalis militiæ principatum coercere, quemadmodum hic ex arte ariolandi possumus colligere, quid tunc de his sentiendum est quæ possunt esse utiles et bonæ? Nam, ut cætera taceam, nonne tunc Daniel principatur, nonne quælibet perversa scientia devotioni subservire cogitur, quando ex ejus consideratione humanus error plenius agnoscitur, quando ex ejus retractatione animus humiliatur, confunditur, compungitur, et ad devotionis studia instigatur? Nonne perversa quælibet scientia devotioni subservit, quando animus a semetipso tempora exigit quæ in hujusmodi studiis ineptis perdere consuevit, quando ex comparatione colligit quantum spiritualibus studiis invigilare debeat, qui tantis ineptiis quandoque se insudasse retractat? Sic itaque Daniel dictorum sapientum collega intelligatur, ut in eis quemdam spiritalis militiæ principatum æquitatis jure tenere credatur. Debent ergo quælibet sæculares scientiæ spiritualibus studiis subservire, et nil quod veræ devotionis lucris non militet in suis exercitiis præsumere. Quando ergo sæcularibus scientiis importune insistimus, quando studiorum nostrorum importunitate devotionis nostræ exercitia interrumpimus, eum profecto qui princi-

Digitized by Google

pari debet, Danielem videlicet, servire compellimus. Sed attendendum est quam sit malum bonis etiam scientiis abuti, et earum abusione meliora studia præpediri, quando ex devotionis officio perversa quælibet scientia debet, et solet in bonis usus deflecti.

CAPUT XII.

Quod sit utile summæ devotioni summam curam impendere.

Jure autem devotio bonis studiis antefertur, jure vero malis principatur, jure Danieli inter omnes sapientes Babylonis primatus conceditur, si veraciter constat quod per Nabuchodonosor dicitur : Scio quod spiritum deorum sanctorum habeas in te, et omne sacramentum non est impossibile tibi. Nonne huic sententiæ concordare videtur, si recte pensetur quod ex ore Veritatis auditur : *Amen dico vobis, quidquid orantes petieritis, credite quia accipietis, et fiet vobis* (*Marc.* VI). Vera autem et plena devotio non est quæ attestationi Veritatis credere non potest. Si autem potest credere, potest petendo et credendo obtinere. Fit itaque summæ devotioni nullum sacramentum impossibile, si obtineri potest ex fide. Recte ergo animi arbitrium ex virtute devotionis obtinere nititur, quod ei impossibile non esse Veritatis testimonio comprobatur. Visiones, inquit, somniorum meorum quas vidi, et solutiones eorum narra. Optimum ergo studii genus est summæ devotioni summam curam impendere, eo quod nullum sacramentum juxta demonstratam rationem sit ei impossibile. Juxta regis itaque Nabuchodonosor exemplum, Danielem nostrum quibuslibet sapientibus nostris præferamus, omnia studia, omnia exercitia nostra veræ devotionis lucris subservire cogamus, et tunc procul dubio non frustra attentabimus quidquid de divinis mysteriis cum Dei adjutorio ex ejus officio utiliter præsumimus. Sed nunc visionis ordinem prosequamur, spiritalisque intelligentiæ sensum, saltem secundum moralem ædificationem majoribus ingeniis majora relinquentes perscrutemur.

CAPUT XIII.

De contemplandi modo, vel qualitate, et quod aliter videntur res in suo esse, atque aliter in sola ratione, vel summa veritate.

Visio, inquit, *capitis mei in cubili meo. Videbam et ecce arbor in medio terræ et altitudo ejus nimia. Magna arbor, et fortis, et proceritas ejus contingens cœlum, aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius, et esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli, et ex ea vescebatur omnis caro* (*Dan.* IV). Ut ex superioribus pater, visio capitis est intelligentia mentis. Cubile autem tranquillitas cordis otiumque studiosæ quietis. Visio capitis in cubili divinitus percipitur, quando inter studii sui secreta otia ad veritatis contemplationem mens humana divina aspiratione sublevatur. Videbam, inquit, et ecce arbor in medio terræ. Aliud est videre res ipsas in suo esse, atque aliud est eas videre in sola ratione, vel summa veritate. Aliud est eas videre cuique in propria essentia, et longe aliud videre eas in sola sapientia. Aliud est videre rerum substantias in suis generibus et speciebus, atque aliud videre singulas in suis individuis. Istud est sensus seu imaginationis, illud vero primum est rationis et contemplationis. Cum itaque mens ad universalem quamdam rerum considerationem rapitur, et ad universitatis pulchritudinem speculandam divinitus sublevatur, et in hujusmodi contemplatione contemplationisque dulcedine delectabiliter figitur, mirabiliterque reficitur, videt sæpe in divino lumine quot, vel cujusmodi rerum genera oporteat esse, inconcussumque tenet nihil horum omnium quæ summæ dispositionis ordo, universitatisque pulchritudo exigit, penitus posse deesse. Verbi gratia, videt oportere esse bonos similiter et malos, et in bonis alios aliis meliores, alios optimos; sic et in malis, alios aliis pejores, alios pessimos. Videt nihilominus, quia oportet alios malos esse, et malos perseverare, alios malos esse, et malitiam in perpetuum deserere; alios autem ad tempus deserere, et iterum ad malitiam redire. Sic e diverso, videt alios bonos esse et bonos perseverare, alios irrecuperabiliter cadere, alios post lapsum ad bonitatem redire. De hoc sexto rerum genere esse videtur quem Nabuchodonosor in Dei lumine contemplatur qui ei per similitudinem ostenditur, quem etiam postquam ad seipsum rediit secum mirabatur, seu etiam miserebatur. Videbat universitatis pulchritudinem talem exigere, talemque omnino deesse non potuisse, et tamen nescivit seipsum talem esse, vel talis hominis imaginem in seipso gestare, qui de tanta sublimitate subito caderet, et in imis diu jaceret, tandem tamen ad pristinum statum rediret. Hoc est quod arbor magna prius in altum erigitur, postmodum abscinditur, et tamen radices ejus in terra reservantur unde iterum reparetur. Videamus ergo et nos, et discamus ab ipso qualis sit arbor quam ipse videt, vel quomodo cecidit, vel cadere potuit quæ tanta vel talis fuit.

CAPUT XIV.

De magnitudine gratiæ mentis postmodum casuræ, et in tanta plenitudine gratiæ, quid soleat esse causa ruinæ.

Videbam, inquit, et ecce arbor magna in medio terræ et altitudo ejus nimia. Quid intelligemus per magnitudinem arboris, nisi immensum robur virtutis? Nonne et magna illa arbor fuit quæ plenitudinem gratiæ, et fortitudinis accepit? *Stephanus*, inquit, *plenus gratia, et fortitudine* (*Act.* VI). Ecce arbor magna in medio terræ, et altitudo ejus nimia. Ergo hæc arbor magna fuit, alta fuit, et in medio terræ fuit. Ad multa et magna se dilatabat per virtutem, ad alta se erigebat per subtilitatem, et in intimis stabat per intentionem. Ad fortia se extendebat, ad summa se erigebat, et in intimis fixa ma-

Digitized by Google

nebat. In magnis fuit per exercitium, in summis per studium, in intimis per desiderium. Quia ergo fortia agebat, magna arbor erat ; quia intima bona desiderabat, in medio terræ erat ; quia de sublimibus subtiliter sentiebat, altitudo ejus magna erat. Magna, inquit, arbor et fortis, et proceritas ejus contingens cœlum. Ecce arbor magna, arbor robusta, arbor procera. Magna ad bona agenda, fortis ad mala toleranda, procera ad sublimia contemplanda. Magna in actionibus, fortis in tentationibus, sublimis in investigationibus. Attende quam alta erat cujus proceritas etiam cœlum tangebat. Proceritas ejus cœlum tangebat, quia investigationis ejus sublimitas cœlestia penetrabat. Proceritas itaque ejus alta fuit, et altitudo ejus procera fuit. Vere magna altitudo fuit quæ se summis, et cœlestibus immersit. Elige itaque in hujus consideratione arboris quod amplius mireris, magnitudinem, fortitudinem seu proceritatem. Magna, inquit, arbor et fortis, et proceritas ejus contingens cœlum, Magna arbor fuit, quæ veraciter dicere potuit : *Ubique et in omnibus instructus sum. Scio humiliari, scio et abundare, et penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat* (*Philipp.* IV). Fortis arbor fuit quæ fidenter dicere potuit : *Non timebo quid faciat mihi homo. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum* (*Psal.* LV). *Si exsurgat adversum me prælium in hoc ego sperabo* (*Psal.* XXVI). Præ cæteris arboribus procera fuit, quæ dicere de se non dubitavit : *Et præcessi sapientia omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem, et mens mea contemplata est multa sapienter et didicit* (*Eccle.* I). Proceritas ejus cœlum tangebat, qui veraciter dicere poterat : *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus sæculi nec principum hujus sæculi qui destruuntur. Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit ante sæcula, quam nemo principum hujus sæculi cognovit* (*II Cor.* XXIX). Sed vide quisquis hæc audis, vel legis, si forte altitudo tua est magna, vide, inquam, et diligenter attende ne forte sit et nimia. Hoc fortassis in hac descripta arbore reprehensibile fuit, hoc fortassis succisionis causa exstitit quod ejus altitudo nimia fuit. Et altitudo, inquit, ejus nimia. Forte Nabuchodonosor ambulabat in magnis et mirabilibus super se, et hoc ei fortassis exstitit causa ruinæ. Fortassis Nabuchodonosor alta sapiebat, et idcirco altitudo ejus nimia erat : *Noli*, inquit Apostolus, *altum sapere, sed time* (*Rom.* XI). Sicut enim qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. Altiora igitur te ne quæsieris, ne forte proceritas tua sit alta nimis. Scrutator majestatis opprimitur a gloria, et sententiam succisionis meretur arbor cujus altitudo est nimia. Nonne ejusmodi arbores altæ fuerunt, et juste succidi meruerunt, quæ cum cognovissent Deum non sicut Deum, glorificaverunt, aut gratias egerunt ; *Sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* (*Rom.* I).

CAPUT XV.

De auctoritatis magnitudine mentis postmodum ruituræ.

Sed audiamus quid adhuc de hac arbore dicitur in eo quod sequitur : Aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Aspectus ejusmodi arboris usque ad terminos universæ terræ porrigitur, quando nominis ejus dignitatem qui ejusmodi est, morum similitudine propinqui et morum dissimilitudine longinqui pariter verentur, auctoritatesque ejus tam a bonis diligitur, quam a malis timetur. Nonne illius aspectus usque ad terminos universæ terræ prominebat, de quo illius sententiæ veritas constabat : *Christi bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt. Aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam* (*II Cor.* II). Nonne et illarum arborum aspectus usque ad terminos universæ terræ dilatabatur, de quibus veraciter dicitur : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* LXXXI). Sed et secundum alium quemdam sensum arboris nostræ aspectus in nobismetipsis usque ad terminos universæ terræ, patet, cum jam unumquemque nostrum propriæ virtutis experientia, nec in magnis, nec in minimis latet. Si enim per arborem virtutem, per aspectum arboris notitiam virtutis accipimus, cum jam quid in singulis rebus possumus multo studio, multo exercitio didicerimus, quid aliud quam arboris nostræ aspectum usque ad terminos universæ terræ propalavimus ? Nonne arboris suæ aspectum usque ad terminos universæ terræ propalaverat, et virtutis suæ experientiam per omnia jam cœperat, qui de seipso illud quod et superius jam posuimus veraciter asseverat. Ego enim didici in quibus sufficiens sim. *Scio humiliari, scio et abundare ubique, et in omnibus instructus sum* (*Philipp.* VI).

CAPUT XVI.

De multitudine scientiæ mentis ruituræ, et in tanta scientiæ plenitudine quid esse soleat causa ruinæ.

Adhuc additur de hac arbore : Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius, et esca universorum in ea. In foliis verba, in fructu scientia, in esca doctrina. Foliis fructus vestitur, et verbis compositis sententia ornatur : *Os enim sapientis ornat scientiam* (*Prov.* XV). Fructus bonus sapit, et pascit, et scientia spiritalis spiritalem esuriem per sacram admonitionem suaviter reficit. Folia itaque pulcherrima, sunt verba diserta, fructus copiosus, sensus eruditus, multiplex intellectus. Esca universorum est plena eruditio omnium, discreta admonitio singulorum. Folia verborum pulchra, ut arbitror, illa arbor habebat, et bonorum sensuum, utiliumque consiliorum fructibus abundabat quæ veraciter dicere potuit : *Qui me audiebant exspectabant sententiam et intenti tacebant ad consilium meum. Verbis meis addere nihil audebant, et super illos stillabat eloquium meum* (*Job* XXIX). Fructum copiosum illa arbor habuit, quæ in veritate dicere potuit : *Mihi autem*

Digitized by Google

dedit Deus dicere ex sententia, ipse enim mihi dedit horum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum; initium et consummationem, et medietatem temporum; vicissitudinum permutationes, et consummationes temporum; morum mutationes, et divisiones temporum; anni cursus, et stellarum dispositiones; naturas animalium, et iras bestiarum; vim ventorum, et cogitationes hominum; differentias virgultorum, et virtutes radicum; et quæcunque sunt absconsa, et improvisa, didici (*Sap.* VII). Esca universorum nonne in illo fuit qui in hoc ipsum se debitorem cognovit, cum dixit: *Græcis ac barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I). Nonne esca universorum in ipso est qui doctrina sua omnes ædificare potest? Nonne escam universorum in seipso habet, qui per spiritum consilii qui menti ejus præsidet, et per gratiam discretionis qua pollet, quacunque tentatione circumventos, quacunque tribulatione oppressos, salubri consilio instruere, et blanda admonitione erigere sufficienter valet? Nonne similiter et ille quantum ad semetipsum attinet, omnium escam in seipso invenit, qui quælibet sancta desideria nutrire, et ad quælibet bona opera animum suum inflammare propriis meditationibus et spiritualibus theoriis novit, quoties, et quantum voluit? Sed, sicut superius innuimus de arboris altitudine, videamus ne forte et hoc in ea sit reprehensibile quod dicitur fructum nimium habere. Non enim dicitur quod fructus ejus multus, vel fructus ejus copiosus, sed fructus ejus, inquit, nimius, fructum nimium arguit qui dicit, in rebus supervacuis noli scrutari multipliciter. Aliud est importune quærere impossibilia, quamvis forte sint utilia, atque aliud curiose investigare inutilia, quamvis et ipsa sint possibilia. Illud pertinet ad altitudinis nimietatem, istud pertinet ad fructuum superfluitatem. Præsumptio incomprehensibilium prohibetur, cum dicitur: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus*, etc. (*Eccle.* III.) Curiositas supervacuarum rerum reprehenditur in eo quod dicitur, in rebus supervacuis noli scrutari multipliciter, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Vultis audire de arboribus quæ ejusmodi sunt, quæ præsumptionis et curiositatis audaciam temperare nolunt, quomodo sæpe sententiam successionis incurrunt: *Multos enim*, inquit, *supplantavit suspicio illorum; et in vanitate detinuit sensum illorum* (*Eccli.* III).

CAPUT XVII.

De rigore disciplinæ quem solet ruitura mens sæpe erga alios exercere.

Audivimus ex præcedentibus cujus fuerit scientiæ qui designatur ex hac arbore, audiamus adhuc ex sequentibus cujus fuerit disciplinæ. Audivimus quomodo per doctrinam potuit vel indoctos erudire, vel inconsultos instruere, audiamus quomodo per disciplinam soleat et carnales premere, et spiritales sublimare. Subter eam habitabant animalia, et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli, et ex ea vescebatur omnis caro. Per animalia et bestias, intellige homines animales, mentes carnales et sæculares; per volucres accipe spiritales, bonorum studiorum, et sanctorum desideriorum alis ad cœlestia volantes. Duo autem genera carnalium solemus videre. Unum quidem quod servit concupiscentiæ, alterum quod cedit iracundiæ. Per animalia itaque intelligimus mentes voluptati deditas; per bestias, mentes iracundas. Si per bestias nonnisi fera animalia congrue intelligere possumus, relinquitur ut nomine animalium sola hic mansueta intelligere debeamus. Recte ergo voluptuosæ mentes designantur per animalia quæ solo ventri deserviunt. Recte nihilominus mentes iracundæ designantur per bestias quæ dente et ungue desæviunt. De talibus ergo recte dicitur: Subter eam habitabant animalia et bestiæ, eo quod hujusmodi mentes per concupiscentiam vel iracundiam dissolutæ, juste quidem premi debeant rigore disciplinæ. Recte in ramis, et quasi in sublimioribus conversabantur volucres cœli, eo quod spiritales viri et cœlestibus desideriis accensi merito debeant et in auctoritatem erigi, et digno honore sublimari: Subter eam, inquit, habitabant animalia, et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli. Ergo bestiales in imis coercebat, spiritales vero in alta sublevabat. Discant prælati nostri, discant hic quid facere debeant; discant, inquam, indisciplinatos mores premere, bonos attollere et honorare. Quid, quæso, hoc genus monstri est, quod nostri temporis arbores, ursos, et leones, vel alias hujusmodi quaslibet bestiales mentes portant in ramis; volucres vero cœli, et quælibet volatilia pennata contra conditionis jura, Creatorisque instituta premunt in imis? Quoties ego ipse vidi, vidensque ingemui impium superexaltatum et elevatum super cedros Libani. Quid, quæso, est quod facitis, qui ejusmodi brutae et bestialia corda in sublime attollitis, et velut in aere suspenditis? Si vere eos diligitis, cur eis non parcitis? Quid, quæso, eis aliud quam ruinam paratis, dum eos ad alta suspenditis et quasi in ramis portatis? Quid aliud quisque suo sublimatori, vel potius subversori dicturus est in fine in ipso confinio ruinæ, nisi quia elevans allisisti me? Conversentur volucres cœli in ramis, locumque teneant in summis quos sublevat penna sanctitatis. Bestiæ sub ramis locum teneant in imis, et qui pronos vultus habent per appetitum carnis, districtionem sentiant piæ severitatis et justæ humiliationis. Subter eam habitabant animalia et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli, et ex ea vescebatur omnis caro. Ex illa sane omnis caro vescitur, cujus virtutum exemplis omnes ædificantur, cujus consolationibus omnes foventur, cujus beneficiis omnes roborantur et doctrina reficiuntur. O qualis arbor, o quantæ sublimitatis, cui convenit tantæ præconium laudis!

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De rigore disciplinæ quem solet ruitura mens apud seipsum exercere.

Sed et hoc ipsum quod de hac arbore dicitur in nobis ipsis implemus, si carnales affectiones sub rigore disciplinæ restringimus, et cogitationes nostras in morum circumspectione occupamus, et per spiritales meditationes omnes sensus nostros in bonis desideriis nutrimus. Quid enim per volatilia intelligimus nisi subtiles cogitationes et quid per quadrupedia et terrestria, nisi carnales affectiones? Per animalia, illa desideria quæ surgunt, præter rationem; per bestias, illa quæ nituntur contra rationem; præter rationem vana et frivola; contra rationem perversa et noxia. Per arborem, ut dictum est, accipimus robur fortitudinis, et recte per ramos arboris opera intelligimus et exercitia virtutis. Et ex hujusmodi ramis meritorum bonorum fructus tempore suo colligimus, secundum quod per Prophetam audivimus: *Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, et bene tibi erit* (*Psal.* CXXVII). Ex hujusmodi ramis salubrium consiliorum subtilitumque intellectuum fructus prodeunt, cum per multa experimenta virtutum exercitia hominem ad discretionis et scientiæ perfectionem erudiunt. Multa enim quæ per investigationem non possumus, per experientiam plenius et certius addiscimus, hinc illud Psalmistæ: *A mandatis tuis intellexi* (*Psal.* CXVIII). A mandatis intelligit qui ex eo quod agit ad majorem intelligentiam proficit. Hinc est quod alias scribitur: *In intellectibus manuum suarum deduxit eos* (*Psal.* LXVII). In intellectibus manuum suarum alium deducit, qui ad viam veritatis quam per operum experimenta didicit certis profectuum gradibus dirigit. Parva et parum certa est illa scientia, quam non adjuvat et confirmat rerum experientia: hinc est quod per Sapientem dicitur: *Qui non est expertus, pauca recognoscit* (*Eccle.* XXXIV). Non solum autem ex bonis quæ agimus, verum etiam ex malis quæ sustinemus ad discretionem erudimur, et ex ipsis tentationibus prudentiores efficimur. Hoc nos illa vox Sapientis admonet, quæ dicit: *Qui non est tentatus, quid scit?* (*Ibid.*) Vir in multis expertus cogitavit multa, et qui multa didicit, enarrabit intellectum. Ex ramis itaque arboris fructus colligitur, quia ex multo virtutum exercitio scientia multiplicabitur. Et quo quisque perfectior atque probatior, eo uberiores fructus gignit, delectabiliusque reficit. *Perfectorum autem*, ait Apostolus, *est solidus cibus eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali* (*Hebr.* V). Boni sane et bonæ arboris rami qui talem fructum ferunt, cibumque animarum gignunt, qui volatilia cœli suscipiunt, et sublimes cogitatus ad alta suspendunt, qui bestias protegunt, et carnis impetus deorsum premunt. Puto quia et apostolus sub hujusmodi ramis animalia deorsum premebat, cum diceret: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). Qui autem voluerit volucres cœli hujusmodi arboris ramis assuescere, sit in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditetur die ac nocte.

Cavcamus ergo quarumdam avium more nidum nobis in terra facere, vel in aquosis degere, ramosque arboris deserere, pudeatque nos curis sæcularibus, carnisque desideriis assiduarum importunitate cogitationum inhærere: *Quæ sursum sunt* inquit Apostolus, *sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* III). Debent itaque aves nostræ, pro tempore ad cœlestia elevari, et in æternorum contemplatione suspendi, et iterum post sublimes volatus ad arboris suæ ramos reverti, ibique immorari, imo et conversari. Quid enim aliud est volucres cœli ad ramos suæ arboris semper redire, et ibi inhabitare, nisi cogitationes cordis sui ad morum, operumque suorum considerationem frequenter revocare, et eorum circumspectioni crebrius insistere, et vehementius incumbere? Hinc est quod per Salomonem dicitur: *Oritur sol, et occidit, et ad locum suum revertitur* (*Eccle.* I), intelligentiæ enim sol post ortum suum, et sublimis contemplationis ascensum iterum ad locum suum revertitur, et ad sui circumspectionem oculus cordis revocatur, ut iterum ad altiora sublevetur. Cor enim quod ad sui conservationem obdormit, cito contemplationis gratiam quam acceperat amittit. Recte ergo de hac arbore dicitur, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli, eo quod circumspectiones mentis præcipue invigilare debeant circa custodiam sui. Ecce jam audivimus quid de hujusmodi arbore sentire debeamus. Nemo tamen putet me credere Nabuchodonosor regem talem fuisse qualem me audit ex mystica significatione describere: neque enim in sua persona talis fuit, sed ex sua persona talem virum præfiguravit, et in visa arbore talem designavit. Sed mysticam interim descriptionem prosequamur, et inveniemus fortassis in ea quod juste miremur, nec solum quod admirari debeamus, imo digne defleamus, et merito de nobis timere debeamus.

CAPUT XIX.

Quod in quolibet virtutum culmine oporteat semper morum ruinam timere.

Audiamus ergo quid adhuc de hac arbore dicat, et quid quisque timere debeat discat et ingemiscat: *Videbam in visione capitis mei super stratum meum, et ecce vigil, et sanctus de cœlo descendit, et clamavit fortiter, et ait sic: Succidite arborem et præcidite ramos ejus; excutite folia ejus et dispergite fructum ejus. Fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, et volucres de ramis ejus* (*Dan.* IV). Væ filiis Adæ, væ conditioni humanæ. Quid, quæso, quantumcunque profecerit, quantumcunque ascenderit de reliquo poterit securus esse si tantus vir tamque perfectus et quasi sub unius horæ momento potuit de tanta sublimitate cadere? Recolamus ergo qualis superius ex mystica arbore describitur qui hic præcidi jubetur, et tunc melius agnoscimus in qualicunque virtutis fastigio constitutis morum ruina

Digitized by Google

quam juste timetur. In magnitudine arboris miramur modum fortitudinis; in altitudine ejus profunditatem subtilitatis; in aspectus dilatatione, magnitudinem auctoritatis. In pulchritudine foliorum facundiam sermonis; in nimietate fructuum, multitudinem eruditionis; in esca universorum, doctrinam ædificationis; in subjectione bestiarum, rigorem severitatis; in cohabitatione volucrum, providentiam circumspectionis. Quis ergo, nisi insanus, in tanto mutabilitatis ancipiti sibi securitatem promittit, si vere aliquando talis fuit, qui postea succisus cecidit? Vere, ut Scriptura dicit: *Beatus homo qui semper est pavidus. Nescit enim quid futura pariat dies* (*Prov.* xxviii).

CAPUT XX.

Quod quidquid circa nos agitur, Dei dispositione et angelica administratione dispensatur.

Nemo tamen existimet Deum humana non curare, nemo audeat temere ejus judicia reprehendere, cum videat vel audiat aliquid præter existimationem, vel contra rationem, ut sibi videtur, accidisse. Ecce de cœlo descendisse et sanctus fuisse dicitur a quo succisionis sententia datur seu dispensatur. Ecce, inquit, vigil sanctus de cœlo descendit. Cum igitur audias hujus operis ministrum de cœlo venire, intellige Dei dispositione id agi, et cum sanctum legas, crede eum quod justum est juste exsequi. Ecce vigil et sanctus de cœlo descendit. Circa hominum curam tam boni angeli quam mali perpetuam sollicitudinem impendunt, et nec nocte nec die ab hac sollicitudine se vel ad modicum subtrahunt, sed mali ad impugnandum, boni ad protegendum invigilant, ita ut utrique recte satis vigiles dici queant. Sed quod bonus angelus sit qui hujusmodi sententiam, vel e cœlo cognovit vel in terra disposuit: satis ostenditur ex eo quod sanctus et de cœlo descendisse perhibetur. O quam recte hoc nomen bonis angelis convenit quibus somnus erroris vel oblivionis circa nostræ salutis negotia nunquam subrepit! O celsitudo angelicæ pietatis! Qui securi sunt de seipsis, adhuc sollicitudinem gerunt pro nobis. De hac angelorum circa nostram salutem vigilia, vigilique custodia est illa apostolica sententia: *Nonne omnes administratorii spiritus sunt in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* (*Hebr.* i.) Quid itaque aliud est ejusmodi vigiles de cœlo descendere, nisi salutis nostræ ministros terrena curare, et secundum quod in summis divinitus discunt, et imis humana disponere? Recte ergo dicitur: Ecce vigil, et sanctus de cœlo descendit, et clamavit fortiter; et ait sic: Præcidite arborem. Alia itaque sunt quæ boni angeli per seipsos faciunt, alia quæ fieri permittunt nulla omnino sine eorum dispositione ut piam fiunt. Bona itaque fiunt eorum cooperatione, mala autem eorum permissione. Bona ergo per bonos angelos, mala administrantur per malos. Quoniam erga rectitudinis statum subvertere malum esse cognovit, bonus angelus arborem præcidere noluit; verumtamen quia hoc unius meritum, vel universitatis bonum exigere cognovit, fieri permisit. Quod enim dicit, præcidite arborem, permissionem intellige non autem præceptionem. Neque enim in hoc est spiritibus malignis obedientia injuncta, sed licentia indulta. Hoc siquidem eos tandem aliquando facere permisit, quod eos diu, multumque desiderasse non ignoravit. Hinc est quod a Domino Judæ traditori dicitur: *Quod facis fac citius* (*Joan.* xiii). Non enim ei in hoc præceptum injungitur, sed agendi facultas conceditur.

Notum autem est omnibus quod magnæ vocis clamore uti solemus, quoties longe positis aliquid innotescere volumus. Quid autem ab invicem distat longius quam spiritus angelicus, spiritusque malignus, non tam loci longinquitate quam voluntatis diversitate? Hinc est quod prodigus ille filius qui omnem substantiam suam vivendo luxuriose cum meretricibus dissipasse legitur, in regionem longinquam abiisse in Evangelio perhibetur (*Luc.* xv), eo quod a patris summi beneplacito voluntatis depravatione elongatus alienatur. Secundum hunc itaque modum multum utique sunt inter se longinqui tam varia, tam contraria sorte distincti atque disjuncti angelus confirmatus in bono, angelus confirmatus in malo, angelus deputatus gloriæ, et angelus addictus gehennæ. Recte ergo vigil ille et sanctus fortiter clamasse perhibetur, ut ex eo aperte daretur intelligi cujusmodi angeli et a bono angelo quam remoti esse viderentur, quibus vigilum sententia cœlitus dictata non sine forti clamore intimatur. Est tamen et inter bonos quosdam angelos magna distantia non contrariæ voluntatis, sed supereminentis dignitatis divinitus decenter ordinata differentia. Unde nec incongruum videtur si inter eos aliquis clamor describitur, per quem dignitatis eorum differentia denotetur. Recte ergo angelus qui hic malignis spiritibus tentandi licentiam concessisse introducitur, non solum clamasse, sed et fortiter clamasse perhibetur. Ecce, inquit, vigil, et sanctus de cœlo descendit et clamavit fortiter, et sic ait: Succidite arborem.

CAPUT XXI.

Quod nihil in nos possunt spiritus maligni nisi permissione Dei.

Duo sunt quæ ex præsenti possumus patenter colligere. Primum quod non possunt nos maligni spiritus, nisi quantum permittuntur, tentare. Secundum quia, si juxta omnem virtutem suam ad nostram impugnationem relaxarentur, nemo posset eorum impetum tolerare. Qui enim arborem succidere possunt, et volunt, et tamen non nisi permissi succidunt, patet profecto quia sine Dei permissione nil in nostra insectatione præsumunt. Sed quid in hominibus præsumerent sine Dei permissione qui, attestante Evangelio, nec gregem porcorum sine divina licentia ausi sunt invadere? (*Matth.* viii; *Marc.* v; *Luc.* viii.) Tantum itaque in electorum impugnatione eis licentiæ relaxatur, quantum ut-

Digitized by Google

litas eorum exigit, vel justitia meretur. Quæ enim humana virtus eorum impetum posset sustinere, si talem tantamque arborem, accepta divinitus licentia, statim potuerunt evertere? Sed consolatur nos in hoc apostolus Paulus : *Fidelis*, inquit, *est Dominus, qui non sinit vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere* (*I Cor.* x). Nisi ergo arbor ista nimis alta fuisset et de sua virtute intumesceret, nimisque præsumeret, sententiam succisionis divinitus non acciperet. Attende modo grandem arborem, et de fortitudinis suæ abundantia nimis præsumentem : *Ego dixi*, inquit, *in abundantia mea, non movebor in æternum* (*Psal.* xxix). Sed statim ex subtractione gratiæ supervenientique tentatione didicit quid, vel quantum de seipsa potuit : *Avertisti*, inquit, *faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*ibid.*). Arbor itaque succiditur, quando constantiæ virtus tentationibus paulatim attenuatur, tandemque funditus tollitur. Nonne arboris illius robur succisum fuit quæ dixit : *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum* (*Psal.* xxxvii). Nonne virtus ejus subtracta arborque succisa ad ima ruit, quando ad unius concupiscentiæ respectum in adulterium, et de adulterio in homicidium cecidit?

CAPUT XXII.

Quomodo, vel quo ordine ad subtractionem gratiæ soleat mens humana corruere.

Succisa arbore etiam rami præciduntur; quia, virtute animi deficiente, bona opera paulatim subtrahuntur. Arbor succiditur et ramus præciditur, quando virtus in occulto, et virtutis opus deficit in aperto. Prius igitur subtrahitur virtus animi, postmodum etiam tollitur facultas, et occasio bene agendi, et succiso robore arboris ramisque præcisis, folia excutiuntur, fructusque dispergitur; quia, deficiente virtutum proposito virtutumque exercitio, prius gratia bene loquendi tollitur, tandem etiam gratia recte intelligendi subtrahitur. Recte quidem postquam deficit studium bonæ operationis, subtrahitur facundia sermonis, quia scandalizare magis quam ædificare audientes potest omnis castigatio vel exhortatio depravati prædicatoris, cum ei loquenti quivis tacite respondeat : Cur ergo hæc ipse non facis? Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum? Foliorum gratia excutitur, quando ex infami suspicione prius habita, loquendi fiducia vel auctoritas amittitur. Fructus dispergitur, quando ejus doctrina contemnitur, quæ quamvis per sensum, seu consilium utilis forte videatur, propter tamen pravum vitæ exemplum facile conculcatur. Fructus dispergitur quando importuna variarum concupiscentiarum incursione studium meditationis dissipatur, et subtilitas investigandi, intelligendique facilitas cogitationum evagatione confunditur. Ecce quam facile, ecce quo ordine mens ab alto dejicitur quæ meritis exigentibus a gratia divina deseritur, quæ malignis exactoribus ex divina permissione exponitur. Recte ergo de hac arbore dicitur : Excutite folia ejus, et dispergite fructum ejus.

CAPUT XXIII.

Quomodo mens post fœdam dejectionem sui soleat postmodum et ab aliis contemni, et in semetipsam resolvi.

Sed cum cœperit homo virtutum ramos, consilique fructum amittere, et tam vitæ honestatem quam doctrinæ auctoritatem omnino non habere; quis jam ei vel carnalium obedire, vel spiritualium per familiaritatem dignetur inhærere? Recte ergo adjungitur quod adhuc de hac arbore dicitur : Fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, et volucres de ramis ejus. Bestiæ siquidem quæ prius subter eam erant diffugiunt, quando subjecti ipsius ejus obedientiam detrectant, et carnales quique magisterium ejus contemnunt. Volucres cœli de ramis ejus fugere, est spirituales quosque viros vitæ illius infamiam horrere, consortiaque declinare. Nonne illius magnæ arboris cui, secundum Dominicum testimonium, non erat similis super terram, eo quod vere esset vir magnus inter omnes orientales, et inter præcipuos primus; nonne, inquam, magnæ illius arboris umbracula juniores abominabantur, et jam subter eam esse bestiæ dedignabantur cum de se veraciter protestabatur : *Nunc autem derident me juniores tempore quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei. Quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, et vita ipsa putabantur indigni* (*Job* xxx). Quid, quæso, majores faciebant si juniores, et tam viles eum deridebant, eo quod arbor tanta esset ex Domini permissione succisa, et a planta pedis usque ad verticem ulcere pessimo percussa? Quam magna et illa arbor erat cui Dominus testimonium perhibebat, quod hominem secundum cor suum invenerat. Nonne conversabantur in ramis ejus volucres cœli, cum veraciter de se protestetur : *Quia innocentes, et recti adhæserunt mihi?* (*Psal.* xxiv.) Nonne et tunc temporis de ramis ejus aufugerant cum iterum in oratione proclamabat : *Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi* (*Psal.* lxxxvii); et iterum : *Elongasti a me amicum, et proximum, et notos meos a miseria* (*ibid.*). Sed tunc apud quemlibet virtutis virum impletur quod scribitur de hac arbore, ut, ligni robore succiso, fugiant subter habitantes bestiæ, cum vigore animi fracto tentationibusque exhausto, jam non valet mens carnales impetus cohibere, vel quælibet irrationabilia desideria sub rationis magisterio coercere. Avium cœli cohabitationem amittimus, cum sublimium investigationum jucunda spectacula, tot phantasmatum occursione turbati, exercere non valemus. Ramis suis inhabitantes volucres arbor amittit, cum meditationes suas circa assuetam morum suorum circumspectionem exercere jam nequit. Contubernia talium volucrum nos amisisse sæpe dolemus, cum cogitationes nostras ab inepta evagatione restringere non valemus, ita ut unusquisque

Digitized by Google

nostrum illud beati Job recte apud se dicat, cum suas aves non sine suo dolore evolasse jam videat : *Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum* (*Job* VII).

CAPUT XXIV.

Quod turpiter lapsos, et a sublimi dejectos divina miseratio sæpe et ad pœnitentiam reservat, et ad correctionem exspectat.

Illud autem quam pium, et quanta admiratione dignum quod divina miseratio nec tales homines sæpe funditus deserit, nec post talem lapsum tantamque ruinam penitus destituit, sed adhuc tales sæpe ad correctionem exspectat, et ad pœnitentiam reservat. Væ tibi quisquis talem te esse deprehendis, si divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis. An ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, qui spei tuæ radices nondum præcidit, sed in judiciorum suorum arcano, et quasi in sinu terræ abscondit? Audiamus ergo quomodo illa divinæ pietatis altitudo severitatis suæ sententiam temperat, cum post tantæ dissipationis vastitatem ad nostram consolationem aliquid adhuc de hac arbore adjungat : *Verumtamen*, inquit, *germen radicum ejus in terra sinite.* Hoc est quod sine divinæ benignitatis admiratione nec possumus, nec debemus transire, qui jubet germen radicum ejus in terra sinere, unde possit iterum reparari, et ad pristinam plenitudinem reformari. Verumtamen, inquit, germen radicum ejus in terra sinite. Tunc arbor quasi radicitus avellitur, quando post perpetrata mala etiam in desperationem præcipitatur. Quasi enim radices suas arbor amittit, quando omnem correctionis spem perdit, et in desperationem cadit. Arbor illa radicitus avulsa erat, et sine reparationis germine corruendo remanserat, quæ ad Dominum loquens, et de venia desperans dicebat : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear* (*Gen.* IV). Quid enim aliud sunt germen, vel radix hujusmodi arboris, nisi propositum correctionis et spes divinæ propitiationis? Omne enim opus bonum ex bono proposito germinat ut in effectum erumpat et ad bonæ consuetudinis robur convalescat, et frustra virtutis arbor ad alia nititur, quæ in spe divinæ propitiationis non radicatur : *Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX). Quid itaque aliud est hujusmodi arbori germen radicum post ruinam remanere, nisi quemlibet post peccati lapsum pœnitentiæ propositum habere et pœnitentiæ fructum de divina pietate sperare, in tantum ut sentiens de Domino in bonitate audeat, et dicat : *Non in æternum irascetur, neque in æternum comminabitur?* (*Psal.* CII.) *Cum enim iratus fuerit, misericordiæ recordabitur* (*Habac.* III). Quam multos quotidie videmus qui inter flagitia quæ assidue committunt, spem et propositum resipiscendi non amittunt, et non solum peccata dimittere, imo etiam omnia quæ mundi sunt relinquere, et ad ordinem, et religionem venire proponunt. Quid aliud isti quam boni germinis radices retinent? Unde A cum tempus miserendi pro divino beneplacito advenerit, ad bonum studium pullulant. Alii autem, cum de conversione admonentur, nunquam se ad ordinem vel religionem venire etiam cum juramento affirmant, et cum de peccatis corripiuntur, se a suis voluptatibus non posse cohibere cum sacramento asseverant. Qui ergo ejusmodi sunt qui correctionis spem, propositumque perdiderunt, nonne cum virtutis arbore etiam radicum germen amiserunt? Quo contra dicitur de hac arbore : Verumtamen germen radicum ejus in terra sinite.

CAPUT XXV.

Ad quantam pravitatem, mens quandoque obduratur quæ tamen divinitus ad veniam reservatur.

Mirum sane quomodo ad unum statim flagitium B multi sæpe in desperationem cadunt. Alii nec post multa, et maxima, et diuturna mala spem, vel propositum resipiscendi amittunt. De quo et illud recte intelligitur quod hic de hac adhuc arbore subinfertur, quia *alligetur vinculo ferreo et æreo in herbis quæ foris sunt, et rore cœli tingatur, et cum feris pars ejus in herba terræ. Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei* (*Dan.* IV). Ex his certe, ut arbitror, perpendis quanta mala, sed audi adhuc quam sint diuturna : *Et septem*, inquit, *tempora mutentur super eum.* Quid enim intelligitur rectius in vinculo ferreo et æreo, quam perversitatis indomabilis consuetudo? In ferro audacia, in ære pertinacia, in herbis terræ bona infima, bona terrena. Quid enim nisi quædam herbæ terræ sunt bona ista C terrena, quæ nobis sunt cum bestiis communia. De quibus recte dicitur : quæ foris sunt. Eo enim ipso foris existunt quo corporalia et carnalia, non autem spiritualia sunt. Interna namque bona sunt spiritualia, exteriora autem sunt corporalia. Illa pertinent ad hominem interiorem, ista ad hominem exteriorem. Illa itaque invisibilia, ista autem visibilia; illa æterna, ista temporalia : *Quæ enim videntur*, ait Apostolus, *temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna* (*II Cor.* IV). Illa autem ad mentem, ista vero pertinent ad carnem. Sed omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. Cum ergo depravata mens cœperit ad hujusmodi infima bona seipsam inclinare, et quasi in herba terræ carnalia desideria D satiare, et ejusmodi oblectamenta in usum ducere, prava consuetudine paulatim invalescente, fit tandem sæpe ut jam appetitum suum ab eorum amore vel usu non possit temperare. Quasi ergo vinculo ferreo in herba terræ mens depravata alligatur, quando in carnalium voluptatum amore ex prava consuetudine obduratur. Quia ferrum cætera omnia metalla domat, recte, ut dictum est, audaciam designat, quæ neminem veretur, neminem formidat. Et quoniam æs cæteris omnibus est durabilius, recte per ipsum pertinaciam designari jam diximus. Quasi ergo in ferri, seu etiam æris rigore prava consuetudo obdurescit, quando depravata mens tam pertinaciter quam audaciter assuetis desideriis insistit. Nonne ferreo et æreo vinculo alligatur quæ

Digitized by Google

nullius unquam terrore, nullius unquam admonitione ab assuetis concupiscentiis avertitur? Nonne vincula ferrea vel ærea jam sentit, quæ nec minis cedit, nec consiliis acquiescit? Constat ergo ejusmodi mentes omnino corrigi non posse, nisi in ejus utique potestate qui quoties voluit contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Portis sane procedentium transitum obstruimus, vectibus autem ipsam clausuram munimus atque obfirmamus. Quid itaque per portam accipimus nisi contradictionem, et quid per vectem nisi rebellionem? Et scimus quidem quia non sufficit quibusdam prælatorum suorum monitis vel mandatis contradicere, sed cum non possunt eorum instituta dictis refellere vel avertere, nituntur etiam factis obsistere, et operibus rebellare, et quasi contradictionem suarum portas rebellionum vectibus munire. Si ergo, ut superius jam dictum est, per æs pertinacia, per ferrum recte intelligitur audacia, quid aliud erit porta ærea, nisi contradictio pertinax, et quid vectis ferreus, nisi rebellio audax? Quid itaque aliud est Dominum portas æreas et vectes ferreos confringere, quam pertinacem contradictionem et audacem rebellionem interna aspiratione et cordis compunctione coercere? Solius itaque Dei est, ut dictum est, hanc tantam cordis duritiem conterere, et ad pœnitentiam et humiliationem emollire. Cum igitur aliquis, juxta prædictum modum, vinculo ferreo et æreo in herbis quæ foris sunt alligatur, tantæ obdurationis et obligationis resolutio de sola Dei misericordia exspectetur.

CAPUT XXVI.

Quomodo mens, quæ moribus depravatur, postmodum ad errores vel fraudes imbuitur.

Sed adhuc ad augmentum mali additur, quod adjungitur : Et rore cœli tingatur. Quid intelligimus per rorem cœli, nisi subtiles et vix intelligibiles suggestiones diaboli? Si enim per terram convenienter satis designatur corpus, cur non æque per cœlum recte designetur spiritus? Corporum itaque comparatione spiritales illæ in dæmonibus substantiæ, cœli dici possunt. Et in Evangelio volucres cœli dicti sunt, non propter justitiam, non propter gloriam, sed propter angelicam spiritualemque naturam. Rore itaque cœli mens depravata intingitur, quando per suggestiones diaboli diversis erroribus imbuitur. Ex concupiscentiarum enim suarum exsultatione, tantam sæpe incurrit caliginem errorum, ut dicat malum bonum, et bonum malum, ponens tenebras lucem et lucem tenebras, ponens amarum in dulce et dulce in amarum. Qui igitur in herbis terræ foris alligatur, oportet ut rore tingatur : nam post depravationem morum, etiam sensus depravatur et multis erroribus facile implicatur. Hinc est, quod in eversione Hierusalem, rex prius filios, postea oculos amisit (*IV Reg.* xxv). Spirituales utique filios perdit, qui virtutum sobolem, quas diu nutrierat, amittit. Sed, filiis amissis, lumen oculorum eruitur, quia sæpe ex depravatione voluntatum acumen intelligentiæ obducitur et obnubilatur. Qui cœlestia itaque desideria amittit, qui terrenorum se amore involvit, quem quasi herbarum pastu vinculum cupiditatis astringit, necesse est quandoque errorum caliginem incurrere, et stillantibus velut cœli nubibus, quodam se seductionis rore inficere. Nonne et ille tibi rore cœli intingi videtur, qui spirituum malignorum suggestione ad omnem fraudem instruitur, ut ad eorum similitudinem libenter velit, et facile possit proximos suos decipere et fraudibus circumvenire? Absque dubio enim cum nimius amor terrenorum regnare incipit, paulatim quidem fraudulentiam inducit, ad extremum autem, ad violentiam et rapinam impellit. Unde est quod subjungit, et cum feris pars ejus in herba terræ.

CAPUT XXVII.

Quomodo mens ad omnem crudelitatem quandoque effrenatur, cum tamen divinitus ad pœnitentiam reservetur.

Et mirum quidem, nec tamen minus verum, quod quosdam divina dispositio ad summam crudelitatem effrenari permittit, quos tamen ad pœnitentiam reservare disponit, utpote quos ad vitam æternam præordinavit. Dicitur ergo de hujusmodi homine : Et cum feris pars ejus in herba terræ. Per feras quæ dente et ungue sæviunt (unde et a feritate, feroces dictæ sunt) recte satis crudeles quique intelligi possunt. De qualibus Psalmista : *Filii hominum*, inquit, *dentes eorum arma, et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* lvi). Per herbam terræ intelligimus oblectamenta carnis morituræ et gloriam transeuntis vitæ. Omnis siquidem caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni. Partem igitur cum crudelibus, et quasi cum feris in herba terræ habere videntur, qui propter avaritiam et ambitionem ad rapinam et fraudem et ad omnem crudelitatem effrenantur. Quid enim est cum crudelitatis ministris, tabulisque feris partem habere, nisi cum talibus sociis, sicut in morum similitudine, sic et in retributionum debito sortem accipere? Econtra autem Propheta talium consortia habere, vel cum eis partem accipere summopere declinabat, cum dicebat : *Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo* (*Psal.* c). Unde et alias : *Non adhæsit mihi cor pravum* (*ibid.*). Cor ejus ab humano commutetur. Cor animæ prævaricatricis et in ima ruentis ab humano commutatur, quando totius humanitatis et pietatis affectus omnino amittitur, quando temporalium amore et ex avaritiæ vitio ad opera misericordiæ medullitus obduratur, secundum illud . Viscera avari crudelia (*Prov.* xii). Post tot autem corruptionis gradus, adhuc in augmentum mali et illud additur, quod subinfertur, et cor feræ detur ei. Cor feræ datur et accipitur, quando proximus proximum suum sine alicujus commodi respectu, solo malignitatis instinctu, tam insaniter quam crudeliter prosequitur. Audi quid sentiat Propheta de talibus : *Virum sanguinum*, inquit, *et dolosum abominabitur Dominus* (*Psal.* v).

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

Quomodo malum grassatur in his qui semper in deteriora labuntur.

Attende, obsecro, quomodo malum grassatur. Prius amittuntur bona, postea committuntur et mala. In excussione foliorum, et dispersione fructuum, intellige detrimenta bonorum. In alligatione in herbis et obduratione cordis, intellige incrementa malorum.

Illud autem notandum, quibus gradibus accrescat accumulatio vitiorum, prius in avaritiam dejicitur, tandem autem per multiplices corruptionis gradus ad omnem crudelitatem effrenatur. Primo itaque vinculo ferreo et æreo prævaricatrix anima ligatur, quando cum forti labore et pertinaci sollicitudine, circa terrenorum acquisitionem infatigabiliter occupatur. Rore cœli tingitur, quando maligna suggestione ad fraudem imbuitur, ut ad avaritiæ instigationem, quod non potest per industriam, acquirat per fraudulentiam. Fit autem tandem cum feris pars ejus in herbis terræ, quando id quod non potest per industriam, neque per fraudem acquirere cupit, ac satagit per violentiam et rapinam obtinere. Ecce quomodo morbus avaritiæ crescit, et malum crudelitatis inducit. Est autem primus gradus sævitiæ, quando pro aliqua sui commoditate præsumit, vel sustinet (non tamen sine conscientiæ remorsu) in proximum suum sævire. Cor ab humano commutatur, quando nulla compassione movetur, nulla humanitate mollitur, quando exercendis rapinis nullo divini timoris respectu, nulla pœnæ vel nulla penitus conscientiæ stimulatione mordetur. Cor feræ accipit qui gratis etiam sævit, qui sine causa aliqua ad apertam malitiam erumpit. Primus itaque malitiæ gradus est, quando sine causa omnino erga proximum suum obduratur. Secundus autem, quando in miseriis proximi nulla compassione tangitur. Tertius et pessimus, quando jam in ejus malis pascitur et delectatur.

CAPUT XXIX.

Quod sæpe contingat mentem omniformiter corrumpi, quam tamen constat ad pœnitentiam ex divina miseratione reservari.

Unum autem adhuc, et velut ultimo loco additur in quo severitatis sententia consummari videtur. Et septem, inquit, tempora mutentur super eum. Mutantur septem tempora, quando variis corruptionis gradibus infirmitatis nostræ qualitas variatur, dum semper in deteriora vertitur. Nonne tunc aliud tempus, et velut priori contrarium incurrimus quando vitio cui prius resistere potuimus, jam omnino non posse prævalere incipimus? Tempus itaque circa quemlibet multipliciter mutatur, quando corruptionis ejus modus multiformiter variatur. Vitiorum siquidem dominatio animum paulatim emollit, et semper magis magisque debilem reddit, et gradatim ad deteriora impellit. Septem autem diebus, ut in commune novimus, totum tempus evolvitur, et idcirco sæpe ipso septenario universitas figuratur. Item capitalia vitia septem esse leguntur. Hinc est quod in Evangelio legimus immundum spiritum septem spiritus secum introducere, et domum suam quam ad tempus reliquerat inhabitare, quia unum quodlibet vitium sæpe cum dominari jam cœperit, solet totum illud detestandum vitiorum collegium pedetentim subintroducere. Hinc econtrario mulier peccatrix a septem dæmoniis purgata describitur, quæ ab omni vitiorum tyrannide per septiformem gratiam liberatur. Septenaria itaque temporum mutatio, est multiformis, imo universalis morum depravatio. Quasi enim septem super eum tempora mutantur qui omniformiter corrumpitur, et ad omnem vitiorum servitutem tandem aliquando enerviter inclinatur. Sed vide modo quod sit mirabile quod divina miseratio solet quandoque hujusmodi hominem ad pœnitentiam reservare.

CAPUT XXX.

Quomodo soleat multorum utilitati deservire quod quosdam contingat de sublimi corruere.

In sententia vigilum decretum est, et sermo sanctorum, et petitio, donec cognoscant viventes quod dominatur Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit dabit illud, et humillimum hominem constituet super eo (*Dan.* IV). Ut superius jam diximus, per vigiles hoc loco sanctos angelos intelligimus. Apostolo autem docente, didicimus quia omnes administratorii spiritus missi sunt propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Salutis itaque nostræ cooperatores angeli, et divinæ ordinationis ministri humana disponunt, prout communi hominum utilitati congruere, Deo revelante, cognoscunt. Solet autem sæpe multorum utilitati militare quod quosdam contingit ex magno sublimitatis culmine corruere, ut discant cæteri non altum sapere, sed de semetipsis semper humilia sentire, et in quolibet virtutum culmine morum ruinam timere, et veraciter agnoscant quia solus Dominus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate. Hanc ejusmodi ruinæ utilitatem propheticus sermo innuit, dicens: *Donec cognoscant viventes quod dominatur Excelsus in regno hominum.* Divina itaque dispensatione, cum communis utilitas hoc exigit, magnæ auctoritatis viri permittuntur cadere, eo duntaxat tempore quo inveniuntur de sua magnitudine superbire. Fit itaque circa eamdem personam unum idemque judicium, tam justum quam pium, quantum ad ipsam quidem justum, pium vero inquantum proficit ad cautelam aliorum. Justum namque valde est, ut qui ex divinis muneribus insolenter intumescit, ex propria ruina discat quam nihil sit, et per semetipsum quam nihil possit. Sermo autem sanctorum idem decretum idcirco esse dicitur, quia quod in lumine Dei futurum a quibusdam prævidetur, in commune confertur. Petitio vero sanctorum est, quia non solum fieri volunt, verum etiam cum desiderio expetunt quod multis utile, et divinæ gloriæ militare prænoscunt. Erit itaque ejusmodi judicium sanctorum decretum, quia misericorditer ju-

Digitized by Google

stum, sermo sanctorum, quia veraciter futurum. Petitio, quia juste pium.

CAPUT XXXI.

Quomodo addiscant quidam ex proprio, quidam ex alieno casu, quod nihil suis viribus attribuere debeant.

Donec cognoscant viventes quod dominetur excelsus in regno hominum. Ecce utilitas, ut cognoscant viventes. Affectus in nobis sane secundum Deum vivunt, dum in bono fortes sunt, et ad virtutum opera convalescunt, dum gratiam cooperantem habent, et in studiis spiritualibus se exercere valent. Tunc procul dubio moriuntur, cum in eis gratia cooperatrix subtrahitur. Subtrahitur autem cum de suis bonis et divinis donis mens improba superbit, et sua sibi merita ascribit. Subtracta gratia, affectus boni deficiunt et ad omne bonum languescunt, et sic de viventibus mortui fiunt. Quid enim aliud est virtutum defectus, quam quasi quidam illarum interitus? Qui igitur infirmitatem suam, gratiamque divinam tunc primum attendunt cum jam in bono deficiunt, isti post mortem, et quasi per mortem divinæ dominationis, et moderationis magisterium vel beneficium discunt et agnoscunt. Quid igitur est supernæ majestatis dominium et principatum in regno hominum viventes agnoscere, nisi unumquemque eo etiam tempore dum adhuc in bonis operibus vivit infirmitatem suam attendere, et nihil sibi, nihil suis meritis ascribere, et inter quælibet virtutum exercitia humilitatis custodiam non deserere, sed veraciter et absque simulatione quidquid mali, sibi ipsi, quidquid boni divinæ gratiæ ascribere? Et solet quidem pietas superna viros etiam virtutum in quibusdam humiliare, et gratiam subtrahere, donec discant inter quælibet morum insignia nil altum sapere, nihil de propria virtute præsumere. Felices qui alieno casu potius quam proprio, humanæ fragilitatis infirma addiscunt, et humilitatis gratiam proficiunt. Sed et cum eis quidem bene agitur qui ex propria ruina ad humilitatis custodiam evigilant, cum tandem aliquando post infirmitatis suæ lapsum fortiores resurgant. Utriusque rei typus in regis Nabuchodonosor ruina vel reparatione exprimitur, quia et idem ipse post ruinam ad maiorem gloriam reparatur, et multi per ejus ruinam ad circumspectionis cautelam eruditur: Donec cognoscant, inquit, viventes quod dominatur Excelsus in regno hominum. Viventes itaque est ejusmodi cognitionem habere, justum quælibet et cœlestem vitam ducentem in bono studio perseverare, et nihil sibi de suis bonis attribuere. Viventes utique ejusmodi cognitionem habent, quando et in bona intentione perdurant, et nihil de sua virtute præsumunt, sed totum quod utiliter possunt, Domino ascribunt, eo quod ipse sit qui solus dominatur in regno hominum quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. Sane et illud regnum exterius quo homines hominibus præesse solent, et illud item interius quo vitiis et passionibus suis principari debent ab ipso disponitur, et dispensatur, et utrumque ex ejus munere possidetur. Sed illud utique vitare et fugere omnino oportet, sicut magistra veritas proprio exemplo nos docet. Istud autem debemus desiderare, et quærere, et cum summo desiderio postulare, et cum Propheta supplicare : *Da imperium puero tuo* (*Psal.* LXXXV). Nunquidnam, quæso, animam prophetalem tantæ ambitionis credere oportet, ut regnum Israeliticum a Domino peteret, et ab ejusmodi eum petitione nec saltem pudor cohiberet? Sed si non potuit cohibere linguam ne hoc peteret, cur non saltem prohibuit manum ne tale aliquid scriberet? Sed absit de anima tam sancta et anima prophetali tale aliquid suspicari. Sed tale utique regnum, vel imperium de Domini pietate postulabat, unde salutis suæ proventum, vel provectum sperabat. *Da imperium*, inquit, *puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ*. Pete ergo et tu tale imperium, vel regnum a Domino Deo tuo, ut pro hac parte psallere possis : *Ego autem constitutus sum rex ab eo* (*Psal.* II). Vera namque satis sententia, cuicunque voluerit dabit illud. Non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Si enim nihil habes quod non accepisti, quanto magis regnum?

CAPUT XXXII.

Quod ex modo humilitatis pendet mensura magnitudinis.

Et humillimum, inquit, hominem constituet super eo. Superbis namque resistit, humilibus autem dat gratiam, et certe quanto humiliorem, tanto sublimiorem. Absque dubio si illud internum regnum cogitemus, eris in hoc regno quanto humilior, tanto sublimior, et tanto sine ambiguitate major, quanto in oculis tuis fueris minor. Cuinam, quæso, dubium esse queat quod in illo exteriori regno multo aliter, seu econtrario sæpe contingat? In illo autem interiori regno semper ex mensura humilitatis pendet mensura magnitudinis. Quia humilem in eo, et humillimum constituet super eo. Humilis est qui seipsum apud semetipsum veraciter contemnit, humilior autem qui se contemni etiam ab aliis non refugit. Humillimus vero qui contemptum suum non solum contemnit, sed et admodum concupiscit. Quid itaque, quæso in illum superbia possit, cui despectus suus in despectum venit? Cum igitur, attestante Scriptura, initium sit omnis peccati superbia (*Eccle.* X), quid, quæso, contra illum possit peccatum cui ex victoria superbiæ longe est omnis peccati initium? Qui igitur ejusmodi est vide quam fortis et potens in illo regno invenitur, quod contra peccatum statuitur, quod a solo peccato destruitur, vel dissipatur. Ecce jam ex fine visionis manifeste colligimus quod longe superius prælocuti sumus, quia commune bonum et universitatis utilitas exigebat talem hominem, forte qualis designatur in arbore, talem, inquam, hominem qui juxta similitudinem arboris de sublimi quodam statu caderet et iterum resurgeret, ut ex sui ruina, stantibus metum cadendi inculeret, et ex sui reparatione jacentes ad spem resurgendi reformaret.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

Quod aliud sit divina judicia per contemplationem cernere, atque aliud eorum rationem perpendere.

Ecce somnium quod Nabuchodonosor vidit, sed adhuc ejus interpretationem requirit, unde et dicit: *Hoc somnium vidi ego rex Nabuchodonosor. Tu ergo Balthassar interpretationem narra festinus, quia omnes sapientes regni mei nequeunt solutionem edicere mihi. Tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est* (*Dan.* IV). Sicut in superioribus jam dixi, aliud est judicia divina perspicaciæ vel prævidentiæ oculo cernere, atque aliud est eorum rationem discretionis judicio et intelligentiæ vivacitate penetrare atque cognoscere. Illud ad somnii visionem, istud pertinet ad somnii interpretationem. Ad somnii visionem pertinet ex divina revelatione cognoscere quid contingere oporteat, ad interpretationem autem somnii pertinet intelligere qualitatem personæ cui hoc accidere debeat, causam videlicet perpendere quæ ad ejusmodi casum qualemcunque personam impellere soleat. Hoc est quod Daniel investigando invenit, et regi interpretando aperuit, cum dicit: Tu es arbor illa quam vidisti. Quid enim est dicere, tu es, nisi talem te esse perpendo, talem in te causam invenio, unde tale aliquid tibi accidere debere non dubito? Vis autem adhuc apertius nosse quomodo post ostensam divinitus visionem solemus, imo et debemus ejus interpretationem quærere? Ecce forte quis per contemplationis lucem videt quomodo quorumdam sublimium virorum lapsum, et reparationem communis utilitas requirat. Videt quomodo hoc ipsum ad gratiam Dei commendat, quomodo hoc ipsum stantes adhuc ad cautelam informat, quomodo lapsos ad spem reparat, quomodo ex hoc universitatis pulchritudo mirabilior appareat, et certum habet quia fieri oporteat, eo quod omnipotens bonitas commune bonum impedire nolit, nec debeat. Sed iterum mirari incipit quomodo possit summæ justitiæ convenire, vel quomodo possit justum esse, ut vel propter universitatis utilitatem, permittantur aliqui cadere. Nam, sicut universitatis debitor est qui omnia fecit, sic et singulorum debitor est qui singula instituit. Et, sicut pium est commune bonum non impedire, sic et justum esse oportet, semper aliquam causam lapsuro inesse propter quam merito debeat imminenti patere ruinæ. Qui igitur ejusmodi causam nosse concupiscit, et divinorum judiciorum rationem summopere quærit, quid aliud quam ostensæ visionis interpretationem inquirit? Tunc autem ejusmodi interpretationem quasi a Daniel exigit quando quod per investigationem non potest, præcipuo, et summæ devotionis studio a Domino extorquere non desistit. Hoc somnium, inquit, vidi ego Nabuchodonosor. Tu ergo, Balthasar, interpretationem ejus narra festinus. Perpendis, ut arbitror, quia alia rex per seipsum videt, et alia a Daniele extorquet, quia alia sunt quæ animo libere et ex facili occurrunt, alia quæ sine magno labore, et ingenti sollicitudine sciri non possunt. In illis animus provocatur ut ad majora assurgat, in istis exercetur et humiliatur, ne præsumat. Innuitur autem quod in his quæ rex viderat, sine timore non fuerit qui interpretationem cum festinatione requirit. Admonemur autem et nos ejus rei absolutionem cum omni festinatione quærere, ubi periculi scrupicio potest metum incutere.

CAPUT XXXIV.

Quod eorum notitiam sæpe merito devotionis acquirimus quæ nulla nostra sagacitate, nullo nostro studio penetrare valemus.

Notandum sane quod Daniel Balthassar, hoc est capillus capitis vocatur, ubi ad subtilem et sublimium absolutionem invitatur. In humanis etenim membris quid capite sublimius, quid capillo subtilius? Recte ergo capillus capitis dicitur, a quo subtilitas sublimis intelligentiæ exigitur. Et vera mentis devotio ab effectu recte, ni fallor, capillus capitis dicitur, quia per ipsam absque dubio ad omnem subtilitatem acuitur. Per effectum itaque ipsa est capillus capitis, ipsa subtilitas mentis. Audiamus adhuc quid ad hæc subjungat: Quia omnes sapientes regni mei nequeunt solutionem edicere mihi. Qui sunt, quæso, sapientes illius interioris regni nisi acerrima acumina, et peracuti sensus cordis humani? Attende ergo quæ sit virtus devotionis, quam recte dicatur capillus capitis, si per ipsam mens potest quod per omnes regni sui sapientes non potest. Cum igitur mens quod supra suam intelligentiam multiformiter quærit, quærendo insistit, insistendo deficit, deficiendo diffidit, quid aliud, quæso, jam apud se tacita per diffidentiam loquitur nisi hoc quod rex Nabuchodonosor palam profitetur? Quia omnes sapientes regni mei nequeunt solutionem edicere mihi. Sed cum Veritas dicat: *Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis* (*Marc.* XI). Si igitur mens credit quod audit, si se ad orationem convertit, si per veram et intimam devotionem se posse obtinere non diffidit quod per investigationem non potuit, quid aliud, quæso, per spei fiduciam, fideique constantiam apud semetipsum asserit nisi idem idipsum quod rex ad Danielem: Tu autem potes, inquit? Et causam quoque adjungit: Quia spiritus deorum sanctorum in te est. Scimus quia in Scripturis sanctis homines sancti dicti sunt dii, et potest eadem ratione et hoc de angelis dici. Quis ergo est istorum deorum spiritus, nisi Spiritus sanctus? Ipse profecto est qui interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ipse est qui suggerit nobis quid oremus. Ipse qui docet quomodo orare debeamus. Sine isto Spiritu devotio nostra vera esse non potest, quod cum ipso, et per ipsum attentaverit incassum iri non potest: Tu autem, inquit, potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est.

Notandum autem quod rex Nabuchodonosor non inutilia et supervacua per Danielis officium quæsivit, sed quæ ad declinandi periculi cautelam sciri oportuit. Dabitur autem et nobis quod petimus, si juxta illius exemplum cum fide et ex vera devotione

Digitized by Google

quærimus quod sine periculo ignorare non possumus.

CAPUT XXXV.

Quod animus dum ex multa consideratione infirmitatis suæ humiliatur, sæpe ad sublimem intelligentiam divinitus illuminatur.

Tunc Daniel, cujus nomen Balthasar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi hora una, et cogitationes ejus conturbabant eum (*Dan.* IV). Puto quia ad Danielem pertineat, et quia veræ devotionis officium existat ad semetipsum redire, exteriorum oblivisci et interiora cogitare, eo maxime tempore cum debet propriæ, vel alienæ saluti consulere. Aliud est tempus investigandi quæ sunt supra se, atque aliud est tempus discutiendi quæ sunt intra se. Omnia enim tempus habent. Tempus itaque est contemplandi magnalia divina, et est tempus considerandi infirma nostra. Istud est tempus ridendi. Nam et ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Cur non sit tempus ridendi in matutino divinæ revelationis et contemplatione æterni luminis? Cur non sit tempus flendi in vespertino horrendæ visionis, in considerandis humanæ conscientiæ tenebris? Vespertinum tempus est quando ante contemplantis oculos lumen revelantis gratiæ emergit et in sui admirationem convertit, et sæpe extra semetipsum per mentis excelsum rapit: *Exitus*, inquit, *matutini, et vespere delectabis* (*Psal.* LXIV). Qui sunt isti matutini exitus, nisi ad veri solis irradiationem humanæ mentis excessus? Dicit ergo quia delectant exitus matutini, cur non et vespera, vel introitus vespertini? Nam mane solemus ab interioribus ad exteriora exire, et vespere ab exterioribus ad interiora redire. Quis autem digne miremur quam sit dulce, quamve delectabile, fervente jam charitate, et quasi sub æstivo tempore ad matutinam lucem radiantis divinitatis se a somno excutere, et extra humanæ mentis angustias in auram libertatis erumpere, et in latum illum divinorum spectaculorum campum mentis alienatione transire? Delectant itaque exitus matutini, contristant autem introitus vespertini, eo procul dubio tempore cum animus revertitur ad considerationem sui: *Ad meipsum*, inquit, *anima mea conturbata est* (*Psal.* XLI). Sed in horrore visionis nocturnæ, in consideratione horridæ conscientiæ unum est certum levamen animi, memoria videlicet Dei sui, et hoc est quod additur ibi: Ad meipsum, anima mea conturbata est, *propterea memor ero tui.* Hoc est quod alias dicit: *Memor fui Dei, et delectatus sum* (*Psal.* LXXVI). Et hoc in loco: *Exitus matutini, et vespere delectabis.* Tu, inquit, delectabis, non ipsa hora, non ipsi introitus vespertini temporis. Nam quæ, quæso, poterit esse delectatio in consideranda tenebrosa illa humani cordis abysso? Pravum siquidem est cor hominis, et inscrutabile, et quis cognoscet illud? Hoc est quod Daniel, dum diu cogitat, apud semetipsum cogitationes suæ conturbant eum. Sed qui infirma sua libenter considerat, diligenter retractat, et se in eorum consideratione humiliat, dum illud studiose discutit quod in seipso per semetipsum deprehendere potuit, sæpe et ad id divinitus illuminatur quod per seipsum scire non potuit. Hoc est quod Daniel, dum apud se diu tacitus meditatur, ad prænoscendam regiæ potestatis ruinam ejusdemque ruinæ causam divinitus eruditur.

CAPUT XXXVI.

De vera mentis devotione, quomodo debeat semetipsam discutere.

Debet autem non mediocriter et quasi in transitu interiora sua meditari, qui vult ad profundam et plenam sui cognitionem erudiri, qui suæ vel alienæ saluti necessaria optat sibi revelari. Sic Daniel quasi hora una apud semetipsum cogitavit, et causam quam quæsivit obtinuit. Investigationis hora tunc demum debito fine concluditur, quando jam invenitur quod quæritur. Et nos itaque, articulo necessitatis urgente, studeamus orare, quærere, pulsare quantum necessitas cogit, vel opportunitas sinit et studii nostri continuatio instantem horam complevit. Sed si per Danielem devotionem oportet intelligere, forte hoc erit Danielem intra semetipsum cogitare, devotionem nostram semetipsam discutere, semetipsam examinare, quam fervens, quam frequens, quam supplex sit apud semetipsam inquirere. Apud semetipsum cogitat, cum studii et exercitii sui qualitatem, modum et intentionem pensat. Cogitat apud semetipsum dum diligenter inquirit si hoc ipsum quod bene intendit non de suis viribus, sed de sola pietate Domini præsumit. Devotio itaque nostra sæpe cum hoc secum agit, arrogantiæ vitium quod in se prius latebat deprehendit. Sed absque dubio vitium arrogantiæ cum cœperit menti prævalere, semper solet esse causa ruinæ. Cum igitur hoc vitium ad eam enormitatem devotio excrevisse invenerit, futuram animi ruinam imminere colligit, et pertimescit. Scit enim quod ante ruinam exaltabitur cor, et quia Deus superbis resistit.

CAPUT XXXVII.

Quomodo devotio quandoque totum interioris hominis statum deprehendat, et tam præsentem perspiciat, quam futurum provideat.

Respondens rex ait: Balthasar, somnium, et interpretationes ejus non conturbent te (*Dan.* IV). Quod Danielem rex turbari prohibuit, quid aliud est nisi quod mens seipsam deludit, et spe inani sæpe utilem timorem tollit? Sed ecce Daniel facit quod, imminente periculo, a nobis fieri voluit, et quod veræ devotionis est, se ad orationem convertit. *Respondit Balthasar, et dixit: Domine mi, somnium his quæ te oderunt, et interpretatio ejus hostibus tuis sit.* Maligni spiritus sunt qui odio inexstinguibili in nos exarserunt. Vitia veri animæ hostes sunt, quæ eam ad æternum interitum impellunt. Horum ruinam imprecari docemur in eo quod dicitur: Somnium his qui te oderunt, et interpretatio ejus hostibus tuis sit. Cum igitur mens spiritu superbiæ, et

Digitized by Google

ejusmodi vitiorum incentoribus impugnatur, cum arrogantia, et vana gloria opprimitur, debet ad orationem confugere, et juxta Danielis exemplum eorum ruinam expostulare. Sed cum animi devotio contra arrogantiam et vanam gloriam per orationem prævalere non possit, sæpe ex eo ipso altius intelligit, certiusque colligit quod animi tumor, nisi por fœdam et erubescendam ipsius dejectionem sanari nequiverit. Et hoc est quod Daniel per mysterium loquitur, cum dicit : *Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua.* Audiamus nunc quid dicat, et ex eo colligamus quomodo totum sæpe interioris hominis statum devotio deprehendat, et tam præsentem describat, quam futurum provideat. Dicat ergo, jam imminente ruina, quid animus interim sit per gratiam, qualis futurus sit per culpam, novissime autem addat ruinæ ipsius, vel reparationis suæ causam. Hunc, ni fallor, ordinem in verbis Danielis ad regem invenies, si recte examines : *Arborem*, inquit, *quam vidisti sub limem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cœlum, et aspectus illius in omnem terram, et rami ejus pulcherrimi, et fructus ejus nimius, et esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, et in ramis ejus commorantes aves cœli ; tu es rex, qui magnificatus es, et invaluisti ; et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad cœlum, et potestas tua in terminos universæ terræ.* Quomodo in his verbis describatur quidam magnæ perfectionis status, supertus jam diximus, et hic replicare non debemus.

Nota autem illud quod dicitur : Arborem quam vidisti, tu es. Si per ejusmodi arborem, magnum quoddam admirandæ virtutis robur oportet intelligere, si per visionem divinitus ostensam contemplationis revelationem debemus accipere, quid, quæso, erit dicere, tu es arbor quam vidisti, nisi quia talem gratiam accepisti, qualem prius per contemplationem vidisti, et magnæ perfectionis virum qualem esse oporteret per contemplationis gratiam intellexisti, talis, et tantus ex divino munere esse meruisti. In arbore igitur mystice describitur gratia divinitus accepta ; sequentibus autem verbis exprimitur arrogantis animæ superveniens ruina : *Quod autem*, inquit, *vidit rex vigilem, et sanctum descendere de cœlo, et dicere : Succidite arborem, et dissipate illam, attamen germen radicum ejus in terra dimittite, et vinciatur ferro et ære in herbis foris, et rore cœli conspergatur, et cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora commutentur super eum. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum regem. Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis, ferisque erit habitatio tua, et fenum ut bos comedes, et rore cœli infunderis. Septem quoque tempora mutabuntur super te.* Quomodo in his verbis animæ de sublimi quodam statu in ima ruentis typus exprimitur, in superioribus habetur.

Nota quod hic quoque quemadmodum superius prius sit divinitus per contemplationem ostensum, postea autem opere explendum. Quod autem vidit rex hoc pertinet ad contemplationem, quod in sequentibus additur, ejicient te ab hominibus, hoc pertinet ad visionis executionem, ac si dicat : Secundum hoc quod per contemplationem vidisti talem ruinam de tam sublimi statu posse et solere contingere, simile periculum tibi video imminere, quia in te invenio causam ruinæ. Ruinæ autem causa innuitur in eo quod novissime infertur : Donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicunque voluerit det illud. Quod dicit donec scias, notat quod hoc ipsum prout oportuit nondum agnoverat. Sequentibus autem verbis exprimitur qualis tandem aliquando futurus sit per gratiam, et cur, vel quomodo reparandus sit post ruinam. *Quod autem præcepit*, inquit, *ut relinqueretur germen radicum ejus, id est arboris : regnum tuum tibi manebit postquam cognoveris potestatem esse cœlestem.* Hæc autem omnia per Danielem audire, est per devotionis nostræ studium, arrogantiæ nostræ enormitatem deprehendere, quæ semper solet esse causa ruinæ, et causa ruinæ inventa atque perspecta, violentissimum cadendi metum incurrere, spem tamen firmissimam resipiscendi, et resurgendi inconcusse retinere. Quomodo vero hæc omnia debeant plenius intelligi, ex superiori expositione facile potest agnosci.

CAPUT XXXVIII.

Quomodo imminenti periculo repugnare oporteat, vel quantum eleemosyna valeat, si simplici intentione fiat.

Imminenti periculo jam cognito, et in medium prolato, novissimo Daniel loco adjungit quid sub tantæ necessitatis articulo fieri, vel quomodo instanti periculo repugnari oporteat : *Quamobrem*, inquit, *rex, consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum ; forsitan ignoscet Deus dilectis tuis* (*Dan.* IV). Quid, quæso, consultius, quidve commodius quam, urgente periculo, ad divinam protectionem confugere, ejusque propitiationem quærere cui nihil est impossibile ? Justum est autem valde, ut qui in sua necessitate suffragium a suo expetit superiori, opem quam valet, et oportet suo exhibeat inferiori, ut qui sibi misereri desiderat, misericordiam libenter impendat, ut fiat quod scriptum est : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Recte ergo dicitur peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. Forte in hac gemina clausula est repetita sententia, ut idem sit redimere iniquitates atque peccata. Possumus tamen in peccatis intelligere prævaricationes operis, in iniquitatibus vero pravitates voluntatis. Monet namque illud nos psalmi aliquam in his distinctionem debere, vel posse fieri : *Tu remisisti*, inquit, *impietatem peccati mei* (*Psal.* XXXI). In eleemosynis nihilominus recte intelligitur pietatis actus, in misericordiis pietatis affectus. Et vide quam recte expietur opus opere, actus ex affectione. Peccata tua, inquit, elee-

Digitized by Google

mosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. Pauperes facit indulgentia bonorum exteriorum, multo magis autem pauperes reddit inopia bonorum interiorum. Pauper est, qui discretione caret, qui consilium non habet, qui virtutum divitiis caret. Sed ubi paupertas est, ibi et eleemosyna esse potest. Et quanto paupertas est verior, tanto eleemosyna major. Magna eleemosyna suo cibo reficere carnem quandoque morituram, major autem sui generis alimento saginare animam in æternum victuram. Eleemosyna nudum vestire, major autem indisciplinatum morum disciplina ornare. Optimum eleemosynæ genus corripere inquietos, consolari pusillanimes, patientem esse ad omnes. Misericordia magna alienæ afflictioni compati, major autem pro alienis erratibus compungi; præclarum genus misericordiæ, delinquentes deflere, pœnitentibus indulgere, aliena delicta propriis lacrymis delere. In his misericordiæ operibus nos exercitare debemus, qui exteriores divitias non habemus. Forsitan, inquit, ignoscet delictis tuis. Quid est quod forsitan dicit, et quasi sub dubitatione ponit, nisi, quod nec in his misericordiæ operibus potest animus plenam fiduciam habere, quando superbiæ et inanis gloriæ tabe corruptus, non potest hæc pura et simplici intentione exercere?

CAPUT XXXIX.

Quam patienter, vel misericorditer correptionem nostram Dei longanimitas exspectat, vel quomodo perversa mens ejus patientia abuti soleat.

Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem (*Dan.* IV). Omnia, inquit, venerunt super regem, et regem talem. Omnia venerunt, omnia venire possunt super regium animum, et qualem regia persona designat per mysterium: *Post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat. Respondit rex, et ait: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei?* Quis, quæso, divinæ pietatis viscera digne pensare sufficiat, quod contemptum suum non statim vindicat, sed correptionis nostræ satisfactionem exspectat, et propitiationis suæ tempora prolongat. Post finem, inquit, mensium duodecim, in duodenario senarius duplicatur, et in senario propter sui perfectionem, perfectio figuratur. Quid itaque est, quod divina moderatio in exspectationis suæ mora senarium duplicat, nisi quod ultionis suæ dilationem, secundum justitiæ et misericordiæ suæ plenitudinem dispensat? Parum namque ei est ut nostram correptionem exspectet quantum justitia exigit, nisi et illud superaddat quod misericordia requirit, ut exspectatio sua sit tam justa quam pia, et tam æquitate perfecta quam pietate plena. Sed multi Dei benignitate abutuntur, et unde corrigi debuerant, deteriorantur. Ecce Nabuchodonosor dum satisfaciendi tempora divinitus data accipit, unde se corrigere debuit, altius intumuit. In aula Babylonis deambulabat. Forte palatium et firmissimum habitaculum humilitas vera et custos virtutum. Sed pertinet ad Hierusalem hujusmodi habitaculum: *Hierusalem*, inquit, *quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* CXXI). Sed, sicut ad Hierusalem pertinet humilitas vera, sic ad Babylonem humilitas ficta. Quid enim aliud ficta humilitas quam ignominiam parat, quid aliud quam confusionem exspectat? Aula igitur Babylonica humilitas ficta. Aula Babylonis sine humilitate disciplina humiliationis. In aula Babylonis non sedet, non jacet, sed deambulat quem sua conscientia dum remordet inquietat. In aula Babylonica deambulat quem de ficta humilitate sua conscientia accusando fatigat. Est autem deambulare, non in unam partem ire, sed passim huc illucque vagari. Ille ergo deambulat, quem conscientiæ stimulus undique exagitat.

CAPUT XL.

De typo arrogantis animæ, vel quomodo soleat semetipsam magnificare.

Respondit que rex, et ait: Quæ, quæso, est ista responsio, ubi nulla præcedit interrogatio? An forte alienæ cogitationi respondebat, et forsitan cogitationi quæ nulla erat, sed esse credebat? Forte eorum cogitationi respondebat quos suam magnitudinem et auctoritatem admirari æstimabat. Habet autem hoc proprium arrogans animus, ut celsitudinem suam omnes admirari credat, quam ipse omni hora apud semetipsum magnificat: unde fit ut et apud alios in verba jactantiæ fiducialiter prorumpat, et idem quod Nabuchodonosor, quamvis aliis verbis, exprimat. Consideremus modo quam alte intumuit qui in ea quæ superius posuimus verba prorupit. Nonne hæc est Babylon magna quam ego ædificavi? Ecce ostentatio. In domum regni; ecce ambitio. In robore fortitudinis meæ; ecce arrogantia. Et in gloria decoris mei; ecce vana gloria. Hæc est Babylon magna quam ego ædificavi. Idem dicimus sonare Babylonem quod confusionem. Animæ superbienti et dupliciter ingredienti est Babylon ædificare, ad omnem se humilitatem inclinare, et quasi pro religionis obtentu ad omnem se utilitatem et abjectionem exponere, et ad quælibet in quibus solent homines erubescere, qualis est vilis habitus, humilis gestus, tenuis cibus, voluntaria servitus. Dicat ergo: Hæc est Babylon magna, humiliatio profunda, hæc est dejectio voluntaria, hæc est confusio votiva, quam ego ædificavi, quam observare decrevi. Sed quo fine, qua utilitate? In domum, inquit, regni. Nonne tibi ædificare videtur quasi in domum qui agit ad obtinendam auctoritatem, et artem magisterii, ut talis tantusque omnibus appareat qui digne debeat promoveri, aliisque præferri et dignitate seu etiam potestate sublimari? In robore, inquit, fortitudinis meæ. Ecce quanta arrogantia sibi ipsi attribuerit, quod totum pendet ex gratia divina. Non dicit in munere miserationis divinæ, sed in robore fortitudinis meæ. O quam aliter veritas ipsa et sensit, et docuit cum dicit: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Sed quod se mens improba efficere æstimat per fortitudinem suam,

Digitized by Google

consequenter retorquet ad gloriam propriam : In robore, inquit, fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei. O quam aliter hujusmodi gloriator agit, quam Apostolus præcepit, quam aliter, quam magistra veritas instituit : *Qui gloriatur*, ait, *in Domino glorietur* (*I Cor.* II) ; et illa : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V). Sed iste in gloria, inquit, decoris mei.

CAPUT XLI.

Quam subito, sæpe, et quam profunde labuntur, qui patientia Dei abutuntur.

Cum esset adhuc sermo in ore regis, vox de cœlo ruit : Tibi dicitur Nabuchodonosor rex : Regnum transiit a te (*Dan.* IV). Vox ruit, cum adhuc sermo esset in ore, sub ipso videlicet adhuc gloriandi tempore. Sæpe namque impudens animus, dum gloriatur in immensum, inter ipsum gloriandum, remordente conscientia, subito consternatur, et divino quodam nutu subitaneo horrore concutitur, et cadendi metu in non evadendi desperationem præcipitatur. Vox de cœlo ruit, quando quod aure cordis percipit ab intimis animæ sensibus venit. Velut terra audit, quidquid per sensum corporeum haurit. De cœlo venit, quod per Spiritum agnoscit. E cœlo discit, quod intellectualiter comprehendit. Tibi dicitur Nabuchodonosor : tibi tam inaniter superbienti, tibi tam inaniter glorianti. Regnum transiit a te, *et ab hominibus te ejicient et cum bestiis atque feris erit habitatio tua.* Regnum ab uno quolibet transit, quando gratiam divinitus sibi collatam amittit, per quam desideriis, et passionibus suis dominari consuevit. Ab hominibus te ejicient. Quantum te supra homines extulisti per arrogantiam, tantum infra homines dejicieris per culpam, et cum bestiis et feris erit habitatio tua. Ab hominibus ejectus ad bestias et feras descendit et degit, qui rationales mores deserens, de cætero irrationabiliter vivit, ut bestialiter degens et feraliter agens cum bestialiter viventibus sit ad omnem carnalitatem resolutus, et cum feraliter agentibus ad omnem crudelitatem effrenatus. Addit adhuc : *Fenum quasi bos comedes.* Bos cum fenum accipit pro summis deliciis ducit, et nil lautius requirit. Cum sit ergo omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni, fenum quasi bos comedit, qui omne gaudium suum in temporali gloria et carnalibus oblectamentis ponit, et spirituales delicias omnino, nec per studium, nec per desiderium requirit. Ecce in quam profundum labitur, qui patientia Dei abutitur. Ecce ad quem exitum venit, qui resipiscendi tempora in vanum accepit.

CAPUT XLII.

Quod una, eademque sententia per contemplationem prænoscitur, per timorem intentatur, per desperationem confirmatur.

Et septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quod dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit det illud (*Dan.* IV). Ista jam superius exposuimus, et eadem iterum replicare non debemus.

Illud sane notandum quod unum atque idem sæpius repetitur, et una et eadem divinæ severitatis sententia tertio replicatur. Et ut tibi propriis differentiis distinguam, primo animus per contemplationem, quasi per visionem agnoscit quid evenire soleat ; secundo, per devotionem et quasi per Danielis officium invenit quid de seipso timere jam debeat, novissime ad subtractionem gratiæ desperatione jam fractus, manifeste deprehendit quid jam evitare non valet. Una itaque eademque sententia per contemplationem prænoscitur, per timorem intentatur, per desperationem confirmatur.

CAPUT XLIII.

Quod sine divina protectione nullus valeat suis passionibus, vel malignis suggestionibus resistere.

Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, ex hominibus abjectus est (*Dan.* IV). Quid est eadem hora, nisi statim ad subtractionem gratiæ tentationibus cedere, et tentantibus malignis spiritibus non posse resistere ? Eadem hora, non quod concepta nequitia statim in actum prodeat, cum peccandi occasionem non semper ad manum habeat : sed mens dejicitur, et cadit ex quo peccato consentit. Dejicitur, et cadit ex quo occasionem quærit. Ex hoc loco, ut arbitror, possumus patenter colligere, quod nullus sine divina protectione posset, vel passionibus suis, vel suggestionibus malignis, vel ad modicum resistere. Eadem itaque hora ab hominibus abjectus est, *et fenum ut bos comedit, et rore cœli corpus ejus infectum est.* Hæc omnia jam superius exposuimus. Sed additur adhuc quod in superioribus non legimus : *Donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues quasi ungues avium.*

CAPUT XLIV.

De quanto virtutum culmine contingat in ima vitiorum corruere.

Sunt autem capilli subtiles et longi, et recte in eis profunda et peracuta consilia possunt intelligi. Corpus vero aquilarum multa tegitur densitate plumarum. Solent autem aquilæ cæteris cunctis animantibus videre perspicacius et volare sublimius. Capillos itaque quasi in similitudinem aquilarum habet, qui multa prudentia, qui plurima astutia callet, qui in fraudibus inveniendis, qui in dolis nectendis nullo jam segnior, nullo invenitur inferior. Rapaces autem aves, ut omnes novimus, unguibus desæviunt, omnes vero aves in commune lacerant et lædunt quod unguibus apprehendunt. Quid itaque est ungues velut avium habere, quam quoscunque lædere quibus possis prævalere. Sed si sub unguium typo crudelitatis officium recte intelligitur, nonne id ipsum superius sub alia figura exprimitur, ubi dicitur : Et cum feris erit habitatio tua. Sed feræ aves non aucupant, nec habent omnino quid avibus faciant. Qui igitur sæculares et carnales quosque et quasi terræ incubantes libenter oppri-

Digitized by Google

munt, quid aliud quam ferarum more in animalia desæviunt? Nonne recte animalia dicendi sunt quæ soli ventri deserviunt, quorum Deus venter est, et gloria in confusione? Qui autem spiritales viros persequuntur quid aliud quam avium more avibus insidiantur, et velut unguibus debacchantur? Nonne tibi aves cœli videntur esse qui veraciter possunt dicere : Nostra autem conversatio in cœlis est? Nonne cœli aves dicendi sunt qui se in alta contemplationis penna suspendunt? In priori igitur sententia habemus quomodo infesti sunt carnalibus; in hac autem habemus quomodo tandem aliquando penitus non parcunt vel ipsis spiritualibus. Dicat ergo de hujusmodi homine, dicat: Donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues ejus quasi ungues avium, ut sit tam promptus ad circumveniendum etiam circumspectos, quam absque dubio est pronus ad opprimendum viros etiam virtute conspicuos. Hic efficax ad fallendum, hic procax et impudens ad persequendum : *Os tuum*, inquit Psalmista, *abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos* (*Psal.* XLIX). Ecce quomodo fallacem arguit. Audi, et quomodo procaces confundit : *Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt* (*Psal.* XCIII). Nonne in cœli volatilia, et velut unguibus desæviunt, qui justi animam captant, et innocentem condemnant? Vel per aves dæmones possunt intelligi, sicut habemus ex lectione Evangelii (*Luc.* VIII). Quid igitur erit ungues ad ejusmodi avium similitudinem haberè, nisi bonos quoslibet solo malignitatis instinctu infestare? Ecce jam habemus de quam alto perfectionis culmine contingat virum virtutum in ima vitiorum corruere, ut discat homo in qualicunque sanctitatis celsitudine, semper morum ruinam timere. Recole qualem superius ex mystica arbore descripsit, simul et attende ad quem exitum tandem aliquando venit. Et de arbore quidem legis, quia in ramis ejus conversabantur volucres cœli, et ex ea vescebatur omnis caro. Erat itaque bonis ad protectionem, omnibus autem ad consolationem. Quia volucres cœli conversabantur in ea, et omnis caro vescebatur ex ea. Ecce idem ipse post omnia, dente et ungue in omnes sævit, quia et pars ejus cum feris exstitit et ungues ut avium accepit.

CAPUT XLV.

Quomodo interim etiam ad majorem gloriam quandoque resurgit qui prius de sublimi cecidit.

Lætificat valde quod sequitur cum post ista subjungitur : *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi, et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna, et regnum ejus in generatione et generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt* (*Dan.* IV). Ecce iterum resurgit, ecce ad priorem, imo ad potiorem potius gloriam redit, qui de tam sublimi in tam profundum ruit. Quis non miretur, quis non obstupescat? Quis divinæ pietatis viscera digne pensare sufficiat? Quis, quæso, quantumlibet peccator de divina miseratione non præsumat, et ad spem veniæ non reviviscat? Post finem, inquit, dierum levavi oculos meos ad cœlum. Finis dierum, completio divinorum judiciorum. Si lumen est justitia, vel judicia humana, cur non multo magis judicia divina? *Et educet*, inquit, *quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem* (*Psal.* XXXVII). Si dies (imo meridies) potest esse judicium tuum, quanto magis judicium divinum? Judicia Dei dies sunt, quia in lumine veritatis, quia in luce rectitudinis fiunt. Siquidem judicia Domini vera justificata in semetipsa. Ejusmodi dierum numerus super quemlibet afflictum finitur, quando divinorum judiciorum severitas in ejus percussione completur? Talium dierum finis completur, quando divinæ severitatis animadversio in misericordiam commutatur. Horum dierum finem in sua Nabuchodonosor attritione accepit, quando eum jam divina miseratio respexit. Nam si non respiceret, nec ipse quidem oculos suos ad cœlum levaret. Oculos ad cœlum levare, est cœlestia et æterna cogitare, et cura et sollicitudine sæcularium semota, sola spiritualia præ oculis habere. Cœlum respicere, et regionem lucis præ oculis habere, et in illud æternitatis lumen intelligentiæ oculos tota intentione figere. Illic oculos jam fixerat, qui dicebat : *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui* (*Psal.* LXXVIII). Sed ecce qui oculos in cœlum levavit, sensum quem amiserat, recepit. Attende ergo quam sit utile oculos in hunc modum ad cœlum levare. Ego, inquit Nabuchodonosor, oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi. Sensus itaque carnis, suus est animalis. Sensus vero mentis, suus est hominis. Sensus animalis quo percipit candidum et nigrum, sensus vero suus est hominis qui discernit inter bonum et malum, verum et falsum. Hunc sensum cum Nabuchodonosor perdiderunt, vel nunquam habuerunt, qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponentes amarum dulce et dulce amarum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras. Hunc sensum ex magna parte recipiunt qui judicant inter diem et diem, plenius autem qui judicant omnem diem. *Alius*, inquit Apostolus, *judicat inter diem et diem, alius autem judicat omnem diem* (*Rom.* XIV). Suum itaque sensum recuperat, qui ad discretionis judicium quandoque evigilat. Non autem dicitur sensus suus datus, sed redditus ; unde et constat quod prius sit habitus, sed amissus. Sensus itaque amissus cuique tunc redditur, quando illa quam habere consueverat discretionis in eo gratia reparatur. Sensum autem recipit dum oculos levat, quia animus dum æterna et cœlestia cogitat, ad discretionis judicium evigilat. Dum enim cœlestibus vehementer intendit, videt quam nihil sit quidquid terrenum, et transitorium amavit. Qui igitur ad gratiam discretionis anhelat cœlestibus intendat, ut lumen oculorum

Digitized by Google

suorum recipiat, et cum receperit Domino suo proclamet, et dicat : Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? Sensum autem suum Nabuchodonosor quam non in vanum acceperit subsequentibus verbis ostendit.

CAPUT XLVI.

Quomodo solum Deum glorificat, qui se ipsum tam impudenter magnificabat.

Et Altissimo, inquit, benedixi. Ecce qui seipsum superius tam impudenter magnificabat, modo eum solum glorificat, qui, secundum quod Apostolus ait, est super omnia benedictus in sæcula : *Et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi* (*Rom.* IX). Viventem in sempiternum, vita utique quæ est ipse, cui non est aliud esse quam vivere, nec vivere quam esse. Quia potestas ejus potestas sempiterna, quia quod semel potest, semper potest qui omnipotens est. Et regnum ejus in generatione et generationem, quia ei ex tempore nihil accedit, nihil recedit, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. Habitatores terræ, amatores terrenorum intellige, qui nesciunt quæ sursum sunt quærere, nec possunt cum Apostolo dicere : *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). Vere autem in nihilum reputantur, qui perdiderunt verum esse, quibus profecto melius esset omnino non esse quam sic esse, nisi quis putet melius esse semper miserum esse, quam omnino non esse. Juxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli quam in habitatoribus terræ, et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare fecisti ? Eidem sententiæ congruit quod Psalmista dicit : *Omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari, et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV). Cum in sequentibus idem Nabuchodonosor in Dei laude dicat, quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia : quid est quod hic eum dicit omnia agere pro voluntate sua ? Certe si omnia opera ejus vera sunt, omnia fiunt in veritate; certe si omnes viæ ejus judicia sunt, omnia fiunt in æquitate, quomodo ergo pro voluntate ? An forte fieri secundum æquitatem est fieri secundum voluntatem, et eo ipso quo fit in æquitate, eo ipso, inquam, fit pro ejus voluntate ? Sed si idem est omnino fieri secundum æquitatem, et fieri secundum ejus voluntatem, ergo idem est ejus voluntas quod æquitas, et æquitas quod voluntas. Et non est qui resistat manui ejus, et dicat, quare fecisti ? Quis ei resistat ? quis contradicat ? cum omnia tam potenter, quam sapienter agat, cum nemo sit qui possit vel omnipotentiam cohibere, vel summam sapientiam arguere.

CAPUT XLVII.

Quid agat superba gloriatio, vel quid efficiat devota glorificatio.

In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, et ad honorem regni mei decoremque perveni, et figura mea reversa est ad me (*Dan.* IV). In ipso, inquit, tempore. In ipso quo Deum benedixi, in ipso quo laudavi, atque glorificavi. Certe si dicta superius bene recolimus, ibi cecidit, cum superbe satis magnificaret seipsum. Ecce idem ipse resurgit cum devote glorificat Deum, et Dominum suum. Certe vides quid agat superba gloriatio, certe vides quid efficiat devota glorificatio. Superba gloriatio meretur dejectionem, devota glorificatio exaltationem. Ecce cum jam non in semetipso, sed in Domino gloriatur, sensus ejus ad semetipsum revertitur. Quod superius dixit sensum sibi redditum, hoc modo dicit sensum ad se reversum ; vel forte sensus cujusque ad semetipsum revertitur, quando discretionis oculus ad sui considerationem revocatur. Sensus ad se revertitur, quando ad meritorum suorum considerationem et cognitionem divinitus illuminatur. Dum igitur animus humanus Deum suum glorificat, sensus ejus ad semetipsum redit quia dum ad illud divinitatis lumen oculos aperit, et vehementer intendit, infirmitatis suæ tenebras plenius agnoscit : *Accedite ad eum*, inquit, *et illuminamini* (*Psal.* XXXIII). Quid mirum si accedendo ad lumen illuminamur ? quid mirum si ex lumine lumen accenditur ? *Et in lumine*, inquit, *tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV). Lumen videtur in lumine, quando ex cognitione et operatione claritatis divinæ plenius illuminatur animus ad cognitionem infirmitatis humanæ. Solet tamen hæc gemina cognitio alterna sibi incrementa ministrare, et utraque profecto ex alterutra crescere. Nam et ex cognitione Dei proficit animus ad cogitationem sui, et eodem utique modo ex multa cognitione sui crescit ad cognitionem Dei. Sed ecce cum sensus qui amissus fuerat redit, regnum suum qui perdiderat recepit. Procul dubio nisi discretionis gratia in eo reparetur, nunquam ad plenam virtutis integritatem animus perducitur.

CAPUT XLVIII.

Quomodo per discretionem judicii, vel circumspectionem sui solet morum disciplina reformari.

Ad honorem, inquit, regni mei decoremque perveni. Constat profecto liberum hominis arbitrium regnum divinitus accipere atque tenere, quando jam potest malos cordis motus a malo cohibere. Hoc autem regnum tunc efficitur honorabile, quando ex Dei munere jam potest bonos cordis motus in bono exercere. Idem autem ipsum condigno decore superducitur, quando in eo quidquid boni agitur cum summo moderamine et magna discretione disponitur. Regnum itaque accipit, et obtinet, qui rebelles animi motus fortiter domat, viriliterque coercet. Et tunc temporis qui ejusmodi est, judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum. Habet autem et honorabile tunc regnum, quando jam efficitur Dominus exercituum in tanta multitudine tam innumerabilium virtutum, et habens sub se milites dicit huic vade, et vadit, et alii veni, et venit, et servo suo, fac hoc, et facit. Decoratur hoc regnum inde, vel maxime cum modeste se agens moderatur omnia cum mansuetudine,

Digitized by Google

et tranquillitate : *Fili*, inquit, *in mansuetudine fac opera tua, et super hominum gloriam diligeris* (*Eccle.* XIII). Regni itaque honor, facere potenter, regni decor, facere sapienter, ita ut in illo regno suo qui possessor est regni attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter. Et figura mea reversa est ad me. Figura est qualitas extrinseca, exterior videlicet corporis forma. Corporalis autem disciplina pertinet ad qualitatem extrinsecam, sicut compositio mentis ad qualitatem intrinsecam. In figura igitur quæ constat in corporalibus lineamentis, recte intelligitur disciplina corporis, forma religionis, habitus et compositio exterioris hominis. Figura itaque revertitur, quando juxta pristinam consuetudinem, amissa ad tempus religionis forma reformatur. Sensu reverso, figura revertitur, quia per discretionem judicii, et circumspectionem sui morum disciplina, vel nova statuitur, vel antiqua innovatur.

CAPUT XLIX.

Quomodo debeat dejecta mens semetipsam discutere, et ad pristinum fervorem innovare.

Adhuc Nabuchodonosor addit et dicit : *Et optimates mei, et magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum, et magnificentia amplior addita est mihi* (*Dan.* IV). Ecce a quibus quæritur, et in regnum restituitur. Et optimates mei et magistratus mei. Quid est optimum in homine nisi intentiones bonæ? Qui vero debent magisterium exercere, vel illud interius regnum disponere, nisi deliberationes discretæ? In optimatibus ergo mentis intentiones. In magistratibus vero intelligimus mentis deliberationes. Quid vero est hujusmodi optimates et magistratus, amissum regni caput quærere, et in suum locum restituere, nisi cum summa intentione, et deliberatione investigare, quomodo post ruinam vel sero possit amissum animi vigorem ad primam integritatem reformare? Debet autem anima aliquando diligenter quærere, qualis ejusmodi fuerit, quam constanter egerit, quantum perfectionis obtinuerit. Debet et consequenter deliberare quomodo in statum pristinum restitui possit, et hoc erit, ut arbitror, regiam illam animi dignitatem per intentionem quærere, et in suum gradum restituere velle. Hanc regiam dignitatem in alieno corde quærebant, et in suum locum restitui cupiebant, quia dejectam putabant, qui dicebant : *Ubi est timor tuus, et fortitudo tua, patientia tua, et perfectio viarum?* (*Job* IV.) Non solum autem illi qui in malum corruunt, verum etiam illi qui a bono tepescunt debent semetipsos discutere, et pristinum illum religionis fervorem in semetipsis innovare. Hinc est quod ad angelum Ephesi in Apocalypsi scribitur : *Habeo adversum te aliquid quod primam charitatem reliquisti. Memento unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac* (*Apoc.* II).

Notandum tamen sane, quod rex iste a suis dicitur requisitus, non autem ab eisdem restitutus. Sed quis, quæso, eum restituit, nisi ad quem oculos levavit, benedixit, glorificavit? Nam et si forte in nostra jam potestate sit, mentis nostræ statum, qualis modo sit, vel aliquando fuerit, per deliberationem quærere, non tamen et æque in nostra potestate est virtutis nostræ detrimenta, pro arbitrio reparare. Sed si studiose exsequimur, quod jam posse ex divino munere accepimus, forte et illud superaddetur, quod nondum potuimus. Et in regno meo, inquit, restitutus sum, et magnificentia amplior addita est mihi.

CAPUT L.

Quomodo ex virtute humilitatis animus in bono roboratur, et ad boni perseverantiam solidatur.

Magnificentia amplior post ruinam, ad plenam reparationem additur, quia ex ipso lapsu suo, homo sæpe ad veram humilitatem eruditur. Et tunc veraciter magnificentia ampliatur, quando inter virtutum magnalia, virtus etiam humilitatis immobiliter custoditur. Ex virtute vero humilitatis, animi profectio et in bono roboratur, et ad boni perseverantiam solidatur. Constat itaque magnificentiam tunc veraciter ampliari quando, ad consummationem boni, datur etiam gratia perseverandi. Amplificatio itaque magnificentiæ, est virtus perseverantiæ. Amplificatio magnitudinis, ex virtute humilitatis adjumenta, divinitus gratia confirmationis. Hanc magnificentiæ amplificationem Propheta postulabat, cum psallendo orabat : *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me* (*Psal.* L). Hujusmodi quotidie amplificationem petimus, cum dicimus : *Confirma Deus hoc quod operatus es in nobis* (*Psal.* LXVII). Perpendis ex his, ut arbitror, quia multi ad hoc, Deo dispensante, cadunt, ut fortiores resurgant; et qui prius ante lapsum habuerunt solummodo gratiam adjuvantem, post ruinæ reparationem, accipiunt simul et gratiam confirmantem. Vere, secundum quod scriptum est : *Dominus mortificat, et vivificat, deducit ad inferos, et reducit* (*I Reg.* II). Vere ipse est qui humiliat et sublevat, ipse qui percutit ut sanet (*Job* V).

CAPUT LI.

Quomodo vel qua utilitate oporteat Deum laudare.

Nunc ego Nabuchodonosor laudo et magnifico et glorifico regem cœli, quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus, judicia, et gradientes in superbia potest humiliare (*Dan.* IV). Superius, uti jam audivimus, benedixit, laudavit atque magnificavit. Hic iterum laudat, magnificat atque glorificat. Superius laudavit cum sensum accipit, et quia beneficiis divinis ingratus non fuit, ad majora provehi meruit. Nam regnum amissum, cum magnificentiæ amplificatione accepit. Accepto autem regno, iterum laudat, iterum magnificat. Unde et factum est, ne iterum contumeliose amittat quod et humiliatus recipit et jam cum devotione possedit. Accepto beneficio, lauda et tu, ut merearis ad majora proficere, promotus ad sublimiora nihilominus lauda, ut merearis in ipsis perseverare. Si juxta similitudinem Nabuchodonosor sensum tuum recepisti, si quæ

Digitized by Google

agenda sunt intelligere potuisti, lauda, glorifica, ut quod accepisti, ex revelante gratia posse intelligere, detur ex aspirante gratia, posse implere. Si juxta ejusdem Nabuchodonosor similitudinem, regnum tuum recepisti, si passionibus tuis dominari potuisti, si bonos affectus in bono posse exercere accepisti, lauda, magnifica, glorifica, ut qui accepisti gratiam proficiendi, accipias pariter et gratiam perseverandi. Libenter ergo lauda summe bonum, glorifica summe beatum, magnifica majestate immensum, æternitate infinitum. Quia omnia opera ejus vera et viæ ejus judicia. Opera ejus, viæ sunt ejus. Viæ, inquam, per quas ad nos venit, viæ per quas nostræ se intelligentiæ ingerit et innotescere facit. Ex operibus namque ipsius, ad ejus cognitionem proficimus. Omnia igitur opera ejus, quia omnes viæ ejus judicia, et omnia ejus vera, quia in veritate facta. Nos sæpe in judiciis nostris erramus, unde fit sæpe ut nocentes absolvamus et innocentes condemnemus. Sed absque dubio quem latere nihil potest, in suo judicio errare non potest. Sed cum scriptum sit : *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV), nunquid et illa etiam judicia sunt quæ ab ipso misericorditer fiunt ? Sed absque contradictione ulla pietas illa divina, in omnibus, quæ misericorditer impendit æquitatis metas, non deserit. Nos sæpe, cum pietate movemur, æquitatis limites transgredimur, et in eo sæpe quod misericordiam impendere nos credimus, contra justitiam actitamus. Sed superna pietas sic misericordiæ suæ opera dispensat, ut in his omnibus nihil contra justitiam agat, nihil iniquum committat. Viæ itaque ejus judicia sunt, quia ab æquitatis tenore et justitiæ rectitudine non recedunt, et gradientes in superbia potest humiliare. Quid, quæso, solum hoc eum posse dicit, de quo veraciter constat, quia omnia possit ? Sed quia experto credendum est, forte illud specialius exprimere voluit, quod tertius in seipso proprio experimento probavit. Ante forte illud præ omnibus voluit sensibus nostris imprimere quod maxime expedit memoriter retinere? Scimus autem quia initium omnis peccati superbia (*Eccle.* X). Scimus quia ante ruinam exaltabitur cor (*Prov.* XVI). Qui igitur morum ruinam timet, præ omnibus contra superbiam vigilare debet. Valet autem maxime ad conterendam superbiam, et ad veræ humilitatis custodiam semper animo retinere, quia ille, qui solet superbis resistere, potest cum voluerit gradientes in superbia humiliare. Hoc eos Nabuchodonosor verbo, hoc nos docuit exemplo, quod quomodo vel quando voluerit, gradientes in superbia humiliare possit.

LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De triplici vitio mutabilitatis, et inconstantia mentis.

Videbam in visione mea nocte, et ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. Prima quasi leæna, et alas habebat aquilæ. Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra. Et super pedes quasi homo stetit, et cor ejus datum est ei (*Dan.* VII). Videamus nunc quid sit hoc mare magnum, in quo propheta Daniel vidit hanc, quæcunque sit, pugnam ventorum. Quis autem nescit mare quam sit instabile et inquietum, quod semper movetur ad omnem statum, impulsumque ventorum ? Recte itaque in eo, ni fallor, cordis mutabilitas, et inconstantia figuratur, eo quod vere sit similis fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur. Est autem hoc malum triplex. Est enim mutabilitas propositi, et est mutabilitas promissi, et item mutabilitas voti. Propositum est quod quisque statuit apud semetipsum ; promissum est quod quisque statuit apud proximum ; votum est quod quisque statuit, sed quasi apud Deum. De mutabilitate propositi est illud : *Vult et non vult piger* (*Prov.* XIII). Audi et quomodo mutabilitas promissi arguitur in eo quod dicitur : *Nubes et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus, et promissa non complens* (*Prov.* XXIII). Voti mutabilitatem præcavere nos voluit qui dicit : *Si quid rovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim Deo infidelis, et stulta promissio* (*Eccle.* III). Stulta promissio est quæ fit de eo quod fieri non licet, vel quod Deus facere prohibet. Stulta promissio est de eo quod fieri non expedit in eo quod quis vel modestiæ metas excedit, vel aliquid contra obedientiam præsumit. De talibus votis dicit Scriptura, quia vota stultorum frangenda sunt. Nec tamen qui tali se voto obligaverunt, pro libitu ejusmodi vinculum abrumpere debent, sed ad eorum arbitrium absolvendi sunt qui potestatem ligandi ac solvendi acceperunt, et habent. Infidelis promissio est quam pœnitentia sequitur, vel cordis duplicitas comitatur. Bonum itaque est bona, et bene vovere, ne sit promissio stulta. Bonum est, et bene promissa plene exsolvere, ne sit promissio infida : *Vovete*, inquit, *et reddite Domino Deo vestro, qui in circuitu ejus affertis munera* (*Psal.* CLXXV). *Alioquin melius est non vovere, quam vota non reddere* (*Eccle.* V). In mutabilitate propositi, notatur vitium inconstantis animi. In mutabilitate promissi, scandalum proximi. In mutabilitate voti, contemptus et injuria Dei. Mala itaque mutabilitas prima, sed pejor secunda, tertia autem omnium pessima. O quam amarum hoc ultimum præ cæteris malum, quam timidam, quam turbidam reddit humanam con-

Digitized by Google

scientiam ! Hæc est procellosa illa maris aqua, et per timiditatem inquieta, et per amaritudinem salsa. Hoc est illud quod quærimus, mare magnum, in cujus comparatione non reputatur quodlibet cæterorum. Tenemus mare, restat nunc de ventis, ventorumque pugna inquirere. Quæ est autem ista pugna ventorum, nisi fortis impulsus, et vehementia tentationum. Tentatio enim est vita humana super terram. Unde et recte præcipitur, vel admonetur : *Fili, accedens ad servitutem Dei sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccle.* II). Diversitas vero ventorum cœli, contrarii affectus sunt animi. Aliter enim spirat concupiscentia, et aliter flat iracundia. Aliter autem et aliter confidentia, vel diffidentia. Quis autem per experientiam non agnoscat quomodo concupiscentia spirat, et anhelat, quam vehementer animum concutiat, quam fortiter inclinet in id quod affectat ? *Unusquisque enim tentatur concupiscentia sua abstractus, et illectus* (*Jac.* I). Sed sæpe inter fortes concupiscentiæ æstus violentosque impulsus animus ad semetipsum redit atque redarguit acriterque reprehendit. Sibi irascitur, sibi indignatur, et concupiscentiæ flatibus iracundia, ex adverso flando fortiter resistit et reluctatur. Hos iracundiæ flatus, atque resultus fieri volebat qui dicebat ? *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV). In hunc itaque modum concupiscentiæ et iracundiæ flatus, sæpe invicem confligunt, et in alterutrum consurgunt. Hujusmodi alternantium flatuum conflictum unusquisque nostrum experiri solet, et sustinere oportet, quandiu caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem. Nam quamvis videatur concupiscentia, quandoque vel ad modicum quiescere, incipit iterum et iterum resurgere, et vehementius impugnare. *Siluit*, inquit Scriptura, *terra Juda diebus paucis* (*I Mach.* VII). Si terra et terra Juda, vix potest paucis diebus silere, quanto magis mare ? Quid namque per mare, nisi cor instabile. et quid per terram (elementum, scilicet solidum et corpus immobile) rectius intelligimus quam cor firmum et stabile. Si igitur stabile cor raro requiescit, et diebus paucis, quid mirum si cor inquietum et lubricum, et quale denique designatur per mare magnum, quid, inquam, mirum si raro silet, et vix paucis momentis ? Ventus itaque ille vehementer urens (concupiscentia videlicet spirans et fervens) post momentaneam sæpe quietem violentior surgit, et solito validius impellit, et mentis statum pene evertit, in tantum ut incipiat jam animus lassescere et pene deficere, et de perseverantia desperare et in diffidentiam cadere. Flante itaque diffidentiæ vento, miserabilius sæpe animum periclitari contingit, quam ullis concupiscentiæ impulsibus potuit. Timendum est namque valde, ne ventus iste vehemens repente irruat e regione deserti, et concutiens conscientiæ domum, totum mentis statum evertat. A facie enim frigoris ejus quis sustinebit ? Nisi forte, quod fieri solet, aspirante Deo ex adverso contrarii flatus exsurgant. Fit namque sæpe ut post multam diffidentiæ trepidationem, nimiamque fatigationem, animus tandem aliquando redeat ad conscientiam, recurrat ad divinam misericordiam, jactet in Domino curam suam, reparet constantiam, et vix sero resumat fiduciam. Ex tunc incipit confidentia, et diffidentia mutuo rebellare, fortiterque impugnare, et adversis flatibus impellere, et alternis vicibus modo hæc, modo illa, superiorem manum habere. Hæc illa ventorum pugna, ni fallor, quam propheta Daniel vidit, mysticoque sermone descripsit, et quam forsitan qualis sit nonnullos vestrum, ipsa experientia docuit. Et utinam nossem et possem eam tam utiliter describere quam veraciter constat, me cujusmodi sit per experientiam probasse. Sed videamus quid hanc ventorum pugnam nonnunquam sequi soleat. Videamus qualia illud, quod supra locuti sumus mare magnum monstra gignere contingat.

CAPUT II.

Qualis, vel quanta conflictio tentationis surgat ex inconstantia mentis.

Quatuor, inquit, bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. Quid, quæso, est bestias post ventorum pugnam, de mari ascendere, nisi bestiales motus et irrationabiles impetus, post tentationum violentiam, de cordis instabilitate exsurgere et in apertum prorumpere ? Quasi bestialem enim formam sibi induit, qui bestialiter vivit. Nam procul dubio, qui irrationabiliter et bestialiter degit, in quantum irrationabiliter, bestialiter. Quid nisi quædam bestiæ sunt, quælibet vitia ? Quid nisi bestiæ sunt, quælibet prava desideria ? Ejusmodi bestiæ mores lacerant, virtutes jugulant, animas suffocant. Ejusmodi bestiarum incursus Psalmista metuebat, cum psallendo orabat et orando psallebat : *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi* (*Psal.* LXXIII). Sunt bestiæ quæ corpus occidunt, animæ autem non habent quid faciant. Verumtamen viris sanctis, qui ejusmodi sunt, non sunt valde metuendæ, eis præsertim, qui spontaneo nutu, mortificantur tota die, ne propheticum illud improperium videantur incurrere : *Illic trepidabant timore ubi non erat timor. Non tradas*, ait, *bestiæ animas confitentes tibi* (*Psal.* XIII). Non dicit corpus confitentium tibi, non dicit carnes confitentium tibi, sed ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Illæ, illæ utique bestiæ vere timendæ sunt, quæ animas occidere possunt. Talium bestiarum incursus, cito incurrimus, cum exigentibus meritis divinæ illustrationis lumen amittimus : *Posuisti*, inquit, *tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ* (*Psal.* CIII). Talium bestiarum incursus de semetipsis præsumentibus, et de suis meritis gloriantibus, Dominus minatur, cum in Deuteronomii cantico per Prophetam loquitur : *Dentes bestiarum immittam in eis* (*Deut.* XXXVIII). Restat autem nunc illud quærere, cur quatuor tantum dicantur hæ bestiæ, vel quomodo diversæ inter se.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quod bestialiter vivendi modus sit quadripartitus.

Ut breviter dicam quid sentiam, omnis bestialiter vivendi modus videtur mihi esse quadripartitus. Alii videntur bona exercere, sed sine modo atque mensura et absque omni discretione. Et quamvis in eis fortassis sit bona intentio, hoc in eis bestiale est, quod vivunt sine modo, et feruntur præcipites, sine rationis judicio et absque consilio. Et quamvis forte zelum rectitudinis habeant, sed secundum scientiam non habent. Alii autem mala exercent, sed timide quidem, et ideo occulte; et idcirco, secundum vocem Psalmistæ inhabitabunt, et abscondent (*Psal.* LV), eo quod argui timeant, vel deprehendi erubescant. Alii item bona exercent in opere, sed per hypocrisim quidem, et sine omni bona intentione, utpote amantes primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. Alii item mala exercent passim, palam, et libere, et absque ullo timore, et pudore, ita ut videantur esse sine fronte, eo quod frons meretricis facta sit illis, et nesciant erubescere. Vides ergo quam sint inter se diversi hujusmodi operarii. Primi et tertii exercent se in bonis, secundi et quarti in malis. Primi et tertii agunt bona, non bene: nam primi indiscrete, tertii simulate, et eo ipso diversi inter se. In malis se exercent tam secundi quam quarti. Sed illi latenter, isti tam patenter quam impudenter, et idcirco ipsi inter seipsos diversi. Primi, sunt qui ambulant in magnis et mirabilibus sub se (*Psal.* CXXX). Secundi sunt, qui sedent in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiant innocentem (*Psal.* X). Tertii sunt, qui omnia opera sua faciunt ut videantur ab hominibus (*Matth.* XXIII). Quarti vero, qui nec Deum timent nec homines verentur (*Luc.* XVIII). In primis itaque est religio indiscreta, in secundis prævaricatio occulta, in tertiis religio ficta, in quartis prævaricatio manifesta. Ili sunt quatuor status eorum, qui irrationabiliter et bestialiter vivunt (si tamen status, et non potius casus dicendi sunt) qui semper hominem de malo in pejus impellunt.

Et notandum quod in his quatuor corruptionum gradibus secundus est pejor quam primus, tertius quam secundus, quartus autem omnium est pessimus. Et forte quis dubitet de tertio quomodo sit pejor secundo. Sed in tertio statu, quid aliud est quam simulata æquitas? Sed, teste Augustino, didicimus quia simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas.

CAPUT IV.

Quibus corruptionis gradibus corruere solet sæpe animus humanus.

In primo itaque statu est justitia fatua, in secundo malitia infrenata, in tertio justitia ficta, in quarto malitia effrenata. In primo regnat singularitas, in secundo impietas, in tertio calliditas, in quarto crudelitas. In primo, inquam, regnat singularitas, et dicitur de eo: *Væ soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem* (*Eccle.* IV). Væ, inquam, soli, hoc est de se solo, et suo consilio præsumenti, et solitaria quadam præsumptione viventi. In secundo regnat impietas, et de eo dicitur: *Væ impio in malum* (*Isa.* III). In tertio regnat calliditas. Callidi autem provocant iram Dei, et dicitur de eis: *Væ duplici corde, et terram ingredienti duabus viis* (*Eccle.* II). In quarto regnat crudelitas, et crudelibus dicitur: *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis* (*Isai.* XXXIII). Crudelitas est rapina, rapina est quando quis tollit res alienas. Quid tibi videtur de eo qui seminat inter fratres discordiam? Impie quidem tecum agit qui tibi aufert pecuniam tuam; quid ille, qui tibi aufert pacem tuam? Nunquid crudeliter agit, qui tibi aufert vestem, et non multo magis qui tibi aufert charitatem? Si vero crudele est tollere homini bona exteriora, bona peritura, multo magis crudele erit tollere homini bona interiora, bona in æternum mansura: *Nam charitas est, quæ nunquam excidit* (*II Cor.* XIII). Absque dubio, qui homini charitatem tollit, et Deum tollit: *Quia Deus charitas est* (*I Joan.* IV). Væ qui prædaris, nonne prædaberis? Quantum tollis, tantum perdis; Deum tollis et Deum perdis. Cœlum tollis, cœlum amittis. Quid hac impietate crudelius? Quid hac crudelitate vesanius? Ecce unde quo pervenitur, ecce nihilominus et qua descenditur: unde, inquis, et quo? De summa singularitate, ad summam crudelitatem. Sed qua, inquis, et quomodo? Per impietatem et duplicitatem. A primo siquidem gradu descenditur ad secundum, de secundo ad tertium, de tertio ad quartum. Nam absque dubio præsumptio dejecta solet inducere æmulationem, æmulatio despecta simulationem, simulatio dejecta, mentis effrenationem. Ad primum namque statum pertinet præsumptio, ad secundum æmulatio, ad tertium simulatio, ad quartum mentis effrenatio. Ad primum insolentia, ad secundum invidentia, ad tertium fraudulentia, ad quartum impudentia, et fortassis hæ sunt illæ bestiæ, quas oportuit quærere.

CAPUT V.

De vitio insolentiæ.

In descriptione igitur primæ bestiæ, intelligimus vitium insolentiæ. Insolitum quasi, non solitum, vel contra solitum dicimus, et inde insolentia, dictum putamus. Recte ergo insolentia dicitur, quando passim et temere, præter solitum præsumitur. Insolentiæ itaque est vitium præceps, et temeraria præsumptio, sive præceps et præsumptuosa temeritas, præter solitum. Est autem multiplex hoc malum. Insolentia siquidem, modo se erigit supra solitum, modo cohibet infra solitum, modo se opponit contra solitum. Sed videamus nunc de prima bestia qualem eam Scriptura sacra describat vel quam convenienter insolentiæ proprietatem exprimat. Prima, inquit, quasi leæna, et alas habebat aquilæ. Dicitur leo tantæ feritatis esse, ut provocatus nec mortem timeat, in tantum ut nec pro periculo mor-

Digitized by Google

tis, a furoris sui impetu se cohibeat. *Leo*, inquit, *fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum* (*Prov.* xxx). Vides in leone quam stulta audacia, et quam audax stultitia. Nonne leoninæ videtur audaciæ et ad faciendum sibi nomen, ambulare in magnis et mirabilibus supra se, omnia ultra vires præsumere, spreto consilio doctorum, contempto præcepto majorum, jejunia, vigilias et ejusmodi observantias ultra modum extendere, et nec saluti corporis parcere, nec animæ mortem in debitæ obedientiæ contemptu horrere?

Nota quod non leoni, sed leænæ assimilatur, quia hic sexus, in impetus sui vehementia protervior et pertinacior invenitur. Vide ergo quam irrationabile et bestiale et vere leoninum simile, nullius consilio, nullius præcepto acquiescere, sed in temeritatis suæ audacia pertinaciter perdurare. Vultis et hoc breviter audire quid sentiam de ejusmodi bestiæ alis? Videtur mihi una esse præcipitationis, altera præsumptionis. Ecce alæ duæ et ambæ aquilinæ. Quis hoc de aquila nesciat quod cæteris pene omnibus avibus celerius, vel celsius volare soleat. In præcipitatione attende volatus celeritatem. In præsumptione perpende volatus sublimitatem. Jam superius dictum est, quod insolentia sit præceps, et præsumptuosa temeritas, præter solitum. Ut igitur diffusius dicta, compendiosa brevitatis succingam, agnosce leoninum simile in singularitatis temeritate. Adverte in aquilinis alis vitium præsumptionis et vitium præcipitationis. Dicitur aquila, rex avium et leo bestiarum. Nunquid ergo non ille videtur aliquid habere leænæ, et aliquid aquilæ qui præsumit, tam in activa quam in contemplativa vita, cunctos præcedere et in utraque vita singularem et summum locum tenere? In terra leæna, in cœlo est aquila, qui se præsumit cæteris omnibus incedere fortius, volare sublimius, incedere per actionem, volare per contemplationem.

CAPUT VI.

Quibus insolentiæ gradibus paulatim corrumpitur animus humanus.

Sed videamus nunc quid Salomon de hujusmodi homine sentiat, qui omnia præcipitanter et præsumptuose actitat, qui in conatibus suis nec modum, nec modestiam servat: *Qui festinus est*, inquit, *pedibus offendit* (*Prov.* xix). Hinc est, quod alibi dicit: *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit* (*Prov.* xx). Eidem sententiæ consonare videtur, quod de antedicta bestia adjungitur: Aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra et super pedes quasi homo stetit, et cor ejus datum est ei. Ecce qui de semetipsis ultra modum præsumunt, quomodo gradatim amittunt, unde intumescunt, cæterosque contemnunt. Prius alæ evelluntur, postea et ipsius bestiæ corpus de terra sublevatur, prius contemplativæ, postmodum activæ etiam vitæ gratia amittitur. Quid est enim alas suas perdere, nisi sublimes illos contemplandi volatus amittere? Cum enim post multos jejuniorum et vigiliarum excessus, cœperit corpus tabescere, caput dolere, velis nolis, oportet alas deponere, ad terram redire, et carnis curam agere, et melius est ut sponte deponantur quam invito avellantur. Quid est alas avelli, nisi amittere, cum dolore ingenti, et sine ulla spe recuperandi? Alæ evelluntur, quando præcipitationis et præsumptionis audacia, urgente infirmitate, cogente necessitate præciditur. Nonne ejusmodi alarum evulsionem Dominus minatur, cum per prophetam loquitur: *Si exaltatus fueris, ut aquila, et inter sidera cœli posueris nidum tuum, inde traham te, dicit Dominus* (*Abd.* i). Post alarum evulsionem de terra sublevatur; per mentis ergo elevationem, et propter mentis elationem de terra excutitur. Et merito, ut credo, eo quod per superbiam inflando, crepando, tabescendo, putrescendo, tamen aliquando fiant tanquam pulvis quem projicit ventus a facie terræ. Sic itaque post alarum amissionem, etiam terræ inhabitatio amittitur, quia post subtractam contemplationis gratiam, ut dictum est, etiam bene operandi gratia superbienti animæ subtrahitur. Et qui prius præsumpsit omnes fortiter præcedere, jam incipiat post omnes sequi et tandem remanere. Et qui prius per insolentiam se extendit ultra solitum, postmodum remanet citra solitum, et sic jam de primo insolentiæ gradu decidit in secundum, futurum tandem quod timeo, ut de secundo recidat in tertium. Sed ubi, quæso, de cætero erit dicta jam bestia de cœlo amissis aliis dejecta, et de terra sublevata? An forte illuc redibit unde venit, et iterum in mare descendet, quæ de mari ascendit? Sic utique, sic sæpe quod ex cordis levitate præsumitur, post in multam mentis fluctuationem in amaritudine. Et hoc forte est terram perdere, omnem propositi sui stabilitatem amittere, et dejectionem suam indigne ferendo, nimiam cordis amaritudinem incurrere. Sic de terra in mare transitur, sic montes in cor maris transferuntur. Quid enim est montes in cor maris transire, nisi de magni conaminis culmine, in intimam cordis malitiam cadere? Nam juxta Veritatis testimonium, abundante iniquitate, refrigescet charitas multorum (*Matth.* xxiv). Nemo ergo in quantalibet virtutum celsitudine, debet quidquam de suis viribus, sed totum de Domino præsumere, et cum Psalmista cantare: *Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris* (*Psal.* xxv). Tunc sane montes transferuntur, quando illud Joannis impletur: *Exierunt a nobis, sed non erant ex nobis* (*I Joan.* ii).

CAPUT VII.

Quomodo ex vitio insolentiæ, cadat homo in vitium invidentiæ.

Sed si nullus jam locus remanet huic bestiæ præter mare (nam et cœlum et terram videtur amisisse), mirum quomodo dicatur, supra pedes stetisse. An forte supercautem, vel rupem aliquam stetisse creditur, ubi et mari undique cingeretur, et fluctibus marinis inde-

Digitized by Google

sinenter tunderetur? O quam dura pœna, sed præsumptuose singularitati condigna! Ecce, quæ prius omnes præcurrere præsumebat, et ex sua præsumptione fatigabat, jam non habet quo eat, nec invenit quomodo requiescat. Et supra pedes, inquit, quasi homo stetit. Et utinam vel sero desinat se angelum credere, et tandem aliquando desistat supra hominem præsumere. Ecce jam angelum exuens non jam volat in summis, sed ambulat in imis, imo jam non ambulat, sed stat qui amorem et spem proficiendi amisit. Non autem jacet, sed stat ut nunquam requiescat. Assidue ergo stat, quia sine intermissione laborat. Pedes sine incessu fatigat, sine fructu laborat. Stat itaque, sed quomodo? Supra pedes, ut homo. Grande spectaculum, sed fœdum miraculum, videre quadrupedem bestiam, leoninam denique formam, se supra duos pedes contra cœlum erigere, et contra naturam erectam stare. Quæ est ista erectio monstruosa, nisi enormis quædam, et nimis detestanda superbia? Contra Deum se erigit, qui contra supercœlestem majestatem intumescit. Nonne contra Deum intumescit, qui ejus judicia reprehendit? Quis autem nesciat, quomodo præsumptuose mentes soleant contra divina flagella murmurare, aliorum profectibus invidere, et gloriæ suæ detrimenta impatienter ferre? Murmurant autem non solum contra justitiam Dei, verum etiam contra bonitatem Dei. Contra justitiam Dei in malis suis, contra bonitatem Dei in bonis alienis. Insolens namque animus, et propriæ excellentiæ cupidus cum per nimiam superbiam cadit in invidiam pene molestius fert aliorum profectum quam proprium defectum. O præsumptionem monstruosam quæ inde murmurat contra majestatem divinam quod Deus superbis resistat, humilibus autem det gratiam (*Luc.* IV). *An oculus tuus*, inquit, *nequam est, quia ego bonus sum?* (*Matth.* XX.) Solent autem qui ejusmodi sunt, querelas quasdam quasi rationabiles texere, et murmurationis suæ causas (cum veræ sint irrationabiles) quasi justas ostendere, et hoc est forte belluinam formam ad hominis se similitudinem erigere, in irrationabili murmuratione contra Deum velut rationes quasdam velle prætendere. Huic sententiæ concordare videtur quod adhuc de hac bestia dicitur. Cum enim præmissum esset, super pedes stetit quasi homo, statim adjungitur et cor ejus datum est ei. Cujus ejus? Aut cor hominis, aut cor leænæ. Sed cur dicatur leæna cor suum accepisse quod non dicitur amisisse? Accepit cor hominis et carnaliter sapientis cum permittente Deo incidit in prudentiam carnis, vel tunc veraciter cor hominis accipit quando per multam experientiam errorem suum intelligit, et tam suum defectum quam aliorum profectum plenius agnoscit. Sed quod homini divinitus conceditur ad bonum suum, ipse homo sæpe abutitur ad malum suum. Et cognitis suis, vel aliorum meritis disparibus, unde deberet compungi ad pœnitentiam, inde excrescit ad majorem invidiam. Ecce enim postquam descripta leæna cor hominis accepit, ei non agnus sed ut sus succedit. Nam sæpe cor gloriæ cupidum et lividum, aliorum inspecta gloria propriaque ignominia, in invidentiam cadit. Sic vitium vitio succedit, insolentia præcedit, et invidentia succedit, et quod adhuc pejus est, insolentia non recedit.

CAPUT VIII.

De vitio invidentiæ.

Plus aliquid sonare videtur invidentia quam invidia. Sicut legens non recte dicitur nisi tunc temporis quando legendo occupatur, sic et invidens tunc quidem recte dicitur quando livore utitur. Ab eo autem quod est invidens, invidentia dicitur. Invidia itaque in invidentiam tunc veraciter excrescit, quando animum eousque exagitat, ut eum nullo pene jam tempore quiescere sinat. Invidentia itaque est invidia frequens et animum quiescere non sinens. In secunda autem bestia recte, ni fallor, intelligitur invidentia. Sed, ut hoc melius clarescat, audiamus quomodo eam sermo propheticus describat: *Et ecce*, inquit, *bestia alia, similis urso, in parte stetit, et tres ordines erant in ore ejus et in dentibus ejus, et sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas* (*Dan.* VII). Est autem ursus, ut omnes novimus, animal deforme, et quod in locis remotis et abditis soleat habitare, et in hoc ipso formam gerit invidiæ. Nam et ipsa quidem (utpote fœditatem suam erubescens) semper studet latere. Ursus autem est animal malitiosum, et sævum, et forte ejusmodi est invidiæ vitium. Invidia est odium felicitatis alienæ, et quid magis malitiosum? Quid itaque aliud est invidia quam lucifuga et latebrosa malitia? Invidentia autem est malitia fervens et in occulto sæviens. Est autem ursus animal inquietum valde, ita ut ad stipitem ligatus nunquam pene desinat vel in circuitum pergere, vel pedibus fixis caput nunc in hanc, nunc in illam partem jactitare, et in hoc habet formam non modo invidiæ, sed invidentiæ, quæ animum nullo pene momento sinit requiescere. Dicitur autem de hac bestia quod in parte stetit. Nondum ergo homo in hoc statu funditus bona deserit, nec tamen, ut in superiori, ad omnia se extendit. Stat igitur in parte quia in quibusdam adhuc bonis videtur perdurare. Nemo enim repente fit turpissimus, sicut e regione nemo repente fit summus. Quasi adhuc itaque in parte consistit, quoniam ad aliqua bona agenda antiqua adhuc hominem consuetudo trahit. Ecce quod in hoc statu animus nondum et apertam malitiam effrenatur in quantum vel timore restringitur, vel pudore cohibetur.

CAPUT IX.

De malo invidentiæ quibus soleat gradibus accrescere.

Et tres ordines, inquit, erant in ore ejus, et in dentibus ejus. Ipsa Scriptura determinat quomodo tres ordines essent in ore ejus, id est in dentibus ejus. Quid autem in dentibus rectius intelligimus quam malitiæ, invidentiæ morsus? Quis autem nesciat quam familiare, et domesticum, et velut

Digitized by Google

proprie proprium sit invidiæ alienam vitam rodere et morsibus obtrectationum lacerare? Solet autem hoc malum quibusdam gradibus accrescere. Nam sunt in hominibus quidem quædam manifeste mala, quædam autem dubia, ita ut in ambiguum venire possit, utrum sint bona an mala. Solet autem livida mens semper manifesta mala multiplicius exagerare, dubia quæque in deteriorem partem vertere, aperta autem bona (quia negare non potest) arte qua potest offuscare, et de eis vel aliquid minuere. Primum est oblocutionis, secundum derogationis, tertium detractionis. Oblocutio est quando mordax et reprehensoria locutio versatur circa id, vel fit propter id mali quod vere in homine est. Qui scit quid sit rogare, ex opposito potest agnoscere quid sit derogare cum sic sibi per contrarium respondeant quemadmodum suadere et dissuadere. Nonne tibi derogatio videtur cum æstimationem de alio aliquo bonam habenti dicitur noli sic credere, noli ita existimare, falleris, deciperis, longe aliter est quam sentis, tenebras lucem credis et amarum in dulce ponis. Hæc utique in apertis bonis locum non habet, quia quæ manifesta sunt in alteram partem inflectere non valet. Detrahere autem est de apertis bonis vel aliquid velle minuere, cum non possis penitus evacuare. Detrahit enim qui aliquid inde oblatrando retrahit unde hominis famam gloriosiorem credit. Oblocutio itaque est malæ opinionis disseminatio. Derogatio bonæ opinionis evacuatio. Detractio bonæ opinionis attenuatio. Linguam obloquentem timebat Psalmista, cum diceret : *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me a facie exprobrantis et obloquentis* (*Psal.* XLIII). Derogatores tangit quod alias dicit : *Captabant in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabant* (*Psal.* XCIII). Detractores exprimit, cum dicit : *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem* (*Psal.* XXXVII). Ecce habes tres ordines dentium in multiplicitate detractionum, derogationum, oblocutionum.

CAPUT X.

Quomodo ex vitio invidentiæ mens cadat in vitium fraudulentiæ.

Nunc est facile videre quam recte conveniat huic bestiæ, quod loco novissimo ponitur dum dicitur : Surge, comede carnes plurimas. Quid est enim carnes comedere, nisi aliena infirma dente maledico lacerare? Qui enim alienam vitam libenter rodunt, qui derogationibus studiose deserviunt, qui proximorum infirmitates delectabiliter carpunt, quid aliud quam carnes comedunt? Ejusmodi carnium corrosores, Propheta jam per experientiam noverat, quando dicebat : *Appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas* (*Psal.* XXVI). Sed quod dicitur : Surge, comede, quid, quæso, erit præceptio an permissio, suggestio an instigatio? Sed si a bonis angelis dictum putamus, consequenter et in eorum verbis solam permissionem factam intelligamus. Tale est illud quod ad Judam dicitur : *Quod facis, fac citius* (*Joan.* XIII). Si autem constat a malis angelis dictum fuisse, possumus in ejusmodi verbis tam suggestionem, quam instigationem intelligere. Solent enim semper mali spiritus malignis mentibus maligna suggerere, et ad omnem malitiam instigare. Quod sit malitiosum, quamve perniciosum detractionibus deservire, et in hoc unumquemque vitio suo satisfacere, ex illa potes Salomonis sententia advertere : *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit* (*Eccli.* X). Nonne huic sententiæ concinit, quod Psalmista de ejusmodi dicit : *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum* (*Psal.* V). O malum exsecrabile et tam loquenti, quam audienti exitiale : Surge, inquit, comede carnes plurimas. Et quid aliud ursus, quid aliud hæc ferina bellua novit, quam vel suas plantas sugere, vel alienas carnes lacerare? Quid, inquam, invidentiæ monstrum aliud officii gerit, quam vel suas molestias plangere, vel aliena infirma carpere? Sed utinam solas carnes lacerarent, utinam vel ossibus parcerent! Nunc autem omnia laniant, omnia lacerant, unde fit ut tandem aliquando omnibus odiosi fiant. Qui enim loquitur, inquam, non potest latere. Sed cum incipiunt agnosci, incipiunt pariter contemni et odio haberi. Sed invida mens atque superba, quanto putas dolore uritur, quanto livore torquetur, cum alios videat de die in diem ad meliora proficere, seipsum quotidie in omni opinione decrescere, et magis magisque vilescere? Unde fit sæpe ut se ad callida argumenta convertat, dum summo cum studio et sollicitudine quæritat, quomodo vel suam gloriam dilatare, vel aliorum obnubilare queat. Incipit itaque extunc sanctitatem simulare, et per hypocrisim paulatim se ad omnem fraudulentiam tradere. Sic pardus urso succedit, dum mens lubrica de vitio in vitium defluit, et per invidentiæ malum in fraudulentiam cadit.

CAPUT XI.

De vitio fraudulentiæ.

Tunc procul dubio fraus in fraudulentiam exerescit, quando ex multa jam malitia menti accidit, ut libenter omnino decipere velit cum possit, et post multum usum, et exercitium, nihilominus per multam jam astutiam suppetit, ut decipere facile possit, cum velit. Quid enim aliud est fraudulentia, quam astuta malitia, ad omnem fraudem tam prona quam prompta? Recte hypocritarum fraudulentia in pardo figuratur qui per totum corpus maculis quibusdam respergitur. Nam hypocritæ quidem sanctitatem opere prætendunt, sed perversum est quod diligunt, et quod intus vivit in affectione, necesse est quandoque erumpat et appareat in opere. Agunt itaque qui ejusmodi sunt, bona in manifesto, et mala in occulto. Qui igitur ad dissolutionis opera furtive erumpunt, vel quotiescunque excusabiliter id possunt, quid aliud quam actionis suæ corpus quibusdam maculis respergunt? Videamus itaque

Digitized by Google

qualis esse dicatur bestia hæc, quæ tertio loco describitur. *Post hæc*, inquit, *aspiciebam, et ecce altera quasi pardus, et alas habebat quasi avis quatuor super se, et quatuor capita erant super bestiam, et potestas data est ei* (*Dan.* VII). Attende quam recte alas habere dicantur, quæ in hac bestia designantur. Certe cum volucres volant, seipsas supra semetipsas levant. Certe cum volare volunt seipsas per inane suspendunt. Nonne ejusmodi mentes seipsas supra semetipsas attollunt, et per inane suspendunt, cum propter ambitionem et inanem gloriam duræ districtionis observantias pene ultra humanæ possibilitatis mensuram extendunt? Virtutis enim studia exercere, et virtutum merita, vel præmia non curare, nec quærere, quid aliud est quam se per inane in alta suspendere? Et quid aliud est multa capita habere, quam nihil simpliciter agere? Nam, sicut in alis occupationem et exercitationem, sic in capite intelligimus intentionem. Nam caput totum corpus regit, et intentioni omnis nostra actio subservit.

CAPUT XII.

De malo fraudulentiæ, quam sit multiforme in opere.

Vultis adhuc plenius nosse quales alas soleat fraudulentia habere? Ut igitur breviter exprimam quid sentiam: Una dicatur simulationis, alia dissimulationis, tertia ostentationis, quarta excusationis. Solent namque simulatrices mentes et hypocrisi deservientes; solent, inquam, non solum jactitare quæ habent, verum etiam simulare se habere bona, quæ omnino non habent. Solent econtrario manifesta mala callide excusare, occulta autem mala (ac si omnino non habeant) astute dissimulare. Simulatio et dissimulatio est de occultis. Sed simulatio de occultis bonis, dissimulatio vero de occultis malis. Econtra autem ostentatio et excusatio solent esse de manifestis, sed illa de manifestis bonis, ista de manifestis malis. Nam in his bonis quæ manifesta sunt, et negari non possunt, locum habet ostentatio, sicut et in solis manifestis malis quæritur excusatio. Sinistra nostra quam dextera in medium rarius profertur, et eo ipso rarius videtur. Recte igitur per sinistram occultiora, et recte per dexteram intelligimus manifestiora. Videntur itaque alæ simulationis et dissimulationis pertinere ad sinistram, quemadmodum et alæ ostentationis et excusationis ad dexteram. Habes ergo in ostentatione et simulatione par alarum primum. Habes et æque in excusatione et dissimulatione par alarum secundum. Nam ostentatio et simulatio est de solis bonis. Sed illa de veris et manifestis, quasi ala a dextris. Ista de fictis, quasi ala a sinistris. In his duabus alis volant, et se proximis commendantes, opinionemque suam propalantes, gloriam suam circumquaque dilatant. Excusatio autem et dissimulatio est de solis malis, sed illa de manifestis quasi ala una a dextris. Ista de occultis, quasi ala alia a sinistris. Sicut in superioribus duobus, ut dictum est, volant, sic in istis posterioribus corpus suum velant. Nam absque dubio simulatores et hypocritæ solent hinc inde sub excusationis et dissimulationis obductione posteriora sua et inhonestiora velare.

CAPUT XIII.

De malo fraudulentiæ, quam sit multiplex intentione.

Ecce de numero alarum videamus et de pluralitate capitum. Scimus autem quia hypocritarum fraudulentia in omni eo quod actitat ad honoris sui promotionem anhelat. Omne enim quod agit, vel agendo intendit, ambitioni deservit. Nihil autem aliud est ambitio quam honoris affectatio. Prima autem species hujus mali est affectatio libertatis, secunda affectatio dignitatis, tertia affectatio auctoritatis, quarta affectatio potestatis. Ecce quomodo ambitio in quatuor se capita dividit, cui omnis, ut dictum est, hypocritarum actio subservit. Libertatis affectatio est, quando jam quis subterfugitat aliis subesse. Dignitatis affectatio est superiora ambiendo semper de gradu in gradum anhelare. Auctoritatis affectatio est, cum jam ambit quis vir magni consilii et sanctitatis omnibus apparere et statuenda quæque, vel diffinienda ab ejus consilio vel arbitrio pendere. Potestatis affectatio est, cum jam ambit aliis præesse. Videmus sæpe illos etiam qui voluntariam obedientiam professi sunt, quam libenter, quam desideranter molestas satis et onerosas occupationes suscipiunt, ut exeundi, loquendi, agendi majusculam libertatem ex administrationis suæ occasione obtineant. Quid agit hoc, quæso, nisi libertatis ambitio? Videmus alios niti semper de gradu in gradum, et qui inferioris gradus sunt aspirare ab subdiaconatum, subdiaconos ad diaconatum, diaconos ad presbyteratum; et cum nihil ex eo fortassis majoris libertatis vel potestatis acquisierint, nonnihil tamen arbitrantur tenere præ cæteris saltem superiorem locum. Sed unde hoc in eis nisi ex ambitione dignitatis? Docet nos ille illius Achitopel loquens quid in quibusdam possit ambitio auctoritatis, docet nos proditor et parricida Absalon quid valet ambitio potestatis.

CAPUT XIV.

Quomodo ex vitio fraudulentiæ mens cadat in vitium impudentiæ.

Notandum autem quod de hac bestia dicitur: Quia potestas data est ei, et absque dubio miro Dei occultoque judicio majora sunt pene quæ hypocritæ facere possunt, et faciunt et districtioris vitæ observantias custodiunt, quam hi qui se propter Deum affligunt, et cum constet quia omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos feni, plus tamen laborant sæpe sectatores vanitatis pro gloria vana et transitoria, quam veri æmulatores pro gloria vera et æterna. Sed valde est difficile, imo pene impossibile ejusmodi homines diu posse latere. Audi quid hic Salomon sentiat cum dicat: *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter, qui autem depravat vias suas manifestus erit* (*Prov.* X). Oportet ergo dupliciter et fraudulenter ambulantes, et viarum suarum depravatores

Digitized by Google

manifestos fieri et illud in eis propheticum impleri : *Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina, revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum* (*Isa.* XLVII). Ejusmodi homines sæpe cum in hoc fraudulentiæ statu deprehensi fuerint, adhuc in deteriora ruunt : nam, cum ulterius in suis pravitatibus posse latere diffidunt, cum unicum illud gloriationis suæ gaudium sine ulla spe recuperandi amittunt, statim ad apertam impudentiam erumpunt. Ecce quomodo per fraudulentiam præcipitatur homo in impudentiam.

CAPUT XV.

De vitio impudentiæ.

Attende, obsecro, quam sit bestialis, et plus quam bestialis vita, rejecto humano pudore, ad omnia se præcipitem dare, et conspectum divinum vel vultus hominum, nec in erubescendis erubescere, et tandem aliquando ad omnem se malitiam effrenare. Quid enim aliud est impudentia quam præceps, et effrenata malitia ? Audiamus nunc itaque quid de hac ultima bestia dicatur : *Post hæc aspiciebam*, inquit, *in visione noctis, et ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis. Dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, et reliqua pedibus suis conculcans. Dissimilis autem erat cæteris bestiis quas videram ante eam, et habebat cornua decem* (*Dan.* VII). Ecce bestiam dicit et tamen quæ bestia sit, vel cui bestiæ similis sicut in superioribus non dicit. Vide ergo quod genus monstri in vitiis sit, quod modo mystice describitur cui nulla in tot bestiarum monstris comparabilis invenitur. Scimus autem quia mens, quæ invidia et impudentia corrupta fuerit, de cætero nulli omnino quia nec sibi, nec aliis parcit. Nam invidia quidem tollit homini amorem et compassionem proximi ; impudentia vero moderantiam et circumspectionem sui. Et sæpe qui ejusmodi sunt, multos labores, multos dolores patienter imo et libenter tolerant, ut alios affligant, et malunt ipsi miseriam sustinere, quam aliis non inferre. Vide ergo quam sit mirabile, quamve horribile, hominem humanitatis oblitum, hominem exuere, et cor belluinum, imo plus quam belluinum induere. Et ecce, inquit, bestia quarta terribilis atque mirabilis et fortis nimis. Nunquid non est fortis et fortis nimis, quæ ob mala proximis inferenda, tam patiens est ad mala toleranda ? Dentes autem et ungues ferreos habere dicitur, qui ad omnem crudelitatem effrenatur. Ferrum enim quod cætera omnia metalla domat, recte satis crudelitatem designat. Ferreos ergo dentes et ungues accipit, qui verbis et operibus in proximos sævit. De alia bestia dictum est, quod carnes plurimas comedat. De hac autem dicitur, quod omnia comminuat. Quæ ergo omnia comminuit, non solum aliorum infirma, sed et fortia capit, damnat, annihilat. Omnia itaque per diffamationem lacerat, et quod infamare non potest, per despectum calcat. Ut autem cætera taceam, in hoc maxime videtur hæc bestia cæteris dissimilis esse, quod in hoc novissimo statu nescit mens improba erubescere. Dissimilis erat, inquit, cæteris bestiis quas videram ante eam, et habebat cornua decem.

CAPUT XVI.

Quomodo mens obauratur per impudentiæ vitium, et primo contra Deum.

O cruenta bellua, quæ et per despectum conculcat quosque inferiores, et rebellionis cornibus oppugnat superiores ! Utinam de hujusmodi cornibus impleatur, quod utiliter minatur qui in psalmo loquitur : *Et omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabo cornua justi* (*Psal.* LXXIV). Quæramus ergo diligentius qualia cornua impudentia habeat in quibus repugnare vel impugnare soleat. Illud autem novimus, quia cornua a carne excrescunt, et supra carnis sensibilitate obdurescunt. Decem autem modis, ut mihi videtur, anima impudens obdurescit, et illam quam habere decet cordis sensibilitatem amittit. Tribus namque modis mens obdurescit erga Deum, tribus apud semetipsum, quatuor autem modis contra proximum. Erga Deum per arrogantiam, per extollentiam, per contumaciam. Arrogantia est, quando quod divinitus accepit, sibi ascribit. Extollentia est, quando semetipsum supra id quod accepit attollit : per arrogantiam in se gloriatur de eo quod habet, per extollentiam de eo etiam quod non habet. Per arrogantiam et extollentiam agitur, ut gratia divina merito subtrahatur, et ad contumaciam obduretur, desertus autem prævaricator efficitur. Nunquam autem est spontanea prævaricatio præcepti sine contemptu Dei. Contumacia itaque est, quando Deum et præcipientem despicit et minantem contemnit. Per arrogantiam impugnatur bonitas Dei, per extollentiam veritas Dei, per contumaciam potestas Dei. Pro certo scimus, et absque ulla hæsitatione, quia Deus est qui operatur omnia pro bona voluntate (*Ephes.* I). Ex sola itaque Dei bonitate est, quidquid in nobis boni est, vel esse potest. Qui igitur sibi arrogat unde Deum glorificare debuerat, quid aliud quam Dei bonitatem sua gloria spoliat ? Qui se attollit supra id quod est, vult falsum credi quod verum est, et verum quod falsum est. Qui vero falsitati innititur, veritati Dei reniti convincitur. Ad divinæ autem potentiæ contumeliam maxime spectat, quidquid improba mens per contumaciam præsumit.

CAPUT XVII.

Quomodo per impudentiæ vitium, mens obdurescit apud semetipsum.

Tribus nihilominus præcipitationis gradibus, solet animus humanus apud semetipsum obrigescere, mentis obligatione, mentis obduratione, mentis effrenatione. Mentis obligatio est, quando assueta eam delectatio ita insolubiliter implicat, ut se a peccati consuetudine implicare, etiam cum velit, non valeat ; cum jam omnino peccare non desistit, in quantum eam impunitas sinit. Ecce quia quem arrogan-

Digitized by Google

tia spoliat, extollentia enervat; et quem extollentia enervat, contumacia præcipitat; et quem contumacia ad peccandum præcipitat, peccandi consuetudo postmodum paulatim ligat. Tali animæ, taliterque ligatæ, clamat vox illa prophetæ : *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion* (*Isa.* LII). Talibus vinculis soluta et libera canere potest cum Psalmista : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV). Cordis autem obduratio est quando nullius jam pœnæ timore, nulla vindictæ severitate a suis excessibus coerceri potest, qui ejusmodi est. Et, ut apertis utamur exemplis, sciunt flagitiosi qualem damnationem in suis flagitiis deprehensi sustineant vel sustinere debeant, et tamen a flagitiorum perpetratione nec se cohibere valent. Aliud est desiderium suum cohibere non posse, cum impunitas blanditur, atque aliud est illud etiam cavere non posse, quod sine summo periculo non committitur. In superiori igitur gradu animus insolubiliter ligatur ad culpam, in isto velut insensibiliter obduratur ad pœnam. In illo pudor, in isto calcatur et timor. Audi quid de his dicatur, qui in hoc gradu ad pœnam obdurantur : *Percussi*, inquit, *eos, et non doluerunt* (*Jer.* V). Mentis effrenatio est, quando absque ulla hæsitatione, vel retractatione animus se ad omnem prævaricationem exponit, et pudoris chamo, frenoque timoris excusso, præceps in omnia ruit, et fit de reliquo sicut equus et mulus quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI). In duobus superioribus, animus a suis desideriis, etiam cum reluctatur, vincitur. In isto autem gradu penitus non reluctatur, sed, quovis tentationis vento flante, quaquaversum raptatur, secundum quod propheta imprecatur : *Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti* (*Psal.* LXXXII). Sicut autem in tribus primis cornibus Deum impugnat, sic in tribus sequentibus Deo repugnat. Nam obligatione, obduratione, effrenatione sui mens male munita fortiter resistit, ne ullus divini timoris impulsus facile eam humiliare possit.

CAPUT XVIII.

Quomodo per impudentiæ vitium, mens obdurescit erga proximum.

Quatuor adhuc restant de cornibus prædictis, cornu abjectionis, cornu objectionis, cornu dejectionis, cornu subjectionis. His quatuor gradibus mens improba obduratur adversus proximum suum, et quod pejus est, adversus eos quibus debet humilem famulatum. Nam, sicut in ferreis unguibus conculcat inferiores, sic quatuor his rebellionis cornibus, armatur contra superiores. Impudens siquidem anima, quæ jugum timoris semel excussit, improba jam temeritate contra magisterium suum insurgit. Cornu itaque abjectionis rebellat, quando jam dedignatur obedire; cornu objectionis, quando prælatorum suorum conatibus conatur semper et ubique fortiter resistere; cornu dejectionis, quando prælatos suos nititur dejicere; cornu subjectionis, quando jam nititur etiam sibi subjicere. Ecce quomodo malum grassatur, ecce quibus gradibus prava anima ad summam impudentiam obduratur, ecce qualiter homo, in id usque producitur, ut *nec Deum timeat, nec hominem vereatur* (*Luc.* XVIII).

CAPUT XIX.

Quomodo mens cum in profundum malorum venerit, sæpe etiam in desperationem cadit.

Sed, depravata anima sæpe, cum in profundum malorum venerit post omnia mala, spem etiam resipiscendi amittit, et in desperationem cadit. Hoc est illud cornu novissimum, desperationis videlicet malum; cornu, inquam, et per diffidentiam parvulum, et præ cæteris, per diffidentiæ pertinaciam durum. *Considerabam*, inquit, *cornua, et ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, et tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus. Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia* (*Dan.* VII). Hoc cornu de medio aliorum oritur, quia cordis obligatione, cordis obduratione, et effrenatione ad desperationem mens maxime præcipitatur. Cum enim ex his tribus cœperit homo sui potestatem amittere, incipit et pariter paulatim de salute desperare. Malum autem desperationis animum non tam tumidum quam timidum reddit, et in eo ipso contumaciæ cornu dejicit. Malum desperationis animum solet, non tam attollere quam dejicere, et idcirco extollentiæ cornu non potest ante faciem ejus subsistere. Malum desperationis animum facit suis viribus magis derogantem, quia plus semper cogit timere quam oportet : unde est quod arrogantiæ cornu ante ejus præsentiam subsistere non valet. Anima de sua semel salute desperata, et a gratia divina penitus destituta, cum sentit se inveteratæ consuetudini non posse resistere, et a sua se pravitate non posse cohibere, solet sæpe seipsam excusabilem ostendere, et culpam suam in Creatorem refundere. Et hoc est, desperationis cornu, oculos quasi hominis et os loquens ingentia habere. Solus homo inter cætera animantia ratione pollet, et prudentia callet. Cum igitur, post desperationis malum, cœperit quisque ad excusationis suæ argumentum, quasi rationabiles causas, astute texere, argute prætendere, videtur oculos quasi hominis habere. Oportet, inquiunt, esse, quomodo prædestinatum est, quis Dei voluntati, quis ejus ordinationi resistere potest? Quales vero voluit, tales nos fecit. Omnia enim quæcunque voluit fecit, in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis (*Psal.* CXXXIV). Quid ergo nos possumus, quid nos sumus? Nunquid merita nostra nobis creare possumus? Non est utique volentis neque currentis sed miserentis Dei (*Rom.* IX). Cur ergo non miseretur? Cur in nobis, quod sibi placet non operatur, qui operatur omnia in omnibus prout vult? (*Ephes.* I.) Os loquens ingentia, et tam vesana quam inania. Ut te excuses, Deum accusas; ut te justifices, Deum blasphemas? Nonne hoc esse videtur, quod in sequentibus legitur, et sermones contra Altissimum loquetur. Ecce, quibus gradibus, ad ima descenditur. Ecce unde,

Digitized by Google

quo, quomodo, pervenitur de nimia animi levitate ad impudentem animi effrenationem, de multa cordis præsumptione ad ultimam desperationem.

Audivimus quomodo mens de malo semper in pejus corruens, in profundum tandem malorum deducitur. Audiamus quomodo, vel unde eadem ipsa quandoque, post multa et ultima mala, ad rectitudinis integritatem reformatur. Si enim præcedentia et subsequentia hujus visionis recte censemus, puto quia in hac mystica descriptione recognoscimus, quod in Apostolo legimus : Quoniam ubi abundavit iniquitas, superabundavit et gratia. Ex hoc Scripturæ loco facile advertere est quod nulla nostra malitia divinam misericordiam vincere potest. Quid enim est quod post succedentes sibi bestias, posito throno, antiquus dierum sedit, nisi quod post multa sæpe vitiorum detrimenta, ille qui est ante omnia tempora æternus, per visitantem gratiam, cor lubricum in firma propositi stabilitate figit, et sibi mansionem constituit? Et quid est quod bestiarum potestas aufertur, nisi, quod per visitantem gratiam, vitiorum tyrannide sopita, regnum peccati destruitur?

TRACTATUS EXCEPTIONUM

Qui continet originem et discretionem artium, situmque terrarum, et summam historiarum; distinctus in quatuor libros.

(Vide inter Appendices ad Opera Hugonis Victorini, Patrologiæ t. CLXXVII, *col.* 193-225.)

AD OPERA RICHARDI VICTORINI APPENDIX.

GILDUINI, ACHARDI, ERVISII, GUARINI,

ABBATUM S. VICTORIS PARISIENSIS

EPISTOLÆ

ET VARIORUM AD IPSOS.

(D. Edm Martenius, *Ampliss. Collectio*, tom. VI, col. 227.)

I.

NOTITIA IN GILDUINUM.

(*Gall. Christ.* VII, 658.)

Gilduinus Parisiis natus sese Guillelmo Campellensi magistro canonicos regulares instituenti socium adjunxit, eidemque assumpto ad insulas Catalaunenses in regimine domus Victorinæ sub eodem prioris titulo subrogatus fuit, ut constat ex inscripta huic priori bulla Paschalis II papæ Kal. Dec., indict. VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1114, pontificatus XVI, qua monasterii possessiones confirmantur, et libera Victorinis canonicis conceditur eligendi abbatis facultas. Quare mox illum primum abbatem constituerunt. Multos annos hanc provinciam gessit, quo tempore, uti narrat Robertus de Monte, multi nobiles et eruditi juvenes hac in congregatione asciti sunt; quos inter Hugonem laudat, a S. Victore postea cognominatum, natione Saxonem e diœcesi Halberstadiensi, qui natus 1097 nomen huic familiæ dedit, ac deinde in omni litterarum sacrarum genere peritissimus effloruit. Ei fuit avunculus ejusdem nominis Hugo, et in conversione socius, cujus præclara est memoria in martyrologio hujus domus ad III Non. Maii his verbis : « Anniversarium solemne bonæ memoriæ Hugonis sacerdotis Alberstadiensis ecclesiæ archidiaconi, qui de Saxonia ad nos venit, magistrum Hugonem nepotem suum secutus ecclesiæ nostræ canonicum, quique habitum regularem in nostra ecclesia suscipiens, in eodem laudabiliter vitam consummavit. Hic rebus suis magnifice satis locum nostrum ampliavit in auro et argento et vestibus pretiosis, tapetibus et cortinis et alia supellectili varia : de quo

Digitized by Google

hoc specialiter commendare et memoriæ tradere volumus, quod ejus sumptibus et impensis hujus nostræ ecclesiæ ædificium factum et constructum est.» Gilduinus interim ad abbatiæ Victorinæ ornatum tantum contulit, ut, quemadmodum Guillelmus de Campellis fuit regularis disciplinæ in ea domo institutor, Ludovicus Crassus rex fundator atque prædiorum temporalium largus dispensator, et Girbertus episcopus Parisiensis fundi temporalis largitor, sic et Gilduinus cœnobii hujus sedulus fuerit amplificator (6), ex munificentia complurium, et maxime Berneri decani, totiusque Parisiensis Ecclesiæ conventus, qui anno 1122 canonicis S. Victoris terram arabilem unius carrucæ apud Civiliacum villam, tam scilicet de territorio Civiliaci, quam Orliaci de suo proprio, assensu episcopi contulerunt; centum enim et viginti jugera terræ arabilis excolenda et olchiam cum omnibus consuetudinibus et redditibus eis concesserunt.

Anno 1125 Ludovicus rex, cui Gilduinus a confessionibus erat, in ecclesiis, quas antecessores fundaverunt, vel fundatas acquisierant, annualia canonicorum, hoc est redditum anni primi vacantium præbendarum, ad B. Victoris ecclesiam regularium canonicorum ordine insignitam transtulit de consensu abbatum et canonicorum inibi Deo deservientium, *cum post mortem singulis diebus usque ad annum in remissionem peccatorum, meditoris consequantur sacrificium* (6*). Hæ sunt ecclesiæ : Apud Castrum Nantonis, Sancti Severini et Sancti Tudualdis, *S. Ugal*, dein prioratus, uti etiam apud Melodunum ecclesia S. Salvatoris annexa Sancto Severino, quando hæc in abbatiam regularem conversa fuit : Melodoni Sanctæ Mariæ et Sancti Salvatoris ; apud Stampas Sanctæ Mariæ ; apud Pissiacum S. Mariæ ; apud Pontisaram Sancti Mellonis ; apud Montem Lethericum S. Petri ; apud Corboilum Sanctæ Mariæ, in qua undecim erant annualia designata et Sancti Guenaili. Harum omnium ecclesiarum annualia communi abbatum et canonicorum assensu Ludovicus rex ecclesiæ Sancti Victoris concessit, ita ut per annum redditus præbendarum post mortem canonicorum ex integro haberet, et nullum ob hanc rem, aut ecclesiæ, aut defuncto præter anniversaria obsequium exsolveret. Huic dono adjecit rex, quod si quilibet ex his canonicis præbendam relinqueret, eadem S. Victoris ecclesia illius præbendæ redditus possideret. *Ut autem hæc beneficia legitimo dono, legitimo possideantur ordine*, data eidem ecclesiæ et confirmata sunt per manum Henrici Senonensis archiepiscopi, Gaufridi Carnotensis episcopi, et Stephani Parisiensis, qui jam anno superiore annualia præbendarum B. Mariæ matris ecclesiæ, Beati Marcelli, Beati Germani, Beati Clodoaldi et Beati Martini de Campellis, assensu regis eidem Sancti Victoris ecclesiæ contulerat. « Actum Parisius publice anno Incarnati Verbi 1125, regni nostri XIX, Adelaide uxore nostra et Philippo filio nostro annuentibus. Signum Henrici archiepiscopi; signum Gaufridi Carnotensis episcopi; signum Stephani Parisiensis episcopi; signum Berneri Corboilensis abbatis ; signum Stephani Meledunensis abbatis ; signum Berardi abbatis Castri Nantonis ; signum Pagani Stampensis abbatis ; signum Stephani abbatis Montis Letherici ; signum Samsonis Meduntensis abbatis ; signum Henrici abbatis Pissiaci et Pontisaræ, astantibus, etc. » Hæc insuper annualia scriptis etiam peculiaribus litteris confirmarunt episcopi ad quos ea res pertinebat ; Henricus scilicet archiepiscopus Senonensis, Hugo Rotomag. archiepiscopus, Stephanus Parisiensis et Gaufridus Carnot. episcopi, ac demum Honorius II, papa, cujus litteræ descriptæ sunt in Annalibus Victorinis ad annum 1125. Tanta vero inclaruit fama Gilduinus abbas, ut Stephani Parisiensis episcopi vicarium generalem an. 1132 ageret, quo nomine Stephani de Garlanda Parisiensis archidiaconi bona omnia interdicto supposuit. Eodem anno Innocentius II papa cuncta hujus Ecclesiæ privilegia firmavit, et insequenti probavit donum ecclesiæ de Floriaco in Bieria per manum Alberici cardinalis et cancellarii. Hujus quoque pontificis precibus eo ipso anno 1133 Stephanus, episcopus Parisiensis, præbendam unam in ecclesia B. Mariæ Parisiensis, et in ecclesiis S. Germani Antissiodorensis, Sancti Marcelli, S. Clodoaldi et Sancti Martini de Campellis in Bria, S. Victori concessit. Qua de re sic habet charta Bartholomæi decani et capituli Parisiensis hoc donum confirmantium, « ita scilicet, quod canonici S. Victoris in singulis prædictis ecclesiis singulos vicarios ponant ; dein quod ad ipsos spectat, sciendum est, quod ecclesia B. Victoris, quæ in nostra ecclesia præbendam habet, nullum omnino aliud servitium in eadem ecclesia nostra per se facere debet, nisi hoc tantum, quod in septimana S. Victoris missam majorem cantat canonicus, missam vero matutinalem, et totum ex integro aliud servitium vicarius faceret habet. » Vide chartam integram tomo sexto amplissimæ Collectionis D. Martenne col. 223.

Anno 1134 toties laudatus Ludovicus Crassus rex et fundator propensiori semper in Victorinos animo, iis ecclesiam S. Guenaili apud Corboilum, in qua rex abbatem ponebat, tradidit, adeo ut quoquomodo abbas, qui nunc erat, abbatiam relinqueret, eamdem perpetuo jure ecclesia B. Victoris possideret ; sed et interim decedentibus canonicis, qui in illa Sancti Guenaili ecclesia præbendas obtinebant, eædem ad jus et potestatem Beati Victoris ecclesiæ libere venirent. « Hoc autem desiderium nostrum, inquit rex, ut legitimo ad effectum ordine duceretur, potestatem illam et jus omne quod in supradicta tenuimus ecclesia, in manus domni Stephani Parisiensis episcopi, in cujus diœcesi eadem ecclesia sita est, reddidimus, illeque secundum voluntatem et petitionem nostram eadem potestate et jure Gilduinum abbatem ecclesiæ B. Victoris, ipsamque ecclesiam revestivit : hoc etiam adjecto, quod abbas S. Guenaldi, quandiu videlicet ipsam abbatiam tenuerit, cæterique canonici ejusdem ecclesiæ de cætero, sicut hactenus nobis fecerunt, de omnibus ad illam ecclesiam pertinentibus abbati S. Victoris respondeant, et rationem reddant et obediant. » Huic dono revera Stephanus episcopus Parisiensis assensum præbuit litteris propriis. « Et ad hoc, pergit rex, præfatam S. Guenaldi ecclesiam plena libertate canonicis Sancti Victoris emancipavimus, quatenus ipsi aliquos de fratribus quos et quot vellent in eadem ecclesia ponerent, et de rebus ecclesiæ, prout ratio dictaret, et utilitas ecclesiæ S. Victoris expeteret, ordinarent. Algrinus cancellarius subscripsit. » Successu temporis exstinctis canonicis, evasit hæc ecclesia prioratus a mensa conventuali S. Victoris dependens.

Anno eodem 1134 Gilduini precibus a Ludovico rege Victorinis datur locus de Amberto, qui postea cessit Patribus Cœlestinis, ex dono Philippi IV regis, qui compensationis gratia Sancto Victori quadraginta libras Parisienses annui redditus in thesauro regio percipiendas assignavit. Idem Gilduinus occurrit 1135 in tabulario Cagiæ, ejusque temporibus cœnobium Sancti Bartholomæi Noviomensis accessit ad congregationem Victorinam, ex hist. ms. S. Bartholomæi auctore Christophoro Labbe. Id ipsum quoque asserit auctor Historiæ urbis et Universit. Paris. in-quarto, tomo primo, pag. 372. de monasteriis B. Mariæ de Augo in Normannia, Cagiæ in urbe Meldensi, S. Evurtii Aurelianensis,

(6) Malingre, *Antiq. Paris.* pag. 434.

(6*) *Hist. ecclesiæ Paris.* t. II, pag. 80.

Digitized by Google

S. Genovefæ Parisiensis et de ecclesia cathedrali Sagiensi (7). Certe de monasterio B. Mariæ de Augo exstat epistola Joannis comitis Augi ad Guarinum abbatem V. S. Victoris, ut canonici, quos Augum direxit, consuetudines Aroasiæ observent, alioquin abscedant.

Plures eo tempore, uti jam diximus, viri doctrina et pietate clari domum Victorinam illustrarunt, et maxime Hugo a S. Victore, cujus opera tribus tomis sæpius edita sunt. Mortuus est anno Domini 1140, in Idus Februarii, cum necdum ætatis annum 44 adimplevisset. Corpus ejus in aditu claustri conditum est cum inciso lapidi sepulcrali epitaphio his verbis :

Conditur hoc tumulo doctor celeberrimus Hugo,
Quem brevis eximium continet urna virum.
Dogmate præcipuus, nullique secundus in orbe,
Claruit ingenio, moribus, ore, stylo.

Inde anno 1335 Hugoni translato hæc altera inscriptio apposita est, ubi pro *tribus* in secundo versu legendum *quinis* :

Hugo sub saxo jacuit vir origine Saxo
Annis ducentis, tribus tamen inde retentis.
In claustro primo se poni fecit in imo,
Et pede calcari nolens mundo decorari.

Luce sub undena Februi, tolluntur arena
Ossa, chori latere lævo translata fuere.
Anno milleno ter centum, ter quoque deno
Christi cum quinque, fratrum chorus astat utrimque.

Circa ejusdem Hugonis tempora floruit excellens et celebris doctor magister Adam S. Victoris canonicus, natione Brito, conversatione humilis et gratus, doctrina et eruditione utilis et præclarus, « adeo ut sine operibus ejus vix posset homo in prologis sancti Hieronymi super Biblia pedem figere, vel expositionem rationabilem difficilium invenire, » etc. Ex his quoque præstantibus viris memorare libet Ivonem, quem Innocentius II papa cardinalem creavit. Is in Galliam missus legatus 1141, biennio post in Galliis obiit 20 Junii 1143, cujus sic meminit necrologium Victorinum ad XII Kalendas Julii : « Anniversarium magistri Ivonis nostri canonici, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinalis et apostolicæ sedis legati. » Exstat in scriniis monasterii bulla Innocentii II, rata habentis omnia privilegia regalia S. Victoris, collata per manum Aimerici cancellarii an. 1137. Ludovicus VII rex confirmans anno seq. donum præbendarum Sancto Victori anno 1133 concessarum notat, « quod Stephanus decanus S. Genovefæ de Monte et canonici ejusdem loci omnes communi assensu præbendam unam in sua B. Genovefæ ecclesia B. Victoris ecclesiæ possidendam libere dono perpetuo concesserunt : » qua de præbenda multæ postmodum initæ sunt inter utrumque collegium transactiones, ex quo Genovefanum factum est regulare. In eumdem modum Matthæus de Montemorenciaco Franciæ stabuli comes in sua Sancti Martini de Montemorenciaco ecclesia dedit unam præbendam Sancto Victori; quod et præstitit Joannes cognomento de Cathena abbas sæcularis S. Petri Montis Letherici de hac ecclesia, quæ cum postea data esset monachis de Longo ponte in prioratum convertenda, hos inter et Sancti Victoris canonicos inita est compositio, de qua inferius. Anno prædicto 1138 abbas et conventus Sancti Vincentii Silvanectensis Gilduino profitentur illum se caput ordinis agnoscere, quem Sugerius abbas S. Dionysii in Vita Ludovici Crassi virum pietatis operibus approbatum celebrat (8). Henricus frater Ludovici VII, « Dei permissione abbas regalium abbatiarum, » canonicis S. Victoris in ecclesia Sancti Exuperii de Corbolio præbendam unam assensu canonicorum ejusdem ecclesiæ donavit 1146, et in perpetuum habere concessit; « nec illud, inquit, latere volumus, quod huic dono prædictus frater meus non solum assensum præbuit, sed etiam ut hoc faceremus et voluit et rogavit. » Hujus donationis chartæ notanda præsertim hæc verba : « Jam ad multorum devenit notitiam, quod illustris memoriæ pater meus Dei gratia rex Francorum Ludovicus B. Victoris ecclesiam de pulvere paupertatis erexit, eamque canonicorum regularium ordine insignitam abbatiam instituit : cui etiam juxta regalem munificentiam plurima beneficia contulit, et in argumentum veræ dilectionis quosdam de filiis et fratribus nostris, cum ex hac vita decederent, in eadem religionis domo sepelire mandavit, » nempe in capitulo. Habetur insuper epistola Ludovici VII regis ad Henricum fratrem suum et Ist. et Jal. archidiaconos (9), ut ecclesiam Sancti Martini de Campellis canonicis Sancti Victoris tradant, ad inibi canonicos regulares instituendos. Denique Philippus frater Ludovici VII regis, abbas post Henricum fratrem regalium ecclesiarum, nempe B. Mariæ de Stampis, S. Mariæ de Corbolio, S. Mariæ de Medunta, S. Mariæ de Pissiaco et S. Mellonis de Pontisara monasterio S. Victoris confirmat annualia canonicorum decedentium in his ecclesiis (10). Gilduini quoque temporibus habebat, ut diximus, Victorina domus præbendam unam et integram atque aliarum præbendarum annualia in ecclesia sæculari S. Petri de Monte Letherico, pro quibus, quando hæc ecclesia monachis de Longo ponte tradita est, pactione cum iisdem inita, G. abbas Sancti Victoris in compensationem habuit terras, vineas, decimam, et quidquid omnino ecclesia de Longo ponte habebat apud Athegias; itemque duos in eadem villa solidos census, quos prædicta Sancti Petri ecclesia ibidem percipiebat. Scripsit Gilduino sanctus Bernardus epistolam modo 410, quam lege cum notis ad eam in novissima Operum sancti Bernardi editione. Certe hic sanctus amicitia conjunctissimus erat cum Victorinis, quibus ab Odone abbate et conventu S. Genovefæ licentiam obtinuit deducendi fluviolum Beverim ad suum monasterium, inibique molendinum exstruendi circa 1150. Quin et Sugerio commendavit sanctus Bernardus epistola 369 abbatiam Victorinam, cujus in thesauro cuculla ejusdem sancti asservatur, ipsius perenne in illam amoris monumentum, cum charta ex qua dependet sancti Bernardi sigillum. Cæterum vel ad Gilduinum, vel ad Guntherum uno intermedio successorem abbatem spectare videtur epistola Gilduini Fontis Joannis abbatis ad G. abbatem S. Victoris (11), qui sibi ab illo commodari annonam postulaverat. Gilduinus tandem, postquam Victorinæ domus annos quadraginta et quatuor ferme menses familiam egregie rexisset, mortem grandævus oppetiit Idib. Apr. anno 1155, quo ipso die notatur ejus obitus in excerpto veteris necrologii Silvæ majoris. Eodem die seu 13 Aprilis mortuus cum titulo *beati* refertur in catalogo Ferrarii, sed in supplemento martyrologii Gallicani solum dicitur *piæ memoriæ abbas*. Corpus ejus choro in medio ad pedes Stephani Parisiensis episcopi positum est cum inscriptione, cui renovata tumba, præmissus est titulus hic :

R. Patris Gilduini primi abbatis hujus ecclesiæ et Ludovico Crasso Francorum regi a confessionibus religiosis epitaphium, et ms. restitutum (12).

Gilduinus abit de castris victor ad aulam
Idibus Aprilis, rege vocante suo.
Prima columna domus, custos gregis, ordinis auctor,
Hic jacet æterno dignus amore loci.

(7) Duchesne tom. IV, pag. 763.
(8) T. VI, *ampliss. Collect.* Marten., c. 222.
(9) Ib., c. 227.
(10) Ib., c. 228 et 229.
(11) Duchesne tom. IV, pag. 758.
(12) Malingre *Antiq. Paris.* lin. 2, p. 48.

Digitized by Google

Gilduinus die obitus sui ita memoratur in necrologio Victorino : « Anniversarium solemne venerabilis patris nostri Gilduini, primi hujus ecclesiæ abbatis, magnæ auctoritatis atque sanctitatis viri. Hic zelum Dei et ordinis habens, canonicum ordinem, qui pene totus defecerat, reparavit. In diebus ejus domus nostra supra cæteras nostri ordinis domos primatum tenuit, et religionis prærogativa longe lateque velut sidus clarissimum emicuit. Ecclesiam et cæteras officinas a fundamentis inchoavit et consummavit, et excepta dote regia, præbendis atque annualibus et multis aliis redditibus ampliavit. Proinde statutum est, ut tanti Patris memoria per singulos annos præ cæteris solemniter celebretur, et ante missam commendatio fiat, et pro ejus anima per singulos dies præbenda iutegra ad eleemosynam in perpetuum tribuatur. » Mitto plures ex discipulis Gilduini insignes viros, Guarinum, primum Sancti Victoris priorem regularem, qui 1131 decanum agebat in ecclesia cathedrali Sagiensi; Odonem (13), ex priore similiter Sancti Victoris primum Sanctæ Genovefæ abbatem, uti docet hoc distichum :

At, Genovefa, tuus abbas Odo gemma pudoris
Post Thomam sedit in claustro sede prioris.

Sed hunc B. Thomam præterire non possum, qui secundus Sancti Victoris prior anno 1133, ut pluribus probat Mabillonius in notis ad epistolam sancti Bernardi 158, per nepotes Theobaldi archidiaconi Parisiensis, quem Simoniæ redarguerat, crudeliter occisus est intra manus Stephani Parisiensis episcopi, cujus Thomas erat pœnitentiarius et major vicarius; qua de re Petrus Venerabilis epist. 17 libro primo et sanctus Bernardus epistola laudata 158, et quatuor sequentibus ad Innocentium II papam, de quibus vide notas Mabillonii. Primum sub claustro conditus est Thomas, unde translatus in capellam S. Dionysii pone chorum, et inde anno 1667 ad latus summi altaris, ubi loco veteris inscriptionis, quæ sequitur, altera mox subjungenda eodem anno posita est :

Hic jacet egregius prior et post sanguine tinctus
Thomas, vir sobrius, æquitatis tramite cinctus,
In pietate pater, in judicio bene rectus.
Nec fuit hic frater donorum turbine flexus
Martyrium sitiens, inopum damnis miseratus
Nec fraudes patiens curarum presbyteratus.
Justitiæ zelo dum militat, ense feritur.
Spiritus in cœlo, corpus terra sepelitur.
Hunc pie deplorat Stephanus tunc Parisiensis,
Hunc scriptis decorat Bernardus Clarevallensis.
Summi pontificis jussu locus hunc capit iste.
Cœtibus angelicis nos Thomæ jungito, Christe.

Novam subjicimus inscriptionem.

Hic jacent B. Thomæ a S. Victore ossa veneranda, qui inter Stephani episcopi Parisiensis manus pro ecclesiastici juris defensione martyr occubuit anno Domini 1130. *Devoti posuere syncanonici Victorini æræ ann.* 1667, *pridie Kal. Januarii.*

Exstant tomo sexto amplissimæ collectionis D. Martenne, col. 220, litteræ Stephani episcopi Parisiensis ad suos archipresbyteros, ut latam ab se excommunicationis sententiam in Thomæ prioris Sancti Victoris interfectores promulgent, cujus sibi soli reservat absolutionem et pœnitentiam.

Burchardus episcopus Meldensis in domo Victorina defunctus anno 1134, pridie Nonas Jan. sepulturam accepit in capella sanctæ Crucis juxta B. Thomam priorem, quibus olim hoc epitaphium erat commune :

Præsul hic, iste prior, confessor hic, isteque martyr,
Hic minor est meritis ordinis, iste gradu.
Burchardus Meldis pater exstitit, at prior hujus
Ecclesiæ Thomas, moribus ambo pares.
Juris amatores, morumque fuere magistri,
Cum pietate graves, cum gravitate pii.
Quos ratio, quos religio, quos jungit honestas,
Hos tumulus jungit et situs ipse loci.

(13) Malingre pag. 480.

II.

NOTITIA IN ACHARDUM.

(Oudin, *Script. eccles.* II, 1298.)

Achardus Abrincensis episcopus, natione Anglus, Bridlingtonensis juxta Gerardum Joannem Vossium libro II *De historicis Latinis*, cap. 52, pag. 422 ultimæ editionis, Northumbrensis juxta Cæsarem Egassium du Boulay sæculo IV *Universitatis Parisiensis*, in Catalogo, pag. 715. Sed juxta Sammarthanos fratres in *Gallia Christiana* tom. IV, pag. 925, in *Abbatibus Sancti Victoris Parisiensis*, Normannus origine nobilis e comitatu Domnifrontis, de quo in epistolis Arnulfi Lexoviensis. Hic vir vitæ integritate et eruditione multiplici mirifice florens, in humanioribus litteris adolescentiam, in philosophia juventutem, in theologia maturiorem ætatem ita collocavit, ut in singulis singulares progressus fecerit, quemadmodum Pitseus refert ex Lelando et Bostono mss. auctoribus. Post longam litterarum professionem, terrenarum pertæsus inquietudinum, ad canonicos regulares Sancti Victoris se contulit, quorum successu temporum, post Gilduinum, quem Dominus sibi anno 1155, die XIII Kalendas Aprilis adjunxit, abbas secundus factus est. Misit ad illum abbatem Adrianus IV, summus pontifex, plura diplomata, unum pro ecclesiis Sancti Brixii et Villaris belli, itemque aliud quo laicis prohibetur usurpare decimas ad parochias Victorinas pertinentes, de quibus loquitur Joannes de Tolosa in amplissima sua *Historia ms. abbatiæ Sancti Victoris.* Abbas autem factus post Gilduinum, ut supra diximus, otio commissa sibi talenta neutiquam abscondens, opuscula conscripsit quæ hominis gravitatem et probitatem simul probant. Horum unum inscribitur *De tentatione Christi*, ms. in celebri bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, cujus abbas erat, littera SS. 19, fol. 162, quod incipit, *Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a diabolo*, etc. *De serie lectionis evangelicæ sufficit hucusque. In sermone præsenti non oportet peregrinari, sed etiam tantillum*, etc. Item aliud opusculum *De divisione animæ et spiritus* inscriptum, quod ibidem pariter habetur ms. littera LL. 7 et II. 15, incipiens, *Substantia interior quæ una cum corpore constituit hominem*, etc. Habetur etiam Cantabriga inter mss. codices Universitatis Cantabrigiensis, codice 1558; in bibliotheca collegii Sancti Benedicti, cod. 291, num. 9, cum expresso nomine *Magistri Achardi Tractatus de divisione animæ et spiritus.* Ubi in mss. Victorinis cum sola littera

Digitized by Google

initiali A legitur, unde ex conjecturis primus compositor catalogi celebris hujus bibliothecæ anno 1512 *Adamo de Sancto Victore* illum ascripserat. Exstant in celebri bibliotheca Clarævallis *Sermones magistri Achardi*, quos adhuc Achardum Victorinum qui doctissimus exstitit et plura scripsit, spectare censeo. Florescens Achardus ob præclaras animi ac virtutis dotes, post longam in omni disciplinarum genere exercitationem, ex canonico regulari Sancti Victoris et ejusdem ecclesiæ abbate, anno tandem 1162 ad episcopatum Abrincensem in Normannia, Henrici Anglorum regis ope assumitur et consecratur. Hæc promotio Ludovico Francorum regis displicuit, qui continuo hominem amandavit, ac ne quid regiminis deinceps in eadem domo haberet, his litteris prohibuit.

« Ludovicus Dei gratia Francorum rex, priori et universis fratribus Sancti Victoris salutem et dilectionem.

« Ecclesia ista et beneficio prædecessorum no- B strorum et Ecclesiæ Parisiensis fundata est, unde et specialius eam diligimus. Vocatus est abbas vester ad aliam Ecclesiam. Non volumus quod res Ecclesiæ, cujus cura ad nos specialiter spectat, in aliquo minorentur, sed crescant. Unde et regia auctoritate vobis præcipimus, ut abbas Achardus de cætero nullam alienandi vel accipiendi res Ecclesiæ istius habeat facultatem : neque eo præsente verbum aliquod de electione incipiatis. Valete. »

Constitutus Abrincensis episcopus, teste Gerardo Joanne Vossio lib. II *De historicis Latinis*, cap. 52, pag. 422 ultimæ editionis, reliquit posteritati *Vitam sancti Geselini monachi*, cujus tamen Balæus non meminit. *Vitam* autem hanc *S. Getselini eremitæ*, quæ anno 1626 Duaci edita est, attribuit alteri A *Achardo Claravallensi monacho*, quem anno 1140 floruisse asserit Carolus Dufrenius du Cange in *Indice Auctorum* quem præmisit *Glossario mediæ et infimæ Latinitatis*, columna 79, ubi utriusque Achardi mentionem facit. Cum autem prudenter et sancte per decem annos ecclesiam Abrincensem administrasset, multas circumjacentibus abbatiis donationes fecisset, atque potissimum abbatiæ Sanctæ Trinitatis de Lucerna, ordinis Præmonstratensis, quam frequenter adibat impenseque amabat, anno 1172, die 29 Martii obiit, sepultusque in dicta abbatia ejusdem diœcesis, cui annualia vacantium Abrincensis Ecclesiæ præbendarum contulerat, ad instar Victorinorum in Ecclesiam Parisiensem canonicorum. Ejus sepulcrum patet in ingressu claustri, sub veteri fornice ac lapideo, cum ista epigraphe : *Hic jacet Achardus episcopus, cujus charitate ditata est paupertas nostra.* Altera inscriptio vetus metrica Achardi in ms. codice Sancti Victoris ita habet :

Hujus oliva domus, Anglorum gloria cleri,
Jam pridem dignus cœlesti luce foveri,
Felix Achardus florens ætate senili,
Præsul Abrincensis, ex hoc signatur ovili.

Illius mentionem faciunt Robertus de Monte, continuator Chronici Sigebertini ad annum 1162, quo ad episcopatum Abrincensem assumptus est ; beatus Rhenanus in commentario suo ad Opera Tertulliani, ubi in librum *De Trinitate* commentatur ; Sammarthani fratres in *Gallia Christiana* tomo II, verbo *Abrincenses episcopi*, pag. 6 ; et tomo IV, verbo *S. Victoris cœnobium* pag. 925 ; Sæculum IV *Universitatis Parisiensis* in Historia, pag. 300, et in Catalogo illustrium Academicorum, pag. 725.

III.

NOTITIA IN ERVISIUM.

(*Gall. Christ.* nov., t. VII, col. 667.)

Ervisius, seu Erveus, et aliquando *Erneis*, aut C *Ernisius* et *Ernestus*, natione Anglus, successit abbas, de cujus electione Alexandri III nomine gratulatur Petrus canonicus Sancti Victoris (14), qui ejusdem papæ capellanus erat, et post ab ipso creatus est cardinalis. Recensetur abbas in charta emptionis terræ Villæputei a rege confirmata 1162, per manum Hugonis cancellarii. Circa id tempus scripsit Alexander papa ad abbatem Castri Nantonis (15), ut annualia quæ abbas et fratres S. Victoris Parisiensis in ecclesia S. Salvatoris jam ex longo tempore canonice possedisse noscuntur, quiete eos et pacifice possidere permittat, donec cum eis super his componatur. Ad Ervisium exstat (16) epistola Gerberti Herefordiensis episcopi petentis aliquem ex ipsius grege, qui ecclesiæ Wigorniensi pastore viduatæ præficiatur ; uti etiam Hugonis Rotomagensis archipræsulis pro ecclesia et conventu Augensi. Plures etiam ad eum leguntur litteræ Jonæ canonici S. Victoris in causa domus D Ambertinæ, ex Sammarthanis, qui quidem Jonas missus aliquando Cæsaris burgum rogat Ervisium ut ipsum revocet ad S. Victorem. Ad eumdem abbatem, priorem et subpriorem S. Victoris, abbatem Pratensem et Odonem quondam abbatem S. Genovefæ scripsit Alexander papa III (17), ut inquirerent de pœnis inflictis Guillelmo canonico Sanctæ Genovefæ, anno 1164. Susceptor et sponsor fuit Ervisius cum Hugone Sancti Germani Pratensis abbate et Odone quondam Sanctæ Genovefæ in sacro baptismo Philippi filii Ludovici VII (18), qui postea fuit rex dictus Philippus Augustus, quod legimus factum die Dominica 22 Augusti in octava Assumptionis beatæ Mariæ anno 1165. Rogatus idem abbas ab O. cardinali sedis apostolicæ legato, ut regem inclinaret ad concedendam sibi liberam facultatem revertendi ad suos fratres cardinales (19), eidem respondit se hac de re secretum ac satis familiare cum ipso rege colloquium habuisse, bonoque animo concedere ut ad fratres suos cardinales accedat, ubicunque fuerint, etc.

Ejusdem H. (Hervisii) patrocinium ambivit apud regem Henricus Remensis archiepiscopus, frater ipsius regis, rogans, ut quas regi destinabat litteras pro Hugone Suessionensi episcopo et cancellario reconciliando cum rege, si vere, ut dicebatur, ab ejus gratia excidisset, regi præsentaret fidus earum interpres, si vero falsa relatio, aut jam Hugo in gratiam rediisset, sigillumque suum rex ei restituisset, non præsentaret, ex tomo quarto Duchesnii pag. 570. Præsentatæ vero leguntur ibidem pag. 569. Hic etiam est, ut videtur, E. abbas Sancti

(14) T. VI, *ampliss. Collect.* Marten. c. 252.
(15) Ib., col. 240 et tom. IV Duchesnii pag. 751.
(16) Ib., col. 245.
(17) Ib., col. 253.
(18) Ib., col. 235.
(19) Ib., col. 240.

Digitized by Google

Victoris, ad quem et capitulum exstat eodem tomo Duchesnii pag. 765, epistola B. de Montemorenciaco deprecantis, ut quoniam locus, qui vocatur Nemus S. Petri a patre suo datus ecclesiæ S. Victoris ea conditione, ut inibi divinum quotidie celebraretur officium, tunc vacabat, et spoliaverant illum, ut fama erat, calice, vestimentis, equo et quibusdam aliis, suas eidem loco restituerent res, et Radulfum, quem diligebat ob sibi et fratri ægrotantibus impensa ab eo servitia, aut alium quempiam boni testimonii virum illuc remitterent. Sub Ervisii præfectura, anno 1167, Joannes, Paleadis urbis episcopus, e Palæstina in Galliam venit, qui defunctus Parisiis, in basilica Victorina sepultus est. Interfuit Ervisius, anno 1170, pactis initis Ivonem inter Sancti Dionysii abbatem et canonicos Sancti Pauli ejusdem urbis. Testatur eodem anno Mauricius episcopus Parisiensis se de Willelmi clerici decima ex patrimonio suis in manibus reddita investivisse dom. Hugonem Suessionensem episcopum et D. Hervisium abbatem S. Victoris, ex tabulario Victorino. Accusatur interim Ervisius (20), quod disciplinam regularem relaxasset; qua de restituenda scripsit epistolam Alexander pontifex ad Ludovicum VII regem, dolens non modicum ita tepescere sacram religionem in ecclesia S. Victoris « ut quæ multis manum in via salutis currentibus porrigebat, nunc auxilio alieno indigeat, et non inveniat, qui sublevet eam.... Non quod non sint ibi plures, qui notitiam religionis habeant et amorem; sed quibusdam cum suo capite membris languentibus, in eadem ecclesia fervor religionis noscitur tepuisse. » Quocirca mandat idem pontifex 1169 Willelmo Senonensi archiepiscopo, Stephano episcopo Meldensi, et Nicolao abbati Vallis-secretæ, ut huic malo medicinam, quam viderint necessariam, apponant. Vide plurimas hujus pontificis ea de re litteras in appendice altera tomi X Concil. Labb., col. 1319 et seq. et tomi quarti *Scriptorum historiæ Franciæ* pag. 602 et seq. Ex epistola vero 45, scripta Victorinis ascetis, qua pontifex gaudet, gratulaturque restitutam disciplinam, intelligimus hoc fuisse adimpletum ab archiepisc. Bituricensi Stephano, qui prius fuerat Meldensis præsul, et Senonensi, cujus exstat epistola ad E. abbatem Sancti Victoris, tomo quarto Duchesnii pag. 747. Nulla tamen habita discussione, submonitus tantum Ervisius dignitatem abdicasse legitur mense Aprili tempore Quadragesimæ anno 1172, relegatusque ad tempus in prioratum Sancti Pauli de Alnetis prope Caprosiam a Sancto Victore dependentem; quem cum retinere conaretur, Alexander et Theodericus cardinales scripsere ad Willelmum Senonensem et Stephanum Bituricensem archiepiscopos, ut obsisterent (21).

Ervisii memoria talis est in Necrologio Victorino: « III Idus Maii anniversarium domni Hervisii quondam hujus ecclesiæ abbatis » : quem Claudius Malingre in *Antiquitatibus Parisiensibus*, pag. 449, defunctum scribit tribus aut quatuor post abdicatum regimen annis, non tamen profecto ante 1177, si certa esset Martenii nota in epistolam Alexandri papæ III, ad Robertum priorem et capitulum S. Victoris, qua Ervisium abbatem se monuisse dicit, ut negotia ecclesiæ S. Victoris, tam intrinseca quam extrinseca, cum consilio majoris et sanioris partis capituli dirigat. Nempe accusabatur Ervisius, quod omnia vellet in domo S. Victoris pro libito et absque consilio seniorum et capituli definire : unde abbates successores solemni juramento astricti fuere, ut consilium seniorum de camera conservarent, nec quidquam sine illorum assensu molirentur, prout ex authenticis chartis apud Sanctum Victorem asservatis constat : quibus accessit capituli generalis die 3 mensis Aprilis anno 1538 decretum, partitionis bonorum abbatem inter et conventum factæ codicillis roboratum. « Quoniam igitur, » ait Alexander epistola laudata, « eumdem abbatem juxta commonitionem et mandatum nostrum libenter facturum credimus et speramus, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eidem abbati debitam obedientiam et reverentiam impendentes, in ordinandis et disponendis negotiis ecclesiæ vestræ provide et efficaciter assistatis. Datum Venetiis III Idus Maii. » Verum nemo non videt hanc epistolam præcessisse ipsam Ervisii cessionem, alioquin duo simul abbates fuissent, quod implicat.

(20) T. VI, *ampliss. Collect.* Marten. c. 349, 250 et seq.
(21) Ib., c. 252.

IV.

NOTITIA IN GUARINUM.

(Gall. Christ., t. VII, col. 669.)

Guarinus post Ervisii abdicationem, præsidente Richardo priore, assumptus e Cagia in abbatem, Benedictus fuit a Mauricio Parisiensi antistite, qui, quod Ervisius ecclesiæ thesaurum retinere tentaret, scripsit ad Willelmum archiepiscopum Senonensem (22), ut ad Sanctum Victorem accedens illum Guarino restitueret. Scripsit et vicissim W. Senonensis archiepiscopus ad M. episcopum Parisiensem, ut quantocius ad ecclesiam Sancti Victoris accedens sub testimonio G. abbatis et fratrum memoratæ ecclesiæ enthecas et repositoriola prænominati Er. scrutari curaret, et calicem aureum et alia quæ ad jus ecclesiæ B. Victoris spectantia ibidem inveniret, abbati et fratribus assignaret. Exstat ibidem, pagina 569, Alexandri papæ ad Simonem archidiaconum Parisiensem epistola, quæ spectare videtur ad hunc abbatem, pro quo in abbatiæ possessionem ab eodem posito, hunc archidiaconum centum solidos exigentem reprehendit. Abbati Guarino de ipsius promotione gratulantur Alexander et Theodericus cardinales (23), gratulatur et frater Fredericus a S. Victore capellanus Alexandri papæ III, qui et ipsi gratulatus est epist. 46, Appendice 2 tomi X Concil. Labb. nec non Ervisii cessionem et Guarini promotionem confirmavit : quin etiam hunc idem pontifex et cardinalis Joannes Piuzutus Neapolitanus, Sancti Victoris canonicus, scriptis litteris obsecrarunt, ut binos ad se Victorinos canonicos cum aliis ejusdem congregationis transmitteret; quod tandem Guarinus præstitit (24), postquam primum se excusavit de morte plurimorum suæ domus præstantium virorum primo sui regiminis defunctorum

(22) T. VI, ampliss. collect. Marten. c. 253.
(23) Alexius Duchesne tom. IV, pag. 604. T. VI, *ampliss. Collect.* Marten. c. 253.
(24) Duchesne, tom. IV, pag. 749 et 750.

Digitized by Google

anno : nempe Richardi a S. Victore nuncupati, ecclesiæ Victorinæ canonici et prioris, viri pietate et doctrina præstantissimi, doctisque libris notissimi, qui morte sublatus est an. 1173, VI. Idus Martii feria sexta. Conditus est in claustro juxta portam abbatialem cum hoc epitaphio : A

Moribus, ingenio, doctrina clarus et arte
Pulvereo hic tegeris, docte Richarde, situ.
Quem tellus genuit felici Scotica partu,
Te fovet in gremio Gallica terra suo.
Nil tibi parca ferox nocuit, quæ stamina parvo
Tempore tracta gravi rupit acerba manu.
Plurima namque tui superant monimenta laboris,
Quæ tibi perpetuum sunt paritura decus.
Segnior ut lento sceleratas mors petit ædes,
Sic propero nimis it sub pia tecta gradu.

Guarini luctum de hisce mortibus utcunque mitigavit nuntius de Hugone Petri Leonis, canonico Sancti Victoris, ad cardinalatum promoto hoc ipso anno 1173, qui mox epistola scripta ad Guarinum et capitulum S. Victoris condoluit ipsis de facto Ervisii quondam abbatis, suaque illis obtulit obsequia. Sub eodem Guarino decessit Adamus a Sancto Victore dictus ex professionis loco, oriundus ex Britannia minore, scriptis clarus, et maxime quodam bibliorum vocabulario, quod vulgo *summam Britonis* dicunt, VIII, Idus Julii 1177, ex Sammarthanis, et 1192, ex tomo primo *Hist. Parisiensis*, pag. 197. Nihil porro Victorinorum famam hac ætate dilucidius probat, quam virorum episcopali etiam præfulgentium dignitate apud illos secessus. In his fuit Stephanus primum Eccles. Parisiensis canonicus, dein episcopus Meldensis, ac tandem Bituricensis archipræsul, qui biennio exacto secessit ad Victorinos anno 1174, inibique mortuus pridie idus Januarii 1181, seu 1182, jacet in choro ad læram Parisiensis episcopi. Legenda circa id tempus Stephani Tornacensis, tunc abbatis Sanctæ Genovefæ, ad summum pontificem Alexandrum III epistola 155, pro ecclesia Sancti Victoris : « Prudentes, ait, et potentes in generatione sua viri, qui tunc temporis in ecclesia Parisiensi titulati præerant, ecclesiam S. Victoris tanto dilectionis ac devotionis affectu prosecuti sunt, ut in ea sacræ religionis odore tacti pariter ac tracti, plerique ipsorum non solum conferrent sua, sed et se ipsos offerrent ; » quales, ut notat Claudius du Molinet, fuere Stephanus, et, ut placet nonnullis, Odo episcopi, Bernerus decanus, Adam præcentor, etc. Neque vero solum in proximo, sed et ad longinqua Victorinorum bona conversatio diffundebatur. Testis Arnulfus Lexoviensis episcopus, qui anno 1181, episcopatu abjecto, ad Victorinam domum confugit, ubi et canonicus regularis effectus est, uti notatur in necrologio die obitus ejus, qui fuit 31 Augusti 1184, his verbis : « Anniversarium solemne patris nostri piæ recordationis Arnulfi Lexoviensis episcopi, qui magnæ devotionis affectu, quam a multis retro annis erga ecclesiam nostram habuerat, de episcopatu suo ad nos veniens, canonicus noster effectus est, quietisque ac sepulturæ locum eamdem ecclesiam inter omnes alias prælegit : multis et magnis beneficiis dignum et perpetuum sui nominis et amoris memoriale posteris derelinquens. » Conditus jacebat in capella veteris ecclesiæ, a sancta cruce nuncupata, unde post novam exstructam ecclesiam translatus est ad latus dextrum capellæ sancti Dionysii ubi hoc epitaphium legitur : *Epitaphium domni Arnulfi Lexoviensis episcopi, qui postquam quadraginta annis potens verbo et opere præfuit, frater noster effectus, moriens demum in veteri basilica sepultus est, nunc vero translatus hic quiescit :* B

Tu qui dives eras et magnus episcopus, ob quid
Sortem mutasti pauperiore statu ?
Imo pauperiem mutavi fœnore magno :
Mundo dives eram, plus fuit esse Deo.

Floruit sub ejusdem Guarini præfectura Leonius insignis poeta, qui, primum in æde Sancti Benedicti apud Parisios canonicus, subinde ad domum Victorinam se recepit, ubi excitatus Guarini abbatis consiliis stricta oratione scripsit sacræ legis historiam, quam Moyses quinque voluminibus tradidit, et Judicum libros, quos duodecim libris versu contexuit, qui exstant mss. in bibliotheca Victorina. Obiit 1187, mense Decembri, seu V Kal. Januarii, tomo secundo *Historiæ Eccl. Parisiensis*, pagina 197. Præterea id Victorinæ domui et Guarino abbati non mediocri vertit honori, quod ex illo cœnobio acciti fuerint canonici, qui Suessionenses Sancti Joannis de Vineis suos edocerent mores, et ad rectam vitæ canonicæ rationem informarent. Hic est G. abbas S. Victoris memoratus 1185 (25), in charta sancti Maglorii, quique una cum H. Sancti Dionysii, F. S. Germani, et S. sanctæ Genovefæ abbatibus, eorum, quæ in negotio. Grandimontensium statuerant, summo pontifici rationem reddit. Scripsit etiam Guarinus solus ad Philippum regem Francorum (26), ut huic dissidio finem imponeret : summoque pontifici creato Cœlestino III gratulatus est de ipsius electione. Denique postquam Guarinus abbas hoc in munere unum et viginti annos insumsit, et multam operam resarciendis damnis, quæ sanctissimæ familiæ intulerat Ervisius, collocavit, supremum diem obiit XIV Kalend. Novembris 1192, ex additis nuper veteri ad tumulum inscriptioni infra subjiciendæ verbis : legitur autem annus 1193 tomo secundo *Historiæ Ecclesiæ Parisiensis*, pagina 176 et 1194, tomo primo *Hist. Parisiensis*, pag. 197, ac tomo primo amplissimæ Collectionis Martennii, col. 1013, ubi et pro XIV *Kalendas Novembris* legitur *mense Novembri*. Cæterum quo longius distat ab hisce annis, annus quem assignat Claudius du Molinet 1180, in nota ad epistolam 42 Stephani Tornacensis, pag. 58, eo a veritate plus aberrat. Diplomaticæ pagina 371 habetur ex codice Sancti Germani Pratensis num. 66, quod cum quidam clericus nomine Nicolaus apud Sanctum Victorem moriens res suas commisisset hujus ecclesiæ abbati, videlicet domno Garino viro religiosissimo, ut eas vicinis ecclesiis post obitum suum ut sapiens dispensator prudenter erogaret, hic, quoniam nostram (S. Germani) ecclesiam plus cæteris tenebatur diligere, ex rebus sibi commissis Psalterium pro remedio animæ jam dicti clerici, huic ecclesiæ proposuit erogare. Sepultus est Guarinus in choro ecclesiæ ad latus Gilduini abbatis, cum hoc disticho, cui nova in tumba præmissa sunt hæc verba : *Eloquentis pariter ac religiosi patris Guarini, quinti in ordine hujus ecclesiæ abbatis elogium ex ms. hic repositum :* C D

Guarinus abbas Romani lucifer orbis ;
Sideream fulget vivus in urbe lapis.

Adjecta sunt et hæc verba : *Obiit* XIV, *Kalend. Novemb. an.* 1192, ad quam diem sic habetur in Necrologio sancti Victoris : *Anniversarium solemne felicis memoriæ domni Guarini hujus ecclesiæ abbatis:* et in Necrologio Cagiæ : XX. *Octobris anniversarium venerabilis Garini abbatis S. Victoris et canonici nostri;* quod quidem anno 1194, eum fundasse lego super juribus Iverniaci. In bibliotheca Victorina sermonum mss. codices ab eo elucubrati asservari dicuntur.

(25) Epist. 143. Step. Tornac. pag. 209.

(26) T. VI ampliss. Collect. Marten. c. 266.

Digitized by Google

EPITAPHIUM ACHARDI.

(*Neustria Pia*, p. 795.)

B. Achardus, Arboretanus pontifex. Non solum consilium dedit de novissima abbatiæ de Lucerna fundatione, sed et ann. 1164 a fundatoribus lapidem primarium et angularem pro exstructura ecclesiæ abbatialis oblatum, devote suscepit, benedixit, ac in fundamenta jecit. Deinde jus *Deportuum* in Ecclesia Abrincensi ipsis religiosis gratanter contulit; et moriens ea in basilica abbatiali humari voluit, extra chorum quidem, sed juxta parietem ipsius chori, ad cornu Epistolæ ante ostium, quo itur in claustrum, ubi nunc usque requiescit cum hoc epitaphio :

Præsul Abrincensis, famosus doctor Achardus
Hic jacet, ut terræ restituatur humus :
Gratia cœlestis dedit illi dona sophiæ,
Et præfecit eum digniter Ecclesiæ.
Plurima nunc sileo bona facta suæ pietatis,
Quæ satis audita, visa fuere satis.
Abbas ipse fuit Sancti Victoris in æde ;
Et complevit opus, moribus, ore, pede
Exuviis ejus domus est hæc nobilitata,
Desuper est nobis gratia tanta data :
Ergo pater tantus, fidei jurisque patronus,
Pastoralis erat cujus in ore sonus :
Gaudia divinæ contempletur faciei,
Pontificique boni mansio detur ei (27)

(27) Ex schedis abbatiæ de Lucerna et cœnali.

EPISTOLÆ GILDUINI ABBATIS.

I.

Ad episcopum Belvacensem. — Commendat ei presbyterum, cujus frater intestatus obierat.

Domno Belvacensi G. beati Victoris Parisiensis dictus abbas, in summo Pastore gloriari, et ipsius digne imitari vestigia.

Presbyter iste præsentium lator habebat quemdam fratrem, qui intestatus mortuus est, excepto quod unum equum canonicis regularibus S. Quintini (28), in quorum terra habitabat, ut nobis dictum est, dereliquit. Exspectabat enim hunc fratrem suum, sed antequam iste advenerit, ille decessit. Venerunt autem prædicti canonici, et tulerunt defuncti corpus, ipsum apud se sepelientes, et quæ habere videbatur secum pariter auferentes. Unde vos, mediante parvitate nostra, rogat iste ut ei justitiam faciatis, et quæ fratris sui fuerunt restitui faciatis. Valete.

II.

Litteræ Gilduini de ecclesia S. Petri de Monte Letherico concessa monachis Longi Pontis, et de compensatione facta canonicis S. Victoris, qui in ea præbendam, et annualia possidebant.

G. cœnobii S. Victoris dictus abbas cum fratribus suis omnibus fidelibus tam posteris quam præsentibus in perpetuum.

Omnium bonorum et maxime religiosorum proprium est totius sanctitatis et religionis propagationi et profectui congaudere. Gaudium hoc nostris, Deo miserente, temporibus in mutatione ecclesiæ B. Petri de Monte Letherico piis desideriis oblatum est donatum. Siquidem ipsa ecclesia per Dei gratiam et piissimi Ludovici Francorum regis voluntatem, consilio et assensu, de sæculari statu in religionis statum promota est, et ad hæc servis Dei monachis scilicet de Longo Ponte (29) assignata est, et in perpetuum donata. Nos itaque qui in prædicta S. Petri ecclesia præbendam unam et integram et aliarum præbendarum annualia habemus, mutationem illam in melius volumus et approbamus, et per manum domini nostri Theobaldi Parisiensis episcopi supradictam præbendam et annualia ecclesiæ de Longo-Ponte in perpetuum habenda concedimus. Ne autem ecclesia nostra pro illius ecclesiæ mutatione et nostra benevola concessione redituum suorum diminutione nimia gravaretur, consulente, mediante, imo faciente prædicto Parisiensi episcopo, in cujus arbitrio et potestate, utriusque partis assensu, totum in hoc consistebat negotium, monachi de Longo-Ponte nobis recompensationem vicariam reddiderunt, et rebus ecclesiæ suæ et ecclesiæ S. Petri ea quæ subscripta sunt ecclesiæ nostræ communi assensu perpetuo possidenda dederunt. Apud Athegias terras, vineas, decimam et quidquid omnino ecclesia de Longo Ponte ibidem habebat. Apud eamdem villam duos solidos census, quos prædicta ecclesia

(28) Insigne canonicorum regularium monasterium juxta Bellovacum, a Guidone hujus urbis episcopo anno 1067 fundatum, cujus primus abbas fuit Ivo celeberrimus postea Carnotensium episcopus.

(29) Longus Pons est insignis cella ordinis Cluniacensis in diœcesi Parisiensi, in qua cum priore erant olim viginti duo monachi. Est et alius Longus-Pons tribus a Suessione leucis distans, ubi est celebris abbatia ordinis Cisterciensis.

Digitized by Google

S. Petri ibidem habebat. Hæc omnia, sicut dictum est, ecclesia de Longo-Ponte ecclesiæ nostræ libere et quiete semper habenda donavit, et donum semper commendans sigilli sui impressione firmavit. Ut autem mutationis prædictæ ecclesiæ S. Petri et præbendæ et annualium nostra concessio rata in perpeuum habeatur, chartulam istam concessionis nostræ A tenorem continentem conscripsimus, eamque sigilli nostri impressione firmavimus, et monachis de Longo Ponte habendam et conservandam tradidimus. Nomina etiam fratrum nostrorum, ad hujus rei testimonium et ad majorem firmitatem subscripsimus. Signum G. abbatis, etc.

EPISTOLÆ ACHARDI ABBATIS

POSTMODUM

ABRINCENSIS EPISCOPI.

I.

Ad Henricum II Anglorum regem. — Ut Richardum de Ely, thesaurarium suum, ad solvendam pauperibus et ecclesiis relictam a canonico Parisiensi pecuniam compellat.

Henrico, Dei gratia gloriosissimo regi Anglorum, A. (30) cœnobii S. Victoris Parisiensis qualiscunque dictus abbas, salutem, et administratione regni temporalis æternum promereri.

Canonicus quidam Parisiensis, F. nomine, sola liberalitate ductus, nullo amplioris acquisitionis interveniente intuitu, magistro Richardo de Ely thesaurario vestro viginti libras Parisiensis monetæ usque ad diem diffinitum commisit. Contigit autem eumdem canonicum infra scriptum terminum ingredi viam universæ carnis. Cum vero ageret in C extremis, universam substantiam suam ecclesiis et pauperibus, aliis plus, aliis minus, pro consilio religiosorum virorum designavit. Unde et qui testamento ejus interfuerunt, ad prædictum Richardum nuntium in Angliam miserunt super exsolvenda prætexata pecunia submonentes. Ipse vero tanti immemor beneficii solvere contempsit. Majestati igitur vestræ pro ecclesiis et pauperibus pauper Christus supplicat, et patrocinium vestrum in hac causa sua speciali specialiter efflagitat; et ne transgressionis ejus in vos, quod absit! ex negligentia culpa redundet, potestate vobis divinitus data pecuniam Christi periculose renitentem ad reddendum compellatis, ut et zelus lætitiæ in vobis evidenter appareat, et causa ecclesiarum et pauperum adjuta apud summum judicem pro vobis intercedat. Illud autem pro certo habeatis, quod in extremo mortis articulo prædictam pecuniam se gratis absque omni augmento B antedicto Richardo coram tribus honestæ existimationis sacerdotibus confessus est ad tempus commisisse. Valete.

(30) Achardus secundus S. Victoris abbas Gilduino successit, qui obiit anno 1155, 13 Aprilis.

II.

Ad A. episcopum Lexoviensem. — Commendat ei ecclesiam suam.

Domino illustrissimo et omni dignissimo reverentia A. (31) episcopo Lexoviensi, A. S. Victoris abbas, salutem et devotæ charitatis obsequium.

Benignitati vestræ dignas referre grates non possumus, quia domum nostram et miro coluit affectu, et amplis sibi obligavit beneficiis. Illi igitur referendas committimus, cui facitis quidquid uni ex minimis suis facitis. Porro vestram flagitamus celsitudinem, et precibus obsecramus instantissimis, C ne vester ille tepescat affectus, quem, vivente piæ memoriæ patre et prædecessore meo Gilduino abbate, vestra erga nos habuit pietas, ne contrahatur aliquatenus illa pristina vestræ charitatis latitudo; sed quo magis nunc indigemus, eo magis amplietur in dies. Vobis omnino sumus obnoxii omnes nos devoti servi vestri paratissimi pro vobis, ut debemus, promptissima facere voluntate quidquid potest humilitas nostra. Vestri nobis memoriam nullo die subducit oblivio. De cætero fratrem ad vos Reynerum mittimus pro qua causa ipse insinuabit. Sciatis autem ita se habere negotium pro quo mittitur, ut idem asseret, unde serenitati vestræ multas porrigimus preces, ut pio negotio piam porrigatis manum, et ut sua pauperibus debita solvantur impe- D dendatis et consilium et opem. Beatitudinem vestram custodiat Christus Jesus, domine illustrissime et omni dignissime reverentia.

(31) Arnulfo, qui ex archidiacono Sagiensi factus est episcopus Lexoviensis.

EPISTOLÆ ERVISII ABBATIS.

I.

De Ervisio abbate S. Victoris, patrino Philippi regis.

Anno Incarnationis Dominicæ 1145, in octava Assumptionis B. Mariæ Virginis, nocte dum matutina synaxis celebraretur, nobilissima proles Ludovici, regis quondam Franciæ, processit ad ortum, videlicet Philippus filius ejus, cujus nativitatis gaudium defe-

Digitized by Google

rens nuntius ad S. Germanum de Pratis veniens, hos felices rumores narravit eadem hora qua monachi incipiebant cantare propheticum canticum, *Benedictus Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ*, etc. Quod divino oraculo contigisse manifestis indiciis conjici potest. Fama vero tam desideratæ prolis circumquaque percurrens, omnes Francigenas maximo gaudio replevit, quippe qui successorem masculini sexus de semine regis procedentem diu multumque desideraverant, qui post gloriosi patris decessum solium regiæ majestatis obtineret : quorum desiderium attulit eis Dominus, nec sunt fraudati a desiderio suo. Itaque regia prole exorta, in crastino ortus sui, hoc est die Dominica, pater ejus rex Ludovicus filium suum baptismatis sacramento confirmari fecit. Ad quod exsequendum Mauricius, Parisiensis episcopus, mandato regis sacerdotalibus vestimentis se induit, et regiam sobolem in ecclesia S. Michaelis de Platea solemniter regeneravit. Hugo enim, abbas S. Germani Parisiensis, patrinus, puerum super fontem baptismatis in ulnis suis tenuit, Ervisius quoque abbas S. Victoris, et Odo quondam abbas S. Genovefæ patrini exstiterunt. Constantia soror regis Ludovici, uxor Remundi, comitis S. Ægidii, et duæ viduæ Parisienses matrinæ fuerunt.

A

B

II.

Epistola Ludovici regis ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Petit justitiam ab hominibus de Amvonvilla.

C

Ludovicus, Dei gratia Francorum rex, amico suo Ervisio, illustri abbati Sancti Victoris, salutem.

Cognitum est nos habere jus nostrum in causa adversus homines Amponvillæ, de quorum numero quinque nobis rectum fecerunt. Unde mandamus vobis, ut fortunam, sicut inventa fuerit, nos habere faciatis, et homines vestros, quia fuerunt nobis, ad justitiam habeatis a die Mercurii ad octo dies. Quod si non feceritis, ad villam ipsam nos convertemus. Si enim aliqui effregissent domum nostram, etsi non haberent pecuniam sublatam, totam tamen reddere tenerentur, et nos volumus quod homines nostri de effossa fortuna nobis satisfaciant.

III.

Pe. S. Chrysogoni, papæ capellani, ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Ejus ob amorem se pecuniam Roberto de Bristo accommodasse.

D

Ervisio, Dei gratia venerabili abbati S. Victoris Parisiensis, Fr. Pe. S. Chrysogoni, domini papæ capellanus, salutem et intimæ devotionis affectum.

Petitiones tuas et precum oblationes quas mihi pro amicorum levamine porrigere dignaris, tanto libentius effectui mancipare studeo, quanto arctius charitatis affectu tuæ personæ adhæreo. Quod in fratris Roberti de Bristo negotio et aliorum noscere vales. Cui tum pro amore tuo, tum debito fraternitatis et avunculi sui duas marcas argenti vel circa accommodavi, quas, me teste, pro negotio suæ ecclesiæ expendit. Rogo igitur dilectionem tuam, ut tuis hoc litteris præfato abbati notifices, ut super hoc facto sic se habeat, quatenus libentius, si opportunum fuerit, alicui de ordine nostro auxilium ex corde impendam. Ex hoc testes habeo dominum Albanensem et Rogerium clericum ejus, Hugonem capellanum domini papæ, et Joannem servientem nostrum quem bene nosti.

IV.

Epistola G. Herefordiensis episcopi, ad Ervisium, Sancti Victoris abbatem. — Petit aliquem ex ejus grege, qui Ecclesiæ Wigorniensi pastore viduatæ præficiatur.

G. Dei gratia, Herefordiensis episcopus, dilectis sibi in Domino E. S, Victoris abbati curæque suæ commissis fratribus, salutem, gratiam et benedictionem.

Nos vobis ad præsens scribere vestræque benignitati preces affectuose porrigere charitas de cordibus fratrum vestrorum imperiosa compellit. Plorans enim ploravit in nocte doloris sui jamdiu Wigorniensis Ecclesia, nec poterunt hærentes maxillis ejus lacrymæ, nisi per vos reprimi leviter aut exsiccari. Optans itaque post amissi damna pastoris patrem sibi de more substitui, recurrit ad pascua unde pastorem primo suscepit, unde primo canonicæ institutionis rudimenta, Domino sic disponente, sortita est. Unde cum supplici supplicamus, preces fraternitati vestræ cum rogante porrigimus, quatenus Ecclesiæ quam plantavit dextra vestra, pastorem idoneum providentes, et quidem sibi noveritis expedire, de collegio vestro concedatis, ut ipsos jugis obedientiæ, et nos, si quid possumus, gratiæ et servitii debitores habeatis. Valere vos oportet in Domino, dilectissimi.

V.

Epistola Ervisii abbatis S. Victoris, ad O. cardinalem apostolicæ sedis legatum. — Regem ei liberam concedere facultatem ad suos fratres cardinales revertendi.

Reverendo Patri et domino O., Dei gratia, S. R. E. cardinali et apostolicæ sedis legato, frater Ea. ecclesiæ S. Victoris Dei patientia dictus abbas, cum devota salutatione debitam reverentiam et obedientiam.

Feci quod dignatio vestra mihi injunxit, regem adii, devote ex parte vestra salutavi. Secretum ac satis familiare de vobis cum ipso colloquium habui, anxius curas et afflictiones cordis vestri et diligenter intimavi, et desiderium animi vestri et voluntatem redeundi, ac mandatis domini papæ obediendi, si difficultas nimium periculosa non obstaret, exposui, ac demum de omni hoc perscrutando voluntatem ipsius consului. Ipse vero serenitatem vultus et animi exhibens, manifestavit de singulis, nec celavit a me voluntatem suam. Debeo igitur vobis domino meo responsionis meram veritatem renuntiare. Bono animo concedit, ut ad fratres vestros cardinales accedatis ubicunque fuerint, et cum eis

Digitized by Google

consilium habeatis quam citius ad dominum papam redeundi. Salvum quoque conductum personæ vestræ et rebus vestris pro vestro amore et curiæ ratione et honore dabit per omnem terram suam, et per terram baronum suorum usque ad S. Ægidium, ibique præcipiet comiti et sorori suæ, ut vos excipiant et habeant cum honore et omni securitate, donec inde transitum inveniatis. De mora autem faciendi in terra sua nullum assensum ullo modo præbere voluit; imo vero ne de hac re sibi ulterius loquerer interdixit. Nunc itaque pro conductu ad eum sicut vobis expedire cognoveritis secure mittatis. Dixit tamen mihi quosdam transitus esse, qui sunt potestatis regis Angliæ. Per hoc vobis conductum non dabit, sed tantum per transitus qui sunt baronum suorum. Vale, et mihi puero vestro quæ volueritis imperate.

VI.

Epistola Alexandri papæ III ad abbatem S. Victoris. — Commendat ei Alexium diaconum apud Sanctum Victorem commorantem.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et universo capitulo ecclesiæ S. Victoris, S. et A. B.

Cum universos, etc. *Vide in Alexandro III ad an.* 1181.

VII.

Epistola Laurentii abbatis Westinensis ad Ernestum [Ervisium] abbatem S. Victoris. — Commendat ei Joannem sui prioris cognatum qui scholas regere desiderabat.

Laurentius, abbas Westinensis, dilecto cognato suo E. abbati S. Victoris, salutem.

Innotescat vestræ dilectioni hunc præsentium latorem Joannem nostri prioris esse cognatum et nobis familiarem. Unde vestræ supplicamus charitati, quatenus illum in partibus vestris pro amore Dei et nostro consilii vestri et consolationis sustentetis adminiculo; et quia, Deo volente, scholas regere desiderat, quod ad perficiendum congruat propositum prece nostra castrum aliquod ei provideatis. Quidquid autem liberalitatis et beneficii conferet illi vestra benignitas, nobis procul dubio arbitrabimur impensum. Valeat sanctitas vestra.

VIII.

Epistola E. ad Ervisium S. Victoris abbatem. — Significat mala quæ sibi ab Ursino milite inferuntur.

Patri suo venerabili E. S. Victoris abbati, E. filius ejus utriusque vitæ beatitudinem.

Dicere, mi dilectissime, necessarium duxi mala quæ nobis ab Ursino milite inferuntur, et quantocius mandare. Exspoliavit enim terram vestram omni supellectili sua, et terram vestram hominibus vestris colere interdixit, et insuper servientes quosdam conduxit, qui prædæ nostræ nocte dieque insidiantur. Quapropter a nobis in præsentia vestra tertia feria octavæ Pentecostes submonitus vix suscepit diem. Rogo igitur ut certum terminum adventus vestri ad nos per præsentium latorem significetis. Valete.

IX.

Epistola R. abbatis S. Evurtii ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Excusat se quod non venerit ad eum, commendatque illi sui monasterii negotia.

Venerabili Patri et amico præcordiali E. Dei gratia S. Victoris abbati, frater R. (32) pauperum S. Evurtii Aurelianensis minister humilis, se totum, et si quid præter id potest.

Ne vobis sit admirationi, dilecte Pater, quod ad vos venire moram fecerimus, si enim optatum accepissemus nuntium super negotio nostro de quo vestræ dilectioni scripsimus, unde adhuc non minima premimur angustia, alacres et festinantes occurreremus. Sed et absque ulla spe illius negotii, si nostra parvitate in aliquo egeris, non minus libenter et devote vestræ obsequimur paternitati. Sicut vobis scripsimus, etiam nunc imminente necessitatis articulo scribimus et obnoxius rogamus, quatenus totis pietatis visceribus huic nostræ necessitati compatiamini, et rem sicut vobis mandavimus effectui modis omnibus emancipare studeatis, quia debiti obligatione, quod auget quotidie usura, domus nostra gravata est. Per fratrem nostrum Bituricensem quod vobis super hoc placuerit remandate. De invaletudine vestra graviter contristamur : unde, sicut diximus, si in aliquo vobis necessarii sumus, festini occurremus. De præbenda decani S. Marcelli, quam habet Aurel., de qua vobis alias mentionem fecimus, rogamus ut, cum opportunitas occurrerit, pro nobis loquamini. Minimum enim ex ea ipse consequetur commodum. Vos autem Dei gratia magnum obtinetis gratiæ locum et apud ipsum decanum. Valete.

X.

Epistola Ricardi abbatis Bristoliensis ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Laudat monasterii S. Victoris sanctitatem, agitque gratias de impensis Rob. gratiis.

Venerabili domino et Patri charissimo E., Dei gratia, abbati S. Victoris, frater Ricardus, cœnobii S. Augustini Bristoliensis sacerdos indignus, salutem et dilectionis integritatem.

Exsultat spiritus meus in Domino pro his quæ gratanter cognoscimus, et frequenter audimus de sancta religione et sapientia vestra in domo Domini, ubi sic exterioris geritur cura sollicitudinis, ut virtus intus floreat religionis. Super hæc autem vobis regratiari tenemur quantum possumus et quantum scimus, imo omnimode plusquam valemus, de his quæ parvitati nostræ scribere dignata est excellentia vestra super statu præsenti et valetudine sanctæ domus vestræ; nihilominus quoque et pro his quæ erogastis beneficia fratri nostro Rob , verbo, opere

(32) Rogerius sive Robertus, qui tempore Ervisii abbatis, monasterium S. Evurtii rexere.

Digitized by Google

atque consilio in omni officio et humanitate, quæ et A alia vobis reddere non possumus, vobis retribuat retributor omnium bonorum Deus. Nos autem et fratres nostri vestræ paternitatis servi devoti in tranquillitate et bono pacis sumus, proficere studentes in domo Domini juxta modicum virium nostrarum. Valete.

XI.

Epistola G. ad Ervisium abbatem fratrem suum. — Ejus se commendat precibus, mittitque ei munuscula.

Reverenti domino suo et fratri amantissimo Ervisio ecclesiæ S. Victoris abbati, G. ejus soror, ibi esse ubi ad ipsum est.

Multum valet deprecatio justi assidua, quanto magis igitur illius præcellit oratio, qui peculiari sanctitatis prærogativa mundum cum suo flore sub pedibus conculcans, mente et operatione divinæ voluntati assistit. Nos ergo, frater mi dilecte, quamvis non parva chaos disjungat intercapedo, tamen non solum carnis affinitate, verum etiam orationum in Christo devotione exopto convinculari. Hinc ergo sanctitati vestræ prosperitatis meæ statum denuntians, me virumque meum sanos et hilares esse propalo. Munusculum quoque tam grate quam jucunde suscipiatis non minori exiguum; quam magnum amplectentes diligentia, per Petrum namque bajulum vobis transmitto albam pellem ursinam, dentemque rotallinum, et duos cultellos argento C deauratos. De cætero deinde est quod multi ex nostratibus se ex viri mei parte dicentes, ad pietatis vestræ portum confugient. Cui autem tales magis similes dixerim, quam cani famelico, qui ubicunque prævalet cibum acquirit. Ergo itaque in veritate dico, quod nullum ad vos præter Salomonem et Joannem transmiserim. Ut autem ambages eorum qui ad vos quasi ex mea parte transmissi veniunt detegantur, rogo quod aliquod a vobis mihi transdestinetur, quod hujus rei inter nos intersignum esse prævaleat. Item istud oro quod a vobis mihi gariophylum et canelus mittatur. Salutat vos Salomon pro universitate beneficii ex pietate vestra ei collati, debitor gratiarum devotus vobis existens. Vestræ quoque voluntati obnoxius pro magno quidem habiturus, si quid ei mandare velletis. D

XII.

Epistola Odonis cardinalis ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Commendat ei famulum et negotia ei commissa.

Odo, Dei gratia, S. R. E. dictus cardinalis et apostolicæ sedis legatus, dilecto fratri E. abbati S. Victoris, salutem.

Latorem præsentium famulum nostrum, quem pro quibusdam negotiis nostris ad vos transmisimus, dilectioni vestræ commendamus, ut in his quærendis quæ sibi injunximus diligentiam adhibeatis. Volumus enim ut duo bacillia, calicem, thuribulum et reliqua ad capellam, si opportunum invenerit, acquirat et cambium faciat, et rogamus ut eum adjuvetis.

XIII.

Epistola Jonæ canonici ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Missus Cæsaris Burgum rogat revocari ad S. Victorem.

Ervisio Patri suo spiritali, Dei gratia B. Victoris Parisiensis abbati, F. Jonas suus qualiscunque canonicus, miser exsul ac peregrinus, quam non habet ipse, salutem.

Inveni, charissime Pater, verissime dici:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit, et immemores non sinit esse sui.
Sic fera, sic volucris, sic piscis nota requirit
In quibus ante locis pascua parvus habet.

Nam locum ego illum cunctis jure præfero locis in quo me mater gratia cum multis fratribus sponso suo genuit Christo, ubi ego esse vellem, ut apud Cæsaris Burgum non essem. Nec mirum:

Perfidus hic populus, et regis amor metuendus.
Hic terræ steriles, et vinea nulla superstes,
Silva caret foliis, desunt sua pascua pratis,
Est mare confine, sed mortis mille ruinæ.
Dulcius hic nihil est quam mala posse pati.

sunt præterea quæ intrinsecus latent,

Anxia cura domus, rerum possessio parca,
Quam quærunt multi, non dare crimen erit.

ut ego hæc patiar, quod crimen admisi? Si nullum, mitius exsilium et vestra potuit præcepisse obedientia, et mea invenisse ignorantia. Ne pigeat itaque tam pium pastorem ovem reducere centesimam, et benignum patrem filium e regione dissimilitudinis redeuntem suscipere perditum. Non rogo stolam primam, non vitulum saginatum; sed fiat mihi sicut uni ex mercenariis vestris. Vale.

EPISTOLÆ GUARINI ABBATIS.

I.

Alexandri et Theoderici cardinalium ad Guarinum abbatem. — Gratulantur ei de sua promotione, hortantur ut construendis magnis ædificiis non insistat.

Alexander, dignatione divina, tituli Sancti Laurentii in Lucina, et Theodericus tituli S. Vitalis presbyteri cardinales apostolicæ sedis legati, dilecto in Christo fratri Guarino, abbati S. Victoris, exerceri semper in justificationibus Dei.

Scribimus fratribus nostris Senonensi et Bituricensi archiepiscopis, sicut vobis et Ecclesiæ vestræ

Digitized by Google

credimus expedire. Sane in honore vobis imposito, et gaudemus super eo quod factum est, quoniam ad salutem multum, auxiliante Domino, provenire speramus, et lætamur quod difficultatem provisionis vobis impositæ attenditis et timetis. Utinam hoc religio vestra semper attendat, et cum timore et tremore consideret, cui et unde in die judicii oporteat rationem reddere! Credimus enim quia non facile locus dabitur negligentiæ, si hoc sedulo fuerit in animo vestro versatum. Antecessor vester sicut et alii multi de magnarum domorum constructione solliciti fuere : vos qui electi estis a Domino, et veniendo ad religionem talia dimisistis (33) in sæculo, sedete ad pedes Jesu cum Maria, et audite verbum ex ore ipsius, quod commissis vobis ovibus et aliis qui ad vos venerint proponere debeatis, ne, si forte terrenis ædificiis construendis decreveritis insistendum, evangelicum illud valeatis audire : *Omnes ædificationes istæ destruentur, et nec lapis super lapidem relinquetur.* Porro et nos bona spe quam de vestra religione concepimus, et testimonio piæ vestræ conversationis imbuti, et personam vestram in visceribus charitatis habere proponimus, et negotia commissæ vobis Ecclesiæ in timore Dei libenter vo-lumus promovere.

II.

Alexandri papæ III ad canonicos S. Victoris. — Cessionem Ervisii et Guarini promotionem confirmat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Ecclesiæ S. Victoris Parisiensis S. et A. B.

Quanto ecclesia vestra, etc. *Vide in Alexandro III papa.*

III.

Alexandri papæ III ad Guarinum, abbatem S. Victoris. — Gratulatur ei de sua electione, hortaturque ut pastoris vices diligenter obeat.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio GUARINO, abbati Sancti Victoris Parisiensis, S. et A. B.

Intellecto et cognito, etc. *Vide in Alexandro III papa.*

IV.

Guarini, abbatis S. Victoris, ad Joannem cardinalem Neapolitanum. — Se non posse ei quos petierat fratres mittere, uno jam defuncto, altero graviter ægrotante; sed et ægre alios mitti posse.

Reverendo domino et Patri in Christo charissimo J., Dei gratia, S. R. E. cardinali, GUARINUS, ecclesiæ B. Victoris Parisiensis minister humilis, salutem in Domino, et promptum cum devotione servitium.

Prædecessori meo de duobus fratribus, ac denuo cerata epistola, idem parvitati meæ vestra mandavit sublimitas, ipsos quos volebatis, utrisque in litteris etiam subjunctis nominibus, Petrum videlicet Petragoricum et Hugonem de S. Germano specialiter designastis, quorum alter, Deo vocante, transiit; reliquus vero sine spe evadendi morbo incurabili infirmatur. Cum autem morte et languoris præpediente molestia, eorum posset neuter destinari, quid agere nesciens, dominos Senonensem ac Bituricensem aliosque prudentes ac religiosos viros conveni, quid super hoc mihi faciendum consulerent : laudaveruntque ex quo in vestra epistola eligendi pro voluntate alterius nihil reliqueratis arbitrio, alios non esse tutum dirigere, ne forte onerosi magis quam grati, si non eos quos volebatis misissem, sed alios. Ob hoc etenim differendum consuluerunt, ut comperta vobis multiplici Ecclesiæ necessitate, compassionis visceribus, parcendo ei, vestra pietas condescendat. Viri quippe religiosi, quorum quondam religione et providentia regebatur Ecclesia, maxima jam obierunt ex parte, paucique surrexerunt post eos. Domus perturbationibus fatigata, oppressa debitis, bonis temporalibus nuda. Et, si inter tot curarum angustias, eos paucos, qui mihi remanserunt, qui me adjuvando supportare debent, cogor dimittere; et, si oculos qui mihi religionis et disciplinæ debent viam monstrare, perdidero, de facili profecto errare continget, nec solus potero onus et providentiam domus portare. Tandem, humanum dico, secreta infirmitate operiens mortem, valde et propter terræ insuetam asperitatem et aeris qualitatem corruptam fratres pavescunt : quoniam si nostrates laici cum illuc vadunt, quive spatiandi, eundi et redeundi habent libertatem omnimodam, vix vel modicum vivere possunt; isti claustro clausi, quomodo vivere in longinquis possent? Has causas et occasiones fratres prætendunt, unde et gravissimum duco eis injungere quod si fit, contra voluntatem suscipitur; si non fit, periculose valde negatur. Parcat igitur nunc, domine, infirmitatibus nostris vestræ clementiæ magnitudo, et ecclesiæ instantes attendite necessitates. Ego enim, in quibuscunque potero, vestris sum paratus obedire mandatis.

V.

Guarini, abbatis S. Victoris, ad Alexandrum papam III. — Ejusdem argumenti.

Sanctissimo Patri et domino ALEXANDRO, D i gratia, universalis Ecclesiæ summo pontifici, GUARINUS, Ecclesiæ S. Victoris Parisiensis minister humilis, salutem in Domino, et subjectionis omnimodæ devotissimum famulatum.

Exiguitati meæ, etc. *Vide in Alexandro III papa.*

VI.

Gilduini, abbatis Fontis Joannis, ad Guarinum, abbatem S. Victoris. — De annona quam ab eo mutuo petebat.

Venerabili et dilecto Patri GUARINO, abbati cœnobii S. Victoris, frater GILDUINUS Fontis Joannis (34) abbas cum obsequio, salutem.

(33) Hinc colliger licet Guarinum illustri fuisse genere ortum.

(34) Fons Joannis monasterium est ordinis Cisterciensis in diœcesi Senonensi, a dynastis de Curtenato anno 1124 fundatum, in quo monasticam olim professionem emisit S. Guillelmus postea archiepiscopus Bituricensis.

Digitized by Google

Dilectioni vestræ et fratrum vestrorum possibilitatem nostram obsequi voluntatii sumus. Annona vero quam vobis exposcitis commodari magna ex parte jam præparata est, scilicet a paleis excussa. Proinde provideat charitas vestra, ut apud grangiam nostram, quæ apud Moretum est, feria v post festum S. Jacobi, nuntium vestrum præsentem inveniamus. Non autem mittatur navis donec pervenerit nuntius vester, qui nobiscum annonam videat, et quantum sine gravamine domus nostræ poterimus, libentissime commodabimus. Vale.

VII.

Joannis, comitis Augi, ad Guarinum, abbatem S. Victoris. — Ut canonici quos Augum direxit, consuetudines Aroasiæ observent, alioquin recedant.

Guarino, Dei gratia, abbati S. Victoris Parisiensis, Joannes comes Augensis, salutem et dilectionem.

His litteris discretioni paternitatis vestræ insinuare curavi, quam graviter et quam aspere et quasi infestanter barones mei in me insurgentes totusque clerus meus, multæ quoque religiosissimæ personæ me affligentes incessanter vituperant, pro eo quod de Ecclesia Augi sic contra rationem inconsulte disponere decreverim, et quod vestros canonicas contra institutum patris et meum in ea receperim. Objiciunt enim mihi id quod verum est, scilicet, quia pater meus ex quo canonicos regulares apud Augum zelo Dei instituit, statim assensu Galfridi, archidiaconi Rothomagensis, et postea rogatu et admonitu atque exhortatione Hugonis (35) archiepiscopi Rothomagensis, donavit et ego concessi ecclesiam prædictam in manu abbatis Arwasiæ (36) ad tenendum et conservandum ordinem in perpetuum secundum regulam beati Augustini, et ita quod abbas Augi semel in anno revisitaret capitulum ecclesiæ S. Nicolai de Arowasia, ut si quod minus esset reintegraretur. Quapropter mando, mandans quoque vestræ diligentissimæ paternitati supplico, eamque super omnia rogo et obsecro ut pax in Ecclesia Augi habeatur. Rogero abbati et sociis ejus quos ad nos transmisisti per obedientiam præcipiatis, et præcipiendo injungatis, ut secundum morem et consuetudinem Arowasiæ ordinem religionis in Ecclesia Augi teneatis, aut omnino recedant. Nolo enim amplius ferre sententiam excommunicationis quæ proinde super me Dominicis diebus singulis datur. Grave etenim mihi videtur quod tandiu eam sustinui. Quod si hæc non feceritis, veraciter dico, quia nunquam amplius eos dilexero; sed destruam in quibuscunque potero. Vale.

VIII.

P. cardinalis ad Guarinum, abbatem S. Victoris. — Quid egerit pro negotio S. Victoris, et quid faciendum consulat.

G., Dei gratia, S. Victoris abbati, totique conventui, eadem gratia tituli S. Chrysogoni presbyter cardinalis, salutem et sinceram amoris perseverantiam.

Accepimus nuper litteras devotionis vestræ et doluimus non solum Ecclesiæ gravamen, verum etiam prudentiam vestram nescio quorum consilio seu calliditate adeo declinasse, quod ad pedes archiepiscopi humiliati, quæ alius rapuit vos sponderetis soluturos. Cum enim nos pro liberatione Ecclesiæ vestræ totis nisibus totaque sollicitudine nos opponeremus parti adversæ, duplex nobis incumbebat labor. Primo probare quidem rem tali personæ et taliter commissam a vobis minime deberi. Deinde quia cecideratis in causa, innocentiam et paupertatem vestram commemorando, vos a tam gravi casu relevare, requirebamus humiliter et devote a domino papa ut vos a petitione domini archiepiscopi faceret penitus absolvi. Sed quia tanta difficultas negotii, archiepiscopo omnia imperanter et præcise quasi de jure requirente, inaudita est nostra petitio. Impetravimus tandem litteras quam meliores potuimus et judices, quibus per litteras nostras preces porrigimus affectuosas, ut justitiam vestram illæsam modis omnibus conservare studeant. Nunc igitur oculos vos oportet habere apertos et circumspectos. Si enim inter vos et archiepiscopum amicabilis non poterit compositio pervenire, cum dominus papa, cognitis utriusque partis rationibus, ad solvendum, nisi quæ in usus Ecclesiæ versa fuisse constiterit, vos minime cogat, nec istud judicibus, sed tantum causam fine debito terminandam præcipiat, et in aliquibus vos præjudicio gravari censeatis, respondendum erit vobis constanter. Nos si incaute quidquam promisimus indebitum, reddere nec possumus nec debemus. Sed ad instar pupilli, si lapsus fuerit vel lubrico consilio vel adversariorum dolo, restituendi sumus, alioquin in voce appellationis libere procedere; quoniam et litteræ domini papæ taliter dictatæ sunt, ut vobis appellationem minime prohibeat. Nec oportebit tunc aliquem de fratribus ad nos usque propter hæc defatigari, sed unus de pueris vestris rem gestam referat nobis, et nostram circa vos sollicitudinem experiri poteritis.

IX.

Hugonis Petri Leonis cardinalis ad Guarinum et capitulum S. Victoris. — Dolet de facto Ervisii quondam abbatis, suaque illis offert obsequia.

Dilectis in Christo fratribus Guarino abbati, priori et universo capitulo S. Victoris Hugo Petri Leo-

(35) Hic est celeberrimus ille Hugo, ex abbate Radingensi creatus archiepiscopus Rothomagensis, cujus libros VII Dialogorum edidimus tom. V Anecdotorum.

(36) Aroasia, dicta etiam Aridagamantia, insignis est abbatia in diœcesi Atrebatensi, caput ordinis seu congregationis Aroasiensis, cujus elogium habes apud Jacobum de Vitriaco in Hist. Occid.

Digitized by Google

nis (37), Dei gratia. S. Angeli diaconus cardinalis salutem et dilectionis affectum.

Quanto dilectionem vestram sincerioris brachiis charitatis amplectimur, tanto dolemus amplius et turbamur, cum vos vel monasterium vestrum adversitati cuilibet subjacere audimus, quod in prosperitate gaudere et præ cæteris Gallicanæ provinciæ monasteriis præ sui honestate ac religione fovemus, et nomen celebrius cognovimus extulisse. Visis siquidem litteris vestris, quibus nobis factum Ervisii quondam abbatis vestri significastis, turbati fuimus, et vehementi amaritudine cordis percussi, utpote qui dolorem vestrum nostrum penitus reputamus, et in lætitia vestra plurimum gratulamur. Ad medelam igitur tanti doloris et gravaminis, petitionem vestram quanta potuimus instantia et sollicitudine promovere curavimus, et quod non est in omnibus sicut voluimus effectui mancipatum, nobis tantum displicuit quantum vestram timemus deficere voluntatem. Inde est quod universitatem vestram rogamus et exoramus attentius, quatenus de nobis tanquam de speciali vestro plenius confidentes, et posse nostrum vestrum omnimode reputantes, pro vestris et Ecclesiæ vestræ negotiis ad nos cum omni fiducia recurratis, ut operis exhibitione vobis luce clarius enitescat, quanto circa vos dilectionis fervore ducamur, et ad impendenda grata vobis obsequia prompti simus omnimodis et parati. Propositum etenim et immobilem gerimus voluntatem ea efficere quæ vobis noverimus complacere, et ad decorem et augmentum domus et religionis vestræ debeant pertinere.

X.

Bernardi cardinalis ad Guarinum abbatem et capitulum S. Victoris. — Condolet gravamini monasterii Sancti Victoris, commendatque illis Bernardum nepotem suum.

Bernardus (38) Dei gratia Portuensis et S. Rufinæ episcopus, venerabili fratri Guarino ecclesiæ B. Victoris abbati et capitulo, salutem et Deum deorum in Sion videre.

Vestræ religionis gratanter susceptis litteris, ipsarum tenorem diligenti meditatione considerare non omisimus, vestræ domus ruinam et gravamen non modicum attendentes. Verum quia nostrum est a crebris concussionibus tueri Ecclesias, et vestram præcipue, quam quasi propriam reputamus, et cujus assidua, ut credimus, oratione protegimur, interposuimus partem, domino papæ instanter suadentes ut vestram in tanto casu Ecclesiam pontificali gratia protegeret et studiosius defensaret. Quod taliter demum factum esse credimus, ut si vestra propensior cura sollicite studuerit, parva vel nulla restitutione pecuniæ prædictam vestram gravabit Ecclesiam. Petimus igitur et propensius suademus, quatenus vestræ nobis orationis non subtrahentes munus, Deum incessabiliter pro nobis exorare dignemini, quia nostra, in quantum poterimus, nullatenus vobis decrit protectio: rogantes quatenus Bernardum nepotem nostrum more solito diligatis, honeste illud quod cum Nicolao clerico nostro ei promisistis pro hospitio largientes. Hoc enim charius habebimus, quam si in propria deponeretur camera. Præterea rogamus, quatenus latori præsentium misericorditer vestra provideat discretio, pro impenso servitio ei congruum exsolventes beneficium, quo suam inopem possit defendere vitam. Scitis enim hunc multoties se morti et periculis pro vestra Ecclesia fideliter opposuisse.

XI.

Joannis Neapolitani cardinalis ad Guarinum abbatem et fratres S. Victoris. — Gratias ei refert de concessione Petri canonici quem ei miserat, omnemque ei curam et sollicitudinem pro suis negotiis promittit.

Joannes Neapolitanus (39) indignus presbyter cardinalis dilectis in Domino fratribus et amicis charissimis G. abbati et conventui S. Victoris Parisiensis salutem et sincerum amorem.

Multimodas gratiarum actiones vobis referimus, quia juxta tenorem præcepti domini papæ et nostræ postulationis destinastis nobis fratrem Petrum, virum utique morum honestate et scientia laudabilem, quem cum honore recepimus, et cum multo honore circa nos tenemus. Et postquam receperimus alios canonicos de ecclesiis ordinis vestri, quibus dominus papa eodem modo scripsit sicut et vobis, cum multa et solemni honorificentia instituemus in ecclesia, quam per gratiam Dei magnifice construximus, et amplissimis possessionibus dotavimus. Amodo igitur quasi ex debito tenebimur omni vitæ nostræ tempore propensius diligere et juvare Ecclesiam vestram in omni possibilitate nostra juxta voluntatem vestram. Et nunc quoque super quæstione illa quam archiepiscopus Lundensis indebite contra vos movere dignoscitur, sic efficaciter juvimus sicut oportuit et necessarium fuit. Quod itaque plenius cognoscetis, postquam rescriptum litterarum domini papæ, quas Lundensi archiepiscopo pro vobis mittit, legeritis, ut ante judices quos dominus papa delegavit ad cognitionem et decisionem querimoniæ, quam jam dictus archiepiscopus contra vos facit, propitii vobis sint. Sic ut et partem vestram attentius manu tenere studeant, nostras eis litteras mittimus, et preces illis pro vobis porrigimus, et qualiter in judicio ipsius causæ procedere debeant apertissima ratione monstramus. Multi etiam fratrum nostrorum cardinalium, intuitu

(37) Is anno 1173 ab Alexandro III creatus diaconus cardinalis, apostolicæ sedis in Gallia, Anglia et Scotia legatus fuit.

(38) Is fuerat canonicus Lateranensis, creatus ab Eugenio III cardinalis titulo S. Clementis, translatus ab Adriano IV ad Portuensem et S. Rufinæ episcopatum.

(39) Is fuerat canonicus regularis S. Victoris Parisiensis, ut scribit Ciaconius, creatus cardinalis ab Adriano IV, qui et ipse fuerat S. Rufi canonicus regularis.

Digitized by Google

dilectionis nostræ, litteras suas juxta formam litterarum nostrarum judicibus illis transmittunt. Et hæc quidem omnia ex apertione rescriptorum apertius vobis clarescent.

XII.

Petri, papæ camerarii, ad Guarinum, abbatem S. Victoris. — Condolet domus ejus gravaminibus.

Venerabili et digne reverendo Patri G., Dei gratia abbati S. Victoris Parisiensis, frater PETRUS, domini papæ camerarius, salutem et devotam reverentiam.

Litteras vestras sicut charissimi Patris benigne recepimus, utpote qui honori et obsequio vestro intendere dispositi sumus et parati. Audito autem scandalo vestræ domus condoluimus, et qualiter exinde solliciti fuerimus Deus scit, et opere, quantum rationabiliter potuimus, studuimus demonstrare. Rogamus autem bonitatem vestram quatenus nos capitulo vestro et eorum orationibus commendetis.

XIII.

Alexandri et Th. cardinalium priori et fratribus S. Victoris. — Hortantur eos ad regulæ observantiam.

ALEXANDER, dignatione divina, tituli Sancti Laurentii in Lucina, et TH. (40) tituli S. Vitalis presbyteri cardinales apostolicæ sedis legati, dilectis et diligendis semper in Christo fratribus priori et capitulo Sancti Victoris, non respicere in vanitates et insanias falsas.

Quod scribimus vobis et universitatem vestram visitamus salutationis alloquio, de cordis affectu, ac bona quam erga vos habemus voluntate procedit. Attendentes enim quantum olim Ecclesia vestra in religione claruerit, et quomodo luce sua in multis locis noctem illustravit alienam, optamus admodum, et si facultas detur, libenter volumus existere adjutores. Et quia minus fecundus ab aliquantis diebus ex neglectu forte cultoris ager vester apparuit, fecunditatem pristinam, Deo irrogante, recipiat et in observantia sacræ religionis et fructu vitæ ita refloreat, ut ordo canonicus, qui aliquantulum videtur in locis plurimis infirmatus, per exemplum vestrum atque doctrinam amissum recipiat, Deo adjuvante, vigorem. A plurimis retro annis multum scimus impensum, ut Ecclesiæ vestræ status mutaretur in melius, et tolleretur e medio quod fecunditatem dicebatur divini germinis impedire, et videtis id dilatum hactenus, et eo tempore reservatum, quo facilius et cum minori onere vestro effectum posset habere. Non credatis hoc opus hominis exstitisse, sed illius potius, qui posuit arenam terminum maris, et dixit ei : *Huc usque venies, et hic infringes tumentes fluctus tuos* (*Job* XXXVIII, 11). Eapropter universitatem vestram monemus et exhortamur in Domino, quatenus grati ei de tantæ super vos benignitatis indicio existentes, levetis corda vestra cum manibus ad eum in cœlum, et ita in observantia sacræ religionis immensa studia vestra dirigatis, ut quia Deo fuit cura de vobis, qui nisi adjuvisset vos, paulo minus habitasset in inferno anima vestra, non interveniamini vos de salute vestra existere negligentes, et pro minimo ducere quod tam misericorditer et tam suaviter Deus voluit vobis providere. Obedite abbati quem divina vobis videtis miseratione concessum, habete ipsum sicut patrem animarum vestrarum in omni reverentia et honore, et simultatibus omnibus scandalisque sedatis, communibus votis et tota virtute contendite, ut bonus religionis odor, qui olim de loco vestro usquequaque flagrabat, per Ecclesiam Dei magis ac magis debeat redolere. Profecto nos qui eum pro sua religione sinceræ charitatis ulnis amplectimur, et profectum ejus nostrum proprium in Domino reputamus tanto vos in visceribus Christi chariores habebimus, tantoque libentius negotia vestra per nos et per eos qui nobis crediderunt promovere curabimus, quanto amplius ei obedientes noverimus ac devotos, et majori sinceritate dilectionis cum eo audierimus ambulare.

XIV.

Alexandri papæ III ad Robertum priorem et capitulum S. Victoris. — Ejusdem argumenti.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ROBERTO priori et capitulo S. Victoris Parisiensis S. et A. B.

Sæpius dilectum filium nostrum Ervisium abbatem vestrum, et nunc etiam per scripta nostra monuimus atque mandamus ut negotia (41) Ecclesiæ vestræ, etc. *Vide in Alexandro III.*

XV.

Guarini, abbatis S. Victoris, ad Cœlestinum papam III. — Gratulatur ei de ejus promotione, commendatque illi S. Victoris ecclesiam.

Sanctissimo domino et Patri CŒLESTINO (42) Dei gratia summo pontifici, frater GUARINUS pauperum Ecclesiæ S. Victoris Parisiensis minister humilis, cum cæteris ejusdem loci fratribus, debitum tanto Patri obedientiæ obsequium et reverentiæ plenitudinem.

Omnipotenti Deo, Pater sancte, etc : *Vide in Cœlestino III, inter epistolas diversorum ad ipsum.*

XVI.

Guarini abbatis S. Victoris ad Philippum regem Francorum. — Ut finem imponat dissidio Grandimontensium.

Illustrissimo, Dei gratia, Francorum regi PHILIPPO GUARINUS, divina dignatione, pauperum ecclesiæ S. Victoris minister humilis, sic divina misericordia regnum terrenum regere, ut in cœlo possit regnare.

(40) Hunc Theodinum vocat Ciaconius, superius Theodericus dicitur.

(41) Hinc apparet Ervisium dignitati abbatiali cedentem, non omni fuisse regimine exutum, sed aliqua ei administranda reservata.

(42) Creatus est summus pontifex 12 Aprilis 1191.

Digitized by Google

Cum de personæ vestræ celsitudine fideli narratione cognoscimus ea quæ ad animæ vestræ profectum coram Deo, et ad honorem coram hominibus pertinere noscuntur, gratum nobis plurimum esse noveritis et acceptum. Inde est quod non mediocriter gratulamur in Domino, quia super pauperibus clericis Grandimontensibus virtus Spiritus sancti vestrum cor tetigit, et ad compassionem inclinavit affectum, qui ad confusionem sanctæ matris Ecclesiæ et totius religionis opprobrium, miserabile omnibus Deum timentibus coacti sunt exsilium sustinere. Excellentiæ vestræ nobilitas cæterorumque principum servientium Deo, cœlestium sacramentorum ministros, quibus traditæ sunt regni cœlorum claves a Domino, reverenter honorat. Sed eos Grandimontenses conversi qui in religione fratres esse debuerant, inhoneste (43) tractando, turpiter inhonorant! qui tamen a vobis cæterisque magnis personis tanto studio desiderant honorari. Obedientiam et humilitatem ministris Ecclesiæ prædicant, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei; sed ut eis ab Ecclesiæ ministris obediatur, non ut ipsi ministris obediant, qui magis inobedientes et rebelles existunt; A ipsi etiam Deo, quod gravius, quia vicariis Dei. Mirantur viri virtutum, qui absque omni hæsitatione Dei spiritum habent: sapientum quoque et religiosorum multitudo tam maxima, quæ dinumerari vix possit, quomodo ministri Dei tam diuturno tempore, tam intolerabilia potuerunt sustinere, nisi quia eorum statu sepulto, lux necdum lucebat in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderant. Ordinante vero, ut credimus, Dei clementia, vestris temporibus est reservata correctio, ut tantum tamque excellens Dei opus vos Regis æterni ministrum in bono et cooperatorem fidenter habeat. Celsitudini igitur vestræ supplicamus attentius, ut illam recti consilii, quam a principio divina vobis ut prædiximus, pietas inspiravit, felici exitu consummare velitis (44), B malignantium linguas magnæ cautela sollicitudinis declinando, quæ sub boni specie, diabolicæ nequitiæ venena proponunt, et fructuosam sanctæ religionis correctionem, quam vestris diebus Spiritus sanctus reservare disposuit, maligni hostis arte nituntur destruere. Conservet vos Deus ad honorem sanctæ Ecclesiæ per tempora longa incolumem.

ANNO DOMINI MCLXVI.

ODO PRIOR S. VICTORIS

POSTMODUM

ABBAS S. GENOVEFÆ PARISIENSIS

NOTITIA

(Oudin, *Comment. de Script. eccles.*, II, 1255.)

Odo, sanctæ Genovefæ Parisiensis abbas, canonicus primum Regularis, ordinis divi Augustini, in abbatia Sancti Victoris ad muros Parisienses, vir eximiæ pietatis et doctrinæ, post mortem clarissimi et doctissimi viri Hugonis Victorini, quæ anno 1140 contigit, ejusdem Ecclesiæ prior sub abbate Gildnino factus est. Tunc ex priore assumptus ad regimen abbatiæ novæ Sanctæ Genovefæ Parisiensis, primus illius abbas institutus est, anno 1147, a Sugerio, supremo regni sub Ludovico Crasso ministro. Is ad preces sancti Bernardi, qui Parisios veniens, apud Sanctum Victorem excipi et commorari solebat, suorumque Sancti Victoris fratrum, ob commodum cœnobii sui antiqui, aquam fluvioli sui de Beveris, vulgo *de Bièvre*, a consueto canali per hortos Sancti Victoris deflecti permisit, ut hodie adhuc illuc fluit. Vir autem doctus Odo ac dictione eloquens, scripsit *nonnullas ad diversos epistolas*, quas habes ms. codice 656 bibliothecæ Sancti Germani Parisiensis, illiusque erutas, edidit dominus Lucas Dacherius tomo II. *Spicilegii* sui. Has epistolas perperam Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum ecclesiasticorum*, pag. 677, ad annum 1160, attribuit Odoni, patria Cantiano, monacho Benedictino, cœnobii Cantuariensis priori, quas vel si levi rotatu oculi respicere dignatus fuisset, haudquaquam ad hunc Odonem monachum spectare animadvertisset, maxime cum illas Odoni, Sanctæ Genovefæ abbati et canonico Regulari, Lucas Dacherius ascribat, quem nec Cavus quidem vel leviter aspexit aut volvere voluit. In hoc autem ms. codice de quo locuti sumus, qui 500 annorum est, sequentes adhuc sermones habentur, quos scripsit, dum esset prior abbatiæ Sancti Victoris.

1. De verbo Domini, qui incipit: *Qui ex Deo est, verba Dei audit. Magnum est bonum et necessarium, fratres charissimi, ex Deo esse*, etc.

(43) Quousque progressa fuerit conversorum illorum insolentia videsis in epistola Grandimontensium quam tom. I Anecdotorum edidimus pag. 846.

(44) Anno 1177 Philippus Augustus de baronum suorum consilio, quosdam edidit articulos a nobis editos tom. I Anecdot., pag. 847, ad conciliandam pacem inter clericos et conversos Grandimontenses, quibus non videntur acquievisse conversi, ut colligitur ex egregia epistola Innocentii papæ III scripta anno 1215 ad Robertum *de Corchon* legatum suum, qui plus æquo favebat conversis.

Digitized by Google

2. Ejusdem in die Ascensionis. *Hodierna die, elevatis sursum cordibus, immensas gratiarum actiones tibi Jesu bone referimus*, etc.

3. Sermo ad populum. *Quem vultis vobis dimittam, Barrabam, an Jesum qui dicitur Christus? Verba ista, fratres charissimi, frequenter audistis*, etc.

4. In Ascensione Domini. *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Magno et inestimabili gaudio mens tua homo quicunque*, etc.

5. In Rogationibus, *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomini meo, dabit vobis*, etc.

6. In Ascensione Domini. *Humiliate vos ad benedictionem. Obsecro vos, fratres charissimi, obsecro vos, filii Dei*, etc.

7. Sermo in hebdomada pœnosa. *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Septimana præsens, fratres charissimi, ex re nomen habens, vocatur laboriosa : vel ut vulgo loquar, a pœna verbo rustico nominatur pœnosa*, etc.

8. De Epiphania. *Domino et fratri 6 frater Odo. Sermonem quem Dominus abbas in die sancto Epiphaniæ in nostro capitulo fecit*, etc. Idem sermo de Epiphania, codice 648 ejusdem bibliothecæ, cum aliis duobus sermonibus magistri Petri Comestoris *in Annuntiatione beatæ Mariæ Virginis et in Assumptione ejusdem*, et aliis duobus Mauricii, canonici Sancti Victoris, quorum unus *in solemnitate Sancti Victoris*, alter *de communi argumento*. Incipit autem sermo de Epiphania, *Et ecce stella quam viderant*, etc., usque *gaudio magno valde. Solemnitas præsentis diei tribus miraculis decoratur, et a fidelibus totius orbis devote celebratur*, etc.

Hic Odo cum Hugone Sancti Germani abbate, et Herneo abbate S. Victoris, anno 1165 Philippum, Augustum de fonte baptismi suscepit : qui ritus una cum tribus illis abbatibus, in quodam vase lapideo, quod apud Vincennarum canonicos asservatur, insculptus visitur. Plenus dierum anno 1166 mortuus est, et apud Sanctam Victorem sepultus, a quo nonnisi corpore unquam abfuerat, relictis apud Sanctam Genovefam multis virtutum ac pietatis suæ alumnis, inter quos fuit sanctus ille Guillelmus, cujus Acta apud Surium exstant. Odonis vero epitaphium sic se habet in eodem Victorino cœnobio.

Martyris Odo prior prius, et post Virginis abbas,
Martyrium didicit virginitate sequi.
A Victore rogas certaminis, a Genovefa
Lilia promeruit, plena pudoris habens.
Intulit hos flores paradiso, tempore florum,
A puero senior, in sene virgo puer.
Mitis cum Moyse, cum Nathanaele fidelis,
Cum Samuele sacer, cum Simeone timens.
Ne pereas, per eum te Parisius paradiso
Orba parente para, non peritura parem.

Agunt de Odone Sanctæ Genovefæ Parisiensis abbate, *Gallia Christiana* fratrum Sammarthanorum tomo IV, pag. 470. Sæculum IV *Universitatis Parisiensis*, in Catalogo, pag. 756, et omnes qui de antiquitatibus urbis Parisiensis scripserunt.

ODONIS EPISTOLÆ.

DE OBSERVANTIA CANONICÆ PROFESSIONIS RECTE PRÆSTANDA.

(Ex domni Lucæ d'Achery *Spicilegio*, edit. nov. tom. III, p. 529.)

EPISTOLA PRIMA.

Fratri R. Frater Odo Canonicæ professionis votum persolvere.

De regulari observantia Canonicorum Regg. — Ut tibi scriberem, frater charissime, plus me coegit otium quam aliquod certum negotium; plus fraternæ dilectionis fiducia, quam aliqua litterarum scientia : sed quia verba mea qualiacunque sint puto tibi placere, idcirco malui aliquid scribere, quam silere. Precor itaque quatenus otiosi verba non otiose perpendas, et quidquid insipienter dixero, sapienter ut corrigatur attendas.

Quid votis promissum. — In professione igitur nostra quam fecimus, tria, sicut bene nosti, promisimus, castitatem, communionem, obedientiam. Si verba ista superficietenus tantum attendimus, mox quasi de professione observata ineffabiliter, sed tamen pueriliter exsultamus. Dicet enim forsitan aliquis : Professionem quam Deo inspirante promisi, usque huc ipso adjuvante servavi; castitatem quippe corporis teneo; nihil habendo proprium communiter vivo, faciendo quod mihi præcipitur, obedientiam servo. Ecce si ita est, ut dicit, bene utcunque se habet, sed tamen qui hoc dicit securus esse non debet : si enim professionis verba diligentius attendamus, et quod intus latet paulo subtilius inquiramus, videbimus plane necdum non forsitan inchoasse, quod inaniter putabamus nos perfecisse.

Duplex castitas. Mens casta quæ. — Sed quia castitatem prius promisimus, prius utrum bene servata fuerit videamus. Scriptura quippe sacra duplicem asserit esse castitatem, carnis videlicet integritatem et animi puritatem. Quæro igitur quæ sit pejor corruptio, mentis an corporis? Sed hujus quæstionis sapienti patet solutio, si eum vera comitatur discretio. Mentis quippe corruptio tanto est longe deterior, quanto natura ejus incomparabiliter melior. Quæ sit autem carnis integritas, est omni-

Digitized by Google

bus fere notum; sed quæ sit mentis puritas, multis, quod pejus est, ignotum. Sed quantum mihi videtur, illa mens castissima comprobatur, quæ cum sit inter omnia, Deum super omnia diligit, et pro ejus amore nulli peccato vel saltem in cogitatione consentit. Quoties enim peccato alicui quantumlibet minimo consentimus, quoties aliquid præter Deum diligimus, toties castitatem nostræ mentis corrumpimus, quia Creatorem sponsum animæ relinquentes, et creaturæ nos per illicitum amorem conjungentes, quodammodo spiritualiter fornicamur. Plus aliquid dicam. Quoties de transitoriis rebus otiose et inutiliter cogitamus, toties puritatem animi in conspectu Domini violamus. Hoc quod dico senserunt esse verissimum qui dixerunt, fornicationem esse momentaneum a Christi contemplatione recessum. Perfecti etenim viri internæ dulcedini tanto dilectionis ardore per contemplationem inhærent, ut cum per desidiam, seu per negligentiam, vel modicum ab ea recesserunt, fornicasse se judicent. Hanc David fornicationem devitans, hanc castitatem desiderans, aiebat: *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 27). Sed hujusmodi castitatem tenere fragilitati nostræ est valde difficile, et pene impossibile. Ut enim de corpore taceam, quis gloriabitur castum se habere cor? Atque ideo forsitan dicis, hanc castitatem nemo promisit, nemo servavit. Quis enim auderet promittere, quod sciret se servare non posse? Quis unquam hanc tenuit castitatem, ut nulli prorsus peccato aliquatenus consentiret, aut per contemplationem Deo jugiter inhæreret?

Castitatis descriptio. — Hac igitur questione, infirmitate nostra compulsi, quamvis superiora nos dixisse non pigeat, talem in sequenti castitatem describimus, quam per Dei gratiam et habere possumus et debemus. Dicamus itaque castitatem esse illam carnis integritatem, quæ vel in virginibus nunquam corrumpitur, vel in jam corruptis per confessionem et pœnitentiam reparatur, et religionis amore de cætero jugiter conservatur. Adjungamus etiam si placet illam animi puritatem, de cujus corruptione sic in Evangelio legitur: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est eam in corde suo* (*Matth.* v, 28). Hujusmodi castitatem nullus nostrum, ut puto, negabit se esse professum, id est, ut nec per carnem fornicationis expleat actum, nec in corde habeat fornicationis consensum. Si igitur superiorem castitatem tenere non possumus, ut nihil peccato quamvis minimo consentiamus, hanc saltem ultimam teneamus, ut nec immunda violatio corrumpat carnem, nec illicita fornicandi concupiscentia per consensum polluat mentem. Hæc de castitate.

Quæ vera paupertas religiosa et communio. — Dicamus de communione: Sicut superius diximus, quia nihil exterius proprium se videt habere, ideo communionem se perfecte putat tenere. Attendit forsitan quod proprium non habet panem, quod non habet propriam vestem, et non attendit quod habet propriam voluntatem. Attendit se habere communem cum cæteris mansionem, et non attendit se non habere cum cæteris communem dilectionem. Qui sic attendit cæcus est, foris est. Redeat intus, aperiat oculos cordis, et attendat veritatem internæ communionis. Illa quippe communio vera et sancta esse putatur, de qua in apostolorum Actibus legitur: *Erat illorum cor unum et anima una* (*Act.* IV, 31). Plus valet inter multos cor unum, quam commune cellarium: plus anima una, quam communis mensa. Quid vero prodest in cibo et potu aliis esse conjunctum, et per propriam voluntatem ab aliis esse disjunctum? Parum prodest communio facultatum, ubi fuerit discissio voluntatum. Amplius, si uni placet sobrietas, alteri ebrietas; uni silentium, alteri multiloquium; uni fraterna concordia, alteri fraterna discordia; quomodo, rogo, potest esse valens exterior rerum communio, ubi fuerit tam nefanda et detestanda morum disjunctio? Non ergo propter unius domus habitationem, vel unius mensæ participationem, vel, quod majus est, propter unam Dominici corporis et sanguinis perceptionem, putet se implere aliquis communionis professionem, qui sibi aut propriam retinet voluntatem, aut per malos mores fraternam dividit unitatem. Hæc de communione.

Obedientia quando vera. — Nunc de obedientia pauca dicamus. Magna est certe virtus obedientia, et subjectis omnibus necessaria. Sed quid est aliud obedire, nisi omni terreno timore et amore postposito, pro solo Dei amore quæ sibi jubentur implere? Sed sunt nonnulli qui idcirco obedientiam exhibent, quia prælati eorum nihil eis nisi quod est prosperum jubent, at si eis aliquid asperum, et quod eos gravet, imponitur, continuo eorum obedientia utrum vera fuerit demonstratur: et hi tales recte lilio comparantur, quod dum non tangitur, suavissimum reddit odorem; cum vero premitur, pessimum emittit fœtorem. Sciendum vero est, quod injunctæ nobis obedientiæ debemus aliquando voluntatem nostram adjungere, aliquando autem ab eadem penitus removere. Cum enim abbas meus mihi præcipit jejunare, silentium tenere, pro offensis meis correptionem accipere, vel aliquod opus, quamvis sit vilissimum facere, obedientiam talem debeo gaudens et cum læta voluntate suscipere. At si mihi præcipit lautiores cibos pro aliqua causa comedere, pro diversis negotiis huc illucque frequenter discurrere, villarum procurationes suscipere, et cætera quæ carni placent, et quæ prospera sunt, agere, hujusmodi obedientiam non debeo quidem arroganter quasi pro religione respuere, sed delectationem propriæ voluntatis non debeo in illa aliquatenus quærere. Itaque in obedientia exhibenda, ista est discretio retinenda, ut scilicet si obedientia gravis vel etiam vilis injungitur, hanc bonæ voluntatis discretio vel devotio comitetur. Si

Digitized by Google

autem suavis et quæ carni placet, imponitur, mox ab ea propriæ voluntatis cupiditas repellatur. Quicunque enim semel pro amore Dei sæculi blandimenta et impedimenta reliquerit, peccat procul dubio si adhuc quandoque ex propria voluntate redierit.

Quod si aliquis contendat professionem nostram simpliciter et secundum quod verba sonant, intelligi oportere, melius volo ejus intellectui humiliter et pacifice cedere, quam superbe et contentiose resistere. Ego enim quando fragilitatem et imperfectionem meam respicio, etiam illum qui eam simpliciter et humiliter servat, magnum apud me judico. Sed tamen melius mihi videtur, quasi de non servata prudenter esse suspectum, quam de servata imprudenter esse securum.

Sed hæc hactenus. Ecce, mi frater, quia eram aliquantulum, imo nimium otiosus, longe protrahendo epistolam factus sum in loquendo verbosus. Sic vitium de vitio nascitur, sic de mala radice malus surculus propagatur. Ecce enim quia sectabar otium, incurri multiloquium, in quo secundum Salomonem non puto me effugisse peccatum. Sed quia jam insinuavi quod volui, verbositati terminum posui. Vale, et ora pro me, gratia tecum. Fratres nostros ex toto corde saluto, et ut se invicem diligant, nihil per contentionem agant, id ipsum sapiant, extraneos advenientes cum caritate suscipiant, supplex deprecor et exoro.

EPISTOLA II.

Fratri N. Frater Odo felicitatem et felicitatis perpetuitatem.

Fratrem consolatur, adhortaturque ut in monasterio permaneat. — Cum adhuc, charissime frater, in Apponi-Villa maneres, voluntatem tuam mihi insinuasti, et ut dominum abbatem pro reditu tuo rogarem, per internuntium monuisti : velles vero si fieri posset, nobiscum libenter manere, velles, fatres, quos amas, videre, velles eorum dulci colloquio interesse. Dulce esset tibi eorum consortium, dulce colloquium, dulce solatium. Non miror ista ; sunt enim, ut verum fatear, fratres nostri ad societatem amabiles, ad imitandum utiles. Sunt, inquam, amabiles ad societatem, tum pro vitæ sanctitate, tum pro morum suavitate. Verumtamen, mi frater, noli pro absentia nostra dolere, noli hoc graviter ferre ; certe si ex propria voluntate nos reliquisses, pro aliqua sæculari delectatione, et per licentiam foris exisses, tunc merito dolere debuisses. Nunc vero quoniam vera obedientia te coegit propriam relinquere voluntatem, et insuper fratrum tuorum amabilem societatem, exsulta et gaude, et virtutem obedientiæ toto cordis amore complectere. Quod si propter discendi studium, nostrum velles habere consortium, ad hoc non ego, sed in Vitis Patrum ille sapiens senex respondeat : *Cella tua*, inquit, *omnia te potest instruere.* Quomodo, inquies? Quomodo instruit quæ non intelligit ? Quomodo docet quæ vocem non habet ? Audi breviter : Instruit plane si sit qui intendat, si sit qui aures cordis aperiat : cella quippe instruere dicitur, cum qui in ea sedet Spiritu sancto illustratus instruitur, cum in ea positus diversis tentationibus agitatur, sed per Dei gratiam liberatur. Magna quidem doctrina tentationum, cum et per eam homo suam intelligit infirmitatem, et tentantis diaboli malignitatem, et Dei liberantis benignitatem.

Videmus plerosque illiteratos in cellulis habitantes de moribus subtiliter disputare, diaboli occultas insidias mirabili celeritate deprehendere, et deprehensas cavere, et insuper Deum super omnia amare et quærere. Quis quæso docuit istos? Non docuit eos magistrorum eloquentia, sed Spiritus sancti gratia, et tentationum experientia. Huic igitur doctrinæ intende, et in cella tua jugiter propter Deum sede : quia, sicut scriptum est, qui sedet in cella sua propter Deum, ibi erit ubi abbas Antonius. Habes certe tecum grande solatium, fratrem videlicet G. qui te potest et verbo docere, et bonis operibus informare. Vale et ora pro me. Gratia tecum.

EPISTOLA III.

Quam præstans obedientiæ virtus. — Nosti, frater charissime, quia *melior est obedientia quam victimæ.* Et iterum : *Vir obediens loquitur victorias* (*Prov.* xvi, 32). Et : *Melior est vir patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov.* xxi, 28). Apostolus : *Obedire per omnia præpositis* (*Hebr.* xiii, 17). Sed quare tot obedientiæ testimonia profero ? Si aliquis extraneus audierit ista, vel legerit, forsitan te de inobedientia suspectum habebit. Sed hoc penitus absit. Non intendo per ista verba te inobedientia revocare, sed potius in virtute obedientiæ quam fideliter exhibes, confirmare. Sed tamen cum hoc inceperim, sic tibi relicto quodam velamine manifesto, ut et quod volo dicere tibi sit manifestum, et nescientibus quoque, si legerint, maneat occultum. Novit conscientia tua, et ego similiter te revelante cognovi, quia prius quam dominus abbas obedientiam istam, quam modo exerces, tibi injungeret, quiddam tibi aliud agere libuisset, si licuisset ; et quidquid agere disponebas, bona voluntate et pia utilitate facere cupiebas. Nam si dispositionis tuæ sequeretur effectus, aliquis inde ut sperabas, proveniret fructus. At postquam subito et inopinate a domino abbate ut huc venires mandatum obedientiæ suscepisti, continuo totum quod disposueras, quamvis bonum, quamvis utile, reliquisti, et voluntatem propriam deserens, cum domino Jesu dixisti : *Non veni facere voluntatem meam* (*Joan.* v, 30).

Quid obedienti observandum. — Scire tamen te convenit, quia plerumque diabolus eos, quos non potest ad inobedientiam trahere, facit in obedientia murmurare, ut saltem per occultum murmur obedientiæ meritum minuat, qui per apertam inobedientiam non supplantat. Sollicite igitur contra dia-

Digitized by Google

boli insidias nos vigilare oportet; quia ipse est adversarius ille, qui *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Sed quia verba ista de Apostolo posui, ea breviter non necessario, scilicet quasi ex superfluo, pro capacitate mei sensus exposui. Recte itaque diabolus adversarius dicitur, quia quibusdam in via Dei existentibus, et ad eum toto desiderio cordis currentibus, seipsum opponere nititur, et ne ad eum perveniant, quantumcunque potuerit, adversatur. Qui etiam cum devorare quemlibet appetit, tanquam leo rugiens circuit. In rugitu notatur sævitia, in circuitu autem astutia. Itaque rugit ut terreat, circuit ut decipiat. Per rugitum terret formidolosos, per circuitum decipit incautos. Sed nos per Christum, qui est Dei virtus et sapientia, et roborati et illuminati, et contra utrumque armati per fortitudinem, contemnamus rugitum, et per prudentiam caveamus circuitum.

Vellem adhuc si possem diaboli circuitum subtilius indagare, et ejus insidias ut caveri possint lucidius propalare. Diabolus igitur quando aliquem cupit subvertere, si id leviter facere potest, non curat ibi diutius laborare. Et ideo imprimis in aperto quasi in facie ad facinus seu flagitium perpetrandum instigat, ut cito et sine labore subvertat. Vult ut homo malum quod ei suggerit aperte videat, et tamen faciat, ut eum majori reatu involvat. Quod si a facie victus recesserit, mox circuire incipiens ad sinistrum latus paulum se occultando convertit. Per latus sinistrum intellige opus malum. Sed notandum quia illud quod a nostro latere stat, oculus noster nequaquam ex opposito, sed obliquo imperfecte considerat. A sinistra ergo parte diabolus tentationem immittit, quando malum est quidquid suggerit; sed ne perfecte videri possit, illud velamine vel necessitatis, vel fragilitatis abscondit. Sicut plerisque sub prætextu necessitatis inducit vitium gulositatis, et sub excusatione fragilitatis ingerit culpam noxiæ levitatis. Dicit enim : Oportet te multum comedere, quia hoc exigit tua necessitas : licet tibi ridere et loqui, quia sic est humana fragilitas. At si ibi quoque se viderit deprehensum, continuo gyrando transit ad dorsum, ut saltem ibi percutiat hominem, ubi non videt, quem per apertum malum in facie, nec per velatum in latere decipere valet. Sæpe etenim sic deceptiones suas latenter occultat, ut quasi a tergo veniens, subito et inopinate percutiat. Sed forsitan ille qui tentatur, more sanctorum animalium non solum in facie, sed etiam in dorso oculos habet, et ideo diabolica illa tentatio velociter deprehensa, nihil ei penitus nocet.

Quibus modis bonum inficit Satan. — Inimicus autem malitiam, quam post dorsum paraverat, videns esse detectam, ut totum circumeat pergit ad dexteram. Sed quid per dexteram nisi bona actio designatur? Ad dexteram ergo transit, non ut bonum suadeat, sed potius ut bonum corrumpat. Quia enim dum malum suadet, ex omni parte repulsus excluditur, sua cum urgente nequitia quando plus non potest, saltem bonum inficere nititur. Quibus autem modis illud inficiat, in paucis ostendam. Per superbiam, per vanam gloriam, per indiscretionem. Tunc enim per superbiam bonum corrumpitur, quando cor bene operantis cæteros despiciendo, seque aliis præferendo, in altum tumide sublevatur. Hoc superbiæ vitio Pharisæi bona diabolus malo infecerat, cum publicano a longe stanti et pœnitenti præferendo dicebat : *Non sum sicut cæteri hominum : velut etiam hic Publicanus* (*Luc.* XVIII, 11). Vana etiam gloria tunc suam maculam ingerit quando is qui bonum operatur laudem propriam ab hominibus quærit. De quibus in Evangelio Veritas ait : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth*, VI, 2). In quibus verbis boni operis corruptio magna ostenditur, cum æternæ remunerationis præmium pro laude transitoria, corruptione pessima commutatur. Tertio autem modo bonum quod agit vitiatur, si in exhibitione boni operis discretio non tenetur. Propter quod dicitur : *Si recte offeras, et recte non dividis, perdidisti.* Recte quippe offert, sed recte non dividit, qui bonum quidem facit, sed faciendi tempus et modum per discretionem subtiliter non discernit.

Sunt etiam alia multa corruptionum genera, quibus nostra, si qua sunt, bona opera frequenter inficiuntur, quæ et longum esset scribere, et fastidiosum audire, et quod verius est, ego cæcus et mutus, nec videre valeo, nec proferre. Sed hoc tibi, frater, de diaboli circuitu dictum sufficiat, quem Deus et intelligere et cavere sua nobis pietate concedat.

EPISTOLA IV.

Fratri R. Frater Odo salutem.

Religiosi caute extra monasterium se gerere debent. — Oportet, charissime frater, ut hi et cæteri fratres nostri qui foris ad obedientias habitatis, partim pro voto professionis, partim pro amore religionis, verba vestra et opera sollicite conservetis. Ad vos enim quorumdam oculi detractorum vitiose et malitiose frequenter respiciunt; ad vos diligenter, sed non causa dilectionis intendunt; opera vestra non ad imitandum, sed ad lacerandum, considerant; verba vestra non causa ædificationis, sed potius causa detractionis oscultant, et si in eis aliquid reprehensibile viderint, exsultantes et insultantes deridendo et subsannando blasphemant. Dicunt enim : Videte quales sint monachi, quales Regulares canonici : videte quantum sint cupidi, quantum superbi, quam iracundi, quam invidi. Ecce Regularis ille cupide aliena diripuit; ecce illi et illi contumeliosa verba respondit; ecce non solum cum extraneo, sed et cum fratre suo litigium habuit. Utinam detractores nostri pro sua tantum iniquitate, et non pro rei veritate tibi dicerent. Utinam in nobis de his omnibus nihil penitus invenirent. Sed væ nobis, si verum est istud quod dicitur, si per nos inter homines nomen Domini blasphematur. Hoc enim

Digitized by Google

est per nos nomen Domini blasphemare, divino scilicet cultui ac sacræ religioni propter cupiditates et contentiones nostras derogare.

Necesse est igitur nosmetipsos circa vitam nostram sollicite vigilare; et quantum possumus pro amore Dei coram hominibus verbis et operibus, irreprehensibiles exhibere. Sed sunt nonnulli qui quantum ad opera spectat semetipsos caute custodiunt, et ad perfectionem quamdam jejunando, vigilando perveniunt, sed tamen ad illius perfectionis sublimia non pertingunt, de qua beatus Jacobus apostolus ait: *Si quis in lingua non offendit, hic perfectus est vir* (*Jac.* III, 2). Recte virum perfectum appellat, qui quasi vir viriliter stando in sermone suo offendendo non titubat; fragilis enim et quasi femineus esse convincitur, qui non solum otiosa vel levia proferendo, et quasi in minimis offendendo, huc illucque vacillando dilabitur, verum et impellente ira, præcipitante furore, nullo moderamine retinens frænum linguæ, litigando et convitia irrogando, quasi fortiter offendens, graviter corruens, totus penitus conquassatur. Periculosum quippe est otiosa verba proferre, sed valde periculosius convicia irrogare. Nam pro otioso verbo ratio redditur, pro contumelioso pœna exsolvitur. Siquidem Dominus in Evangelio ait: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Et alibi: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis* (*Matth.* V, 22).

Ecce in his verbis hoc quod prædixi patenter ostenditur, quia et otiosum verbum sequitur inquisitio rationis, et illatum convitium pœna certæ damnationis. Magnum quippe est illud peccatum, per quod homo separatur a regno cœlorum. David propheta cum quæreret: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo* (*Psal.* XIV, 3)? subjunxit dicens: *Qui ingreditur sine macula*, Et post pauca: *Nec fecit proximo suo malum et opprobrium non accepit adversus proximum suum* (*ibid*). Sed quid est adversus proximum opprobrium accipere, nisi illatum proximo opprobrium libenter audire? Ille quippe accipit qui libenter audit. Si igitur a tabernaculo Dei excluditur qui adversus proximum opprobrium accipit, quanto magis ille qui intulit? Idem etiam propheta cum alibi quæreret, quis scilicet etiam vellet, et dies bonos videre diligeret? supposuit dicens: *Prohibe linguam tuam a malo* (*Psal.* XXXIII, 14); ac si diceret: Si linguam tuam a malo prohibueris, vitam et dies bonos procul dubio consequeris. Salomon quoque ait: *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* XVIII, 21). Quia plerumque pro sermone malo et dicentis et audientis anima moritur: et rursum pro bono, et qui dicit, vitam meretur; et qui audit, a morte animæ suscitatur. Nam quia sermo malus more gladii mortem animæ inferendo trucidat, propheta David quodam loco instrumenta sermonis, instrumenta mortis appellat, dicens: *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus* (*Psal.* LVI, 5). Et rursum quia sermo bonus vitam tribuit, Scriptura sacra alio loco dicit: *Lingua placabilis lignum vitæ* (*Prov.* XV, 4). Oportet ergo a malo cohibere linguam, si volumus pervenire ad vitam.

Sed forsitan dicis: Vos qui intus in monasterio vivitis, qui horis constitutis silentium tenetis, qui lectioni et orationi assidue vacatis, offensiones linguæ facillime cavere potestis: at nos qui jugiter foris sumus, qui pro innumeris causis huc illucque discurrimus, qui possumus loqui cum volumus, in verbis nostris frequenter offendimus. Vestras autem linguas ne perniciose fluant silentium ligat, nostras vero licentia loquendi nobis concessa relaxat. Istis sermonibus tuis sic ego respondeo: Verum est quod ad custodiam oris multum nos et spirituale studium, et constitutum silentium juvat, ita ex utroque adjuti, otiosa verba proferre nec libeat, plerumque nec liceat. Vobis autem qui foris estis, etsi propter necessitatem data est licentia loquendi, sed nulla concessa est potestas peccandi. Non enim ideo vobis data est loquendi licentia, ut vel cum extraneis habeatis jurgia, vel vobismetipsis inferatis convicia. Quod si cum eis qui foris sunt litigatis, et intus vobismetipsis derogatis, fateor vobis quia a regularis viæ tramite longissime aberratis.

Denique exteriora vestra paulo diligentius attendamus. Si nostrum nomen et habitum consulamus, non bene convenit vocari Regularem Canonicum, et verbis et operibus illicitis esse distortum. Non unquam bene concordat caput rasum, et cor superbum; cappa religiosa, et lingua litigiosa: parum prosunt ea quæ foris sunt humilitatis indicia, si intus in mente dominatur superbia: parum prodest in modum pœnitentis caligas truncatas habere, et de perpetratis malis nullum dolorem pœnitentis sentire: parum prodest quod corona in capite dilatatur, si in corde refrigescens charitas coarctatur: parum prodest alta tonsura, si non tenetur in sermone mensura. Igitur nostrum exteriorem habitum attendamus, et quid nobis admoneat intendamus. Si autem propter humanam infirmitatem, et loquendi assiduitatem, otiosa verba, et cætera quæ videntur esse minima, dimittere omnino non possumus, contentiones tamen et detractiones per Dei gratiam exstirpare prorsus et possumus et debemus. Quod si aliquando, quod absit! diabolo suadente, et iracundia impellente, alter alteri convitium vel maledictum intulerit, secundum Regulæ nostræ consilium et ille qui intulit debet quantocius satisfacere, et ille qui læsus est suam disceptationem dimittere. Ut autem offensiones linguæ, quæ multæ sunt, cavere possimus, Domino Deo nostro cum Propheta dicamus: *Pone, Domine, custodiam ori meo*, etc.

Ecce, mi frater, litteras istas etsi tibi specialiter misi, tamen ea quæ scripta sunt de omnibus fratribus generaliter dixi; quia sic mihi placuit, ut tecum loquendo omnes pariter ac monerem, et omnes admonendo te non exciperem.

Digitized by Google

EPISTOLA V.

Fratri R. frater Odo salutem.

Documenta utilissima subministrat. Recta operatio, et simplex intentio, plane necessaria. — Precor te, charissime frater, quatenus in obedientia tibi commissa sic te contineas, ut et in vita tua Deus laudetur et honoretur, et per bonam famam tuam nostra Ecclesia exaltetur. Vide ut et de foris coram hominibus bonum testimonium habeas, et intus coram Deo de bona conscientia gaudeas. Tunc autem conscientia erit bona, si nullum malum feceris ex deliberatione, et quodcunque bonum feceris ex simplici intentione; alioquin nisi intentio tua fuerit simplex et recta, nec fama quæ foris est erit vera, nec conscientia quæ intus est erit bona. Intentionis autem simplicitas, hæc rectissima esse comprobatur, quando in bono opere penitus laus humana respuitur, et solummodo laus Dei et utilitas proximi quæritur. Itaque ista duo recta, scilicet operatio et simplex intentio duo faciunt bona; quia et simplex intentio per conscientiam bonam operantis mentem intus lætificat, et recta operatio, quæ foris ostenditur, ad laudem Dei alios invitans, eos ad bonum operandum informat. Dicamus cum Apostolo, si tamen in veritate dicere possumus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12). Ille enim solummodo certissime gloriari valet, cui conscientia bona intus testimonium perhibet. Certe, ut mihi videtur, facillime homo decipitur, sed Deus nullatenus irridetur: *Homo* vero *videt in facie, Deus autem* videt *in corde* (*I Reg.* XVI, 7). Deo igitur, qui intus videt, conscientia nostra pura et simplex appareat, et hominibus qui vident faciem, ut glorificetur Deus, vestrum opus bonum reluceat.

Quid in bonis scientia, quid in malis operatur. — Si itaque operatio recta, sit intentio simplex et pura, qui incassum ante oculos operatio nostra procedit, si eam bona intentio non præcedit. Nec conscientia intus requiem habet, quam vel perpetrata culpa deterret, vel de bono opere laus humana quæsita remordet. Tamen si de conscientia nostra veram volumus habere notitiam, necesse est ut præcedat scientia conscientiam. Ubi enim non est scientia, nulla potest esse vel bona vel mala conscientia. Ubi vero scientia præcedit, mox utrum conscientia bona vel mala sit innotescit.

Sunt autem quidam boni, qui propter vitæ munditiam malam non habent conscientiam, semetipsos diligenter per scientiam inquirunt, sed quia puri sunt et mundi, nullius mali sibi conscii sunt: in istis præcedit scientia, et sequitur bona conscientia. Sunt vero alii qui mali quidem sunt, sed per scientiam suam recognoscunt: isti cognoscendo semetipsos malam quidem habent conscientiam, sed tamen dolentes et gementes quandoque convertuntur ad pœnitentiam. Horum scientiam mala conscientia sequitur, sed conscientia per scientiam illustrata in bonum per pœnitentiam commutatur. Sunt etiam alii pejores, et supradictis multo deteriores, qui propter suam stultitiam, suam non attendunt malitiam. Et qui a seipsos per scientiam discutere aut nolunt aut negligunt, lucem scientiæ non habentes, in peccatis suis quasi in tetterrima nocte periculosissime dormiunt, et tales ad pœnitentiam aut vix aut nunquam redeunt, quia pœnitentiæ viam, id est scientiam perdiderunt. Scriptum quippe est: *Qui addit scientiam, addit et dolorem* (*Eccle.* I, 28). Unde liquido patet quia qui nullam scientiam habet, de peccatis suis dolere non valet. Videmus plerosque justos pro levissimis delictis amarissime flere: et e contrario quosdam pessimos pro horrendis sceleribus nullum dolorem sentire, imo etiam, quod valde dolendum est, lætari et exsultare, de quibus scriptum est: *Qui lætantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis* (*Prov.* II, 14). Sed ut quid hoc, nisi quia et justi luce scientiæ illuminati, etiam de minimis quæ in se cognoscunt, semetipsos graviter reprehendunt, et mali lucem scientiæ non habentes, et semetipsos penitus ignorantes, etiam horrenda scelera quæ faciunt, pœnitendo plangere nesciunt? Si igitur conscientias nostras quales sint veraciter scire desideramus, necesse est ut scientiæ operam demus, et ad hanc habendam non de nostra præsumamus industria, sed de sola Dei misericordia et superabundanti ejus gratia. Rogemus itaque Dei misericordiam, imploremus ejus gratiam, ut det nobis scientiam et bonam conscientiam, quatenus et per scientiam nosmetipsos veraciter agnoscamus, et de bona conscientia in conspectu ejus ineffabiliter gaudeamus.

Sed væ mihi misero qui conscientiam bonam non habeo et tamen de bona conscientia loqui præsumo. Quomodo etiam conscientia mea poterit esse bona, qui et mala multa commisi quæ digne per pœnitentiam non delevi; et bona quæ facere debui, torpens et negligens facere nolui? Aliter enim conscientia nostra bona esse non potest, nisi et mala quæ fecimus digne per pœnitentiam defleamus, et præveniente nos gratia Dei, bona quæ possumus, faciamus. O conscientia bona, quantum es amabilis et jucunda! O thesaurus magnus, nullis terrenis divitiis comparandus! Certe nihil in hac vita felicius, nihil jucundius.

Sed forsitan dicis: Quomodo scis quod nihil sit felicius, nihil jucundius? Aliquando cibum esse bonum dicimus, quia hoc per experientiam scimus: tu vero, sicut dixisti, conscientiam bonam non habes, quomodo quod nihil sit felicius scire potes? Hoc forsitan dicis: ego autem quid dicam? Non in veritate dicere possum quod Apostolus ait: *Nihil mihi conscius sum* (*I Cor.* IV, 4), imo multum conscius sum. Audi tamen similitudinem et intelligé rationem. Certe per oculos multa videmus: quæ tamen non habemus; sic per rationem multa esse bona cognoscimus, quæ tamen non facimus. Et per eamdem rationem de virtutibus multa disserimus, a quibus vacui sumus. Ecce vero ego ipse de bona

Digitized by Google

conscientia loquens, et per rationem multa disserens, quasi per oculum bonum video, quod tamen in memetipso non habeo. Audi et aliud : Plerumque dum gustamus amaritudinem fellis, laudamus dulcedinem mellis, et quamvis in præsenti solam fellis amaritudinem sentiamus, ex ejus tamen comparatione eam quam non sentimus mellis dulcedinem approbamus. Sic et in paupertate natus, et totus in miseriis enutritus, cum sæculi potentes et divitias obtinentes considerat, illos beatos, se miserum clamat, cum tamen solam miseriam sentiens, eorum beatitudo qualis sit per experientiam nesciat. Sic plerumque laudamus satietatem, infirmantes bonam esse dicimus sanitatem. Sic et ego ex infelicitate conscientiæ malæ quam sentio, quanta sit felicitas conscientiæ bonæ penso : et quia per experientiam scio conscientia mala nihil esse tristius, ex ipsa tristitia judico conscientia bona nihil esse jucundius.

Certe si mihi daretur optio, mallem omnes mundi miserias cum bona conscientia tolerare, quam omnes mundi divitias cum mala conscientia possidere. Sed quia hi qui foris sunt, conscientias nostras videre non possunt, saltem fama nostra, quæ ad eos potest pervenire, in eorum auribus debet non putere. Si enim de conscientia nostra confidentes famam nostram negligimus (sicut ait beatus Augustinus) crudeles sumus. Imo ut ego puto, nec bonam habemus conscientiam, si per nostram negligentiam incurramus infamiam. Quod si nos e contrario fama hominum laudat, et conscientia intus vituperat, similes sumus his qui in publico divites prædicantur, et in privato suo paupertatis angustia cruciantur.

Tu igitur, mi frater, appone diligentiam, inquire conscientiam. Testimonium ejus quale sit diligenter attende : quid de operibus, quid de verbis, quid et de cogitationibus tuis tibi veraciter testetur, intende. Attende, inquam, utrum sit in opere sanctitas, in verbo veritas, in cogitatione puritas, in intentione simplicitas. Si conscientia tua horum testimonium sibimetipsi conscia fuerit, illud Apostoli, quod supra dictum est, rectissime dicere poterit. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Si autem exemplo mali operis aliquem destruxisti; verbo tuo alicui maledictum seu convitium intulisti, cordis munditiam cogitatione illicita polluisti : si hæc fecisti, et necdum pœnitendo satisfecisti, puto quod de istis non solum in conscientia non gloriaris, verum etiam confusione intima cruciaris. Sunt etiam quædam alia, de quibus plerumque nostra confunditur conscientia, id est superbia, ira, tristitia. Quæ omnia prius Deus a nobis auferat, et mundam conscientiam conferat. Vale, et ora pro me.

EPISTOLA VI.

Præpotentem ab aula regis expulsum allicit ad sæculi contemptum. — Quanto desiderio et affectu bonum vestrum et salutem vestram desiderem, ille solus veraciter novit, qui secreta cordium solus agnoscit. Nunc autem quia ora ad os præsentialiter loqui non valeo, litterulas istas exhortatorias dilectioni vestræ transmitto. Nec scribo vobis causa nostræ necessitatis, sed solo intuitu charitatis. Adversitas enim quæ vobis contigit, etsi mihi abstulit præsentem vestram collocutionem, non tamen auferre potuit de corde dilectionem; etsi mihi abstulit corporalem vestram præsentiam, non tamen de oratione vestri memoriam. Ut enim verum fatear, quando missarum solemnia celebramus, omnipotentis Dei clementiam imploramus, quatenus ipse qui nullius [obliviscitur] per ignorantiam, vestri fiat memor per gratiam. Nunc et priusquam incipiam exhortationem hanc, præmitto orationem, quatenus gratia Dei admonitionem nostram prævenlat, atque aures vestri cordis aperiat, ut ea quæ ad veram salutem pertinent, libenter audiat, memoriter teneat, efficaciter impleat.

Quid igitur primum dicam? ubi exhortationem incipiam? Volo quidem dominum et amicum meum, ut fidelem servum et verum amicum ab amore vitæ præsentis evellere, atque ejus desiderium ad amorem sui Creatoris et patriæ cœlestis erigere. Debeo igitur aliquid de contemptu mundi præponere, et postmodum ea quæ animum ejus ad amorem Dei excitare possint, subnectere. Sed quia scio vos sæcularibus curis incubare, vellem si possem admonitionem nostram paucis sermonibus explicare.

Salomon igitur sapientissimus primus accedat, et veram sententiam vobis de contemptu mundi proponat, et dicat : *Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, et omnia vanitas* (*Eccle.* I, 2). O domine mi, nunquid intelligis verum esse quod audis? certe non est quod dubites : appone aurem et intellige veritatem, aperi oculos et considera vanitatem. Rogo vitæ tuæ cursum diligenter consideres, quia, nisi fallor, in ipsa vita tua, quam sint vana omnia perfecte cognosces. Recole quanta in tempore prosperitatis tuæ concessa sit tibi sæcularis potentia, quanta divitiarum abundantia, quanta, et quod majus est, in dispositione rerum temporalium prudentia. Primus inter aulicos residere solebas, totum Francorum regnum pro tuo libitu disponebas; quin et secundum hoc quod Salomon se fecisse commemorat, magnus effectus opera tua magnificasti, turres excelsas et pulchra palatia exstruxisti, vineas plantasti, servos et ancillas multamque familiam habuisti, coacervasti tibi argentum et aurum, substantias regum et provinciarum, et repletus es deliciis filiorum hominum. Sed attende paulisper in istis omnibus quanta sit vanitas, quæ instabilitas.

Ecce enim ipse rex de cujus dilectione plurimum confidebas, et juxta quem familiaritatis causa et honoris gradu residere solebas, te velut hostem persequitur, et quidquid Parisius cum magno labore construxeras, præcepto reginæ totum destruitur. Argentum et aurum et pecuniam quæ in tranquillitatis tempore congregasti, nunc in tempore guerræ

Digitized by Google

te oportet expendere, et ne inimici tui te incautum opprimant, nocte et die sollicite cogitare. Potes itaque, domine mi, in vita tua evidenter cognoscere sententiam quam Salomon de vanitate protulit veram esse. Certe iste Salomon regia potestate fuit sublimis, sapientiæ dono incomparabilis, divitiarum opulentia pinguis; et quamvis omnia ista affluenter suppeterent, nullam tamen attribuit eis veritatem, sed quia transeuntia vidit, appellavit proprie vanitatem. Tanto igitur ei melius est credendum, quanto ea quæ dixit, didicit per experimentum.

Nisi brevitati studerem, adhuc quædam de contemptu mundi dicere possem, quæ animum vestrum ab ejus appetitu non solum rationabiliter revocarent, sed et fortiter deterrerent. Quale est illud : *Mundus peribit et concupiscentia ejus* (*I Joan.* II, 17). Et illud : *Quicunque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituetur* (*Jac.* IV, 4). Formidolosa sententia! Quid terribilius dici potest : quandoquidem inimicus Dei esse convincitur, quicunque sæculi hujus amicus efficitur. Est aliud cur rationalis mens debet mundana ista contemnere ; quia et cum labore maximo acquiruntur, et cum sollicitudine custodiuntur, et cum dolore amittuntur. Scriptum quoque est : *Potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7). Et : *Qui divitias habent, difficile regnum Dei consequuntur* (*Galat.* V, 21). *Quid autem prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* (*Matth.* XVI, 26.) Hæc de contemptu mundi dicta sufficiant.

Quod si dilectio vestra ad amorem Dei cupit mentem erigere, debetis frequenter beneficia Dei vobis collata ad memoriam revocare. Cogitate quanta erga vos ejus exstiterit gratia, quanta ejus misericordia. Gratia in hoc, quod bona sua vobis gratuite contulit ; misericordia in hoc, quod mala vestra æquanimiter pertulit. Certe si bene vultis attendere, hæc sola causa ad amandum Deum potest vobis sufficere, quod scilicet et per gratiam bona præbuit, ut vos ad amorem suum accenderet, et per misericordiam mala vestra sustinuit, ut vos ad pœnitentiam provocaret. Ad ultimum vero postquam exhibuit patientiam, sicut pius pater dilecto filio, adhibuit disciplinam, ut saltem flagellatus ad patrem redeat qui beneficiis provocatus redire nolebat. Scriptum est enim : *Flagellat Deus omnem quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Flagellum quippe Dei est guerra ista quam habetis et persecutio, quia etsi inimici vestri vos persequuntur ex odio, tamen hoc quod faciunt, præcedit quædam occulta et justa Dei dispositio.

Nolite ergo de flagello isto contra Deum murmurare, quia durum esset vobis contra stimulum calcitrare. Mementote quia cum David Rex filii sui Absalon persecutionem fugeret, et Semei quidam pessimus ei malediceret, viri qui erant cum David, Regis injuriam doluerunt, et illum Semei interficere voluerunt. Quos tamen David compescuit dicens : *Dimitte ut maledicat, Dominus enim præcepit ut maledicere Davidi, si forte reddat mihi Dominus benedictionem pro maledictione hac hodierna* (*II Reg.* XVI, 12). Rogo pro Deo diligenter attendite, et sicut David fecit, sic et vos facite. Ecce ab inimico maledictionem sustinuit, et tamen de eo cum leviter posset, semetipsum ulcisci noluit, et maledictionem illam non Semei, sed Domino imputavit, cum dixit : *Dominus præcepit ut malediceret David.* Ipse quippe unus de filiis Dei erat, et a pio patre se flagellari sciebat, nec attendere voluit maledicentis iniquitatem, sed maledictionis utilitatem. Ideoque dicebat : *Si forte reddat mihi Dominus benedictionem pro maledictione hac hodierna.* Puto etiam quod peccata sua præterita ad memoriam revocabat : puto quia pro adulterio et homicidio graviter in corde dolebat, et ideo filii sui persecutionem, et servi sui maledictionem patientissime tolerabat. Hoc exemplum de David ad hoc proposui, ut et vos peccata vestra aperta et occulta, minima et majora sedule cogitetis, et in persecutione quam præsentialiter sustinetis, non attendatis inimicorum vestrorum nequissimam voluntatem, sed admonentis Domini misericordissimam pietatem.

Audite quid Dominus dicat : *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* III, 19). Ipse enim idcirco percutit, ut sanet, ipse idcirco flagellat peccatorem, ut purget. Nolite igitur vocationem Dei aures obstruendo respuere : nolite flagella Dei obdurato corde suscipere. Nolite in limo profundi, in amore mundi tam tenaciter et pertinaciter inhærere ; permittite Deum vos de lacu miseriæ et de luto fæcis extrahere. Nolite fieri sicut plaustrum in luto demersum, quod et boves ex anteriori parte fortiter trahunt, et homines ex posteriori toto conatu impellunt, et tamen nec trahendo, nec impellendo illud de luto extrahere possunt. Ecce pius Deus prius vobis prosperitatem concessit ut traheret, nunc manum adversitatis apposuit ut impelleret : Cum igitur in conversione vestra Dominum, ut ita dicam tantum laborare facitis, videte ne ad iracundiam eum provocetis. *Horrendum est enim incidere in manu Dei viventis* (*Hebr.* X, 13). Nam si commotus fuerit, quis ei resistit? *Nolite,* secundum Psalmi sententiam, *in principibus, nec in filiis hominum, in quibus non est salus, confidere* (*Psal.* CXLV, 3), sed in eo solo qui potest vos de omni angustia liberare.

Sed ut modo postponam exhortationem, rogo ut de his quæ dico vestram consulatis interius rationem. Mirum est enim cum ratio vestra, quæ tantum in provisione et dispositione sæcularium viget : mirum est, inquam, cum ad bona cognoscenda et facienda quasi mortua jacet. Sed forsitan ratio vestra, ea quæ bona sunt per discretionem intelligit, et tamen superbia resistente non perficit. Rationi enim vestræ superbia dominatur, et ei lege tyrannica reluctatur. Ratio dicit : si hoc vel illud faceres, Deo acceptabilis esses. Superbia dicit : si hoc vel illud faceres, in conspectu hominum vilis esses. O servitus

nefanda et detestanda, quando videlicet ratio quæ A debet imperare ut domina, superbiæ obtemperat ut ancilla. Quæso ut ad debitam libertatem ratio redeat, superbia de corde vestro expulsa exeat et locum ejus ea quæ Deo chara est, humilitas vera possideat.

EPISTOLA VII.

Fratri F. frater Odo salutem.

Ad religiosa exercitia adhortatur. — Quando in feriis Pentecostes ad nos, charissime frater, venisti, vocasti me secreto atque increpando dixisti : Vos de me nullam curam habetis, sed me quasi aliquid vile et inutile projecistis. Cum diligenter inquirerem quare hoc diceres, respondisti : Cæteris fratribus litteras vestras consolatorias frequenter dirigitis, mihi vero qui plus omnibus indigeo, qui tentationes multas sustineo, nullam consolationem penitus exhibetis. Quod ego audiens increpationem tuam gratanter accepi, et si mihi vacaret, in posterum aliquam tibi consolationem me facturum esse promisi. Verumtamen scire debes, me frequenter tantis occupationibus implicari, tantis curis quamvis minimis intus et foris exagitari, quod secundum desiderium meum non mihi vacat aut lectioni intendere, aut aliquid scribere, aut, quod melius est, orationi vacare. Sed quia per nuntium tuum ut promissionis meæ memor essem iterum admonuisti, quamvis, sicut dixi, multis impediar, charitate urgente faciam breviter quod promisi.

Tentationes pro Deo patientissime tolerandæ. — C Nolo igitur, frater, mireris, si tentationes varias pateris. *Tentatio est* enim *vita hominis super terram* (*Job* VII, 1). Hinc etiam scriptum est : *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara cor tuum ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Ecce evidenter habes in hac sententia quid debeas facere. Jam enim ad Dei servitium accessisti, jam Deo servire, jam religiose vivere promisisti. Stare debes in justitia et in timore, et animam tuam ad tentationem, non ad requiem præparare. Plerique enim cum ad servitium Dei accedunt, quia pro acquirendis virtutibus laborare refugiunt, Deo permittente, ad priora peccata redeunt. Si ergo tentationum laqueos cupis evadere, oportet te multos labores et cordis et corporis sustinere. Quis enim potest sine labore cor D suum ad lamenta compungere, proprias voluntates abjicere, et aliorum voluntates bonas in omnibus adimplere? Quis, inquam, potest sine labore magno studioque continuo, multiplices insidias diaboli plene cognoscere, et cognitas evitare? Magnus est certe tentationum labor, et non contemnendus, sed tamen pro amore Dei patientissime tolerandus. Et ne propter tentationem cadas in desperationem, audi quid beatus Jacobus apostolus dicat : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis* (*Jac.* I, 2).

Tentationum utilitas. Qui diabolum expugnare debeat religiosus. — Magna est, charissime frater, tentationum utilitas, quia per tentationes vera pos- sidetur humilitas. Multum enim, ut credo, superbia nostra se in altum erigeret, nisi Deo permittente, eamdem superbiam nostram tentationum pondus in imo deprimeret. Plerumque dum nullas foris tentationes patimur, gravius in corde per elationem periclitamur; et quia iniquitatem nostram considerare negligimus, magna quædam et incomparabilia de nobismetipsis sentimus, et cæteros quosque meliores in comparatione nostrum despicimus. Sed pius Deus aliquando cum nostram misericorditer respicit elationem, ad correptionem nostram super nos venire permittit carnis tentationem. Vult enim ut tentatio carnis deprimat elationem cordis, vult ut infirmitatis nostræ conscii de nobis abjecta et vilia sentiamus, quatenus minores quosque nobis per B humilitatem præponamus. Bonum est etiam ut quando tentationem aliquam sustines, professionem quam fecisti ad memoriam revoces. Professus es enim castitatem, communionem, obedientiam. Quando professionem istam fecisti, diabolum graviter offendisti. Hanc professionem vidit et invidit : et ideo contra singulas professiones, singulas adhibet tentationes. Contra professionem castitatis suggerit luxuriam carnis, contra communionis professionem alicujus rei propriæ accendit cupiditatem; contra virtutem obedientiæ opponit vitium inobedientiæ. Sed tu, frater mi, tene fortiter professionem et devita caute tentationem. Si diabolus te impugnat, cave ne expugnet, cave ne superet. Resiste fortiter, pugna viriliter : si intorserit concupiscentiæ jaculum, castitatis oppone clypeum. Si ad memoriam tuam reduxerit præteritas actiones, præteritas delectationes, tu e contra cogita inferni dolores et pœnas horribiles. Si enim ignem gehennæ diligenter attendis, ignem luxuriæ cito extingues. Oportet etiam ut in et intus conc ves cordis affectum, et exterius oculorum aspectum. Plerumque enim corruptus affectus oculorum aciem ad illicita dirigit; et aspectus illicitus, intus affectum corrumpit : atque ideo debes et intus affectum purificare, et foris aspectum per disciplinam restringere. Cogita frequenter quanta sit munditia castitatis, quam grata sit Deo et acceptabilis. Hinc in Evangelio Veritas ait : *Sint lumbi vestri præcincti* (*Luc.* XII, 35). Quid est enim lumbos præcingere, nisi fluxum luxuriæ castitatis cingulo cohibere? O munda castitas, quantum in alto resides! O immunda luxuria, quantum in imo jaces! Certe castitas hominem Deo jungit, templum Dei incorruptum custodit : luxuria vero hominem a Deo separat, diabolo sociat, templum Dei violat. Castitatis ergo virtutem amplectere, luxuriæ vitium perhorresce; istius ama pulchritudinem, illius fuge turpitudinem.

Castitas quibus mediis servatur. — Magna est certe et pulcherrima virtus castitas, si tamen cum castitate teneatur humilitas. Alioquin de sola castitate Deo placere non possumus, nisi etiam cum castitate humilitatem veraciter habemus. Imo plerumque

Digitized by Google

magnos tentationum assultus castitas patitur idcirco quia superbia de corde non expellitur. Si igitur de castitate vis esse securus, esto in humilitate fundatus. Denique diabolus quia per virtutem castitatis nos Deo placere considerat, etsi eam auferre non prævalet, tamen hanc inquietare non cessat. Hinc est quod vigilantibus nobis turpes cogitationes, si potest, immittit, dormientibus vero ad illusionem nostram diversarum specierum formas assumit. Tanta est ejus nequitia, tanta invidia, ut non attendat quid de se faciat, quam vilium rerum formas accipiat, tantum ut nos illiciat, ut nos decipiat. At nos seu vigilantes seu dormientes, Domini existentes, et [ad] Deum tendentes, turpes cogitationes bonis objectis cogitationibus, repellamus, et nocturnas illusiones signo sanctæ crucis muniti, nullatenus timeamus.

Bonum est etiam ei qui castitatem custodire desiderat, ut in cibo et potu sobrietatem teneat, et orationi frequenter insistat. Postquam enim diabolus naturalis concupiscentiæ ignem ciborum adjectione paululum ardere conspicit, continuo in semetipso spiritum nequitiæ colligit, et ad accendendum concupiscentiæ ignem toto conatu flatum tentationis emittit. Et ideo bonum est, ut ignis concupiscentiæ aqua parcimoniæ exstinguatur, et diaboli flatus orationis spiritu repellatur. Multa sunt quæ ad conservandam castitatem plurimum juvant, sed hæc tibi, frater charissime, dicta sufficiant.

Si autem de professione communionis et obedientiæ adhuc vellem disserere, jam epistola modum excederet, et prolixior sermo lectori fastidium gigneret. Hoc tamen breviter dico, hoc scire te volo; quia quicunque post communionis professionem, aut equum, aut vestimentum, aut quod minus est, obolum, in sua proprietate retinet, nullam cum Deo partem, nullam cum sanctis ejus communionem, nisi digne pœnituerit, habere valet. Similiter qui post promissam obedientiam prælati sui imperio contumaci superbia renuit obedire, nullatenus Jesu Christi, qui factus est obediens usque ad mortem, cohæres potest existere. Et ideo bonum est ut nullam penitus habeamus proprietatem, nec sanctorum perdamus amabilem societatem, et obedientiam cum Domino Jesu Christo usque ad mortem teneamus, ut post mortem obedientiæ fructum ab eodem Domino recipere valeamus. Vale, et ora pro me.

ANNO DOMINI MCLXXV...

GODEFRIDUS S. VICTORIS.

NOTITIA ET FRAGMENTA.

Godefridus Sancti Victoris Parisiensis superior, natione Gallus, sacrarum litterarum in Academia Parisiensi magister, sanctioris vitæ et secretioris secessus desiderio ductus, ante annum 1170 sub abbate Ervisio inter alumnos Sancti Victoris admittitur. Non multo post, anno nimirum 1174, sub Gualtero priore, conversionem ejus et alteram ex novo instituto professo conversationem, multi sæculo addicti ejusque æquales ac suppares sugillarunt, cavillantes hominem multis utilem, litteratura insignem, conversatione honestum, ad inertem et otiosam transiisse vitam. Horum nugacibus dictis satisfacere, et os obloquentium obstruere contendens, scripsit egregios tres libros *De microcosmo*, habita ratione hominis rationalis, animæ præsidiis insigniti, in quorum prologo instituti sui copiosam rationem reddit. Hoc opus ms. in bibliotheca Sancti Victoris, littera II, 14, fol. 1 ad folium 107. Inscribitur rubris litteris, *Microcosmus Godefridi canonici Sancti Victoris Parisiensis*. Incipit prologus : *Arbitratus sum tam mihi quam cunctis hujus libelli lectoribus expedibile fere, si causam hujus operis in fronte ejusdem vrænotavero*, etc. Primus liber incipit : *Mundi nomine plerumque hominem appellari tam philosophus quam theologus testatur*, etc. Prosequitur autem opus istud tripartitum secundum dotes animæ vel naturalis, ut artes et scientiæ : vel lethalis, ut vitia quæ ei edomanda adveniunt; vel spiritualis, ut virtutes quæ in dies illi sunt comparandæ, beneficio charitatis earum principis. Occupatur autem labor ipsius in discussione operis sex dierum creati orbis, sub quorum tribus primis diebus artes mechanicas et naturales dilucide exponit, sicque libro primo finem imponit. In eodem ms. codice, fol. 107 : *Ejusdem Godefridi Sermones numero* XIV, *de diversis argumentis*, quorum primus de Adventu incipit : *Aspiciens a longe ecce video potentiam Dei venientem, et nebulam totam terram tegentem. Hæc vox prima fratres charissimi, primæ lectioni primi nocturni officii hujus divi responsaria est.* Idem *Microcosmus Godefridi libris tribus*, ms. in eadem bibliotheca, littera NNN. 19, fol. 1, et ejusdem *Sermones* XIV *de variis argumentis*, ibidem fol. 104, quorum primus : *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, etc. *Nobilis aquila sublimius evolaverat et in excelsi montis vertice consederat*, etc.

Digitized by Google

Unde vel alii a superioribus sermones sunt, vel alio ordine, quod excutere mihi per otium non licuit. Aliud præterea opus contexuit, Stephano tunc sanctæ Genovefæ Parisiensis abbati nuncupatum, cui titulus est : *Fons philosophiæ*, quatuor libris distinctum, rhythmis quibusdam, et in unam eamdemque syllabam ultimam quaterne convenientibus ac desinentibus, versibus hoc sæculo usitatissimis, quibus veram esse philosophiam illam docet quæ non speculationi, nec argumentorum ac rationum velitationi incumbit, sed quæ vitiis evellendis inserendisque virtutibus occupatur. Opus ms. in eadem bibliotheca S. Victoris Parisiensis, littera II, 15, cujus hæc inscriptio rubris litteris : *Liber dictus : Fons philosophiæ, libris* IV, *metricis. Epistola Godefridi ad Stephanum abbatem Sanctæ Genovefæ de Monte, quæ et ipsa prologus sequentis operis est. Domino Stephano Montis Sanctæ Genovefæ abbati, viro totius virtutis et scientiæ gratiis insigni, G. quidam pauper Christi, suum bonum. Calicem plenum misto vestræ destinavi, Pater, eruditionis examinandum judicio*, etc., fol. 145. Tum rubris characteribus, *Fons philosophiæ*. Incipit :

Noctis erat terminus, et soporis mei,
Et fugabat tenebras nuntius diei :
Expergiscor nescius adfuturæ rei,
Sacris ductus monitis et instinctu Dei, etc.

Mox *Trivium*, ut vocant, ingreditur, cujus partes, id est grammaticam, dialecticam et rhetoricam, in modum trium fluminum inducit, quorum primum :

. . . . Spargitur campo latiore
Et per plana labitur via rectiore ;
Hoc virgulta tenera suo creat rore,
Hoc fecundat alia vena pleniore.

Secundum :

. . . . Transiens loca latebrosa,
Rupes, lucos, invia frangit scrupulosa ;
Hujus via strictior et anfractuosa,
Hujus aqua fortior et impetuosa.

Tertium :

. . . . Lasciviens per amœna prati,
Vernat flore vario sinus picturati :
Hujus fluctus cæteris longius vagati,
Primum tardi, postea currunt concitati.

Post laudatos antiquitatis magistros, artes liberales et mechanicas viluisse dolet ; mox recentiores sectas et scholiarchas inducit. Sic de Nominalistis et Realistis loquitur :

Addunt his se socios quidam nominales,
Nomine, non numine, talium sodales.
Alii vicinius adsunt, quos reales
Ipsa nuncupavit res, quod sint tales.
Nam si pro realibus variis errorum,
Poterat realium dici nomen horum,
Tamen excusabilis error est eorum,
Menti contradicere mos est insanorum.
Nam quæ mens vel cogitet nomen esse genus ?
Solus hoc crediderit mentis alienus,
Cum si tot generibus rerum mundus plenus;
Cujus genus nomen est, semper sit egenus.
Cæterum, realium sunt quamplures sectæ,
Quas reales dixeris a realu recte ;
Quia veri tramitem non eunt directe,
Nec fluenta gratiæ hauriunt perfecte.

De Gilberto Porretano et ejus discipulis :

Ex his quidam temperant Porri condimenta,
Quorum genus creditur geminis contenta,
Decem rerum triplicant hi prædicamenta,
Evertuntur veterum per hoc fundamenta.

De discipulis Roberti de Meloduno :

Hærent saxi vertice (1) *turbæ Robertinæ,*
Saxeæ duritiæ vel adamantinæ,
Quos nec rigat pluvia neque ros doctrinæ :
Vetant amnis aditum scopulorum minæ.
Ipsi falsum litigant nihil sequi vere ;
Quamvis tamen ipsimet post hos abiere
Qui de solo nomine fingunt mille fere :
Igitur pro nihilo licet hos censere.

De magistro Joanne de Parvo-Ponte et ejus discipulis, seu Parvipontanis :

Quidam pontem manibus suis exstruxerunt,
Et per aquas facilem transitum fecerunt,
In quo sibi singuli domos statuerunt,
Unde pontis incolæ nomen acceperunt.
Decens est materia, decens est figura,
Cubicorum lapidum subest quadratura,
Stat columnis æneis solida structura,
Nullis motionibus unquam ruitura.
Pavimentis desuper opus est positum,
Aureis, argenteis, signis insignitum,
Editis lateribus undique munitum,
Ne ruinam timeat vulgus imperitum.
Sed et habet exedras per quas speculantur,
Et latentem fluminis fundum perscrutantur;
Alii natatibus quoque delectantur,
Et æstivis solibus usti recreantur.
Venerandus sedet hic ordo seniorum,
Et doctrinæ gratia præminens et morum :
Simplices eruditi turbas populorum ;
O beatus populus talium rectorum !

Ad calcem operis, fol. 221 : *Præconium metricum divi Augustini*, quod ita incipit : *Augustini gloriæ meritis præclaræ, laudes quantum dabitur, rhythmo cumulare*, etc., cum cantico quodam B. Mariæ Virginis et planctu ab eodem notis musicis illustrato. At ad frontem hujus codicis exstant *ejusdem Godefridi Sermones numero* XIX, qui incipiunt ut supra Littera II, 14, et solo numero differunt, cum sint novemdecim. Horum primus : *Aspiciens a longe, ecce video*, etc. *Hæc vox prima fratres charissimi*, etc.

Ita autem persequitur historiographus ms. Sancti Victoris Parisiensis, pag. 102 *Historiæ suæ* : « Habentur etiam de eo alia opuscula rhythmicis iisdem versibus edita, et quidem *Canticum ad Deiparam Virginem, Planctus beatæ Mariæ Virginis, et Præconium de sancto Augustino episcopo et Ecclesiæ doctore.* Itemque : *Sermones triginta et unus in variis anni solemnitatibus apud nos habiti ;* quæ omnia mss. servat bibliotheca nostra. In archivis Ecclesiæ nostræ anno 1194, Godefridus sacrista cum Roberto abbate, Anselmo priore et Guillelmo subpriore subscriptus legitur, nec alius apud nos ejusdem nominis ea ætate reperitur : quo pateat eum officio subprioris cessisse anno 1186, ut in Annalibus nostris observavimus, et supremum diem clausisse post an-

(1) Id est monte S. Genovefæ.

Digitized by Google

num præfatum 1194, idque undecimo Kalendas Decembris, uti in Necrologio Victorino commendatur his verbis : *Obiit Godefridus sacerdos canonicus noster professus.* » Hæc nos ferme verbotenus ex ms.

A *Historia abbatiæ regalis Sancti Victoris Parisiensis*, quam scripsit Joannes de Tolosa, ejusdem Ecclesiæ canonicus.

ANNO DOMINI MCLXXIII

ADAMUS A S. VICTORE

NOTITIA

AB AUCTORE PERANTIQUO SCRIPTA.

(MARTEN. *Ampl. collect.* VI, 220) ;

Circa tempora excellentissimi doctoris magistri Hugonis de S. Victore floruit excellens et celebris doctor, magister Adam Ecclesiæ ejusdem S. Victoris Parisiensis canonicus professus, natione Brito, conversatione humilis et gratus, doctrina et eruditione utilis et præclarus; adeo ut sine operibus ejus vix posset homo in prologis S. Hieronymi super bibliam pedem figere, vel expositionem rationabilem difficilium invenire. Ipsos enim tam super Vetus Testamentum, quam super Novum, ut sit rota in medio rotæ, licet multis et magnis obscuritatibus involutos, tam ex brevi et succincta mysteriorum multiplicium narratione, quam ex dictionum quasi insolitarum interpositione, de verbo ad verbum exposuit luculenter, ut patet diligenter intuenti librum suum, quem de hujusmodi expositione prologorum composuit, qui sic incipit : *Partibus expositis textus nova cura contingit, et fragiles humeros onus importabile frangit.* In quo etiam libro ipse facit multoties mentionem de quodam libro, quem ipse composuit, qui vocatur *Summa de vocabulis Bibliæ*, seu *Summa Britonis*, et de aliis operibus virtuosis. Illud etiam non immerito debet meritorie commendari, quod valde multas prosas fecit de benedicta Trinitate, de S. Spiritu, de gloriosa Virgine Maria, ad quam specialem devotionem noscitur habuisse; de apostolis et aliis pluribus sanctis, quæ succincte et clausulatim progredientes ; venusto verborum matrimonio subtiliter decoratæ, sententiarum flosculis mirabiliter picturatæ, schemate congruentissimo componuntur, in quibus et cum interserat prophetias et figuras, quæ in sensu quem protendunt videbantur obscurissimæ, tamen sic eas adaptat ad suum propositum manifeste, ut magis videantur historiam texere, quam figuram. Quo tamen stante, cum eo quod in eis addit superfluum, nihil in eis invenies imminutum. Dicat ergo qui viderit præsens scriptum illud, quod dicit Scriptura : *Adam* B *exemplum meum ab adolescentia mea.* Et bene debe esse exemplum religiosorum, quia dictum est de eo et de illis : *In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.* Si autem quæras cum Scriptura, *Adam ubi es?* respondetur, quod sub ista tumba clavata, in terra unde formatus est Adam similiter est sepultus, qui dum vitam ageret in humanis tam excellenter et excellenter est locutus. Et quia scriptum est, reddet Dominus hominibus secundum actus suos et secundum opera Adæ, hinc est quod de operibus quæ per eum Spiritus sanctus edidit, aliqua censuimus hic scribenda, ut qui ea legerit, viderit et audierit, Deum laudet in sæcula benedictum et oret, quatenus spiraculum vitæ, quod inspiravit in faciem istius Adæ, ex visione suæ benedictissimæ essentiæ cum sanctis et electis suis efficiat gloriosum.

C

EPITAPHIUM MAGISTRI ADÆ CANONICI SANCTI VICTORIS.

Nominis et pœnæ primi patris hic situs hæres,
Terra fit, a terræ nomine nomen habens.
Ne mireris homo, quod Adam sub humo cinerescat,
Cui cognomen humus materiamque dedit.
In vita reliquis illuxit, quo duce, verum
Dicat Adam quam sit fallax opulentia rerum.
Quem fovit virtus, cui favit gloria mundi,
Ecce sub externi cinerescit cespite fundi.

ALIUD EPITAPHIUM QUOD IPSE DE SE COMPOSUIT.

(1) *Hæres peccati, natura filius iræ,*
Exsiliique reus nascitur omnis homo.
Unde superbit homo? cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.
Vana salus hominis, vanus decor, omnia vana :
Inter vana nihil vanius est homine.
Dum magis alludit præsentis gloria vitæ,
Præterit, imo fugit; non fugit, imo perit.
Post hominem vermis, post vermen fit cinis, heu, heu!
Sic redit in cinerem gloria nostra simul.
Hic ego qui jaceo miser et miserabilis Adam,
Unam pro summo munere posco precem.
Peccavi, fateor, veniam peto, parce fatenti,
Parce Pater, fratres parcite, parce Deus.

D

(1) Hoc epitaphium æri incisum, quod olim in claustro S. Victoris Paris. legebatur, anno 1793 in fornace opificis jamjam projiciendum pretio redemit vir bonarum artium studiosissimus D. Petit Radel. Propalam nuper ut monumentum pretiosissimum in ædibus bibliothecæ Mazarineæ collocatum est, xysto quem vocant Colbertino.

Digitized by Google

ADAMI A SANCTO VICTORE

SEQUENTIÆ.

(Clichtovens, *Elucidarium ecclesiasticum*, Basileæ 1517, fol.)

I.

DE SANCTO STEPHANO.

Hæc prosa rhythmicam servat certa lege consonantiam. Nam ut plurimum in singulis versibus tres complectitur clausulas rhythmicas, quarum duæ primæ similem habent postremarum syllabarum exitum, et utraque illarum octo comprehendit syllabas, quarum penultima est longa ; tertia vero clausula cujusque illorum versuum, septem conficitur syllabis, quarum penultima est brevis, habetque responsum in consimili syllabarum cadentia cum tertia clausula proxime sequentis versus. Verumtamen ut varietas et diversitas compositionis rhythmicæ afferat ornatum atque decorem contextui orationis, interdum variatur supradicta rhythmi forma, et duæ primæ clausulæ rhythmicæ nonnunquam complectuntur singulæ septem syllabas, et penultima brevem, ut in sexto et octavo versu. Interdum vero in eodem versu quatuor pronuntur clausulæ rhythmicæ alternis respondentes, ut prima tertiæ, et secunda quartæ consonet, quemadmodum in quatuor postremis versibus. Aliquando quatuor clausularum ejusdem versus tres primæ ad invicem simili cadentia respondent, et quarta unius versus quartæ alterius, ut in decimo nono et vicesimo versu. Quæ quidem omnia, unusquisquam ex sola lectione et mensura clausularum facile deprehendere poterit. Et hæc componendarum prosarum forma, in officio ecclesiastico est creberrima, et omnium maxime usitata. Auctor ejus, insignis vir et non minus virtute quam doctrina præclarus. Adam de Sancto Victore, in rhythmica prosarum modulatione majorem in modum copiosus et promptus, quemadmodum permultæ ab eo compositæ prosæ (quæ suis ponentur locis) dilucide declarant. In præsenti autem prosa commendatur præclara beati Stephani virtus in confessione fidei, et constantia invincibilis in passione ac morte, quæ ex sexto et septimo capite Actionum apostolicarum dilucida satis est ac perspicua. Narrantur et miracula meritis beati Stephani facta in suscitatione mortuorum, et pluviæ inundatione tempore inventionis sui sacratissimi corporis exhibita, ut adnotationes ostendent.

Heri mundus exsultavit,
Et exsultans celebravit
Christi natalitia.
Heri chorus angelorum
Prosecutus est cœlorum
Regem cum lætitia.
Protomartyr et levita,
Clarus fide, clarus vita,
Clarus et miraculis,
Sub hac luce triumphavit,
Et triumphans insultavit
Stephanus incredulis.
Fremunt ergo tanquam feræ,
Quia victi defecere,
Lucis adversarii.
Falsos testes statuunt,
Et linguas exacuunt
Viperarum filii.
Agonista nulli cede,

Vers. 11-12. — *Insultavit Stephanus incredulis.* Cum scilicet dixit eis, post longam confutationem objectæ sibi blasphemiæ : « Duri cervice et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis; sicut patres vestri, ita et vos. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri ? Et occiderunt eos qui prænuntiabant de adventu justi, cujus nunc proditores et homicidæ fuistis, qui accepistis legem in dispositione angelorum, et non custodistis (*Act.* VII). »

Vers. 13. — *Fremunt ergo tanquam feræ.* Lucas in Actis apostolorum : « Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum (*ibid.*). » Et de adversariis veritatis disputantibus cum Stephano, paulo ante dixerat : « Et non potuerunt resistere sapientiæ et Spiritui qui loquebatur (*Act.* VI), » propter quod redarguerentur ab eo cum omni fiducia.

Vers. 16. — *Falsos testes statuunt.* Lucas in Actis : « Tunc submiserunt viros qui dicerent se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Mosem et Deum. Commoverunt itaque plebem et seniores et Scribas, et concurrentes rapuerunt eum, et adduxerunt in concilium, et statuerunt falsos testes qui dicerent : Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem (*ibid.*). » Cum autem eos vocat hic auctor viperarum filios, alludit ad illum verbum Joannis Baptistæ, Scribis et Pharisæis dictum : « Genimina viperarum, quis dabit vobis fugere a ventura ira ? » (*Matth.* III.) Siquidem pleni erant Judæi persequentes Stephanum, veneno crudelitatis et incredulitatis, et a parentibus non minus virulentis progeniti.

Vers. 19. — *Agonista nulli cede.* Versus iste et quinque sequentes, quinimo etiam decimus quintus et decimus sextus, continent verba fidelis populi exhortantis sanctum Stephanum ad constantiam et fortitudinem animi in passione. Non quidem quod hujusmodi exhortatione indiguerit Christi athleta strenuus, qui erat plenus gratia et fortitudine, aut quod ea tum fuerit facta. Sed hoc schemate et modo loquendi approbantur et commendantur ab omnibus præclara illa opera, quæ tunc Stephanus egit, quæque ut faciat, incitatur et laudatur ipse mirifice quod nulli cesserit, quod certus de mercede certaverit, et ita de cæteris. Quemadmodum cum Psalmis dicit : « Laudate Dominum omnes angeli ejus (*Psal.* CXLVIII), » et : « Benedicite Domino omnes angeli

Digitized by Google

Certa certus de mercede,
Persevera, Stephane.
Insta falsis testibus:
Confuta sermonibus
Synagogam Satanæ.
Testis tuus est in cœlis,
Testis verax et fidelis,
Testis innocentiæ.
Nomen habes coronati,
Te tormenta decet pati
Pro corona gloriæ,
Pro corona non marcenti
Perfer brevis vim tormenti,
Te manet victoria.
Tibi fiet mors, natalis.
Tibi pœna terminalis
Dat vitæ primordia.
Plenus sancto Spiritu,
Penetrat intuitu
Stephanus cœlestia.
Videns Dei gloriam
Crescit ad victoriam,
Suspirat ad præmia.
Eu a dextris Dei stantem
Jesum, pro te dimicantem
Stephane, considera.
Tibi cœlos reserari,
Tibi christum revelari
Clama voce libera.
Se commendat Salvatori
Pro quo dulce ducit mori
Sub ipsis lapidibus.
Saulus servat omnium
Vestes lapidantium,
Lapidans in omnibus.
Ne peccatum statuatur
Iis a quibus lapidatur,
Genu ponit et precatur
Condolens insaniæ.
In Christo sic obdormivit
Qui Christo sic obedivit,
Et cum Christo semper vivit
Martyrum primitiæ.
Quod sex suscitaverit
Mortuos in Africa.
Augustinus asserit,
Fama refert publica,
Hujus, Dei gratia
Revelato corpore,
Mundo datur pluvia
Siccitatis tempore.
Solo fugat hic odore
Morbos et dæmonia,
Laude dignus et honore

ejus (*Psal.* CII), » non incitat his verbis angelos ad laudem Dei, cum assidue et indesinenter Deum collaudent, sed illud in angelis approbat atque commendat, quod jugiter Deum laudant. Porro agonista dicitur hic beatus Stephanus, quia durum pro Christo subiit agonem atque certamen contra Judæorum improbitatem. Est enim agonista, certator, pugil ac athleta, qui in agone decertat ac contendit.

VERS. 24. — *Synagogam Satanæ.* Recte hoc nomine vocat auctor multitudinem illam et turbam Judæorum, contranitentem veritati et elaborantem opprimere Stephanum testem evangelicæ gratiæ. Synagoga enim Græcum nomen, *coadunationem* et *congregationem* significat. Illa vero contra Stephanum Judæorum concursio concitante Satana facta est, instimulanteque facibus æmulationis et zeli animos adversariorum opera Satanæ facientium. Et alludit auctor eo loco ad illud dictum in Apocalypsi : « Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives es et blasphemaris ab iis, qui se dicunt Judæos esse et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ (*Apoc.* II). »

VERS. 28. — *Nomen habes coronati.* Nam Stephanus in græco *coronam* significat, deduciturque, ut auctor est Tortellius, a verbo Græco *stephano*, quod *coronare* signat. Nomen igitur Stephanus (non quidem Latinam, sed Græcam attendendo formationem) a corona deducitur et denominatur. Atqui ratione nominis illius par fuit illum pati persecutiones et certare fortiter, ad consequendam gloriæ æternæ coronam. Nam ut ait Paulus : « Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit (*II Tim.* II). »

VERS. 34. — *Tibi fiet mors natalis.* Nam mors ista corporis quam hic sustinent martyres, est eis ut quædam nativitas, via et gignentia ad vitam perpetuam. Unde et diem mortis sanctorum, Ecclesia vocat eorum natalitia. Et pœna ista temporalis quæ brevi momento terminatur, est ipsis inchoatio quædam et exordium ad lætitiam sempiternam et interminam, protinus succedentem.

VERS. 54. — *Lapidans in omnibus.* Per consensum scilicet in mortem Stephani, et in lapidationem illi inflictam. Omnium enim manibus, ut ita dixerim, lapidabat Saulus, qui lapidantium testium vestes asservabat, quando quidem agentes malum et consentientes similem contrahunt culpam, et pari sunt pœna plectendi.

VERS. 62. — *Martyrum primitiæ.* In Veteri Testamento primitiæ dicebant primi fructus et ante alios maturi, qui offerebantur Deo in sacrificium, erantque cæteris delectiores et sacratiores. Ita beatus Stephanus quia inter Christi martyres post ejus ascensionem primum sortitus est locum, obtinuitque inter ipsos temporis et ordinis primatum, recte hic primitiæ martyrum dicitur.

VERS. 65. — *Augustinus asserit.* In vicesimo secundo scilicet libro De civitate Dei, capite octavo, ubi multa memoratu digna per reliquias et memoriam beati Stephani facta refert miracula in provincia Hipponensi, Calamensi et aliis Africæ coloniis, non solum de mortuis suscitatis, verum etiam de iis qui morti admodum propinqui erant, integræ sanitati restitutis; de nonnullis horrendo et continuo totius corporis tremore affectis, in pristinum et sanum corporis statum redditis, cæcis illuminatis, ac cæteris a variis languoribus, ut fistulæ et calculi, liberatis.

VERS. 68. — *Revelato corpore.* Revelatio illa corporis beati Stephani, fuit per apparitionem Gamalielis venerabili presbytero Luciano, ut historia de inventione corporis ejus ab eodem conscripta commemorat. Et cum ante magna fuisset terræ siccitas, pluviæque penuria, sublevatis e terra cum debito honore sanctissimis beati Stephani reliquiis ac cineribus, magna pluviæ inundatio erupit cœloque defluxit, ipsi mundo admodum salutaris ac necessaria.

VERS. 71. — *Solo fugat hic odore.* De illo suavissimo odore crediderim hic mentionem fieri, qui tempore inventionis corporis sancti Stephani aperto

Digitized by Google

Jugique memoria.
Martyr, cujus est jucundum
Nomen in Ecclesia,
Languescentem fove mundum
Cœlesti fragrantia. Amen.

—

II.

DE SANCTO JOANNE EVANGELISTA.

Hæc prosa rhythmicæ consonantiæ legem exacte observat, eodem fere modo composita, quo prosa illa de sancto Stephano *Heri mundus exsultavit*, paulo ante declarata. Auctor ejus fuisse perhibetur eximius Pater, et non minus religione quam doctrina præclarus, Adam de Sancto Victore, in modulandis prosis ecclesiasticis admodum elegans, ut hæc una non obscurum præstat argumentum. Continet autem insignia et complura beati Joannis evangelistæ præconia, ob singulares virtutum et gratiarum prærogativas, quibus ante alios mirifice emicuit. Siquidem omnes sanctorum ordines, gradus, et titulos, ipse unus complexus est angelus officio, novæ legis patriarcha, propheta, apostolus, evangelista, martyr, confessor et virgo, quod in aliis sanctis invenire perrarum est.

Gratulemur ad festivum :
Jucundemur ad votivum
Joannis præconium.
Sic versetur laus in ore,
Ne fraudetur cor sapore
Quo degustet gaudium.
Hic est Christi prædilectus :
Qui reclinans supra pectus
Hausit sapientiam.
Huic in cruce commendavit
Christus matrem, hic servavit
Virgo viri nesciam.
Intus ardens charitate :
Foris lucens honestate
Signis et eloquio
Ut ab æstu criminali,
Sic immunis a pœnali,
Prodiit ex dolio.
Vim veneni superavit,
Morti, morbis imperavit,
Necnon et dæmonibus.
Sed vir tantæ potestatis :
Non minoris pietatis
Erat tribulantibus.
Cum gemmarum partes fractas
Solidasset, has distractas
Tribuit pauperibus.
Inexhaustum fert thesaurum
Qui de virgis fecit aurum,

ejus tumulo repente perceptus est ab astantibus. Et illius fragrantiæ efficacia ac virtute, septuaginta tres homines, variis languoribus laborantes, illico sanati sunt, ut dæmoniaci liberati, cæci illuminati, et claudi erecti, quemadmodum supradictus Lucianus, qui interfuit his rebus gerendis attestatur. Ita petit hic auctor ad mysticum sensum se convertens, ut beatus Stephanus mundum languidum peccatis fovere velit, et confortare cœlestis gratiæ suavitate ac odore.

Vers. 1. — *Gratulemur ad festivum.* Festivum hic dicitur, quod solemne est et celebre. Inde festivitas pro die festo in ecclesiasticis orationibus sæpenumero sumitur. Votivum vero est, quod ex voto dari promittitur. Horatius :

Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

Votiva autem verba dicuntur, quibus in faciendis votis utimur. Et votivæ preces, quibus aliquid cum voto poscimus. Ita et votivum præconium quod ex voto cuiquam ante facto exsolvitur, aut magno voto exoptatur. Interdum enim id etiam votivum dicitur, quod ardentibus votis expetitur. Hieronymus : « Votivum tunc Christianis erat, pro nomine Dei gladio percuti. »

Vers. 5. — *Ne fraudetur cor sapore.* Si sola lingua Dei aut sanctorum personet laudem, et animus ad eam non attendat, non percipit ille laudans internam dulcedinem et delectationem in hujusmodi laude, quam solis labiis perstrepit. Itaque petit hic auctor, quod non solum lingua, sed et mens nostra exsolvat Deo laudem, ut ipsa interius gustare possit, quoniam suavis est Dominus et spiritali gaudio perfundi.

Vers. 16. — *Ut ab æstu criminali.* Quemadmodum, inquit, beatus Joannes fuit immunis ab æstu, et concupiscentia carnis, quæ plerumque crimen habet annexum, sic etiam ab æstu pœnali, ferventis scilicet olei evasit illæsus, quando ab impio Domitiano missus in dolium bullientis olei vegetior et integrior inde exivit quam intraverat. Sicut etiam Beda in homilia evangelii præsentis solemnitatis asserit dicens : « A Domitiano Cæsare in ferventis olei dolium missus Joannes, in ecclesiastica narratur historia, ex quo tamen divina se protegente gratia tam intactus exiverat, quam fuerat a corruptione concupiscentiæ carnalis extraneus. »

Vers. 19. — *Vim veneni superavit.* Pontifices idolorum concitata in beatum Joannem seditione, mortiferum illi venenum hauriendum obtulerunt, quod ille sine aliquo nocumento, facto crucis signaculo, hausit intrepidus. Morti insuper imperavit, quoniam duos viros illo exstinctos veneno revocavit ad vitam. Morbis itidem imperavit, et dæmoniis, quoniam variis detentos morbis, sola oratione sanitati restituit, et dæmones energumenorum corporibus expulit.

Vers. 25. — *Cum gemmarum partes fractas.* Crathon philosophus, convocato in forum populo, pretiosissimas gemmas patrimonio duorum nobilissimorum juvenum Ephesiorum divendito comparatas, in frusta comminuit, ut contemnendi hujus mundi spectaculum publice proponeret. Hanc autem vanam mundi despicientiam, et quæ solum ad ostentationem erat, atque aucupandam auram popularem merito reprehendens beatus Joannes, illac tum forte transitum faciens, dixit illarum gemmarum pretium potius, ut docuit Christus, pauperibus erogandum fuisse, ut exinde Dei gloria et proximi sublevatio procuretur. Et suggerente Crathone, gemmas illas confractas oratione sua redintegravit, illisque venditis pecuniam eam totam pauperibus distribuendam curavit.

Vers. 29. — *Qui de virgis fecit aurum.* Duo alii adolescentes honoratissimi priorum exemplo incitati, venditis omnibus bonis, et in pauperes dispartitis, beatum Joannem consectati sunt. Verum paulo post conspicati servos suos nitido cultu et splendido ornatos, cum ipsi palliolo vili, et tenui induerentur amictu, graviter illam sortem et conditionem suam indoluerunt, suspirantes ad præteritæ vitæ delicias ac pompam. Id ubi animadvertit Apostolus, jussit eos virgas et lapides e littore maris colligere, allatosque sibi commutavit in aurum, et gemmas pretiosas. Quas illis tradens, « Ite, inquit, et redimite vobis terras quas vendidistis, quia cœlorum prædia simul et præmia perdidistis. »

Digitized by Google

Gemmas de lapidibus.
Invitatur ab amico
Convivari Christum dico
Visum cum discipulis.
De sepulcro quo descendit,
Redivivus sic ascendit,
Frui summis epulis.
Testem habes populum
Imo si vis oculum,
Quod ad ejus tumulum
Manna scatet, epulum
De Christi convivio.
Scribens Evangelium :
Aquilæ fert proprium.
Cernens solis radium :
Scilicet principium
Verbum in principio.
Hujus signis est conversa
Gens gentilis, gens perversa
Gens totius Asiæ:
Hujus scriptis illustratur,
Illustrata solidatur
Unitas Ecclesiæ.
Salve salvi vas pudoris,
Vas cœlestis plenum roris :
Mundum intus, clarum foris.
Nobile per omnia.
Fac nos sequi sanctitatem.
Fac per mentis puritatem
Contemplari Trinitatem
In una substantia. Amen.

III.

DOMINICA INTRA OCTAVAS NATIVITATIS DOMINI.

Hæc prosa multiformem sortitur in diversis versibus rhythmi speciem. Nam primi sex versus complectuntur quisque duas tantum clausulas rhythmicas, vario tamen modo. Nam in duobus primis versibus, clausulæ illæ alternis locis consonant, ut prima unius versus, primæ alterius in simili syllabarum exitu respondeat, et secunda secundæ. In reliquis autem quatuor versibus, prima cujusque earum clausula consonantiam asservat, et similem syllabarum vocalitatem in medio sui et fine. Secunda vero unius versus habet concinnitatem ad secundam proximi versus clausulam. At vero reliqui omnes hujus prosæ versus præter decimum quintum (qui quatuor completur clausulis rhythmicis, alternum servantibus in conformi cadentia responsum, utpote prima ad tertiam, et secunda ad quartam) tres complectuntur clausulas modulatione rhythmica compactas, quarum duæ primæ ejusdem versus semper adinvicem consonant, et tertia unius versus in consimili sonoritate refertur ad tertiam proximi versus. In his autem omnibus, quæ gravi sensu confecta esse videntur, ita ut beatus Joannes, apparens illi Dominus cum discipulis suis jam gloriosa morte consummatis, invitavit ipsum cum summa humanitate ad cœlestis gloriæ convivium, dicens : « Veni, dilecte mi, tempus est ut epuleris mecum in regno meo cum fratribus meis. » Cæterum hanc sententiam in hoc versu complectens auctor, cum in principio dicit, quod Joannes invitatur ab amico, quemnam amicum hoc generali nomine speciatim intelligat, deinde explanat, dicitque amici nomine se ibi Christum intelligere, visum cum discipulis in illa sacra apparitione.

Vers. 34.—*De sepulcro quo descendit.* Hic sentire videtur auctor, quod beatus Joannes postquam coram omnibus descendit in sepulcrum, quod sibi jusserat effodi, placida illic morte solutus est, et aliquanto interjecto tempore (quod Deus novit) ad immortalem resuscitatus vitam, per completam resurrectionem in corpore glorificato, et anima ad cœlestem gloriam assumptus est. Quæ quidem sententia ex eo sumit robur et argumentum, quod nullæ sacri illius corporis reliquiæ aut vestigia, in loco sepulturæ ejus postea sunt inventa. Et sane hæc una inter varias, quæ de felici vitæ ejus exitu feruntur sententias, censetur potissima, et potius quam cæteræ amplectenda.

Vers. 37. — *Testem habes populum.* Felicis illius glorificationis beati Joannis tam in corpore quam anima, hoc affertur hic testimonium, quod ex ejus tumulo manna continue scaturire cernitur, tanquam signum quoddam et indicium illius dulcissimæ refectionis, qua beatus Joannes in regno cœlesti satiatur. Verum omnino spiritalis et invisibilis est ille supernæ gloriæ cibus, per sensibile tamen illud manna signatus.

Vers. 42. — *Scribens evangelium.* In mystica visione quatuor animalium sanctos evangelistas signantium (quæ et Ezechieli prophetæ (*cap.* I), et ipsi Joanni in Apocalysi (*cap.* IV) est ostensa) beatus Joannes figuratur per aquilam volantem. Nam Beda auctore in homilia primi Evangelii Joannis, cunctis avibus aquila celsius volare, cunctis animantibus solis radiis clarius infigere consuevit obtutus, et cæteri evangelistæ, quasi in terra ambulant cum Domino, qui temporalem ejus generationem pariter et facta temporalia sufficienter explanantes pauca de divinitate dixerunt. Hic autem quasi ad cœlum volat cum Domino, qui perpauca de temporalibus ejus actis edisserens, æternam divinitatis ejus potentiam, per quam omnia sunt facta sublimius mente volando, et limpidius speculando cognovit, ac nobis cognoscenda scribendo contradidit. Hæc Beda : Vidit autem Joannes more aquilæ radium solis mystice, ut hic dicit littera, quoniam Filium Dei cognovit æterna generatione prodeuntem a Patre, ut radius emanat a sole. Vidit et principium Verbum in principio, quoniam Verbum Dei contemplatus est, quod de se ipso Judæis interrogantibus quis ipse esset respondit : « Principium, qui et loquor vobis (*Joan.* VIII). » Et in Apocalypsi sæpius de se dicit. « Ego sum, alpha, et omega, principium et finis (*Apoc.* I). » Idem autem Verbum erat in principio scilicet Patre, qui primum omnium, et primarium est principium. Hæc autem sacra mysteria vidit Joannes, cum divino repletus Spiritu eructavit illud Evangelii exordium : « In principio erat Verbum (*Joan.* I), » et reliqua quæ sequuntur.

Vers. 49. — *Gens totius Asiæ.* Asia est tertia pars orbis quoad numerum, secundam magnitudinem vero dimidia. Continet permultas regiones potissimum vergentes ad orientem, ut Phrygiam, Lyciam, Armeniam, Lychaoniam, Indiam et cæteras. In ea itidem est Ephesus urbs celeberrima, in qua potissimum beatus Joannes rexit Ecclesiam, et in conterminis illi civitatibus episcopos constituit, verbumque Dei indefesse populo prædicavit ut ejus studio ac opera, plurima regionum Asianarum turba ad Dominum fuerit conversa.

Vers. 50.—*Hujus scriptis illustratur.* Scilicet ejus Evangelio, quod post cæteros tres Evangelistas, ut Historia tradit ecclesiastica, conscripsit. Insuper tribus ipsius epistolis catholicis, quæ vulgo canonice nuncupantur. Et denique Apocalypsi, quam de futuro ecclesiæ statu, Domino revelante, in Pathmo insula ubi relegatus fuerat, contexit.

Digitized by Google

nibus rhythmorum formis, interdum una clausula, octo completur syllabis, quarum penultima est longa. Interdum vero duntaxat septem conficitur syllabarum contextu una rhythmica clausula, et tunc penultimam continet brevem. Verum hæc omnia melius ex sola lectione ipsius prosæ attenduntur, quam regulis certis, aut exacta descriptione tradi possint. Auctor ejus, venerandus Pater Adam de Sancto Victore, qui religiosam, regularisque disciplinæ observantissimam domum Sancti Victoris in Parisiorum suburbiis constructam, cum vixit, insigni doctrinæ splendore et vitæ sanctimonia illustravit. Apud quam, et hanc prosam et alias quam plurimas suis in locis adnotatas et deinceps adnotandas, illi ut auctori ascriptas inveni. Eoque subnixus testimonio, eidem illas inscripsi, et quamque earum suo loco ipsi (ut ex cujus emanaverit officina) assignavi. Commendatur in illa mysterium Dominicæ nativitatis ob ineffabilem Filii Dei benignitatem, qui de matre virgine dignatus est nostræ substantiæ formam assumere, ad redimendum genus humanum misera captivitate diaboli detentum. Insuper virginalis integritas matris Dei ostenditur non fuisse læsa in partu illo admirabili, et naturali rerum sensibilium similitudine et figuris mysticis veteris Testamenti, ad præsignificandum hoc miraculum a Deo quondam exhibitis. Applicantur deinde figuræ illæ frondentis virgæ, et rosidi velleris convenienter et recte ipsi rei subjectæ, ostenduntur que ipsi Christo congruenter adaptari, quemadmodum adnotationes latius edisserent.

Splendor Patris et figura
Se conformans homini,
Potestate non natura,
Partum dedit virgini.
Adam vetus tandem lætus
Novum promat canticum
Fugitivus et captivus :
Prodeat in publicum.
Eva luctum : vitæ fructum
Virgo gaudens edidit.
Nec sigillum propter illum
Castitatis perdidit.
Si crystallus sit humecta
Atque soli sit objecta :
Scintillat igniculum
Nec crystallus rumpitur :
Nec in partu solvitur
Pudoris signaculum.
Super tali genitura
Stupet usus et natura :
Deficitque ratio.
Res est ineffabilis :
Tam pia tam humilis
Christi generatio.
Frondem, florem, nucem, sicca
Virga profert ; et pudica
Virgo Dei Filium.
Fert cœlestem vellus rorem
Creatura Creatorem ;
Creaturæ pretium.
Fondis, floris, nucis, roris,

Vers. 1. — *Splendor Patris et figura.* Hac appellatione Christus Dei Filius hic insinuatur, qui a beato Paulo in Epistola ad Hebræos (*cap.* I) dicitur splendor gloriæ Patris, et figura substantiæ ejus. Splendor, inquam, quia « candor est lucis æternæ (*Sap.* VI), » et emanatio claritatis omnipotentis Dei, haud secus a Patre prodiens atque splendor a luce. Figura vero substantiæ Patris appellatur Dei Filius, quia character est et signaculum hypostaseos, atque subsistentiæ Patris, imagoque Dei invisibilis (*Colos.* I). At vero Dei Filius tantæ sublimitatis et majestatis, se conformavit homini, quoniam « exinanivit se ipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philip.* II). »

Vers. 5. — *Adam vetus tandem lætus.* Adam vetus dicitur primus parens, ex quo totum genus humanum secundum carnem propagatum est. Vetus autem vocatur in collatione ad Christum, temporis ordine (si carnem attendas) illo posteriorem, qui novus dicitur Adam, et salutis humanæ reparator ac auctor, quemadmodum in primo libro jam dictum est in expositione hymni :

Agnoscat omne sæculum,
Venisse vitæ præmium,

ubi versus ille occurrit explanandus :

Adam vetus quod polluit,
Adam novus hoc abluit.

Quoniam enim per priorem Adam, peccati vetustas mundo est illata, per posteriorem vero inducta novitas vitæ per gratiam, recte ille vetus, hic vero novus dicitur. Verum cum hic vetus Adam nominatur, non solum primus parens quantum ad suam ipsius personam debet accipi, sed et totum genus humanum, per ipsum in peccati vetustatem demersum. Illud siquidem a Deo profugum erat et damnatum exsilio, propter antiquam protoplasti transgressionem, erat et redactum in captivitatem principis tenebrarum, duroque illius imperio misere subjectum. Nunc vero invitatur ad lætitiam et gaudium in Domino, ad concinendum Deo canticum novum, ob novum redemptionis beneficium, novæque legis gratiam. Provocatur identidem hoc loco genus humanum ad prodeundum fidenter in publicum, tanquam libertate donatum, et in libertatem assertum, quod prius ob miseram servitutis et captivitatis sortem delituit, non audens, præ confusione et verecundia, ora sua exerere.

Vers. 13. — *Si crystallus sit humecta.* Per rei sensibilis exemplum fit hic manuductio ad intelligendum quod sacrosancta Virgo et Mater Dei mansit in partu inviolata. Si, inquit crystallus humore perfundatur aqueo, et objiciatur radio solis, scintillas ignis emittit, absque sui tamen diruptione aut fractione. Ita sane deipara virgo instar crystalli perlucida et omnigenæ virtutis soliditate compacta, cœlesti rore et obumbrante eam Spiritus sancti gratia perfusa, edidit mundi Salvatorem ignea charitate rutilantem, absque ulla tamen virgineæ suæ puritatis labefactatione atque læsione.

Vers. 25. — *Frondem, florem, nucem, sicca.* Quemadmodum liber Numeri (*cap.* XVII), refert « virga Aaron prorsus arida, divina virtute fronduit, floruit, et fructum protulit. Regressus enim, inquit, Moses sequenti die postquam eam posuerat in tabernaculo testimonii coram Domino, invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi, et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. » Eodem quoque modo supra naturæ legem et jura, virgo sanctissima, sola Dei virtute peperit intacta filium.

Vers. 28. — *Fert cœlestem vellus rorem.* Petiverat Gedeon a Domino signum futuræ per ipsum victoriæ contra Madianitas (*Judic.* VI), quod *ros in* solo foret vellere explicato in area, et in omni terra siccitas, quod et factum est. Erat autem vellus

Digitized by Google

Pietati Salvatoris
Congruunt mysteria.
Frons est Christus protegendo.
Flos dulcore ; nux pascendo.
Ros cœlesti gratia.
Cur quod virgo pepererit,
Est Judæis scandalum.
Cum virgo produxerit
Sicca sic amygdalum
Contemplemur adhuc nucem,
Nam prolata nux in lucem ;
Lucis est mysterium.
Trinam gerens unionem ;
Tria confert : unctionem,
Lumen et ædulium.
Nux est Christus, cortex nucis
Circa carnem pœna crucis.
Testa, corpus osslum.
Carne tecta deitas,
Et Christi suavitas,
Signatur per nucleum.
Lux est cæcis, et unguentum,
Christus ægris, et fomentum
Pliis animalibus.
O quam dulce sacramentum
Fenum carnis in frumentum
Convertit fidelibus.
Quos sub umbra sacramenti
Jesu pascis in præsenti,
Tuo vultu satia.
Splendor Patri coæterne,
Nos hinc transfer ad paternæ
Claritatis gaudia. Amen.

illud, sacrosanctæ virginis symbolum ac signum, quæ divino irrigata rore, sanctique Spiritus gratia, Dei Filium edidit, creatura scilicet suum Creatorem, qui utique est creaturæ pretium. Nam in cruce oblatus est pro nobis in pretium redemptionis nostræ, qui sumus creatura Dei.

Vers. 34. — *Frons est Christus protegendo.* Ambæ illæ figuræ ex Veteri Testamento depromptæ in undecimo et duodecimo versu jam explicatis, hoc loco accommodantur propositio, paucisque constringit hic versus, quomodo Christus mystice dicitur frons, sive folium, flos, et nux, ex arida virga producta, quanam itidem ratione etiam ros dicitur, velleri Gedeonis placido illapsu infusus. Christus, inquit, frons dicitur, quoniam suos protegit ab æstu vitiorum, ne per diem sol eos urat, neque luna per noctem (*Psal.* cxx). Sicut folium arboris protegit suum fructum, ne lædatur ardore fervoreque solis. Flos vero idem dicitur, propter suavissimum virtutum omnium odorem, quem mira dulcedine totum dispersit in orbem. « Ego, ait, flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II). » Tertio vero loco, Christus est nux spirituali nuncupatione, quod animas fideles pascat sua salutari doctrina, quinimo et sui sacratissimi corporis ferculo, quemadmodum nux ipsa materialis gratum est hominibus edulium. Idipsum in Evangelio contestatur dicens : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Joan.* VI). » Denique quarto loco Christus dicitur ros, quia cœlesti gratia irrigat mentes hominum aridas, ad afferendum bonorum operum fructum. Haud aliter quam ros superne delapsus terram irrorat, et rorido imbre humectatas herbas fovet ac vegetat.

Vers. 41. — *Contemplemur adhuc nucem.* Proponit hic versus considerandum pensiculatius nucis exemplum, quod tertio loco superius fuerat Christo applicatum. Nam attentius discussa nucis natura, atque in apertum prolata, ipsius veræ lucis, utpote Christi sacratoria signat mysteria quæ sequentibus recluduntur versibus.

Vers. 45. — *Trinam gerens unionem.* Nux ipsa sensibilis tria in se complectitur, in unam quodam modo compacta totam substantiam, utpote corticem exteriorem, testam cortice obtectam, et nucleum testa occlusum. Rursum ipsa nux tria confert hominibus emolumenta, unctionem scilicet, et lumen, per oleum quod ab ea exprimitur, et esum nuclei ejus, qui in cibum sumitur. Cæterum hæc ad allegoriam et spiritualem intelligentiam applicando, per totam nucem insinuatur atque repræsentatur Christus, in se uno geminam complectens naturam et in altera earum amaritudinem mortis perpessus. Unde per corticem nucis, quæ aspera est et amarulenti succi, signatur acerbitas passionis et mortis, quam Christus in carne sua pertulit. Per testam vero nucis durinsculam et cortice circumseptam, significatur humana Christi natura, acerbis doloribus passionis exposita, utputa sacra ipsius anima et corpus, ossibus et nervis compactum. Denique per nucleum delitescentem in testa, repræsentatur augustissima Christi divinitas, occultata in carne et circumdata illius velamine. Est enim in nucleo sapor admodum suavis, et perquam gratus edentibus. Sic sane suavis est Dominus degustantibus eum (*Psal.* xxxiii), et torrente voluptatis suæ replens eos (*Psal.* xxxv), qui satiantur gloria sua. Et hæc significatio mystica, in decimo octavo et decimo nono versu hujus prosæ, præclare exprimitur. Insuper tria illa beneficia quæ per nucem præstantur hominibus, modo nominata, utpote unctio, lumen, et esca, etiam Christo mystice congruunt. Enimvero ipse languidis peccato, ac ægrotis est spiritualis unctio, per gratiam sanantem ulcera peccatorum. Idem quoque est lumen spirituale cæcos illuminans, et tenebras ignorantiæ mentibus humanis expellens. Demum ipse nutrimentum est, et spiritualis alimonia bonis et rectis corde, quos et sua pascit doctrina, et saginat sacratissimo corpore. « Ego, inquit, sum panis vivus, qui de cœlo descendi (*Joan.* VI) » Et rursum : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos (*Matth.* XI). » Hæc autem applicatio mystica trium nucis effectuum ad Christum explicatur succincte in vicesimo versu hujus prosæ.

Vers. 56. — *O quam dulce sacramentum.* Hic versus tertiam nucis utilitatem Christo jam applicatam, clarius elucidat, ostendens quomodo ipse est esca fidelibus. Magnum, inquit, illud est sacramentum et admirabile mysterium, quod Christus carnem suam præstat in cibum, et panem vivificum populo Christiano, in sanctissimo eucharistiæ sacramento. Porro fenum carnis vocat hic auctor sacratissimam Christi carnem, propter naturæ ipsius infirmitatem et fragilitatem, quam ex dispensatoria quadam dignatione habuit ante passionem, alludens propemodum ad illud verbum Isaiæ : « Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fenum et cecidit flos, quia Spiritus Domini insufflavit in illo. Vere fenum est populus (*Isa.* XL). » Per frumentum vero intelligitur hic panis ille supercœlestis et vivificus, qui in frumento, et tritici panis specie exhibetur fidelibus in communionem. Itaque Christus fenum carnis in frumentum convertit fidelibus, quia suum sacratissimum corpus in cibum salutarem ipsis confert, sub frumenti specie et forma consecratum.

Vers. 59. — *Quos sub umbra sacramenti.* Non di-

Digitized by Google

IV.

DE RESURRECTIONE DOMINI.

Hæc prosa etiam tota rhythmica est, et in unoquoque quatuor primorum versuum septem complectitur clausulas rhythmicas, quarum unaquæque septem comprehendit syllabas, et semper penultimam brevem. Consonantiam vero in exitu syllabarum habent hujusmodi clausulæ, aliquando quidem alternatis locis, ut in primo versu, aliquando vero quæ sibi invicem proximæ sunt, ut in versibus sequentibus, et semper postrema, ad aliquam in medio ejusdem versus positam clausulam, vel ad postremam proximi versus, habet suum responsum. In postremorum vero duorum versuum singulis, quatuor ponuntur rhythmicæ clausulæ, quarum duæ primæ inter se habent consonantiam, tertia vero unius ad tertiam alterius versus, et quarta ad quartam in consonantia confertur. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. In ea describitur gaudium Dominicæ resurrectionis, non solum in angelos et homines esse diffusum, verum etiam in omnia hujus mundi sensibilis corpora, cœlos, elementa, et corpora mista. Quæ omnia lætiore quodam habitu, suique dispositione gratiore quam prius habuerant, quamdam jucunditatem præferunt in resurrectione Domini, et læto testantur gaudia vultu, ut resurgenti Domino quodam modo congaudere videantur.

Mundi renovatio
Nova parit gaudia,
Resurgenti Domino
Conresurgunt omnia.
Elementa serviunt,
Et auctoris sentiunt
Quanta sint solemnia,
Ignis volat mobilis,
Et aer volubilis.
Fluit aqua labilis,
Terra manet stabilis.
Alta petunt levia,
Centrum tenent gravia
Renovantur omnia.
Cœlum fit serenius,
Et mare tranquillius.
Spirat aura levius.
Vallis nostra floruit,
Revirescunt arida.
Recalescunt frigida,
Post quæ ver intepuit.
Gelu mortis solvitur,
Princeps mundi tollitur
Et ejus destruitur
In nobis imperium

citur hic umbra sacramenti, figura, species, et imago ipsius sacramenti eucharistiæ, solum repræsentans ipsum, et non vere continens, ut scilicet umbra distinguatur contra veritatem. Quo quidem modo in Veteri Testamento Agnus paschalis, manna in deserto, panesque propositionis, et cæteræ figuræ dicebantur umbra sacratissimi sacramenti altaris, quia illud præfigurabant, quo etiam modo ab Apostolo dicitur lex habuisse umbram futurorum bonorum (*Hebr.* x). Nam eo modo populus Christianus non habet umbram hujusce sacramenti communionis, sed ipsam rem et veritatem. Verum quoniam illa, nuda non cernitur, sed adoperta speciebus panis et vini, et quasi velamine quodam aut umbraculo obtecta, ut non conspicua sit oculis nostris sacra Christi caro, neque sanguis in propria ac naturali sua specie ac forma, idcirco sub umbra sacramenti dicitur ipsos fideles Christus hic pascere. Oraturque obnixius, ut posita hujusmodi umbra et velamine specierum, nos in regno cœlorum pascat revelata jam facie, sui divini vultus præsentia. Quod nobis concedat ipse superbonus et misericors Dominus, benedictus in sæcula. Amen.

Vers. 1. — *Mundi renovatio.* Ipsa Domini resurrectio dicitur hic renovatio mundi, quia totum genus humanum, quod mundi nomine intelligitur, in illa renovatum est, et a vetustate peccati ad novitatem gratiæ, atque a morte ad vitam traductum. Adde quod in Christi resurrectione, repræsentata est, et præexhibita omnium hominum resurrectio, in qua haud dubie totius mundi, omniumque hominum erit renovatio, quando hoc corruptibile induet incorruptionem, et mortale immortalitatem (*I Cor.* xv). Quare etiam in Evangelio illa vocatur regeneratio (*Matth.* xix), quia corpus renascetur ad immortalitatem, vitamque interminabilem. Non absurde igitur Christi resurrectio (quæ nostræ resurrectionis causa est ac exemplar) hic dicitur renovatio mundi.

Vers. 14. *Renovantur omnia.* Hanc omnis creaturæ sensibilis communem lætitiam, et congratulationem quamdam ad resurrectionem Christi, quæ his versibus diffuse describitur, beatus Augustinus in uno sermonum solemnitatis paschalis eleganter et copiose depromit his verbis: « Unde modo in germina erumpentis terræ tota hilarior facies, vario suorum fructuum ornatu, omnem hactenus quasi mortuam rerum naturam resurgenti suo Domino conresuscitat. Ubi arborum et herbarum grata venustas, diverso quidem germinum munere, pari tamen gestu lætitiæ, singulari huic solemnitati festiva occurrit. De cœli autem nunc usque quodam modo tristi, nunc autem læta facie, quid dicam quæ aliquandiu jam densa caligine nubium adoperta, aeris hujus spatium omne turbavit? Et ecce repente quasi justitia de cœlo in terram prospiciente (*Psal.* LXXXIV), mira serenitas mundo arridet, et in unam lætitiam cœli et terræ vota concurrunt, ut Deum et hominem Christum communi exsultatione excipiant, qui communem utrisque pacem afferre venerat, et medium parietem maceriæ solvens, fecit utraque unum. Hinc astrorum omnium fomes, splendor ille solaris, suam frontem admodum rugatam jam jamque expurgat, et quasi rex conspicuus in diademate capitis sui, in die desponsationis suæ, et in die lætitiæ cordis sui, cæteris stellis velut comitibus suis largiora luminis sui dona impendit. Luna enim ab ipso ortus sui die semper in quodam sui dispendio posita, ad paschalia gaudia pleno se lumine parat. Et ut cuncta breviter perstringam, sicut omne quod in rebus subsistit, divina dispensatione hominis imperio servit, sic de salute humana omnibus una exsultatio incumbit. Cum igitur pro homine, tantis indiciis omnis creatura sua gaudia monstret, consequens est, ut ab hominibus ipsis testimonia tali lætitiæ non desint. » Hæc Augustinus.

Vers. 21. — *Post quæ ver intepuit.* Particula illa quæ, non hic copulativa est, sed relativa, refertque arida et frigida hiberni temporis corpora, post quæ ipsius veris tepor succedit, quod quidem placidum est, et omnium totius anni temporum amœnissimum. Verno autem tempore facta est Christi resurrectio.

Vers. 22. — *Gelu mortis solvitur.* Alludit auctor ad conditionem temporis, quo Christi facta est resurrectio. Tunc enim gelu hibernum, et glacies hiemalis frigore concreta, dissolvitur verno tem-

Digitized by Google

Dum tenere voluit
In quo nihil habuit,
Jus amisit proprium.
Vita mortem superat,
Homo jam recuperat.
(Quod prius amiserat)
Paradisi gaudium.
Viam præbet facilem
Cherubim, versatilem
(Ut Deus promiserat)
Amovendo gladium. Amen

V.

DE RESURRECTIONE DOMINI ALIA PROSA.

Hæc prosa, rhythmicæ modulationis constringitur numeris, sicut illa de sancto Stephano: *Heri mundus exsultavit*, et propemodum ad illius accedit compositionis formam et speciem. In ea explicantur mira Dominicæ resurrectionis mysteria, in Veteri quidem Testamento, multis figuris præsignata, et in Novo nobis ex bonitate divina clarius exhibita. Unde complures hic recensentur figuræ legis antiquæ, quarum velamine et umbra, tanta redemptionis humanæ sacramenta sunt præsignificata et obducta; quemadmodum adnotationes singulatim elucidabunt. Et sane hæc prosa admodum divina est, paucis multa complectens, et tota ex sacris litteris præclare desumpta, cujus et historias, et sententias congruenter copioseque adaptat proposito, ut hoc suo opificio auctor ipsius Adam de Sancto Victore, liquido probat se in divinis Scripturis apprime exercitatum et promptum fuisse. Quod et in compluscullis prosis a se compositis (quarum permultæ huic libro inseruntur) gnaviter observat, ut qui illarum studio fuerit addictissimus.

Zyma vetus expurgetur,
Ut sincere celebretur
Nova resurrectio.
Hæc est dies nostræ spei.
Hujus mira vis diei
Legis testimonio.
Hæc Ægyptum spoliavit,
Et Hebræos liberavit
De fornace ferrea.
Illis in arcto constitutis
Opus erat servitutis
Lutum, later, palea.
Jam divinæ laus virtutis,
Jam triumphi, jam salutis
Vox erumpat libera.
Hæc est dies quam fecit Dominus,
Dies nostri doloris terminus,
Dies salutifera.
Lex est umbra futurorum.
Christus finis promissorum,
Qui consummat omnia.
Christi sanguis igneam
Hebetavit rumphæam,
Amota custodia.
Puer nostri forma risus,
Pro quo vervex est occisus,
Vitæ signat gaudium.
Joseph exit de cisterna,
Christus redit ad superna
Post mortis supplicium.
Hic dracones Pharaonis
Draco vorat, a draconis
Immunis malitia.
Quos ignitus vulnerat,
Hos serpentis liberat

pore. Ita per calorem vivificum divinæ gratiæ in resurrectione Domini exhibitæ, lethale mortis æternæ frigus dissolutum est, et mors ipsa prostrata jacet per vitæ renovationem. In eodem quoque versu dicitur princeps hujus mundi amisisse jus proprium detinendi generis humani amplius in captivitate, dum Christum tenere voluit, tanquam etiam morti et peccato subjectum qui solus erat inter mortuos liber, et in quo nihil juris habuit, quoniam peccati omnino fuit immunis. Jus autem principis mundi in hominem, est solum peccatum. Unde Christus de illo dixit: « Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan.*, XIV). »

VERS. 35. — *Amovendo gladium.* Ejectis primis parentibus nostris de paradiso, propter transgressionem divini præcepti, collocavit Dominus ante paradisum voluptatis, cherubim et flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ (*Gen.* III). Per quod significatur humano generi præclusus fuisse introitus in regnum cœlorum ante satisfactionem illius universalis delicti, quod in totam redundavit posteritatem. At vero per mortem et passionem Christi satisfactum est abunde pro illo peccato, et regnum cœlorum prius occlusum, homini reseratum est, patefactaque janua cœli. Idcirco dicitur tunc Christus amovisse gladium versatilem ipsius cherubim, et præbuisse viam facilem ad cœlum.

VERS. 1. — *Zyma vetus expurgetur.* Zyma fermentum est, et peccati typum, expressionemque gerit in Scriptura (*Exod.* XII; *Lev.* II), cum agnum paschalem sine fermento manducari debere ipsa jubet, et in sacrificio Domini fermentum misceri prohibet. Monet igitur his verbis auctor vetustatem peccati a nobis expurgandam esse, ut in sinceritate animorum tantam solemnitatem digne celebremus, quasi cum Apostolo illud nostris auribus inclamans verbum: « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio (*I Cor.* V). »

VERS. 7. — *Hæc Ægyptum spoliavit.* Quæcunque tempore legis antiquæ in figura contigerunt hujus sacræ diei præsignificativa, jure huic diei tanquam veritati et præcipuo exemplari attribuuntur, ut ad quam omnis typus et umbra tendebat. Itaque hæc dies resurrectionis spoliavit Ægyptum, quoniam significata fuit per diem illum quo Hebræi spoliaverunt Ægyptios auro, argento et vestibus pretiosis, commodato acceptis, quo etiam Hebræi fuerunt liberati a fornace ferrea Ægypti, a domo servitutis, et gravi jugo Pharaonis (*Exod.* XII). Sic enim et hoc die Christus spoliavit inferos, et genus humanum redemit ab intolerabili servitute principis tenebrarum.

VERS. 25. — *Puer nostri forma risus.* Isaac, filius Abrahæ ex Sara, dicitur hic forma sive figura nostri risus et gaudii, quod ex resurrectione Domini, et reparatione vitæ merito debemus habere, quoniam a risu id nomen Isaac accepit, cum dixerit Sara jam eo partu levata: « Risum fecit mihi Deus, et quicunque audierit, corridebit mihi (*Gen.* XXI). » Pro illo autem vervex sive aries occisus legitur, quando angelus de cœlo clamans, prohibuit Abrahæ ne immolaret filium suum (*Gen.* XXII), quemadmodum divinæ voci obediens facere proposuerat. « Tunc enim levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem as-

Digitized by Google

Ænei præsentia.
Anguem forat in maxilla,
Christus hamus et armilla.
In cavernam reguli
Manum mittit ablactatus,
Et sic fugit exturbatus
Vetus hospes sæculi.
Irrisores Elisæi
Dum conscendit domum Dei,
Zelum calvi sentiunt.
David arreptitius,
Hircus emissarius,
Et passer effugiunt.
In maxilla mille sternit.
Et de tribu sua spernit
Samson matrimonium.
Samson Gazæ seras pandit,
Et asportans portas scandit
Montis supercilium.
Sic de Juda leo fortis,
Fractis portis diræ mortis
Die surgit tertia.
Rugiente voce patris,
Ad supernæ sinum matris
Tot revexit spolia.
Cetus Jonam fugitivum
Veri Jonæ signativum
Post tres dies reddit vivum.
De ventris angustia.
Botrus Cypri æfflorescit,
Dilatatur et excrescit.
Synagogæ flos marcescit,
Et floret Ecclesia.
Mors et vita conflixere,
Resurrexit Christus vere.
Et cum Christo surrexere
Multi testes gloriæ.
Mane novum, mane lætum,
Vespertinum tergat fletum.

A Quia vita vicit lethum,
Tempus est lætitiæ.
Jesu victor, Jesu vita,
Jesu vitæ, via trita.
Cujus morte mors sopita,
Ad paschalem nos invita
Mensam cum fiducia.
Vive panis, vivax unda,
Vera vitis et fecunda,
Tu nos pasce, tu nos munda.
Ut a morte nos secunda,
Tua salvet gratia. Amen.

VI.

IN FESTIS PASCHALIBUS, ALIA PROSA.

B Hæc prosa certis etiam rhythmicæ consonantiæ numeris constat. Nam ut plurimum quisque versuum ejus, duas solum clausulas rhythmicas complectitur in exitu syllabarum ad invicem convenientes. Unaquæque autem illarum clausularum octo continet syllabas, semperque penultimam brevem. Interdum vero unus versus, quatuor comprehendit hujusmodi clausulas alternis locis consonantiam servantes, ut prima tertiæ, et secunda quartæ in consimili syllabarum desinentia respondeat. Nonnunquam itidem ejus lem versus quatuor sunt clausulæ, eodem penitus inter se exitu desinentes, quemadmodum studiosus lector facile primo ipsius litteræ obtutu dijudicabit. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Commendatur in ea multis præconiis gloriosa Christi resurrectio, ob magna beneficia, quæ humano generi contulit, scilicet redemptionem ab hoste antiquo, repara
C tionem vitæ, liberationem a morte, et spem immortalitatis in nobis consequendæ in consummatione sæculi. Et quoniam die Dominica facta est Christi resurrectio, illa dies etiam egregiis extollitur titulis et laudibus.

Lux illuxit Dominica,
Lux insignis, lux unica.
Lux lucis et lætitiæ,
Lux immortalis gloriæ.
Diem mundi conditio
Commendat ab initio.

sumens obtulit holocaustum pro filio (*ibid.*). » Fuit sane Isaac et passionis Domini et resurrectionis ad vitam signum et symbolum, quoniam jam morti destinatus erat, quam paratus subire, et post destinatam hanc oblationem, imo post arietem pro se occisum, vivus permansit.

Vers. 59. — *Rugiente voce patris.* Dicitur leo rugitu suo excitare catulos, cum recens in lucem editi jacent ut exanimes. Huic autem naturali proprietati alludens auctor, quia Christum vocavit leonem, dicit Imperio Dei Patris (quod rugientis vocis nomine exprimit) ipsum a mortuis excitatum, quandoquidem Scriptura sæpius de Christo testatur, quod eum Deus Pater suscitavit a mortuis. Post resurrectionem vero suam cœlos conscendens Christus, captivam duxit captivitatem, et spolia inferno lacu directa sanctos scilicet Patres reduxit secum in cœlos, in sinum scilicet supernæ matris nostræ Hierusalem Ecclesiæque triumphantis.

Vers. 74. — *Mane novum, mane lætum.* Hæc sententia sumpta est ex illo versu psalmi XXIX : « Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia (*Psal.* XXIX). » Quem exponens sacer Hieronymus ait : « Ad vesperum demorabitur fletus quia passo et sepulto Domino, apostoli et mulieres in fletu et gemitu morabantur. Et ad matutinum lætitia, quia mane venientes ad sepulcrum, gloriam resurrectionis ab angelis acceperunt (*Marc.* XV). »

D Vers. 1. — *Lux illuxit Dominica.* Lucem pro die sæpius apud auctores accipi, notius est, quam ut testimonio aut declaratione egeat. Et ita hoc in loco quoties in nominativo collocatur, accipitur. Nam in secundo versu in genitivo positum id nomen, claritatem sive lumen signat. Dicitur autem dies Dominica, quæ Sabbatum proxime consequitur, imo potius quam Sabbatum septimo loco sequitur. Nam prima est illa dies, et ordine temporis, et excellentia dignitatis. Et quoniam in Novo Testamento dies ille consecratus est Domino, ut in eo Deus ipse peculiarius ac integrius, quam in aliis hebdomadæ diebus colatur, quemadmodum in Veteri Testamento in Sabbato, idcirco diei Dominicæ nomen sortitur. Et Dominica dies dicitur, quasi dies Domini, specialiterque Domino dedicatus atque addictus.

Vers. 5. — *Diem mundi conditio.* Creatio sive formatio mundi (quæ hic conditio dicitur, quoniam mundus a Deo conditus est) commendat diem Dominicum, quandoquidem ipsa mundi productio in-

Digitized by Google

Quam Christi resurrectio
Ditavit privilegio.
In spe perennis gaudii.
Lucis exsultent filii.
Vindicent membra merit
Conformitatem capitis.
Solemnis est celebritas,
Et vota sunt solemnia.
Primæ diei dignitas
Prima requirit gaudia.
Solemnitatum gloria,
Paschalis est victoria.
Sub multis ænigmatibus
Prius promissa patribus.
Jam scisso velo patuit,
Quod vetus tex præcinuit.
Figuram res exterminat,
Et umbram lux illuminat.
Quid agnus sine macula
Quid hædus typi gesserit,
Nostra purgans piacula
Messias nobis aperit.
Per mortem nos indebitam.
Solvit a morte debita.

A Prædam captans illicitam,
Præda privatur licita.
Carnis delet opprobria
Caro peccati nescia.
Die reflorens tertia.
Corda confirmat dubia.
O mors Christi mirifica
Tu Christo nos vivifica.
Mors morti non obnoxia,
Da nobis vitæ præmia. Amen.

VII.

DE RESURRECTIONE DOMINI ALIA PROSA.

Hæc prosa consimilem habet rhythmicam compositionem, sicut illa paulo ante explicata, *Mane prima Sabbati, surgens Dei Filius*. Auctor ejus, B Adam de Sancto Victore. Prædicatur in ea Dominicæ resurrectionis gloria, per quam excussi sumus a faucibus leonis rugientis, sicut multis antiqui Testamenti figuris illud fuit præsignificatum. Per illam itidem et mortem Christi profluit gratia in totam Ecclesiam, quam indubitato percipiunt quicunque ore et opere confitentur Christum auctorem vitæ, et Salvatorem mundi, a quo solo salus est speranda.

Ecce dies celebris :
Lux succedit tenebris

cœpta est die Dominico, ut ille, sex dierum, quibus formatus est mundus, fuerit primus, quemadmodum in primo hujus operis libro ostensum est, in expositione illius hymni :

Primo dierum omnium
Quo mundus exstat conditus.

Accedit autem illi et altera dignitas, quod in ea sit facta Christi resurrectio. Nam mane prima Sabbati, id est prima post Sabbatum die Christus surrexit (*Marc.* XVI). Hæc autem est dies Dominica. Et propter hujusmodi excellentias, dies ista dicitur in primo hujus prosæ versu dies insignis et unica, id est præcipua sive primaria. Et in secundo eadem dicitur dies lucis et lætitiæ, dies item immortalis gloriæ, quod per resurrectionem Christi nobis lucem, lætitiam et immortalem gloriam attulerit. Et hanc ob causam quartus habet versus, quod ipsam diem Dominicam resurrectio Christi exornavit insigni privilegio, singularique dignitate.

VERS. 10. — *Lucis exsultent filii.* « Deus lux est, ut inquit Joannes, et tenebræ in eo non sunt ullæ (*I Joan.* I). » Qui ergo Dei sunt imitatores et mandata ejus custodiunt, ii sunt filii Dei et filii lucis, quoniam opera lucis faciunt, et fugiunt opera tenebrarum. Et ita etiam a Domino nominantur in Evangelio, cum ait ad Judæos : « Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis (*Joan.* XII). » In sexto autem versu membra corporis mystici dicuntur fideles, per bona opera vitam gratiæ in se habentes, et ipsi capiti Christo per vinculum dilectionis annexi, ut etiam ad integritatem et perfectionem sacri corporis Christi attineant. Admonet ergo hic versus, quod ipsi fideles id bonis sibi comparent operibus et sinceritate vitæ, ut demum conformes effici mereantur capiti Christo, et ad immortalem resurgere gloriam, sicut et ipse surrexit.

VERS. 21. — *Jam scisso velo patuit.* In passione Domini velum templi scissum fuisse legitur (*Matth.* XXVII) a summo usque deorsum. Quæ quidem discissio mystice significavit, velamen Veteris Testamenti occultans variis figuris mysteria novæ legis, jam esse amotum. Et præsente rerum exhibitione, tunc patuisse sacratissima nostræ redemptionis sacramenta, quæ ad illud usque tempus delituerant sub figurarum velamento abdita ac abstrusa, perinde atque sublato velo palam conspicitur, quidquid illo prius obvelatum fuerat.

VERS. 25. — *Quid agnus sine macula.* In Exodo filii Israel jussi sunt immolare agnum sine macula, C et juxta eumdem ritum accipere hædum ad vesperum Paschæ, aspersionesque sanguinis illius ad postes domus et superliminaria, liberati sunt ab angelo percussore primogenitorum Ægypti. Ille autem agnus gessit typum atque figuram Christi, veri agni et immaculati, cujus pretioso sanguine effuso in cruce, liberati sumus a dæmonica servitute, quemadmodum superius illud sæpenumero adductum est, et latius explicatum.

VERS. 29. — *Per mortem nos indebitam.* Christus debitor mortis non fuit, quia omnino peccati fuit expers, per peccatum autem mors est introducta. Nos autem omnes mortis sumus debitores, quia peccato obnoxii. Itaque Christus per mortem indebitam quam sponte pertulit, nos liberavit a morte debita, non solum temporali, sed etiam æterna. Et vero proximæ sequens versus non ita ad Christum, sed ad dæmonem refertur, qui opposito ad Christum modo cum rapere tentaret prædam illicitam, scilicet Chri- D stum, in quo nihil habuit juris, privatur juste præda licita, scilicet toto genere humano, in quod jus sibi vindicaverat ob contagionem et labem peccati.

VERS. 33. — *Carnis delet opprobria.* Caro ipsius Christi ab omni peccato aliena, delet opprobria et maculas nostræ carnis vere peccatricis. Quoniam ipse habens quidem similitudinem carnis peccati, non tamen carnem peccati, abstulit a nobis peccatum, qui certe habemus carnem peccati. Neque solum opprobria culpæ a carne nostra sustulit, sed etiam opprobria pœnæ, scilicet mortalitatem, passibilitatem et corruptibilitatem, per consummatæ resurrectionis gloriam. Ipsa etiam Christi caro reflorens tertia die per reditum ad vitam immortalem, confirmavit corda dubia discipulorum, diutius de veritate resurrectionis ejus subdubitantium (*Joan.* XX), « quibus præbuit se ipsum vivum in multis argumentis (*Act.* I). »

Digitized by Google

Morti resurrectio.
Lætis cedant tristia.
Cum sit major gloria,
Quam prima confusio.
Umbram fugat veritas:
Vetustatem novitas,
Luctum consolatio.
Pascha novum colite
Quod præit in capite,
Membra sperent singula.
Pascha nostrum Christus est,
Qui pro nobis passus est
Agnus sine macula.

Hostis qui nos circuit:
Prædam Christus eruit.
Quod Samson præcinuit,
Dum leonem lacerat.
David fortis viribus:
A leonis unguibus
Et ab ursi faucibus
Gregem patris liberat.
Quod in morte plures stravit,
Samson Christum figuravit.
Cujus mors victoria.
Samson dictus sol eorum.
Christus lux est electorum,

Vers. 5. — *Cum sit major gloria.* Prima confusio fuit quam induxit primorum parentum prævaricatio, transgressioque divini præcepti. Propter illam enim tota humana propago, maledicto fuit subjecta, et regno cœlorum extorris. At nunc in resurrectione Christi major est gloria humani generis, quam fuerat dignitas illa quæ per primam confusionem est deperdita. Nempe humana natura nunc ad immortalitatem est subvecta, qua nunquam mori poterit, nunc ea est incorruptibilitate et impassibilitate dotata, qua nunquam sustinere corruptionem aut passionis molestiam valebit. Ante primam vero confusionem, non ita simpliciter immortalis fuit et incorruptibilis nostra natura, sed solummodo secundum aliquid; quia scilicet potuit non dissolvi morte, aut corruptione non alteri, quandiu perstitisset in sua rectitudine. Atqui tam mala fuit prima confusio, quam bona fuit conditio humani generis per illam confusionem deperdita. Sed hujusmodi conditio nostra ante lapsum non fuit tam præclara et excellens, sicut est status humanæ naturæ per resurrectionem glorificatæ, ut jam ostensum est. Ergo prima confusio non fuit tam mala, quam bona est conditio carnis nostræ per resurrectionem beatæ. Est igitur nunc major humani generis gloria post resurrectionem, quam fuerit prima confusio per culpam, quod est propositum.

Vers. 16. — *Hostis qui nos circuit.* Quando Samson cum parentibus suis ivit in Thannata urbem Philistæorum, ut inde uxorem acciperet, et venisset ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis sævus et rugiens, et occurrit ei. Irruit autem spiritus Domini in Samson, et dilaceravit leonem quasi hædum in frusta discerperet, nihil omnino habens in manu, ut refert liber Judicum (cap. XIV). In eo autem opere, Samson figura fuit Christi, et leo ille rugiens, ipsius diaboli, de quo dicit beatus Petrus: « Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* v).» Siquidem ipse Christus totum genus humanum (quod fuit præda hostis nostri) eripuit manibus illius, ipsumque gloriose devicit ac prostravit humi, vires ejus contundens ac comminuens.

Vers. 20. — *David fortis viribus.* Ipse David ante conflictum cum Goliath ad Saul regem verba faciens, hoc ipsum quod hic describitur, his verbis enarrat: « Pascebat servus tuus patris sui gregem, et veniebat leo vel ursus, et tollebat arietem de medio gregis, et persequebar eos, et percutiebam, eruebamque de ore eorum. Et illi consurgebant adversum me, et apprehendebam mentum eorum et suffocabam, interficiebamque eos. Nam et leonem et ursum interfeci ego servus tuus (*I Reg.* XVII).» Cæterum, David, qui interpretatur, *manu fortis*, et *vultu desiderabilis*, Christum significat fortem in prælio, et speciosum forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV), qui gregem Patris sui, totum scilicet genus humanum, eruit de faucibus et unguibus dæmonis, significati per ursum et leonem, et id quidem per mortem et passionem suam.

Vers. 24. — *Quod in morte plures stravit.* Cum Philisthæi solemne celebrarent convivium, laudantes Dagon deum suum quod captus esset ab eis Samson hostis eorum, jusserunt inter epulas ipsum Samson educi carcere, ut coram eis luderet. Ipse vero cum aliquantum ludi illis præbuisset spectaculum, perductus a puero regente gressus suos ad columnas, quibus tota domus innitebatur, ut paulisper ibi quiesceret, invocato Deo, apprehensis manibus suis duas illas columnas, graviter collisit adinvicem tanto impetu, ut tota domus corruerit super discumbentes, oppressitque circiter tria millia tam virorum quam mulierum, qua quidem ruina et ipse etiam exstinctus est, multoque plures occidit mortuus, quam vivus fecerat. Ita et Christus per Samson figuratus, morte sua validius contrivit potestates tenebrarum et perfectius, quam fecerat ante adhuc vivus. Siquidem cum in terra diversaretur ante passionem, particulatim dæmonia corporibus obsessorum expulit, et semel legionem integram eorum attrivit, illam solo verbi imperio ejiciens (*Luc.* VIII). Morte vero sua non unum solum aut alterum evicit dæmonium, sed ipsum principem hujus mundi cum tota sua nigra cohorte ejecit foras, potenterque profligavit, omnem illam malarum potestatum catervam virtute suæ mortis prosternens.

Vers. 27. — *Samson dictus sol eorum.* Hic versus ostendit ex interpretatione nominis Samson, quod recte per ipsum significatur Christus. Quoniam Samson, inquit, interpretatur *sol eorum*, utpote Hebræorum, quos judiciaria directione, insigni fortitudine, et protectione ab hostibus mirifice suo tempore illustravit. Christus autem et sol est justitiæ, et lux electorum, quos in hac vita lumine gratiæ, et in altera gloriæ suæ claritate perlustrat. Ratio igitur nominis Samson, apte Christo convenit. Insuper Samson ante conceptum suum parentibus suis per angelum fuit nuntiatus (*Judic.* XIII), ita Christi conceptio sacrosanctæ matri suæ per Gabrielem est annuntiata. Samson ex matre sterili natus est: Christus ex matre virgine, obumbrante illi Spiritu sancto. Samson item toto vitæ suæ tempore fuit Nazaræus, id est consecratus Domino: de Christo autem dictum est per prophetam: «Quoniam Nazaræus vocabitur (*Matth.* II).» Rursum mira fortitudine corporis Samson cæteros homines præstitit. De Christo vero dicit Isaias. « Quod vocabitur nomen ejus Deus fortis (*Isa.* VI).» Et de eodem, Propheta in Psalmo: « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII).» Postremum, Samson ad tempus liberavit populum Hebræorum de manibus Philistæorum, Christus autem perpetuo eripuit genus humanum de manibus nequitiarum spiritualium, leonumque rugientium.

Digitized by Google

Quos illustrat gratia.
Jam de crucis sacro vecte
Botrus fluit, in dilectæ
Penetral Ecclesiæ.
Jam calcato torculari,
Musto gaudent ebriari
Gentium primitiæ.
Saccus scissus et pertusus :
In regales transit usus.
Saccus fit soccus gratiæ,
Caro victrix miseriæ.
Quia regem peremerunt,
Rei regnum perdiderunt,
Sed non deletur penitus
Cain, in signum positus.
Reprobatus et abjectus
Lapis iste nunc electus ;
In trophæum stat erectus
Et in caput anguli.
Culpam delens non naturam
Novam creat creaturam :
Tenens in se ligaturam
Utriusque populi.
Capiti sit gloria,
Membrisque concordia.
Amen.

VIII.

DE SANCTO SPIRITU.

Hæc prosa rhythmicæ consonantiæ normam exacte

VERS. 30. — *Jam de crucis sacro vecte.* Vectis dicitur in una suarum acceptionum sudes aut baculus, quo quidpiam portatur ac vehitur, ut in Exodo legimus (cap. XXV) Dominum præcepisse Moysi quod faceret vectes ad ferendam arcam. Crux autem sancta portavit Regem cœlorum et Dominum, ideo hic recte vectis nomine signatur. Penetrale vero, alis, substantivum nomen, dicitur penitior et interior pars domus aut templi, imo quidquid intimum alicui est, nomine penetralis exprimitur, ut penetralia pectoris nostri dicimus. Sublata vero per apocopen postrema littera, dicimus pro eodem significato penetral, alis. Demum botrus dicitur racemus uvæ integer. Sensus itaque hujus versus est, quod sicut torculari compressa uva, vinum suum demittit in vasa subjecta, ita pretiosus Christi sanguis patibulo crucis expressus, defluit in Ecclesiæ sponsæ Christi dilectæ præcordia ac viscera. Nam eo sanguine irrigata est et aspersa sancta Ecclesia, inde etiam sanctificationem accepit, et omnem suorum salutarium sacramentorum vim præcipuam.

VERS. 33. — *Jam calcato torculari.* Postquam torculari compressæ sunt uvæ, si quis de musto quod inde effluxit, largius hauriat, facile in ebrietatem prolabitur. Christus autem, ut ait propheta, torcular calcavit solus, et de gentibus non erat vir cum eo (*Isa* LXIII), quando crucis supplicium pertulit. Ab illo autem torculari profluxit gratia passionis Christi in multitudinem gentium, ad fidem apostolica prædicatione conversarum, quæ tanquam spirituali musto inebriati sunt, qui primi ex gentibus Christum receperunt, larga enim profusione charismatum Spiritus sancti, et affluentius quam alii, sunt repleti.

VERS. 36. — *Saccus scissus et pertusus.* Metaphorica locutione sacrum Christi corpus ob mortalitatis et passibilitatis conditionem hic saccus scissus et pertusus dicitur, quoniam in acerba passione ejus, spinis sauciatum, flagellis vulneratum, clavisque et lancea erat transfixum. Illud autem in regales transiit usus, quando per resurrectionem immortalitatis stola est indutum, et incorruptibilitatis virtute præcinctum, quemadmodum Christus in Psalmo dicit ad Patrem : « Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia (*Psal.* XXIX). » Id est mortalitate carnis jam deposita, immortalitatis gloria me coronasti. Secundum eumdem quoque sensum saccus fit soccus gratiæ, quia Christi caro prius mortalis fit receptaculum insigne immortalitatis, et gratia incorruptibilitatis dotatur. Demum, caro Christi per resurrectionem facta est victrix passibilitatis et corruptionis, quæ ad miseriam conditionis humanæ spectant.

VERS. 42. — *Sed non deletur penitus.* Invidiæ facibus accensus Cain, quia vidit fratrem suum sibi apud Deum meritis prælatum, occidit ipsum (*Gen.* IV). Verum ut hujus cædis pœna et punitio esset diuturnior, noluit Dominus ipsum Cain brevi et subita mortis illatione a quopiam interfici, sed in ipso vago et profugo super terram posuit signum, ut quicunque inveniret eum, non interficeret illum. Ita Judæi Christum fratrem suum cognatione carnis, et pastorem animarum nostrarum, ob invidiam morti tradiderunt. In cujus horrendi sceleris punitionem perdito suo regno dispersi sunt in omnem terram, et in captivitatem ducti. Neque voluit Deus eorum posteritatem penitus deleri, ut superessent semper aliqui tanquam signum et monumentum tanti criminis, et in quibus legeretur gravitas ultionis a Deo inflictæ, quique forent testimonium quoddam mortis Christi a Judæis illatæ, et gravis afflictionis eam ob rem ipsis a Deo irrogatæ, quemadmodum ait de Judæis Psalmus : « Ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, et depone eos protector meus, Domine (*Psal.* LVIII). » Itaque Abel, ipsius Christi, Cain autem, Judæorum fuit typus et figura.

VERS. 44. — *Reprobatus et abjectus.* Sumptus est hic locus ex psalmo centesimo decimo septimo, ubi ait Propheta de Christo : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Quem versum ipse Christus in Evangelio ostendit in se esse completum, cum disceptans contra Scribas et Pharisæos subinsinuat se esse lapidem illum reprobatum ab ipsis, erectum tamen a Deo in caput totius Ecclesiæ, et positum in fundamentum angulare totius fabricæ ecclesiasticæ (*Matth.* XXII).

VERS. 49. — *Novam creat creaturam.* Christus dicitur hic novam creare creaturam, non novitate naturæ et substantiæ, sed professionis et innocentiæ : quoniam abjecta peccati vetustate per regenerationem baptismalem, contulit omnibus ipsum recipientibus novitatem vitæ spiritualis, et renovationem animorum. Unde et a beato Paulo nova facti creatura in Christo dicimur (*II Cor.* V). In eodem quoque versu dicitur Christus in se tenere ligaturam, compagem, et juncturam utriusque populi, Judæi inquam, et gentilis. Nam utrumque conjunxit in confessione veræ fidei, et evangelicæ legis susceptionem. Quemadmodum beatus Paulus de Christo dicit, quod « ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes.* II). » Quia Judæos et gentes in unum conjunxit Ecclesiam catholicam, factumque est ex ipsis unum ovile, cui unus præest pastor Christus (*Joan.* X).

Digitized by Google

servat, persimilis quantum ad compositionis formam illi prosæ prius explicatæ: *Zyma vetus expurgetur.* Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Commendatur in ea multifariam mysterium missionis Spiritus sancti in apostolos, et variis antiquæ legis figuris ac factis præsignatum fuisse ostenditur. Deinde ad Spiritum sanctum dirigitur totius Ecclesiæ oratio, petens ut nos peccatis expurgatos ducat in æterna cœli tabernacula.

Lux jucunda, lux insignis,
Qua de throno missus ignis
In Christi discipulos
Corda replet, linguas ditat,
Ad concordes nos invitat,
Linguæ, cordis modulos.
Christus misit quod promisit
Pignus sponsæ quam revisit
Die quinquagesima.
Post dulcorem melleum,
Petra fudit oleum,
Petra jam firmissima.
In tabellis saxeis,
Non in linguis igneis,
Lex de monte populo.
Paucis cordis novitas
Et linguarum unitas
Datur in cœnaculo.
O quam felix quam estiva
Dies, in qua primitiva
Fundatur Ecclesia!
Vivæ sunt primitiæ,
Nascentis Ecclesiæ,

Vers. 6. — *Linguæ cordis modulos.* Tunc moduli cordis sunt concordes ipsi linguæ, quando illud Dei præconium quod lingua personat, etiam ipsum cor pie meditatur, ut non solum lingua proferat divinarum laudum modulationem, sed et cor illarum sensum sententiamque attendat, ut cum Apostolo (*I Cor.* XIV) psallamus spiritu, psallamus et mente. Quocirca manifestum est, hoc loco nomen illud linguæ, dativi esse casus, et cum adjectivo concordes ordinari.

Vers. 7. — *Christus misit quod promisit.* Enimvero promiserat discipulis Dominus noster: « Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis (*Joan.* XIV); Et iterum: » Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos (*Joan.* XVI), » et aliis multis in locis. Illud ergo pignus amoris sui in Ecclesiam sponsam suam, ut fidelis et verax misit in die Pentecostes. Et recte hic pignus nominatur Spiritus sanctus. Nam eo etiam nomine signatur apud beatum Paulum, cum scribit ad Corinthios: « Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus, et qui significavit nos et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris (*II Cor.* I). » Rursum alio loco ad eosdem: « Qui autem efficit nos in idipsum, Deus est, qui dedit nobis pignus Spiritus (*II Cor.* V). » Insuper ad Ephesios scribens inquit: « In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis (*Ephes.* I). » Demum, die quinquagesima post suam resurrectionem revisit sponsam suam Ecclesiam Christus, non quidem in sua ipsius persona, sed in Spiritus sancti missione, qui ejusdem tum ea substantiæ est et naturæ.

Vers. 10. — *Post dulcorem melleum.* Per dulcedinem mellis quæ fluxit de petra, recte hic intelligitur doctrina evangelica, quæ sacro Christi ore profluxit cum prædicaret populo ante passionem suam (*Matth.* XVI). Christus namque secundum Apostolum petra est, et quidem firma, super quam fundata est Ecclesia (*I Cor.* X). At vero Propheta in Psalmo eloquia Domini comparat melli, cum ait: « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super meliori meo (*Psal.* CXVIII). Et iterum: « Judicia Domini recta, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum (*Psal.* XVIII). Quæ autem sacratiora dederis et augustiora eloquia Domini, quam quæ divino Christi ore deprompta in Evangelio continentur? Per oleum vero, Spiritus sanctus et effusio gratiæ ejus in homines apte intelligitur, secundum Scripturæ morem. Nam de Spiritu sancto loquens Deus Pater ad Filium, ait in Psalmo: « Propterea benedixit te, Deus Deus tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » Et beatus Petrus in Actis apostolorum de Christo loquens ait: « Quem unxit Deus Spiritu sancto (*Act.* X). » Oleo autem fit inunctio. Sæpius item in Scriptura, unctionis nomine Spiritus sanctus intelligitur. Itaque hujus versus sententia est, quod post Evangelii doctrinam Christus profudit in discipulos Spiritus sancti charismata.

Vers. 13. — *In tabellis saxeis.* Datio legis Mosaicæ in monte Sinai, quinquagesimo die post egressum filiorum Israel de Ægypto facta ipsi populo (*Exod.* XX), figura fuit missionis Spiritus sancti in discipulos in die Pentecostes. Inter illam tamen et hanc, lata est differentia. Nam lex Mosi descripta fuit in tabulis lapideis, ut refert Exodus (cap. XXXI). Lex autem nova per Spiritus sancti missionem promulgata, in cordibus hominum ut vivis tabulis est scripta, quemadmodum per Jeremiam promiserat Dominus his verbis: « Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum. Non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel. Post dies illos dicit Dominus dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. » Rursum lex Mosi non data est in linguis igneis, sed fulgore, tonitruo et lampadibus ardentibus, quæ terrorem incutiant (*Exod.* XIX). Spiritus autem sanctus, in specie linguarum igearum missus est ad signandum suæ virtutis effectum, quod diversarum linguarum sermonem in discipulis adunaret, et in ipsis linguas omnes uniret. Insuper, lex Mosi toti populo Israelitico est denuntiata, loquente Domino (*Exod.* XX). Spiritus autem sanctus et per eum lex nova, paucis est primum collata, utpote centum et viginti fidelibus congregatis in unum (*Act.* II), sed per quos toti mundo propaganda esset ipsa legis novitas. Denique lex Mosi data est de monte et in vertice montis Sinai. Lex vero nova in cœnaculo sancto, ubi erant discipuli congregati, et perseverantes in oratione.

Vers. 22. — *Vivæ sunt primitiæ.* In lege Mosi, ipso die Pentecostes offerebatur Domino sacrificium de primitiis frugum, et jussæ fuerunt eo die Domino offerri primitiæ ut habet Leviticus (*cap.* XXIII). Ita mystice in ipso die Pentecostes, oblatæ sunt Domino ab apostolis primitiæ credentium. Unde nascentis Ecclesiæ, primitiæ vivæ, sunt illi qui post effusionem Spiritus sancti in discipulos, primi crediderunt. Illi autem in Actis apostolorum, trium millium complere dicuntur numerum. Nam post sermonem beati Petri illo die factum ad populum, subjungit beatus Lucas: « Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, et appositæ sunt, in illa die, animæ circiter tria millia (*Act.* II). »

Digitized by Google

Tria primum millia.
Panes legis primitivi,
Sub una sunt adoptivi,
Fide, duo populi.
Se duobus interjecit,
Sicque duos unum fecit
Lapis, caput anguli.
Utres novi non vetusti,
Sunt capaces novi musti.
Vasa parat vidua,
Liquorem dat Elisæus.
Nobis sacrum rorem Deus,
Si corda sint congrua.
Non hoc musto vel liquore,
Non hoc sumus digni rore,
Si discordes moribus.
In obscuris vel divisis,

A Non potest hæc paraclisis
Habitare cordibus.
Consolator alme, veni,
Linguas rege, corda leni.
Nihil fellis aut veneni,
Sub tua præsentia.
Nil jucundum, nil amœnum.
Nil salubre, nil serenum,
Nihil dulce, nihil plenum,
Nisi tua gratia.
Tu lumen es et unguentum
Tu cœleste condimentum.
Aquæ ditans elementum
Virtute mysterii.
Nova facti creatura,
B Te laudamus mente pura.
Gratiæ nunc, sed natura

Vers. 25.— *Panes legis primitivi.* In die Pentecostes, quinquagesimo scilicet post Pascha, filii Israel, secundum instituta veteris legis in Levitico declarata (cap. XXIII), debuerunt offerre Domino duos panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ, decoquendos in primitias Domini. Ita in exordio nascentis Ecclesiæ, succedente figuris veritate, in die Pentecostes quo Spiritus sanctus missus est in apostolos, duo panes primitiarum mystici, sunt oblati Domino, utpote duo populi, Judaicus, et gentilis, vocati in adoptionem gratiæ sub una fide Christi. Tunc enim et Judæorum populus et gentium cœpit per apostolorum prædicationem Domino offerri in obsequium fidei.

Vers. 28.—*Se duobus interjecit.* Christus secundum sententiam Psalmi sæpius ante adductam, est lapis ab ædificantibus reprobatus, factus tamen a Deo in caput anguli (*Psal.* CXVII). Et in hujusmodi compage spiritali interjecit se ipsum Christus duobus C illis populis Judæorum scilicet et gentium, quia se ipsum eis intermedium constituit, ut utrumque in se connecteret, et hoc loco pacto duos illos populos fecit unum populum, scilicet Christianum. In primitiva enim Ecclesia, et ex Judæis, et ex gentibus sumpti sunt, qui credentium Ecclesiam et cœtum constituerunt.

Vers. 31.—*Utres novi non vetusti.* Iste locus sumptus est ex Evangelio, ubi Dominus ait turbis Judæorum : « Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt; sed vinum novum in utres novos mittunt et ambo conservantur (*Matth.* IX). » Quem locum exponens Remigius ait : « Utres veteres appellat Christus suos discipulos, qui ante passionem suam nondum perfecte erant innovati. Vinum novum appellat plenitudinem Spiritus sancti, et profunda cœlestium mysteriorum, quæ tunc discipuli ferre non poterant. Sed post resurrectionem D utres novi facti fuerunt, et vinum novum receperunt, quando Spiritus sanctus replevit corda eorum (*Act.* II). Unde quidam dixerunt : Omnes isti musto pleni sunt. » Hæc Remigius. Ex cujus verbis sententia hujus versus quantum ad duas primas ejus clausulas, est intellectui satis pervia. Tertia namque clausula ejusdem ad sequentis versus pertinet sententiam et ad illam debet referri, ut mox constabit.

Vers. 34. — *Liquorem dat Elisæus.* Cum mulier quædam de uxoribus prophetarum conquereretur Elisæo, quod mortuo viro suo creditor vellet tollere duos filios suos, et in servitutem subigere, quoad persolutum esset debitum, jussit Elisæus ut ipsa mutuo peteret multa vasa vacua, et singulis eorum aliquid olei, quod habere se dixit, infunderet. Quod cum illa fecisset, adeo multiplicatum est oleum vasis infusum, ut omnia fuerint usque ad os repleta oleo. Id ubi nuntiasset Elisæo, jussit ut venderet illud oleum, et satisfaceret creditori. De eo autem quod reliquum esset, ipsa et filiis ejus viverent (*IV Reg.* IV). Mystice autem per oleum illud intelligitur gratia Spiritus sancti, quæ a Deo significato per Elisæum, præstatur abunde nobis per viduam signatis, si modo vasa habeamus vacua, id est corda nostra non repleta iniquitate, sed congrue disposita ad hujus sacri liquoris susceptionem.

Vers. 41. — *Non potest hæc paraclisis.* Sicut Paracletus vel Paraclitus Græce, idem est quod consolator, et pro Spiritu sancto potissimum sumitur in sacris litteris, ita paraclisis, eos, significat consolationem, et gratiam sancti Spiritus mœstorum cordium consolatricem. Quoniam igitur paulo ante dictum est quod nobis sacrum rorem sancti Spiritus largitur Deus, modo vasa cordis nostri sint congrua illi recipiendo, hic versus accommodate ostendit, quidnam reddat corda nostra indisposita ad sacrorum charismatum perceptionem, potissimum duo exprimens, quæ sunt impedimento tantis bonis, scilicet obscuritatem cordis obtenebrationemque per peccata, et discordiam animorum per contentiones et odia. Cum enim Spiritus sanctus sit lux spiritalis, « et Deus pacis atque dilectionis (*II Cor.* XIII), » neque in obtenebratis cordibus, neque divisis abinvicem per dissensiones et rixas, unquam deliget suæ majestatis habitaculum aut sedem.

Vers. 53.— *Aquæ ditans elementum.* Id dictum putetur, tum quod in principio creationis mundi spiritus Domini super aquas ferebatur, ut superius dictum est (*Gen.* I), tum etiam quia virtute sua Spiritus sanctus aquas sanctificat, ut salutare baptismi lavacrum conficiant, quo aspersi homines, abluantur a peccatis suis, et nova fiant in Christo creatura, renati ex aqua et Spiritu sancto. Unde et super Christum baptizatum in Jordane Spiritus sanctus apparuit (*Joan.* I), ad significandum quod in baptismo rite suscepto datur Spiritus sanctus.

Vers. 57. — *Gratiæ nunc, sed natura.* Cum nascimur, originalis peccati labe adhuc sordidati, sumus filii iræ, maledictionis, et perditionis quemadmodum beatus Paulus dicit ad Ephesios : « Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri (*Ephes.* II). » Suscepto vero sacramento baptismi, et Spiritus sancti dono percepto, efficimur filii gratiæ et adoptionis, filiique regni, per spiritalem hujusmodi in Christo regenerationem. Tunc enim ex Deo nati sumus, et filii Dei effecti. Verum enitendum nobis

Digitized by Google

Prius iræ filii.
Tu, qui dator es et donum,
Tu, qui condis omne bonum,
Cor ad laudem redde pronum,
Nostræ linguæ formans sonum,
In tua præconia.
Tu purga nos a peccatis,
Auctor ipse puritatis,
Et in Christo renovatis,
Da perfectæ novitatis,
Plena nobis gaudia. Amen.

IX.

DE SANCTO SPIRITU ALIA PROSA.

Hæc prosa, rhythmicæ compositionis tenet legem, perinde atque ea quæ superius est declarata : *Mane prima Sabbati.* Id tamen ultra illam habet speciale, quod in nono et decimo versu duas tantum habet clausulas rhythmicas, quarum prior consonantiam syllabarum servat in sui ipsius medio et fine, posterior vero clausula unius datorum versuum respondet in simili desinentia posteriori clausulæ alterius versus. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Celebratur in ea claris laudibus Spiritus sancti missio in discipulos, per quam lex nova est promulgata, ipsiusque, novæ legis supra veterem multiplex excellentia et dignitas assignatur. Apostolorum item, qui Novi Testamenti sunt Patres, magna virtus, et operandi energia depromitur. Et demum ipsius diei Pentecostes ad annum jubilæum Judæorum fit comparatio, in conditionem ac proprietatum quadam affinitate.

Simplex in essentia
Septiformis gratia
Nos reformet Spiritus.
Cordis lustret tenebras,
Et carnis illecebras
Lux emissa cœlitus.
Lex præcessit in figura,
Lex pœnalis, lex obscura
Lumen evangelicum.
Spiritalis intellectus
Litterali fronde tectus,
Prodeat in publicum
Lex de monte populo,
Paucis in cœnaculo.
Nova datur gratia.
Situs docet nos locorum,
Præceptorum, vel donorum,
Quæ sit eminentia.
Ignis, clangor, buccinæ :
Fragor cum caligine,
Lampadum discursio,
Terrorem incutiunt,
Nec amorem nutriunt,
Quem effudit unctio.
Sic in Sina lex divina,
Reis est imposita.
Lex timoris, non amoris,
Puniens illicita.
Ecce patres præelecti,
Dii recentes sunt effecti,

est summopere, ut hanc Dei filiationem susceptam in baptismo, integram in nobis inviolatamque servemus per sinceram fidem, et bonorum operum fructum. Ne per ignaviam nostram de perdita tanta dignitate, qua filii Dei nominamur et sumus, decidamus a numero filiorum Dei, et efficiamur filii Satanæ, per imitationem illius, et expletionem desideriorum ejus. Tanto siquidem gravior erit culpa nostra, si exciderimus a sorte filiorum Dei per irrationabiles concupiscentiarum nostrarum motus, quanto major fuit Dei in nos dignatio, qua nos ipsos ascivit in cœtum et numerum filiorum suorum, qua Spiritum suum sanctum diffudit in corda nostra, ut hospitem et habitatorem animarum nostrarum. Cui si intulerimus contumeliam, per peccata eum a nobis propellentes, et Satanæ spiritum ultro admittentes in penetralia cordis nostri, non effugiemus vindicem Dei iram. A qua nos sua benignitate præservet spiritus totius bonitatis. Amen.

Vers. 59. — *Tu qui dator es et donum.* Spiritus sanctus dator est, quia hominibus sua dona largitur. Quemadmodum ostendit sacer Paulus, ita scribens ad Corinthios : « Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii fides in eodem Spiritu (*I Cor.* XII). » Et demum in finem concludit : « Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*ibid.*). » Ipse etiam donum est, quia a Deo datur iis, qui illum dari sibi petunt, quemadmodum testatur Dominus in Evangelio : « Si vos, inquit, cum estis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum petentibus se (*Luc.* II).» Dicitur et ipse Spiritus sanctus omne bonum condere, id est creare, producere et formare quia omnibus est Spiritus, et quo bonum omne profluit in creaturas, et cui et bonitas peculiariter attribuitur.

Vers. 1 — *Simplex in essentia.* Salomon in libro Sapientiæ dicit de ipsa superdivina sapientia, quod « in ea est spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus (*Sap.* VII),» et ita de cæteris ejus proprietatibus, quas deinde subnectit. Sed quisnam est spiritus æternæ sapientiæ, nisi Spiritus sanctus? qui ab Apostolo spiritus filii et spiritus Christi nominatur (*Gal.* IV; *Rom.* VIII). Christus autem Dei virtus est et Dei sapientia (*I Cor.* I). Est igitur Spiritus sanctus, et unicus et multiplex : unicus in substantia, multiplex in donis. Quod etiam hic insinuatur cum dicitur ipse spiritus simplex ac individuus in essentia, septiformis tamen gratia ac munere. Perinde atque unicus natura est sol, multiplices tamen operationes efficit in hæc inferiora, quæ vegetat, fovet, illuminat, calefacit, ac vivificat. Et unica in corpore nostro est anima, multorum tamen operum secundum diversas virtutes suas effectiva.

Vers. 7. — *Lex præcessit in figura.* A tertio versu usque ad decimum fit veteris legis ad novam, quantum ad excellentiæ et dationis earum habitudinem, collatio, utpote quod illa figura est, hæc veritas; illa dura ac gravis, hæc suavis et levis. Illa umbra, hæc lumen; illa litteram habet occidentem, hæc spiritum vivificantem; illa sub velamine ac cortice litteræ sensum spiritalem occultat, hæc occultatum detegit ac revelat. Illa in monte data est, hæc in cœnaculo; illa toti populo, hæc paucis discipulis. Illa in clangore buccinæ, fulgure, tonitruo, igne et fumo; hæc in vehementi sono, advenientis Spiritus sancti nuntio, et linguis igneis. Illa in terrore est data ad incutiendum timorem, hæc in placido ignis innocui delapsu qui foveat amorem. Denique illa duræ cervicis populo est imposita in servitutem : hæc superni Patris filiis in libertatem. Postremum illa timoris est lex et rigoris, hæc vero amoris et lenitatis.

Vers. 29. — *Ecce patres præelecti.* Ab undecimo versu usque ad decimum quartum sanctorum apo-

Digitized by Google

Culpæ solvunt vincula.
Pluunt verbo, tonant minis,
Novis linguis et doctrinis
Consonant miracula.
Exhibentes ægris curam,
Morbum damnant non naturam :
Persequentes scelera
Reos premunt et castigant ;
Modo solvunt, modo ligant,
Potestate libera.
Typum gerit jubilæi
Dies iste, si diei
Requiris mysteria.
In quo tribus millibus
Ad fidem currentibus ;
Pullulat Ecclesia.
Jubilæus est vocatus :
Vel dimittens vel mutatus
Ad priores vocans status,
Res distractas libere.
Nos distractos sub peccatis,
Liberet lex charitatis.
Et perfectæ libertatis
Dignos reddat munere. Amen.

X.

DE SANCTO SPIRITU ALIA PROSA.

In hac prosa consimilis ratio rhythmicæ compositionis observata conspicitur, sicut in penultima, *Lux jucunda, lux insignis*, præter id quod in decimo tertio, et decimo quarto versu non habet prima clausula responsum in exitu syllabarum ad secundam ejusdem versus, sed singulæ earum finem suum habent consonantem suo medio, ut unius et ejusdem clausulæ medium respondeat in simili desinentia suo ipsius fini. In ea commendatur multipliciter Spiritus sanctus, tum a divinis proprietatibus et habitudine ejus ad Patrem et Filium, circa principium præsentis prosæ et finem. Tum a variis suæ bonitatis in creaturas operibus, potissimum in homines, quorum anima sua dignatione visitat et illustrat. Demum humilis ad ipsum fidelis populi fit supplicatio, a decimo septimo versu usque ad vicesimum primum. Et quoniam totius prosæ contextus admodum facilis est et legentibus pervius, paucis adnotationibus ea transigetur. Auctor ejus : Adam de Sancto Victore.

Vi procedis ab utroque
Genitori, genitoque,
Pariter paraclete
Redde linguas eloquentes,
Fac ferventes in te mentes
Flamma tua divite.
Amor Patris Filiique,
Par amborum, et utrique
Compar et consimilis,
Cuncta reples, cuncta foves

stolorum qui primitias sancti Spiritus acceperunt, ponitur multiplex commendatio. Dicuntur enim primum patres præelecti, quoniam præ aliis electi sunt, ut Novi Testamenti sint non solum patres, sed et patriarchæ, figurati per duodecim Veteris Testamenti patriarchas. Dicuntur et dii per participationem effecti, quoniam Spiritus sanctus illis supervenieus deiformes illos reddidit, propemodum divinos. De quibus intelligitur illud Psalmi : « Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt (*Psal.* XLVI). » Apostoli quoque pluunt verbo, quoniam salutarem doctrinæ suæ imbrem aridis hominum mentibus viva voce instillarunt, ad proferendum fructum salutis. Ideirco nubium nomine signantur apud Isaiam, cum ait (cap LX) : « Qui sunt hi, qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas? » Tonant itidem minis. Nam vox eorum vehemens, et æterna malis supplicia comminans, ac interminans, more tonitrui commovit animos auditorum. Unde Psalmus de eorum prædicatione dicit : « Vox tonitrui tui in rota. Alluxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, et contremuit terra (*Psal.* LXXVI). » Præterea eorum doctrinis consonant miracula, quoniam doctrinam suam signorum novitate, et virtute confirmarunt, ut ait Marcus : « Illi autem profecti prædicaverunt, ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* XVI). » Denique quod ligandi atque solvendi habeant potestatem, ex verbis Domini apud Matthæum (cap. XVIII), et apud Joannem (cap. XX) est manifestum.

VERS. 41. — *Typum gerit jubilæi.* Ab hoc versu usque ad finem, dies iste adventus Spiritus sancti in discipulos comparatur anno jubilæo Judæorum (qui et quinquagesimus dictus est, quod quinquagesimo quoque anno obvenit) in conformitate proprietatum, quæ Judæis quidem carnaliter, nobis autem spiritaliter conveniunt. Nempe jubilæus interpretatur, ut hic ait, *dimittens* vel *mutatus* quod eo anno debita dimittebantur : et qui ante servi erant manumittebantur, exsules revertebantur in patriam, et unusquisque, ad domum et possessionem suam redibat, quam ante vendiderat, ut ex vicesimo quinto capite Levitici constat : et ita mutabatur prior rerum status atque conditio, in meliorem. Nam qui ante servi erant, tunc effecti sunt liberi, et prius natali solo extorres, tunc illius facti sunt incolæ ; denique prius suis agris, aut domibus destituti, tunc efficiebantur eorum possessores ; et prius debitores, tunc absoluti debitis. Hæc autem omnia, spiritaliter in hominibus completa sunt per adventum Spiritus sancti. Nam debita peccatorum relaxata sunt, servitus peccati adempta, virtutum reddita possessio, postquam sub peccato fuimus venundati, et in cœli patriam concessus reditus, a quo fueramus exclusi. Porro secundum alios jubilæus interpretatur *initiatus*, sive *remissivus*, quod annus ille quinquagesimus ex divina constitutione Deo consecratus, mancipatusque crederetur, atque remissionem debiti, et servituti indulgens. Hæc autem interpretatio etiam recte convenit tempori missionis Spiritus sancti, per quem prius idolorum cultui dediti, Dei sacris sunt initiati, illiusque addicti obsequio, ac peccatorum suorum remissionem consecuti

VERS. 6. — *Flamma tua divite.* Spiritus sancti flamma ignis est ille spiritalis et cœlestis, quem immittit cordibus hominum. Et hæc dives est propter multiformitatem donorum sacram inflammationem consequentium. Exuberantiam enim gratiarum et divitias suorum munerum confert illis, qui ad cœlestes illas opes recipiendas cordis sui præparant promptuarium, quo eos recondant. Est enim Spiritus sanctus (ut Pauli verbis utar (*Rom.* X) dives in omnes qui invocant illum ; omniumque est artifex, omnia cognoscens, omnia prospiciens.

Digitized by Google

Astra regis, cœlum moves,
Permanens immobilis.
Lumen clarum, lumen charum
Internarum tenebrarum
Effugas caliginem.
Per te mundi sunt mundati,
Tu peccatum et peccati
Destruis rubiginem.
Veritatem notam facis
Et ostendis viam pacis ;
Et iter justitiæ,
Perversorum corda vitas
Et bonorum corda ditas
Munere scientiæ.
Te docente, nil obscurum.
Te præsente, nil impurum ;
Sub tua præsentia,
Gloriatur mens jucunda.
Per te læta, per te munda
Gaudet conscientia.
Tu commutas elementa
Per te suam sacramenta
Habent efficaciam.
Tu nocivam vim repellis ;
Tu confutas et refellis
Hostium nequitiam.
Quando venis, corda lenis ;
Quando subis, atræ nubis
Effugit obscuritas.
Sacer ignis, pectus ignis,
Non comburis, sed a curis
Purgas, quando visitas.
Mentes prius imperitas,
Et sopitas et oblitas,
Erudis et excitas.
Foves linguas, formas sonum.
Cor ad bonum, facit pronum,
A te data charitas.
O juvamen oppressorum !
O solamen miserorum !
Pauperum refugium :
Da contemptum terrenorum ;
Ad amorem supernorum
Trahe desiderium.
Pelle mala, terge sordes :
Et discordes fac concordes :
Et affer præsidium.
Tu qui quondam visitasti ;
Docuisti, confortasti,
Timentes discipulos :
Visitare nos digneris.
Nos si placet consoleris
Et credentes populos.
Par majestas personarum ;
Par potestas est earum ;
Et communis deitas.
Tu procedens a duobus :
Coæqualis es ambobus :
In nullo disparitas.
Quia tantus es et talis
Quantus Pater est et qualis,
Servorum humilitas
Deo Patri Filioque,
Redemptori, tibi quoque,
Laudes reddat debitas.
Amen.

XI.

DE SANCTA TRINITATE.

Hæc prosa uniformem habet rhythmicæ modulationis in omnibus suis versibus formam. In singulis enim tres continet clausulas rhythmicas, quarum duæ primæ mutuam adinvicem habent in exitu consonantiam : et utraque illarum octo complectitur syllabas, quarum penultima semper longa aut syllabæ longæ in tenore prolationis persimilis. Tertia vero cujusque versus clausula responsum habet ad tertiam proximi versus in simili desinentia, et septem constringit syllabas, penultimamque brevem. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Explicatur in ea concinne, eleganter et apposite altissimum super sanctæ Trinitatis mysterium : quomodo in illa nec unitas deitatis repugnat trinitati personarum, nec harum pluralitas illius simplicitati ; quomodo etiam ipsæ personæ licet unius sint essentiæ, proprietates tamen habent singulares et personales, secundum quas earum attenditur ac sumitur discretio. Et alia id genus ad sacratissimum istud fidei arcanum secretumque sacramentum attinentia, hic decenter et dilucide reserantur, quæ ex Symbolo Athanasii et ejus explanatione in secundo libro posita, plana satis et clara evadere possunt, idcirco illorum decla-

Vers. 12. — *Permanens immobilis.* Quæ in libro Sapientiæ de æterna sapientia dicuntur in septimo capite, Spiritui quoque sancto congrue adaptantur, ut qui ejusdem sit cum Filio Dei naturæ et substantiam divinam consequentes proprietates (quales sunt eæ, de quibus est sermo) omnino cum ipso habeat communes, ut puta quod cum sit unus, omnia potest : et in se permanens, omnia innovat, et per nationes in animas sanctas se transfert, amicosque Dei et prophetas constituit (*Sap.* VII). Ex quo et id continuo colligitur, quod astra regit, cœlumque movet, permanens tamen immobilis :

Stabilisque manens, dat cuncta moveri,

ut canit Boetius (*De consol. phil.* lib. III, met. 9).

Vers. 31. — *Tu commutas elementa.* Id non secundum eorum substantiam est intelligendum, sed secundum usum ac virtutem. Nam elementum aquæ sanctificatione Spiritus sancti consecratum, accommodatur lavacro baptismi, et novam quodam modo induit virtutem : ut quod prius corpora solum abluebat, nunc etiam ad abstergendas animæ maculas sit idoneum. Neque solum baptismi sacramentum, sed et cætera omnia virtute Spiritus sancti conficiuntur, et suam inde vim desumunt. Nullum enim perficitur sacramentum, quod non Spiritus sancti invocatione absolvatur.

Vers. 40. — *Sacer ignis, pectus ignis.* Primo loco, ignis, nomen est vocativi casus. Nam per totam prosam sermo ad Spiritum sanctum dirigitur. Secundo vero loco, secunda est persona præsentis indicativi, hujus verbi, ignio, is, ire, quod inflammare significat, et accusativo jungitur. Porro sacer ille ignis est, de quo canit Ecclesia. Advenit ignis divinus non comburens, sed illuminans, nec consumens, sed lucens, et invenit corda discipulorum receptacula munda, et tribuit eis charismatum dona.

Digitized by Google

rationibus non opus erit hic diutius immorari ac A
iusistere.

Profitentes unitatem,
Veneremur trinitatem
Patri reverentia.
Tres personas asserentes,
Personali differentes
A se differentia.
Hæ dicuntur relative,
Cum sint unum substantive.
Non tria principia.
Sive dicas tres vel tria,
Simplex tamen est usia,
Non triplex essentia.
Simplex esse, simplex posse,
Simplex velle, simplex nosse,
Cuncta sint simplicia.
Non unius quam duarum,
Sive trium personarum,
Minor efficaciá.
Pater, proles, sacrum flamen,
Deus unus, sed hi tamen
Habent quædam propria.
Una virtus, unum numen.
Unus splendor, unum lumen.
Hoc una quod alia.
Patri proles est æqualis,
Nec hoc tollit personalis
Amborum distinctio,
Patri compar Filioque,
Spiritalis ab utroque
Procedit connexio.
Non humana ratione
Capi possunt hæ personæ,
Nec harum discretio.
Non hic ordo temporalis,

Vers. 7. — *Hæ dicuntur relative.* Divinæ personæ adinvicem relative dicuntur, secundum habitudinem explicantem intimos earum adinvicem processus et emanationes, ut Pater ad Filium refertur et Filius ad Patrem, a quo per æternam et ineffabilem generationem proficiscitur. Sic Spiritus sanctus ad Patrem et Filium habet relationem, a quorum utroque intima processione emanat. Hujusmodi tamen earum habitudo adinvicem non prohibet, quin ipsæ sint unum rerum omnium principium, substantive, sive secundum substantiam, et non tria principia, sunt enim unus Deus, non tres dii.

Vers. 10. — *Sive dicas tres vel tria.* Personalis distinctio in divinis personis facit, ut catholice possimus enuntiare etiam in numero multitudinis, quod in sanctissima Trinitate sunt tres personæ, tres hypostases, sive tres subsistentiæ. Nam hæc tria nomina, persona, hypostases, et subsistentia, pro eodem sumunt probati auctores. Facit itidem illa personarum discretio, ut recte et vere possimus dicere, in summa Trinitate esse tria supposita, tria singularia, tria individua, quandoquidem hæc nomina inter se et cum tribus præcedentibus sint eadem, quantum ad significandi rationem. Nihilominus in ipsis tribus divinis personis simplex est substantia, quæ Græco nomine dicitur *ousia*. Unde et Filium Dei, Patri homousion, id est *consubstantialem* confiteri secundum orthodoxæ fidei traditionem debemus. Non est igitur in illis tribus personis triplex essentia sive substantia, cum sit unica et simplex. Simplicitas enim essentiæ ejusdem multiplicitati et unitas pluralitati secundum idem repugnat.

Vers. 16. — *Non unius quam duarum.* Cum Deus Pater sit omnipotens, itidem et Filius et Spiritus sanctus, non minor est virtus et pœnitentia in Patre, quam in Patre et Filio, aut tribus simul personis. Si enim dederis minorem in solo Patre quam in duabus aut tribus personis esse operandi efficaciam, aut potestatem, non igitur erit, Pater summe potens aut omnipotens, quod est hypotheseos et positi oppositum. Non enim id poterit, in quo minor est ipsius et invalidior potentia, quam duarum aut trium personarum. Et ita de sapientia, bonitate, perfectione, et cæteris divinis proprietatibus, nectatur argumentum. Simile enim in omnibus est judicium, neque id quidem præter rationem. Nam una prorsus et eadem est Patris et Filii et Spiritus sancti potentia, sapientia, bonitas, et perfectio, sicut et una substantia atque essentia. Quomodo igitur illa minor erit in una persona quam in pluribus, aut major in pluribus quam una? esset enim tunc illa sive virtus sive sapientia, revera se ipsa minor, cum sit eadem in omnibus.

Vers. 20-21. — *Sed hi tamen habent quædam propria.* Pater enim singularem habet proprietatem, ipsius a Filio et Spiritu sancto discretivam, scilicet innascibilitatem sive ingignentiam, quod a nullo prodeat, sed se ipso solo subsistat. Filius gignentiam sive nascentiam habet quod a Patre solo sit genitus. Spiritus autem sanctus personalem habet proprietatem, quam processibilitatem sive processionem dicere solent, quod a Patre et Filio, processu intimo et nobis imperscrutabili prodeat. Verumtamen, ut proxime sequens dicit versus, hoc est una persona quod alia. Nam personalis ista discretio et proprietatum differentia, nullam substantiæ aut naturæ diversitatem, inducit. Pronomen autem hoc, et quod, et similia aut nomina, aut pronomina in neutro genere, substantiæ sunt indicativa, sicut ostendit illud verbum Domini in Evangelio : « Ego et Pater, unum sumus (*Joan.* x). »

Vers. 29. — *Spiritalis ab utroque procedit connexio.* Spiritalis connexio hic intelligit Spiritus sanctus, qui nexus dicitur et amor Patris et Filii, quo Pater diligit Filium, ut habet Evangelium, et Filius etiam Patrem : « Pater, inquit diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus (*Joan.* III). » Et Filius de se ipso : « Sed, ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio (*Joan.* XIV). » Et sane proprium amoris est connectere et coadunare plura adinvicem placido dilectionis vinculo, mutuoque nexu constringere, sicut discordia dissipat et disjungit. Spiritus autem sanctus amor est, recte igitur ipse hic connexio dicitur.

Vers. 34. — *Non hic ordo temporalis.* Ipsæ tres personæ, coæternæ sunt ad invicem, ut sicut Pater est æternus, ita Filius et Spiritus sanctus Patri coæternus. Nullus igitur inter eos est ordo durationis, neque una personarum prior aut posterior alia durationis ordine dici potest. Rursum, cum situs et positio in loco, localis item circumscriptio et conclusio, solis conveniat corporibus, et rebus se in molem attollentibus ac magnitudine præditis. « Deus autem spiritus est (*Joan.* IV), » et unaquæque divinarum personarum superspiritalis est, figuræ et quantitatis exors, planum est etiam in divinis personis neque situm inveniri localem neque circumscriptionem. Quomodo enim circumscribetur Deus, qui immensus est, qui cœlum et terram implet (*Jer.* XXIII), qui in cœlo est sursum et in abyssis deorsum ?

Digitized by Google

Non sic situs, aut localis
Rerum circumscriptio.
Nil in Deo præter Deum,
Nulla causa præter eum
Qui causat causalia.
Effectiva vel formalis
Causa, Deus, et finalis.
Sed nunquam materia.
Digne loqui de personis,
Vim transcendit rationis,
Excedit ingenia.
Quid sit gigni, quid processus,
Me nescire sum professus.
Sed fide non dubia.
Qui sic credit, ne festinet,
Et a via non declinet
Insolerter regia.
Servet fidem, formet mores,
Nec declinet ad errores
Quos damnat Ecclesia.
Nos in fide gloriemur,
Nos in una modulemur
Fidei constantia.
Trinæ sit laus unitati,
Sit et simplæ trinitati
Cœterna gloria. Amen.

XII.

IN DEDICATIONE TEMPLI.

Hæc prosa uniformem servat rhythmicæ mensuræ legem. In singulis siquidem versibus quatuor habet clausulas rhythmicas, quarum tres primæ consimilem inter se habent syllabarum desinentiam, et unaquæque earum decem complectitur syllabas, penultimamque brevem. Quarta vero clausula (quæ semper versum terminat) quatuor tantum continet syllabas, neque certam quantitatis regulam in penultima, neque responsum in exitu syllabarum ad aliam clausulam observans. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. In ea vero dulce canit epithalamium, carmenque nuptiale desponsationis Christi sponsi, et Ecclesiæ suæ sponsæ, quam proprio acquisivit sanguine, ut esset sancta, et immaculata in conspectu ejus, neque maculam habens, neque rugam (*Ephes.* v). Ostenditur item Ecclesia multis antiqui Testamenti figuris esse præsignata, quæ mirabilem ejus dignitatem, fecunditatem et ornatum prænonstrarunt, sed mirabilius ea omnia in ipsa esse completa, secundum mysticum sensum dignoscuntur.

Jerusalem et Sion filiæ:
Cœtus omnis fidelis curiæ :
Melos pangat jugis lætitiæ.
Haleu ia.
Christus enim desponsat nodie
Matrem nostram norma justitiæ,
Quam de lacu traxit miseriæ
Ecclesiam.
In Spiritus sancti clementia;
Sponsa sponsi lætatur gratia.
A reginis laudis cum gloria

Vers. 38, 39.— *Nulla causa præter eum, qui causat causalia.* Cœlum, sol et elementa causæ sunt rerum, sed non primæ, habent enim priorem causam Deum, qui prima est omnium et simpliciter causa. Insuper quæ sub Deo causæ sunt rerum, non habent a se ipsis rationem et vim causalitatis, sed a Deo qui cæteris causalitatem communicat, illisque præstat, ut post ipsum sint causæ. Deus autem ab alio non mutuatur, nec accipit precario rationem causæ, sed a se ipso primum habet quod sit causa. Recte igitur hic nulla dicitur esse causa prima, absoluta et perfecta, præter eum, qui omnia producit causalia, et omnes effectus. Dicuntur enim causalia, ipsa effecta, quæ a causis producuntur et prodeunt.

Vers. 40. — *Effectiva vel formalis.* Unitas in trinitate, et trinitas in unitate in Deo, multis rerum proditur indiciis, et potissimum in triformi ratione causæ quod ipse una et maxime omnium una est causa, et tamen trina secundum rationem, scilicet efficiens, forma et finis. Efficiens quidem, quia ab ipso ut primo auctore sunt omnia. Forma, quia per ipsum subsistunt omnia. Dat enim esse rebus, et conservat eas in esse. Finis vero, quoniam in ipsum ut optimum finem referuntur omnia, et ipsius gratia aguntur omnia. Semper enim quod melius est, aliorum finis debet constitui. Et si quis Patri effectricem ascripserit causam, ex quo omnia, Filio formam, quia per eum omnia, et Spiritui sancto finem, quia in ipsum revocantur omnia, non absurdam accommodationem fecerit. Nihilo secius ipse tres personæ, una sunt omnium causa, efficiens, forma et finis, et unaquæque earum effectrix est causa, et forma et finis. At vero causæ materialis ratio, Deo non convenit, quia neque ex eo ut substrato alterius compositioni fit aliquid, neque in eo etiam ut subjecto quidpiam recipitur, quod illi more accidentis insit.

Vers. 1.— *Jerusalem et Sion filiæ.* Filia Jerusalem dicitur Ecclesia triumphans in cœlis, ubi vera est *pacis visio*. Filia vero Sion, Ecclesia in terris militans, quæ per fidem adhuc speculatur Deum, videtque nunc per speculum et in ænigmate (*I Cor.* XIII). Sion enim *speculum* sive *speculatio* interpretatur; Jerusalem vero, *visio pacis*. Unde Psalmus de fidelibus animabus, quæ filiæ sunt militantis Ecclesiæ, dicit: « Et filiæ Sion exsultent in rege suo (*Psal.* CXLIX). » Et in Canticis canticorum dicit ad easdem Sponsa : « Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius (*Cant.* III). » Promiscue tamen alterum pro altero ponitur, ut filiæ Jerusalem in Canticis sæpenumero dicuntur animæ fideles Ecclesiæ militantis. Ut cum in loco supradicto præmittit de rege Salomone, vere pacifico. Ascensum purpureum media charitate constravit, propter filias Jerusalem. Et filiæ Sion animæ sanctorum in cœlis Deum speculantes. Unde Psalmographus hæc duo nomina tanquam pro eodem accipi solita, in eodem versu conjungit dicens : « Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem (*Psal.* LXIV). » Itaque hujus versus hæc est sententia : Omnis societas fidelis populi decantet Ecclesiæ, tam triumphanti, quam militanti, suave canticum continui gaudii scilicet halelu ia.

Vers. 7.— *Quam de lacu traxit miseriæ.* Matrem nostram Ecclesiam militantem (quæ nos Christo per baptismum genuit) Christus traxit de lacu miseriæ ipsius culpæ, quando ipsum suo redemit sanguine, et lavit a peccatis. Alteram vero matrem nostram, quæ sursum est, et regnat in cœlis. Jerusalem sanctam, traxit de lacu miseriæ tribulationum, et tentationum hujus mundi, quando eam subvexit ad æthera, et liberavit ab hoc sæculo nequam.

Vers. 11. — *A reginis laudis cum gloria.* Locus

Digitized by Google

Felix dicta.
Dos ut datur, crescit lætitia.
Quæ dos, quanta? triplex potentia
Tangens cœlum, terram, et stygia
Judicia.
Mira loquor et sana credere.
Fœderatam tam largo munere:
De proprio produxit latere
Deus homo.
Formaretur ut sic Ecclesia,
Figuratur in pari gloria.
Adæ costis formata femina:
Hostis Eva.
Eva fuit noverca posteris:

A Hæc est mater electi generis.
Vitæ portus, asylum miseris
Et tutela.
Pulchra, potens, partu mirabilis:
Ut luna, sol fulget spectabilis.
Plus acie multo terribilis
Ordinata.
Multiplex est, singularis, una.
Generalis et individua.
Omnis ævi sexus simul una
Parit turmas.
Hæc signata Jordanis fluctibus.
Hæc quæ venit a terræ finibus:
Scientiam audire cominus

iste sumptus est ex Canticis canticorum, ubi ait Salomon de Sponsa æterni Regis, sancta scilicet Ecclesia: « Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt eam reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam (*Cant.* VI), » et consimilis pene sententia habetur in postremo capite Proverbiorum de ipsa Ecclesia, sub typo mulieris fortis: « Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt, vir ejus, et laudavit eam (*Prov.* XXXI).»

B

Vers. 14. — *Quæ dos, quanta?* In fœdus et arrham connubii, solet dos assignari ab hominibus. Ita in nuptiis illis spiritalibus Christi et Ecclesiæ, non defuit ampla, et mystica dos, tradita a Sponso ipsi Sponsæ. Hic enim sponsus omnium Dominus, auctorque bonorum dotavit Sponsam suam, non sponsa sponsum, ut apud homines. Quod si percontaris qualis et quanta fuerit illa dos data in hoc connubio? respondet hic versus eam dotem adeo esse amplam, ut suo ambitu complectatur cœlestia, terrestria et inferna. Sunt enim non solum in cœlo et terra, sed et apud inferos, qui ad Ecclesiæ sanctæ pertinent consortium, ut qui purgatorio igne expiantur, demum transferendi ad cœlestem Jerusalem. Complectitur itaque dos illa largissima triplicem mundi machinam, cœlum, terram et abyssum. Ecce quam largum est munus acceptum a Sponso quo ipsa Sponsa illi in conjugium est confœderata.

C

Vers. 19.— *De proprio produxit latere.* Cum Christi in cruce dormientis per mortem latus est apertum lancea militis, inde profluxit sanguis et aqua (*Joan.* XIX,) unde sacramenta ecclesiastica suum acceperunt efficaciam. Tunc sane Christus de illo latere suo transfixo formavit Ecclesiam, quoniam a prioribus eam sordibus emundavit, et illo sanguine et aqua abluit. Hoc autem mysterium (ut sequens dicit versus) figuratum fuit in formatione primæ mulieris, quæ de latere viri dormientis, et ex costa Adæ formata in Genesi legitur (cap II).»

D

Vers. 25. *Eva fuit noverca posteris.* Quoniam Eva de costa viri formata gessit typum Ecclesiæ, sicut et Adam, ipsius Christi, nunc quantum fuerit discrimen inter figuram et veritatem, hic versus exprimit. Certe Eva et hostis fuit et noverca suæ posteritati, quoniam ipsam subjecit maledictioni, morti et damnationi per suam prævaricationem. Ecclesia vero, pientissima est mater, quæ filios gignit electionis, non perditionis; filios gratiæ, non iræ; filios vitæ, non mortis.

Vers. 29. —*Pulchra, potens, partu mirabilis.* Exprimuntur hoc loco præclaræ proprietates ipsius Ecclesiæ Christi sponsæ. Primum quod pulchra sit, de ea namque dicit Sponsus in Canticis: « Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te (*Cant.* IV).» Et rursum: «Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum (*Cant.* I).» Secundo. Quod sit potens. Nam sponsa sui sponsi titulis insignitur et nonestatur. Sponsus autem ejus est Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio (*Psal.* XXIII).» Quare et ipsa eodem potentiæ titulo decoratur. Tertio. Quod partu est mirabilis. Nempe fecunda semper, et nunquam effeta, numerosa prole felix, multiplicique sobole beata, tamen semper virgo manens, quia illius est sponsa, qui de virgine matre natus est. Quarto. Quod fulgida est ut luna, et conspicua ut sol, ob suarum virtutum splendorem et refulgentiam. Quinto. Quod terribilior est acie castrorum ordinata, contra hostiles turmas et spiritales nequitias. Hæ autem duæ postremæ conditiones, desumptæ sunt ex illo præconio Ecclesiæ in Canticis canticorum posito. « Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? (*Cant.* VI.)»

Vers. 33.— *Multiplex est, singularis, una.* Explicat hic versus, et alias Ecclesiæ proprietates, quadam oppositionis ratione inter se diversas, nullo tamen modo repugnantes. Quarum prima est, quod ipsa Ecclesia multiplex est, et simul singularis. Multiplex quidem, quia ex omni natione quæ sub cœlo est, et ex omni tribu populo et lingua constans. Singularis vero, quia in una fide et confessione divini nominis in spiritu unita. Unde in Canticis dicit de ea Sponsus: « Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ (*ibid.*). » Secundo ipsa generalis est tamen individua. Generalis quidem, quantum ad sui dilatationem et ambitum, quo omnes terræ gentes et regiones complectitur. Individua vero, quia schismata, hæreses et hæreticorum conventicula, discessionesque ab integritate fidei non admittit. Unica enim fuit arca, quæ salvavit Noe cum sua familia a diluvio (*Gen.* VII). Una item domus, in qua comedebatur apud Hæbreos agnus paschalis (*Exod.* XII), et unica rursum domus Raab, in qua salvati sunt, quicunque in ea, cum subverteretur civitas Jericho, sunt reperti (*Josue* VI). Hæc enim tria jam adducta, symbolum quoddam sunt et signum unitatis Ecclesiæ. Tertio. Quod ipsa parit prolem Christo cujusvis ævi et sexus. Nam recipiuntur ad baptismum non solum infantes, sed et adulti et senio graves, neque solum viri, sed et mulieres. Et id mirum quod cum ab exordio nascentis Ecclesiæ nunquam desierit parere filios, neque ad finem usque mundi desinet, tam crebro tamen partu, neque fracta est, neque reddita imbecillior, sed vegeta semper, et integra virtute robusta permanet, ut quæ nec temporis sustineat fluorem, nec senectutis incommoda, sed supra tempus, et ætatem perpetuo vigore solidetur.

Vers. 37.—*Hæc signata Jordanis fluctibus.* Ecclesia sancta per Jordanis fluenta est signata, tum quia Jordanis aquas transeuntes Hebræi (*Josue* III), ut intrarent terram promissionis, expresserunt typum

Digitized by Google

Salomonis.
Hæc typicis descripta sensibus :
Nuptiarum induta vestibus :
Cœli præest hodie civibus
Christo juncta.
O solemnis festum lætitiæ,
Quo unitur Christus Ecclesiæ.
In quo nostræ salutis nuptiæ
Celebrantur.
Cœtus felix, dulce convivium :
Lapsis ubi datur solatium,
Desperatis offertur spatium
Respirandi.
Justis inde solvuntur præmia.
Angelorum novantur gaudia.
Lata nimis quod facit gratia
Charitatis.
Ab æterno fons sapientiæ
Intuitu solius gratiæ.
Sic prævidit in rerum serie
Hæc futura.
Christus ergo nos suis nuptiis
Recreatos veris deliciis.
Interesse faciat sociis
Electorum. Amen.

XIII.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ PROSA.

Hæc prosa, rhythmicæ compositionis variam præ se fert speciem. Nam in principio, et circa finem, singulæ versuum clausulæ consonantiam habent, et similem syllabarum desinentiam in sui ipsarum medio et fine. In cæteris autem versibus, tres ponuntur clausulæ rhythmicæ, duæ quidem inter se consonantes, et tertia unius versus respondens tertiæ clausulæ proximi versus, quod rhythmi genus in prosis est frequentissimum. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Explicantur in ea præconia, laudes et mysteria sanctæ matris Ecclesiæ, multis modis per Veteris Testamenti figuras præsignificata, in Psalmis quoque et Evangelio mirifice prædicata, ut adnotationes subjunctæ declarabunt.

Quam dilecta tabernacula
Domini virtutum, et atria.
Quam electi architecti,
Tuta ædificia.
Quæ non movent, imo fovent
Ventus, flumen, pluvia.
Quam decora fundamenta,

baptismi, per quem pervenitur ad terram viventium lacte et melle manantem. Tum quia in Jordane baptizatus Dominus consecravit baptismum per quem regenerantur Ecclesiæ filii. Insuper regina Saba, quæ venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis (ut tertius liber Regum meminit (cap. x) figura fuit ipsius Ecclesiæ ex gentibus, quæ ab extremis terræ plagis venit excitata per prædicationem apostolorum ad Christum Dei sapientiam, ut ejus legem amplecteretur, doctrinam audiret, et mandata capesseret.

Vers. 41.— *Hæc typicis descripta sensibus.* Ecclesia dicitur typicis, sive figuralibus descripta sensibus, quoniam multiplici figurarum Veteris Testamenti descriptione est repræsentata, ut sequens prosa diffusius declarabit. Eadem quoque est nuptiarum induta vestibus, quoniam vario virtutum et gratiarum ornatu a Christo sponso suo est decorata, quibus tanquam splendidis vestibus nitida refulget. Quod et Propheta in Psalmo testatur dicens : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate (*Psal.* XLIV).» Et rursum : «Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus (*ibid.*). »

Vers. 46. — *Quo unitur Christus Ecclesiæ.* De hac unione spirituali loquitur beatus Joannes in Apocalypsi dicens : « Vidi sanctam civitatem Jerusalem, novam, descendentem de cœlo, a Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis (*Apoc.* XXI).» Et eo in loco de nuptiis sponsæ, et agni frequenter inducit sermonem.

Vers. 54.— *Angelorum novantur gaudia.* Si enim gaudium est angelis super uno peccatore pœnitentiam agente, qui adhuc in periculo relabendi ad præterita mala versatur, quanto magis ipsis est gaudium super præmiis justorum (*Luc.* XV), qui introducuntur in cœlum et adjunguntur consortio beatorum, quoniam inde ruina ipsorum reparatur. Et hujusmodi gaudium inducit sincera illa charitas et dilectio, quam habent angeli ad homines.

Vers. 57. — *Ab æterno fons sapientiæ.* Hoc comprobat beati Pauli sententia, dicentis ad Ephesios de Deo Patre : « Qui elegit nos in ipso Christo, ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate (*Ephes.* I).» Et id quidem sola gratia. Nam sola gratia, et gratuito divini muneris indultu, vocati sumus ad fidem et sinum matris Ecclesiæ. Quod et Paulus attestatur scribens ad Ephesios : « Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis. Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur (*Ephes.* II).»

Vers. 1. — *Quam dilecta tabernacula.* Hoc prosæ exordium ex psalmo octogesimo tertio sumptum est, ubi ait Propheta : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (*Psal.* LXXXIII). » Et cætera, quæ deinde consequuntur. Illic enim, per tabernacula et atria Domini, intelligitur Ecclesia cum militans, tum triumphans, de qua eodem loco subjungit : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te (*ibid.*).»

Vers. 3. — *Quam electi architecti.* Ex Evangelio sumpta est hujus et proxime sequentis versus sententia, ubi Dominus eum qui audit sermones suos, et facit eos, similem esse dicit « homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere : fundata enim erat supra petram (*Luc.* VI).» Cæterum hic sapiens architectus et electus ex millibus, Christus est, qui super se ipsum petram firmissimam, ædificavit domum suam scilicet Ecclesiam, « et portæ inferi non » prævaluerunt, nec « prævalebunt unquam adversus eam (*Matth.* XVI). » Venerunt quidem flumina tribulationum, et flaverunt venti persecutionum, a tyrannis et hæreticis excitati contra Ecclesiam. Sed non potuerunt eam dimovere suo loco, quia stabilitati spiritalis petræ erat innixa.

Vers. 7. — *Quam decora fundamenta.* De his fundamentis dicit Propheta in Psalmo : « Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob (*Psal.* LXXXVI). » Et hujusmodi fundamenta præcurrerunt per concinna sacramenta umbræ, quoniam præsignificata sunt per varias figuras Veteris Testamenti, suo ordine hic subinde digestas. Illæ autem figuræ, hic sacramenta vocantur, quoniam sacræ rei in Novo Testamento complendæ erant signa. Umbra vero

Digitized by Google

Per concinna sacramenta
Umbræ præcurrentia.
Latus Adæ dormientis
Evam fudit in manentis
Copulæ primordia.
Arca ligno fabricata
Noe servat gubernata
Per mundi diluvium.
Prole sera tandem feta
Anus Sara ridet læta
Nostrum lactans gaudium.
Servus bibit qui legatur
Et camelus adaquatur
Ex Rebeccæ hydria.
Hæc in aures et armillas
Aptat sibi, ut per illas
Viro fiat congrua.

A Synagoga supplantatur
A Jacob, dum divagatur
Nimis freta litteræ.
Lippam Liam latent multa,
Quibus videns Rachel fulta,
Pari nubit fœdere.
In bivio tegens nuda,
Geminos parit ex Juda
Thamar diu vidua.
Hic Moyses a puella.
Dum se lavat, in fiscella'
Reperitur scirpea.
Hic mas agnus immolatur,
Quo Israel satiatur :
Tinctus ejus sanguine.
B Hic transitur rubens unda :
Ægyptios sub profunda

hic Vetus Testamentum dicitur, quoniam figuris erat adumbratum, et involutum. Demum concinna fuerunt illa umbræ sacramenta, quoniam apta admodum et congrua fuerunt ipsi veritati per ea signatæ.

Vers. 10. — *Latus Adæ dormientis.* Prima Ecclesiæ figura hic expressa, fuit Eva formata de latere viri sui dormientis (*Gen.* II), quæ in præcedente prosa est latius enodata. Secunda. Arca Noe ex ligno composita, conservavit ipsum et ejus familiam a diluvio (*Gen.* VII). Sic Ecclesia cruci Christi innixa, servat in ea contentos inter fluctus, et procellas sæculi salvos et incolumes. Tertia. Sara diu sterilis, in ætate decrepita filium peperit Isaac, a materno risu sic denominatum (*Gen.* XXI). Qui Christum significavit, nostrum vere gaudium. Ita Ecclesia ex gentibus diutius sterilis, utpote toto tempore præcedente adventu Christi in carne, in novissimis diebus copiosam edidit prolem post Christi ad cœlos ascensionem.

Vers. 19. — *Servus bibit qui legatur.* Quarta Ecclesiæ figura est Rebecca, accersita honorabili legatione, ut sit uxor Isaac, quæ servo Abrahæ dedit potum ex hydria sua, et accepit ab eo, dono inaures et armillas, quibus ornaretur (*Gen.* XXIV). Sic Ecclesia vocata est, ut sponsa sit Christi, largumque salutaris doctrinæ potum suis porrigit cultoribus, a quo a diverso virtutum pulchritudine exornatur. Quinta figura. Jacob subripuit benedictionem fratri suo Esau, dum is divagaretur per agros venatui intentus (*Gen.* XXVII). Ita Ecclesia a Christo benedictionem est adepta, cum Synagoga nimium inhærens, et innitens litteræ legis, exspatiatur a recto calle veritatis. Porro in decimi versus hanc quintam explicantis figuram tertia clausula, auctor præsentis prosæ ponit dictionem, fretus, cum dativo casu, ad responsum in exitu syllabarum servandum cum versu proxime sequente. Id tamen est contra usum probatorum auctorem qui eam dictionem cum solo ponunt ablativo, ut Virgilius :

Threicia fretus cithara fidibusque canoris.

Vers. 28. — *Lippam Liam latent multa.* Sexta figura. Lia, quæ lippis oculis (*Gen.* XXIX), Synagogam signat cæcutientem, et velatis palpitantem oculis, cui multa erant occulta divinæ in homines dispensationis mysteria. Rachel vero venusta facie et decoro aspectu clarosque habens oculos, Ecclesiam Christi significat. In lumine et claritate Evangelii illa perspicientem sacramenta, quæ latuerant Synagogam. Et ambæ sorores conjunctæ erant ipsi Jacob fœdere connubii, quia tam Synagoga, quam Ecclesia, fuit ipsius Christi, illa prius, hæc vero posterius (*Gen.* XXXVIII). Septima figura. Thamar geminis viduata maritis cum non traderetur tertio filio Judæ jam adulto in uxorem, consedit in bivio ut scortum, et faciem suam ne agnosceretur occultans concepit ex Juda filio Jacob duos gemellos, Zaram et Phares. Sic Ecclesia diu deserta, et per cultum idolorum fornicatrix, demum fecunda facta est, cum a Christo sponso suo visitatur, et multos illi filios in spiritu peperit, ut completum fuerit in illa id Isaiæ vaticinium. « Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Isa.* LIV). » Fuit enim copiosior Ecclesiæ proles quæ deserta fuerat, quam Synagogæ. quæ habuit Deum sibi sponsum. Et quemadmodum cecinit Anna Samuelis (*I Reg.* II), tunc sterilis Ecclesia plurimos peperit, et Synagoga quæ multos habebat filios, infirmata est. Octava figura. Moses primum in lucem editus, cum non posset amplius a suis parentibus occultari, positus est in fiscella ex scirpo et junco contexta, et expositus in flumine, ibique inventus a filia Pharaonis regis Ægypti, quæ tum forte exivit ad flumen ut lavaretur (*Exod.* II). Ita Ecclesia variis a Deo erroribus abducta et exposita gravi periculo submersionis in abyssum, a Christo miserante tristem ejus casum est suscepta, et benigniter educata. Nona figura. Agnus paschalis jussus est in una Hebræorum domo manducari, cujus sanguine aspersi postes propulerunt exterminatorem primogenitorum (*Exod.* XII). Ita in una Ecclesiæ domo Christus verus agnus sumitur a fidelibus, et ejus sanguine potantur Christiani in sacro scilicet sanctæ eucharistiæ convivio.

Vers. 40. — *Hic transitur rubens unda.* Decima figura, populus Israeliticus duce Mose pertransivit incolumis mare Rubrum, in quo Ægyptii sunt submersi (*Exod.* I). Ita, Christo instituente, in Ecclesia baptismus suscipitur per Rubrum mare signatus, et in eo totus dæmonum exercitus vitiorumque turba demergitur. Undecima. In arca fœderis fabricata a Mose continebatur urna repleta cœlesti manna, et tabulæ lapideæ decem præcepta legis complexæ (*Hebr.* IX). Haud aliter in Ecclesia per arcam figurata continetur sanctissimum eucharistiæ sacramentum, et Evangelium, Dei mandata perfectius explicans. Duodecima. Tabernaculum testimonii compositum a Mose, multa fuit adornatum varietate sacrorum vasorum et utensilium ad Dei cultum spectantium, ut habet Exodus (cap. XXVI). Hoc autem repræsentabat Ecclesiam, multo sacramentorum decore et vario ministrantium ordine insignitam. Decima tertia. Aaron summus sacerdos diversa habuit vestimenta sacra, mira arte contexta, quorum omnium primum et quod ante alia induitur est poderis, vestis talaris, et ad pedes usque (a quibus nomen accipit) defluens, quæ et a Josepho et in Exodo (cap. XXVIII) tunica byssina dicitur, duplici sindone intexta. Cujus item mentionem facit Joannes in Apocalypsi, cum ait : « Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio septem candelabrorum

Digitized by Google

Obruens voragine.
Hic est urna manna plena
Hic mandata legis dena,
Sed in arca fœderis.
Hic sunt ædis ornamenta.
Hic Aaron indumenta,
Quæ præcedit poderis.
Hic Varias viduatur.
Bersabee sublimatur,
Sedis consors regiæ.
Hæc regi varietate
Vestis astat deauratæ
Sicut regum filiæ.
Huc venit austri regina,
Salomonis quam divina
Condit sapientia.

A

Hæc est nigra sed formosa,
Myrrhæ et thuris fumosa
Virga pigmentaria.
Hæc futura, quæ figur
Obumbravit, reseravit
Nobis dies gratiæ.
Jam in tecto cum dilecto
Quiescamus, et psallamus :
Adsunt enim nuptiæ
Quarum tonat initium
In tubis epulantium,
Et finis per Psalterium.
Sponsum millena millia,
Una laudant melodia,
Sine fine dicentia : halelu ia. Amen.

B

—

ureorum, similem Filio hominis vestitum podere, et præcinctum ad mammillas zona aurea (*Apoc.* I). » Ita Ecclesia Christi multiplicem habet ornatum virtutum, quibus tanquam vestibus pretiosis adornatur. Decima quarta. Urias vir Bersabee in bello contra filios Ammon interfectus est, et Bersabee deinde nupsit ipsi David regi, effectaque est regina (*II Reg.* II). Ita Synagoga per Uriam intellecta, abolita est et emortua. Ecclesia vero per Bersabee signata, Christo regi æterno, fœdere nuptiali est conjuncta.

VERS. 52. — *Hæc regi varietate.* Decima quinta figura. Ipsa Ecclesia signatur in Psalmo per reginam quæ astat a dextris æterni Regis et Filii Dei, in vestitu deaurato, circumdata varietate (*Psal.* XLIV). Siquidem regina est Ecclesia, quoniam regis sponsa, astat in vestitu deaurato charitatis et cæterarum virtutum, circumdata varietate ordinum ecclesiasticorum, et ministrantium in ea secundum diversos gradus ac functiones. Quod autem subjungit littera præsens, sicut regum filiæ, etiam respondet illi loco ejusdem psalmi : « Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo (*ibid.*). » Et illi itidem loco : « Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumamicta varietatibus (*ibid.*). » Decima sexta. Regina Saba venit a parte australi sive meridie in Jerusalem cum magno comitatu et divitiis, ut audiret sapientiam Salomonis, quam fama ante cognoverat (*III Reg.* X). Sic Ecclesia a longinquis venit terræ finibus, ut Christum, verum Salomonem, per legem evangelicam loquentem audiret, quemadmodum in prosa præcedente jam explicatum est. Decima septima figura hic expressa. Ipsa Ecclesia postremum signatur per sponsam illam quæ in Canticis dicit de se ipsa : « Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis (*Cant.* I). » Et de qua in eodem libro dicit admirabunda fidelium turba : « Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii (*Cant.* III). Sane hæc omnia supradicta, Veteris Testamenti figuris fuerunt obumbrata, sed per diem gratiæ, id est lumen Novi Testamenti reserata fuere, et in apertum prolata.

VERS. 64. — *Jam in lecto cum dilecto.* Lectulus sponsi, qui sæpe in Canticis nominatur, placidam signat animi in Domino quietem, quando omnibus curis liber et a mundo alienus, illum solum meditatur et jugiter contemplatur. Hanc autem tranquillitatem et requiem ut amplectamur, admonet præsens versus, qua posthabitis sæculi negotiis et sedatis affectibus nostris, « in pace in ipsum dormiamus et requiescamus (*Psal.* IV) » in Domino, propter celebritatem nuptiarum Christi et Ecclesiæ, in quibus ieriari oportet.

VERS. 67. — *Quarum tonat initium.* Tubæ, Veteris Testamenti nobis indicant statum, quoniam in eo jussæ sunt fieri a Domino ad movenda castra, ad convocandam multitudinem, ad exeundum in bellum, et denique ad festa celebranda. De quarta enim causa institutionis earum, sic legitur Deus dixisse filiis Israel : « Si quando habebitis epulum et dies festos et Kalendas, canetis tubis super holocaustis et pacificis et victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri (*Num.* X). » Et rursum alio loco : « Canite in neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ (*Psal.* LXXX). » Iterum Propheta in alio psalmi loco : « In voce exsultationis et confessionis, sonus epulantis (*Psal.* XLI). » Psalterium vero instrumentum musicum (quod decachordum est, decemque chordis modulationem edit longe suaviorem et gratiorem auditu, quam sit tubarum sonitus obstreperus) Novi C Testamenti conditionem insinuat, in perfecta decem mandatorum Dei observatione potissimum consistentem. Quamvis enim in veteri lege illa fuerint tradita, tamen ex evangelicæ perfectionis doctrina multo clarius elucidata sunt, et perfectius observari præcepta. Itaque hujus versus sententia est quod initium harum nuptiarum Christi et Ecclesiæ fuit in Veteri Testamento, quinimo paulo post productionem humani generis, quandoquidem secundum Gregorium et cæteros doctores, Ecclesia Christi incœpit ab Abel justo, et per totum Veteris Testamenti decursum continuata est atque progressa. Finis vero illarum nuptiarum ad Novum pertinet Testamentum, in quo consummatæ sunt et completæ illæ spirituales nuptiæ, quæ ante illud tempus necdum perfectæ fuerant, quia nondum ex gentibus collectio ad fidem per apostolos fuerat facta, neque plenitudo gentium adhuc intraverat ad Christum, sed solum ex Judæis (exceptis paucis) tunc constabat D Ecclesia. In Novo vero Testamento, Judæorum multitudo pariter et gentium per lapidem angularem in Ecclesiæ perfectum ædificium est compacta. Et ergo finis complementum et perfectio illarum nuptiarum, spectat ad Novi Testamenti dignitatem ac statum.

VERS. 70. — *Sponsum millena millia.* Hic locus ex Apocalypsi sumptus est, ubi dicit beatus Joannes : « Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, animalium et seniorum, et erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna : Dignus est Agnus qui occisus est accipere virtutem et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem (*Apoc.* V). » Agnus autem qui occisus est, sponsus est Ecclesiæ Jesus Christus, qui hoc pacto a millibus millium laudatur. Milia autem millium et millena millia, eumdem conflant numerum, scilicet mille millia vel millies mille. Quare idem prorsus signatur numerus hic per millena millia, et in Apocalypsi per millia

Digitized by Google

XIV.

DE SANCTO ANDREA.

Hæc prosa rhythmicæ mensurationis tenet legem, sicut illa paulo superius declarata : *Lauda, Sion, Salvatorem.* Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Describit autem inclyta sancti Andreæ præconia, vocatione ejus ad Christum, prædicationem Evangelii ab eo factam gentibus, et mortem ejus in cruce gloriosam.

Exsultemus et lætemur,
Et Andreæ delectemur
Laudibus apostoli.
Hujus fidem, dogma, mores
Et pro Christo tot labores,
Digne decet recoli.
Hic ad fidem Petrum duxit,
Cui primum lux illuxit,
Joannis indicio,
Secus mare Galileæ.
Petri simul et Andreæ
Sequitur electio,
Ambo prius piscatore.
Verbi fiunt assertores,
Et forma justitiæ.
Rete laxant in capturam,
Vigilemque gerunt curam
Nascentis Ecclesiæ.
A fratre dividitur,
Et in partes mittitur ;
Andreas Achaiæ.
In Andreæ retia
Currit Dei gratia
Magna pars provinciæ.
Fide, vita, verbo signis,
Doctor pius et insignis,
Cor informat populi.
Ut Egeas comperit
Quid Andreas egerit,
Iræ surgunt stimuli.
Mens secura, mens virilis,
Cui præsens vita, vilis,
Viget patientia.
Blandimentis aut tormentis.
Non enervat robur mentis
Judicis insania.
Crucem videns præparari,
Suo gestit conformari
Magistro discipulus.
Mors pro morte solvitur,
Et crucis appetitur,
Triumphalis titulus
In cruce vixit biduum.
Victurus in perpetuum,
Nec vult volente populo
Deponi de patibulo.
Hora fere dimidia
Luce perfusus nimia,
Cum luce cum lætitia
Pergit ad lucis atria.
O Andrea gloriose,
Cujus preces pretiosæ.
Cujus mortis luminosæ
Dulcis est memoria.
Ab hac valle lacrymarum
Nos ad illud lumen clarum.
Pie pastor animarum
Tua transfer gratia. Amen.

XV.

DE SANCTO NICOLAO.

Hæc prosa rhythmicam habet in sua structura mensuram, sed multiformem. Nunc enim duas continet in uno versu clausulas rhythmicas, nunc quatuor,

millium. Et hic prosæ locus, illi apte respondet.

Cæterum hujus auctor prosæ Adam de Sancto Victore aliam insuper non minus quam hæ duæ postremæ elegantem composuit prosam de dedicatione Ecclesiæ, cujus initium est :*Rex Salomon fecit templum, cujus instar et exemplum, Christus et Ecclesia.* In qua totam templi Salomonis structuram applicat ad mysticum sensum et spiritualem fabricam Ecclesiæ. Verum, quoniam illa se ipsam satis explicat et latentem aperit intelligentiam, consulto hic prætermissa est.

Vers. 16. — *Rete laxant in capturam.* Hic sermo metaphoricus est, quo per laxationem retis in capturam, insinuatus studium et sedulitas prædicationis amborum fratrum ad conversionem populorum. Verbum enim prædicationis eorum fuit rete spirituale, quo expiscati sunt multos homines obrutos fluctibus infidelitatis et vitiorum, ut a voragine damnationis respirarent ad lucem vitæ. Respondetque ea clausula verbis Domini, dictis ad eos de materiali piscatione. « Laxate retia vestra in capturam (*Luc.* v), » et tunc conclusa retibus copiosa piscium multitudine (quæ significabat ingentem hominum multitudinem per ipsos convertendam) « relictis retibus et navi secuti sunt Dominum (*ibid.*). »

Vers. 38. — *Crucem videns præparari.* Hoc Ecclesia in una antiphonarum ita canit de sancto Dei apostolo. Cum pervenisset beatus Andreas ad locum ubi crux parata erat, exclamavit et dixit : « O bona crux diu desiderata, et jam concupiscenti animo præparata, securus et gaudens venio ad te, ita ut tu exsultans suscipias me discipulum ejus qui pependit in te. »

Vers. 41. — *Mors pro morte solvitur.* Mors scilicet Andreæ, solvitur pro morte Christi. Mortem enim quam Christus pro omnium salute pati dignatus est, ipse sanctus Andreas in cruce moriens reddidit Salvatori, et pro Christi morte suam mortem rependit, eo ipso non parum exsultans, quod in consimili mortis genere scilicet crucifixione suo Magistro conformaretur. Vocatur autem hic triumphalis titulus crucis, quoniam in eo triumphavit Christus de principe hujus mundi. Et sanctus Andreas de Egea impio persecutore, a quo non sustinuit se vivum de cruce deponi.

Vers. 54. — *Cujus mortis luminosæ.* Luminosam vocat auctor sancti Andreæ mortem, quoniam cum lumine cœlesti completa est. Ut enim præcedens dicit versus, cum dilectus Deo apostolus jam biduo in cruce pependisset, de ea ut cathedra doctoris populum docens, tanta denique circa ipsum claritas cœlitus effusa emicuit, ut non possent oculi mortales in ipsum defigere obtutus. Cumque permansisset illa lux ibidem fere dimidiæ horæ spatio abscedente paulatim lumine beatum emisit spiritum et feliciter obdormivit in Domino.

Digitized by Google

neque uniformem etiam servat in desinentia et exitu syllabarum consonantiam, ut ex ipsa lectione facile quivis deprehendere poterit. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. In ea prædicantur insignia beati Nicolai præconia, mirabilis indoles puerilis ætatis jaciens fundamenta magnarum (quæ postea in eo emicuerunt) virtutum, Deo auctore facta ejusdem, ad episcopatum vocatio, miraculorum ejus cum in vita tum post mortem claritudo et frequentia. Verum ex vita ejus quæ in omnium versatur manibus dilucida sunt, neque magnam efflagitant declarationem.

Congaudentes exsultemus
Vocali concordia.
Ad beati Nicolai
Festiva solemnia.
Qui in cunis adhuc jacens
Servando jejunia,
A papillis cœpit summa
Promereri gaudia.
Adolescens amplexatur
Litterarum studia.
Alienus et immunis
Ab omni lascivia.
Felix confessor,
Cujus fuit dignitatis
Vox de cœlo nuntia.
Per quam provectus,
Præsulatus sublimatur
Ad summa fastigia.
Erat in ejus animo
Pietas eximia
Et oppressis impendebat : B
Multa beneficia,
Auro per eum, virginum
Tollitur infamia.
Atque patris earumdem
Levatur inopia.
Quidam nautæ navigantes,
Et contra fluctuum,
Sævitiam luctantes,
Navi pene dissoluta.
Jam de vita desperantes,
In tanto positi
Periculo, clamantes
Voce dicunt omnes una :
O beate Nicolae,
Nos ad maris portum trahe
De mortis angustia.
Trahe nos ad portum maris,
Tu qui tot auxiliaris
Pietatis gratia.
Dum clamarent, nec incassum
Ecce quidam, dicens assum,
Ad vestra præsidia.
Statim aura datur grata,
Et tempestas fit sedata,
Quieverunt maria.
Ex ipsius tumba manat
Unctionis copia,
Quæ infirmos omnes sanat
Per ejus suffragia.
Nos, qui sumus in hoc mundo
Vitiorum in profundo
Jam passi naufragia.
Gloriose Nicolae
Ad salutis portum trahe, C
Ubi pax et gloria.
Ipsam nobis unctionem
Impetres a Domino,
Prece pia.

Vers. 7. *A papillis cœpit summa.* Papilla est ipsum mammæ capitulum atque extremum, unde lac trahitur, sic dicta, quali parva papula sive tuberculum, quod hujusmodi mamillæ caput sit papulæ persimile. Capitur etiam interdum pro tota mamma, ut apud Virgilium in Æneide :

Hasta sub exertam donec perlata papillam
Hæsit.

Et hoc secundo modo hic sumitur. Cœpit autem a papillis Nicolaus promereri summa gaudia cœli, quoniam ab uberibus matris et infantili ætate cœpit jejunii operibus insistere, per quæ demum adjectis aliarum virtutum actionibus æterna cœli gaudia promeritus est.

Vers. 16. — *Per quam provectus, præsulatus.* Hoc loco provectus participium est, a provehor passivo verbo deductum idem significans quod promotus, subvectus, et in altum sublatus. Virgilius :

Huc se provecti diverso in littore condunt.

Invenitur autem et ea dictio interdum esse nomen verbale, et promotionem aut progressionem signare. Neque hoc loco cum substantivo præsulatus ordinari debet, quod genitivi casus est, sed ad substantivum præcedens confessor sive Nicolaus, ut hæc habeatur sententia. Per quam vocem cœlo delapsam ipse Nicolaus provectus, sublimatur ad summa fastigia, apicemque ipsius præsulatus et dignitatis pontificalis.

Vers. 27. — *Quidam nautæ navigantes.* Inter multa miracula quæ Deus per beatum Nicolaum operatus est, duo solum hic recenset auctor, ut ea ad mysticum deinde sensum applicet, petitionique nostræ congruenter adaptet. Primum de nautis, qui oborta tempestate invocantes beati Nicolai opem, a periculo mortis imminentis sunt ejus auxilio liberati. Ita in decimo nono versu nos qui hoc in mundo versamur vitiorum procellis obruti, petimus beati Nicolai ductu ad æternæ portum salutis pertingere. Secundum in decimo septimo versu innuitur miraculum de emanatione olei ex tumba beati Nicolai. Haud aliter in vicesimo primo versu petimus unctionem spiritalem, et sancti Spiritus gratiam nobis a Deo beati Nicolai precibus impetrari, qua animi nostri ulcera, vulneraque inuncta curentur. Et ita utraque petitio fidelis populi hic facta, apta proportione respondet duobus illis miraculis ante memoratis.

Vers. 58. — *Impetres a Domino.* Hoc loco non impetret, ut nonnulli habent libri, legendum est, sed impetres, ut continuatus sit sermo deprecatorius ad sanctum Nicolaum, et ad eum dirigatur oratio, sicut in præcedente versu, per secundæ personæ verbum directus est, ita in vicesimo secundo versu non legendum est relativum, qui, in masculino genere, sed in feminino, quæ, ut referatur ad præcedens nomen unctionem. Quamvis enim qui pronomen ad antecedens Domino posset referri, non tamen tantæ significantiæ est oratio, neque adeo accommodata præcedenti sententiæ sicut cum sit hoc loco relatio ad unctionem.

Digitized by Google

Quæ sanavit læsionem,
Multorum peccaminum
In Maria.
Hujus festum celebrantes,
Gaudeant per sæcula.
Et coronet eos Christus,
Post vitæ curricula. Amen.

—

XVI.

DE SANCTA AGNETE.

Hæc prosa rhythmicæ modulationis legem ecclesiasticis prosis familiarem et domesticam servat. Nam in complusculis versibus omnes clausulæ rhythmicæ præcedentes ultimam, adinvicem consonant in ipso exitu, et singulæ, octo complentur syllabis, quarum penultima est longa. Postrema B vero illorum versuum clausula responsum in consonantia habet ad ultimam proximi versus et septem conficitur syllabis penultimaque brevi. At vero in quinto versu et sexto, similiter nono et decimo, singulæ rhythmicarum clausularum sex complectuntur syllabas, quarum in quatuor primis penultima syllaba semper est brevis. In quinta autem noni et decimi versus clausula, penultima syllaba occurrit longa. Porro quatuor primæ supradictorum versuum clausulæ, nunc alternis locis habent mutuum in simili desinentia responsum, ut prima tertiæ conspiret, et secunda quartæ, nunc vero proximis locis positæ consimili terminantur vocalitate, ut prima ad secundam referatur, et tertia ad quartam. Demum postrema clausula noni versus, ad postremam decimi suam tenet conformitatem. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore, qui eleganti et canora modulatione totam gloriosæ virginis Agnetis passionem in illa C complectitur, a capite ad calcem usque eam persequens, quod illi in aliis itidem prosis sanctorum, vitam, et martyrium describentibus, consuetudinarium est et peculiare. Insuper apparitionem illam sanctam, qua post felicem suam obdormitionem parentibus suis lugentibus ipsius mortem, suam manifestavit gloriam, insinuat hic auctor, et Constantiæ reginæ curationem meritis beatæ Agnetis præstitam. Verum quoniam beatus Ambrosius hujus sacræ virginis vitam et agonem pro Christo præclare et copiose conscripsit. Et illa elucubratio cæteris ejus operibus inserta ab omnibus facile haberi potest et legi, non sunt pro clariori elucidatione illa quæ ad historiam passionis ejus attinent, hic repetenda, sed ex ipso potius suavissimo fonte haurienda. Itaque legatur ad horum intelligentiam Ambrosius.

Animemur ad agonem :
Recolentes passionem
D
A Gloriosæ virginis.
Contrectantes sacrum florem
Respiremus ad odorem
Respersæ dulcedinis.
Pulchra, prudens, et illustris,
Jam duobus Agnes lustris
Addebat triennium.
Proles amat hanc præfecti :
Sed ad ejus virgo flecti
Respuit arbitrium.
Mira vis fidei
Mira virginitas.
Mira virginei
Cordis integritas.
Sic Dei Filius
Nutu mirabili :
Se mirabilius
Prodit in fragili.
Languet amans, cubat lecto.
Languor notus fit præfecto :
Maturat remedia.
Offert multa, spondet plura ;
Periturus peritura.
Sed vilescunt omnia.
Nudam prostituit
Præses flagitiis,
Quam Christus induit
Comarum fimbriis,
Stolaque cœlesti.
Cœlestis nuntius
Assistit propius,
Cella libidinis
Fit locus luminis :
Turbantur incesti.
Cæcus amans indignatur
Et irrumpens præfocatur
A maligno spiritu.
Luget pater, lugent cunct.,
Roma flevit pro defuncti
Juvenis interitu.
Suscitatur ab Agnete.
Turba fremit indiscrete :
Rogum parant virgini.
Rogus ardens reos urit.

VERS. 60-61. — *Multorum peccaminum in Maria.* Id de beata Maria Magdalena intelligendum cujus multa peccata sanavit unctio divinæ gratiæ, cum a cœlesti medico dictum est de ea. « Dimissa sunt illi peccata multa, quoniam dilexit multum. Et iterum ad eam : Remittuntur tibi peccata tua (*Luc.* VII). »

VERS. 4. — *Contrectantes sacrum florem.* Qui manibus pulchrum attrectat florem et suaviter olentem, haud dubie respergitur dulci odore illius floris, et placida ipsius percipit spiracula. Ita, inquit, nos ipsi sacratæ Deo virginis Agnetis (quæ flos est spiritalis virgineo candore nitens, et effusione sui sanguinis roseus, dulcissimumque virtutum omnium spirans odorem) mores, vitam et acta commemorantes, aspergamur suavitate virtutum ipsius et per sedulam imitationem curramus in odore unguentorum ejus.

VERS 19.— *Se mirabilius prodit in fragili.* Beatus Paulus ad Corinthios scribens, dicit de Christo, quod infirma hujus mundi elegit, ut fortia quæque confundat, quod certe in victoria sanctarum virginum de tyrannis hujus sæculi, manifesto declarat argumento. Nempe longe patentibus suam ostendit virtutem in tenellis illis virgunculis sexu et ætate fragilibus, cum in eis confringit vires tyrannorum, et dæmonum, quam in viris animo robustioribus et masculo vigore præditis. Idcirco sancta Ecclesia ipsius Dei commendans omnipotentiam, illud ei præconium ascribit, quod inter cætera potentiæ suæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulerit.

Digitized by Google

In furentes flamma furit,
Dans honorem numini.
Grates agens Salvatori,
Guttur offert hæc lictori
Nec ad horam timet mori,
Puritatis conscia.
Agnes, Agni salutaris
Stans ad dextram gloriaris,
Et parentes consolaris
Invitans ad gaudia.
Ne te flerent ut defunctam
Jam cœlesti sponso junctam :
His sub agni forma suam
Revelavit atque tuam
Virginalem gloriam.
Nos ab Agno salutari
Non permitte separari.
Cui te totam consecrasti,
Cujus ope tu curasti
Nobilem Constantiam
Vas electum, vas honoris,
Incorrupti flos odoris,
Angelorum grata choris,
Honestatis et pudoris
Formam præbes sæculo.
Palma fruens triumphali,
Flore vernans virginali,
Nos indignos speciali,
Fac sanctorum generali
Vel suscribi titulo. Amen.

—

XVII.

DE SANCTO VINCENTIO.

Hæc prosa rhythmicæ orationis tenet mensuram, sed in diversis versibus variam. In aliquibus A enim singulæ clausulæ præter ultimam octo sunt syllabarum, et penultimam habent longam. In aliis vero septem syllabarum, et penultimam tenent brevem. Occurrent et nonnulli versus, complexi in singulis suarum clausularum ante postremam, undecim syllabas, in ultima vero nunc quatuor syllabas, ut in nono et decimo versu, nunc vero septem, ut in decimo tertio et decimo quarto. Demum sunt alii in singulis suis clausulis novissimam præcedentibus comprehendentes decem syllabas, in ultima vero, octo, ut decimus nonus et vicesimus. Interdum vero singulæ ejusdem versus clausulæ citra extremam, consonantiam servant medii ad suum finem, ut in vicesimo quarto versu. Auctor ejus Adam de Sancto Victore. Continet autem hæc sacrum beati Vincentii pro Christo agonem, vincula, carcerem, equuleum, craticulam, et fragmenta testea, quibus omnibus superatis, felix martyr cum insigni triumpho cœlos B introiit. Quinimo et ex animis ipsius sancti corporis de sævo tyranno, et in terra, et in mari victoriam, etiam commemorat. Verum hæc ex sacra vitæ ipsius historia satis vulgata, facile perspici possunt, neque sunt hic repetenda.

Ecce dies præoptata,
Dies felix, dies grata,
Dies digna gaudio.
Nos hanc diem veneremur.
Et pugnantem admiremur
Christum in Vincentio.
Ortu, fide, sanctitate,
Sensu, verbo, dignitate,
Clarus, et officio.
Hic arcem diaconi,
Sub patris Valerii
C Regebat imperio.
Linguæ præsul impeditæ
Deo vacat : et Levitæ
Verbi dat officia.
Cujus linguam sermo rectus :

Vers. 48. — *Dans honorem numini.* Sicut ignis fornacis Babylonicæ comburens ministros regis, qui eam incendebant, tres autem pueros omnino intactos relinquens (*Dan.* III), declaravit Dei gloriam et virtutem, seque obedientem illi supra naturam exhibuit. Ita et ignis ille cui injecta fuit beata Agnes a seditiosa et furente turba dedit honorem Deo. Nam quasi sentiens nutum et imperium sui factoris, exussit improbos idolorum cultores et sanctam Agnetem illæsam servavit. Unde ipsius Dei gloria manifestata est, et honor nominis ejus accrevit.

Vers. 59. — *His sub agni forma suam.* Hæc verba (sicut et præcedentia et sequentia) diriguntur a fideli populo in modum laudis et præconii ad sacrosanctam virginem Agnetem. O Agnes, inquit, cœlestis sponsus tuus Jesus Christus, his parentibus tuis revelavit suam gloriam sub agni forma, qui simul tecum ipsis apparuit nive candidior. Revelavit etiam iisdem tuam virginalem gloriam, quam in cœlis post hujus vitæ cursum obtines immarcescibilem. Verum hæc revelatio (ob quam institutum est festum beatæ Agnetis secundo celebrandum, octavo scilicet post primi celebrationem die) a beato Ambrosio luculenter et ample in descriptione passionis ejus explicatur.

Vers. 65. — *Tu curasti nobilem Constantiam.* Hæc Constantia, filia fuit Constantini Romanorum imperatoris, gravi quidem morbo affecta, et toto in corpore vulneribus afflicta. Quæ auditis mirabilibus a Domino per beatam Agnetem factis, venit ad ejus tumulum recuperandæ sanitatis gratia. Neque suo fraudata est voto, nam ibidem placido correpta sopore, et in somnis a gloriosa Agnete visitata, integræ restituta est sanitati, quemadmodum in loco supradicto denarrat eleganter Ambrosius.

Vers. 74. — *Nos indignos speciali.* Non est tanta in nobis, ait, vitæ sanctimonia, sanctitatisque excellentia, ut simus digni speciali titulo sanctorum, et nominemur atque habeamur particulari nuncupatione sancti, sicut ii qui in sanctorum catalogum speciatim nominatimque rediguntur. Sed id unum præsta tibi famulantibus servis, o beata Agnes, ut subscribamur saltem generali titulo sanctorum, com- D prehendamurque sub universali ipsorum nuncupatione, habentes partem hæreditatis in regno Dei. Quam quicunque demum consequuntur, haud dubie communi sanctorum nomine continentur, etsi particularem illam denominationem apud homines non mereantur, neque sanctorum ordini in terra sint ascripti.

Vers. 10.—*Hic arcem diaconi.* Arcem, culmen, dignitatem, apicem. Nam beatus Vincentius jam sacris erat initiatus, et diaconatus ordinem adeptus sub sancto Valerio episcopo, et patre suo spiritali, in cujus comitatu et famulatu ministerium rei ecclesiasticæ impendebat. Hinc levita cognominatur Vincentius, quoniam Veteris Testamenti levitis et de stirpe levi exortis, in cultus divini officio conformabatur. Et certe non carne, sed spiritu levita fuit, qui (ut illi) ministerio tabernaculi et altaris erat addictus.

Digitized by Google

Duplex quoque, simplex pectus
Exornat scientia.
Dumque fidem docet sanam
Plebem Cæsaraugustanam
Comitante gratia,
Sævit in ecclesiam
Zelans idolatriam
Præsidis invidia.
Post auditam fidei constantiam :
Jubet ambos pertrahi Valentiam
Sub catenis.
Nec juveni parcitur egregio,
Nec ætas attenditur ab impio
Sancti senis.
Fessos ex itinere,
Pressos ferri pondere :
Tetro claudit carcere,
Negans victualia.
Sic pro posse nocuit :
Nec pro voto potuit :
Quia suos aluit
Christi providentia.
Seniorem relegat exsilio,
Juniorem reservat supplicio
Præses acerbiori.
Equuleum perpessus et ungulam
Vincentius, conscendit craticulam
Spiritu fortiori.

A
Dum torretur, non terretur.
Christum magis confitetur,
Nec tyrannum reveretur
In ejus præsentia.
Ardet vultus, inhumanus,
Hæret lingua, tremit manus.
Nec se capit Datianus
Præ cordis insania.
Inde specu martyr retruditur
Et testulis fixus illiditur.
Multa tamen hic luce fruitur :
Ab angelis visitatus.
In lectulo tandem repositus :
Ad superos transit emeritus.
Sicque suo triumphans spiritus
B
Est principi præsentatus.
Non communi sinit jure
Virum tradi sepulturæ ;
Legi simul et naturæ
Vim facit malitia.
In defunctum judex sævit,
Hinc defuncto laus accrevit.
Nam quo vesci consuevit,
Reformidat bestia.
En cadaver inhumatum
Corvus servat illibatum,
Sicque sua sceleratum
Frustratur intentio.

Vers. 17.—*Duplex quoque simplex pectus.* Duplex in beato Vincentio scientia fuit, vitæ activæ scientia, C pariter et contemplativæ. Novit enim et ea, quæ vitæ activæ erant pariter et exercuit, docens populum assidua prædicatione, et sacrarum rerum institutione, necnon administratione sacramentorum eumdem illuminans. Novit item et ea quæ vitæ contemplativæ erant munera, et peregit, ab actione in contemplationem divinorum se revocans, et per orationis studium atque electionis ad tranquillam Dei in secretis animi penetralibus speculationem se erigens. Hinc de illo sancta canit ecclesia. Sanctus Vincentius a pueritia studiis litterarum traditus, superna sibi providente clementia, gemina scientia efficacissime claruit. Hæc autem duplex scientia ornavit ejus simplex pectus, id est, non subdolum neque dolosum. Quomodo et Job dicitur vir simplex, et rectus, ac timens Deum (*Job.* I). Et apostoli a Domino jubentur esse simplices sicut columbæ (*Matth.* X).

Vers. 20.—*Plebem Cæsaraugustanam.* Cæsaraugusta urbs est Hispaniæ Taraconensis, in qua sanctus Valerius episcopum gerebat, et Vincentius diaconum. Inde adjectivum formatur Cæsaraugustanus, nomen patrium. Sic et Valentia hoc loco proprium est urbis nomen. Nam appellativum et commune, significat valitudinem, sicut ejus oppositum invalentia, invalitudine.

Vers. 34.—*Negans victualia.* Victualia dicuntur ea quæ ad victum pertinent atque alimoniam, et tam cibum, quam potum comprehendunt. Ambrosius de apibus : « Cernas omnes certare de munere, alias invigilare quærendo victualia, alias sollicitam castris adhibere custodiam. »

Vers. 35.—*Sic pro posse nocuit.* Vix apud auctores præpositio verbo infinitivo, accusativi casus, aut ablativi locum tenenti, adjuncta reperitur, apud quos trivialis, et inconcinna censeretur, hæc oratio secundum posse meum, vel pro posse meo id feci. Excusandus tamen et venia dignandus est auctor, quoniam propter certum numerum syllabarum in ea clausula constringendum, non pro viribus, aut pro virili, aut alio consimili modo eleganti id dicere potuit.

Vers. 54. — *Et testulis fixus illiditur.* Hic potius illiditur per in *i* secunda syllaba, quam illuditur per *u* (ut aliqui habent libri) est legendum. Quoniam accommodatior est, et congruentior proposito sententia. Non enim tum illusus est, aut irrisionibus verbisque insultatoriis impetitus Vincentius, sed illisus fragmentis testarum in pavimento carceris constratarum legitur.

Vers. 58. — *Ad superos transit emeritus.* Dicitur miles emeritus, qui jam militia perfunctus est, et propter ingravescentem ætatem a militiæ laboribus absolutus vacationem habet. Claudianus :

Ducunt emeritos ad pascua nota jugales;

Ita beatus Vincentius peracto duro certamine martyrii, in quo ad mortem usque desudavit, jam de- D functus ea militia, cœlos triumphans conscendit.

Vers. 67. — *Nam quo vesci consuevit.* Corvus enim pasci cadaveribus solet, nunc autem divino nutu factus est custos sacri corporis emortui, neque solum illud non contigit, sed insuper ne ab aliis feris tangeretur, prohibuit, ut olim legitur corvus animal ingluviei deditum, detulisse ad Eliam prophetam panem et carnes (*III Reg.* XVII). Porro hic per diæresim consuevit quadrisyllabum verbum legi debet, ut ea clausula octo sit syllabarum.

Vers. 72. — *Frustratur intentio.* Frustratur verbum deponens, hic activam habet significationem. Nam accusativum habet sibi adjunctum, tantumdemque valet atque fraudat, fallit sive eludit. Plautus : « Nescio quis præstigiator hanc frustratur mulierem. » Cum enim passivam habet significantiam, potius ablativo jungitur, ut sceleratus præses sua intentione frustratus est. Sed hæc statim nota.

Digitized by Google

At profanus Datianus
Quod consumi nequit humi,
Vult abscondi sub profundi
Gurgitis silentio.
Nec tenetur a molari,
Nec celari potest mari.
Quem nunc laude singulari
Venerari voto pari
Satagit ecclesia.
Ustulatum corpus igne,
Terra, mari fit insigne.
Nobis Jesu da benigne,
Ut cum sanctis te condigne
Laudemus in patria. Amen.

XVIII.

IN CONVERSIONE SANCTI PAULI.

Hæc prosa consimilem præcedenti habet compositionem rhythmicam, sed non adeo variam. Semper enim hic singuli versus, tres complectuntur clausulas rhythmicas, quarum postrema septem ubique clauditur syllabis. Præcedentes vero clausulæ modo septem complentur syllabis, ut in secundo versu, modo octo, ut in primo, modo decem, ut in quarto versu. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Describit autem admirandam beati Pauli ad Christum conversionem, in Actis apostolorum cap. IX explicatam, sollicitudinem quoque ejusdem et diligentiam prædicandi evangelium, quæ ex epistolis ejus et historia sacra Actuum apostolicorum etiam liquido perspicitur, et denique felicem cursus ejus consummationem per martyrium.

Corde, voce pulsa cœlos :
Triumphale pange melos
Gentium ecclesia.
Paulus doctor gentium
A Consummavit stadium
Triumphans in gloria.
Hic Benjamin adolescens,
Lupus rapax, præda vescens,
Hostis est fidelium.
Mane lupus, sed ovis vespere.
Post tenebras lucente sidere :
Docet evangelium.
Hic mortis viam arripit.
Quem vitæ via corripit,
Dum Damascum graditur.
Spirat minas ; sed jam cedit.
Sed prostratus jam obedit ;
Sed jam vinctus ducitur.
Ad Ananiam mittitur :
B Lupus ad ovem trahitur,
Mens resedit effera.
Fontis subit sacramentum
Mutat virus in pigmentum
Unda salutifera.
Vas sacratum, vas divinum
Vas propinans dulce vinum
Doctrinalis gratiæ.
Synagogas circuit.
Christi fidem astruit
Prophetarum serie.
Verbum crucis protestatur :
Causa crucis cruciatur,
Mille modis moritur.
C Sed perstat vivax hostia,
Et invicta constantia.
Omnis pœna vincitur.
Segregatus docet gentes,
Mundi vincit sapientes

Vers. 82. — *Ustulatum corpus igne.* Ustulare, comburere, concremare, ab uro, quod supinum habet ustum, deducitur. Pacuvius : « Candenti ferro crines ustulare. » Inde participium ustulatus, id est ambustus et exustus. Livius : « Pauci semiustulati venere in potestatem. »

Vers. 7. — *Hic Benjamin adolescens.* Hæc sententia sumpta est ex prophetia ipsius Jacob, qui benedicens filiis suis ante mortem, dixit ad Benjamin : « Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia (*Gen.* XLIX). » Quæ verba de beato Paulo intelligenda esse, declarat D glossa ibidem dicens, Paulus significatur, qui de Benjamin, qui in primordio fideles persecutus, vespere divisit spolia, quia fidelis factus sacra eloquia dispensavit.

Vers. 13. — *Hic mortis viam arripit.* Mortis via, est via illa lata quæ ducit ad perditionem. Eam arripit, quisquis peccatum committit, et Deo neglecto tendit ad interitum. Via vero vitæ, Christus est, qui dicit de se ipso : « Ego sum via, veritas, et vita : nemo venit ad Patrem, nisi per me (*Joan.* XIV).

Vers 18. — *Sed jam vinctus ducitur.* Non est id de vinculis materialibus intelligendum. Nam comites ejus qui ad manus duxerunt eum Damascum, quod cæcutiens esset et propemodum oculis captus ex apparitione illi facta in via, non strinxerunt eum catenis, cum essent ei familiares et domestici (*Act.* IX). Sed hoc accipiendum est de vinculis obedientiæ ad Deum, quibus ita fuit constrictus, ut sponte duceretur quocunque Deus illum ire juberet.

Vers. 25. — *Vas sacratum, vas divinum.* Alludit auctor ad verba illa Domini dicta Ananiæ de Paulo : « Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israel (*ibid.*). » Et certe ipse fuit vas admirabile, et opus excelsi, ornatum omni lapide pretioso gratiarum et virtutum (*Eccli.* XLIII).

Vers. 31. — *Verbum crucis protestatur.* Verbum crucis vocatur hic fides de Christo crucifixo, totius mundi salvatore. De quo Paulus : « Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam (*I Cor.* I). » Et eo loquendi genere utitur etiam Paulus, cum ait : « Verbum crucis, pereuntibus stultitia est (*ibid.*). » Ita in decimo sexto versu, crux dicitur triumphare, quoniam per prædicationem Pauli fides de cruce Christi omniquaque dilatata, cultum idolorum et spurcitiam superstitionum eliminavit orbe, ac propulsavit. At quam graves sustinuerit persecutiones Paulus et tormenta propter verbum crucis, et quomodo in mortibus frequenter, et in periculis sæpe fuerit versatus, secunda ad Corinthios epistola cap. XI et XII latius explicat, ubi etiam de raptu ejus in cœlum (cujus meminit versus decimus quartus) fit mentio.

Vers. 37. — *Segregatus docet gentes.* Id respondet verbis beati Pauli, quibus ad Romanos scribens dicit se vocatum Apostolum, et segregatum in evan-

Digitized by Google

Dei sapientia.
Raptus ad cœlum tertium.
Videt Patrem et Filium.
In una substantia :
Roma potens et docta Græcia
Præbet colla, discit mysteria :
Fides Christi proficit.
Crux triumphat, Nero sævit.
Quo docente fides crevit,
Paulum ense conficit.
Sic exutus carnis molem
Paulus, videt verum solem
Patris unigenitum.
Lumen videt in lumine,
Cujus vitemus numine,
Gehennalem emitum. Amen.

—

XIX.

IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ.

Hæc prosa compositionem habet rhythmicam satis conformem. Nam fere in singulis versibus, clausulæ rhythmicæ omnes, octo sunt syllabarum, et penultimam habent longam, præterquam in decimo quinto et decimo sexto versu, ubi singulæ clausulæ septem coercent syllabis, et penultima brevi. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Commendatur in ea multifariam sacratissima virgo Maria ob dotes præcipuas, et dona gratiarum, quibus a Domino locupletata est. Multis item antiquæ legis figuris fuisse præmonstrata ostenditur, variisque insignita nominibus, quibus in

A Veteris paginæ Scriptura, honorata et prædicata dignoscitur.
Lux advenit veneranda
Lux in choris jubilanda
Luminosis cordibus.
Hujus læta lux diei,
Festum refert, matris Dei
Dedicandum laudibus.
Vox exsultet modulata,
Mens resultet medullata,
Ne sit laus inutilis.
Sic laus Deo decantetur,
Ut in eo collaudetur,
Mater ejus nobilis.
Gloriosa dignitate,
B Viscerosa pietate,
Compunctiva nomine.
Cum honore matronali,
Cum pudore virginali
Nitet cœli cardine.
Rubus quondam exardebat.
Et hunc ardor non urebat,
Nec virorem nocuit.
Sic ardore spiritali,
Non attactu conjugali :
Virgo Deum genuit.
Hæc est ille fons signatus.
Hortus clausus, fecundatus
Virtutum seminibus.

gelium Dei (*Rom.* II). Respondet et illi sententiæ, quæ in Actis apostolorum scribitur : « Ministrantibus, inquit, illis Domino et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : « Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos (*Act.* XIII). » Docere autem gentes dicitur, quoniam a Deo delectus fuit ad hoc ministerium, ut gentibus evangelium prædicaret, sicut ipsemet Paulus de ipso testatur ad Galatas dicens : « Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus (*Gal.* I). » Et ita reliquæ hujus prosæ sententiæ, ad locum aliquem aut Actuum apostolorum aut epistolarum Pauli ex quo sumptæ sunt, aut revocari debent.

VERS. 52. — *Lumen videt in lumine.* Patrem scilicet Deum in Filio, qui est lumen de lumine. Secundum illud verbum psalmi, ex quo hic locus sumptus est : « Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* XXXV. » Vel in lumine spirituali et superintellectuali cœlestis gloriæ, videt Paulus Deum qui est verum lumen.

VERS. 2. — *Lux in choris jubilanda.* Chorus cum aspiratione, interdum conventum et multitudinem hominum significat, et veluti coronam eorum, qui ad ludos conveniunt, sive saltantium atque canentium, nam multorum vocibus et concentu constat. Hieronymus : « Ubicunque chorus est, ibi diversæ voces in unum canticum congeruntur. Quomodo enim diversæ chordæ, unam vocem efficiunt cantici, sic et diversæ voces cum simul fuerint congregatæ chorum Domini efficiunt. » Habetque primam syllabam brevem. Virgilius :

Vescentes, lætumque choro Pæana canentes.

Idem :

Omnis quam chorus, et socii comitantur ovantes.

Interdum vero, ut scribit Hieronymus ad Dardanum, C chorus est musicum instrumentum ex simplici pelle cum duabus cicutis æreis, quod per primam inspiratur, et per secundam vox emittitur. Quomodo accipitur in eo Psalmi loco : « Laudate Dominum in tympano et choro, laudate eum in chordis et organo (*Psal.* CL). » Hic autem pro alterutro datorum significatorum sumi potest, nam in utroque apta est sententia.

VERS. 8. — *Mens resultet medullata.* Nomine medullæ, adipem et pinguedinem spiritus, affectuosumque motum cordis in Deum, hic auctor insinuat. Inutilis enim est laus, ubi sola est vocis modulatio, et mens ipsa torpet ignava, languet arida, nulloque affectu in Deum movetur.

VERS. 15. — *Compunctiva nomine.* Quoniam nomen ejus frequenter invocatum, inducit compunctionem devotionis cordibus humanis, sicut et nomen Jesu benedictum in sæcula. Qui enim sæpius id nomen venerandum habent in ore, sentiunt D quemdam motum cordis singularem in Deum, quem alias non perciperent.

VERS. 19. — *Rubus quondam exardebat.* Rubus a Mose conspectus ut ardens (*Exod.* III), et tamen illæsus, illabefactam signabat matris Dei virginitatem, ut ante etiam dictum est in secundo libro, in explanatione antiphonæ : *Rubum quem viderat Moses incombustum.* Porro verbum, noceo, fere semper dativum secum exposcit. Interdum tamen accusativo junctum, invenitur in sacris litteris, ut in cantico Judith : « Dominus autem omnipotens nocuit eum, et tradidit eum in manus feminæ, et confodit eum (*Judith.* XVI). » Et in Evangelio Lucæ : « Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit (*Luc.* IV). » Ita et hoc in loco ponitur, quod tamen non est in imitationem trahendum.

VERS. 25. — *Hæc est ille fons signatus.* Insinuatur et sacra Virgo Maria per fontem illum et hortum,

Digitized by Google

Hæc est illa porta clausa,
Quam latente Deus causa
Clauserat hominibus.
Hæc est vellus trahens rorem.
Plenus ager dans odorem
Cunctis terræ finibus.
Hæc est virga ferens florem,
Terra suum salvatorem
Germinans fidelibus.
Hæc est dicta per exemplum
Mons, castellum, aula, templum,
Thalamus, et civitas.
Sic eidem, aliorum
Assignatur electorum
Nominum sublimitas.
Cujus preces, vitia,
Cujus nomen, tristia,
Cujus odor, lilia,
Cujus vincunt labia,
Favum in dulcedine.
Super vinum sapida,
Super nivem candida,
Super rosam rosida,
Super lunam lucida
Veri solis lumine.
Imperatrix supernorum
Superatrix infernorum.
Eligenda via cœli :
Retinenda spe fideli.
Separatos a te longe,
Revocatos a te, junge
Tuorum collegio.
Mater bona quam rogamus,
Nobis dona quod optamus.
Nec sic spernas peccatores,
Ut non cernas precatores
Reos sibi diffidentes.
Tuos tibi confidentes
Tuo siste Filio. Amen.

XX.

IN INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS.

B Hæc prosa rhythmicæ modulationis servat formam, quemadmodum illa de sancto sacramento eucharistiæ. *Lauda, Sion, salvatorem.* Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Concelebrat autem præclaris laudibus, sanctæ crucis præconia, referens antiquæ legis figuras quibus est præsignata, et virtutem ejus in nova lege per victoriam Constantini et Heraclii imperatorum ostensam. Deinde admirandam illius potestatem prædicans, fidelis populi vota et supplicationem ad illam explicat.

Laudes crucis attollamus,
Nos qui crucis exsultamus
Speciali gloria.
Nam in cruce triumphamus,

de quo dicit Salomon in Canticis : « Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus (*Cant.* IV). » Hortus, inquam, conclusus divino C præsidio et virtutum munitionibus, ne in illum, ingressum habeant hostiles insidiæ. Fons item signatus totius Trinitatis signaculo, et peculiari ipsius filii Dei sigillo.

VERS. 28. — *Hæc est illa porta clausa.* Sicut in præcedente prosa jam dictum est, per portam Ezechielis (*Cap.* XLIV) clausam intelligitur intacta sanctæ Dei matris integritas. Et illam Deus cunctis hominibus occlusit, ut sibi soli foret pervia, et tamen semper clausa. Hujus autem occlusionis causa, tunc quidem latuit homines. Nunc autem ipso revelante, et mysterium ex rei effectu aperiente, patefacta est.

VERS. 31. — *Hæc est vellus trahens rorem.* Significata est etiam beata Dei Genitrix, per vellus Gedeonis cœlesti rore irrigatum (*Judic.* VI), quod sola omnium mulierum Spiritu sancto fecundata, cœlestem edidit prolem. Significata est per agrum plenum fructibus, et miro fragrantem odore, de quo Isaac benedicturus filio suo Jacob, ait : « Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus (*Gen.* XXVII). »

VERS. 34. — *Hæc est virga ferens florem.* Signata fuit itidem sacrata virgo per virgam Aaron, sine terræ adminiculo floridam et fructu oneratam (*Num.* XXVII). Sic enim et ipsa fructum protulit sine viri adjutorio, toti mundo salutiferum. Signata fuit denique sacrosancta Dei mater per terram illam, de qua dicit Isaias : « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum, aperiatur terra, et germinet salvatorem (*Isa.* XLV). » Quinimo ipsamet est illa terra mystica et benedicta a Domino, quæ germinavit salvatorem.

VERS. 37. — *Hæc est dicta per exemplum.* Sex nomina præclara hoc loco exprimuntur, quibus in sacris litteris beata virgo Maria designata et nuncupata est. Primo siquidem mons dicitur apud Danielem, cum in expositione somnii regis Babylonici dicit, quod lapis excisus de monte sine manibus percussit statuam et comminuit eam (*Dan.* II). Ubi per lapidem illum intelligitur Christus, et per montem, beata virgo Maria, virtutum excellentia sublimis, ac cæteros homines supereminens, de qua sine humano consortio Christus esse natus ibidem innuitur. Secundo ipsa nominatur castellum, potissimum in eo loco Evangelii Lucæ : « Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam (*Luc.* X). » Illic enim secundum mysticum sensum nomine castelli, intelligitur sancta virgo Maria, ut testatur Anselmus in homilia ejusdem Evangelii. Tertio dicitur aula Dei, quod eam inhabitare dignatus sit Dei Filius, ut suum tabernaculum, ut in illo verbo psalmi allegorice sumpto : « Adorate Dominum in aula sancta ejus (*Psal.* XXVIII). » Sive ut alia habet translatio, « in atrio sancto ejus. » Quarto nuncupatur ipsa templum Domini. Quemadmodum in illo versu psalmi mystice intellecto : « Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui (*Psal.* XLVII). » Quinto appellatur thalamus Dei. Sicut cum dicit propheta de Domino nostro, quod « ipse est tanquam sponsus pro- D cedens de thalamo suo (*Psal.* XVIII). » Sexto nominatur ipsa etiam civitas Dei, ut in illo dicto psalmi metaphorice accepto : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI). » Et consimili modo (dicit versus sequens) aliorum nominum præclarorum et insignium excellens denominatio, eidem sacræ virgini assignatur in Scriptura, quandoquidem per hæc nomina jam dicta, etiam alia quæ passim in sacris litteris occurrunt, sunt intelligenda.

VERS. 4. — *Nam in cruce triumphamus.* Hic versus in plerisque libris non habetur, sed prætermissus est, qui tamen non est superfluus, quinimo ad rhythmi integritatem necessarius, ut habeat primus versus cui interminali syllabarum desinentia respondeat, alioqui aut nullus ipsi primo versui in exitu similique cadentia accommodabitur versus, aut tres dabuntur se continuo consequentes, adinvicem in fine consonantes, quorum utrumque rhythmicæ legi repugnat, in qua semper duo versus, neque plures,

Digitized by Google

Hostem terum superamus
Vitali victoria.
Dulce melos tangat cœlos,
Dulce lignum dulci dignum
Credimus melodia.
Voci vita non discordet.
Dum vox vitam non remordet,
Dulcis est symphonia.
Servi crucis crucem laudent
Qui per crucem sibi gaudent
Vitæ dari munera.
Dicant omnes et dicant singuli
Ave salus totius sæculi
Arbor salutifera
O quam felix, quam præclara,
Fuit hæc salutis ara,
Rubens agni sanguine.
Agni sine macula,
Qui mundavit sæcula
Ab antiquo crimine.

A

Hæc est scala peccatorum,
Per quam Christus rex cœlorum
Ad se traxit omnia.
Forma cujus hoc ostendit,
Quæ terrarum comprehendit
Quatuor confinia.
Non sunt nova sacramenta
Nec recenter est inventa
Crucis hæc religio.
Ista dulces aquas fecit.
Per hanc silex aquas jecit,
Moysi officio.
Nulla salus est in domo,
Nisi cruce munit homo
Superliminaria.

B

Neque sensit gladium,
Nec amisit filium,
Quisquis egit talia.
Ligna legens in Sarepta,
Spem salutis est adepta

neque pauciores, mutuum habent quantum ad ultimam clausulam responsum ad invicem.

Vers. 11. — *Dum vox vitam non remordet.* Cum et labia nostra laudant Deum pariter et opera, secundum regulam mandatorum ejus facta, tunc vox non remordet vitam neque vita discordat voci. Verum si vox nostra divinas personat laudes, opera vero præceptis Dei contraria facimus, hujusmodi modulatio laudis est ingrata Deo, quoniam, ut ait Ecclesiasticus: « Non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* xv), » et « Scimus, » inquit in Evangelio cæcus jam illuminatus, quia peccatores Deus non audit (*Joan.* ix).

Vers. 25. — *Hæc est scala peccatorum.* Crux sancta dicitur mystice scala peccatorum, quoniam peccatores per eam, et immolationem veri agni in ea factam cœlos conscendunt. Et non inepte figuratur per scalam illam ab imo terræ, ad cœli culmen extentam, quam Jacob vidit in somnis, cui et Dominum conspexit innixum, et angelos Domini ascendentes et descendentes per eam (*Gen.* xxviii). Quod autem per illam Christus ad se traxerit omnia, testatur illud verbum ejus ad Judæos: « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Hoc autem dixit, » ut subjungit evangelista, « significans qua morte esset moriturus (*Joan.* xii). » Atqui a terra exaltatus est Christus, quando in crucem sublatus est, et de sola hujusmodi exaltatione ibi loquitur.

Vers. 30. — *Quatuor confinia.* Scilicet orientem occidentem, meridiem, et septentrionem, quatuor ipsius terræ partes; nempe si pars anterior crucis, cui affixus erat Dominus, occidentem respiciebat (ut secundum christianam pietatem in ipso templorum meditullio Christum crucifixum mos est figurare) posterior ejus pars vergebat ad orientem, manus sinistra ad meridionalem plagam, et dextra ad septentrionalem. Et ita quatuor extrema ipsius terræ, in ipsa crucis figura comprehenduntur. Quod si orientem versus Christum crucifixum quis dixerit, aut aliam quamvis cœli partem, semper in figura crucis assignabuntur quatuor partes, totidem terræ plagis respondentes. Cæterum quid hoc aliud signabat, nisi per crucis mysterium a quatuor terræ plagis vocandos homines ad salutem, et veri Dei agnitionem. « Multi, inquit Dominus in Evangelio, ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* viii). » Et Isaias vocationem gentium ad fidem pronuntians, ait: « Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab aquilone et mari, et isti de terra australi (*Isa.* xlix). » Alia vero quatuor confinium terræ secundum figuram crucis ratio, in decimi quinti versus explanatione paulo post assignabitur.

Vers. 34. — *Ista dulces aquas fecit.* Per lignum a Deo Mosi ostensum, et aquis Marath amarissimis immissum, unde ipsæ aquæ in dulcedinem versæ sunt (*Exod.* xv), intelligitur sancta crux, cujus ignominia et acerbitas a Christo tolerata, conversa est in dulcedinem, suavitatem, et gratiam redemptionis totius mundi. Similiter per virgam quæ Mosi ministerio silicem percussit, et inde aquas eduxit (*Exod.* xvii), insinuatur etiam sancta crux, quæ ex Christo petra spirituali, lancea militari transfixo, aquam toti mundo salutarem effudit.

Vers. 37. — *Nulla salus est in domo.* Uterque postis et superliminaria domorum Israelitarum, aspersa sanguine agni immolati (*Exod.* xii), typus fuerunt et figura vivificæ crucis, conspersæ pretioso sanguine agni immaculati. Sicut enim per hujusmodi tinctionem et irrorationem sanguinis agni typici, Hebræi fuerunt liberati ab angelo percutienti primogenita Ægypti, ita virtute crucis salutiferæ liberamur ab insultu et incursione dæmonum, qui cum crucem Domini conspexerint, non valentes ejus sustinere præsentiam, trepidi diffugiunt, nocendique vires amittunt.

Vers. 43. — *Ligna legens in Sarepta.* Vidua Sareptana (ad quam missus est Elias a Domino, ut ab ea sustentaretur) duo ligna collegisse scribitur (*III Reg.* xvii), ut sibi et filio suo cibum decoqueret. Voci autem propheticæ obediens coxit illi primo subcineritium panem, et non est diminutum ejus oleum in lecytho, ampullaque olearia, nec farina in hydria per continuam alimoniæ pro tota domo sua ex illis apparationem, quoad daret Dominus pluviam super terram, secundum verbum Eliæ. Porro duo ligna illa collecta a vidua, sanctam crucem repræsentant, ex duabus potissimum partibus constantem, quarum una a summo in imum secundum longitudinem fuit porrecta, altera vero ex transverso, a dextro in sinistrum extenta. Et secundum illas in cruce Domini congruenter sumuntur quatuor differentiæ positionum ipsius mundi, quæ per quatuor confinia in decimo versu expressa possent etiam intelligi scilicet sursum et deorsum, dextrum, sinistrum, secundum quatuor crucis extremitates assignata, ad denotandum quod Christus per mortem crucis quam pertulit, cœlestia nobis regna, quæ sursum sunt, nobis aperuit, inferna vero quæ deorsum sunt, confregit, terrestria autem omnia quæ in medio sita sunt, suo-

Digitized by Google

Pauper muliercula.
Sine lignis fidei,
Nec lecythus olei
Valet, nec farinula,
Roma naves universas
In profundum vidit mersas
Una cum Maxentio.
Fusi Thraces, cæsi Persæ.
Sed et partis dux adversæ
Victus ab Heraclio.
In Scripturis sub figuris
Ista latent, sed jam patent
Crucis beneficia.
Reges credunt, hostes cedunt.
Sola cruce Christo duce,
Unus fugat millia.
Ista suos fortiores
Semper facit, et victores.
Morbos sanat et languores,
Reprimit dæmonia.
Dat captivis libertatem,
Vitæ confert novitatem.
Ad antiquam dignitatem
Crux reduxit omnia.
O crux lignum triumphale
Mundi vera salus, vale.
Inter ligna nullum tale,
Fronde, flore, germine.
Medicina Christiana,
Salva sanos, ægros sana.
Quod non valet vis humana,
Fit in tuo nomine.
Assistentes crucis laudi,
Consecrator crucis audi.
Atque servos tuæ crucis,
Post hanc vitam, veræ lucis
Transfer ad palatia.
Quos tormento vis servire,

rum brachiorum extentione et complexu, quasi dextrum et sinistrum constituentia, ad se revocaverit, et ita cœlestium, terrestrium, et infernorum dominatum principatumque acceperit, et reconciliaverit omnia, summa, ima, et media Deo Patri per sanguinem crucis. Per illa itidem duo ligna sanctam crucem integrantia, sumuntur quatuor ipsius situs et positiones, scilicet longitudo, latitudo, altitudo et profundum, ex quibus ipsius crucis figura constituitur. Quemadmodum declarat beatus Augustinus exponens illud dictum Apostoli ad Ephesios : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, sublimitas, et profundum (*Ephes.* III).» In his, inquit, verbis figura et mysterium crucis ostenditur. Nam latitudo in cruce, est transversum lignum ubi figuntur manus, longitudo vero est ab ea parte quæ ab ipso transverso ad terram tendit, et ab ipso usque ad terram conspicua est. Altitudo autem crucis in illo ligno est, quod ab eodem transverso sursum caput versus eminet. Profundum vero est in ea parte ligni quæ non apparet, sed infixa, terræ occultatur. Hæc Augustinus.

Vers. 49. *Roma naves universas.* Ut refert Historia ecclesiastica libri XI, cap. 9, Constantinus imperator cum Maxentio, qui tum Romæ tyrannidem exercebat conflicturus, cum divinum implorasset auxilium antequam cum hoste manum consereret, vidit in aere crucem rutilo fulgore coruscam, et angelum sibi dicentem : « In hoc signo, Constantine, vinces, » et protinus in omnibus vexillis suis, signum crucis figurari, efformarique jussit. Cumque Maxentius fraudem molitus ad pontem Milvium navibus pontes superstravisset, ut illis subsidentibus præ nimio pondere, cum illac transiret Constantinus, et crederet firmos esse pontes, cum toto exercitu demergeretur, audiens Constantinum Romam versus adventare, concitus e portis Romanis proruens pergit in illius occursum. Et suarum oblitus decipularum per illos pontes præcipiti cursu suum duxit agmen, et incidens in foveam quam fecit, una cum suis militibus in flumen demersus est, imo et naves illæ nimio pondere pressæ, etiam aquis sunt obrutæ. Et hoc pacto Constantinus sine effusione sanguinis humani (quod summopere a Deo poposcerat) victoria potitus est.

Vers. 52. — *Fusi Thraces, cæsi Persæ.* Sub Heraclio imperatore Romano Cosdras rex Persarum collecto magno exercitu, irrupit in fines Romani imperii Syriamque et Palestinam gravi incursione vexavit, omnia populationibus et incendiis devastans. Cujus impetum repressurus Heraclius, coactis etiam copiis subsistit ad flumen Danubium, ubi et filius Cosdræ illi occurrit cum apparatissimo militum agmine. Quem singulari certamine super pontem Danubii adortus devicit Heraclius, adjutore Deo, cui se ante congressum invocata devotius sancta cruce obnixe commendaverat. Deinde interfecto Cosdra partem sanctæ crucis, quam ab urbe Hierosolymitana ille impius abstulerat, cum debito honore et reverentia illuc reportavit, unde festum Exaltationis sanctæ crucis celebrari in ecclesia cœptum est, ut latius suprædictæ solemnitatis declarat historia.

Vers. 60. — *Unus fugat millia.* Sumpta est illa sententia, ex eo quod in Levitico Dominus promittit populo Israel : « Persequentur quinque de vobis, centum alienos, et centum de vobis, decem millia (*Levit.* XXVI).» Et ex eo cantici ipsius Moysi verbo : « Quomodo persequebatur unus mille, et duo fugarent decem millia (*Deut.* XXXII). » Quæ quidem promissa, sicut sub Veteris Testamenti patribus interdum completa leguntur, potissimum sub piis regibus Juda, et inclytis Machabæis, ita et in Novo Testamento sub gloriosis illis regibus et principibus christianis, qui potentifica Christi cruce armati expeditiones in hostes fidei susceperunt, et suis eos sedibus propulsarunt.

Vers. 71. — *Inter ligna nullum tale.* Respondet id crucis præconium illi cantico, quod in hymno de passione Domini in ejus laudem canitur :

Crux fidelis inter omnes,
Arbor una nobilis,
Nulla silva talem profert,
Fronde, flore, germine.

Ubi quoniam arborem nominavit sanctam crucem auctor, ut decorum metaphorici sermonis observet, in eo persistens frondem ejus, florem et germen nominat, quæ tamen mystice sunt accipienda, et ad Christum referenda, qui solus est illius arboris folium, flos et fructus. Folium quidem, ob immarcescibilem virtutum ejus virorem atque vigorem. Flos, ob suavissimum bonitatis ejus odorem, præcipuumque decorem. Germen vero, ob fructum et utilitatem suæ passionis ex ea arbore decerptam. Cæterum quæcunque hic de cruce dicuntur, intelligenda sunt non absolute materiam crucis attendendo, sed referendo eam ad Christum in illa confixum, qui sua gloriosa passione ipsam consecravit et sanctificavit

Vers. 82. — *Quos tormento vis servire.* Neminem Deus ipse præcipua voluntate, et per se vult perire,

Digitized by Google

Fac tormenta non sentire.
Sed cum dies erit iræ,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia. Amen.

XXI.

DE SANCTO JOANNE BAPTISTA.

Hæc prosa in rhythmicæ compositionis forma persimilis est illi prosæ de sancto Nicolao prius explicatæ. Congaudentes exsultemus, vocali concordia. Habet enim (ut et illa) multiformitatem rhythmorum diversis versibus. Nonnulli namque versuum duas solum habent clausulas rhythmicas, quarum prior respondet priori clausulæ proximi versus, in terminali syllabarum consonantia, et secunda secundæ. Aliqui vero versus tres complectuntur clausulas rhythmicas, duas primas ad seinvicem mutuo consonantes, et tertiam tertiæ B proximi versus clausulæ respondentem. Occurrunt etiam versus quatuor clausulis integrati, quarum prima ad tertiam, et secunda ad quartam servat responsum. Denique offerent se legentibus hic et aliæ rhythmi formæ, quæ vel ex sola lectione facile deprehendi poterunt. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Celebrantur autem in hac prosa, præclara beati Joannis Baptistæ præconia, conceptus, nativitas, miracula in illis cœlitus ostensa, privilegia gratiarum ejus, et multiplex dignitas.

Ad honorem tuum, Christe,
Recolat Ecclesia,
Præcursoris et Baptistæ
Tui natalitia.
Laus est regis, in præconis
Ipsius præconio.
Quem virtutum ditat donis,
Sublimat officio.
Promittente Gabriele
Seniori filium.
A Hæsitavit et loquelæ
Perdidit officium.
Puer nascitur,
Novæ legis, novi regis
Præco, tuba, signifer.
Vox præit verbum,
Paranymphus sponsi sponsum,
Solis ortum lucifer.
Verbo mater, scripto pater,
Nomen edit parvulo.
Et soluta lingua muta
Patris est a vinculo.
Est cœlesti præsignatus
Joannes oraculo,
Et ab ipso præmonstratus
B Uteri latibulo.
Quod ætate præmatura
Datur hæres, id figura
Quod infecunda
Diu, parens, res profunda.
Contra carnis quidem jura,
Joannes hæc genitura.
Talem gratia
Partum format, non natura.
Alvo Deum virgo claudit.
Clauso clausus hic applaudit,
De ventris angustia.
Agnum monstrat in aperto
Vox clamantis in deserto,
C Vox verbi prænuntia.
Ardens fide, verbo lucens,
Et ad veram lucem ducens,
Multa docet millia.
Non lux iste, sed lucerna.

sed secundum beati Pauli sententiam, « vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (*I. Tim.* II). » Consequenter tamen, et ratione habita ad hominum opera, eos dicitur velle servire tormento, qui per sua peccata meriti sunt æterna gehennæ supplicia. Rectitudo enim justitiæ ejus exigit, ut tales ad finem usque vitæ in malo persistentes addicantur tormentis infernis. Itaque hæc oratio petit, ut quos secundum præsentem statum, ac dispensationem operum tales cognoscit, qui digni sunt perpetua damnatione, illis gratiam emendandi vitam dum tempus adest, concedat, et evadendi per pœnitentiam ea tormenta quibus sunt digni. Demum diem iræ vocat hic auctor diem extremi judicii, quoniam ita appellatur apud Sophoniam prophetam cum ait : « Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris, super civitates munitas et super angelos excelsos (*Soph.* I). »

VERS. 5. — *Laus est regis in præconis.* Sicut laudatur Dominus in sanctis suis, quia ipse qui fons est totius sanctitatis et solus sanctus, eos ad sanctitatem provexit, ita cum laudatur beatus Joannes altiloquus Christi præco, illa laus in Deum redundat, qui tantis gratiarum muneribus ipsum cumulavit. Qui enim laudat opus affabre factum, laudat et industrium illius operis artificem.

VERS. 16. — *Vox præit verbum.* Sicut sex mensium curriculo ortus beati Joannis præcessit ortum Salvatoris nostri, ita officio baptizandi, prædicandi, et pro justitia atque veritate moriendi Joannes antecessit Christum. Et id quidem rationabiliter. Nam Joannes, vox erat clamantis in deserto. Christus autem, verbum Dei patris. Joannes item, paranymphus erat, et amicus sponsi. Christus vero sponsus Ecclesiæ. Denique Joannes erat lucifer exoriens, et diei novæ legis prænuntius. Christus vero sol justitiæ.

VERS. 27. — *Quod ætate præmatura.* Abraham jam centenarius, ex Sara uxore sua nonagenaria filium repromissionis habuit Isaac, qui a Deo constitutus est hæres paternorum bonorum (*Gen.* XXI). Id autem figura fuit ortus beati Joannis ex infecundis etiam parentibus, et cœlesti admonitu. D Multa enim in utriusque (Isaac, inquam, et Joannis) ortu adinvicem conspirant, divinam virtutem attestantia. Quare Joannes cœlesti præsignatus est oraculo (ut dicit præcedens versus) non solum angeli denuntiantis ejus ortum, verum etiam figurarum Veteris Testamenti, et prophetiarum Isaiæ, Malachiæ, et psalmorum de ipso. Isaias enim ipsum prænuntiavit per vocem clamantis in deserto (*Isa.* XL). Malachias per angelum missum ante faciem Domini (*Mala.* XXXII), et Psalmus per lucernam paratam Christo Domino (*Psal.* CXXXI). Ab ipso itidem uteri latibulo prænonstratus est Joannes, quantus et qualis esset futurus. Nam exsultatio illa in utero matris ad præsentiam Christi, manifestum præstabat indicium, quod magnus demum foret coram Domino.

VERS. 44. — *Non lux iste, sed lucerna.* Joannes non erat lux illa primitiva et vera, quæ illuminat

Digitized by Google

Christus vero lux æterna.
Lux illustrans omnia.
Cilicina tectus veste,
Pellis cinctus strophium.
Cum locustis mel silvestre
Sumpsit in edulium.
Attestante sibi Christo
Non surrexit major isto
Natus de muliere.
Sese Christus sic excepit,
Qui de carne carnem cœpit
Sine carnis opere.
Martyr Dei, licet rei
Simus, nec idonei.
Tuæ laudi,
Te laudantes, et sperantes
De tua clementia,
Nos exaudi.
Tuo nobis in natale
Da promissum gaudium.
Nec nos minus triumphale
Delectet martyrium.
Veneramur et miramur
In te tot mysteria.
Per te frui Christus sui
Det nobis præsentia. Amen.

—

XXII.

DE SANCTO PETRO APOSTOLO.

Hæc prosa rhythmicæ servat mensuræ formam, sicut illa paulo ante declarata de sancto Joanne, Præcursoris et Baptistæ. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Continet autem egregias beati Petri laudes, promptam ad Christum conversionem, miraculorum crebritatem, et miram efficaciam, sinceram fidei confessionem, conflictum cum Simone Mago, et partam de illo victoriam, denique et mortem crucis a Nerone illi illatam. Quorum multa ex sacra Evangelii et Actuum apostolicorum historia sunt perspicua, neque ampliorem hic exigunt elucidationem.

Gaude, Roma, caput mundi.
Primus pastor in secundi
Laudetur victoria.
Totus mundus hilarescat :
Et virtutis ardor crescat
Ex Petri memoria.
Petrus sacri fax amoris,
Lux doctrinæ, sal dulcoris.
Petrus mons justitiæ.
Petrus fons est Salvatoris :
Lignum fructus et odoris,
Lignum carens carie.
Et quid Petro dices dignum ?
Nullum Christi videns signum,
Primo sub admonitu
Fugit rete, fugit ratem :
Necdum plene veritatem
Contemplatus spiritu.
Auro carens et argento,
Coruscat miraculis.
A nervorum sub momento
Claudum solvit vinculis.
Paralysi dissolutus

omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I). Quod ita testatur evangelista : « Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine (*ibid.*). » Erat autem Joannes lucerna et lampas præfulgida, lucem illam primariam hominum oculis inferens ac objiciens, sicut Dominus noster de illo testimonium perhibet dicens : « Ille erat lucerna ardens et lucens (*Joan.* v). » Christus vero quoniam Deus, lux est æterna et indeficiens, in omnes suæ claritatis beneficos vibrans radios : « Ego, inquit, sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII). »

VERS. 54. — *Sese Christus sic excepit.* In eo verbo Domini, inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, de solis masculis fit sermo et consueto naturæ more progenitis. Quocirca et sacratissima Dei mater ab illa universalitate excipitur, Joanne, haud dubie, major. Excipitur et Dominus noster, de muliere quidem natus, sed supra naturæ legem, et sine viri commercio. Porro in tertia clausula præcedentis versus, auctor penultimam syllabam posuit longam, quandoquidem nomen mulier in obliquis penultimam producit, cum tamen debuisset secundum regulam mensuræ rhythmicæ ibi posuisse penultimam syllabam cujuspiam dictionis brevem, ut in quantitate sicut et desinentia responderet illa clausula postremæ clausulæ versus præsentis, ad quam debet conferri. Verum penuria vocabuli et necessitate sententiæ exprimendæ adactus, id præter rhythmi legem fecit.

VERS. 63. — *Tuo nobis in natale.* Natalis masculini generis, natale neutri, et hoc natalitium, ii, accipitur, pro die quo quis natus est. Virgilius :

Phyllida mitte mihi, meus est natalis Iolla.

Dicitur etiam hic et hæc natalis, et hoc natale, et natalitius, a, um, pro eodem significato, sed ipsis additur substantivum dies. Leo papa : « Natalem igitur diem Domini celebremus. » Habet autem nomen substantivum natalis, in ablativo singulari potius natali. Ovidius :

Hei mihi, natali dilacerate tuo.

Hic tamen auctor ad servandam similem in fine desinentiam cum clausula prima versus sequentis, cui debet respondere, formavit ablativum natale, qui sane rarior est, et minus usitatus.

VERS. 1. — *Gaude, Roma, caput mundi.* Roma hic dicitur caput mundi, ob dominatum illum et monarchiam quam olim in toto mundo obtinuit, quemadmodum paulo superius est dictum. Unde Virgilius de illa dicit :

Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.

Et :

Romanos rerum dominos, gentemque togatam

nominat. Incitat autem Romam ad gaudium hic versus, quod in ea beatus Petrus sedem apostolicam primus omnium pontificum sit moderatus, eamdem suo consecravit sanguine, et sacro suo corpore decorat. At vero primus pastor, Christus est, qui de se dicit : « Ego sum pastor bonus (*Joan.* X). » Secundus vero pastor, beatus Petrus, cui a Domino dictum est etiam tertio : « Pasce oves meas (*Joan.* XXI). »

VERS. 19. — *Auro carens et argento.* Cum primum enim Petrus dixit pauperi claudo ex utero matris suæ : « Aurum et argentum non est mihi, quod autem habeo, tibi do. In nomine Jesu Christi Nazaræni surge et ambula. Protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ, et exiliens stetit et ambulavit glorificans Deum (*Act.* III). » Consimiliter (ut sequens dicit versus) Æneas octo annis paralysi vexatus, et in grabato recubans, cum audisset a Petro : Ænea, sanet te Dominus Jesus Christus. Surge et sterne tibi. Continuo surrexit sanus. Ob quod signum,

Digitized by Google

Æneas erigitur.
Petrum præsens Dei virtus
Ad votum prosequitur.
Petrus vitam dat Thabitæ :
Juvenemque reddit vitæ
Potestate libera.
Pede premit fluctus maris :
Et nutantem salutaris
Illum regit dextera.
Facta Christi quæstione :
Brevi claudit sub sermone
Fidem necessariam.
Hunc personam dicit unam ;
Sed nec tacet opportunam
Naturæ distantiam.
Quod negando ter peccavit :
Simplex amor expiavit,
Et trina confessio.
Angelus a carcere
Petrum solvit libere ;
Destinatum gladio.
Umbra sanat hic languentes :
Sanat membra, sanat mentes.
Morbos reddit impotentes
Medici potentia.
Petrum Simon Magus odit
Magum Simon Petrus prodit.

A Plebem monet ac custodit
A Magi versutia.
Hic a petra Petrus dictus ;
In conflictu stat invictus.
Licet jugis sit conflictus,
Et gravis congressio.
Dum volare Magus quærit :
Totus ruens totus perit.
Quem divina digne ferit,
Et condemnat ultio.
Nero fremit furibundus,
Nero plangit impium.
Nero, cujus ægre mundus
Ferebat imperium.
Ergo Petro crux paratur :
B A ministris scelerum.
Crucifigi se testatur
In hoc Christus iterum.
Petro sunt oves creditæ :
Clavesque cœli traditæ.
Petri præit sententia :
Ligans ac solvens omnia.
Pastoris nostri meritis
Ac prece salutifera :
Nos a peccati debitis,
Æterne pastor, libera. Amen.

—

multi ex habitatoribus Liddæ civitatis conversi sunt ad Dominum (*Act.* IX). »

VERS. 27. — *Petrus vitam dat Thabitæ.* Ex Actis apostolorum id depromptum, ubi discipula quædam Christi, nomine Thabita sive Dorcas in Joppe, plena operibus bonis, narratur gravi infirmitate fuisse exstincta. Ad quam cum a discipulis accersitus esset Petrus, fusa ad Deum oratione ipsam resuscitavit. Ob cujus signi novitatem divulgati per universam Joppen, multi crediderunt in Dominum (*ibid.*). Porro quod juvenem etiam vitæ reddiderit Petrus, ut dicit hic versus, ex sacra Scriptura non habetur, quantum meminerim, sed ex aliqua alia historia quæ me latet, cui tamen non est detrahenda omnino fides. Non enim omnia apostolorum miracula, sacræ paginæ complexu continentur.

VERS. 33. — *Facta Christi quæstione.* Interrogatio Christi ad discipulos fuit : « Vos autem quem me esse dicitis? » Petri autem responsio, ita subjungitur : « Tu es Christus, Filius Dei vivi (*Matth.* XVI). » In qua et personæ Christi unitatem exprimit, sicut dicit sequens versus, nam eumdem profitetur esse Christum et Filium Dei, eodemque pronomine eum demonstrat. Naturarum etiam divinæ scilicet et humanæ in Christo diversitatem illis verbis Petrus innuit. Nam cum Christum ipsum nominat, naturam ejus insinuat humanam, secundum quam unctus est a Deo oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal.* XLIV). Cum vero eumdem confitetur Filium Dei, divinam ejusdem indicat naturam.

VERS. 40. — *Simplex amor expiavit.* Post sui manifestationem tertio discipulis factam cum resurrexisset a mortuis Christus, et copiosam piscium capturam, interrogavit Petrum semel iterum, et tertio, an se amaret, responditque semper Petrus id Christo notum et perspectum esse quod ipsum amaret (*Joan.* XXI). In qua responsione, simplex et unicus exprimitur, semperque conformis amor Petri in Christum, is tamen triplici confessione et tertio facta asseritur, ut hujusmodi trina amoris confessio, trinæ negationis ejus in passione Christi factæ culpam abraderet (*Matth.* XXVI).

VERS. 53. — *Hic a petra Petrus dictus.* Multi codices hanc primam præsentis versus clausulam ita C habent dispositam. Hic a Petro petra dictus, sed perperam et mendose. Non enim beatus Petrus unquam legitur a Domino dictus esse petra, cum illud nomen solius Christi sit proprium teste Apostolo ad Corinthios : « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X). » Et cum apud Matthæum legitur Dominus dixisse Petro : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam (*Matth.* XVI). » Per hanc petram, non Petrum, sed se ipsum demonstrat, quandoquidem non super Petrum, sed super Christum, ut lapidem in fundamentis positum, fundata est Ecclesia. Insuper non petra a Petro dicitur, sed a petra Petrus, sicut non Christus a christiano, sed a Christo christianus deducitur. Quocirca prima illa clausula rhythmica, ita est potius legenda : *Hic a petra Petrus dictus.* Et accommodatus erit in toto versu sensus. Nam propter soliditatem fidei, et invictam in certamine contra improbos fortitudinem cum petra convenit Petrus, D et inde id nomen accepit.

VERS. 67. — *Crucifigi se testatur.* Cum Petrus a Nerone in vincula conjectus, suadentibus Christianis fratribus clanculum discessisset liber e carcere, jam portam urbis egressurus, Christum vidit sibi occurrentem et adorans eum, ait : « Domine, quo vadis? » Cui respondit Dominus : « Venio Romam iterum crucifigi. » Tum Petrus ad illum : « Domine, iterum crucifigeris? » Et ait illi Dominus : « Etiam iterum crucifigar. » Petrus autem dixit ei : « Domine, revertar et sequar te. » Et his dictis, Christus ascendit in cœlum. Quem Petrus sublatis in æthera luminibus, dulcissimis lacrymis prosecutus est, ac in se ipsum reversus intellexit hoc Domini verbum de sua dictum esse passione. Et continuo regressus cum gaudio in urbem et carcerem, narravit hæc fratribus, agonemque suum gloriose complevit, et Romæ (ut insinuarat Dominus) crucifixus est.

Digitized by Google

XXIII.

DE SANCTIS APOSTOLIS PETRO ET PAULO.

Hæc prosa rhythmicam habet compositionem fere in omnibus versibus præcedenti persimilem : Quod si interdum aliqua intervenit evariatio, illa haud magno impendio ab omnibus inter legendum poterit dignosci. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. In ea prædicantur egregiæ laudes beatorum apostolorum Petri et Pauli, et singularia gratiarum dona ipsis a Deo indulta in denuntiatione evangelicæ veritatis ad hominum conversionem, et sedula moderatione totius Ecclesiæ. Demum sacrum eorum martyrium, et pretiosa in conspectu Domini mors describitur.

Roma Petro glorietur :
Roma Paulum veneretur
Pari reverentia.
Imo tota jucundetur :
Et jucundis occupetur
Laudibus Ecclesia.
Hi sunt ejus fundamenta,
Fundatores, fulcimenta,
Bases, epistylia.
Iidem saga, qui cortinæ :
Pelles templi hyacinthinæ,
Cyphi, sphæræ, lilia.
Hi sunt nubes coruscantes
Terram cordis irrigantes
Nunc rore, nunc pluvia.
Hi præcones novæ legis
Et ductores novi gregis
Ad Christi præsepia.
Laborum socii
Triturant aream :
In spe denarii
Colentes vineam.
Ilis ventilantibus
Secedit palea :
Novisque frugibus
Implentur horrea.
Ipsi montes appellantur :
Ipsi prius illustrantur
Veri solis lumine.
Mira virtus est eorum :
Firmamenti vel cœlorum
Designantur nomine,
Fugam morbis imperant,
Leges mortis superant,
Effugant dæmonia.
Delent idolatriam :
Reis donant veniam,
Miseris solatia.
Laus communis est amborum :
Cum sint tamen singulorum

Vers. 7. — *Hi sunt ejus fundamenta.* Christus primum est et præcipuum Ecclesiæ fundamentum, de quo Apostolus : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*I Cor.* III). » Apostoli autem et præcipue Petrus et Paulus, secundaria sunt fundamenta Ecclesiæ, et post Christum. Unde Apostolus scribit Ephesiis, quod sunt fundati super fundamentum apostolorum et prophetarum (*Ephes.* II). Ita Christus primus fundator, hi secundi et sub Christo, primario architecto. Similiter bases sunt et fulcimenta sive sustentacula Ecclesiæ, itidem et epistylia. Est autem epistylium, capitellum quod super columnam ponitur, sive superior columnæ pars, sicut basis, pars ejus est inferior. Nam *epi* Græca præpositio, *supra* significat, et *stylos*, columnam. Inde epistylium, quod supra columnam est.

Vers. 10. — *Iidem saga, qui cortinæ.* In constructione tabernaculi antiquæ legis erant saga cilicina (*Exod.* XXVI), cortinæ pelles hyacinthinæ, ad operimentum ipsius tabernaculi. Erant et in stipite candelabri ejusdem tabernaculi ac calamis ejus, cyphi, spherulæ et lilia, ad ornatum ipsius candelabri. Et hæc quidem ex diversa composita erant materia, et inter se diversa secundum substantiam, et ad diversum applicabantur usum. At vero Petrus et Paulus in tabernaculo novæ legis et Ecclesia Christi sunt secundum mysticum et spiritualem sensum, saga, cortinæ, pelles hyacinthinæ, cyphi, spherulæ et lilia, secundum aliam et aliam rationem, eo quod magnum conferunt Ecclesiæ ornamentum et splendorem, multiformique gratiarum varietate ac usu mirum in modum eam illustrant.

Vers. 13. — *Hi sunt nubes coruscantes.* Dicuntur et ambo apostoli nubes spirituales, quia evangelicæ veritatis imbrem impluerunt aridis hominum cordibus, eaque fecundarunt ad proferendum bonorum operum fructum. Rursum, nubes edunt tonitrua et emittunt fulgura. Ita mystice istæ nubes suæ prædicationis vocem toti mundo intonuerunt, et fulgorem doctrinæ ac miraculorum longe lateque in totum orbem disperserunt.

Vers. 19-20. — *Laborum socii triturant aream.* In eo veteris legis præcepto : « Non alligabis os bovi trituranti (*Deut.* XXV). » Apostolus ad Corinthios scribens dicit per bovem triturantem in area intelligi prædicatorem verbi divini, qui frugem doctrinæ parat in pabulum animarum fidelium (*I Cor.* IX). In parabola vero operantium in vinea pro denario diurno apud Matthæum conscripta, per cultores vineæ intelliguntur laborantes in Ecclesia Dei pro salute proximorum (*Matth.* XX). Quoniam igitur hi duo apostoli, et prædicatores sunt et rectores Ecclesiæ, aream triturare, et vineam colere hic dicuntur.

Vers. 23. — *His ventilantibus.* Sanctus Joannes Baptista ad Pharisæos de Christo loquens ait : « Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni. Cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili (*Matth.* III). » Ex quibus verbis sumpta est hæc sententia præsentis versus, in qua ventilantes dicuntur apostoli, quoniam per suam doctrinam et scripta secernunt, disseparantque bonos a malis. Per secedentem autem paleam intelliguntur mali non recipientes apostolorum monita, et ideo separati a consortio justorum. Demum per novas fruges accipiuntur boni, copiosoque justitiæ fructu referti, qui in cœlestis regni horrea recipiuntur.

Vers. 27. — *Ipsi montes appellantur.* Montes sensibiles, vallibus et planitie terræ sunt æditiores, orientisque solis primum in se recipiunt radios, quos deinde in subsidentia ac demissiora loca transmittunt. Ita hi apostoli, cæteris hominibus sunt sapientia ac virtute præcelsiores. A Christo itidem vero sole primum illustrati sunt divinæ lucis radio, quem deinceps in cæteros subjectumque populum communicando transfuderunt. Eadem quoque ratione in Scripturis sanctis hi apostoli designantur interdum nomine firmamenti vel cœlorum, propter indeflexibilem ipsorum in bono constantiam, etiam ob sublimitatem suæ dignitatis, et virtutem illuminatricem animorum ut in eo versu Psalmi : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum (*Psal.* XVIII). »

Digitized by Google

Dignitates propriæ.
Petrus præit principatu :
Paulus pollet magistratu
Totius Ecclesiæ.
Principatus uni datur :
Unitasque commendatur
Fidei catholicæ.
Unus cortex est granorum :
Sed et una vis multorum
Sub eodem cortice.
Romam convenerant
Salutis nuntii :
Ubi plus noverant
Inesse vitii,
Nihil disciplinæ.
Insistunt vitiis
Fideles medici.
Vitæ remediis
Obstant phrenetici.
Fatui, doctrinæ.
Facta Christi mentione,
Simon Magus cum Nerone
Conturbantur hoc sermone,
Nec cedunt apostolis.
Languor cedit, mors obedit.
Magus crepat, Roma credit.
Et ad vitam mundus redit,
Reprobatis idolis.
Nero fremit sceleratus :
Magi morte desolatus.
Cujus error ei gratus,
Grave præcipitium.
Bellatores præelecti
Non a fide possunt flecti ;
Sed in pugna stant erecti
Nec formidant gladium.

A Petrus hæres veræ lucis
Fert inversus pœnam crucis,
Paulus ictum pugionis.
Nec diversæ passionis
Sunt diversa præmia.
Patres summæ dignitatis :
Summo regi conregnatis.
Vincla nostræ pravitatis
Solvat vestræ potestatis
Efficax sententia. Amen.

—

XXIV.

DE SANCTO LAURENTIO.

Hæc prosa, rhythmicæ sonoritatis exactam servat mensuram, perinde atque illa de sancto Petro
B prius exposita. *Gaude, Roma, caput mundi.* Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Commendat autem beati Laurentii invictam constantiam in perferendis pro Christi nomine tormentis, et pretiosam (qua consummatus est) mortem digne concelebrat. Cæterum quidquid historicum hic innuitur aut efflagitatur ad præsentis litteræ intelligentiam, ex vita ejus satis invulgata requirendum est, itidem et ex illo hymno elegantissimo Prudentii de passione ejus composito : « Antiqua fanorum parens, jam Roma Christo dedita, Laurentio victrix duce, ritum triumphas barbarum. » Is autem hymnus, iambicus est dimeter, et apud eumdem auctorem admodum diffusus, quem inter cæteros ipsius hymnos lector studiosus in operibus ejus inveniet.

Prunis datum admiremur,
Laureatum veneremur
C Laudibus Laurentium.
Veneremur cum tremore,
Deprecemur cum amore
Martyrem egregium.
Accusatus non negavit·
Sed pulsatus resultavit
In tubis ductilibus.

Vers. 42. — *Petrus præit principatu.* Constitutus enim est a Domino Petrus, princeps apostolorum, ut sacer ille numerus in unum revocaretur apicem; et ad unitatem quamdam reduceretur. Et id quidem, cum dixit Petro : « Tibi dabo claves regni cœlorum (*Matth.* XVI). » Quod nulli aliorum apostolorum particulatim est dictum. Constitutus est et pastor Dominici gregis, cum dixit illi Dominus : « Pasce oves meas (*Joan.* XXI). » De cujus quidem gregis numero et integritate, erant cæteri apostoli. Paulus vero ordinatus est a Deo magister et doctor gentium, ex quibus potissimum coalita est Ecclesia, quare illi a Deo commissum est totius Ecclesiæ magisterium et instructio. Quod etiam ad Corinthios scribens innuit, cum ait : « Instantia mea quotidiana et sollicitudo omnium ecclesiarum (*II Cor.* XI).

Vers. 48. — *Unus cortex est granorum.* In leguminibus, malis granatis, papavere, et cæteris id genus frugibus, unus cortex multa continet grana, suoque complexu ea ne dissipentur, custodit, omnium tamen illorum granorum una est et eadem virtus, quoniam congeneæ sunt et consimilis naturæ. Ita et Christus ut cortex suo præsidio et ambitu divinæ virtutis omnes comprehendit apostolos, tanquam grana eodem contenta cortice, ipsorumque fidus est custos. « Pater, inquit, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam (*Joan.* XVII). » Omnium tamen illorum par est et eadem virtus, apostolica scilicet dignitas a Christo suscepta, tametsi particulares singulorum virtutes sint diversæ.

Vers. 58-59. — *Vitæ remediis obstant phrenetici.* Phrenesis, morbus est lædens mentem, et ad insaniam furoremque deducens. Inde phreneticus, qui eo vitio laborat, mentis scilicet deturbatione. Proprium autem phreneticorum est, cum gravissimo detinentur morbo, se sanos esse existimare, et in illos insilire, qui opem ipsis medicatricem volunt impendere. Cæterum tales fuerunt Romani, qui cum plurimarum superstitionum vanitate essent elusi, se
D quam maxime religiosos existimabant, et apostolos damnantes idolorum cultum atrocissime persequebantur, ideo spiritualiter exstitere phrenetici.

Vers. 78. — *Fert inversus pœnam crucis.* Invertere est in contrarium vertere, ut vestem aut pellem, cum interior pars ponitur exterius, et quæ exterior est introrsus, dicimur invertere. Virgilius :

Glebas invertit aratro.....

Quoniam igitur beatus Petrus capite deorsum verso, et pedibus sursum erectis (ut petiverat) crucifixus est, hic recte dicitur inversus supplicium crucis pertulisse.

Vers. 9. — *In tubis ductilibus.* Id dictum putaverim, quoniam inter instrumenta harmonica, quibus Deum esse laudandum Propheta monet in Psalmo, nominantur tubæ ductiles, cum ait : « Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi, in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ (*Psal.* XCVII). » Et

Digitized by Google

Cum in pœnis voto plenis
Exsultaret, et sonaret
In divinis laudibus.
Sicut chorda musicorum
Tandem sonum dat sonorum
Plectri ministerio.
Sic in chely tormentorum
Melos Christi confessorum
Dedit hujus tentio.
Deci, vide, quia fide
Stat invictus inter ictus,
Minas et incendia.
Spes interna, vox superna
Consolantur; et hortantur
Virum de constantia.
Nam thesauros quos exquiris,
Per tormenta non acquiris
Tibi, sed Laurentio.
Hos in Christo coacervat
Hujus pugnam Christus servat
Triumphantis præmio.
Nescit sancti nox obscurum:
Ut in pœnis quid impurum
Fide tractet dubia.
Neque cæcis lumen daret,
Si non eum radiaret
Luminis præsentia.

A

Fidei confessio
Lucet in Laurentio.
Non ponit sub modio,
Statuit in medio
Lumen coram omnibus.
Juvat Dei famulum
Crucis suæ bajulum;
Assum quasi ferculum,
Fieri spectaculum
Angelis et gentibus.
Non abhorret prunis volvi,
Qui de carne cupit solvi
Et cum Christo vivere.
Neque timet occidentes
Corpus, sed non prævalentes
Animam occidere,
Sicut vasa figulorum
Probat fornax, et eorum
Solidat substantiam.
Sic et ignis hunc assatum:
Velut testem solidatum
Reddit per constantiam.
Nam cum vetus corrumpatur:
Alter homo solidatur
Veteris incendio.
Unde nimis confortatus
Est athletæ principatus,

B

congruenter ille nominatim hic exprimuntur. Quoniam sicut ipsæ cum ultro, citroque ducuntur, trahuntur et retrahuntur, ædunt sonum. Ita beatus Laurentius crebra tormentorum illatione cruciatus et exagitatus, divinas resonabat laudes.

Vers. 15. — *Plectri ministerio.* Plectrum, instrumentum est citharœdi, quo fides et chordæ citharæ, plectuntur atque percutiuntur. Martialis :

Fervida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exornent docilem garrula plectra lyram.

A Latinis autem dicitur interdum pecten. Virgilius :

...Jam pectine pulsat eburno.

Chelys autem Græcum nomen tertiæ declinationis, *lyram citharamque* significat, facit accusativum *chelym*, et ablativum *chely*. Itaque hujus versus, et proxime sequentis est sententia, quod sicut chordæ in cithara extentæ, et plectro percussæ, sonoræ sunt, suavemque reddunt harmoniam; ita beatus Laurentius in tormentorum acerbitate constitutus, divinæ laudis concinuit melodiam.

Vers. 31. — *Nescit sancti nox obscurum.* Hæc verba consonant responso beati Laurentii ad crudelem Decium, comminantem, quod tota nox futura expenderetur in suppliciis illi infligendis. Mea, inquit, nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Similiter quod in sequente dicitur versu, neque cæcis lumen daret, sumptum est ex illo præconio, quod de ipso decantatur. Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis cæcos illuminavit. Denique in decimo tertio versu alludit auctor ad ea verba Domini in Evangelio : « Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt (*Matth.* v).

Vers. 42. — *Juvat Dei famulum.* Verbum juvat, hic impersonale est, idem signans quod delectat, quomodo et apud Virgilium ponitur, ubi ait :

Sic, sic juvat ire sub umbras.

Et habet hoc loco accusativum post se, consequente infinitivo fieri. Bajulum autem suæ crucis vocat beatum Laurentium, quod tribulationes et persecutiones hujus mundi nomine crucis signatas perferret. C Sic et Dominus in Evangelio ait : « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me (*Luc.* ix). » Spectaculum vero eum factum angelis, et hominibus hic dicit, innitens illis verbis beati Pauli ad Corinthios: « Spectaculum facti sumus angelis, Deo et hominibus (*I Cor.* iv). Non solum enim homines, sed et angeli de cœlo spectabant egregium beati Laurentii certamen contra tyrannos. Ita in sequente versu alludit auctor ad illa verba Beati Pauli in Epistola ad Philippenses : « Cupio dissolvi et esse cum Christo (*Philipp*, i). » In decimo sexto vero versu, ad hæc verba Domini in Evangelio : « Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (*Matth.* x). »

Vers. 53. — *Sicut vasa figulorum.* Sumpta est hæc sententia ex Ecclesiastico dicente : « Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (*Eccli.* xxvii). Et de sanctis martyribus D dicit in libro Sapientiæ Salomon, quod in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se (*Sap.* iii). Tanquam aurum in fornace probavit illos, et quasi holaucausti hostiam accepit illos.

Vers. 59. — *Nam cum vetus corrumpatur.* Vetus homo hic intelligitur homo exterior, ex corpore membrisque materialibus constans, qui in beato Laurentio corruptus est, per afflictionem et temporariam mortem. Alter autem homo, est homo interior, animam, et internas ejus virtutes, tum nativas, tum acquisitas concernens. Et hic in beato Laurentio solidatus est, per constantiam in passione et firmam spem immarcescibilis gloriæ. Respondet autem hic versus illis verbis beati Pauli ad Corinthios : « Sed licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem (*II Cor.* iv)

Digitized by Google

In Dei servitio.
Hunc ardorem factum foris
Putat rorem vis amoris :
Et zelus justitiæ.
Ignis urens non comburens
Vincit prunas, quas adunas
O minister impie.
Parum sapis vim sinapis,
Si non tangis, si non frangis,
Et plus fragrat quando flagrat
Thus injectum ignibus.
Sic arctatus et assatus
Sub ardore, sub labore;
Dat odorem pleniorem
Martyr de virtutibus.
O Laurenti, laute nimis
Rege victo rex sublimis,
Regis regum fortis miles,
Qui duxisti pœnas viles
Certans pro justitia.
Qui tot mala devicisti
Contemplanda bona Christi :
Fac nos malis insultare
Fac de bonis exsultare
Meritorum gratia. Amen.

—

XXV.

IN ASSUMPTIONE BEATÆ VIRGINIS.

Hæc prosa rhythmicam servat mensuram et formam, ut illa de sancto Laurentio superius posita. *Prunis datum admiremur.* Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Commendat autem beatam Virginem Mariam præclaris laudibus, insignes illius virtutes exprimens diversis rerum naturalium similitudinibus, ut aromatum, florum, fruticum, et arborum odoriferarum, quæ ex diversis sacrarum litterarum locis sunt desumptæ. Eximiam itidem illius sublimitatem qua Filii Dei thronus et habitaculum facta est, aptis rerum materialium formis eloquitur, et demum arduam illius in gloria cœlesti celsitudinem super omnes sanctorum ordines prædicat. Et certe inter cæteras de beata Virgine prosas, hæc maxime singularis est, et suavissime contexta.

Salve Mater Salvatoris,
Vas electum, vas honoris,
Vas cœlestis gratiæ.
Ab æterno vas provisum :
Vas insigne, vas excisum
Manu sapientiæ,
Salve, Verbi sacra parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos, spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinæ nescia.
Porta clausa, fons hortorum,
Cella custos unguentorum,
Cella pigmentaria.
Cinnamomi, calamum,
Myrrham, thus et balsamum,
Superas fragrantia.
Salve, decus virginum,
Mediatrix hominum,
Salutis puerpera.
Myrtus temperantiæ,

Vers. 71. — *Parum sapis vim sinapis.* Hanc sententiam præclare exprimit beatus Gregorius in prologo suorum Moralium in libro Job : « Sicut, inquit, unguenta nisi commota, redolere latius nesciunt, et sicut aromata fragrantiam suam non nisi cum incenduntur, expandunt; ita sancti viri, omne quod in virtutibus redolent, in tribulationibus innotescunt. Unde et recte in Evangelio dicitur : *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis* (*Matth.* XVII). Granum sinapis nisi conteratur, nequaquam vis virtutis ejus agnoscitur. Nam non contritum, leve est, si vero conteritur, inardescit, et quod in se acerrimum latebat, ostendit. Sic unusquisque vir sanctus, cum non pulsatur, despicabilis ac levis aspicitur. Si qua vero illum tritura persecutionis premat, mox omne quod calidum sapit ostendit, atque in fervorem virtutis vertitur quidquid in illo ante despicabile, infirmumque videbatur, quodque in se tranquillitatis tempore libens operuerat, exagitatus tribulationibus coactus innotescit. » Hæc Gregorius.

Vers. 8. — *Flos de spinis, spina carens.* Cum Dominus malediceret terræ propter prævaricationem primorum parentum, legitur dixisse ad Adam : « Maledicta terra in opere tuo. In laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ (*Gen.* III). » Quocirca nomine spinarum, humana propago maledicto obnoxia et peccatis obstricta, hic non absurde accipitur. Sanciat enim, et lacerat peccatum animam, sicut spina pungit et cruentat corpus. Quoniam igitur beata Virgo ex progenitoribus peccato, et maledictioni primorum parentum subjectis est exorta, immunis tamen peccati, et maledictionis, recte hic dicitur flos de spinis, spina carens. Hinc eidem Illud ex Canticis apte ascribitur : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. (*Cant.* II.) » Eadem quoque sententia pulchre exprimitur in primo versu alterius prosæ de solemnitate assumptionis gloriosæ Virginis, oratione soluta compositæ, cujus initium est : Area virga primæ matris Evæ, florens rosa processit Maria. Quæ quoniam satis facilis est intellectu, nec intricatas habet sententias, hic consulto prætermissa est.

Vers. 15. — *Cella pigmentaria.* Pigmentum dicitur confectio ex diversis speciebus aromaticis, suavis et odorifera. Hieronymus : Denique et hi quibus intellectus herbarum est pigmentorumque peritia, ferunt quædam esse pigmenta, quorum si odorem cœperint nonnulla animalia, continuo intereunt. Alia vero eodem odore recreantur vitamque recipiunt. Unde et quodvis unguentum nomine pigmenti significatur, hic vero aromata, pigmenta, unguenta, et cætera id genus, spiritaliter accipiuntur pro virtutibus animi suum odorem late dispergentibus, sicut in Canticis legimus : « Meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis (*Cant.* I.). » Et rursum : « Curremus in odore unguentorum tuorum (*Ibid.*). »

Vers. 22. — *Myrtus temperantiæ.* Myrtus, arbor est baccas saporis præcipui producens, ex quibus vinum fit quod myrtidanum dicitur. Nardus item frutex est gratissimi odoris, ut ostendit illud dictum in Canticis : « Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum (*Ibid.*). » Verum his arborum nominibus, diversæ virginis gloriosæ virtutes insinuantur. Sicut et illo Ecclesiastici loco, qui eidem virgini adaptur : « Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion,

Digitized by Google

Rosa patientiæ,
Nardus odorifera.
Tu convallis humilis,
Terra non arabilis,
Quæ fructum parturiit.
Flos campi, convallium
Singulare lilium
Christus, ex te prodiit.
Tu cœlestis paradisus,
Libanusque non incisus,
Vaporans dulcedinem.
Tu candoris et decoris,
Tu dulcoris et odoris
Habes plenitudinem.
Tu thronus es Salomonis :
Cui nullus par in thronis
Arte vel materia.
Ebur candens castitatis.
Aureum fulvum, charitatis
Præsignant mysteria.
Palmam præfers singularem,
Nec in terris habes parem,
Nec in cœli curia.
Laus humani generis,
Virtutum præ cæteris
Habens privilegia.
Sol luna lucidior,
Et luna sideribus.
Sic Maria dignior,
Creaturis omnibus.

A Lux eclypsim nesciens,
Virginis est castitas.
Ardor indeficiens,
Immortalis charitas.
Salve, mater pietatis,
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium.
Verbi tamen incarnati
Speciale majestati
Præparans hospitium.
O Maria stella maris,
Dignitate singularis.
Super omnes ordinaris
Ordines cœlestium.
In suprema sita poli,
Nos assigna tuæ proli.
B Ne terrores sive doli
Nos supplantent hostium :
In procinctu constituti.
Te tuente simus tuti.
Pervicacis et versuti
Tuæ cedat vis virtuti.
Dolus providentiæ.
Jesu Verbum summi Patris :
Serva servos tuæ matris.
Solve reos, salva gratis.
Et nos tuæ claritatis
Configura gloriæ.
Amen.

quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho (*Eccli.* XXIV). » Diversis arborum et fruticum appellationibus, multiformitas virtutum illius exprimitur.

VERS. 28. — *Flos campi, convallium.* Flos ille campi est Jesus Christus Dominus noster, qui de se ipso dicit in Canticis : « Ego flos campi, et lilium convallium (*Cant.* II.). » Is autem ex virgine prodiit tanquam terra non arabili, quemadmodum præcedens habet versus, quoniam sicut id supra naturam est, quod terra non sulcata aratro, et nullo suscepto semine proferat fructum; ita et id, quod virgo incognita viro pariat filium. At vero in sequente versu cum beata virgo dicitur cœlestis paradisus, nomen paradisi pro horto voluptatis sumitur, omnigenis arboribus, et floribus consito. Ipsa autem sacrata virgo, hortus conclusus in Canticis (*Cap.* IV) nuncupatur. Cum vero eadem hic dicitur Libanus non incisus, Libanus non pro monte (ut sæpe alias), sed pro arbore sumitur thus producente, et pro illo significato, tam masculini, quam feminini generis est. Illa autem beatæ virginis nuncupatio, sumpta est ex Ecclesiastico dicente : « Quasi Libanus non incisus, vaporavi habitationem meam (*Eccli.* XXIV). »

VERS. 37. — *Tu thronus es Salomonis.* Tertius liber Regum perhibet inter cætera ædificia magnifice a Salomone exstructa, quod fecit etiam thronum de ebore grandem, et vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus : « Non est, inquit, factum tale opus in universis regnis (*III Reg.* X). » Cæterum beata virgo Maria, veri Salomonis scilicet, Christi thronus est spiritalis, vivus et animatus, in quo ipse rex regum sedere, et quiescere dignatus est. Hic autem thronus mysticus, ex ebore candido virginalis puritatis, et auro fulvo fervidæ charitatis est compositus suntque in eo multi gradus virC tutum, quibus in Deum tendit. At vero in hoc admirabili throno tantus est gratiarum, et virtutum ornatus, tantus sanctitatis splendor et decor honestatis, ut in toto sanctorum numero nunquam fuerit consimilis efformatus thronus.

VERS. 58-59. — *Et totius Trinitatis nobile triclinium.* Quod Græce triclinium dicitur, Latine *discubitorium* dici potest, sive *cœnaculum*. Est enim locus in quo discumbebant, et cœnabant olim convivæ, ita nominatus a triplici lectorum ordine quibus insidentes antiqui mensis accumbere sunt soliti. Quintilianus de Simonide poeta : « Vix eo limen egresso, triclinium illud supra convivas corruit. » At vero sacratissima Virgo Maria, spiritale est triclinium, non hominis, sed Dei, non unius tantum personæ divinæ, sed totius Trinitatis reclinatorium. Siquidem sibi invicem immanent ipsæ divinæ personæ inseparabiliter, neque unquam divellitur Filius a Patre et Spiritu sancto. Quare et ante susceptam in sacra virgine nostræ carnis substantiam, et post illam susceptionem cum Filius Dei in ea sibi elegit habitaculum, adfuit et Pater et Spiritus sanctus ipsam pariter inhabitans. Siquidem in Evangelio dicit Dominus noster : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Sed quis, obsecro, ferventius Deum dilexit, aut magis anxie sermones ejus servavit quam hæc beata virgo ? Mansionem igitur apud eam fecerunt Pater et Filius. Rursum Corinthiis in Christum credentibus scribit Paulus : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis (*I. Corint.* III). » Cur igitur ante peractum Dominicæ incarnationis mysterium etiam in ea non habitavit Spiritus sanctus, quæ plena gratia tum fuisse prædicatur ? Quare consequens est et totam

Digitized by Google

XXVI.

DE SANCTO BARTHOLOMÆO.

Hæc prosa rhythmicæ formæ servat mensuram satis uniformem. Nam in omnibus suis versibus solas habet clausulas octo syllabarum, quarum penultima est brevis. In aliquibus quidem versibus, ut primis et postremis, duntaxat duas continet hujusmodi clausulas, ad invicem consonantes. In aliis vero, ut in meditullio fere constitutis, quatuor complectitur clausulas, interdum quidem quamlibet, ad proximam sibi consonantiæ modulos servantem, ut prima scilicet secundæ consonet, et tertia quartæ. Interdum vero alternis locis responsum in finali desinentia habentes, ut prima ad tertiam referatur, et secunda ad quartam.

Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Describit autem sanctitatem Vitæ beati Bartholomæi, vim coercendi dæmonia, quam in falsa idolorum numina exercebat, prædicationis evangelicæ studium et operam et demum, gloriosam ejus mortem ut præcedens.

Laudemus omnes inclyta
Bartholomæi merita.
Cujus sacra solemnia,
Nobis inspirant gaudia.
Per diem centum vicibus
Flexis orabat genibus.
Nec minus noctis tempore,
Toto prostratus corpore.
In ipsius præsentia
Obmutescunt dæmonia.
Christi sonante buccina,
Falsa terrentur numina.
Non Astaroth illudere
Genti permisit miseræ;

A

Nec fallere, nec lædere,
Nec læsis potest parcere.
Gravi dignus supplicio,
Cruciatur incendio,
Quanta fit ejus tortio,
Berith patet indicio.
Per virtutes Apostoli
Patescit fraus diaboli.
Arte detecta subdoli,
Cultores cessant idoli,
Liber exsultat Pseustius,
Hostis repressa rabie.
Credit et rex Polymnius.
Propter salutem filiæ.
Permissus ab apostolo

B

Dæmon mugit ex idolo :
« A vobis ultra miseri
Sacra non posco fieri.
Me jam nil posse fateor,
Qui vix respirans torqueor
Ante diem judicii
Pœnam ferens incendii. »
Sic effatus disparuit,
Et sigilla comminuit.
Sed nec præsentes terruit
Nam virtus crucis adfuit.
Christi signat characterè
Fanum manus angelica,
Læsos absolvit libere
Potestate mirifica.

C

Mox pellem mutat India,
Tincta baptismi gratia.

Trinitatem sacrum ipsius sanctissimæ Virginis triclinium inhabitasse. Atqui solus Dei Filius in eâ nostræ substantiæ formam accepit, et in hujusmodi dispensatione carnis, neque Pater, neque Spiritus sanctus illi quantum ad susceptionem communicavit. Recte igitur hic dicitur ipsa superbeata Virgo præparasse speciale hospitium majestati Filii Dei, in quo scilicet et ex quo nostram carnem assumeret.

VERS. 11. — *Christi sonante buccina.* Id dicitur propter illud præconium, quod de hoc sancto canit Ecclesia : *Vox sancti Bartholomæi quasi tuba vehementis; ambulant cum illo angeli Dei.* Insuper Christi buccina erat iste sanctus, quoniam evangelicæ veritatis erat altisonus buccinator, ut per totam Indiam illius sonitus fuerit auditus.

VERS. 16. — *Nec lædis potest parcere.* Non potest, inquit, Astaroth cessare a læsione eorum quos antè morbis, aut molestia corporis affecerat, licet magnopere id vellet, mitius scilicet cum illis agere, et amplius ipsos non lædere, ut desistendo a læsione, videretur eos quos morbo gravaverat curare. Talibus enim ludificamentis fallere miseros solitus erat dæmon ille, in idolo Astaroth latitans, sed propter apostoli præsentiam repressa fuit hæc elusoria fallacia, virtusque subdola.

VERS. 25. — *Liber exsultat Pseustius.* Hic Pseustius prius a dæmonio vexatus, sancti Bartholomæi virtute et auxilio ab hujusmodi infestatione liberatus est. Filia itidem regis Polymnii prius lunatica et ab immundo arrepta spiritu, integræ sanitati per apostolum est restituta. Quorum occasione signorum, certatim populus regionis illius una cum rege suo in Christum credidit.

VERS. 29. — *Permissus ab apostolo.* Quemadmodum in Vita sancti Bartholomæi, memoriæ proditum est, cum post adventum apostoli in Indiam, et primam sui manifestationem occasione idoli Astaroth populo et regi factam, templorum pontifices idolo sacrificarent, cœpit ex eo clamare dæmon ac dicere : « Cessate, miseri, sacrificare mihi, ne pejora me patiamini, qui catenis igneis ab angelis Dei vivi sum vinctus. » Apostolus autem dæmoni præcepit, ut idolo exiens ipsum comminueret. Qui protinus egressus, omnia idola templi per se ipsum confregit. Tunc angelus Domini ibidem apparuit, et templum circumvolans in quatuor ejus angulis signum crucis digito suo insculpsit, præcipiens ut omnes idem signum frontibus suis imprimerent, quatenus sine horrore et timore Deum suum quem hactenus coluerant cernere possent. Cujus dicto cum omnes obedissent, ostendit eis Æthiopem nigriorem fuligine et horrenda forma terribilem, cujus oculi ut ferrum candens scintillabant et manus post terga vinculis erant constrictæ, illique jussit ut in desertum locum ubi nulla hominum est habitatio abiret. Qui cum ingenti strepitu et magno ululatu inde abiit, nullis tamen incusso terrore, quoniam signaculo crucis erant ante muniti. Deinde angelus ab eorum oculis disparuit. Infirmi omnes fusa ad Deum oratione ab apostolo sunt curati, et rex Polymnius cum toto suo populo vitale baptismi lavacrum accepit. Et ex hac enarratione, patet hujus versus et quatuor sequentium sententia. Id quoque evadit perspicuum quod in trigesimo octava versu sigilla accipiuntur pro idolis, simulacris sive sculptilibus, quæ signa quædam erant falsorum deorum numen repræsentantia ipsis idololatris. Dicuntur enim sigilla, quasi parva signa.

VERS. 45. — *Mox pellem mutat India.* Nomine

Digitized by Google

Ruga carens et macula,
Cœlesti gaudet copula,
Currunt ergo pontifices
Ad Astiagen supplices,
Athletam jam emeritum
Poscentes ad interitum.
Sub Christi testimonio,
Caput objecit gladio.
Sic triumphavit hodiè,
Doctor et victor Indiæ.
Bartholomæe, postula
Pro servis prece sedula,
Ut post vitæ curricula
Christum laudent in sæcula. Amen.

XXVII.

DE SANCTO AUGUSTINO.

Hæc prosa modulatione rhythmica persimilis est illi de sancto Bartholomæo superius expositæ: *Laudemus omnes inclyta, Bartholomæi merita.* Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Describitur in ea, suavi admodum vocalitate cœlestis illa gloria, quam sancti in superna civitate Jerusalem percipiunt, et cum Deo, perpetuo obtinebunt, ubi nullus dolori aut mœrori amplius est locus, ubi bonorum omnium ubertas et interminabile gaudium. Cæterum conspirat propemodum et plane convenit hæc prosa in sententia (sicut et genere rhythmi) cum illo elegantissimo ejusdem auctoris rhythmico cantico, quod paulo post de omnibus sanctis exponetur: *Supernæ matris gaudia Repræsentet Ecclesia.* Id solum inter hanc et illam prosam est discriminis, quod illa sanctis omnibus cujusvis ordinis est conveniens. Hæc vero peculiaris et propria sacris Ecclesiæ catholicæ doctoribus, qui doctrina sua et Scripturæ sanctæ explanatione eam majorem in modum illustrarunt. Porro quamvis in prima clausula decimi noni versus hujus prosæ, sancti Augustini nomen duntaxat exprimatur, ut illi peculiariter hoc loco adaptetur, cuivis tamen aliorum Ecclesiæ doctorum nihilosecius accommodari decentissime potest, commutato duntaxat nomine Augustini, in nomen Hieronymi, Ambrosii aut Gregorii in eo loco. Nempe hujusmodi mutatio nominis neque rhythmicam lædet sonoritatem, quin potius illam reddet vocaliorem, ob penultimam syllabam illorum nominum brevem. Neque sententiam etiam offendet, nam ea haud minus singulis aliis doctoribus quàm Augustino, integre convenire dignoscitur.

Interni festi gaudia,
Nostra sonat harmonia.
Quo mens in se pacifica,
Vera frequentat Sabbata.
Mundi cordis lætitia
Odorans vera gaudia.
Quibus prægustat avida,
Quæ sit sanctorum gloria
Qua lætatur in patria
Cœlicolarum curia.
Regem donantem præmia
Sua cernens in gloria.
Beata illa patria
Quæ nescit nisi gaudia,
Nam cives hujus patriæ
Non cessant laudes canere.
Quos ille dulcor afficit,
Quem nullus mœror inficit.
Quos nullus hostis impetit,
Nullusque turbo concutit.
Ubi dies clarissima,
Melior est quam millia,
Luce lucens præfulgida,
Plena Dei notitia.
Quam mens humana caper
Nec lingua valet promere,
Donec vitæ victoria
Commutet hæc mortalia,
Quando Deus est omnia:

pellis hic metaphorice innuitur qualitas et conditio animi, quantum ad fidem et mores. Quam sane mutavit Indiæ populus, ad apostoli prædicationem et ostensionem signorum. Nam prius idolorum cultui deditus, tunc sinceram Christi fidem est amplexus. Et ergo exuta veteri pelle novam induit, quoniam exspoliato veteri homine cum actibus suis, novum qui secundum Deum creatus est in justitia et veritate, assumpsit.

Vers. 1. — *Interni festi gaudia.* Internum festum vocat hic auctor interiorem illam pii animi lætitiam et exsultationem in Domino, quam perfusus divina dulcedine in se percipit, cum tranquillitatem et pacem conscientiæ cum Deo sentiens, ab omnibus curis mundi sequestratus ac liber, soli Deo vacat, illiusque laudi et contemplationi jugiter est intentus. Nempe hanc requiem internam consecutus animus ex vitæ munditia ac puritate, et spiritale quoddammodo celebrans Sabbatum subolfacit, et tenuiter prægustat illa cœlestis regni gaudia quibus sancti felicissime perfruuntur, et ad illa suspirans ardenter, in hanc sæpius erumpit vocem. « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei (*Psal.* XLI)? »

Vers. 15. — *Nam cives hujus patriæ.* Consonat hoc, dictum illi verbo divini Psaltis: « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIV). » Quod autem domus illius cives nullo turbine hostili concutiantur amplius, ut hæc dicit littera, testatur divinorum spectaculorum reserator Joannes in Apocalypsi, dicens de illis: « Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam Agnus qui medio throni est, reget illos, et deducet eos ad vitæ fontes aquarum, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum (*Apoc.* VII). — Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt (*Apoc.* XXI). » Denique quod in lucidissima illa vivorum regione dies una melior sit, quam multa millia dierum hujus calamitosæ vitæ, perhibet etiam psalmographus dicens: « Quia melior est dies una in atriis tuis, super millia (*Psal.* XLVIII). » Demum insignem illius divinæ domus splendorem insinuat beatus Joannes his verbis. « Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei illuminabit illam, et lucerna ejus est Agnus. Et portæ non claudentur per diem, nox enim non erit illic (*Apoc.* XXI). »

Vers. 25. — *Quam mens humana capere.* Consonat idipsum sententiæ sancti Pauli ad Corinthios ita scribentis: « Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor.* II), » hæc tamen tum primum percipientur ab iis qui filii sunt regni, cum vita ipsa victoriam fuerit assecuta super mortalem hanc nostram conditionem, id est cum sors mortalitatis fuerit in nobis finita per immortalitatis gloriam, quod quidem particulatim in sanctis ipsis contingit, quando beatæ eorum animæ corporeis exutæ vinc-

Digitized by Google

Vita, virtus, scientia,
Victus, vestis, et cætera.
Quæ velle potest mens pia.
Hoc in hac valle misera
Meditetur mens sobria.
Hoc per soporem sentiat;
Hoc attendat dum vigilat.
Quo mundi post exsilia
Coronetur in patria,
Ac in decoris gloria
Regem laudet per sæcula.
Harum laudum præconia
Imitatur Ecclesia,
Dum recensentur annua
Sanctorum natalitia.
Cum post peracta prælia
Digna redduntur præmia.
Pro passione rosea,
Pro castitate candida:
Datur et torques aurea;
Pro doctrina catholica,
Qua præfulget Augustinus.
In summi regis curia:
Cujus librorum copia.
Fides formatur unica.
Hinc et mater Ecclesia
Vitat errorum devia.
Hujus sequi vestigia
Ac prædicare dogmata.
Fide recta ac fervida
Det nobis mater gratia. Amen.

XXVIII.

IN FESTO DECOLLATIONIS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Hæc prosa rhythmicæ consonantiæ regulam uniformem observat, sicut illa de ejusdem sancti Joannis Nativitate, prius explanata : *Præcursoris et Baptistæ*. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Commendat autem beatum Joannem ob præclaras ejus virtutes, et præsertim invictam animi constantiam, qua intrepidus arguit Scribas et Pharisæos, quinimo et Herodem regem propter adulterium. Ob quod et in carcerem conjectus, et demum capite obtruncatus, omnia æquanimiter sustinuit pro justitiæ et veritatis defensione, ut ex lectione evangelica dilucidum est et conspicuum.

Præcursorem summi regis;
Et præconem novæ legis
B Celebret Ecclesia.
In hac luce tam festiva,
Gaude, mater, et votiva
Deprome præconia.
Hujus ortum veneremur;
Sed nec minus delectemur
In ejus martyrio.
Totus mundus sit jucundus;
Nulli martyr hic secundus
Virtute vel præmio.
Non est nostræ parvitatis.
Virum tantæ sanctitatis
Laudare per omnia.
Summa rei recitetur,
C Ut affectus inflammetur
Ex ejus memoria.

iis immortali vita potiuntur in cœlo. Perfecte vero et consummate illud complebitur in fine mundi, quando absorpta erit mors in victoria vitæ, et mortale hoc induet immortalitatem, et corruptibile incorruptibilitatem (*I Cor.* xv). Tunc enim victrix vita mortis commutabit hæc mortalia, nam sustollet etiam a corporibus nostris miseriam mortalitatis, et immortali virtute illa præcinget. In illa itidem felicitate æterna Deus erit, ut ait Paulus : « Omnia in omnibus (*ibid.*), » et sanctis illis cœli civibus idem futurus est omnium bonorum, quæ expeti possunt plenitudo, exuberantia et copia. Enimvero erit ipsis fons vitæ, vigor indeficiens, et omnis scientiæ notio erit, et eisdem cibus atque perpetua refectio, amictus item spiritalis immenso suæ gloriæ lumine ipsos circumfulgens, et cætera bona quæ ad perfectionem animæ possent exoptari.

Vers. 41. — *Harum laudum præconia.* Beatorum in cœlo gaudia, felicitatem et gloriam exprimit, inquit, symbolo quodam Ecclesia catholica in terris consistens, cum solemnitates sanctorum, et felicem ex hoc mundo ad cœlos transitum quotannis celebrat. Sunt enim hi dies festi sanctorum hic cum celebritate solemnes, quasi imago quædam et repræsentatio illius summæ jucunditatis et lætitiæ, quam in cœlis jugiter et continue obtinent. Verum hæc festa, annua sunt, illa vero in cœlesti Jerusalem perpetua. Hæc finem habent, et revolutione temporis redeunt, illa interminata sunt et nescia finis. Hæc plerumque ob intervenientem casum tristem fiunt lugubria, ut dictum est per Amos prophetam : « Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum (*Tob.* II). » Illa autem mœroris, omnis et luctus sunt immunia. Denique his festis nostris succedunt dies laborum. Illa vero continuum habent Sabbatum placidamque requiem. « Amodo enim jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis (*Apoc.* XIV), » si quidem in illo supernæ civitatis die festo distribuuntur pro transactis laboribus præmia iis, qui in labore hujus vitæ legitime certaverint. Ut sanctis qui sanguinem suum fuderunt pro Christo, rosea datur corona, propter purpureum colorem martyrio respondentem. Illis vero qui incontaminatam servaverunt, et corporis et animi castitatem, candida, quoque virgineæ puritatis candor sit index. Denique qui doctrinam sacræ fidei suo labore elucidarunt, aureo insigniuntur torque, tum quod aurum, divinorum eloquiorum splendorem sæpius in Scriptura insinuat, tum quod apud priscos, sapientes, eo insigni, torquis scilicet aureæ, adornari fuerint soliti, quod colli et pectoris est ornamentum. Sapientia autem, D et pectore reconditur, et voce depromitur. Unde Sapiens in Proverbiis : « Ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo (*Prov.* I). »

Vers. 11. — *Nulli martyr hic secundus.* Plerique libri hanc clausulam ita habent contextam, *Nullus martyr huic secundus*, sed perperam et inemendate. Nam cum secundus dicatur, qui alium sequitur loco, ordine, virtute aut dignitate, estque alio posterior, qui dicit, quod nullus martyr est huic Joanni secundus, is profecto significat nullum alium martyrem Joanni cedere sanctitate, aut ipso esse inferiorem, sed vel æqualem virtute vel superiorem. Quæ quidem sententia non solum falsa est, sed etiam omnino opposita illi quam auctor intendit his verbis exprimere, ad designandam eminentiam beati Joannis supra cæteros. Itaque legendum est potius, ut habet littera, *Nulli martyr hic secundus.* Quandoquidem hæc oratio significat Joannem nulli martyrum aut sanctorum cedere virtute aut præmio,

Digitized by Google

Non arundo levitatis,
Sed columna veritatis
Nulla palpat crimina.
Scribas tangit et doctores,
Vocans legis transgressores
Viperæ genimina.
Arguebat hic Herodem
Nec terretur ab eodem
Ligatus in carcere.
Fert injustæ justus pœnam,
Rem detestans tam obscenam
Regis et adulteræ.
Sævit in hunc vis tyranni.
Laus accrescit hinc Joanni :
Tyranno supplicium.
Stultus servit sapienti,
Quia justus in præsenti
Purgatur per impium.
In natalis sui cœna,
Capitali plecti pœna
Joannem rex imperat.
Spiculator saltatrici,
Saltatrix dat genitrici
Caput, quod petierat.

A Crux præsignat sublimari
Christum; sed hunc minorari
Capitis abscisio.
Mors est justi pretiosa :
Quam præcessit gloriosa
Vitæ conversatio.
Nos ad laudem tui, Christe,
Prædursoris et Baptistæ
Colimus solemnia.
Tu nos ab hac mortis valle,
Duc ad vitam recto calle
Per ejus vestigia. Amen.

XXIX.

IN EXALTATIONE SANCTÆ CRUCIS.

B Hæc prosa, rhythmicæ sonoritatis servat normam, sed multiformem et variam. Aliquando enim in una clausula quatuor duntaxat comprehendit syllabas, ut in undecimo versu, et tribus subsequentibus. Aliquando quinque, ut in primo versu, et consequentibus usque ad sextum. Interdum vero in eadem clausula sex complectitur syllabas, ut in septimo versu, et cæteris deinceps usque ad decimum. Nonnunquam item septem imo et octo constringit in eadem clausula syllabas, ut in ultimo versu, cujus duæ primæ clausulæ, octo singulatim sunt syllabarum, duæ vero postremæ,

ipsumque nullo alio esse mirorem, quod mirifice ejus præstantiam et præcellentiam ultra alios arguit, et omnino consonum est his Domini verbis : « Inter natos mulierum, non surrexit major Joanne Baptista (*Matth.* xi). » Et sane consimili ratione loquendi Ovidius, ut significaret Æneam cæteros omnes pietate antecellere, dixit de eo :

Vir magnus bello, nulli pietate secundus.

Vers. 19. — *Non arundo levitatis.* Hoc dictum ex Evangelio desumptum est, ubi Dominus in Joannis commendationem dixisse legitur ad turbas : « Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? » (*Ibid.*) Quo interrogandi modo et schemate innuit eum Christus non fuisse talem utpote nec inconstantem nec levem animo, neque facilem in quamlibet inflecti partem humano impulsu, instar arundinis quæ agitatur vento sed fuisse columnam veritatis, firmum scilicet animo, et a veritate atque justitia indeflexibilem, et ergo ipsum nulla vitia molliter dissimulasse, aut tacita dimisisse, sed citra omnem adulationem ferventi zelo quosvis hominum reprehendisse.

Vers. 22. — *Scribas tangit et doctores.* Id ex Evangelio constat, ubi Matthæus scribit de Joanne, quod videns multos Pharisæorum et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : « Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ (*Matth.* iii). » Lucas (*cap.* iii) autem eumdem describens locum, dicit illos esse vocatos a Joanne, genimina viperarum, quod in eamdem cum Matthæo redit sententiam, huic tamen versui, quantum ad verborum contextum vicinius, et est quadrantius.

Vers. 34. — *Stultus servit sapienti.* Consonat hujus clausulæ sententia illi dicto Salomonis in Proverbiis : « Qui stultus est, serviet sapienti (*Prov.* xi), » et ex eo deducta est. Nempe in hac vita mortali, improbi et pravi solent tribulationibus affligere bonos, et persecutionibus opprimere. Quas cum justi viri æquo perferunt animo, et in patientia, purgantur per eas a maculis vitiorum pro fragilitate humana contractis. Quare ad hujusmodi peccatorum expiationem, mali præbent bonis ministerium, materiam, et occasionem; suntque velut hujusce purgationis instrumentum. Et hoc modo qui mali sunt, bonis quos persequuntur serviunt, sicut qui flagello excutit triticum a palea, aut qui aurum in fornace excoquit, servit tritico et auro mundando.

Vers. 43. — *Crux præsignat sublimari.* Illud præconium Joannis de Christo, in Evangelio scriptum : « Illum oportet crescere, me autem minui (*Joan.* iii). » Præsens versus exponit, quasi dictum a Joanne ad designandum genus mortis ipsius Christi, et suæ ipsius, utputa quod dixerit Christum crescere debere, quia in cruce exaltandus esset a terra. Seipsum autem asseruerit Joannes minuendum, quia capite foret obtruncandus, et ita secundum corporis quantitate minor futurus. Verum quamvis ea expositio videatur ingeniose excogitata, et secundum eventum rei postea consecutum humano placito, studio et arbitratu ad inventa, non tamen respondet (meo quidem judicio) intentioni beati Joannis, neque sensui litterali illius loci ubi scribitur ipse ea verba protulisse. Quin potius vera illius dicti sententia ea est quam assignat beatus Gregorius in homilia Evangelii quod legitur in Sabbato quatuor temporum in adventu Domini, ubi supradicta Evangelii verba exponens, ait : « Hac in re quærendum est, in quo crevit Christus, in quo minutus est Joannes, nisi quod populus, Joannis abstinentiam videns, remotum hunc ab hominibus esse conspiciens, eum Christum esse putabat. Christum vero eum publicanis comedentem, et inter peccatores ambulantem intuens, eum non Christum, sed prophetam esse credebat (*Luc.* iii). Sed cum per accessum temporis, Christus qui propheta esse putabant, Christus est agnitus, et Joannes qui Christus esse putabatur, propheta esse innotuit, impletum est, quod de Christo suus Præcursor prædixit. Illum oportet crescere, me autem minui. In æstimatione quippe populi et Christus crevit, et agnitus est quod erat, et Joannes decrevit, quia cessavit dici quod non erat. » Hæc Gregorius. Cui quidem expositioni tanquam accommodari ad sensum evangelicum, et aptiori ad propositum, potius standum est et accedendum, quam arbitrariæ præsentis versus sententiæ.

Digitized by Google

septem. Verum commiscentur sæpius in eodem versu clausulæ diversum syllabarum numerum sortitæ, ut sola lectio quemque diligentius animadvertentem facile edocebit. Quæ etiam liquido monstrabit, quomodo inter se consonantiam servant ipsæ clausulæ rhythmicæ, et ad quam unaquæque suum habeat responsum. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Recensentur autem in ea, præclara sanctæ crucis præconia, denominationesque insignes, vim illius vivificam, et miram virtutem declarantes. Memoratur et gemina victoria, duobus imperatoribus Romanis ipsius invocatione et præsidio indulta, Constantino, inquam, et Heraclio. Verum utriusque earum historia, in expositione prosæ de Inventione sanctæ crucis, scilicet : *Laudes crucis attollamus*, est superius enarrata, et eo ex loco requirenda. Demum pia in fine ponitur invocatio fidelis populi ad sanctam crucem, ad quam per totam prosam, sive laus fiat, sive oratio, dirigitur sermo.

Salve, Crux, arbor
Vitæ præclara.
Vexillum Christi,
Thronus et ara.
O Crux, profanis
Terror et ruina,
Tu Christianis
Virtus es divina,
Salus et victoria.
Tu properantis
Contra Maxentium,
Tu præliantis
Juxta Danubium
Constantini gloria.
Favens Heraclio,
Perdis cum filio
Chosroe profanum.
In hoc salutari
Ligno gloriari
Decet Christianum.
Crucis longum, latum,
Sublime, profundum
Sanctis propalatum,
Quadrum salvat mundum
Sub quadri figura.
Medicina vera,
Christus in statera
Crucis est distractus,
Pretiumque factus,
Solvit mortis jura.
Crux est nostræ
Libra justitiæ ;
Sceptrum regis,
Virga potentiæ.
Crux, cœlestis
Signum victoriæ.
Belli robur,
Et palma gloriæ.
Tu scala, tu ratis,
Tu crux desperatis

Vers. 1-2. — *Arbor vitæ præclara.* Sacratissima crux, arbor vitæ dicitur, quoniam per Christum in ea mortem passum, toti mundo vitam attulit. Proinde ipsa, et vitalis et vivifica recte solet appellari, præsignataque creditur per lignum illud vitæ, quod erat in medio paradisi, in primordio constitutionis ipsius mundi, hoc enim servandi vitam corporis incolumem et illabefactam vim habuit. Illa vero, toti mundo auctore Christo, qui ipsam consecravit, perditam vitam restituit. Consimili modo cæterarum denominationum admodum dignarum (quæ sanctæ cruci hic attribuuntur) assignetur propria ratio.

Vers. 12-13.—*Tu præliantis juxta Danubium.* Quomodo Constantinus in Maxentium tyrannum arma movens, sacræ crucis beneficio victor evaserit, jam ante narratum est. At vero quonam pacto juxta Danubium Scythiæ fluvium (qui et Ister nuncupatur) bella gerens, adjutrice sancta cruce victoria potitus fuerit, quia præsens id littera commemorat, paucis nunc dicendum : Eo tempore quo Romani imperii moderabat habenas Constantinus, congregata est juxta Danubium fluvium innumera barbarorum multitudo, volens fluvium transire et regiones omnes occiduas suæ ditioni subjugare. Quod ubi Constantinus accepit, coacto ingenti exercitu castra ad Danubium metatus est, transitum illorum si quo modo possit prohibiturus. Verum cum in dies increscerent barbarorum turba, et jam fluvium transiret invito Constantino, et id prohibere non valente, magno ipse timore concutitur, sollicito volvens animo, quod postridie cum hostibus se fortioribus manum haberet conserere. Sequente vero nocte sopore pressus ab angelo excitatur, et ut oculos in cœlum attollat, admonetur. Qui sursum erigens obtutum signum crucis præfulgido lumine coruscans in aere conspexit, cum hujusmodi titulo litteris aureis inscripto : « In hoc signo vinces. » Itaque cœlesti visione confortatus, figuram crucis in vexillis suis deformari jussit, et ante se in acie deferri. Mox irruens in hostes, ipsos penitus profligavit, interfectaque ipsorum numerosa multitudine, reliquos in fugam vertit.

Vers. 18. — *In hoc salutari.* Respondet hæc sententia verbis beati Pauli ad Galatas : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo (*Gal.* VI). » Ex quibus sumptum est illud præconium, quod in principio missæ de sancta cruce ex instituto ecclesiastico canitur : *Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus.* Unde hujus versus sumpta est sententia.

Vers. 24. — *Quadrum salvat mundum, sub quadri forma.* Quadrus hic dicitur mundus ob quatuor ejus præcipuas partes, quasi latera quadrati constituentes, orientem, occidentem, meridiem et septentrionem, in quibus habitant homines per crucis mysterium salutem adepti. In ipsa vero cruce dicitur inesse quadri figura, aut propter quatuor ejus extremitates, primam sursum, secundam deorsum, tertiam ad dextrum, et quartam ad sinistrum constitutam. Aut propter quatuor magnitudinum ejus intervalla, sive dimensionum rationes, utpote longitudinem a summo in imum porrectam; latitudinem a dextro in sinistrum extentam; altitudinem in supremo ejus fastigio a culmine assignatam, et profunditatem in ima ejus parte, quæ terræ infixa fuit, sumptam. Hæc autem quadruplex sanctæ crucis secundum magnitudinem positio, sanctis propalata hic dicitur, quoniam et a Deo sanctis est inspirata, mystica ratio situs et figuræ ipsius crucis, quidve in ipsa forma sacri gerat mysterii, et deinde a sanctis scriptoribus et doctoribus ecclesiasticis toti populo fideli, scripto est declarata. Verum de hac assignatione dimensionum sanctæ crucis, in prosa Inventionis ejusdem, latior habitus est sermo.

Vers. 40-41. — *Tu crux desperatis Tabula suprema.*

Digitized by Google

Tabula suprema.
Tu de membris Christi
Decorem traxisti,
Regum diadema.
Per te nobis Crux beata,
Crux cruore consecrata,
Sempiterna gaudia
Det superna gratia. Amen.

XXX.

DE SANCTO MATTHÆO EVANGELISTA.

Hæc prosa rhythmicam servat formam, perinde atque illa de Beata Virgine paulo ante declarata, *Verbum bonum et suave*. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Explicat autem mysteria sanctorum quatuor evangelistarum, qui in visione Ezechielis prophetæ, similiter et in Apocalypsi signati sunt per quatuor animalia, hominem, leonem, bovem et vitulum. Et cui evangelistarum quodque animal respondet, et propter quam causam mysticam, hic aperte disserit. Est autem hæc prosa cuivis evangelistarum communis, et in cujusque festo potest legitime decantari, quoniam generatim omnia complectitur, quæ ad sanctorum evangelistarum laudes et præconia communiter attinent.

Jucundare, plebs fidelis
Cujus pater est in cœlis;
Recolens Ezechielis
Prophetæ præconia.
Est Joannes testis ipsi,
Dicens in Apocalypsi:
Vere vidi, vere scripsi
Vera testimonia.

A Circa thronum majestatis
Cum spiritibus beatis:
Quatuor diversitatis
Astant animalia.
Formam primum aquilinam
Et secundum leoninam;
Sed humanam et bovinam
Duo gerunt alia.
Formæ formant figurarum
Formas evangelistarum:
Quorum imber doctrinarum
Stillat in Ecclesia.
Illi sunt Marcus, et Matthæus,
Lucas, et quem Zebedæus
Pater tibi misit Deus
B Dum laxaret retia.
Formam viri dant Matthæo,
Quia scripsit sic de Deo.
Sicut descendit ab eo,
Quem plasmavit, homine.
Lucas bos est in figura:
Ut præmonstrat in Scriptura.
Hostiarum tangens jura
Legis sub velamine.
Marcus leo per desertum
Clamans, rugit in apertum.
Iter fiat Deo certum,
Mundum cor a crimine.
Sed Joannes ala bina
Charitatis; aquilina
C Forma, fertur in divina

Quemadmodum de pœnitentia id dici assolet, quod et secunda tabula post naufragium, ita de sancta cruce recte dixerint omnes, quod prima et præcipua sit tabula post naufragium a primis inductum parentibus, cui innitens totus mundus naufragus, pervenit ad portum salutis æternæ, et placida statione receptus quiescit.

Vers. 3. — *Recolens Ezechielis prophetæ præconia.* Ezechiel cap. I describens visionem cœlitus sibi ostensam, dicit inter cætera se conspexisse similitudinem quatuor animalium in medio ignis et splendoris. Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, et facies leonis a dextris ipsorum quatuor; facies autem bovis, a sinistris ipsorum quatuor; et facies aquilæ, desuper ipsorum quatuor. Quæ quidem quatuor animalium figuræ a beato Gregorio in homilia super Ezechielem applicantur ad mysterium quatuor evangelistarum, et eam Gregorii expositionem tota sequitur Ecclesia.

Vers. 5. — *Est Joannes testis ipsi.* Ut non solum veteris, sed et novæ legis testimonio, sanctorum evangelistarum sacer numerus, et insignis dignitas declaretur, Joannes evangelista ipsi Ezechieli astipulatur, et testis accedit in sacra illa et figurali ipsorum descriptione, in Apocalypsi mysticam quatuor animalium visionem sibi etiam ostensam hoc modo depromens: « Ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens, et in medio sedis et in circuitu sedis quatuor animalia, plena oculis ante et retro. Et primum animal simile leoni et secundum simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti (*Apoc.* IV). »

Vers. 22-23. — *Et quem Zebedæus pater.* Beatum Joannem evangelistam hac descriptione innuit hic auctor et circumloquitur, qui filius fuit Zebedæi, et vocatus a Christo ad apostolatum cum Jacobo fratre suo, quando erant simul cum patre in navi reficientes retia sua, ut Matthæus cap. IV refert, et superius etiam est adductum.

Vers. 25. — *Formam viri dant Matthæo.* Beatus Gregorius in Ezechielem, figurationis ipsorum evangelistarum per suprædicta quatuor animalia rationem mysticam, paucis ita constringit. Quia ab humana generatione cœpit, jure per hominem signatur Matthæus. Quia per clamorem in deserto, recte per leonem Marcus. Quia vero a sacrificio exorsus est, bene per vitulum Lucas. Denique quia a divinitate Verbi cœpit, digne per aquilam significatur Joannes.

Vers. 33. — *Marcus leo per desertum.* Concernit hæc sententia et respicit initium Evangelii ipsius Marci (*cap.* I), in quo describit prædicationem Joannis Baptistæ in deserto, et affert testimonium Isaiæ D prophetæ de eodem, scilicet: « Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus (*Isa.* XL). » Quod quidem vaticinium, præsente etiam versu exprimitur. Idcirco per leonem dictus est signari beatus Marcus, qui in silvis rugitum solet edere.

Vers. 37-38. — *Sed Joannes ala bina charitatis.* Aquila geminis alis fertur in sublime, et irreverberata oculorum acie solis intuetur orbem. Ita beatus Joannes vi mentis contemplatrice conscendit in scribendo Evangelio ad ardua summæ deitatis sacramenta, et intrepida mentis acie conspicatus est Verbum quod erat in principio apud Deum (*Joan.* I). Porro binas alas charitatis, hic vocat auctor amorem in Deum, et in proximum, qui duobus præceptis et primariis explicatur mandatis, in quibus tota lex pendet et prophetæ (*Matth.* XXII). His enim duabus alis subnixa fidelis anima, fertur in excelsa cœlorum atria celeri volatu.

Digitized by Google

Puriori lumine.
Ecce forma bestialis,
Quam Scriptura prophetalis
Notat; sed materialis
Hæc est impositio.
Currunt rotis, volant alis.
Visus, sensus spiritalis.
Rota gressus est æqualis,
Ala, contemplatio.
Quatuor describunt isti;
Quadriformes actus Christi.
Et figurant ut audisti,
Quisque sua formula.
Natus homo declaratur,
Vitulus sacrificatur.
Leo mortem deprædatur:
Sed ascendit aquila.
Paradisus his rigatur:
Viret, floret, fecundatur.
His abundat, his lætatur
Quatuor fluminibus.
Fons est Christus, hi sunt rivi
Fons est altus, hi proclivi.
Ut saporem fontis vivi
Ministrent fidelibus.
Quorum trahat nos doctrina
Vitiorum a sentina,
Ne sic morte repentina
Damnemur cum impiis.
Horum fonte debriatis
Sitis crescat charitatis,
Ut supernæ claritatis
Perfruamur gaudiis. Amen.

—

XXXI

DE SANCTO MICHAELE

Hujus prosæ consimilis est rhythmica forma ei, quæ de sancti Joannis decollatione paulo ante est

A exposita, scilicet: *Præcursorem summi Regis.* Attamen nonnulla est hujus ab illa in aliquibus versibus evariatio, quæ inter legendum facile a quovis internoscetur. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Complectitur autem commendationes et præconia cœlestium spirituum, distinctiones eorum, ordines et functiones a Deo ordinatissime dispositas recensens. Præsertim vero sanctum Michaelem debita laude extollit ob victoriam contra antiquum serpentem habitam, et tutelam ejus qua nostras tutatur animas, suoque defendit præsidio.

Laus erumpat ex affectu,
Psallat chorus in conspectu
Supernorum civium.
Laus jucunda, laus decora,
Quando laudi concanora
B Puritas est cordium.
Michaelem cuncti laudent,
Nec ab hujus se defraudent
Diei lætitia.
Felix dies, qua sanctorum
Recensetur angelorum
Solemnis victoria.
Draco vetus exturbatur,
Et draconis effugatur
Inimica legio.
Exturbatus est turbator,
Et projectus accusator
A cœli fastigio.
Sub tutela Michaelis
Pax in terra, pax in cœlis,
C Laus et jubilatio.
Cum sit potens hic virtute
Pro communi stans salute
Triumphat in prælio.
Suggestor sceleris
Pulsus a superis,
Per hujus aeris
Oberrat spatia.
Dolis invigilat

Vers. 45. — *Currunt rotis, volant alis.* Hoc ex visione Ezechielis prophetæ (cujus ante facta est mentio) sumitur, ubi post descriptionem quatuor animalium dicit propheta: « Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una super terram juxta animalia, habens quatuor facies. Et aspectus rotarum et opus earum quasi visio maris, et una similitudo ipsarum quatuor, et aspectus earum et opera, quasi si sit rota in medio rotæ. Cumque ambularent animalia, ambulabant pariter et rotæ juxta ea, et cum elevarentur animalia de terra, elevabantur simul et rotæ (*Ezech.* I). » De alis vero ipsorum animalium, dicit paulo ante idem propheta: « Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus, et facies et pennas per quatuor partes habebant, junctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum. Et facies eorum, et pennæ eorum, extentæ desuper. Duæ pennæ singulorum jungebantur, et duæ tegebant corpora eorum (*ibid.*). » Similiter beatus Joannes in Apocalypsi dicit: « Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas (*Apoc.* IV). » Quid autem mysticum rotæ illæ et alæ insinuent, præsens versus aperte satis et patenter explicat.

Vers. 50. — *Quadriformes actus Christi.* Scilicet nativitatem, passionem, resurrectionem et ascensionem Christi, quisque evangelistarum signat per suam formulam et figuram. Matthæus enim per hominis figuram, signat Christi nativitatem secundum carnem. Lucas specie vituli, ejusdem passionem, Marcus leonis effigie, Christi resurrectionem. Et Joannes aquilæ forma, ascensionem ejus in cœlum. Quinimo ut sequens innuit versus, ipse etiam Chris- D tus, unus quidem persona, sed quadrifidus operatione, significatur his quatuor animalibus, et est mystice homo, vitulus, leo et aquila. Homo quidem, per nativitatem in hunc mundum. Vitulus, quia in cruce immolatus pro nobis. Leo autem, quia mortem devicit resurgens ex mortuis. Aquila vero, quia ascendit super omnes cœlos.

Vers. 57. — *Paradisus his rigatur.* In cap. II Genesis legimus, quod fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita. Nomen primi fluminis, Phison; secundi, Geon; tertii, Tigris; quarti vero nomen, Euphrates. Ita a Christo, æterno sapientiæ fonte procedente de abysso Divinitatis, prodeunt quatuor evangelistæ ut spiritualia fluenta, quorum doctrina rigatur Ecclesia catholica, et fecundatur mens humana ad proferendum fructum justitiæ ac bonorum operum.

Vers. 13. — *Draco vetus exturbatur.* Hujus versus et quinque sequentium intelligentia pendet ex

Digitized by Google

Virus insibilat.
Sed hunc annihilat
Præsens custodia.
Tres distinctæ hierarchiæ
Jugi vacant theoriæ,
Jugique psalterio.
Nec obsistit theoria,
Sive jugis harmonia,
Jugi ministerio.
O quam miræ charitatis
Est supernæ civitatis
Ter trina distinctio.
Quæ nos amat et tuetur,
Ut ex nobis restauretur
Ejus diminutio.
Sicut sunt hominum
Diversæ gratiæ,
Sic erunt ordinum
Distinctæ gloriæ
Justis in præmio.
Solis est alia
Quam lunæ dignitas.
Stellarum varia
Relucet claritas;
Sic resurrectio.
Vetus homo novitati,
Se terrenus puritati
Conformet cœlestium
Coæqualis his futurus,
Licet nondum plene purus
Spe præsumat præmium.
Ut ab ipsis adjuvemur,
Hos devote veneremur
Instantes obsequio.
Deo nos conciliat,
Angelisque sociat
Sincera devotio.
De secretis reticentes
Interim cœlestibus,
Erigamus puras mentes
In cœlum cum manibus.
Ut superna nos dignetur
Cohæredes curia,
Et divina collaudetur
Ab utrisque gratia.
Capiti sit gloria,
Membrisque concordia. Amen.

XXXII.

DE SANCTO DIONYSIO.

Hæc prosa consimilem habet rhythmicæ consonantiæ mensuram, sicut ea in solemnitate paschali de-

eo dicto Apocalypsis, quod in ultima adnotatione præcedentis prosæ est adductum, et proinde hic nequaquam repetendum.

VERS. 33. — *Tres distinctæ hierarchiæ.* De triplici cœlestium spirituum hierarchia, sacroque principatu, et C cujusque hierarchiæ triplici ordine, beatus Pater Dionysius præclaram et divinam facit determinationem in suo libro inscripto De cœlesti hierarchia, ex quo quidquid de sacris eorum distinctionibus, functionibus, et officiis, ac denominationibus est cognitu dignum, abunde depromas. Ipsi autem superni spiritus assidue vacant Dei contemplationi (quæ Græco nomine *theoria* dicitur, a visione et speculatione) et psalmodiæ, laudationique divini nominis, secundum illud verbum Prophetæ in Psalmo : « Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII). » Nihilosecius angelici spiritus qui ad exteriora mittuntur officia, ut populorum, regnorumque moderationem, et singulorum hominum custodiam, propter hæc ministeria, et munia quæ foris exsequuntur, non desistunt a continua Dei contemplatione ac visione. Nam neque administratio rerum exterarum, impedimento est eorum contemplationi, neque contemplatio administrationi. Quod D ex verbis Domini nostri in Evangelio de angelis parvulorum custodibus, liquido constat. « Amen inquit, dico vobis, quoniam angeli eorum semper vident faciem Patris vestri qui est in cœlis (*Matth.* XVIII). »

VERS. 45-46. — *Sicut sunt hominum diversæ gratiæ.* Quemadmodum, inquit, homines diversa sortiti sunt gratiarum munera, et secundum illas diversitatem habent bonorum operum in hac vita, in qua alii plus, alii minus laborant, alii arctiore via progrediuntur ad regnum, alii vero calle magis plano : ita etiam homines, diversorum ordinum assequentur præmia, et ad diversos assumentur ordines angelicorum spirituum. Enimvero qui vitam duxerunt austeriorem et sanctiorem ad superiores evehentur ordines, ut zelo divinæ charitatis succensi, ad sanctorum seraphim ordinem et contemplationi divinorum dediti, ad ordinem sanctorum cherubim, et ita de cæteris. Qui vero vitam egerunt minus asperam et curam, a mandatis tamen Domini non declinarunt, ad inferiores provehentur cœlestium spirituum ordines, ut angelorum. Testatur plane illud Dominus noster in Evangelio, cum ait : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt (*Joan.* XIV). »

VERS. 50-51. — *Solis est alia quam lunæ dignitas.* Hæc sententia ex verbis Apostoli ad Corinthios est desumpta, ubi ait : « Et corpora cœlestia, et corpora terrestria. Sed alia quidem est cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum : stella enim a stella differt in claritate, sic et resurrectio mortuorum (*I Cor.* XV). » Nempe aliqui ad sublimiorem resurrecturi sunt gloriam, ut quorum cumulatiora et majora sunt bona opera. Alii vero resurgent ad minorem gloriæ dignitatem, quod eorum minora sint et pauciora bona opera, secundum quæ, fit gloriæ distributio.

VERS. 55. — *Vetus homo novitati.* Vetus homo dicitur, qui secundum carnem ambulat, et ea quæ carnis sunt inquirit. Novus autem homo est, qui ambulat secundum spiritum et quærit ea quæ Dei sunt. Si igitur volumus (velle autem debemus omnes) ad angelicorum spirituum gloriam subvehi, debemus exuere veterem hominem cum actibus suis, ut ait Paulus et induere « novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et veritate (*Ephes.* IV), » abjectaque « vetustate peccati, in novitate vitæ ambulare (*Coloss.* III). » Ita terrenus homo hic dicitur, qui sæcularia sectatur desideria, et hujus mundi concupiscentias; cœlestis autem qui ea quæ sursum sunt sapit, non quæ super terram, æternorumque bonorum rapitur desiderio. Eo enim ipso assimilatur spiritibus supernis, civibusque beatis, in solum Deum intentissime se ferentibus. Itaque si volumus sanctorum angelorum tandem adipisci consortium, debemus terrenæ affectionis contagia mentibus nostris abradere, et spirituum cœlestium puritati pro viribus assimilari. Si enim similes ipsis fuerimus virtute et animorum munditia, erimus itidem ipsis persimiles præmio et gloria.

Digitized by Google

cantari solita, et superius declarata, *Mane prima Sabbati*. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Describit autem beati Patris Dionysii ortum, in Galliam adventum, et annuntiationem evangelicæ veritatis apud Parisios, cum magno spiritualis lucri proventu. Deinde ejusdem sacrum pro Christo agonem, post diversa tormentorum genera, capitis obtruncatione consummatum, capitis proprii jam amputati deportationem usque ad locum sepulturæ ejus, in quo sacri ipsius cineres cum magna veneratione nunc etiam conditi asservantur. Hæc autem omnia, ex historia vitæ et passionis ejus quæ passim legitur, dignoscuntur apertius, et potissimum ex eo opere clarissimi viri Baptistæ Mantuani, quod tribus libris elegantissimo carmine de actis hujus sancti Patris superioribus annis conscripsit.

Gaude prole, Græcia
Glorietur Gallia,
Patre Dionysio.
Exsultet uberius
Felici Parisius
Illustris martyrio.
Speciali gaudio
Felix gaudet concio
Martyrum præsentia.
Quorum patrocinio
Tota gaudet regio,
Regni stat potentia.
Juxta Patrem positi
Bellatores inclyti,
Digni sunt memoria
Sed illum præcipue
Recolit assidue
Regalis Ecclesia.

Hic a summo præsule
Directus ad Galliam,
Non gentis incredulæ
Veretur insaniam.
Gallorum apostolus
Venerat Luteciam,
Quam tenebat subdolus
Hostis, velut propriam.
Hic errorum cumulus,
Et omnis spurcitia,
Hic infelix populus
Gaudens idolatria.
Adorabat idolum
Fallacis Mercurii.
Sed vicit diabolum
Fides Dionysii.
Hic constructo Dei templo,
Verbo docet et exemplo,
Coruscat miraculis.
Turba credit, error cedit,
Fides crescit, et clarescit
Nomen tanti præsulis.
His auditis fit insanus,
Immitis Domitianus,
Mittitque Sisinnium.
Qui pastorem animarum
Fide, vita, signis clarum,
Trahat ad supplicium.
Infliguntur seni pœnæ.
Flagra, carcer, et catenæ.
Catastam, lectum ferreum,
Et æstum vincit igneum.

Vers. 1. — *Gaude prole, Græcia.* Quod Græcia prolem Dionysium tulerit, Gallia vero patrem, de corporis ætate primum potest intelligi, quoniam in Græcia natus est, et in juvenilibus annis educatus, In Gallia vero provectam egit ætatem et propemodum senilem. Potest itidem illud secundum animæ qualitatem, conditionemque accipi, quod Dionysius in Græcia ex aqua et Spiritu sancto renatus sit, et Pauli apostoli in baptismo filius, ut Acta apostolorum plane testantur. In Gallia vero et apud Parisios, per Evangelium spirituales filios Deo genuerit, quorum pater secundum spiritum merito dici potest.

Vers. 13. — *Juxta patrem positi.* De sanctis Rustico et Eleutherio beati Dionysii sociis, hic versus loquitur, qui fidi fuerunt comites itineris ejus in Galliam, in prædicatione Evangelii, ejusdem etiam socii, et in morte non sunt ab invicem separati. Quos quoniam paterno fovit affectu beatus Dionysius, et tanquam filius in iis quæ Dei sunt direxit, jure eorum pater, dignitate scilicet, cura et auctoritate hic nuncupatur. In sexto vero versu regalis Ecclesia Gallicana, quod unius regis sceptro gubernetur, ea enim præcipue Dionysium ut suum apostolum et tutelarem patronum veneratur. Quod si quis Ecclesiæ nomine universalem intelligi velit Ecclesiam, ea regalis dicitur, sicut a beato Petro nominatur regale sacerdotium (*I Petr.* II).

Vers. 24. — *Venerat Luteciam.* Lutecia, urbs est celeberrima in Gallia omnium bonarum litterarum emporium, quæ in quinto hujus prosæ versu Parisius etiam nominatur. Siquidem utroque nomine apud probatos auctores nuncupata legitur, nam et Cæsar in commentariis Luteciam Parisiorum commemorat. Hæc sane inter multa quibus inclyta nobilitatur, florentissimum, studiorum gymnasium supremum justitiæ Gallicanæ senatum, sedem episcopalem, habitatorum frequentiam, rerumque omnium ad vitam conducentium affluentiam, nihil habet antiquius, et quo magis gloriari debeat, quam quod beati Patris Dionysii prædicatione sit primum illustrata, ejusque studio ac opera vera fidei splendorem percepit, et sancto ipsius sanguine sit Domino consecrata.

Vers. 32. — *Fallacis Mercurii.* Aptum ipsius Mercurii epithetum hic auctor expressit, cum eum fallacem dixit. Nam apud poetas et gentiles habebatur fraudis furtique magister. Et hi certe licet ignorantes, propemodum vera dixerunt, nempe Mercurii nomine, dæmon intelligitur, furtum ingeniosus ad omne, qui mendacia, dolos, fraudes, et fallacias hominibus suggerit, quibus clanculum aliena subducant, furtis invigilent, et per omne nefas quæ aliorum sunt sibi subripiant. Ab hujus nomine, mons præcelsus qui Parisiis ad septentrionem imminet, mons Mercurii quondam dictus est, quod in eo fanum ipsius constructum esset, et ibidem coleretur. Verum postquam eo in monte hi sancti martyres Dionysius, Rusticus et Eleutherius cæsi sunt, sanguinemque suum fuderunt, eliminatus illinc est fallax Mercurius, omnis superstitio cultus ejus explosa, et cum religione nova mutatum est etiam montis nomen, qui deinceps mons Martyrum a cæsis inibi sanctis martyribus appellatus est.

Vers. 49. *Catastam, lectum ferreum.* Catasta, machina est lignea, qua servi vincti tenebantur. Plinius : « Tandem in catasta videre Chrysogonum

Digitized by Google

Prece domat feras truces,
Sedat rogum, perfert cruces.
Post clavos et patibulum,
Translatus ad ergastulum.
Seniore celebrante
Missam, turba circumstante,
Adest Christus, comitante
Cœlesti militia.
Specu clausum carcerali
Consolatur, et vitali
Pane cibat, immortali
Coronandum gloria.
Prodit martyr conflicturus,
Sub securi stat securus.
Ferit lictor, sicque victor
Consummatur gladio.
Se cadaver mox erexit,
Truncus truncum caput vexit.
Quo ferentem hoc direxit
Angelorum legio.
Tam præclara passio,
Repleat nos gaudio. Amen.

XXXIII.

DE SANCTO LUCA EVANGELISTA.

Hæc prosa simili texitur rhythmicæ mensuræ forma, sicut illa de festo Decollationis sancti Joannis Baptistæ: *Præcursorem summi Regis.* In singulis enim versibus uniformiter tres complectitur clausulas rhythmicas, duas primas (quarum singulæ, octo syllabarum) adinvicem consonantes, et tertiam heptasyllabam, proximi versus tertiæ clausulæ in exitu, terminalique desinentia respondentem.

A Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Commendat autem ipsa insigniter eximiam Dei bonitatem, qui quatuor evangelistas verborum et operum Christi scriptores ordinant ad totius orbis illuminationem et salutem. Hi autem per quatuor Ezechielis animalia sunt signati, et per quatuor paradisi flumina in universam terram profluentia, quemadmodum in illa prosa de sancto Matthæo: *Jucundare, plebs fidelis* (cui hæc in materiæ conformitate et sensu propemodum respondet) diffusius ea omnia sunt explicata. Et quæ illic dicta sunt ad hujus quoque prosæ intelligentiam apprime conducunt. Est autem hæc (sicut et illa prosa) evangelistis omnibus communis, et de quolibet eorum recte potest, ac legitime decantari.

Psallat chorus corde mundo
Hos attollat, per quos mundo
Sonant evangelica.
B Voce quorum salus fluxit,
Nox recessit, et illuxit
Sol illustrans omnia.
Curam agens sui gregis
Pastor bonus, auctor legis,
Quatuor instituit.
Quadri orbis ad medelam
Formam juris et cautelam,
Per quos scribi voluit.
Circa thema generale,
Habet quisque speciale
Styli privilegium.
Quod præsignat in propheta
Forma pictus sub discreta
Vultus animalium.
C Supra cœlos dum conscendit
Summi Patris comprehendit

Syllæ. » Unde et ligneum illud machinamentum, quo reorum pedes in carcere constringuntur, hoc nomine apte exprimitur. Ergastulum vero (nam sequens versus id nomen habet) locus est ubi quidpiam operis a vinctis servis efficitur, quippe apud antiquos vincti et captivi, durius operari in carcere cogebantur. Unde etiam ergastulum sæpe numero pro carcere sumitur, ut hoc in loco.

Vers. 64. — *Sub securi stat securus.* Id dictum est, quoniam sancti Dionysii, et sociorum ejus capita non gladio (ut nunc fere in reos animadvertitur) sed obtusis et hebetatis securibus amputata sunt, secundum morem Romanorum, qui capite damnatos securi percutere in usu habebant.

Vers. 68. — *Truncus truncum caput vexit.* Truncus nomen substantivum, pars est arboris quæ ramis truncatis superstat. Horatius:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,

Sumitur etiam pro ipso corpore, cui caput est abscisum. Virgilius de Priamo occiso:

Jacet ingens littore truncus,
Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.

Truncus vero nomen adjectivum, id significat quod est truncatum. Virgilius:

Et truncas inhonesto vulnere nares.

Itaque in hac clausula, id nomen primo loco substantivum est, secundo vero adjectivum.

Vers. 1. — *Psallat chorus corde mundo.* Aliqui hanc clausulam ita legunt: *Plausu chorus lætabundo*, et eo pacto prosam hanc auspicantur. Et recte itidem sicut et alii. Nam sive hoc, sive illo modo dixeris, et integra est sententia, et rhythmicæ sonoritatis concinnitas. Idcirco sicubi in hac prosa, aut aliis interdum occurrit exemplarium et horum in contextu earum evariatio, non est protinus emendandus, aut hic codex, aut ille, modo et sententiæ servetur integritas, et rhythmi vocalitas, quandoquidem in iis quæ humano sunt studio composita, non usque adeo exacte est, sicut in aliis quæ divinitus emanarunt, curanda identitas aut conformitas.

Vers. 9.— *Quatuor instituit.* Sicut beatus Lucas in sui Evangelii prologo testatur: Multi conati sunt conscribere evangelica et enarrationes operum verborumque Christi, et plerique eorum suo potius sensu quam divino Spiritu ad id inducti. Soli tamen hi quatuor quos legimus, a Deo ad id munus delecti sunt, ut formam juris divini evangelicæque legis, et cautelam bene videndi, declinandique a malo, et faciendi bonum, nobis describant. Et hi soli, ut evangelistæ, ab Ecclesia catholica sunt recepti. D Quod autem quatuor instituit evangelistas Deus, et non alio quovis numero, sequens versus causam assignat satis ipsi rei accommodam, ut quadripartitus et quadrifidus orbis, atque in orientalem plagam, occiduam, meridianam, et septentrionalem distinctus, horum quatuor scriptis quasi spiritualibus quibusdam antidotis sanaretur a gravi morbo ignorantiæ et vitiorum, quo laborabat.

Vers. 13. — *Circa thema generale.* Thema generale, materiaque communis quam omnes pertractant evangelistæ, est conscriptio operum, verborumque, et signorum Christi, quæ in terris diversatus Christus est et fecit. Nullus enim evangelistarum est, qui illa non pertractet et conscribat. Speciale vero styli privilegium, est peculiaris aliquorum Christi verborum, aut operum enarratio ab uno ipsorum facta, quæ ab aliis non fit. Habent enim singuli evangelistæ quædam propria, quæ a nullo aliorum enarrantur. Sicut et quædam habent in quibus enar-

Digitized by Google

Natum ante sæcula.
Pellens nubem nostræ molis,
Intuetur jubar solis
Joannes in aquila.
Est leonis rugientis
Marco vultus, resurgentis
Quo claret potentia.
Voce Patris excitatus
Surgit Christus, laureatus
Immortali gloria.
Os humanum est Matthæi,
In humana forma, Dei
Dictantis prosapiam.
Cujus genus sic contexit,
Quod a stirpe David exit
Per carnis materiam.
Ritus bovis Lucæ datur,
In qua forma figuratur
Nova Christus hostia.
Ara crucis mansuetus
Hic mactatur, sicque vetus
Transit observantia.
Paradisi hæc fluenta,
Nova fluunt sacramenta,
Quæ descendunt cœlitus.

A His quadrigis deportatur
Mundo Deus, sublimatur
Istis arca vectibus.
Non est domus ruitura,
Hac subnixa quadratura.
Hæc est domus Domini.
Gloriemur in hac domo,
Qua beate vivit homo
Deo junctus homini. Amen.

XXXIV.

DE OMNIBUS SANCTIS.

Hæc prosa consimilem habet rhythmi symphoniam, cum illa de sancto Bartholomæo prius expositam: *Laudamus omnes, inclyta Bartholomæi merita.*
B Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Describit autem amœna, et admodum suavi emodulatione felicia illa gaudia supernæ patriæ, quibus perfruuntur sancti omnes aulæ cœlestis incolæ, primum hujus vitæ miseriam, et pericula tentationum animis nostris objiciens; et inde civitatis illius æthereæ felicitatem colligens, quod omnino aliena sit ab omni turbine, inquietudine et metu. Quanta deinde ibi sit ordinis pulchritudo in dispositissima angelicorum spirituum, ac sanctorum omnium secundum suum gradum et sortem collocatione, quanta dulcedo visionis divinæ cum assidua satietate sine fastidio, et continuo desiderio sine tædii amaritudine, eleganter et suaviter

randis conveniunt omnes, quædam in quibus tres tantum coincidunt, quædam vero in quibus solum duo, quemadmodum ex prologo beati Hieronymi in evangelistas, et ex canonibus Eusebii super hac re confectis dilucide constat.

Vers. 26-27. — *Resurgentis quo claret potentia.* Per formam leonis sancto Marco ascriptam, elucet potentia resurrectionis Christi. Nam secundum Apostolum Christus resurrexit ex virtute (*II Cor.* XIII), et divinitatis ejus potestas in resurrectione innotuit, cum templum corporis sui in triduo excitavit, et sumpsit rursum animam quam posuerat; « leo autem fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum (*Prov.* XXX). » Dicitur item leo rugitu suo catulos recens editos, et jacentes quasi mortuos ac exanimes ad vitalem motum excitare (*Ps.* LXVII). Ita et Christus voce Patris (qui dedit voci suæ vocem virtutis) ejusque nutu ac virtute, est revocatus ad vitam. Et plane Christus ut agnus occisus est, surrexit autem ut leo, quemadmodum Joannes in Apocalypsi insinuat, cum ait: « Vicit leo de tribu Juda, radix David (*Apoc.* V). »

Vers. 39. — *Nova Christus hostia.* Nonnulli libri hanc clausulam ita habent contextam, nova resurrectio, sed perperam et mendose, nam per formam bovis, sive vituli non resurrectio figuratur, sed Christi in cruce immolatio (sicut bos animal est immolaticum) qui nova est hostia, pro mundi salute oblata. Et ergo castigandus est hic locus, et tertia præsentis versus clausula ita ost legenda, *Nova Christus hostia.* Tertia vero clausula proxime sequentis versus, huic in desinentia similique cadentia respondens, hoc pacto legatur, *vetus observantia.* Ita enim in castigatiore exemplari contextam utramque dictarum clausularum legi, eumque contextum exprimendæ sententiæ magis quadrare dijudicavi.

Vers. 40. — *Ara crucis mansuetus.* Quemadmodum in carmine per diæresim interdum una syllaba in duas dividitur, ad integrum pedum ipsius metri complementum, ita et in modulatione rhythmica, quæ certum in unaquaque clausula exigit syllabarum numerum. Quod hoc loco præsertim factitandum

C est, et dictio *mansuetus* proferenda est quadrisyllaba in hac clausula, quæ in vulgato usu est trisyllaba.

Vers. 46. — *His quadrigis deportatur.* Zacharias cap. VI, vidisse ipse dicit in spiritu quatuor quadrigas egredientes de medio duorum montium, et equos in eis varios, quibus jussum est ut totam terram perambularent. Hæ autem quadrigæ figura sunt sanctorum quatuor evangelistarum, quibus Dei cognitio per universum orbem defertur et promulgatur. Insuper Exodi vicesimo quinto cap. jubentur in lateribus arcæ fieri quatuor circuli aurei, duo in uno latere arcæ, ut duo in altero. Præcipiuntur item fieri vectes de lignis Sethim operti auro, qui inducantur per circulos in arcæ lateribus fixos, ut ipsis vectibus deportetur arca. Jubentur etiam illi vectes semper dimitti in circulis, nec unquam extrahi ab eis. Per hos autem quatuor circulos et vectes illis insertos quibus deferebatur arca, intelliguntur ipsi sancti evangelistæ, quorum evangelica narratione Christus arca mystica et spiritualis, in omnem mundi partem, quantum ad sui notitiam est delatus.

D Vers. 49. — *Non est domus ruitura.* Tertius liber Regum (*cap.* V) describens ædificationem templi Domini a Solomone magnifice factam, et id refert quod præcepit rex operariis suis, et tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi, et quadrarent eos. Per hos autem quadros lapides in fundamento collocatos intelligi hic dicuntur sancti evangelistæ, qui positi sunt in fundamento domus Domini, scilicet Ecclesiæ militantis. Et quemadmodum apud Lucam (*cap.* VI), domus a viro sapiente ædificata supra petram, irruente fluctuum procella, et ventorum tempestate, non potuit dirui, quoniam fundata erat supra firmam petram, ita profecto domus Domini ædificata supra fundamentum quatuor evangelistarum, nullo persecutionum turbine potest concuti aut everti. Hæc est enim domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram, scilicet Christum, cui quatuor isti lapides quadrati, firma compage connexi sunt in hac spirituali fabrica.

Digitized by Google

viter expromens. Et certe ipsa præsentis prosæ A lectio cum sinceritate mentis et attentione, rapit quodam modo legentis animum pio quodam affectu et ardore potiundi illa æterna beatitudine.

Supernæ matris gaudia
Repræsentet Ecclesia.
Dum festa colit annua,
Suspiret ad perpetua.
In hac valle miseriæ
Mater succurrat filiæ.
Hic cœlestes excubiæ
Nobiscum stent in acie.
Mundus, caro, dæmonia,
Diversa movent prælia.
Incursu tot phantasmatum B
Turbatur cordis Sabbatum.
Dies festos cognatio
Simul hæc habet odio.
Certatque pari fœdere
Pacem de terra tollere.
Confusa sunt hic omnia,
Spes, metus, mœror, gaudium
Vix hora vel dimidia
Fit in cœlo silentium.
Quam felix illa civitas.
In qua jugis solemnitas.
Et quam jucunda curia,
Quæ curæ prorsus nescia.
Nec languor hic nec senium,
Nec fraus, nec terror hostium.
Sed una vox lætantium,
Et unus ardor cordium,
Illic cives angelici
Sub hierarchia triplici,
Trinæ gaudent et simplici
Se monarchiæ subjici.
Mirantur nec deficiunt
In illum, quem prospiciunt.
Fruuntur nec fastidiunt,
Quo frui magis sitiunt.
Illic Patres dispositi
Pro qualitate meriti,
Semota jam caligine
Lumen vident in lumine.
Hi sancti, quorum hodie

Vers. 6. — *Mater succurrat filiæ.* Matrem vocat auctor Ecclesiam illam cœlestem et triumphantem in cœlis, quam in primo etiam versu appellat supernam matrem. Illa certe est Jerusalem, quæ est sursum mater nostra (*Gal.* IV). Filiam vero dicit Ecclesiam hic in terris militantem, quæ adhuc desudat in palæstra, et currit in stadio hujus mundi. Et merito in collatione ad alteram, filia dicitur, C quod dignitate et excellentia sit inferior, quodque illius cœlestis Ecclesiæ indiget continuo adjutorio et directione, sicut filia matris. Et id quidem adjutorium in sequente petit versu, cum orat quod cœlestes excubiæ, custodia scilicet angelica super nos jugiter vigilans et intenta, nobiscum in certamine contra hostes spirituales consistant, ferantque nobis suppetias.

Vers. 9. — *Mundus, caro, dæmonia.* Verum plane est quod dicit Job : « Militia est vita hominis super terram (*Job* VII), » aut ut alia habet translatio : « Tentatio est vita hominis super terram. » Siquidem mundus blanditur ut fallat, speciem boni ostentans in extrariis istis, et transitoriis bonis, quæ vere bona non sunt. Caro vero concupiscit adversus spiritum, et suis illecebris trahit ad voluptaria, quorum extrema luctus occupat (*Prov.* XIV). Demum « adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret (*I Petr.* V). » Nimirum tot hostilium tentationum insultu et incursione D Sabbatum, ac tranquillitas animi perturbatur, quod nulla fere præstatur nobis requies, quandiu præsens agitur vita, quin animus infestetur suggestionibus et impulsu, aut hujus, aut illius hostis.

Vers. 13. — *Dies festos cognatio.* Hæc cognatio est trium supradictorum hostium germanitas ac affinitas, in iis suggerendis quæ nostræ saluti sunt noxia. Videntur enim conspirasse, et mutuo consensu percussisse fœdus adinvicem ipsi tres, ut nos homines avertant a cœlo. Illa vero cognatio dies festos odio prosequitur, quoniam inimica est virtuti et bonis operibus, quæ diebus festis potissimum exercentur molesteque fert homines Deo esse deditos, et divinis intentos officiis, quod præsertim in solemnium dierum celebritate fieri solet. Idcirco facta quasi conjuratione pro viribus elaborat hæc nostrorum hostium in malo conspiratio, ut de terra animæ nostræ pacem, et tranquillitatem conscientiæ tollant, omnia commisceant bellis intestinis, et in regno nostro summa imis confundant, et ima summis.

Vers. 18. — *Spes, metus, mœror, gaudium.* Succincte et decenter hic quatuor animorum nostrorum exprimuntur affectus præcipui, a quibus fere omnes, et gravissimæ perturbationes in nobis suscitantur. Est enim spes, futuri boni desiderium. Metus illi oppositus, imminentis mali formido. Mœror vero, est de præsente malo tristitia premens animum. Gaudium autem, de præsente bono lætitia gestiens. Itaque ob assiduas tempestates et strepitus, quos ingerunt hæ passiones, vix modico admodum tempore habetur in cœlo nostro, et cordis cubiculo silentium. Sane Apocalypsis testatur (*cap.* VIII), quod factum fuerit silentium in cœlo quasi dimidia hora. At in secreto animæ nostræ, et penetralibus illis præcordiorum (quæ Deus inhabitare quærit, qui in cœlis est, et cujus in cœlo sedes esse prædicatur [*Psal.* X]) vix bene exigua temporis morula fit silentium et tranquillitas a commotione et perturbatione dictorum affectuum.

Vers. 32. — *Sé monarchiæ subjici.* Monarchia Græcum nomen, *unus principatus* interpretatur. Et quoniam unus est omnium Deus, et unus est Dominus, ipsius in omnes principatus et dominatio jure monarchia nominatur. Hujusmodi autem monarchia, et trina est et simplex, trina in personarum distinctione, simplex vero in substantiæ unitate, quoniam Deus et unus est in essentia, et trinus in personis.

Vers. 39. — *Semota jam caligine.* « Videmus enim, ut ait Paulus, nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem (*I Cor.* XIII). » Et beatus Joannes in sua Epistola : « Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan.* III). » Itaque sancti quoniam in regno cœlesti vident Deum facie ad faciem, et vident eum sicuti est, omnis caligo ænigmatis et velamen ab eis sublatum, et in lumine gloriæ ipsis circumfuso ac irradiante, vident lumen illud incircumscriptum summæ Deitatis, secundum illud verbum psalmi : « Quoniam apud te est fons vitæ et in lumine tuo videbimus lumen (*Psal.* 35). »

Vers. 41. — *Hi sancti quorum hodie.* Solet in ple-

Digitized by Google

Recensentur solemnia
Nunc revelata facie
Regem cernunt in gloria.
Illic Regina virginum
Transcendens culmen ordinum,
Excuset apud Dominum
Nostrorum lapsus criminum.
Nos ad sanctorum gloriam
Per ipsorum suffragia,
Post præsentem miseriam
Christi perducat gratia. Amen.

—

XXXV.

DE SANCTO MARTINO.

Hæc prosa eamdem servat rhythmicæ vocalitatis mensuram, sicut illa de Nativitate Beatæ Virginis superius exposita. *Nativitas Mariæ Virginis*, et illa de Dedicatione ecclesiæ etiam prius explicata. *Jerusalem et Sion filiæ*. Id tamen peculiare habet ista prosa, quod omnes ejus versus a secundo usque ad decimum utroque quidem incluso, idem habent exordium, et in ipsa fronte præferunt earumdem dictionum coincidentia, mira suavitate et elegantia elaboratam. Penultimus etiam et ultimus versus in eodem inter se conveniunt initio, ad invocatoriam orationem apto. Auctor ejus, Adam de Sancto Victore. Complectitur autem sanctam conversationem beati viri ante susceptam baptismi gratiam, et post acceptum illius signaculum virtutem ipsius, et efficaciam in ostensione miraculorum et operationesignorum. Describit item felicem ipsius obdormitionem, revelationem de morte ejus sanctis Severino episcopo Coloniensi, et Ambrosio Mediolanensi factam. Quæ omnia latius edisseruntur in Vita ejusdem Beati Martini a Sulpicio Severo conscripta, et passim omnibus perspecta.

Gaude, Sion, quæ diem recolis,
Qua Martinus compar apostolis
Mundum vincens, junctus cœlicolis
Coronatur.

Hic Martinus pauper et modicus,
Servus prudens, fidelis villicus,
Cœlo dives, civis angelicus
Sublimatur.
Hic Martinus jam catechumenus
Nudum vestit, et nocte protinus
In sequenti, hac veste Dominus
Est indutus.
Hic Martinus spernens militiam,
Inimicis inermis obviam
Ire parat, baptismi gratiam
Assecutus.
Hic Martinus dum offert hostiam,
Intus ardet per Dei gratiam.
Super sedens apparet etiam
Globus ignis.
Hic Martinus qui cœlum reserat,
Mari præest, et terris imperat.
Morbos sanat, et monstra superat
Vir insignis.
Hic Martinus nec mori timuit
Nec vivendi laborem respuit,
Sique Dei se totum tribuit
Voluntati.
Hic Martinus, qui nulli nocuit.
Hic Martinus, qui cunctis profuit.
Hic Martinus, qui trinæ placuit
Majestati.
Hic Martinus, cujus est obitus
Severino per visum cognitus.
Dum cœlestis canit exercitus
Dulce melos.
Hic Martinus, cujus Sulpitius.
Vitam scribit, astat Ambrosius
Sepulturæ, nil sibi conscius
Intrat cœlos.

risque ecclesiis hæc prosa de quolibet sancto confessore promiscue decantari, mutato numero plurali horum nominum, pronominum, et verborum, ad variandam locutionem pertinentium, in numerum singularem, hoc modo : *Hic sanctus cujus hodie Recensentur solemnia, Nunc revelata facie Regem cernit in gloria.* Et in vicesimo primo versu : *Nos ad sanctorum gloriam Per ipsius suffragia.* Verum aptius hæc prosa sicut hic est contexta, de omnibus sanctis canitur, quod de uno quovis sancto confessore, quoniam nihil in ea sententiæ continetur, quod uni confessori debeat potius quam alii cuivis sanctorum, ut apostolo, martyri, aut virgini accommodari, et quidquid in ea dicitur, sanctis omnibus cujusvis ordinis est commune.

Vers. 6. — *Servus prudens, fidelis villicus.* Denominationes istæ admodum præclare colliguntur ex Evangelio, ubi de servo prudente dicit ipsa veritas : « Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam ut det illis in tempore tritici mensuram (*Luc.* XII). » Et alio in loco : « Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV). » Fidelis autem villicus nominatur beatus Martinus, ex opposito illius villici iniquitatis qui diffamatus est apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius (*Luc.* XVI). Denique civis angelicus idem dicitur, quoniam ipsis angelicis spiritibus in regno cœlorum concivis est effectus, cœlumque dives virtutibus et bonorum operum fructu subiit, qui in hoc mundo pauper et modicus abjectusque vixerat.

Vers. 19. — *Super sedens apparet etiam.* Hæc testificatio excellentiæ beati Martini cœlitus facta, ita exprimitur in officio ecclesiastico : *Dum sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit supra caput ejus.* Fuit autem hujusmodi ignis exterius apparens, symbolum quoddam, et signum ardentissimæ charitatis in Deum, quo Martinus flagrabat interius, et sensibili indicio promicans ignis, quanto fervore divini amoris æstuaret introrsum patenter eloquebatur. Ita et septimi versus sententiam, ecclesiasticus usus ita depromit : O virum ineffabilem nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit !

Vers. 39-40. — *Nil sibi conscius, intrat cœlos.* Cum spiritum Deo esset redditurus beatus Martinus, in strato cilicino, et cinere decumbens, vidit Satanam astantem ad extremitatem lecti sui, illumque increpitans ait : « Quid hic agis cruenta bestia ? nihil in me funestum reperies, sed sinus Abrahæ me suscipiet. » Tum ille nihil suum in viro Dei inveniens, confusus instar fumi evanuit. Eodem quoque modo superiorum versuum sententiæ recensentes, aut ejusdem miracula aut insignia opera, ex iis quæ scribuntur de vita ejus, aut in ecclesiastico cantu depromuntur, sunt declarandæ.

Digitized by Google

O Martine, pastor egregie,
O cœlestis consors militiæ,
Nos a lupi defendas rabie
Sævientis.
O Martine, fac nunc quod gesseras;
Deo preces pro nobis offeras.
Esto memor (quam nunquam deseras).
Tuæ gentis. Amen.

XXXVI.

DE SANCTA CATHARINA.

Hæc prosa consimilem habet rhythmicæ structuræ formam sicut illa de sancto Luca prius declarata. *Psallat chorus corde mundo.* Verumtamen in penultimo et ultimo versu diversis a cæteris præcedentibus est rhythmi modus, in quo unaquæque clausularum septem complectitur syllabas, quarum penultima brevis et alternis locis consimilis soni habent responsum, ut prima ad tertiam et quintam secunda vero ad quartam et sextam. Auctor ejus Adam de Sancto Victore. Concelebrat autem laudes et præconia sacræ virginis Catharinæ, nobilitatem generis ejus et splendorem doctrinæ in primis recensens. Deinde passionem ipsius et pretiosam mortem pro Christi nomine, honorabilemque sepulturam angelico ministerio factam commemorans. Quæ omnia, ut jam dictum est, ex secunda Parthenice Mantuani et historia passionis ejusdem, evadunt manifesta.

Vox sonora nostri chori
Nostro sonet conditori,
Qui disponit omnia.
Per quem dimicat imbellis,
Per quem datur et puellis
De viris victoria.
Per quem plebs Alexandrina,
Feminæ non feminina
Stupuit ingenia.
Cum beata Catharina
Doctos vinceret doctrina,
Ferrum patientia.
Hæc ad gloriam parentum,
Pulchrum dedit ornamentum
Morum privilegia.
Clara per progenitores,
Claruit per sacros mores
Ampliori gratia.
Florem teneri decoris,
Lectionis et laboris
Attrivere studia.
Nam perlegit disciplinas
Sæculares et divinas,
In adolescentia.
Vas electum, vas virtutum,
Reputavit sicut lutum
Bona transitoria.
Et reduxit in contemptum
Patris opes, et parentum
Larga patrimonia.
Vasis oleum includens,
Virgo sapiens et prudens,
Sponso pergit obvia.
Ut adventus ejus hora
Præparata, sine mora
Intret ad convivia.
Sistitur imperatori,
Cupiens pro Christo mori
Cujus in præsentia
Quinquaginta sapientes
Mutos reddit et silentes
Virginis facundia.
Carceris horrendi claustrum,
Et rotarum triste plaustrum,
Famem et jejunia.
Et quæcunque fiunt ei,
Sustinet amore Dei
Eadem ad omnia.
Torta superat tortorem,
Superat imperatorem
Feminæ constantia,
Cruciatur imperator
Quia cædit cruentator,
Nec valent supplicia
Tandem capite punitur.

Vers. 45. — *O Martine, fac nunc quod gesseras.* Nunc, inquit o Martine, id nobis effice, quod olim egeras, cum adhuc mortalem duceres vitam. Solebas enim tunc in oratione esse assiduus, cum de te canat Ecclesia: *Oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab oratione spiritum Martinus non relaxabat.* Petimus igitur ut eamdem orandi sedulitatem pro nobis etiam nunc præstes. Et sicut quondam tibi fuit studium jugiter pro hominum salute preces Deo fundere, ita et nunc quoque pro nostra salute perpetuus apud Deum sis exorator, patronus ac deprecator, assiduamque nostri habeas memoriam.

..... *Varium et mutabile semper*
Femina.

(Virg. *Æneid.* l. IV, 569.

Vers. 8-9. — *Feminæ non feminina stupuit ingenia.* Non feminina, non fragilia, mollia, instabilia et inconstantia. Nam, ut ait poeta:

muliebreque ingenium secundum propriam naturæ conditionem imbecillius est et infirmius ingenio viri.

Verum in hac eximia virgine gratia superavit et corroboravit naturam, deditque illi in corpore femineo animum virilem, inconcussum et a fidei confessione animovibilem, ut supra sortem et modum feminæ, fuerit constans, supergressaque sexum, etiam viros superavit, doctos quidem, excellentiore doctrina, ferosautem et crudeles, evicerit patientia. Quod sequens innuit et deducit versus, in postrema ejus clausula, ferrum vocans, durum ipsius Maxentii et crudum animum, qui nullo modo emolliri potuit ad pietatem fidei et veræ religionis amplexum, sed adamantis instar obduratus permansit.

Vers. 31 — *Vasis oleum includens.* Hoc ex parabola evangelica de decem virginibus (*Matth.* XXV), quinque prudentibus, et quinque fatuis (quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsæ) sumptum est. Dicitur enim beata Catharina hic fuisse de numero virginum sapientum, et accepto oleo in lampadibus suis una cum lumine prodiisse obvia sponso, quod charitate adornata, humilitate decorata, et cæteris prædita virtutibus, ad cœlestem sponsum sit post mortem introducta. In prima autem præsentis versus clausula, dictio vasis, dativus est pluralis non genitivus singularis: nam participium includens, exigit secum dativum cum accusativo.

Digitized by Google

Et dum morte mors finitur,
Vitæ subit gaudia.
Angelis mox fuit curæ,
Dare corpus sepulturæ
Terra procul alia.
Oleum ex ipsa manat,
Quod infirmos multos sana
Evidenti gratia.
Bonum nobis dat unguentum,
Si per suum interventum
Nostra sanat vitia.
Gaudens ipsa videat
De se præsens gaudia.
Et futura præbeat,
Quæ dedit præsentia.
Et hic nobis gaudeat,
Nos illi in gloria. Amen.

Vers. 56. — *Et dum morte mors finitur.* Vita præsens quoniam continuus est ad mortem excursus et acceleratio, nomine mortis nonnunquam exprimitur, ut hoc in loco. Nempe si ea conferatur ad vitam perpetuam interminam, et indeficientem, quæ nullo mortis metu concutitur, mors potius quam vita est dicenda. Perinde atque exiguum lumen et subrutilum si comparetur ad immensum solis jubar, umbra censetur et tenebræ. Potest et nomen mortis secundo loco in hac clausula positum, recte sumi pro mortalitate, seu mortali conditione præsentis vitæ, quæ dum finitur in beata Catharina per mortem corporis illatam a tyranno, ipsa subiit æternæ vitæ gaudia.

Vers. 67. — *Gaudens ipsa videat.* Exposcit hic locus quod beata Catharina favore et gratia præsens hic concioni, spectet lætabunda et lubens, immo et acceptet ea gaudia quæ in sua solemnitate celebrantur a nobis. Conferat etiam nobis futuræ vitæ gaudia, quæ præsentia indulsit in hac die ob passionem nobis læta, festa et jucunda. Petit itidem quod beata Catharina in hac vita nobis gratuletur, de profectu virtutum et honore illi impenso. Nos vero illi gratulemur in cœlo post hanc vitam propter sublimitatem et magnitudinem gloriæ ipsius. Gaudere enim verbum cum dativo positum, ut hic, est alicui de bono habito gratulari.

ANNO DOMINI MCLXXIV

JOSCELINUS

TURONENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA

(*Hist. litt. de la France*, t. XIII, col. 532)

Josse (*Jüdocus*, *Joscius*, *Gocius*, *Josselin*, *Jothon*, *Gotlion*), *archevêque de Tours*, naquit en Bretagne (1), et fut près de six ans, évêque de Saint-Brieuc, et élu en 1157 archevêque de Tours. Il mourut vers 1173 ou 1174. Alexandre III lui écrivit plusieurs lettres, dont deux sont en même temps adressées à d'autres prélats français. Josse fut chargé, avec l'évêque d'Autun, d'examiner la sentence d'excommunication prononcée par l'archevêque de Reims contre le comte Henri (2). Nous avons de ce prélat une charte et six lettres adressées au roi Louis le Jeune (3), qui toutes n'ont rapport qu'à des affaires particulières, telles qu'une rébellion des chanoines de Saint-Martin, une dispute entre le doyen et le trésorier de l'église de Tours, l'élection d'un abbé de Saint Julien, la confiance excessive que Louis accorde aux moines, etc.

(1) Maan; Eccles. Turonens. Aug. Turon. 1667, in-fol. p. I, p. 119-123.
(2) *Ibid.* p. 221.
(3) Duchesne, Scr. Rer. Gall. t. IV, p. 640-642, 680.

Digitized by Google

JOSCELINI EPISTOLÆ

(Duchesne, *Script. rer. Franc*, IV, 640.)

I.

Ad Ludovicum VII Francorum regem.

Excellentissimo domino suo Ludovico, Dei gratia magnifico Francorum regi, Jos., Turonensis humilis minister, salutem et ab eo salutari qui dat salutem regibus

Sicut ex canonicis ecclesiæ Beati Martini, et eis qui tunc in capitulo astabant, accepimus, quòd de quibusdam querelis, quæ adversus decanum fidelem nostrum thesaurarius et pars ejus habebant, decanus obtulit se stare judicio capituli, et capituli judicio emendare, quia nullius juris est dum aliquis canonicorum ecclesiæ judicio capituli stare noluerit, quod super eum vacet ecclesia a divinis. Thesaurarius vero et pars ejus illud repudiaverunt. Unde ad B vestram decanus appellavit audientiam, quoniam ea quæ in querela erant ad feodum vestrum pertinebant. Licet igitur mandatum vestrum thesaurarius præsentialiter et pars ejus acceperint : licet etiam decanus fidelissimus vester in capitulum venerit, et ibidem se ad omnem justitiam obtulerit, sicut ab iis qui interfuerunt didicimus, mandatum vestrum, gloriose rex noster, non est mandatum exsecutioni. Volunt enim prius investiri a decano, aut jure aut injuria, quam auditum sit an debeant investiri. Supplicantes igitur regiæ majestati, de qua plene confidimus, rogamus et petimus, quatenus in manu regia, et sicut abbas ejusdem ecclesiæ, thesaurario obnixe præcipiatis, et capitulo, quod suum ecclesiæ restituant servitium, et deinde in capitulo a decano C accipiant justitiam. Quod nisi effectui voluerint mancipare, quid agendum extiterit, quid vestro honori conveniat, regiam non credimus excellentiam ignorare. Valeat regnum vestrum.

II.

Ad eumdem.

Dulcissimo patri et domino Ludovico, Dei gratia illustri regi Francorum. Jos., Turonensis Ecclesiæ minister indignus, ab eo salutari qui dat salutem regibus.

Quod cum tanta precum instantia sæpenumero aures pietatis vestræ pulsamus, gravis necessitas nos compellit, adeo quod nisi nos invincibilis altercatio negotiorum detineret, nihil est quod adeo ferverat in pectore nostro quam favorabilem aspectum D vestræ dulcedinis visitare ; plurimum confidentes, quod nostri doloris angustias vestræ pietatis liniret affectus. Ab illis enim, qui nos specialiter intuitu vestro deberent defendere propensius ac tueri, tanquam de vobis hæc haberent, gravamur instantius A et turbamur. Occasione etenim cujusdam burgi quem ex patris vestri et vestra donatione sibi vindicare contendunt, in Ecclesia beati Petri Puellaris jura nostra nobis auferre nituntur : cum nec vestro, nec patris vestri privilegio, nec viva voce valeant hoc probare, quod aliquid de jure nostro nisi violenter debeant obtinere. Vestram itaque excellentiam, a cujus largitione, et sub cujus solius patrocinio nostra sunt omnia, attentius exoramus, iterato supplicantes, quatenus amicis vestris dominis cardinalibus et domino papæ si placeret significaretis, quod nihil penitus de jure archiepiscopi, et maxime in spiritualibus, quæ ad vos pertinere non possunt, eis concessistis, nec concedere potuistis. Iterato rogantes, ut nos, qui in gravi multitudine hic moramur et expensis, vestro saltem intuitu judicio vel concordia quam citius expedirent. Quantam etenim de vobis confidere debemus, merita rerum potius quam verborum expositio manifestat. Valeat et duret in longum nobis et Ecclesiæ vestræ vestri prosperitas.

III.

Ad eumdem.

Excellentissimo domino suo Ludovico Dei gratia illustri Francorum regi, Jos., Turonensis humilis minister, ab eo salutari qui dat salutem regibus.

Ad regale subsidium, ubi nunquam spes nostra confunditur, toties recurrimus, gloriose Rex noster, quoties aut regni, aut honoris nostri præsentimus læsionem. Migravit nuper a sæculo abbas Sancti Juliani Turonensis, cujus monasterium de regali vestro est et nostro fundatum penitus, et nos abbatiam ipsam a vobis specialiter habemus, nullumque habent præter me advocatum, et ad nos sicut ad principem suum debent de electione sua intendere. Verumtamen de æmulis nostris quidam auribus monachorum instillant aliter, vestræ dignitati et nostræ quod sui est dominii derogantes. Animadvertite igitur, princeps noster, ne quod vestrum est ad alterius transeat principatum. Monachis illis regali præcepto firmiter injungite, quod sicut a fundatione Ecclesiæ in omnibus abbatum electionibus Turonensi archiepiscopo semper intenderunt, ita modo intendant, nihilque novi immutare præsumant. Quod si vestro mandato non acquieverint, omnia vestra, sicut decet regem, eis interdicatis regalia, ut et alii qui ad hujusmodi scelus aspiraverint, de consimili terreantur. Petimus etiam supplicantes, quod super facto isto domino papæ litteras vestras dirigatis, sicut latores præsentium postulaverunt ; quorum

Digitized by Google

verbis tanquam fidelium vestrorum vos fidem adhibere supplicamus.

IV.

Ad eumdem.

Excellentissimo domino suo Ludovico, Dei gratia illustri Francorum regi, Josc., Turonensis humilis minister, salutem et ab eo salvari qui dat salutem regibus.

Non sine magna admiratione, gloriose rex noster, possumus præterire, quod priori Castri fortis, et quibusdam complicibus ejus monachis nullius momenti aures suas inclinaverit vestra sublimitas. Absit, quæsumus, quod per tales personas regia discretio amplius seducatur. Volumus namque vos novisse, quod causa, quam adversus abbatem suum, virum probatissimæ opinionis, arripere præsumpserant, dominus papa nobis, et Andegavensi episcopo, et abbati Majoris Monasterii, commisit audiendam, et fine canonico terminandam. Convenimus igitur nos, quibus causa fuerat delegata, ad Burguliense monasterium, ibique die assignato præfatum priorem de vita abbatis et super hoc quod ei imponebat, inquisivimus. At ipse non habuit quid mutiret, sed prostratus ad pedes nostros misericordiam postulavit. Quia igitur universi ejusdem monasterii monachi in priorem præfatum et complices ejus ultionem conclamabant unanimiter, præsertim cum et prioris illius, et aliorum qui faciebant cum eo, defectus esset in propatulo, a proprio monasterio tam priorem quam monachos exterminavimus in perpetuo, et eos quousque litteras proscriptionis suæ, quam meruerant, a nobis reciperent, anathemate innodavimus. Si vestro ulterius apparuerint in conspectu, avertite faciem vestram ab eis, quoniam malignus spiritus est in ore ipsorum. Valeat regnum vestrum.

V.

Ad eumdem.

Excellentissimo domino suo Ludovico, Dei gratia illustri Francorum regi, Jos., Turonensis Ecclesiæ humilis minister, salutem ab eo qui dat salutem regibus.

Quam propitia, quam benigna regia nobis semper exstiterit excellentia, beneficiorum frequentia faciente vix aut scimus aut possumus recordari. Illud autem, gloriose rex noster, duco celerius memorandum, quod nuper cum in causa essemus domino papæ pro nobis regia scripta direxistis, et per vos factum est ut labor noster celerem consequeretur effectum. Enimvero causa nostra fuit terminata judicio, et ratione cogente jus nostrum apostolica recognovit auctoritas, et nobis nostra adjudicata est possessio et privilegio confirmata. Verumtamen cum executioni debuisset apostolica mandari sententia, cum ad ecclesiam Sancti Petri ex mandato domini papæ, secundum quod judicatum fuerat, accederemus, canonici Beati Martini adversum nos insurgentes, castri vestri et parochiæ nostræ nobis portas clauserunt. Quantus dolor, quanta sit amaritudo, quanta sit nobis illata injuria, animi perturbatio enarrare non permittit. Nuntius noster canonicus Ecclesiæ Turonensis plenius declarabit. Verbis ipsius auris vestra mansuetam rogo se exhibeat, et tanquam nobis illi credat, cujus in ore verba nostra posuimus. Valeat regnum vestrum.

VI.

Ad eumdem.

Amantissimo patri et domino digne reverendo Ludovico, Dei gratia illustri Francorum regi, Jos., Turonensis Ecclesiæ minister humilis, seipsum et ab eo salvari qui dat salutem regibus.

Quantum illustres vestri progenitores et proavi magnifici reges Francorum Ecclesiæ Dei devoti semper exstiterint et fideles, quanta ei commoda et devotionis obsequia exhibuerint, nos ex multis utilitatibus et magnis, quæ per eos provenerunt, manifeste cognovimus. Novit et hoc tota plenius Gallicana Ecclesia, noverunt et omnes qui justitiam colunt et diligunt veritatem. Vos itaque progenitorum vestrorum laudabilis imitator, et paternarum virtutum verus successor et hæres, ad eorum exemplum singularem et unicam matrem Ecclesiam Dei, ex quo regnum vestræ commissum est excellentiæ, gubernandam propensius dilexistis, et in tribulationibus suis fideliter assistendo, nihil est unquam quod a devotione ipsius et subventione regium potuerit animum retardare. Unde nos videremur totius humanitatis obliti, nisi vestro et regni vestri honori, augmento, et promotioni essemus solliciti omni tempore dignissime respondere, et pro tam ardenti fervore charitatis, vestræ voluntati semper intendere curaremus. Cum igitur ad honorificentiam regiæ majestatis et officium spectet, Ecclesias et ecclesiasticas venerari personas, et perversis ad injusta erumpentibus aditum inhibere, vestræ benignitatis clementiam, quam in hac parte ferventem invenimus et devotam, pro dilectissimo filio nostro Am. venerabili abbate Burguliensi, secure duximus exorandam : ut si quis auctor injuriarum, et perversitatis executor aliquid sinistrum, vel honestati contrarium de ipso in auribus vestræ celsitudinis, quod absit ! intimare præsumpserit, in conspectu vestræ majestatis tanquam organum falsitatis obmutescat, et infra sanctuarium pectoris vestri sermones detractatorum in servum Jesu Christi nullam inveniant occasionem malignandi. Super hoc enim Deum, qui videt in abscondito, testem habemus, quia secundum quod humana fragilitas nobis scire permittit, prænominatus filius noster albas apud Deum et homines illæsæ opinionis est, vitæ et conversationis integerrimæ. Qui cum ad hujusmodi cogeretur oneris dignitatem, et monasterium in extremis fere palpitans exspiraret, bona ipsius per incuriam quorumdam alienata revocans plurimum dilatavit, et tanquam pius Pater utriusque hominis hinc inde pia pabula vitæ subministrans, juxta beati Benedicti Regulam in spiritualibus ordinem reformavit. Insuper in omnibus nostris opportunitatibus,

Digitized by Google

omni tempore fervens exstitit et devotus, et in his quæ ad honorem vestrum pertinere noscuntur, ejus

A dilectio nunquam apparuit otiosa. Valeat et duret in longum nobis et Ecclesiæ suæ vita vestra.

ANNO DOMINI MCLXXIV

HENRICI ARCHIDIACONI HISTORIA CALAMITATUM ECCLESIÆ SALZBURGENSIS

AD ADELBERTUM ARCHIEPISCOPUM

(R. P. Bern. Pezius, *Anecdot.* II, III, 197)

MONITUM.

De auctore *Historiæ calamitatum Ecclesiæ Salzburgensis* Adilberto seu Alberto archiepiscopo et Friderico I imperatore inquirendum est. Ipse in fronte opusculi sui sola littera H. nomen suum innuit potius quam exprimit. Nisi tamen valde fallimur, is. H. nullus alius est quam Heinricus præpositus Berchtersgadensis, qui anno 1174, ejecto Adilberto, archiepiscopatum Salisburgensem administravit, ut videre est tum in Chronico Salisburgensi Canisiano tom. VI *Antiq. Lect.*, tum Peziano tom. I *Script. rerum Austriacarum*, col. 345; tum denique apud Hundium et Gewoldum in *Metropoli Salisburg.*, tom. I et II. Certe H., quisquis demum fuerit, capite ultimo manifeste nos docet, singularem ecclesiasticæ disciplinæ curam in archiepiscopatu Salzburgensi, absente Adilberto, suscepisse se, imo *archidiaconum* se vocat, *cujus tanta dignitas est, ut episcopi vicarius dicatur in Ordine Romano, ut qui vices episcopi in illius diœcesi exsequatur, et Ecclesiarum visitandarum ipsius loco curam suscipiat*, ut auctor est Carolus Du Fresne in Glossario, verbo *Archidiaconus*. Quæ omnia quam egregie Heinrico, pro Adilberto archiepiscopatum moderanti, conveniant, nemo non videt. Denique in neminem æquius Adilberti exsulis archiepiscopi suspicio cadere potuit insidiarum et machinationum, quam in Heinricum, favente Friderico Cæsare in administratione archiepiscopatus sibi suffectum, a qua tamen labe H. tam in præfatione quam toto opusculo se integrum præstare annititur.

PRÆFATIO.

Domino suo A. Salzburgensi archiepiscopo H. devotus et fidelis clericus ejus, in omnibus adversitatibus suis spiritum consolationis et salutis.

Missis per dominum decanum Salzburgensem excusationum mearum litteris spero Deo, auxiliante, sufficienter me apud clementiam vestram contra delatorum meorum vanas susurrationes, et insidias purgatum, ita ut in numero eorum, qui contra honorem vestrum insidiati, vel machinati dicuntur, prorsus ego tenerі non debeam : a quorum consilio ita alienus sum, ut teste Domino omnipotente scrutatore renum et cordis, personas, nomina, et conspirationes nec unquam cognoverim, nec fraudis conscius fuerim. Ideirco nunc ad alia vobis scribenda animum intendi, stylumque converti, quæ tanto vobis gratiora esse confido, quo ea de corde nihil adversum vos duplicitatis habente, quæ scripta sunt, manasse, scire, et veraciter credere debet prudentia vestra : quibus legendis, ut parvulam horam impendatis exoratum vos esse volo.

B CAP. I. *Occulto Dei consilio cuncta mala temperantur. Occasio malorum in Ecclesia Salzb. emergentium dirum schisma fuit ab imperatoribus excitatum, et a quo sola Ecclesia Salzburg. se immunem et puram præstitit.*

In omnibus tribulationibus et pressuris, quas pati cœpistis, mox ut in Salzburgensis episcopatus cathedram sublimatus estis, sollicite et sapienter cogitare debet animus vester, non ab homine, sed a Deo causam ejusdem tribulationis surrexisse, ut merito dicatis gratias agens Deo : *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis* (*Psal.* XCIII). Divina siquidem providentia circa electorum suorum salutem pie sollicita, malitiam hominum inique

C sævientium et persequentium convertere ad utilitatem eorum, qui tribulantur, novit : sicut etiam novit percussiones mallei universæ terræ, id est diaboli, virtute sua ita moderari, ut fideles ipsius sub eo non conterantur, sed erudiantur.

Recognoscat itaque prudentia vestra aliam fuisse intentionem in pressuris vestris domini imperatoris, atque aliam illius, in cujus manu est cor regis.

Digitized by Google

Quod procul dubio inde potest considerari, quia ad affectum voluntatis suæ multa faciendo in episcopatu, vel circa episcopatum, præpositos et universum clerum per ministros et cives tam in Bavaria quam in Carinthia, nullatenus pervenire potuit potestate vel astutia, quamvis cum potentia et calliditate omnes ferme, qui ante eum exstiterunt, reges et imperatores superare nulli dubium sit. Unde verum esse quis dubitet illud Salomonis : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI). Occasione schismatis, cui validissime contradixit Ecclesia Salzburgensis, gravis contra eamdem Ecclesiam surrexit indignationis et furoris illius tempestas in tantum, ut totus episcopatus periclitaretur, et tam incendio quam rapinis et cædibus res episcopales in solitudinem deducerentur : canonicorum quoque et monachorum, nec non et monialium bona vastarentur, sicut apparet hodieque in ecclesia Beati scilicet principis apostolorum, quæ etiam ecclesia Beati Rudberti appellatur. Hæc enim cum tota civitate consumpta usque hodie miserabilem et lamentabilem præbet omnibus aspicientibus faciem, eo quod vix in ea lapis super lapidem remanserit. O res misera et miseranda!

Totum occidentem error schismatis occupavit : sola Ecclesia Salzburgensis immunis ab hac pestilentia permansit, sola obedientiam Alexandro papæ intrepide servavit, sola matrem suam Romanam recognovit. Omnibus enim archiepiscopis et episcopis regni Theutonici, abbatibus, et præpositis cum universo grege clericorum et monachorum viam Balaam ingredientibus, et nomen Domini, nec non et papam Alexandrum abjurantibus tanta utique pertinacia, ut principes omnes jurejurando firmarent, se, si moreretur imperator, alium nunquam electurum vel suscepturum nisi qui juraret nunquam communicare papæ Alexandro, vel cuiquam successori illius, solus Eberhardus, prædictæ Ecclesiæ archiepiscopus, quasi columna immobilis cum collega et suffraganeo illius Hartmanno Brixinensi, viro catholico et sanctissimo, navim Petri, de qua docuit Christus, recognoverunt. Soli hi Samariam et vitulos Jeroboam respuerunt, et locum, quem elegit Dominus, venerantes universali et catholico papæ communicare non dubitaverunt.

CAP. II. *Morte Eberhardi archiepiscopi, et Chonradi electione nulla Ecclesiæ Salzburgensis malis medela allata; imo imperatoris in eamdem ira magis accensa, et Adelberti subrogatione plurimum aucta.*

Sed quamvis temporibus eorum supradicta juramenta facta sint, quibus episcopi terribiliter astricti sunt, non solum in propria persona non communicare Romano pontifici, verum etiam clerum omnem in idipsum compellere, et per plebanos populum : toto tamen tempore vitæ illorum mitius contra ecclesiam Salzburgensem agebat imperator. At postquam vivendi finem fecit archiepiscopus Eberhardus, timentes hi, qui majores videbantur in eadem Ecclesia, ne cognita morte ejus imperator pro beneplacito voluntatis suæ schismaticum eis daret, cui contradicere non possent, et communicare periculosum esset, sub magna festinatione elegerunt Chunradum tunc Pataviensem episcopum magna tamen anxietate, eo quod patruus esset imperatoris, et amore carnis et sanguinis facile præcipitari timeretur.

Ab hac tamen anxietate misericorditer Ecclesiam suam Deus liberavit. Quia mox ut electus est, et Salzburgensem Ecclesiam intravit, qui prius occultus erat propter metum Judæorum, nude communioni consensit Alexandri papæ, et sub eo canonicorum cunctorumque prælatorum obedientiam suscepit. Quod utique factum mox ut in auribus principi sonuit, quasi leo infremuit, dansque rugitum, unde totum regnum contremuit, Salzburgenses omnes proscripsit quasi publicos hostes totius imperii, eo quod patruum ipsius a visceribus suis avulsum contra ipsum arma corripere fecissent, videns eum castra munire, et custodes, atque propugnatores ordinare, stipendiaque, et quæcunque necessaria videbantur ad repellendas adversitates, munitionibus providere. Hoc autem faciens intentissime, summo tamen studio apud dominum imperatorem pro gratia ipsius, et pro pace episcopatus pecuniam, et beneficia, et quæcunque competere videbantur tanto negotio tam ipsi quam imperatrici et curiæ promittere non cessabat, mox ad manum, et per singulos annos, quantacunque peterentur hilariter daturus.

Inter hæc mors interveniens virum strenuum et constantissimum mundo abstulit, et in periculis maximis Ecclesiam dereliquit. Quæ in tanta malorum confusione quid faceret, ignara, diligentissimo studio quærere cœpit virum, cujus auxilio amicorumque suffragio furor, et indignatio imperatoris vel conquiesceret, vel mitigaretur. Inventa est persona vestra, quæ idcirco idonea et opportuna in tanta tempestate credebatur, quod per vos posset sedatis omnibus adversitatibus pacatissima rerum tranquillitas, divina opitulante misericordia, Ecclesiæ diu perturbatæ provenire. Spes enim maxima erat omnibus, quod electionem vestram ad favorem suum factam sine dubio intelligeret imperator, et quod filium amitæ suæ nunquam sineret cadere in errorem schismatis, honori ejus clementer prospiciens in futurum, ne quandoque precibus fidelium suorum Christus, qui nunc in navi sua dormire videretur, excitatus imperaret ventis et mari, et fieret tranquillitas magna, ac tunc mutatis, quæ error schismatis fecerat, schismaticorum lucerna exstingueretur.

Æstimabatur nihilominus, imperatorem ad memoriam revocare, quantum eum in bellicis rebus ante adjuverit pater vester, vel quantum de cætero benigne promovens honorem vestrum circa se excitaret intentionem et affectum illius. Credebatur, quod omnis amicorum vestrorum nobilissima turba

Digitized by Google

propensiori studio semper Ecclesiam, cui præsse- A tis, affectu coleret, benignitate diligeret, pietate veneraretur, et in ejus opportunitatibus semper ei adesset. Sed quæcunque profutura putabantur, in contrarium conversa esse, in propatulo est. Siquidem electionem vestram non ad favorem suum reputat factam ille, qui quod vult, facit, et nemo est qui audeat ei dicere : Cur hoc facis ? Sed ad ignominiam et opprobrium imperii, privatim et publice in curiis et placitis contra Salzburgenses ingenti indignatione conquerendo, quod in exercitus multitudine et armorum potentia confidentes regis Bohemorum filium illis elegissent, arbitrantes se bello et tyrannide habituros episcopum. Sicque et vos et patrem vestrum quasi hostes et inimicos reputare cœpit cum electoribus vestris. B

Cap. III. *Obsidio urbis Salzburgensis a Friderico imper. decreta, et totius episcopatus subversio. Incredibilis inde timor, et anxietas Salzburgensium*, etc.

Quamobrem ira fervens, fremensque ut leo castra movit contra civitatem, non solum ipsam in solitudinem æternam redigere, sed et totum episcopatum militibus dividere, claustra destruere, ac funditus devastare, et clerum universum vel dispergere, vel omnino perdere, sicut dicebatur, intendens. Quid tunc facerent miseri Salzburgenses, quibus nullus poterat dicere : Consolamini, consolamini, nolite timere : quibus vastitas, et contritio, atque æterna solitudo, et ipsa mors erat in januis ? Vicit tunc magnitudo formidinis formidinem periculorum imminentium, sicut nonnunquam violentia passionis vincit vim doloris. Qui enim prius fama venturi exterriti subsistere nullatenus in civitate audebant, ipsi nunc præsentiam exspectabant imperatoris, nimirum parati sive ad mortem, sive ad tolerantiam malorum omnium, quæcunque ille non timeret inferre. C

Quid pro his omnibus, quæ dicta sunt, dicimus, domine mi ? In tam ingenti procella fluctuum, quibus tundebatur navis, id est Ecclesia Salzburgensis, in tantum, ut contra eam fremeret totus mundus, eique exprobraret nomen Domini, et nomen Alexandri papæ, ore uno eodemque dicentibus bonis et malis, atque universis gentibus et populis : hæccine Ecclesia, quæ sola credebat se posse resistere imperatori, contra eum alium papam tenere præsumebat ? In tanta, inquam, malorum confusione dormiebat Christus, an vigilabat ? Dormivisse eum contendat, qui velit ; vigilasse eum res approbat, qui quasi dormiens mala, quæ fiebant, foris non videbat, et interne, ne nocerent, disponebat. Adversitatibus confessores suos quassari aperte sinebat ; et in occulto, ne mergerentur, sustentabat, qui mari terminum posuit arenam, dicens : *Hucusque venies, et non transibis, et hic confringentur fluctus tui* (*Job* xxxviii). Unde quasi dormiens venire permittit tribulationem usque ad mortis pavorem ; sed quasi vigilans moderatur eamdem tribulationem usque ad potentiæ suæ ostensionem et admirationem, quatenus deficiente prorsus consilio et solatio humano ille solus glorificetur, qui in omnibus operibus suis solus est admirabilis.

Verum enim quis non videat diligenter considerans Salzburgensium facta, et examinans erga nos talem exstitisse Deum, qualem eum circa Machabæos fuisse lectio ejusdem libri indicat ? Machabæi etenim pro lege Dei sui viriliter certantes, quandiu auxilium a solo Deo quærebant, hostes numero, armis et fortitudine longe præstantiores alacriter dimicando prosternebant. At ubi spem transferentes a Deo auxilium a Romanis postulandum putabant, derelicti a Deo ab hostibus premebantur, tanquam eis a propheta diceretur : *Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Deo recedit cor ejus* (*Jer.* xvii). Postquam enim eis sufficere non videbatur virtus divina, quæ eos crebris victoriis gloriosos fecerat, sed ad humanum auxilium confugere cœperunt, gloriam, quam Deo pro eis et cum eis pugnante acquisierant, in humano confidentes præsidio perdiderunt. Eodem modo quandiu Salzburgenses duobus archiepiscopis, Eberhardo et Chunrado tanquam duobus luminaribus cœli ducatum præbentibus catholicam veritatem atque unitatem servabant, gloriosi erant per universum regnum Theutonicum, et fama laudis eorum usque ad Hierosolymitanas partes, ab Occidente videlicet usque ad Orientem transvolaverat. Atque utinam in eadem virtute et constantia perseverantes stetissent sine concordante principio !

Cap. IV. *Salzburgum quorumdam proditione ac perfidia in Friderici potestatem traditum. Adelbertus ejus episcopatum deserere compulsus. Temporariorum bonorum amissio fortiter ferenda, dum spiritualia integra maneant.*

Sed eheu ! qui aliquanto tempore sub prælictis viris, Spiritu Dei plenis, contra errorem schismatis fortiter pugnantes, nec attendentes eos, qui dicebant *Ecce hic Christus, et ecce illic* (*Marc.* xiii), nec declinantes ad dexteram vel ad sinistram, sed regiam tantum viam ingredientes habitabant in adjutorio Altissimi, et in protectione Dei cœli commorabantur, profecto diuturnitate schismatis tædio affecti, tonitruis etiam et fragoribus regiæ communionis et indignationis exterriti, divinum adjutorium ex parte perdiderunt, et gloria eorum in ignominiam commutata est. Siquidem murmurantes contra Dominum, non quidem omnes, (abbates siquidem et præpositi, totusque clerus fortiter adhuc Catholicam tenent unitatem) sed hi tantum, qui retia Petri rumpere solent, sua videlicet, non quæ Jesu Christi sunt, sectantes dicebant, se quotidie proscriptos, se ab omni sæculo divisos, se ab omni imperio alienos effectos indignationem imperatoris ultra ferre non posse. D

Quapropter crebris et occultis legationibus illum vocaverunt, eique et se, et castra omnia tradere promiserunt, juramenta, quæ ante fecerant domino suo archiepiscopo, pro nihilo ducentes. Qui etiam,

Digitized by Google

cum ille venisset, et pollicitationem illorum adimpleri exspectaret, mira calliditate eumdem dominum suum, quem de Carinthia vocaverant quasi ad defensionem castrorum repræsentare se imperatori, suisque necessitatibus in extremo articulo opem ferre postulaverunt. Factum est tunc, unde totus episcopatus, et tota terra, quocunque fama facti pervenit, ingemiscit, vobisque, domine mi, scandalum, malumque irrecuperabile peperit. Sed quo consilio factum sit, omnibus se immunes jurejurando firmantibus, adhuc ignoratur. Imperator etenim cuncta tum castrorum, redituum, nec non et totius episcopatus potestatem quasi in deditionem accepit. Quod quia sine interposita conditione factum est, possessor et dominus rerum omnium, ad vos pertinentium, factus personam vestram expulit, et exterrem, atque exsulem, alienumque ab omni honore, divinitus vobis collato, effecit.

Mirabantur ultra quam dici potest traditionem, et perfidiam hi, qui circa imperatorem erant, et manifestis insultationibus atque opprobriis cum gravi exsecratione arguebant auctores tantæ proditionis, videntes utique castrorum fortitudinem, transitus per montana angustiam et difficultatem, clusarum firmitatem, quibus omnibus muniti cum possent non solum imperatorem, sed et totum mundum contra se venientem potenter repellere, nulla necessitate cogente defecerunt, nulla virtutis signa posteris relinquentes.

Inter hæc omnia, domine mi, nolite animo deficere ad universas afflictiones respiciens, quibus vexatur adolescentia vestra. Quamvis enim potens videatur adversarius vester, potentior tamen est protector vester, qui armis cœlestibus vos defendit. Recolat prudentia vestra, quia longe præstantiora sunt, quæ adhuc tenetis, quam quæ amisistis. Amisistis quippe, unde appellabimini dominus; manent vobis, ex quibus episcopus estis. Ablata sunt, quæ auferri tanquam extranea potuerunt: possidetis adhuc, quæ neque rex, neque imperator, non tyrannus, non gladius nisi cum vita ipsa auferre ullatenus potest. Ablata vobis sunt, pro quibus homini mortali fidelitatem jurare ex consuetudine debebatis: possidetis adhuc, ex quibus cessante persecutione Deo immortali rationem reddere debetis, pro administratione totius episcopatus Salzburgensis. Velint enim, nolint omnes reges, universi imperatores, cuncti potentes sæculi, atque omnes accincti gladio, manebit vobis, nec perire potest, quod electio vestra canonica contulit, quod benedictio episcopalis ad consecrandum corpus et sanguinem Domini manus vestras unxit, quod chrismatis unctio episcopum vos consecravit, postremo quod dignitas pallii archiepiscopum constituit. Hæc sunt, quæ præter vos ipsum nemo vobis aliqua ratione detrahere valet, quorum etiam suffragio illa, quæ persecutio humana abstulit, in meliorem statum commutatis temporibus reconciliatio divina vobis restituet.

A CAP. V. *De malis, quæ Uldaricus patriarcha Aquilegiensis, et Alexander papa in schismate Fridericiano perpessi sunt, ad quæ exigua sint, quibus Adelbertus archiep. Salzburg. vexatus.*

Nec pudeat vos cum Ecclesia catholica caminum tribulationis perpeti, quæ vobis sola illa contulit, quæ nulla persecutio unquam auferre prævalet. Ecclesia namque catholica vos elegit. Patriarcha catholicus, qui suam Ecclesiam ab omni fæce schismatici erroris purgatam cum ingenti labore et vitæ periculo Catholicæ unitati restituit, in sacerdotem pariter et episcopum vos consecravit. Alexander papa catholicus dignitate pallii sublatum archiepiscopi nomine et honore exaltavit, quatenus contra personam vestram schismaticis nulla occasio insultandi vel exprobrandi Ecclesiæ Salzburgensi relinqueretur. Gloriosum itaque sit vobis Domino propitio cum talibus ordinatoribus vestris humanis tentationibus examinari, et cum eisdem, cum imperaverit Dominus ventis et mari, et facta fuerit tranquillitas magna, exsultare et lætari, quando hi, qui nunc lætantur, et exsultant in pessimis, induentur sicut diploide confusione sua.

Quanquam enim magna sint, quæ passus estis et patimini, in comparatione eorum, quæ illi perpessi sunt, parva videntur. Vos Ecclesiam Catholicam invenistis: dominus patriarcha Udalricus in toto patriarchatu vix catholicum, vel qui sciret discernere inter dextram et sinistram suam, reperit in tantum, ut in Sabbato sancto Paschæ in benedictione cerei non inveniretur, qui vellet vel auderet nomen Alexandri papæ pronuntiare. Nam illo solo pugnante strenua virtute contra universum clerum et populum, et Alexandrum nominandum astrue te, illi decontra Bitervensem hæreticum pronuntiandum conclamarunt. Quid faceret athleta Dei? Nesciens sacrarium ingreditur, ibique amarissimas lacrymas fundens clamavit ad Dominum dicens cum Moyse: *Domine, adhuc paululum, et lapidabit me populus* (*Exod.* XVII). Cumque vir Dei in tanta esset positus afflictione et exspectatione mortis, ille, qui cor contritum et humiliatum non spernit, consolatus est eum. Cum enim jam hora præterisset, et populus recedere vellet unusquisque in domum suam, diaconus quidam ex canonicis ingressus ad eum obtulit se ipsum ad benedictionem cerei, animam suam ponens in manibus suis. Tum primum ille consolationem recipiens vestibus sacris induitur, et cum diacono suo solam mortem intuens ad populum egreditur. Audito itaque nomine Alexandri clamor et tumultus usque in cœlum tollitur, cunctisque egredientibus, et nomen catholici papæ quasi profanum fugientibus, vix aliqui cum patriarcha substiterunt.

De domino papa quid dicendum? Quid de ejus passionibus commemorandum? Hic cum in urbe per imperatorem seditione mota manere non auderet, in Galliam ad Francorum regis tutelam proficiscitur ubi semper apostolicorum omnium præsidium esse solebat. Parante imperatore malum regi

Digitized by Google

Francorum, eo quod hostem imperii susceperisset, et ad injuriam suam teneret, atque ideo super illum ducere exercitum cogitaret, dominus papa Galliam derelinquens Romam revertitur. Itaque imperator persequendo eum Romam et ipse venit, ducens secum quasi medullam cedri, omne robur imperii, et sedente in urbe domino papa Alexandro ante urbem castra imperator posuit. Quæ tunc spes esse poterat vitæ, qui a Roma in Franciam, atque a Francia iterum Romam fugerat tam potente persecutore suo cum omnibus adversariis suis, id est, schismaticis, coram oculis suis residente? Quid exspectaret, nisi qua hora caperetur, et in facie inimicorum suorum statueretur judicandus, et pro sede Petri invasa sicut Petrus crucifigendus? Quod plane si factum fuisset; bono illius procul dubio factum fuisset : sed cum illo Ecclesia Catholica damnata et exstincta fuisset, et schisma confirmatum. Sed absit, ut sic dimitteret Ecclesiam ille, qui eam sanguine suo redemit, qui supra Petram fundavit dicens : *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* (*Matth.* XVI). Gloria tibi, Christe, qui ibi magnificatus es vehementer, ubi credebaris expugnari ab his, qui oderunt te potenter. Nam ubi gloriosius posses triumphare de hostibus tuis, quam ubi de te triumphare vesano corde et impio ipsi putabant? Virum quem elegisti secundum cor tuum et in sede apostoli tui Petri constituisti, ut inde illuminaret et regeret Ecclesiam, quam de manu inimici redemisti, qui in cathedra pestilentiæ sedebant cauteriatam habentes conscientiam, vel morti dare, vel contumeliis afficere venerunt. Sed contriti sunt, sed repulsi sunt, sed cum gravi dedecore in terram suam redire compulsi sunt, quibus tamen miserante Deo vita donata est.

CAP. VI. *De pestilentia, qua invasus Friderici exercitus obsidionem urbis Romæ deserere compulsus fuit.*

Factum est tunc, quod factum a sæculis nunquam lectum, nunquam auditum est, et usque in finem sæculi quicunque audierit, tinnient aures ejus. Scrutentur libri annales regum antiquorum, revolvantur historiæ gentium, ubi unquam factum ostendi poterit, quod ibi contigisse narratur ab his, qui viderunt, qui mortem evadere potuerunt, ut nobilitate, potentia, divitiis præstantissimi, quos terra Theutonica genuit, non morerentur sicut homines, nec sicut unus de principibus caderent, sed globatim in castris suffocati invenirentur sicut vermiculi pluviales, vel sicut locustæ alluvione aquarum suffocatæ. De qua re quamvis seriem eorum, quæ ibi contigerunt, plenariam ex ordine commemorare non præsumamus, ne vel plus vel minus dicendo arguamur ab his, qui plenius vel verius cognoverunt, aliqua tamen commemorare volumus, ne omnino reticendo opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus plus peccemus.

Munitionem beati Petri supra Ecclesiam exercitus cœpit, moxque impetum facientes ad ipsam Ecclesiam valvas ejus securibus et gladiis succiderunt, et quidam quasi re memorabili et gloriosa perpetrata assulas, quas gladiis ederant, uxoribus suis in signum victoriæ, imo ignominiæ beati Petri domum referre petulanti jactantia pollicebantur. Capellam quoque Beatæ Mariæ ante porticum igne concremaverunt, nihil prætermittentes, quæ insana mente excogitabant ad injuriam Dei et beati Petri principis apostolorum. Illico pestilentia subsecuta iram Domini ulta est. Nam de terra vapor et nebula consurgens quasi contagione exercitum percussit, tantaque plaga in populo facta est, ut antequam ad summitatem clivi, ubi lapidibus tota via constrata videtur, pervenirent, centum vel amplius milites subito mortui jacerent : deinde clades universam multitudinem pervagata, ultra mille milites in brevi prostraverit, quanquam non tam multitudo morientium, quam horror subito corruentium stuporem fecerit.

Nam ubi castris compositis una societas centum ferme loricatorum militum simul discumbebant in tentoriis, et circa imperatorem proximi, et in processione primi esse ante illum solebant, cum omnia tentoria sublata essent, et rex in equo sedens miraretur tarditatem illorum, eo quod nullum videret se movere de tanta societate, misit ad requirendum, quidnam hoc esset. Venit nuntius, invenitque equos ad stipites ligatos, totamque supellectilem, sicut sero fuerat composita, jacentem, et tam milites, quam servientes exanimes factos. Timore percussi omnes et perterriti fugiebant mortem, nec evadere potuerunt. Euntes quippe cadebant repente de equis; alii adhuc stantes in terra, cum ascendere equos vellent sani subito ruebant a tergo deorsum mortui.

CAP. VII. *Quantus eorum numerus et dignitas fuerit, qui ante urbem peste occubuerunt. Misera mors Reinoldi archiep. Coloniensis, ac aliorum Germaniæ principum.*

Contra hanc virtutem jactet et extollat potentiam suam quilibet homo mortalis (quia et ipse imperator homo utique mortalis) dicatque : *Persequar, et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea : evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Dextra tua, Domine, tua,* inquam, *dextra magnificata est in fortitudine ; dextra tua, Domine, percussit inimicum, et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos. Misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam. Quis similis tui in fortibus, Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, et faciens mirabilia?* (*Exod.* XV.) Audite adhuc non quidem majora, sed crudelioria atque terribiliora.

Cum tanta esset strages in exercitu, multique amicos suos mortuos relinquere in terra hostili erubescerent, cadavera eorum coquere, et sale aspergere, ac sic secum ad terram patrum suorum reducere cogitabant. Cumque frater quidam fratrem coqueret, alter pro caldario misit summopere rogando, ut sibi mitteretur ad opus simile neces-

Digitized by Google

sarium. Respondit ille, fieri non posse, eo quod fratre suo cocto se ipsum prius coqui necesse esset : quod et factum est. Nec putet quisquam luem istam popularium hominum exstitisse, et eorum tantum, qui extremi in exercitu fuerunt, quorum quantacunque multitudo vel bello, vel quolibet casu occubuisset, memoria illorum facili oblivione deleretur. Strenui quippe bellatores, et robur exercitus ibi periit, et qui singuli decenter naturali morte sublati luctu et exsequiis dignissimi essent. Denique Reinoldus Coloniensis archiepiscopus, caput et ductor schismatis, cum fratre suo Liutholdo periit Filius Chunradi regis Fridericus, qui ipsi imperatori adhuc vivens potentia et opibus formidini exstitit, interiit una cum nepote suo Beringario filio Gebehardi de Sulzbach,

Sed quis per singulos omnes enumeret, qui ibi pericrunt? Quorum tantus erat numerus, tanta sanguinis altitudo, tanta opum affluentia, tanta claritas, ut si contra Dominum cornua nequaquam erexissent, et in pace occubuissent, lamentatione digni essent totius imperii. Sed quia astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus, idonei erant ut morte sua prædicarent gloriam Dei, et morientes dicerent : « Vicisti, Galilæe, vicisti ! » In quorum tamen morte illud est miserabilius, omnique sæculo gemendum, quod ad ignominiam illius, cui vice Petri, principis apostolorum, claves cœlorum tradidit Dominus noster Jesus Christus dicens : « Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI), » arma Romam ferentes ligati in peccatis suis, a quo solvantur, non est super terram.

Eant nunc, qui velint, et adversus Regem regum, et Dominum dominantium cervicem erigant, qui vires hostium suorum tam facile scit, et potest frangere, et potentiam conterere. Cujus virtutem consideratis propheta exclamat dicens : *Quis non timebit te, Rex sæculorum?* (*Jer.* X.) Decuit plane sic Dominum nostrum Jesum Christum gloriam suam demonstrare, ut et inimici ejus in sæculis supervenientibus terrerentur et Ecclesia ejus de tam gloriosa liberatione sua usque in generationem et generationum generationem glorificaretur, et triumphatori immensas gratias ageret, laudesque debitas cantaret.

CAP. VIII. *Friderici pertinacia in persequendo Adelberto, quem, ut in solo Dei auxilio confidat, auctor hortatur. Corruptio morum per schisma in clerum Salzburgensem invecta.*

Sed super omnia, quæ dicta sunt, illud est terribilius, illud est miserabilius, quod cor Pharaonis ita erat induratum, ut in tam gravi plaga, quam diximus, quamvis non totam dixerimus, sed vix partem parvulam tetigerimus, nec mors miserabilis cognatorum seu affinium, principum quoque et magnatorum, et clades nobilissimi exercitus cor illius tetigerit, vel ad cognoscendam Dei virtutem concusserit, quatenus humiliatus contritionem suam recognosceret et a schismate recederet, et Ecclesiam sanctam matrem utique suam veneraretur et diligeret. Hoc enim si facere vellet, nequaquam Ecclesiam Salzburgensem tanto studio persequeretur, nequaquam personam vestram in Dominum et episcopum ab ea electam, sanguinem utique suum, tanta impietate insequeretur. Cujus tamen persecutio vestra est procul dubio divina opitulante providentia pia eruditio. Nam quid faceret filius amitæ imperatoris? Filius regis Boemorum? Filius sororis ducis Austriæ, adhuc adolescentulus ad tam nobilem Ecclesiam Salzburgensem electus, imo super totam provinciam Bavaricam regendam sublimatus, si recturus tantas, tam innumeras gentes, tantosque episcopos, prius ipse chamo et freno regeretur ?

Portate itaque, domine mi, portate chamum et frenum cum humilitate et patientia non a quolibet homine persequente, sed a patre corripiente, et erudiente maxillis vestris impositum, qui etiam novit, quando tempus sit ut auferatur, paxque et securitas, atque ab adversis omnibus requies vobis et Ecclesiæ donetur, quæ vobiscum sicut parturiens quotidie clamat ad Dominum pro liberatione sua et vestra. Hanc autem idcirco differt laborante pro vobis, quantum prævalet, patre vestro atque avunculo, totaque amicorum frequentia, ne in baculo arundineo spem ponatis, et gratias Deo agendas hominibus, qui salvare non possunt, referendas existimetis. Et quid nocet differre illi, qui mox ut voluerit, præsto habet benefacere? Cui dicit Esther regina : *Domine, rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est, qui possit tuæ resistere voluntati* (*Esther* XIII). Sicut enim inefficax est voluntas et intentio humana Domino obsistente, sic illo adminiculante ad resistendum invalida est omnis potestas et malignitas humana. Unde est illud in Job : *Sub quo curvantur, qui portant orbem* (*Job* IX).

Ad hunc itaque vestræ mentis fiducia dirigatur, omnis spes vestra in illo ponatur, qui et bonitate clementissimus, et majestate potentissimus. Sit cum illo perfectum cor vestrum firmiter disponendo apud vos ipsos, ut semper viam Patrum vestrorum amboletis, sollicite agendo, ut vestris temporibus in statu suo permaneat Ecclesia Dei, quam regendam suscepistis, quæ, sicut notum est per universum regnum, longe præibat alias Ecclesias religione, hospitalitate, castitate, et omni tam sæculari quam spirituali honestate. Ilis enim virtutibus Ecclesia Salzburgensis ornata quasi firmamentum stellis radiantibus fulgebat, ita ut in curiis regum præ aliis principibus honor præcipuus archiepiscopis Salzburgensibus deferretur, et venerationem maximam haberet clerus omnis tam in claustris sub Regula constitutus, quam foris per parochias ordinatus ; qui revera ex quo surrexit error schismatis, et tam vestra quam avunculi vestri sollicitudo pressuris innumeris fatigata quievit, quia inter

Digitized by Google

arma silent leges, ita immutatus est, ut nisi misérante Deo, vobisque pacem et constantiam tribuente ad exstirpanda et resecanda vitiorum germina, deletis, quæ superius commemoravimus, bonis charissima Ecclesiæ lucerna exstinguatur. Mementote verbi vestri, in quo nobis omnibus spem dedistis, qui decorem domus Dei, quam occulis ipsi vidimus, perire valde dolemus. Dixistis enim mox in introitu vestro, nunquam in episcopatu vestro missam cantaturum, qui cohabitare mulieribus sibi licitum putaret.

Cap. IX. *Ostenditur, quam necessaria sit medela tot, absente Adelberto, irrumpentibus vitiis et criminibus, quibus maxime clerici concubinarii, ac impudentes obnoxii sint.*

O domine mi! servate verbum : fixum sit in corde vestro : instate, cum locus fuerit, ut etiam clarescat in opere. Alioquin nisi Jezabel illa maledicta, quæ tam petulanter, quam licenter circuit nunc domos sacerdotum stibio depicta habens oculos, et caput ornatum, vestra industria zelum Dei habente præcipitetur deorsum, in brevi vires suas ita extendet, ut virgam et baculum vestrum contemnat, gaudensque de impunitate sua, eousque progrediatur, ut inter laicum et sacerdotem præter missam tantum parva sit distantia, faciatque licenter parochianus, quod ne præsumere vel attentare audeat laicus. Clericus etenim sive per occasionem, sive per veritatem Christum annuntians, a fornicationibus et adulteriis laicum publica pœnitentia... compescit : Clericus nullo timore frenatur. Quia etsi turpissimæ vitæ fuerit, argui a laico non vult, decanum contemnit et archidiaconum, nisi accusatus fuerit nullusque accusator sit omnibus idipsum facientibus, et crimina propria in aliis foventibus. Isti sunt certe squamæ Leviathan, quæ ita sibi cohærent, ut ad læsionem pestiferi corporis nullum telum pertranseat. Nimirum eousque ista causa perveniet, ut sacerdos unam tantum habens uxorem, sicut laicus, religiosus et sanctus prædicetur ab uxoribus aliorum se continens, fidemque alieni tori non violans. Nam quid aliud speratur, cum apud nos tales esse noverimus, qui turpem vitam ducentes, profanam quoque Nicolaitarum doctrinam tenentes, quam se odisse in Apocalypsi Dominus perhibet auditoribus suis sacros legunt canones, et qualiter defendere debeant crimina fornicationum suarum ostendunt? Cujus auctoritate fretus sacerdos quidam neptes suas sacerdotibus conjugio copulavit, numerosam prolem ipse habens de muliere, quam sexies coram antecessore meo abjurasse perhibetur.

Quid dicam, quod me prohibente secundum consuetudinem hujus Ecclesiæ filii presbyterorum cum uxoribus, quas maritis viventibus abstulerant, manentes litteris prælatorum quorumdam muniti ad consecrationem veniunt, et consecrantur, meque contempto in archidiaconatu meo missam cantant, et ad parochias aspirant? Et tales quamvis sacri canones ab ordinibus sacris prorsus repellant, quos si cognovissetis, scio, quia nunquam eis manus imposuissetis, tamen si vobis placet, et præcipitis, ut cantent, quanquam invitus, tamen ego æquanimiter porto, quia *non est discipulus supra magistrum* (*Matth.* x). Sin autem : placeat discretioni vestræ præcipere, ut a ministerio altaris cessent, donec causa eorum a vobis discutiatur, vel a quibus præsentati sint vobis, aut a quibus productoribus, cum quæreretur a vobis : est dignus? est justus? responsum sit : dignus est; justus est. Hoc enim vos commendat, et canonum reverentiæ pariter, et disciplinæ ecclesiasticæ expedit. Alioquin cum oculus vester esse debeam, et libenter ea, quæ ad honorem Dei, et vestrum spectant secundum obedientiam, et fidem vobis debitam videre velim, et officio mihi credito insistere, si tales atque his similes transgressiones videns tacere debeo, malo prorsus carere archidiaconatu, peccatisque alienis nos communicare nihil exspectans nisi damnationem.

Multa sunt his similia, quæ ad correctionem vestram spectarent. Sed quia tempus arguendi et judicandi non habetis, æstus cogitationum vestrarum, et anxietates augere nolo, quamvis ea, quæ per præsentiam personæ corrigere non potestis, per nos, qui sicut diximus, oculi vestri sumus, emendare utile sit, et bonum, ne in immensum insolentia malorum crescat. Scire profecto, nec dubitare debet prudentia vestra, quia si in propria vestra vita aliquid minus quam expedit, viderit ille, cujus oculi imperfectum nostrum subtiliter vident, de venia tamen, et indulgentia diffidendum vobis non sit, dummodo secundum dispensationem vobis creditam abominationes, et transgressiones, quales solent fieri a prævaricatoribus mandatorum Dei, juxta prophetam in scopa terens eliminaveritis et foras projeceritis, ita ut possitis tam confidenter quam veraciter dicere cum Psalmista : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* (*Psal.* xxv).

Deus omnipotens, qui pater est orphanorum et judex viduarum, custodiat, protegat, defendat, et a malis omnibus liberet vos, domine. Amen.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCLXXIV

HUGO DE FOLIETO

NOTITIA

MABILLON., *Annal. Bened.*, tom. VI, pag. 457)

Jam locus postulat ut de Hugone de Folieto agamus, viro per ea tempora celebri, de quo mirum est quam variæ circumferantur sententiæ; nec quid de eis statuendum sit, hactenus sat compertum sit. Gabriel Pennotus, more suo delirans, ait, Hugonem de Folieto Cordubensis Ecclesiæ, provinciæ Hispalensis, canonicum regularem fuisse. Ciaconius Hugonem cardinalibus accenset, scribitque eum esse Gallum, canonicum regularem monasterii S. Petri Corbeiensis in Saxonia. Tot verba, tot errata. Ad veteres quod attinet, Guillelmus de Nangiaco (1) eum vocat monachum, et ex aliorum sententia canonicum regularem Vincentius Bellovacensis, et ex eo S. Antoninus Hugonem de Folieto S. Petri Corbeiensis canonicum asseri dicunt. Alii propius ad veritatem accedentes, eum S. Petri Corbeiensis monachum in cella S. Laurentii de Helliaco fuisse opinantur. Denique plerique cum Ciaconio eum cardinalem faciunt. De his quid certo statuendum sit, inquirere juvat.

Hugo de Folieto, sic dictus a suburbio cognomine antiquæ Corbeiæ, ubi natus est, haud dubie canonicus regularis ordinis S. Augustini fuit in monasterio S. Laurentii de Helliaco, qui locus tertio amplius a Corbeia milliari abest. Hic locus primo concessus fuerat monachis S. Joannis de Angeriaco, ut in superioribus diximus; sed paulo post datus clericis, qui regulam S. Augustini in magna paupertate sectabantur. Id factum sub initio sæculi duodecimi, pontificatu S. Godefridi episcopi Ambianensis, assentiente abbate Corbeiensi, de cujus feodo erat terra Helliacensis, adeoque locus, in quo hæc S. Laurentii ecclesia sita erat.

Eadem regula ibidem perseverabat hoc anno, quo anno Eugenius III apostolicæ tutelæ privilegium indulsit *dilectis filiis, Olrico priori ecclesiæ S. Laurentii, quæ juxta Corbeiam sita est, ejusque fratribus canonicam vitam professis;* et quidem *secundum beati Augustini Regulam*, ut in diplomatis contextu legitur. Hæc bulla data est Viterbii, v Idus Martii, anno præcendente, secundum veterem calculum, Eugenii quinto. Idem ordo canonicus ibidem perseveravit usque ad annum 1205, quo ejus loci canonici regulares, assensu abbatis Corbeiensis, monachis Lehunensibus in Sanaterra, ordinis Cluniacensis sese dediderunt. Sed tandem hic locus, a Lehunensibus desertus, ad Corbeienses fundi dominos rediit. Illic in loco inculto, solitario et arido una superest S. Laurentii ædicula cum aliquot veteris monasterii vestigiis. Eo in loco sub Olrico priore canonicam, et quidem pauperem vitam agebat Hugo de Folieto, factus anno 1153 post Olricum prior, quo in munere decessit, ut mox videbimus. Certe anno 1152, quo Guarinus S. Vedasti abbas cum illis canonicis de decimis Dodonis villæ diœcesis Ambianensis transegit, testes ex clericis nominantur *Olricus prælatus, Hugo de Foliaco, Rorgo subprior.* At idem Hugo anno sequenti prior erat, quo anno Theodericus Ambianensis præsul Balduinum de Durz (vulgo *Dours*) et Beatricem ejus uxorem ab excommunicatione, quam ob damna Ecclesiæ Ambianensi illata incurrerant, absolvit *per manum domni Hugonis venerabilis ejusdem loci* S. Laurentii *prioris*, facta prius modica satisfactione Ecclesiæ Ambianensi. Anno 1174 Simon prior Hugoni successerat, quo anno Theobaldus Ambianorum episcopus, petente Simone S. Laurentii priore, confirmat conventionem, inter ejus ecclesiam et Balduinum de Dors, tempore Theoderici episcopi factam ad obtinendam prædictam absolutionem. Octennio post Milo ejus loci prior erat, ut patet ex litteris Hugonis abbatis Corbeiensis suo loco referendis. Eodem tempore Theobaldus Ambianensis antistes *Miloni priori S. Laurentii ejusque fratribus regularem vitam professis* ecclesiam S. Nicolai de Regniaco ad formam eorum institutionum ordinandam committit. Post hunc Milonem nullus alius occurrit S. Laurentii prior in Corbeiensi archivo, ex quo hæc omnia accepimus. In Necrologio Corbeiensi notatur : VII *Idus Septembris Hugo prior S. Laurentii.* Haud scio an idem sit *Hugo de Folieto* notatus in Necrologio S. Petri Carnutensis VI Nonas Octobris. Ut ut est, ex his satis intelligitur Hugonem illum de Folieto, S. Laurentii priorem, cui libros De claustro animæ tribuendos esse mox videbimus, non fuisse Romanæ Ecclesiæ cardinalem.

Id autem in primis ad Hugonis de Folieto commendationem facit, quod postulatus abbas a canonicis regularibus S. Dionysii apud Remos, postulationi acquiescere noluit. Id contigit post mortem Ursionis abbatis, quem hoc anno Marlotus (2) dicit obiisse IV Kal. Martii. Tunc electus fuit, agente Guerrico Igniacensi abbate, Hugo de Folieto, uti discimus ex ejus epistola necdum edita, digna certe quæ hic integra referatur ad illustrandam pissimi et doctissimi viri modestiam. Sic autem habet in membrana quadam Corbeiensi :

Domino H. frater HUGO *de S. Laurentio, salvari ab eo, qui salvos facit rectos corde.*

Electio, quæ de nobis a canonicis Beati Dionysii assensu Samsonis venerabilis Remorum archiepiscopi facta perhibetur, ex radice consilii domni Guerrici Igniacensis abbatis, sicut audivimus, prodiit in publicum. Miramur super hujusmodi negotio viri prudentis discretionem, qui me fratribus tam diversi proposito sociare nititur. Saccum serico consuit, et quasi posterioribus vulturis, pavonis inserit caudam. Ut iterum figurate loquar : Hircocervum fingit; nec tantum fingit, sed etiam pingit. Hircocervum fingit, si existimet aliquis de

(1) Spicil. t. XI, ad an. 1140.
(2) Metropol. Rem. t. II, p. 153.

Digitized by Google

me supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Hircocervum pingit, qui personam meam adornat diversarum virtutum nominibus, quasi diversis coloribus. Quare tam hirsuti velleris animal, animali pilis obsito delicatis jungere desiderat? Illud natura non genuit, hoc usus prohibet. Si de persona quæral, de homine parum habeo; si mores inquiruntur, turbulentus sum inter fratres; si dubitatur de opere, pusillanimis sum in magnis. Locus ille sublimis est; sublimis ei persona debetur. Propinquus est curiæ, præmunitum consilio, discretum et eloquentem requirat virum; in me autem nihil horum reperiet. Proposita nosti. Fratres divitiis abundant, nos paupertati subjicimur. Si renuntiavero paupertati, factus sum opprobrium vicinis meis valde. Si divitiis approximavero, in ascensu lapsum timeo, in sublimitate ruinam. Coarctor nimis. Si discessero, multi de fratribus nostris se discessuros affirmant. Si divitiis occurrero, paupertatem in me præteritam populus accusat; factus sum scandalum fratribus, opprobrium populo. Angustiæ mihi sunt undique: quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. Dicunt aliqui: Abbas esse renuit; episcopatum desiderat. Testis est Deus: Pereat anima mea de populo Dei, si a juventute mea usque ad hanc diem primatum in Ecclesia concupivi. Causa quæritur, Deus est in causa. Iterum non sum tanti. Vix mihi soli sufficio: et, si voluntas adesset, infirmitas negaret. Lassescentis stomachi vomitu multo tempore laboravi. Aliquantulum cessat inundatio vomitus; sed ex levi quandoque commovetur occasione. Rem notam refero. Diversis infirmitatum generibus affligi consuevi; et tamen metropolitani nostri amica coactione sollicitor; amica, ni fallor: quia et ignotam personam familiarem sibi fieri, sublimari vilem, pauperem ditari compellit. Gaudeo plane, quia personæ tanti nominis familiaris effici merui: sed timeo valde, ne, si recusem quod postulat, tanto gravior apparuero. Rogo te, habe me excusatum. Excusationis causa conveniens est. Habeo enim patrem senem et infirmum, domnum videlicet Ulricum priorem nostrum. Infirmumne deseram, et seni servire recusabo? Ipse enim diligit me pater, et ego diligo eum; et apud eum manebo, quoad ipse vixerit, si potero. Suggere igitur domno Igniacensi, ne turbet aquam pauperis, aucæ cum silentio currere consueverat. Timeo enim ne si Remis veniam, remissius vivam.

Hactenus Hugonis epistola, in qua ubi ait se mirari quod Guerricus abbas ipsum *fratribus tam diversi propositi sociare* niteretur; id non ita intelligendum est, quasi aliam ab illis regulam sectatus sit: sed quod illi *curiæ* archiepiscopi propinqui essent, hi in horrida solitudine positi: illi divitiis abundarent, hi in summa paupertate degerent, quam Hugo absque scandalo se commutare non posse dicit.

Jam vero, quando huc devenimus, de ejus scriptis, si qua sint, inquirendum superest. Hugoni de Folieto in multis quos vidimus codicibus tribuuntur quatuor libri De claustro animæ, qui inter opera Hugonis de Sancto Victore editi sunt. Ad calcem tamen Thomas Garzonius canonicus regularis observat, se hos libros sub nomine magistri Hugonis de Sancto-Victore impressos comperisse: sed, quia tamen a phrasi ejus et professione nonnihil dissident, se potius accedere illis, qui eos Hugonis a Folieto esse censent. Quod vero addit idem editor, Hugonem, cum hæc scriberet, a regula canonica divi Augustini ad arctiorem divi Benedicti, cujus passim meminit, uti et S. Augustini, transiisse, etsi libenter ob tanti viri meritum admitterem ad ordinis nostri honorem; tamen, ut sincere loquar, falsum esse ex ipsis Hugonis verbis mox ostendam, cum ejus esse hos libros demonstravero.

Diu de nomine auctoris, etiam apud veteres, dubitatum est; idque inde accidit, quod auctor in Prologo ad fratrem anonymum, cujus rogatu hos libros scribere aggressus erat, nomen suum reticeri jusserit. *Nulli ergo*, inquit, *nostrum, frater, patefacias nomen, ne ex insipientia auctoris et personæ vilitate, operis nostri labor vilescat.* Hinc in codice Cheminonensis monasterii, diœcesis Catalaunensis, libris illis hic titulus apponitur: *Incipit prologus auctoris sine nomine in opus subditum De claustro animæ. Dicunt tamen operis extitisse auctorem Hugonem de Corbi, canonicum S. Laurentii atque priorem.* Verum in codice Fulcardimontis diœcesis Rothomagensis habetur libellus *domni Hugonis de Folleio ad amicum volentem nubere*, et in eodem codice post duos sermones S. Bernardi et epistolam sequitur: *Item Hugonis canonici et prioris De Folleio, de duodecim abusionibus claustri*: quod argumentum est libri secundi De claustro animæ. Ad hæc in codice olim Thuaneo, nunc Colbertino: *Incipit prologus magistri Hugonis de Folieto, pribris canonicorum S. Laurentii in pago Ambianensi, in libro De claustro corporis et animæ.* Denique in Elencho mss. Belgii *Hugo de S. Laurentio* tribus in locis auctor illorum librorum dicitur. Guillelmus quidem de Nangiaco Hugonem de Folieto, *qui librum De claustro corporis et animæ scripsit S. Petri Corbeiensis monachum* vocat: at mox subdit, alios dicere, *istum Hugonem in pago Ambianensi fuisse canonicum regularem*, quod quidem ex ejus operis contextu facile probari potest.

Præclarum est istud opus, et religiosis viris lectu maxime dignum, cujus aliquod specimen hic dare visum est. Hoc opus distinguitur in quatuor libros. Primus claustralium tentationes et religionis commoda explicat. Secundus claustri materialis ordinationem et dispositionem. Tertius animæ claustrum ordinat. Quartus claustri non manufacti, id est cœli, habitationem appetendam commendat. In primo quatuor claustralium tentationes aperiuntur, scilicet loci amœnitas, ut civitates et oppida; loci opulentia, pretiosus ornatus, et mulierum conversatio. Tum auctor commoda religionis explicat.

In secundo agens de numero recipiendorum fratrum, ait tot esse admittendos, qui ordinate vivere possint, ne vel prætextu paupertatis irregulariter vivant, vel pro multitudine cohabitantium necessitati eorum illicita quærant; ubi non probat, quod per cellas duo vel tres, vel etiam quatuor aut quinque habitent; laudatque quosdam monachos, haud dubie Cistercienses, quos *hæredes beati Benedicti* esse dicit, qui non minus quam duodecim fratres ad nova monasteria transmittunt: *ne religionis opus paucitatis negligentia corrumpatur.* De cibis ita statuit. *Fructibus arborum, et terræ nascentibus utantur: butyro, aut oleo, seu lacte, non sagimine eorum pulmenta condiantur. A carnibus abstineant, nisi aut necessitate, aut dispensatione extra conventum alicubi concedatur. Vino licet uti fratribus in conventu: sed tamen vitandum summopere nobis esse credimus (quod cum verecundia dicturi sumus), ne scilicet, quod misericorditer conceditur, ut a quibusdam fieri solet, quasi ex debito requiratur. Non enim promittimus, sed concedimus. Si autem locus aut paupertas quod concedimus negaverit; iis, quæ regio, aut possessio ministraverit, sine murmure utantur. Nemo igitur nostri propositi abhorreat abstinentiam, quæ de omnibus ciborum generibus solum carnis excludit usum; cætera vero concedit, et benigne subministrat.* Ubi de numero ferculorum agit, duo cocta singulis assignat, et tertium crudum ex terræ nascentibus ad mentem S. Benedicti in diebus jejuniorum, cæteris vero diebus in prandio duo fercula cocta; in cœna unum crudum, vel coctum pro voluntate præsidentis. Ad vestes quod attinet, sufficere ait unicuique fratrum tunicas duas, pelliceam unam, superpellicium, pelles sive pallium, cappam, femoralia, caligas, pedules, *et propter laborem scapulare*; quæ omnia de canonicis regularibus manifeste intelligit. Dein agit de duodecim abusionibus claustri, in quarum septima, quæ est de habitu pretioso: *Juxta Regulam*, inquit, *tempe S. Benedicti, quod vilius occurrerit, non quod carius fuerit emendum puto: ut sit diversitas inter*

Digitized by Google

indumentum palatii et monachi. Tum subdit : *Loquor qualiscunque canonicus de monachis. Sed quid dici debeat de quibusdam nostri ordinis canonicis, et mens, et facies vehementer erubescunt. Lectuli eorum culcitris fulciuntur plumeis, linteis, et lodicibus accurate parantur*, etc. Ex his luce clarius patet, Hugonem fuisse canonicum regularem cum hæc scribit infra : *Inter illos etiam, qui tunicis induuntur*, id est monachos, *voluptas pedem posuit : non quod camisiis utantur*, sed quondam delicato panno, qui vulgo saia dicitur. In ostensione igitur laneæ vestis asperitatem conversationis ostendunt : *sed in delectatione delicati panni, suavitatis mollitiem quærunt. Vidi et ego*, inquit, *ni fallor, monachum camisiam indutum, jocantem et dicentem : Charior est stamina, quam camisia : tunica vero vestiri magna est difficultas. Sed forsitan dices, quod infirmus fuit hujusmodi. Imo sanus et petulans, et pingui residens equo ; abundans rebus, et curias frequentans : qui tamen ante conversionis habitum pedes ire consueverat, nec semper lineis induebatur.* Cætera prætereo, ne longior sim, qui forte jam longior fuisse nonnullis reputabor.

In prologo libri tertii ait Hugo, quod ea quæ de ordinatione claustri materialis in superiori libro dixerat, non solum scripta, sed etiam pro loco, et tempore, et personis esse ordinata, et exsecutioni mandata in loco, ubi degebat; nullum recessisse, omnesque huic ordinationi consensisse, *exceptis quibusdam laicis* seu fratribus conversis, *qui adhuc*, inquit, *jugum portant, et murmurant; et tales, qui in sæculo pauperiores viverunt, quam nunc vivunt; et nunc in monasterio quærunt, quæ nec foris habere potuerunt.* Et infra : *Nullus clericorum, charissime, modo discordat, sed unusquisque pondus religionis benigne portat; et quibus prius fuit gravior, nunc est gratior. Pro hoc igitur laboro, ut cum ipsis semper quietus vivam, et cum ipsis in pace moriar, cum ipsis et sub ipsis frater conservus.* Et certe id factis præstitit Hugo, cum abbatiam Sancti Dionysii apud Remos constanter recusavit. Hæc in specimen librorum De claustro animæ sufficiant, auctore Hugone, quem non dubito in monasterio Corbeiensi educatum, et litteris informatum fuisse, priusquam ad S. Laurentii solitudinem secederet. Unde Regulam S. Benedicti passim in illis libris laudat, imo et in multis secutus est.

Alia quoque scripta composuit idem auctor : qualis est libellus *ad amicum volentem nubere*, qui *domni Hugonis de Folleio* nomine inscribitur in codice Fulcardi montis, ut jam superius observavimus. Ad hæc in codice Alnensis monasterii in Belgio, ordinis Cisterciensis, legimus aliquando librum magistri Hugonis de S. Laurentio *De medicina animæ*, cujus prologus sic incipit : *Cogis me, frater charissime*, etc. Legimus denique ibidem alium prologum *magistri Hugonis prioris S. Laurentii in libro de pastoribus et ovibus* sub hoc exordio : *Tibi frater, qui in grege*, etc. Hæc sunt quæ nobis de hoc eximio viro in evolvendis bibliothecis occurrerunt.

NOTITIA ALTERA.

(Fabric. *Biblioth. med. et infim. Lat.*, t. III, p. 294.)

—

Hugo de Folieto, canonicus regularis S. Petri Corbeiensis in Picardia, et prior S. Laurentii in agro Ambianensi, ac denique circa annum 1140 cardinalis. *Singularis vitæ et nobilitate scientiæ et eloquentiæ* laude commendatur a S. Antonino in limine tituli XVIII Summæ historialis. Scripsit librum quadruplicem *De duodecim claustri abusibus* (3), *et de claustro materiali, de claustro spirituali, de claustro animæ, et de claustro paradisi.* Vide Trithemium de S. E. cap. 374, et Illustr. Benedictin. II, 115, et qui excerpta ex hoc Hugonis libro offerunt. Vincentium Bellov. Speculi Historialis lib. XXVII, cap. 18 seq., et Antoninum tit. XVII, Summæ Hist., c. 2. Liber ipse editus inter Hugonis de S. Victore Opera, cui præter rem tributum notarunt Labbeus tomo I, de S. E. pag. 482; G. Colvenerius ad Joannis Nideri Formicarium pag. 47 seq., aliique. Præter hunc librum De claustro animæ pag. 134 a Sandero in Catalogo mss. Belgii memorantur pag. 224 tractatus *De tribus columbis*, qui pag. 93 libellus ad fratrem Rainerum, cui titulus : *Columba deargentata*, et pag. 131, *De turture et passere.* Non diversi hi sunt a libro *De avibus* ad Raynerium, qui cum picturis avium in codicibus mss. occurrit, atque Petri Damiani opusculo 52 multa debet : editus autem est inter Hugonis a S. Victore Opera cum libris tribus De proprietate ferarum et animalium, quorum primus Alano Insulensi, tertius et quartus Guilelmo Peralto a viris doctis ascribitur. Vide Oudinum tomo II, pag. 1107 seq., qui Hugoni de Folieto etiam vindicat libros duos *De nuptiis carnalibus et spiritualibus*, sive De nuptiis fugiendis, ad socium volentem nubere; nec non libellos IV *De vanitate mundi*, et libros V *De arca, et mystice et moraliter*, qui inter Opera Hugonis Victorini leguntur, et *Speculum peccatorum*, quod exstat in appendice ad tomum VI Augustini, pag. 635 editionis Amstelod. Si Albericum p. 264 Chronici, ad A. 1130, audimus, Hugo de Ordine Præmonstratensi fuit, qui scripsit *De avium natura*, moraliter et allegorice, et *De claustro animæ*, et *De medicina animæ.* Omitto quod a G. Josepho Eggs in Purpura docta, tomo I, pag. 75, Hugoni de Folieto tribuuntur *libellus de patriarchis et de disciplina, ad religiosos*, rectius fortasse ad Hugonem alium auctorem referendi.

—

De Scriptis Hugonis de Folieto vide Prolegomena nostra ad Hugonem Victorinum et inter Appendices ad Opera ejusdem, Patrologiæ tom. CLXXV, CLXXVI, CLXXVII. Edit.

(3) Duodecim illi abusus sunt : *Prælatus negligens, discipulus inobediens, juvenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus cunsidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreverentia in altari.*

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCLXXV

HENRICUS I

REGIS LUDOVICI VII FRATER

REMENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA

(*Gall. Christ.* nov., IX, 88)

Ex episcopatu Bellovacensi transiit ad sedem Remensem Henricus frater Ludovici VII regis XIX Kal. Februar. anno 1162, ex Chronico Remensi quod modo laudavimus electionem probante Alexandro III papa, qui ei pallium misit per abbatem Grandis Silvæ. Nec mora Henricus cum suffraganeis suis Catalaunensis Ecclesiæ honori pro data occasione incubuit. Agebatur de electione episcopi, cui contradicebat Henricus Campaniæ comes, atque ejus impulsu Ludovicus rex. Cum vero post multas contentiones nihil promoveretur, delata res ad Alexandrum. Scripsit primum Alexander mense Julio Remensi archiepiscopo, paratum se esse votis ejus obsequi, nisi contrariam in rege advertieret voluntatem; sed rem ad S. Lucæ festum terminandam distulisse, ut interim archiepiscopus eum emollire et ad suam sententiam suavibus verbis pertrahere posset. Deinde post aliquot dies Brivate agens, eumdem præsulem cum rege invitavit ad familiare colloquium co de negotio habendum apud Clarum Montem, ubi concilium ab Alexandro celebratum fuisse observat ex Wasseburgo Marlotus. Quid in eo concilio pro Catalaunensi Ecclesia actum fuerit, an ad illud rex et archiepiscopus accesserint, omnino nos latet. Illud unum scimus, convenisse inter utrumque, ut « si causa electionis, quæ in Ecclesia Catalaunensi celebrata erat, legitime cognosceretur in præsentia papæ, id eidem regi nec grave fore aliquatenus, nec molestum. »

Interea Octaviani antipapæ partes impense fovebant Fredericus imperator et Henricus Campaniæ comes, regemque Ludovicum ad se trahere adnitebantur. Ea de causa Fredericus colloquium indixerat apud Pontem Laonæ, vulgo *Saint-Jean de Laone*, convocatis imperii prælatis omnibus, scripseratque ad Lugdunensem et Remensem archiepiscopos litteras quas habes apud Quercetanum Hist. Franc. tom. IV, pag. 576 et 580, ut eos ad colloquium invitaret. Hos vero ubi litteras accepit Henricus, significavit statim regi fratri, ut a parata sibi decipula caveret, his verbis : « Reverendo D. et fratri suo Ludovico Dei gratia Francorum regi Henricus Remorum dictus archiepiscopus, salutem. Vehementer admiramur, et vehementius perturbamur in his quæ significata sunt nobis, comitem scilicet Henricum sacramenta firmissimasque securitates ex parte vestra, sicut dicitur, imperatori dedisse, quod illum Octavianum generaliter cum Ecclesia Gallicana in apostolicum debeatis recipere. A quo vero nobis hoc sit significatum nec habemus nec debemus vobis intimare. Sit in hoc tantæ necessitatis articulo circumspecta vestra discretio, ne per filios tenebrarum innocentia vestra tam animæ quam corporis miserabile patiatur naufragium. Vale. » Nec minus dolos imperatoris veritus Alexander, colloquio adesse constanter recusavit, scripsitque ad Henricum in hæc verba : « Præsentibus litteris prudentiam tuam sollicitamus, ut ad disturbationem illius colloquii quod cum Frederico dicto imperatore idem rex se proposuit habiturum, omnibus modis intendas, et quod nulla ratione hujusmodi propositum habeat complementum quibuscunque modis poteris efficias. »

Res tandem Alexandro pro voto successit. Aversus enim ab imperatore Ludovicus, Henrici fratris, ut credere est, et « Clarevallensium instinctu, » ut ait Albericus in chronico, consilia ejus dissipavit omnia, et legitimo pontifici deinceps constantissime adhæsit. Hæc omnia fuse enarrat chronographus Vezeliacensis, Spicil. tom. III, pag. 578. Postea sæpissime ad Henricum scripsit Alexander tam pro suis quam pro Ecclesiæ negotiis urgentibus. Exstant litteræ ejus eodem anno scriptæ de legato suo apud regem commendando, de episcopo Atrebatensi eligendo, de canonicis sæcularibus ex utroque monasterio Bononiensi S. Mariæ et S. Wlmari ejiciendis regularibusque restituendis, de Matthæo comite Bononiæ, qui monialem duxerat, de episcopo Aurelianensi, de quibusdam hæreticis. Anno 1163 Henricus confirmavit ecclesiæ S. Justi annualia quinque ecclesiarum quæ ei jam contulerat duæ ecclesiæ Bellovacensi præsideret. Sed cum eodem

Digitized by Google

anno propter valetudinem concilio Turonensi adesse nequivisset, Alexander de morbo illo multum anxius scripsit ad eum his verbis : « Novimus et plena veritate tenemus quomodo tu tanquam verus Israelita pro exaltatione ac defensione sacrosanctæ Ecclesiæ fortiter et constanter pugnasti, et te ipsum contra Damascum fortitudinis turrim opponens, causam ejusdem Ecclesiæ fideliter agere atque tractare sicut propriam studuisti. Unde nos et fratres nostri hæc omnia memoriæ nostræ tenaciter infigentes, tibi super infirmitate, qua te superni Conditoris dextera visitavit, tanquam fratri charissimo et strenuissimo Ecclesiæ propugnatori intenta mentis affectione compatimur, et plurimum in Domino condolemus. Quapropter circa incolumitatem tuam anxii admodum et solliciti existentes, tuam nobis charissimam fraternitatem apostolicæ benedictionis alloquio et nostris litteris duximus visitandam... Nos enim, si tibi beneplacitum fuerit et acceptum, aliquas majores personas de fratribus nostris ad te visitandum mittemus, et per nos ipsos in propria persona, si profuturum tibi et utile crederemus, non dubitaremus subire laborem. » Anno 1164 valetudine recepta Henricus illatam Lugdunensi archiepiscopo injuriam a Rocciensi comite, qui nuntium præsulis illius pecuniis deferentem impie spoliaverat, prosecutus est. Tum novas ab Alexandro litteras accepit de variis quæ in regis consilio agitabantur et ad res ecclesiasticas pertinebant colloquiis.

Eodem anno tumultus exorti ob recens creatas communias tantum excreverant ubique, ut sæpius ad effusionem usque sanguinis perventum esset. Regio quidem præcepto nihil justius, nihil ad publicam utilitatem accommodatius videbatur, si concessæ auctoritatis limites scabini non excessissent. At freti conditione temporis, pontificumque discordia pluribus in locis veriti non sunt ecclesiasticæ libertati violenter manum injicere, ac profanæ suæ ditioni ipsum subjicere sacerdotium. Ii vero motus apud Remos tandem efferbuere, nec semel itum ad arma quibus commota et concussa civitas, donec communia perfecte stabiliretur. Enim vero scabinis privilegii fines transgredientibus, protectionemque omnibus promiscue ac sine delectu offerentibus, iis quoque qui jurisdictioni ecclesiasticæ subdebantur, Henricus horum molitioni tam ex debito officii quam ex ministrorum qui ab his premebantur querela obnitendum censuit. Sed ut quanto studio, imo quam acriter ac severe id factum ab eo melius intelligatur, in medium adducenda sunt verba Joannis Sarisberiensis lugubrem rei publicæ statum graphice depingentis eo tempore quo hæc gesta sunt, oblatam quoque a civibus ultro satisfactionem, eorum animos pro avita libertate tuenda, totiusque rei seriem et exitum.

« Domino Joanni Pictaviensi episcopo Joannes Saresberiensis. Regnorum collisiones et terræmotus magni, et imminentium periculorum exitus, me A calamum suspendere diutius coegerunt, et commodiora scribendi tempora exspectare. Bellici namque tumultus æstate fere tota ferventes intermeandi facultatem litterarum portitoribus præcluserunt, et in Remensi urbe orta seditio sic turbavit provinciam, ut vix tutum fuerit ingredi vel egredi civitatem. Conspiraverant enim cives de clericorum consilio et auxilio militum, nitentes contra archiepiscopum, qui novas quasdam, indebitas et intolerabiles servitutes volebat imponere civitati, et ecclesiarum turres, et domos munitiores occupantes, officialibus et amicis archiepiscopi ejectis ab urbe, multas ei injurias intulerunt. Et primo quidem ei omnem humilitatem exhibuerunt, parati duo millia librarum, sicut multi testantur, conferre in ærarium B ejus, dummodo eos jure tractaret, et legibus vivere pateretur quibus civitas continue usa est a tempore S. Remigii Francorum apostoli. Adierant etiam Christianissimum regem; sed nec per eum rigorem archiepiscopi flectere potuerunt. Confugerunt itaque ad comitem Henricum, et ex ejus consilio cesserunt regi, quem archiepiscopus adduxerat, ut in brachio ejus contereret civitatem. Rex autem dolens, sed tamen fratris satisfaciens voluntati circiter quinquaginta domos dirui fecit, et recessit. Cives vero die tertia redierunt, et in ultionem dirutarum domuum funditus everterunt domos militum faventium archiepiscopo, vicedomini scilicet sui, et alterius qui in urbe gesserat præfecturam. Unde motus archiepiscopus comitis Flandriæ imploravit auxilium, eumque cum mille militibus adduxit Remis, ut cives perirent in ore gladii, aut redimendi et torquendi conjicerentur in vincula. Sed illi præsentientes adventum comitis iterato cesserunt, sic evacuantes urbem ut Flandrenses inedia confecti vix unius diei et noctis moram potuerint sustinere. Et qui archiepiscopus in recessu eorum cives ad propria redituros non dubitabat, per comitem Robertum fratrem suum ignaris Flandrensibus cum eis pacem fecit, acceptis quadringentis quinquaginta libris in recompensationem damnorum, quæ ut multiplices injurias et contumelias taceam in quadruplum excreverant, concedens ut de cætero moribus utantur antiquis. Sic itaque D damnosam et ignominiosam cum civibus faciens pacem, adhuc cum clero exercet inimicitias, et se juri offerentes exercet ecclesias. »

Hæc Sarisberiensis, quibus Marlotus animadversiones suas subjungit in hunc modum : « Exterus hic doctor, ac recens hospitio Remis exceptus breviter quidem perstringit quam acerbe tumultuatum sit sub Henrico; at non satis aperit quænam essent indebitæ illæ servitutes quas civibus imponere nitebatur, nec jura seu consuetudines quibus a tempore S. Remigii (imo ante Francorum monarchiam ut quidam volunt) usos fuisse asserit. Leges sane municipales habuisse haud abnuerim, de iis licet nusquam meminerit Flodoardus. Utrum autem eas primum abrogare tentaverit archiepiscopus, idque

Digitized by Google

locum dederit dissidio, non satis constat. Imo videtur potius in communiæ principes potissimum exarsisse, quod ex absentia sua elati nimium sibi arrogassent, gravamina suis inferendo, ut toties apud regem episcopi alii hoc tempore conquesti sunt, probatque ulterius Philippi rescriptum ad majores communiarum totius provinciæ Remensis. At Henricus novellæ communionis institutioni obviam ivisse non contentus, ut alibi factitatum, veterem vivendi modum, seu consuetudines juxta quas scabini jus dicebant, antiquare voluit, ut iis sublatis cives omnino officiariorum suorum jurisdictioni submitteret. Cum autem reluctantes animos, totamque adversum se commotam sensisset civitatem, coactus tandem est permittere ut suis ipsi uti possent legibus, interdicta tamen ut videtur scabinorum auctoritate, cum Guillelmus cardinalis Henrici successor eos restituerit anno 1182. Quod vero in clerum pariter seu canonicos exercuerit inimicitias, id accidisse puto ob privilegiorum infractionem, quibus concessa illis erat facultas excommunicandi, seu etiam absolvendi eos qui jura capituli violassent, aut clericorum bona invasissent. Verisimile est enim hujusmodi privilegiis ab Urbano II confirmatis ipsum in jucundo suo adventu suscribere noluisse, quod non minus dignitati archiepiscopali ea adversarentur, quam scabinorum ob communiam aucta jurisdictio ditioni suæ temporali, cui tam acriter obstiterat. Exstant plurimæ Alexandri III papæ epistolæ tam pro sopiendis ejusmodi querelis quam super aliis Remorum negotiis scriptæ, quas videsis apud eumdem Marlotum tom. II, pag. 393, et in amplissima Martenii nostri collectione, tom. II, pag. 665 et seqq. Cæterum tumultus illos cessasse anno 1167 probat Pagius, tom. IV, pag. 629.

Ad cætera quod spectat vitæ suæ momenta, transtulit eodem anno 1164 corpus sanctæ Rictrudis, assistente Andrea episcopo Atrebatensi; et monasterii S. Laurentii de Nemore possessiones confirmavit. Anno circiter 1165, arbiter electus est a rege una cum Henrico comite Trecensi inter comitem Nivernensem et monachos Vezeliacenses. Anno 1166, defuncto Geraldo Tornacensi episcopo, cum Gualterum ejusdem ecclesiæ decanum clerus et populus elegissent, electumque Henrico confirmandum ac consecrandum præsentassent, Noviomenses canonici, qui ecclesiam Tornacensem a sua disjungi ægre ferebant, ordinationi ejus intercedentes, Gualterum provocarunt ad sedem apostolicam. At Henricus, qui et electi meritum, et provocantium injustitiam noverat, posthabitis hisce litigiis, Gualterum nihilominus ordinavit. Quibus auditis Alexander miratus est vehementer id archiepiscopo excidisse, dureque increpitum admonuit, ordinato a se episcopo munere interdiceret, dum judicio ille suo sisteret sese et qui eum elegerant. Neque ita multo post causatus archiepiscopus, pontificis in se gratiam et dilectionem refriguisse, quod preces suas in Atrebatensis episcopi negotio noluisset admittere, litteras ab eodem accepit blanditiis et laudibus plenas, admonitus tamen ut suffraganeos suos benigne tractaret, nec de S. Petri ecclesiis, hoc est exemptis, in ejus provincia constitutis, tanquam de suis disponeret, sed sua eas sineret gaudere libertate. Eodem circiter anno Flandriæ diœceses visitans, Manichæorum hæresis quosdam sectatores reperit tanta vesania elatos, ut se sordium omnino expertes existimarent, cum revera essent fœdissimis vitiis conspurcati. Hos primum monuit archiepiscopus ad Ecclesiæ gremium redire ne altius iniquitas radices ageret. Eo autem nihil proficiente, et a censuris ejusdem quibus tandem in eos usus est ad sedem apostolicam proclamantibus, Ludovicus rex Alexandrum ne audirentur deprecatus est litteris quas legesis apud Marlotum tom. II, pag. 396.

Ex his porro quæ tanto studio fiebant a Remensi archiepiscopo summus pontifex exhilaratus alia quædam postmodum prudentiæ ejus ac sapientiæ commisit; ut scilicet de regimine scholarum Parisiensium statueret cum Willelmo Senonensi; atque ut Cameracensis electi interemptores publice accensis candelis denuntiaret. Cumque ob aliquod crimen admissum interdicto terram cujusdam Bellovacensis diœcesis subjecisset, ac Ludovicus rex pro eo solvendo ad summum pontificem rescripsisset, deprecatorias ad archiepiscopum litteras prius mittendas censuit, nihilque de interdicti relaxatione agendum, donec in curia ejus aut Bellovacensis episcopi causa debitum finem sortiretur: « Aliter enim, inquiebat, minus honestum esset ut sententiam a tanto viro canonice promulgatam, si id ei grave est, sine conscientia ejus facile solveremus. » Multum præterea sollicitudinis et curæ impendit idem archiepiscopus pro Hugone Suessionensi episcopo, regis Ludovici cancellario adversus malevolos qui præclarum hoc munus invidebant. At irritæ preces ejus fuerunt apud Alexandrum pro regulari canonico qui sæcularem cancellarii dignitatem in Ecclesia Noviomensi propensius ambiebat, ut patet ex ejusdem pontificis rescripto, quod post Vassorium typis mandari curavit Marlotus.

Anno circiter 1167 motis inter ipsum et episcopum Bellovacensem quibusdam controversiis, scripsit ad eum Alexander, ut quæ minus recte gesserat, emendaret, litteras aliquot, quarum ordo videtur nonnihil interturbatus. Vide in Regesto ejusdem summi pontificis apud Marten. collect. ampliss. tom. II, epist. 167, 169, 240, 336 et 357. Verum hæc levioris momenti videbuntur, si meritorum ejus habeatur ratio, quorum fama ad remotissimas gentes percrebuerat; id enim testantur litteræ Amalrici regis Jerosolymorum, et L.... Nazareni episcopi, quas vide ibidem pagg. 803 et 864. Anno 1168 privilegium concessit monasterio S. Theoderici; et Ellantio monasterio dedit terram quæ Foresta dicitur. Anno 1169 una cum Hugone episcopo Suessionensi dissidentes Franciæ et Angliæ reges

Digitized by Google

reconciliavit; postea vero nuptias tam filiæ Ludovici regis cum filio Frederici imperatoris, quam filiæ imperatoris cum filio regis impedivit. Anno circiter 1170 annualia canonicatuum S. Symphoriani dedit Sandionysianis Remensibus. Eodem anno, ut nimiæ severitatis notam speciali gratia erga cives expungeret, statuit nundinas instituere quæ die Paschatis inciperent, finirent vero sequenti Dominica, externis mercatoribus ad eas frequentandas delinitis spe lucri, et indulgentiarum ac solemnitatis apparatu; sed eæ postea ob festi dignitatem in alium diem translatæ sunt. Eodem rursus anno cum multum defecisset apud canonicos Remenses disciplinæ regularis vitæque communis observantia, confirmavit Samsonis decessoris sui decretum de solo pane distribuendo canonicis non residentibus; sed vita communis necdum potuit restitui. Ea de re graves ad eum litteras scripsit Alexander III; graves similiter ad canonicos quibus eos hortabatur ut quod male deseruerant suo bono resumerent, utrasque incassum.

Per id tempus atrocissimo bello petitus est Henricus a comite Trecensi propter castra et munitiones, quas contra Coterellos, prædones omnium nequissimos construxerat; resque ad summum pontificem delata est. Cum vero fruteta seu silvulæ S. Basolum inter et Vidulam prædatoribus illis præberent refugium qui viatoribus Catalauno Durocortorum proficiscentibus clam parabant insidias, nihil potius habuit archiepiscopus, quam domesticæ ubi consuluisset utilitati, homicidia, latrocinia, furta restringere seu cohibere, pacem et tranquillitatem circa urbis ambitum perfecte stabilire. Sed ne quid simile de cætero auderent, armata hominum manu (quos præsto semper habuit) turrim apud Septem Salices exstruxit per castellanum regendam, cui jura banni, justitiæ, molendinorum, ac piscaturæ ab Ascelino S. Basoli abbate accepta pro suo ac militum stipendio impertivit, ut patet ex charta ejusdem monasterii data anno 1171, quam Marlotus vulgavit. Eerdem anno Hubertum abbatem S. Theoderici investivit de media parte vicecomitatus S. Theoderici.

Obiit anno 1175, et sepultus est in ecclesia cathedrali ante majus altare. De eo Necrologium hujus ecclesiæ his verbis : « Die 13 Novembris decessit Henricus piæ recordationis archiepiscopus noster, magni Ludovici regis filius, et quiescit intus; qui castrum quod Septem-Salices nominatur episcopio acquisivit, luminari ecclesiæ cereos viginti quatuor addidit habentes singulos libras quatuor, exceptis quatuor quorum duo ante corpora sanctorum, duo super altare jugiter ardere debent, et duabus libris singuli constare. Plurima etiam ornamenta contulit, crucem ex gemmis constructam, pelvim argenteam, candelabra cum baculis, et centum libras ad emendos reditus. » Laudatur præterea quod in viros doctos ea fuerit propensione ac liberalitate, ut quos fovere posset apud se retinuerit, subsidio eis collato ad decus et ornamentum ecclesiæ suæ; inter eos vero Radulfum Remensem decanum, et Joannem Sarisberiensem, utrumque Anglum. Scripsit epistolas liberiori calamo ad cardinales Ecclesiæ Romanæ et ad Alexandrum III papam, quæ habentur tomo II Miscellan. Baluz., pag. 228 et seqq. Ad eum vero scripsit Arnulfus Lexoviensis in gratiam Philippi *de Chaumont* ejus propinquum, regii sanguinis virum, cui post multa collata beneficia gratiam substraxerat Henricus. Cæterum quamvis a Guillelmo ejus successore exordium sumant plerique scriptores eorum Remensis ecclesiæ præsulum, qui *duces ac pares Franciæ* appellati sunt, dictus est tamen Henricus *par Franciæ, dux, et archipræsul Remensis* in litteris quas audita Thomæ Cantuariensis internecione scripsit anno 1171 ad Henricum II Angliæ regem Petrus Bernardi, ordinis Grandimontensis, corrector Vincennarum. De eo lege quæ scripsit Martennius noster collect. ampliss. tom. II, præfat., pag. 36 et seqq., unde hæc magna ex parte, et plurima quæ de eodem dicimus in ecclesia Bellovacensi transcripsimus

HENRICI
REMENSIS ARCHIEPISCOPI
EPISTOLÆ.

I.

Ad Bernardum Clarævallensem abbatem, pro episcopo Aletensi.

(Anno 1147.)

[*Bibliotheca Patrum Lugd.*, t. XXI, p. 524.]

Patri suo, filius suus HENRICUS, quidquid filius patri. Non est insolentia, sed confidentia quod vobis scribo, benignissime Pater; scio quia non est meum loqui sicut vulneratus N. et dormiens in sepulcris; sed zelus, fateor, urit animam meam pro paupere isto episcopo qui, quia justitiam coluit, voluit æquitatem : plaga inimici percussus est; castigatione

Digitized by Google

crudeli, quia voluit sedere in sede sua, et episcopo episcopalia resignare, hoc est maximum et primum peccatum. En sanguis iste de manu ejus exquiritur. Si quid ergo ego possum in oculis Patris, imo quia multum possum, facite negotium ejus, sicut illi noveritis expedire, de cætero lætus et incolumis sum, et exspecto videre faciem Dei. Prope est enim dies desponsationis meæ, quo feriam pactum Domino cum Deo per manum vestram, et sub custodia vestra ut serviam ei die ac nocte et omnibus diebus vitæ meæ, amantissime Pater.

II.

Ad Sugerium abbatem S. Dionysii. — Expetitus in episcopum Bellovacensem, rogat ut alius eligatur.

(Anno 1149.)

[Exstat inter epistolas Sugerii, *Patrologiæ* tomo CLXXXVI, col. 1374.]

III.

Ad Petrum Venerabilem Cluniacensem abbatem. — Quod invitus episcopalem curam consilio Petri sibi creditam susceperit.

(Anno 1149.)

[Exstat inter epistolas Petri Venerabilis, lib. v, epist. 9 — Vide *Patrologiæ* tom. CLXXXIX, col. 399.]

IV.

Ad sanctam Hildegardem. — Precibus ipsius se commendat.

[Vide inter variorum epistolas ad sanctam Hildegardem, *Patrologiæ* tom. CXCIX.]

V.

Ad Hugonem de Compendio. — Redargutiva et attractiva.

Suo Hugoni frater Henricus salutem et sincerum amorem.

Etsi tui tu oblitus es, ego tamen non obliviscor; veraciter oblitus tui, imo et mei, cum te oblivisci sit cæcitas, me crudelitas et crudelitas infinita. Dilexi enim te ut animam meam, et tibi tam familiariter vinctus sum quantum et ego novi et tu ignorare non potes. Quid ergo male merueram de te, ut me totum de corde tuo posses auferre? Vera est nimis illa sententia, quia qui vos divites coluerunt, pauperes respicere dedignantur. Postquam enim transivi in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, et elegi abjectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum, nec nuntium tuum, nec litteras tuas, nec faciem tuam, nec aliquid a te vel audire vel videre merui. Decreveram ego silere, rem tacitus considerabam et manum superposueram ori meo. Dicebam: Non obliviscetur in finem; veniet, et non tardabit et requiret dilectum sibi et diligentem se tanto velocius quanto devotius dignum est festinare. Sed heu! actum est nihil: juxta enim prophetam, exspecto, reexspecto, remando; sed dicere possum quod sequitur: Modicum ibi, modicum ibi. Nunc ergo si quid apud amicum preces amici possunt, et si non ut videas me, veni saltem ut videam te, quia desiderio desideravi videre faciem tuam.

V *bis*

Ad Ludovicum regem. — Contra Victorem antipapam.

(Anno 1159.)

[Duchesne, *Script. rer. Franc.* IV, 576.]

Reverendo Domino et fratri suo Ludovico, Dei gratia Francorum regi, Henricus Remorum dictus archiepiscopus, salutem et fraternæ dilectionis affectum

Vehementer admiramur, et vehementius perturbamur in his quæ significata sunt nobis, comitem scilicet Henricum sacramenta firmissimasque securitates ex parte vestra, sicut dicitur, imperatori dedisse, quod illum Octovianum generaliter cum Ecclesia Gallicana in apostolicum debeatis recipere. A quo vero nobis hoc sit significatum, nec habemus, nec debemus vobis intimare. Litterarum autem super hoc ad nos directarum continentia hæc est (1): *Inter universas tumescentes tempestatum procellas, quibus jam diu navicula beati Petri quassata, et inter pressuras diversas, quibus sancta Dei Ecclesia frequenter afflicta et tribulata est, tandem verus ille Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui Ecclesiam suam velut unicam sponsam proprio charactere sui pretiosi sanguinis insignirit et redemit, consolationis gratiam, quam ascendens in cœlum fidelibus suis repromisit, inquiens: Non relinquam vos orphanos; ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, evidentibus et manifestis declarat indiciis. Ipse enim, sicut stella matutina in medio nebulæ oriens, solita pietate Ecclesiam suam in tribulatione respexit, et surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Pro illa siquidem controversia quæ inter nos et regem Francorum pro schismate Romanæ Ecclesiæ jam diu agitabatur, aspirante Spiritus sancti gratia, quæ facit habitare unanimes in domo Domini, mediantibus hinc inde legatis, tandem pari voluntate et unanimi consensu inter nos convenit. Quod videlicet cum archiepiscopis, episcopis et Patribus orthodoxis, ac viris religiosis, baronibus, et universis utriusque regni principibus, IV Kal. Septembris, in die videlicet Decollationis sancti Joannis Baptistæ, super fluvium Saonam in episcopatu Bisuntino concilium pariter generale celebraturi sumus. In quo rex Francorum, dilectus consanguineus noster, cum universis archiepiscopis suis, episcopis, et cum omnibus regni sui principibus, et tota Gallicana Ecclesia, reverendum Patrem nostrum dominum papam, sicut per sacramenta et firmissimas securitates præordinatum est, in apostolicum et universalem sanctæ Dei Ecclesiæ pontificem recipiet, et debitam*

(1) Epistola hæc est Frederici imp.

Digitized by Google

reverentiam exhibebit. Verum, quia hoc negotium tam arduum, tamque salubre, et tam necessarium, ubi de reconciliatione sanctæ Ecclesiæ, et salute totius Christianitatis in commune agitur, sine tuæ discretionis cæterorumque principum ac Christi fidelium consummari præsentia nec debet, nec potest, exoramus te, et monemus in ea fide quam debes imperio et sanctæ Dei Ecclesiæ, et animæ tuæ, quatenus, omni occasione submota, cum sapientibus et magis idoneis et litteratis personis tuæ diœcesis, apud Bisuntium die 4 ante prædictum terminum, familiariter more curiæ nobis occurras, ad concilium nobiscum processurus. Ibi enim per gratiam Dei totum negotium domini papæ Vict. ad gloriam Dei, et pacem et unitatem sanctæ Ecclesiæ, et omnimodum honorem imperii honesto fine terminabitur. Sit igitur in hoc tantæ necessitatis articulo circumspecta vestra discretio, ne per filios tenebrarum innocentia vestra tam animæ quam corporis miserabile patiatur naufragium. Valete.

VI.

Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis ad Henricum. — Pro Alexandro cava.

(Anno 1159.)

[Opp. Gretseri, t. VI, p. 592.]

Reverendo Patri et domino Henrico Remensium archiepiscopo, Eberhardus Saltzburgensis Ecclesiæ minister indignus, si quid valet peccatoris oratio cum devoto obsequio.

Quia de vestra sanctitate multorum relatione cognovimus quod inter procellas fluctuantis Ecclesiæ quasi columna immobilis persistitis, et fluctuantes animos plurimorum in unitate Catholicæ Ecclesiæ vestro firmatis exemplo, dignum duximus in rebus dubiis vestram super statu Ecclesiarum et regnorum Franciæ et Angliæ consulere sanctitatem. Nos enim gravi perurgemur sollicitudine, cum variis exagitamur rumoribus, ab illis qui partibus favent Octaviani, et papam Alexandrum, imo totam Ecclesiam in papa Alexandro contendunt exsufflare. Dicunt enim quod, refutato papa Alexandro, Ecclesia Gallicana Octavianum velit superinducere. Unde quidem non scandalizamur, scientes inimicos veritatis, operante in eis spiritu mendacii, in dolo et fallacia solummodo conversari; propter infirmos tamen scandalizatos non possumus non uri. Supplicamus igitur in Domino sanctitati vestræ, ut de re dubia certos nos faciatis, et pusillos Ecclesiæ qui in regno nostro consistunt, litterarum vestrarum auctoritate confirmare velitis. Valete et orate pro nobis.

VII.

Rescriptum Henrici ad Eberhardum. — Ejusdem argumenti.

(Anno 1159.)

[Opp. Gretseri, t. VI, p. 592.]

Eberhardo Saltzburgensis Ecclesiæ venerabili archiepiscopo Henricus Remensis Ecclesiæ dictus archiepiscopus fidei constantiam et oculum charitatis habere.

Sanctitatem vestram multa prosequimur gratiarum actione, quam in fide constantem, et Ecclesiæ columnam immobilem, unitatem spiritus in vinculo pacis servare, nullatenus dubitamus. Confidimus in Domino quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in finem, et sicut sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ fidelem adjutorem vos providit, sic honesto fidei et religionis vestræ proposito efficaciam adhibebit. Quod ergo de statu Gallicanæ Ecclesiæ erga dominum papam quæsivistis, illud sanctitati vestræ consonat, quæ boni filii consuetudinem retinens, sanctæ matri Ecclesiæ pie invigilat. Illud ergo diligentiæ vestræ certum innotescat Gallicanam Ecclesiam domino papæ Alexandro devote obsequentem, et usque ad mortem obedientem. Dominus quoque et frater noster Francorum rex ei debitæ subjectionis famulatum exhibet, priusque caput amputari asserit, quam resiliat ab eo quod juste et honeste incœpit.

VIII.

Ad Ludovicum regem. — De electione episcopi Catalaunensis.

(Anno 1163.)

[Duchesne, *Script. Franc.*, IV, 636.]

Amantissimo domino et fratri Ludovico, Dei gratia regi Francorum excellentissimo, H. Remensis dictus archiepiscopus salutem et veræ dilectionis affectum.

His qui ad vos ex parte Catalaunensis Ecclesiæ delegati fuerant, quia benigne respondistis, ex litteris vestris intelleximus. Insuper quod eis consulere voluistis, ut effectus sui negotii de nostro penderet consilio. Et si contra hæc aliquid molirentur, vos modis omnibus elaboraturum promisistis, ut eorum fieret irrita molitio. Super his omnibus vestræ plurimas gratias agimus sublimitati, cujus honori et commodo pro posse nostro parati sumus invigilare. Vestrum enim est quidquid sumus et possumus.

IX.

Ad eumdem. — Illum de invaletudine sua certiorem facit.

(Anno 1161.)

[*Ibid.*]

Reverendo domino et fratri Ludovico, Dei gratia Francorum regi piissimo, H. divina miseratione Remensis Ecclesiæ humilis minister salutem et utriusque vitæ felicitatem.

A Flaviaco regressi, cum nec dum præ nimia proprii corporis invaletudine possemus equitare, tamen in lectica devecti Parisius advimus. Quo pervenientes, adeo defessi et propulsi fuimus, quod in acutam iterum decidimus, de qua cœlestis medici visitante nos misericordia liberati convalescimus. Ideoque significamus regiæ majestati vestræ, ut quem de nobis habuistis a vobis effugato timore, nulli sinistre super hoc nuntianti credatis, procul dubio

Digitized by Google

scientes quod nil mali præter corporis debilitatem patimur. Nullum vobis nuntium voluimus dirigere, quousque liberati fuimus ab ea qua detinebamur infirmitate

IX *bis.*

Ad eumdem. — Pro comite de Roceio.

[Duchesne, *Script. Franc.*, IV, 636.]

Reverendo domino et fratri Ludovico, Dei gratia Francorum regi piissimo, Henricus, divina miseratione Remensis Ecclesiæ humilis minister, salutem et utriusque vitæ felicitatem.

Comes de Roceio Gvischardus, vester consanguineus vestram adiit præsentiam. Rogamus pro ipso et cum ipso regiæ majestatis vestræ clementiam, quatenus in justis petitionibus eum misericorditer exaudiatis, scientes ipsum in omnibus obsequi paratum voluntati vestræ, et abbati Fusniac. de querela sua satisfecisse, sicut nobis insinuavit.

X.

Ad suos suffraganeos. — De gravaminibus sibi ab Henrico comite illatis.

(Ante annum 1167.)

[Marten., *Ampl. Collect.*, II, 866.]

Henricus dictus Remensis archiepiscopus venerabilibus fratribus et coepiscopis suffraganeis suis, salutem et apostolicam benedictionem.

Juxta verbum Sapientis: *Frater adjuvans fratrem confortabitur, sicut civitas munita et fortis*, et in executione justitiæ non debent esse discordes, quos in loco judicii provexit æterna justitia. Dignior est enim generatio quam Spiritus sanctus operatur in filiis gratiæ, quam quæ in cordibus filiorum hominum revelatur carnis et sanguinis atramento : inde est quod vestræ fraternitati insinuare dignum duximus, quantam malitiam comes H. exercuerit, et adhuc exercere non desistat, et in personam nostram et in ecclesias nobis commissas. Cum enim homo noster ligius esset, salva fidelitate Domini regis, neque nos diffiduciasset, quosdam milites homines nostros, qui nobis guerram inferebant in terra feodi nostri, contra voluntatem nostram sustinuit et recepit : ita ut illuc prædas nostras et ecclesiarum nobis commissarum, secum abducerent. Fecimus eum adrationari et admoneri per proprios nuntios, ut nobis nostra reddi faceret; ipse vero nec nostra reddi fecit nec malefactores nostros de feodo nostro ejecit : imo subterfugium quærens, sicut postea patuit, appellari nos fecit ad audientiam domini papæ. Sustinuimus, licet aliud de jure nobis facere liceret, quia raptores non habent vocem appellandi. Postmodum vero nec sic aversus est furor ejus, sed adhuc manus extenta. Milites enim ejus et coterelli (2) intrantes terram nostram et ecclesiarum nobis commissarum, tanta crudelitate grassati sunt in homines nostros, alios interficientes, alios vinculis ad carcerem trahentes, ut in una ecclesia xxxvi homines incenderent, et nulli parcentes sexui, prædati sunt et destruxerunt omnem fere circa regionem. Misimus ad eum nuntium nostrum, ut nostra nobis et ecclesiis sua reddi faceret, sed cum eo loqui non potuit. Unde et nos præsentibus clericis nostris tulimus in eum sententiam excommunicationis; sed in ecclesia non promulgavimus tunc temporis. Misit autem postea qui treugas inter nos acciperent, et nos dedimus, in eo tamen statu quo res erat, quia excommunicatus erat a nobis, licet in ecclesia non promulgassemus, et ea conditione, quod nostra nobis interim reddi faceret. Dies treugarum præterierunt, et nostra nobis non sunt reddita, sed neque ecclesiis sua. Unde et nos excommunicationis sententiam candela exstincta in eum promulgavimus. Misit vero post latam sententiam qui appellarent iterum ad audientiam domini papæ. Quia ergo tam injuriose egit erga nos et ecclesias nostras, mandavimus vestræ fraternitati, et mandando præcepimus, quatenus in episcopatibus vestris per omnes ecclesias denuntiare faciatis eum excommunicatum nostrum, et excommunicari singulis dominicis per singulas ecclesias, et omnes qui ei præstiterunt auxilium ad damnum nostrum et ecclesiarum nostrarum.

XI.

Ad Laudunensem episcopum. — Causatur quod ipsius judicio et mandatis non obediverit.

(Circa annum 1167.)

[*Ibid.*, col. 776.]

Henricus Remensis archiepiscopus G. episcopo Laudunensi.

Miramur supra modum quod in litteris vestris ad nos directis usurpatis vobis de appellatione ad nos facta judicium. Vos autem etsi frater noster estis, sed non judex nec dominus; et cum appellatur ad majorem audientiam, minores non habent in causis procedere, imo magis supersedere et majoribus deferre. In hoc autem minus detulistis nobis, quod præceperimus presbyterum de Revetra semel, secundo ac tertio summoneri : non summonuistis eum, nec summoneri fecistis, et irritum duxistis, quod toties vobis mandavimus, licet dissimuletis aut contemnatis, nescimus quo oculo, facere quod mandamus, nobis tamen incumbit officium nostrum peragere, et contemptores debita pœna cohibere. Inde est quod in prædictum presbyterum tulimus sententiam, quam ratam habemus et habebimus. Alioquin sedes metropolitana, si justitiæ lineas non observaret, materia esset laboris et causa dispendii, quæ et officio dignitatis debet esse refugium oppressorum et sedes judicii. Super hoc autem quod non submonuistis præfatum presbyterum, cum vobis tertio mandassemus, diem vobis satisfactionis nominamus

(2) Coterelli esse videntur, cotta seu clamide militari induti. In epistola Frederici imp. coterelli iidem sunt qui Brabantiones. Brabantiones autem erant prædones. Vide Cangium in verbo *Brabantiones.*

Digitized by Google

in curia nostra, fraternitas vestra ante Ascensionem Domini, ad quam si venire propter infirmitatem non potestis, personam ad hoc sufficientem mittatis.

XII

Ad Ludovicum regem. — De colloquio apud Belisiacum habendo (3).

(Anno 1167.)

[Duchesne, *Script. Franc.*, IV, 635.]

Reverendo domino et fratri Ludovico, Dei gratia Francorum regi gloriosissimo, H. divina miseratione Remorum archiepiscopus salutem et utriusque vitæ felicitatem.

Insinuatum est nobis quod apud Bestisiacum in instanti colloquium habiturus estis. Quia vero nuperrime nuntios comitis Flandriæ in reditu nostro Suessionis habuimus, quærentes nobis loqui de quibusdam negotiis familiaribus, rogavimus sublimitatem vestram quatenus utrum loco prænominato colloquium habiturus sitis, vel ubi vobiscum cum præfatis loqui possimus nuntiis, nobis quantocius significare dignemini.

XIII

Ad episcopos et cardinales Romanæ Ecclesiæ. — Pro Drogone cancellario Noviomensi.

(Anno 1168.)

[Marten., *Ampl. Collect.*, II, 788.]

Reverendis in Christo Patribus episcopis et cardinalibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ filiis, Henricus Remorum dictus archiepiscopus, salutem et reverentiam.

Non sine admiratione multa et animi concussione recenseo, quod apud vos nec gratiam meretur obsequium, nec amor vicissitudinem, nec humilitas adjumentum. Si vos in summo rerum cardine divina miseratio collocavit, non sibi contraria, sed voluntati suæ similia quærit a suis professoribus exerceri. Ipse qui dicit : *Ego diligentes me diligo*, a servo suo dictum recipit. *Tu autem, Domine Sabaoth, omnia cum tranquillitate judicas et cum magna reverentia disponis nos.* Si vestræ condescendit abjectioni divina dignatio, si dilectionis, tranquillitatis et reverentiæ munus æterna majestas exhibet hominum servituti, quid homo debet referre homini, qui non utique servus, sed conservus est sub imperio conditoris? adorari se prohibet angelus ab apostolo, nec attendit conditionem carnis, sed sui ipsius dominantis arbitrium, nec honorem suscipiens apostolus tumescit, nec erubescit angelus hominem revereri, qui genus humanum noverat Domini sui sanguine reparatum. Locum ejus tenetis, vices agere debetis, et figuram similitudinis imitari, si vobis non necessitatis articulo, sed divinæ vocis imperio subservimus, non debemus gratiam promereri : at cultoribus suis refert Dominus gratiam pro gratia, et dilectores suos multiplici suffragio consolatur. Nos pro servitio reportamus offensam, pro beneficiis jurgia, dissensiones pro pace, pro dilectione molestiam. Quod fovemus opprimitis, quod adversamur assumitis, et sic in vacuum cedit nostra devotio, quam vobis constanter tempore necessitatis exhibuimus, non verbo neque lingua, sed opere et veritate dat omnibus affluenter divina bonitas, et nulli improperat, nec nos obsequia nostra vobis ad improperium replicamus, sed de fructu operum nostrorum volumus justa vicissitudine satiari. Sat est dictum sapientibus. Quidquid enorme est complanat secuta correctio. Agite igitur quod debetis et si quid sumus in oculis vestris, si quid possumus apud vos, si quid de vobis bene meruimus, sentiat vestræ dilectionis efficaciam dilectus et familiaris noster Drogo Noviomensis cancellarius, quem dominus papa, sicut placuit, non sicut credimus ut decuit, duro sententiæ suæ destituere videtur elogio, cujus molestia nos immerito tangit et angit erubescentia, quam sine præjacenti culpa creditur sustinere.

XIV.

Ad Alexandrum III papam. — Ejusdem argumenti.

(Anno 1168.)

[Vide inter variorum ad Alexandrum epistolas, post ipsius Regesta.]

XV.

Ad eumdem. — In causa S. Thomæ Cantuariensis.

(Anno 1169.)

[Vide ubi supra.]

XVI.

Ad Ludovicum regem. — Pro Hugone de Campo Florido, episcopo Suessionensi, regis cancellario.

(Anno 1171.)

[Duchesne, *Script. Franc.*, IV, 569.]

Amantissimo domino et fratri Ludovico, Dei gratia regi Francorum excellentissimo, Henricus Remensis dictus archiepiscopus salutem, et veræ dilectionis affectum.

Relatum est nobis quod ex quo a vobis discessimus, intervenerunt quidam qui dominum Suessionensem cancellarium vestrum, infidelem vobis intimaverunt, a gratia vestra eum recedere facientes. Quia vero vos et dominum et fratrem et amicum habemus charissimum, honorique et commodo vestro pro posse nostro providere debemus, omnibus modis sublimitati vestræ supplicamus, quatenus super his nulli ullatenus acquiescatis. Siquidem memoratum cancellarium vobis fidelissimum et credimus, et scimus. Cæterum, homo vester est, neque quod suum est ab eo ullatenus evellere possetis, quin in vos culpa redundaret, atque super hoc culpabilis haberemini. Super hoc negotio sollicitus sum : timeo enim ne si ab eo recesseritis, Dei et populi offensam incurratis. Rogo, supplico, consulo, ne ab eo uspiam recedatis, atque a fidelibus in infideles manus vos ipsum et vestra ponatis.

—

(3) De hoc colloquio vide infra Hugonis a Campo-Florido epistolam ad Ludovicum regem. Edit.

Digitized by Google

XVII.

Ad Ervisium S. Victoris Parisiensis abbatem. — Ut superiorem epistolam ad regem dirigat.

(Anno eod.)

[DUCHESNE, *Script. Franc.*, IV, p. 570.]

HENRICUS Remensis dictus archiepiscopus charissimo suo H. venerabili Sancti Victoris abbati, salutem et dilectionem in Domino.

Relatum est nobis quod quidam intervenientes post recessum nostrum a Parisius, dominum Suessionensem charissimum nostrum a gratia domini regis recedere fecerunt. Scripsimus domino regi super hoc negotio, supplicantes, consulentes, quatenus super hoc nulli acquiescat. Vestræ quoque dilectioni scribimus ut litteras quas illi destinamus, ipsi ex parte nostra dirigatis, et earum fidus sitis interpres. Cæterum, si in gratiam domini regis rediit dominus Suessionensis, sigillumque suum ei reddidit, litteras nostras ei non præsentes.

XVIII.

Ad Hugonem de Campo Florido, regis cancellarium. — Quod pro eo ad regem scripserit.

(Anno eod.)

[*Ibid.*, p. 575.]

HENRICUS Remensis dictus archiepiscopus, venerabili fratri HUGONI Dei gratia Suessionensi episcopo salutem et dilectionem in Domino.

Scripsimus domino regi super negotio vestro, rogantes et omnimodo consulentes, quatenus gratiam suam nullatenus a vobis subtrahat, nullique super hoc acquiescat. Videatis ergo ne moveamini, vel adversis aliquibus turbemini. Parati sumus ad honorem et commodum vestrum vigilanter eniti. Mittimus abbati Sancti Victoris, ut nostras litteras domino regi præsentet, quia fidum credimus interpretem fore.

XIX.

Ad Alexandrum III papam. — Queritur de quodam Roberto de Aria in Ecclesium Cameracensem intruso.

(Anno 1774.)

[Vide inter variorum ad Alexandrum epistolas, post ipsius Regesta.]

XX.

Epistola Nicolai Clarævallensis, S. Bernardi notarii, ad Henricum fratrem regis, Clarævall. monachum, qui recesserat pro infirmitate, deplorativa.

Speciali fratri et domino HENRICO, frater NICOLAUS, utriusque hominis salutem.

Post discessum tuum discessit a me gaudium meum, et ad meipsum turbata est anima mea, nec mirum, quia dimidium animæ meæ, me relinquebat, et melior pars mei recedebat a me ante faciem meam. Cum enim ascenderes equum, et rusticalibus ornamentis ille tantæ nobilitatis sanguis insigniretur, cœpi mirabiliter admirari et turbari vehementius. Utrique autem rei mihi materia largior abundabat, nec certum erat vel esse poterat, cui parti magis inclinare deberem. Admirabar siquidem mutationem dexteræ Excelsi, quod tu, qui paulo ante flammeus cocco, rutilus auro, lucidus serico; quem equus, imo equi radiantibus gemmis onusti præcedebant et subsequebantur, ita in sacrarium disciplinæ istius decessisses, ut posses esse exemplo his etiam quos habuimus in exemplo. Turbabar autem eo quod abrumpebantur a me viscera mea, quod vel ad horam corporalem visionem tui mihi vel spatia locorum, vel intervalla temporum abjungebant; sed mea voluntas cum Domini voluntate concordat. Nunquam fuisset infirmitas illa (4) pro qua te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum et speculum universitatis nostræ, minime quidem deserit vel deseret me dulcis tui memoria, sed quanto memoria dulcior, tanto absentia molestior. Verum est nimis quod philosophus ait: quia conspectus et conversatio habent aliquid vivæ voluptatis, quam absentes habere non possunt. Sic enim hac peregrinatione tua et affectus sum et confectus, ut nec legere nec orare libeat, nec scribere nec dictare delectet. Hinc est quod præsens epistola lento et macilento stylo decurrit, nec ordine, nec pulchritudine vernantis eloquii deaurata, et licet in causa sit insipientia mea, plurimum tamen addit insipientiæ meæ recordatio tua. Dum enim cogito et quid et quomodo scribam, memoria tua, de recenti facta recentior, inter sensum meditantis et stylum scribentis obequitat, reliditque flammas sensuum, ut undas verborum. Cumque repugnare et recolligere studeam, tale est ac si festucis cum sagittis dimicem. Sensus enim doloris altior est, et cum me totis viribus afficit, defecit spiritus meus, nec sufficit manus ad tenendum stylum. Quomodo autem hoc acciderit, nolo lateat dominum meum, fratrem meum, amicum meum, amicum, non præsumptione mea, sed sua dignatione. Regressus a te, ingressus sum scriptorium tuum solus, et vere solus, cum te solum non adesse contingeret. Ibi recruduit soporatus dolor, et mihi soli relictus totam mentem in cogitationum profunda laxavit. Cogitabam illam animi tui libertatem erga me, et singularitatem familiaritatis qua me complexus eras, non sicut unum de cæteris, sed præ cæteris unum, et dicebam mihi. Quis est ille, et qui sum ego? Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparationem, cum ille dignior, ego vilior esse non possum. Quid ergo est quod tantus tantillum tanta dilectione diligere non dedignatur? Quid in me complacuit nobilitati tuæ? Aliquid profecto vidi, sed ego istud aliquid videre non possum. Scio enim ægrotantis animæ meæ fragilitatem, nec falsæ gloriæ pondere premor, sciens quia non est regnum in sermone, sed in virtute (*I Cor.* IV), et illum esse beatum, cui pulchro sermone vita sit pulchrior.

(4) *Imitatus est locum cap.* X *Tobiæ:* Hei mihi, fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ.

Digitized by Google

Hæc ideo dixi, quia ubicunque es, ingentes præ- A ætatis, si laudatur qui post aurum non abiit (*ibid.*); coniorum titulos meis moribus, meis sensibus applicas, et occasione nacta vel facta extollis hominem et hominem non extollendum. Indignissimus omnium mortalium quod habeo dicere, facere detrecto; et ad mea verba damnabilis, meam in me quotidie dicto sententiam. Credis quidem amice propter quod loqueris; sed meminisse debes illud philosophicum, quia: « Sicut vera laus ornat, ita falsa castigat. » Sed si bene animum tuum metior, hoc et tu arte fecisti, quod mihi despicatissimo vermi, vermiculatum amicitiæ splendorem tota familiaritate largiris. Sic enim illa tua sublimis sublimitas humilior apparet, cum omnium humillimo condescendit, et lucidiori positione refulsit. Tu laudandus esses, nisi, dum me laudare non parum studes, laudari plurimum te B vetares, quem et nobilitas singularis, et humilitas specialis, societas liberalis et dulcissima moralitas devinciunt, et quamvis Scriptura dicat: *Ne laudes hominem in vita sua* (5), salvabo tamen Scripturæ textum et laudabo Henricum meum, meum, inquam, et specialiter meum in visceribus Jesu Christi. *Ne laudes*, inquit, *hominem in vita sua.* Nunquid laudari potes in vita tua, qui non tibi, sed Christo vivis: cui *vivere Christus est, et mori lucrum?* (*Philipp.* I) nunquid non, et tu dicere habes: *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus?* (*Gal.* II) et: *Quod vivo in carne, in fide vivo filii Dei, qui tradidit semetipsum pro me?* (*ibid.*) non igitur vivis in vita tua, sed in Christi vita, qui mortuus es peccato, C vivis autem Deo (*Rom.* VI). Laudatur Job, quod sua patienter amisit, et non laudabitur Henricus, quod sua patenter dimisit et liberaliter distribuit? De hoc profecto verius consequitur quod sequitur: *Quis est hic et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua* (*Eccli.* XXXI). Vere mirabilia, quia regnum postposuit, fratrem et regem fratrem deseruit (6): matrem reliquit, et hoc in ipso flore prosperitatis et nihilne plus merebitur, qui abjecit et sic abjecit? sed quo vado? claudenda est epistola, quia longius quam speravi vagatus sum, dum me tecum arbitror conferre sermonem. Intolerabiles enim essent amicorum absentiæ, si non intervenirent remedia litterarum.

Tu ergo, dilecte mi, non solum patienter, sed et libenter sustine manum Domini, ut cum Apostolo tibi complaceas in infirmitatibus tuis (*II Cor.* XII), hoc profecto teneas, qui pius Pater flagellum in beneficium commutabit, sic conflatus est omnis ille sanctorum chorus, quorum voces citharœdus puer sic exprimit: *Quoniam ego in flagella paratus sum* (*Psal.* XXXVI). O hominem secundum cor Dei, qui de corde Dei dictat sententiam non solum patiens ad flagella, sed et in flagella paratus, sciens quia *virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII). Interim tu mihi eris exspectatione dulcis, adventu dulcior, aspectu dulcissimus, quia et si loco absum affectu habes tecum animam meam et animam tuam, dominum Remacensem, qui te diligit singulariter, me specialiter, quem nos in toto, et de toto ordine, et si non unum, tamen unicum super cæteros et præ cæteris amicum habemus, habes et tecum Girardum de Perona per omnia diligendum, qui in hujus trinitatem amicitiæ veniens, non quaternitatem addidit, sed claudit unitatem. Novit Dominus quia extrema verba cum lacrymis scribo. Revertere, revertere, dilecte mi; revertere, ut intueamur te. Revertere propter dolorem meum, revertere propter honorem tuum, revertere propter Andream et propter conventum nostrum, qui te exspectat sicut angelum Dei. Cum autem veneris, adduc dominum Remacensem tecum, ut festivum diem habeamus et abundantius gaudeamus in illo qui super omnia est Deus benedictus in sæcula.

—

(5) Eccli. XI, 29, ubi Vulg.: *Ante mortem ne laudes hominem quemquam.*; et juxta Græc. vers.: *Ante mortem ne dicas beatum alicuem.*

(6) Adelam, seu ut alii scribunt, *Elisam*, Huberti comitis filiam.

HENRICI I DIPLOMATA.

I.

Acta Henrici Remorum archiepiscopi pro S. Justi ecclesia.

(Anno 1163.)

LOUVET, *Antiquités de la ville de Beauvais*, ed. 1631, II, 267.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Amen. Ego HENRICUS Dei miseratione Remorum archiepiscopus universis Ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, salutem in perpetuum.

Quoniam nostri regiminis cura exigit ecclesiarum patrimonia et fidelium eleemosynas ad Dei honorem et Ecclesiæ ipsius utilitatem adversus malignantis sæculi indesinenter emergentes defensare calumnias, capropter ecclesiæ S. Justi nostræ quondam alumnæ et filiis nostris dilectissimis in eadem Deo tyrocinantibus confirmare curavimus, quædam beneficia sibi quondam a nobis collata, dum ecclesiæ Belvacensi præsideremus, domum scilicet de Morangulo cum universis appendiciis et annualia quin-

Digitized by Google

que ecclesiarum Belvacensium videlicet S. Mariæ, A Sancti Michaelis, S. Bartholomæi, S. Laurentii, Sanctique Vedasti quoquo modo mutatio fiet. Quod ut in perpetuum ratum et inconvulsum permaneat præsentis et sigilli nostri auctoritate et testium subscriptione muniri præcipimus.

Actum, anno Verbi incarnati 1163, indictione XI, regnante Ludovico rege Francorum, anno regni ejus XXXIII, archiepiscopatus nostri secundo.

II.

Charta de nundinis in gratiam leprosorum Remis institutis, a die Paschatis incipientibus.

(Anno 1170.)

[*Actes de la province ecclésiastique de Reims*, II, 303.]

HENRICUS, Dei gratia Remensis archiepiscopus, universis Dei fidelibus, tam præsentibus quam futuris, in perpetuum.

Quoniam cum e lapsu temporum labitur et memoria rerum gestarum, ea quæ ad posterorum memoriam volumus transmitti, litterarum apicibus facimus fideliter annotari. Sciant igitur et præsentes et futuri quod, infirmis Remensibus paterna sollicitudine providentes, et paterna compassione condescendentes concessimus gratia emolumenti ipsorum, ut nundinæ celebrentur per octo dies, id est a die Paschæ usque ad vesperam sequentis Dominicæ singulis annis, juxta domum ipsorum extra civitatem Remensem; ita quod omnia emolumenta, quæ de nundinis illis proveniant, cedent in jus et proprietatem ipsorum et successorum eorum, libere et quiete, excepto sesterlagio (7), banno (8), forisfactis, viatoria (9) et sanguine. Verumtamen ne reditus archiepiscopales imminuisse videamur, ob hoc quod mercatum agebatur Remis, infra præscriptum terminum centum solidos Remensis monetæ pro teloneo et thoagio (10), et decem pro cambitoribus nostris solvent, et successoribus nostris singulis annis, in termino earumdem nundinarum; eo pacto quod mercatum non celebrabitur Remis infra præscriptum terminum, nisi in illo loco nundinarum. Quod ut ratum permaneat, et a nullo hominum possit infringi, sub assignatis testibus sigilli nostri impressione fecimus corroborari.

Signum Philippi et Bosonis archidiaconorum.

S. Drogonis præpositi.

S. Fulconis decani, Gregorii cantoris, Thomæ Laurentii presbyterorum.

Sigillum abbatis Sancti Dionysii.

S. Petri abbatis Sancti Martini Sparnacensis.

S. Raynoldi cantoris Compediensis, et canonici Remensis.

Actum Remis, anno incarnati Verbi 1170, regnante Ludovico Francorum rege fratre nostro anno XL, archiepiscopatus nostri X.

III.

Sansonis prædecessoris sui statutum de canonicis non mansionariis confirmat.

(Anno 1170.)

[*Ibid.*, p. 307.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, HENRICUS Dei gratia Remorum archiepiscopus, tam præsentibus quam futuris in perpetuum.

Dominus Sanson bonæ memoriæ prædecessor noster, Dei miseratione, zelo domus Dei succensus, B volens canonicos hujus sanctæ matris ecclesiæ conversari in divino cultu et Dei laudibus, decrevit et instituit commui totius capituli assensu, ut quicunque post Hugonem Aurelianensem archidiaconum promoveret in canonicum Remensem, tantummodo panem canonicum haberet, si non esset mansionarius in civitate. Ego siquidem Henricus, eadem gratia Remensis archiepiscopus, nihilominus volens multitudinem esse in unitate servitii, hoc idem sicut ille instituit, in perpetuum observandum necessarium duximus, universitate fratrum assentiente, facere et confirmare, et sigilli nostri impressione corroborare. Percepti autem fructus de præbendis fratrum absentium canonicis qui matutinis interC fuerint distribuentur.

Signum Philippi et Bosonis archidiaconorum.

S. Fulconis decani.

S. Gregorii cantoris.

S. Gregorii, Gualterii, Laurentii et Thomæ presbyterorum.

S. Rogeri, Stephani, Nicholai, Stephani, Herluini, Letholdi, Rodulfi et Johannis diaconorum.

S. Hilduini vicedomini.

S. Henrici thesaurarii.

S. Rodulfi, Erlaudi, Nicholai, Zachariæ, Milonis, Gervasii, Rogeri, Albrici, Gervasii, Eleni, Hugonis, Fulconis, Leonis, Guidonis, et Rainoldi subdiaconorum.

D Actum Remis, anno Incarnationis Dominicæ 1170, regnante Ludovico Francorum rege gloriosissimo, anno XL, archiepiscopatus autem nostri IX.

Joannes cancellarius recognovit, scripsit et subscripsit (11).

---

(7) *Sesterlagio*, droit de mesurage.

(8) *Banno*, amendes.

(9) *Viatoria*, voirie.

(10) *Thoagio* pour *taulagio*, tonlieu, droit de place à la foire.

(11) Nous ne pensons pas que cette pièce ait encore été publiée; M. Varin l'a seulement indiquée dans les *Archives adm. de la ville de Reims*. Nous l'avons prise sur l'original qui se trouve à la bibliothèque de Reims, dans les archives du chapitre, lay. 10, liasse 18, n° 1. Elle est accompagnée de trois bulles: la première d'Alexandre III, confirmative du décret de Sanson; la seconde, du même pontife, confirmant le statut de Henri; la troisième d'Innocent IV, qui veut que ce statut soit exécuté, et que les chanoines opposants soient contraints de s'y soumettre.

Digitized by Google

IV.

Charta de Sampigniaco empto ab archiepiscopo Remensi.

(Anno 1171.)

[Varin, *Archives de la ville de Reims*, I, 1, 362. — Cart. G. du Chapitre, fol. 23.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Ego Henricus, Dei gratia Remorum dictus archiepiscopus, omnibus tam futuris quam præsentibus, in perpetuum.

Cum ex administratione pastoralis officii teneamur subditorum nostrorum quieti providere et paci, præsertim quia utrumque gladium nos exercere oportet, pro loco et tempore, in eos qui pacem oderunt et justitiæ adversantur; propensiori consideratione nobis attendendum est, ut materialis gladius B cum opportunum fuerit, ita spirituale comitetur, ne qui unum effugerit, alterum se effugisse glorietur: sane mundus in maligno positus est, adeo ut filii nequam, licet alterum vel utrumque gladium præsentiant suis cervicibus imminere, vix tamen a consuetudine excessibus continere vereantur. Huc accedit quod, misericordia moti super oppressione pauperum, munitionem de Sampegniaco, auxilio Dei et amicorum nostrorum freti consilio, destruximus, quæ quasi nidus et receptaculum erat raptorum qui patriam perturbabant, latrocinia exercentes, homicidia perpetrantes, villas ecclesiarum nobis commissarum supra modum gravantes, et indebitas consuetudines ab itinerantibus per viam publicam quæ ducit Cathalaunum a nostra Remensi C civitate, aliquando interminatione mortis, aliquando inflictione vulnerum, extorquentes; ita ut neque in viros ecclesiasticos manus suas injicere formidarent. Sequenti vero anno postquam munitionem illam destruxeramus, Boso miles qui erat dominus et possessor Sampigniaci, vendidit nobis pro trecentis libris villam Sampegniaci et quidquid habebat in territorio ejusdem villæ in feodis, vel in dominio suo, terram A arabilem, pascua, prata, aquas, piscationes, molendina, et omnia quæ in prædicta villa vel in territorio villæ habebat, ita ut, qui ibidem aliquid in feodo ab eo tenebant, a nobis et a successoribus nostris tenebunt, et hominium inde nobis facient. Hanc ejusdem Bosonis venditionem concessit mater ejus comitissa et uxor ejus Helisendis, filius quoque ipsius Bosonis Hugo, et filiæ et fratres ejusdem Bosonis, Wido, Olricus, Oliverus, Witerus, et sorores ejusdem Bosonis Ada et Helvidis, et Ferricus maritus Adæ et filii Helvidis Olriccus, Colinus et Hersendis, præsentibus istis: Galeranno clerico nostro, canonico nostro Remensi, Hugone de Silleri, Petro de Avenai, Radulfo de Porta-Martis, Gerardo de Posterna, Odone de Curmusi militibus et servientibus nostris; Ferrico, Fulcone de Thesauro, Petro de Turribus super Maternam, Rainero, Buiron, Radulfo, Aquillon. Hoc etiam concesserunt apud Septem Salices, Wermundus de Castellione, Witerus de Sarnai præsentibus istis: Johanne cancellario, prædicto Galeranno, Rabone, Balduino militibus; Herlebando, Radulfo, servientibus nostris. Hoc etiam concessit et resignavit in manu nostra apud Malliacum, Wermundus de Wiron, a quo prædictus Boson Sampegniacum tenebat (12); et dominium illud quod ibidem habebat nobis libere reddidit possidendum, præsentibus istis: jam dicto Johanne et prædicto Galeranno, Mattheo Rufo, Petro de Avenai, Gosleno de Septem Montibus. Postmodum vero prædictus Boso ad nos veniens Remis, præsentibus nobis et quibusdam personis nostris, quarum subscripta sunt nomina, venditionem illam recognovit, laudavit et concessit; et pro præfata villa et prædictis appendiciis ejus, trecentas a nobis libras recepit per manum cujusdam de Templo (13), Daniberti nomine. Hæc autem sunt eorum nomina qui interfuerunt: Petrus abbas S. Remigii, Boso archidiaconus Remensis, Drogo præpositus, Fulco decanus, Laurentius presbyter, Rogerus de Porta-Carceris et magi-

(12) Le complément de toutes ces ratifications se trouve cart. G. du chapitre, fol. 24, verso dans la charte suivante:

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Guido Dei gratia Catalaunensis episcopus, ad posterorum notitiam præsentiarum litterarum apicibus transmittere curavi, quod venerabilis dominus Henricus Remorum archiepiscopus comparavit a Bosone milite qui possessor et dominus erat Sampegniaci, et omnia quæ ibidem in dominio ejusdem villæ possidebat, assensu Guermundi militis de Orron, de cujus feodo prædicta descendebant. Nos etiam, quia prædictus Guermundus ea a nobis tenebat, et de feodo nostro erant, concessimus, laudavimus et ratam habemus comparationem illam, et eidem domino archiepiscopo feodum nostrum, in tota illa possessione, quemadmodum eam ex integro comparavit, assensu personarum et totius capituli Ecclesiæ nostræ resignavimus. Hoc igitur in perpetuum ratum, etc..... S. Guidonis, S. Balduini, S. magistri Roberti, S. Guidonis de Roceio archidiaconorum, S. Bovonis decani, S. Jacobi thesaurarii, S. Rainaldi cantoris, S. Petri Seneschalci, S. Olrici, S. Roberti, S. Rinardi presbyterorum, S. Rogeri, S. magistri Jacobi diaconorum, S. Rogeri de Roseto, S. Hugonis de Vitriaco subdiaconorum.

Actum Catalaunensi, anno 1173. Girardus cancellarius scripsit et subscripsit. »

(13) L'église que Saint Remi avait fait bâtir dans la cité en l'honneur de S. Martin, et qui fut dite depuis de la Trinité, fut rétablie dans le XI^e siècle D par Constant doyen de l'église de Reims, qui y fonda quatre prébendes (voyez Marl., I, 143; Gallia Christ. IX, 12 et 171), auxquelles son neveu et son successeur au doyenné en ajouta six autres. Le chapitre de l'église de Reims donna en 1170 cette église et ces prébendes aux chevaliers [du Temple]..... C'est aujourd'hui (1759) la commanderie servante de Malthe la mieux rentée. (Bidet, *Mém.*, II, p. 172). «..... Environ l'an 1170, l'archevêque nommé Henri bailla la dite Eglise et tout le revenu desdites prébendes aux frères Templiers, à la charge d'y continuer le service fondé (par Constant). Environ l'an 1309..... la maison (du Temple à Reims) et toutes ses dépendances fut baillée aux frères Hospitaliers.. ..... et la dite maison a été toujours depuis tenue par les commandeurs et religieux ordonnés de l'ordre de Saint-Jean de Jérusalem. » (Bibliot. Roy., Mn. supp. franc, 1515, Rogier, tom. II, fol. 332).

Digitized by Google

ster Radulfus diaconus; Milo Rainaldus subdiaconus. De militibus vero, Simon Peslupi, qui et ipse concessit, cum de parentela erat præfati Bosonis, Petrus de Avenai, Goslenus de Septem montibus, Wilardus; de Burgensibus autem Richerus mordens carnem, Galterus de Manso, Simon aurifaber.

Nos itaque tam villam de Sampegniaco quam omnia appendentia ejus quæ, ut prælibatum est, A comparavimus, et munitionem quam construi fecimus apud Septem Salices, assignamus et concedimus successoribus nostris archiepiscopis Remensibus, post decessum nostrum perpetuo possidenda. Si quis autem, etc., etc.

Actum anno Incarnati Verbi 1171, regnante domino et fratre nostro Ludovico anno XL, archiepiscopatus nostri X.

ANNO DOMINI MCLXXV.

HUGO DE CAMPO FLORIDO

SUESSIONENSIS EPISCOPUS

LUDOVICI VII REGIS CANCELLARIUS.

NOTITIA

(*Gall. Christ nov.*, t. IX, col. 361.)

In synodo Parisiensi anno 1147 adversus Gilbertum Porretanum duo producti sunt magistri, quorum alter Hugo de Campo florido. Tunc temporis circiter altare in diœcesi Atrebatensi ex dono Alvisi episcopi habuisse videtur. Factus postea est Ludovici VII regis cancellarius, archidiaconus Atrebatensis, canonicus Parisiensis, Aurelianensis, Suessionensis. Attamen Adrianus IV summus pontifex pro eo scripsit epistolam 13 ad Theobaldum Parisiensem episcopum, ut primum personatum aut dignitatem vacantem ei conferret. Eodem modo petiit a capitulo Parisiensi epistola 14 primam quæ vacaret in capitulo dignitatem, primasque domos claustri ei reservari. Et hæc sunt prima dispensationum pontificiarum vestigia tam pro pluritate beneficiorum, quam pro immunitate a lege residentiæ. Idem dic de reservatione beneficiorum ante vacationem, et mandatorum quibus postea jus ordinariorum ad se traxit summus pontifex. Demum Hugoni electo et capitulo Suessionensi Adrianus papa significavit III Non. Martii 1159 se ejus præbendam Willelmo decano et successoribus decanis attribuisse; inde liquet Ansculfum defunctum an. 1158, et Hugonem an. 1159 electum fuisse. Factus autem episcopus Hugo non desiit esse cancellarius: hinc mirum non est quod tot et tanta pro regno et Ludovici regis negotiis, pauca admodum pro Ecclesia sua tractaverit. Inde origo tot epistolarum de eo, ad eum et ab eo scriptarum apud Chesnium, Labbæum et Martenium. Sic reperitur an. 1159 in regesto 74 B thesauri chartarum. Probavit an. 1160 eleemosynam Evrardi de Mureto factam B. Mariæ de Longoponte, et concessionem terræ Evrardi militis an. 1163. Eodem, episcopatus 4, transegit cum Marsilia abbatissa B. Mariæ. Circa id tempus composuit cum capitulo de duabus præbendis quas tenebat cantor, quorum unam successori dedit, post ejus mortem cuilibet assignandam, hancque compositionem ratam habuit Alexander III Senonis XII Kal. Januarii (1164). Laudavit an. 1166 eleemosynam Gerardi de Cherisiaco, et 1167 donationem terræ Nivelonis de Cherisiaco canonici. Hoc circiter tempore ab Alexandro III cum P. abbate S. Remigii delegatus Braguensem ecclesiam monachis Noveii adjudicavit contra Gossedum de Maceriis et Joannem filium ejus, qui præpositurum et præbendam occupaverant. C Quærelam habuit cum capitulo pro præbendis quas decano et cantori denegabat, quasque a summo pontifice jussus est eis conferre an. 1169. Eodem anno concessit capitulo ut, pro more suo a summo pontifice approbato, possent malefactores suos et eorum terras, inconsulto episcopo, interdicere et absolvere. Annus episcopatus ejus XII illigatur cum annis 1170 et 1171 in chartis S. Crispini. Sub id tempus Alexander III Henrico Remensi archiepiscopo dedit litteras Tusculani Nonis Martii, ut Suessionensem episcopum commoneret quatenus relicta cancellaria curæ et administrationi injunctæ sibi sollicitudinis diligenter intenderet, et super custodia Ecclesiæ et populi sibi commissi vigil

Digitized by Google

existeret, cum utrumque officium totam non divisam desideret habere personam. Monitis summi pontificis paruisse non videtur Hugo, quem ab anno 1131 ad 1173 variis diplomatibus subscriptum reperimus. Huc spectare videtur epistola Guillelmi Senonensis archiepiscopi ad Alexandrum III, in qua Hugonem Suessionensem episcopum, regis Francorum cancellarium, virum discretum, honestum, litteratum, et in negotiis pontificiis constantissimum commendat, rogatque papam ut in iis in quibus ipsum audire et supportare poterit, benigne faciat. Sed quod non potuere Alexandri monita, hoc fecere malevolorum instigationes : a gratia enim regis recessit, qui sigillum suum ei abstulit. Ejus quidem in gratiam Ludovico fratri scripsit Henricus Remorum archiepiscopus, sed an sigillum ei reddiderit rex ignoramus. Illud tantum pro certo dari potest cancellariam vacasse anno 1175, a quo Hugo cancellarius chartis non subscripsit. Attamen anno sequenti litteris Anagniæ datis XIII Kal. Martii, Alexander III in maximis angustiis positus, ab Hugone Suessionensi episcopo pecuniæ subsidium, sicut jam dederat, poposcit, et ut ad id abbates et ecclesiarum præpositos in episcopatu suo adhortaretur, invitavit. Bona monialium S. Joannis in Bosco confirmavit anno 1175 Hugo, qui memoratur anno eodem in chartis Collinantiarum. Denique in gratiam regis ante mortem rediit, ut constat ex epistola quam in extremis positus ad eum dedit abbati S. Victoris Parisiensis singulari ejus amico. In hoc enim vitæ articulo cum rex eum invisisset, tum ejus præsentia lætus, tum morbo turbatus Hugo animi sui sensum aperire non potuit, sed scripsit testatus a fide regis se nunquam scienter exorbitasse, fideliusque ei servire adhuc sibi proposuisse. Hanc habes, ut et cæteras de quibus supra epistolas t. IV Chesnii, tom. X Concil. Labbæi, et t. II Ampliss. Collect. Martenii. Mortuus est Hugo pridie Nonas Septemb. an. 1175, de quo legitur in Martyrologio cathedralis : « Pridie Nonas Septembris obiit bonæ memoriæ domnus Hugo, hujus Ecclesiæ episcopus et illustris regis Francorum Ludovici cancellarius, qui dedit nobis altare de Aquila cum integritate et duo pallia. Percepimus etiam pro eo LX libras ad emendos ultimos redditus de Abellaco, dedit nobis libros et alia bona. Item, de suo emimus majoriam Ambloniaco, de cujus terragiis et vinateris singulis annis habemus LX solidos in die anniversarii sui inter fratres distribuendos. » Anniversarium quoque habet in Necrologio domus S. Victoris apud Parisios, ubi cancellarius morabatur, et forte sepultus est.

HUGONIS DE CAMPO FLORIDO

EPISTOLÆ.

(Duchesne, *Script. Rer. Franc.*, IV, 635 et seq.)

I.

Ad D. Portuensem episcopum. — Petrum clericum commendat.

Domino et amico suo G., Dei gratia venerabili Portuensi episcopo, Hugo, Suessionensis dictus episcopus, salutem et plurimam dilectionem.

Petrum consanguineum nostrum, et clericum vestrum, qui mirum semper erga vos habuit affectum, vestræ commendamus benignitati, rogantes ut amore nostro in justis petitionibus suis benigne eum audiatis, et erga dominum papam juvetis. Vale.

II

Ad Ludovicum regem. — De colloquio cum Normannis habito.

Domino suo charissimo Ludovico, Dei gratia serenissimo Francorum regi, Hugo Ecclesiæ Suessionensis humilis minister, et T. de Gisortio, salutem et fidele obsequium.

Colloquium habuimus cum episcopo Ebroicense, et aliis Normannis, et cepimus cum eis diem in quo debemus obsides recredere, proximam diem Mercurii post octavas sancti Andreæ apud Pontiseram et nominavimus eis plegios. Cum autem ipsi dicerent se adducturos aut illos, aut alios, qui idonei forent, respondimus quod non accipiemus nisi illos. Audivimus autem quod rex Angliæ non transfretabit huc, donec post Pascha, et quod comites Alverniæ sunt in Normannia. Vale. Sunt et quædam alia quæ nolumus mandare per litteras, quæ viva voce dicemus vobis.

III.

Ad eumdem. — De solutione Interdicti Ecclesiæ Suessionensis.

Domino suo charissimo Ludovico, Dei gratia Francorum illustrissimo regi, H. eadem gratia Suessionensis episcopus, salutem et voluntarium servitium.

A vobis discedentes venimus usque Bistisiacum, ubi audivimus quod dominus archiepiscopus vestri gratia Ecclesiæ Suessionensi reddidit celebrare res divinas. Dominus Petrefontis Cono, quando huc misimus, nihil adhuc fecerat nobiscum, sed spem habemus de eo. Sicut autem vobis diximus, huc

Digitized by Google

mittimus, et nobis, si placet, vestram significare A voluntatem. Valete.

IV.

Ad eumdem.—Quid Suessionem redux egerit mandat.

Charissimo domino suo Ludovico, Dei gratia illustri Francorum regi, H. eadem gratia Suessionensis episcopus et suus clericus, salutem et promptum famulatum.

Postquam venimus Suessonis, habuimus multa facere, siquidem et res familiares dissipatas invenimus, et de diversis partibus diversa ad nos relata sunt negotia. Pro hujusmodi, ex quo a vobis discessimus, nullam pausam capientes vehementer defatigati, ad summam animi nostri ægritudinem accepimus rumorem de infante, unde dolor penetravit B ad animam nostram. Sed nunc per Dei gratiam versa res est in melius. Multum autem vellemus esse vestrum cognoscere, et quid agatis, si etiam in proximo debeatis propinquare versus partes nostras, et venire versus Compendium. Hæc si placet, nostræ sollicitudini mandare dignemini. Valete.

V.

Ad eumdem. — De colloquio cum Normannis habito.

Excellenti et præclaro domino suo Ludovico Dei gratia Francorum regi, H. Suessionensis humilis magister, salutem et prosperitatem.

Convenimus ad diem nominatum episcopus Belvacensis, et comes Bellimontis, E. de Gisortio, et ego, una cum illis, et aliis multis ex parte vestra. C Ex altera parte fuerunt episcopus Ebroicensis, R. de Sancto Walerico, G. filius Haimonis, R. de Lomet, et multi alii. Proposuimus eis responsum vestrum, sicut vestri barones dederant vobis in consilio, quod ipsi mandarent comitibus Alverniæ ut venirent ante et loco et tempore convenienti, et nos libenter recrederemus. Ipsi e contrario responderunt quoniam non poterant facere quod comites venirent, quia nos tenebamus eos in prisona et in ostagiis. Nos autem diximus quod ita faceremus, nihil amplius habentes ex mandato vestro. Iterum petierunt a nobis quod nos mandaremus comites ex vestra parte, et ipsi similiter mandarent eos ex sua parte. Et habito consilio nostro super hoc, quæsivimus ab eis quod darent nobis brevem respectum, D donec vestrum habuissemus consilium. — Responderunt nobis quod nullum respectum darent, sed neque dedissent vobis quando fuerunt Parisius, nisi conjurassetis eos per fidem regis Angliæ. Alia negotia et nos et ipsi utrinque diligenter usque ad nigram noctem tractavimus multa. In crastinum miserunt ad nos ut alium diem acciperemus pro terminandis aliis: et nos misimus Gisortium ut dies nominaretur; sed nondum redierant illi quos misimus, quando scripsimus vobis ista. Ut autem animus vester in nullo sollicitus esset, ista serenitati vestræ breviter mandavi, et cum præsens ero, uberius singula exponam. Res quidem tota ad honorem vestrum acta est et deducta.

VI.

Ad præpositum de Chialfmunt.

H. Dei gratia Suessionensium episcopus, regis Francorum cancellarius, I. præposito de Chialfmunt, salutem.

Cappam, quam clerici de Norwegia per fines vestros transeuntes in vadio dimiserunt, mandamus et precamur ut causa nostri ipsis liberam dimittatis. Nec enim jure quidquam ab eis debet exigi, qui peregre in orationes profecti, nihil secum venale tulerunt.

VII.

Ad canonicos Antissiodorenses et Willelmum de Dampetra.

Hugo Dei gratia Suessionensis episcopus, canonicis Antissiodorensibus et Willelmo de Dampetra, B salutem.

Dominus papa posuit super dominum Paris. et super nos verbum vestrum, et ecclesiæ Sancti Germani. Nos autem, tam propter negotia domini papæ, quam propter negotia regni, ad diem venire non possumus. Mittimus vero loco nostro abbatem Sancti Victoris, et mandamus vobis ut tantum pro ipso faciatis, quantum pro nobis faceretis si præsentes essemus. Valete.

VIII.

Ad Ludovicum regem. — In extremis positus apud regem se ab imputatis purgare conatur. Clericos suos commendat.

Domino suo charissimo Ludovico Francorum regi, C Hugo Suessionensis dictus episcopus semper suus salutem, et etiam post mortem dilectionem.

Vera loquor et ante Deum. Postquam veni in servitium vestrum, a vestra fidelitate scienter nunquam exorbitavi. Adhuc, Domino permittente, fidelius vobis servire proposueram. Sed nunc, Deo aliter disponente, in extremo vitæ articulo positus has litteras dictavi, post mortem meam tanquam extremum vale vobis mittendas. Siquidem de præsentia vestra lætificatus, quando vos novissime vidi, et morbo turbatus, affectum animi mei vobis aperire subito non poteram, neque rebar universæ carnis viam me tam cito ingressurum. A vestro pavidus consortio et servitio exiens, vestris et sanctorum orationibus, quos pro me orare faciat vestra beni- D guitas, animam meam commendo. Pro clericis autem meis, qui in curia vestra mihi servierunt, vestræ supplico benignitati. Sed ante omnia Petrum quem nutrivi a puero, et præ cæteris generis mei diligebam, et quem semper volui exhibere servitio vestro, vobis commendo et trado. Non feci ei sicut debui, et nunc mortis inclementia præventus, ipsi implere non possum quod cogitabam. Sed quoniam de liberalitate vestra penitus confido, grande mihi præstat solatium, quod eum in manu vestra relinquo. Valc. Idipsum quod litteris mando, per abbatem Sancti Victoris vestrum et meum fidelem mando vobis; ut quod ore non potui, per litteras, et per talem nuntium implerem. Valete.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCLXXV...

NICOLAUS

AREMARENSIS PRIMUM, DEINDE CLARÆVALLENSIS MONACHUS, S. BERNARDO A SECRETIS

NOTITIA HISTORICA

Fuit Nicolaus primum, Aremarensis cœnobii, ordinis Cluniacensis, in Trecensi episcopatu; postmodum Claravallis sub S. Bernardo monachus, ejusdemque notarius; sed quia Pater sanctus in eo reperit pravitatem, amovit eum ab officio; unde factum est ut ille, Claravalle discedens, ejus hostis efficeretur. Queritur de eo apud pontificem Eugenium S. Bernardus epist. 84 et 98; ubi autem, quando et quo fine e vita excesserit, ignoratur.

Ejus epistolas hic damus, sermones vero ejusdem novemdecim, quia inter opera beati Petri Damiani et S. Bernardi reperiuntur, omittimus.

NICOLAI EPISTOLÆ

EDENTE

JOANNE PICARDO

CANONICO REGULARI S. VICTORIS PARISIENSIS.

(*Biblioth. Patr. Lugd.*, XXI, 517.)

PRÆFATIO

Ad reverendissimum juxta ac religiosissimum Patrem et dominum Dionysium ARGENTERIUM abbatem Clarævallensem.

Quas olim Nicolaus, ex Cluniacensi vester cœnobita, dedit epistolas nomine S. Bernardi, reddo tibi, quin do ex animo. Scilicet, inquies, mihi das mea, quasi non sint ἄδορα δῶρα (Sopu.) *hujuscemodi, essentque profecto, si τοῦ ἔχθρου : quæ revera sunt hominis et tui amantissimi et observantissimi. Præterquam quod et villici aliquantulum ab heris ineant gratium, licet eisdem offerant suorum etiam primitias agrorum. Serenis igitur oculis tuum recipias Nicolaum, et per te, studiosi. Sic enim mage tuus, quo plurium fuerit. Dixi tuum, quid tuus quondam cœnobita et Clarevallensium amanuensis, longeque potiori reposcendus iure, quam Homerus a Colophoniis, Chiis, Salaminiis, Smyrnæis, Atheniensibus, Argivis et Cumæis. At quantum dicto frivola absit jactantia, suspiciosus lector obsidem hæreat auctoris præstantium uno tractu depictam, ut epistolis legendis lubentius aliquot partiatur horas. Nicolaus monasticen Cluniaci professus Petro venerabili Cœnobiarchæ post temporis aliquantum suscepit demandatam scholæ Cluniacensis provinciam : provinciam, inquam, tanto dignam moderatore. Quid enim desideres in homine ? Ingenium ? pollebat maximo et quidem vivido, ardentique. Φιλανθρωπίαν ? Tam copiosam sibi collegerat ex mathematicis, philosophia, liberalibusque disciplinis, ut quid ei defuerit, et illo quidem sæculo, vix advertas. Theologiam, inquiet aliquis, ni videro in homine florentem, multiplicemque, tantum mihi verba erunt, quæ das. Dabo equidem verba non mea, sed epistolarum Nicolai mei : qui sic ad unguem divinos tenebat libros (ex his enim, ceu vero paradiso perennes uberrimosque omnifariæ theologiæ dimanare fontes, nemo nisi ἄθεος diffitebitur) ut insertis eorum verbis quasi cœlestibus flosculis singula ferme cola commataque intexat, et te cogat illud exclamare Lucilii :*

Quam lepidæ lexeis compostæ, ut tesserulæ omnes,
Arte, pavimento, atque emblemate vermiculato.

Hisce porro dictis fidem facient cœlestium voluminum loci ad marginem signati, potissimeque integriores. Universos enim, eosque concisiores adnotare, ut nullius prope fructus, sic insani fuisset laboris. Dant vero præter hæc arrhabonem theologiæ simul et philosophiæ, quibus excelluit Nicolaus, epist. 49 et 52, durentque indubitanter quam plurimæ in exemplari desiderata. Interim, lector, hasce pauculas exosculare, contemplareque, ut Protogenes, lineolam in tabula pictam Appellis manu. Poteris enim hic legere Nicolaum nostrum eximia valuisse dicendi facultate, ut sua ferebant tempora : tantumque cæteris præstitisse, quantum eruditione singulari, ne interim allegem, quæ leges hominis argutias, veneres, universumque orationis mundum, quo sua studuit comere cvistolia. Sane Petrus venerabilis ei rescribens epist. 38, 56, ait inter

Digitized by Google

cætera : Non solum tuum sequeris Tullium Tullianus, de quo scripsisti, quod pectus in linguam facillima transferebat facilitate. *Sed penes Petrum sui dicti fides et auctoritas sunto. Nicolaus autem sui meminit magisterii epist.* 2, *his omnino verbis* : Exspectavi ut scriberes mihi, et attenderes magistrum honore, priorem ordine, provectum ætate : *Rursusque ad calcem :* Dictum est etiam tibi si redires me non amplius lecturum. Quod autem propter te scholas dimitterem, refellere dignatur auctoritas. *Ex auditoribus unicum offendi L. Lescelinum, quem epist.* 38, *his compellat blanditiis* : Hærebas lateri meo : placebas cordi meo, meus frater et filius; et (si dignum ducis recordari) discipulus : potius autem condiscipulus sub illo cujus schola est in terris, et cathedra in cœlis. *Pro more studiosorum, certe immorabitur ingenio, seseque familiariter applicabat Senecæ philosophi lectioni, ut Petrus Cellensis archimandrita testatur epist.* 51, *hujus libri* : Tuus, inquit, familiarium familiarissimus Seneca hominum ingenia per tria dividit genera. *Verumenimvero quia dignitates licet religionem habeant individuam, comitem pios etiam ni præcaveant surdastræ blanditiæ dementant : Nicolaus haud nescius quanta plerisque antecelleret ingenii gloria, eruditionis fama, dignitatis gradu, effectus sui inscius cœpit licentiosius agere, popularem venari gratiam tandemque se ignorare, qui mutatione longe feliciori quam Circæa transformabat ignaros in gnaros. Quæ quidem, ut non puduit patrare, ita nec referre ep.* 45. *Sub hæc, imo ante hæc Cluniacenses latum plusquam unguem ab avitis deflexerant institutis. Robertus quoque S. Bernardi nepos pravis quorumdam inescatus susurris ad Cluniacenses desciverat. Hic contra ferens ægerrime nepotis absentiam, eumque universam familiam alioqui religiosissimam irreligioso dedecorasse transfugio, et ad iter latissimum haud procul ab interitu sepositum divertisse, misit litteras uberiores, liberiores, tamque expressas, ut etiam myopes monachi viderint se vix a laicis vel monastica discrepare cuculla, ne refricem mutuas illas, quibus sese Cistercienses Cluniacensesque impetebant objectiones repetitas ep.* 28, 53. *Petri venerab. Tum, inquam, Nicolaus, qui prælicentius vixerat, omniaque propemodum præter se sciverat, ad se rediit; animum solum, habitumque mutans in solo Clarevallensi, ad id quam consulto, ep.* 8, *ad Theobaldum his testificatur :* De Veteri Testamento et umbra Cluniacensium ad Cisterciensium evolavimus puritatem. Nam juxta Pauli vocem, si prius illud culpa vacasset, non utique secundi locum inquireremus. Habent revera observationes vestrorum cum observantiis Judæorum nonnullam similitudinem. *Illi* enim in auro et purpura, in cibis et potibus, et variis baptismatibus omnem ritum divini cultus intulerant; ita et apud vos, ubi plus est auri, plus creditur esse meriti; ubi plus palliorum, plus morum; ubi plus epularum, et vestium, ibi verior observatio mandatorum; hæc autem fecimus non subita, ubi assolet commotione jactati; sed morosa deliberatione firmati dedimus societati dextras sub sacramento divinitatis : *Huc usque Nicolaus, qui epist. antecedente vocat Claramvallem, locum sanctum, vallem nemorosam, vallem abundantem, paradisum deliciarum, gratiarum portum, castra Dei; domum Dei, et portum cœli, quam circumvolat et circumdat legionum cœlestium multitudo; in qua, si non fuerit et vixerit, emoriturum. Quam vero id ægre fuerit consecutus, lector, assequetur ex ejusdem ep.* 45. *Annus interim se vertebat* 1199, *insignis monachismo Henrici, Ludovici Crassi Francorum regis, filii, qui pro more tironum religiosorum, victus vigiliarum insoliturum et prolixiorum, asperiori cultu, duriorumque exercitationum fatigatus insolentia decessit Claravalle reparandæ valetudinis ergo. Decedentem prosecutus est Nicolaus epist.* 39, *qui et ipse mox tam graviter ægrotavit, ut S. Bernardus non semel interpellatus Petri Venerabilis litteris de ejus videndi copia responderit epist.* 245. Is, quem mitti jubetis, modo mecum non est, sed cum domino Altissiodorensi, et ita infirmus ut sine nimio incommodo nec ad nos usque venire posse dicatur. *At quia vivebatur Claravalle cum summa rerum omnium communione (ut hodieque) nec non cœnobitarum societate, visus fuit homo per necessarius, qui non abbati tantum, sed et monachis esset ab epistolis, quo hi et ille liberius rebus vacarent gravissimis. Nec ierim inficias præter hunc et alios missitare solitos; sed, ut reor, leviores parumque momentosas. Verum utut sit, certo certius constat Nicolaum ad utriusque conditionis homines dedisse scripta longe numerosiora his quæ edimus; alias vacillaret fides ejusdem dicentis epist.* 25 : A custodia matutina usque ad noctem nihil aliud facio, *scilicet (ut paulo ante dixerat)* ut stylum et tabulas revolvam; non illis imputetur, qui mihi hoc oneris imposuerunt, et posuerunt me multa scribere et rescribere multis. *Horum tamen multorum ad nos pauca pervenere, quibus, nec injuria connumerem duas epistolas longo post liminio reductas a me ex lib.* VI, *Petri Venerab. eademque titulorum dealbatas fidelia, qua legis cæteras ejusdem Petri. Neque tamen piguit, ut et reliquis, apponere scholia, historiæque Gallicæ novum quamvis brevisculum additamentum, nempe monachismum Henrici, Crassi regis. filii; comites Armoricæ Britannicæ ad expeditionem Hierosolymitanam invitatos, et imperatorem Constantinopolitanum multosque oratos pro episcopo Aletensi, quem Maclovien-sem vocitant. Cum primis vero gratulandum est Henrico Gallicorum liliorum surculo, Gerardoque Peronæo : qui, ut Nicolaus dispersa colligeret epistolia, tandem exorarunt : gratulandum est, inquam, illis : per quos vel paucorum recreamur dulcedine. Nicolaus Damascenus apud Cæsarem Augustum tanto fuit in pretio, ut si bellaria, placentulas, crustula, dulciariaque hujusmodi, dono mitteret, ab Augusto vocitaretur Nicolai; ita ut hinc plerisque dulciculis esculentis manserit Nicolai nomen, sicut panibus allutis Apollonio eremitæ, de quibus Palladius in historia Lausiaca. Nos quoque, si epistolas nostri Nicolai, Christiana conditas ambrosia nuncupaverimus Nicolaos, nullus accuset novitatis; cum, ubi eadem ratio, idem quoque jus esse debere lex Aquileia moneat. Verumenimvero, ut proxime commonui gratulandum illis, quorum instantia Nicolaus diffusus congregavit litteras, sic et Nicolao Camuzæo ad S. Petri Trecensis lectissimo canonico, qui eas laudabili sedulitate detexit : singulari pietate detraxit impiis trucibusque bluttis, nec pepercit sumptibus ut ad lucem venirent, olim fortassis, furtimque barbaro Liciniorum edicto mitten..æ in exsilium, non dico tes ululum sed perpetuum.*

Digitized by Google

NICOLAI CLARÆVALLENSIS
EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA
Ad fratres Girardum et Henricum nuncupatoria.

Dilectissimis fratribus Girardo et Henrico F. Nicolaus illi placere per omnia, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.

Sequentes epistolæ (si enim (1) epistolarum nomine censendæ sunt) non sunt in unum corpus mea primum voluntate compactæ, nihil (2) in eis meo judicio, memoria dignum est; ubi nec sublimitas sermonum, nec profunditas sensuum vel ex aliqua parte poterunt inveniri. Non enim eas excipiendas dictaveram, sed mittendas, dimittendas utique si prænoscere licuisset. Nam cum multitudo diversorum negotiorum irrueret super me, manum a calamo, mentem a studio hujusmodi studiosius extergebam, et hoc non minus velociter quam libenter, dormiebat anima mea præ tædio, tædiosi operis multitudine provocata, nec poteram ad plurima, sicut ad singula vigilare: ad illud solummodo vigilans, ut possem petentes vel exspectantes citius expedire, hinc est quod multa similia ibi posita sunt; multa tam de veteribus quam novis epistolis nunc quidem latenter impressa, nunc signanter expressa, cum mihi melius memoria quam ingenium subveniret. Nec hoc dico quasi, si voluissem, potuissem sententiosum opus in limatam eloquentiam complanare: cum hoc longe fecerit a me et ingenii tarditas, et exercitii raritas et diversitas propositi mei. Non sum orator, neque filius oratoris, sed homo simplex et domi habitans, rusticanus utique et vellicans sycomoros (3). Illis verborum venationes tota voluntate relinquo, qui per locutionum silvas libenter deambulant, et rhetoricos modulos quasi florentes ramusculos decerpere gloriantur. Isti enim sunt, qui eloquia Domini, eloquia casta quasi tribulosa quæque refugiant (*Psal.* XI); et ab asperitate segetum abhorrentes, spinarum floribus inhiant, vanitate utique pleni, non veritate, si tamen vanitate quis possit impleri. Vos ergo, dilectissimi, qui eas eligere et in unum colligere voluistis, supprimite verba dicta potius quam dictata, nec efferatis in publicum quod publicum erubescit. Alioquin ego de verecundia, vos de amicitia periclitabimini: A et in illa re facietis offendiculum, quæ singulariter odit offensionem. Nec hoc dico, quasi de vobis vel dubitem, vel debeam dubitare: cum utriusque visceribus perenniter invisceratus sim in charitate Dei et patientia Christi. Tu es enim regii germinis præfulgidum sidus (4); qui de summo rerum vertice veniens, mundi gloriam in terra collisisti; quem et nobilitas singularis, et humilitas specialis non minus amabilem quam admirabilem reddiderunt. Tu vero alter dulcissimæ conservationis speculum et exemplum: quem et jucunda severitas, et severa jucunditas, et affabilem, et imitabilem præbuerunt. Ille autem, qui vos elegit ante mundi constitutionem (*Ephes.* I), et vocavit in admirabile lumen suum, sit vobis via in moribus, veritas in B sermonibus, in splendoribus vita cum apparuerit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus (*Heb.* I), ad judicandum orbem terræ in æquitate, et populos in veritate sua (*Psal.* XXXV.)

EPISTOLA II.
Ad quemdam socium suum qui, relicto claustro, in urbe morabatur.

Charissimo fratri, Nicolaus charissimus ille frater suus charitatem fraternitatis, et fraternitatem charitatis in Christo.

Multis et multiplicibus amicitiæ mundi illecebris revocatus dormientem te et multo tempore tempus redimentem suscitare sustineo epistola dulciori. Nec attendas hic aurei sermonis pulchritudinem C vel styli lenocinantis insignia, sed affectum accipe presse cauteque signatum. Verus enim affectus non facit præmium, non captat benevolentiam, nulla utitur blanditiarum fuco, sed nuda frondositate cogitata perorat. Audi ergo jam, quod te conveniat audire, et me dicere deceat. Nihil tam celerrime inter homines consenescit quam beneficium, cum æternæ memoriæ infigendum ab omnibus prædicetur.

Testis enim mihi est Deus, et conscientiæ tuæ non latet arcanum quod dilectio tua ab ipsis infantiæ rudimentis perennem in pectore meo pepigit mansionem. Cum enim cognovi indolem tuam, extuli eam, et ingenium habile ad formandum, sub-

(1) Rectius fortassis, *tamen*.
(2) Videtur deesse conjunctio *enim* aut *siquidem*.
(3) Quod Amos propheta c. VII, de se prædicat, Nicolaus ad se vertit.
(4) Necessario id intelligendum de Henrico, cui hanc inscribit ep., Ludovici Crassi, Francorum regis, filio, de quo nos ad ep. 355, S. Bern. edit. Lege paulo post ep. 13, ejus scriptam nomine, mentionem haud absimilem, ep. 352, ep. quoque 39, ad eum.

Digitized by Google

tilioribus demonstrationum lineis ad stellantis sapientiæ solium, quantum potui, invitavi. Susurrantibus aliis et invidiosa murmuratione loquentibus, cur tantum in te animi reclinassem, labia insurgentium, conscientiæ securus excepi, et justitia in judicium conversa, quæ fortiter cœperam, fortius consummavi. Ad hæc, si quid tibi gratum fuit quod sub facultatis meæ terminis adhæsissent, libentiori animo et vultu alacriori donantem, quam accipientem vidisti, summumque mihi studium fuit, * ut ubi verbum onerosum et summisso vultu dicendum* rogo tenui cognitionis rimula prævenirem. Noveram enim vultum tuum in verecundiæ fabrica fabricatum vix ad quærendi januam aspirare, si quis tibi vel odientis vel invidentis vultum * suum ostendit, aut communem gratiam, aut commune periculum reportavit. Sed ne juxta comicum ista commemoratio sit quasi exprobatio accepti beneficii, parcam verbis et styli verbositatem tuæ conscientiæ derelinquam. Placuit tibi ut Trecis ires; fateor, displicuit mihi. Quare displicuerit, non effugit memoriam meam (5). Prætermissa autem illa principali causa, quæ a volubilitate tui pectoris non recessit, intravit per fenestras tuas; et oculi columbæ columbam penitus exuerunt. Commutavi vultum meum coram te, cum animum non mutassem, ut saltem nobiliori intuitu cursum retraherem fugientis, sed non potui. Ad extremum læsus veniam petens, victus fateor a pusillanimitate spiritus, quidquid turbulentum erat, in serenitatem reduxi; referens victum et fructum auferens. Exspectavi ut scriberes mihi, et attenderes magistrum honore, priorem ordine, provectum ætate, et, quod his majus est, amicum sollicitudine, sed non profuit. Videns autem quia nihil proficerem, et tantum ignem in tenues evanuisse scintillulas, metuens ne in mortuos cineres penitus deperiret, afflatu mollioris spiritus reaccendere studeo. Insensate puer, quis animum tuum avertit a tantæ amicitiæ firmitate? Cui credidisti, incredule, ut illum unicum tuum a tuis visceribus separares? Elapsi sunt quidam eorum a latere nostro eo plus odientes, quo magis amare debuerant, invicem mordentes et invicem consumpti. Ii omnes quasi ex uno ore conceperunt dolorem, etc. Sed et ille collateralis tuus (quem nominare sermo secretior dedignatur), melli venenum immiscuit, qui novit fere misturam myrrhæ et aloes plusquam libras centum; juvenis perpetuæ levitati et infinitæ garrulitati consecratus (*Joan.* xxi).

Nec amans quemquam nec amatus ab ullo.
Juv. v, 12.

Doctor diligere odientes se, et odio habere diligentes se. Iste vel alii credulas aures tuas impleverunt, et alienaverunt animum tuum a me dicentes. Hæc dicit Nicolaus, cum Nicolaus non sit locutus. Si credidissem delatoribus accusantibus te, longam texuissem reprehensionis parabolam quam epistolaris brevitas aspernatur. Sed non ita sensum meum subruit inconstantia levitatis ut credere possim ante aliquid ab ore tuo effluxisse, quod in meam redundaret injuriam. Dictum est etiam tibi si redires, me amplius non lecturum. Hoc quomodo posset facere, qui tantum potuit amare ut et tu sentires similia, et ingenium docile sensu maturiore condires, non credens omni spiritui, quia qui credit cito, levis est corde (*Eccle.* xix). » Quod autem propter te scholam dimitterem, refellere dignatur amoris auctoritas; quod si absurdum est, ut sine omni excusationum patrocinio subruatur; rescribe igitur, et alteri tibi te ipsum ostende.

EPISTOLA III.

Item ad eumdem.

Dilecto fratri N., frater Nicolaus, spiritum consilii et consolationis.

Tandem reversa sunt in me viscera mea; et cor meum rediit ad me, et ego ad cor meum. Felix dies in qua tibi scribere proposui, sed illa multo felicior, in qua tu rescribere voluisti. Non recedet memoria ejus et usque in sæculum non derelinquetur; sed erit mihi clara atque solemnis et æternis gaudiis inclarescens. « Amici mei et proximi mei quasi alieni recesserunt a me (*Job* xix), et obstupui. Apposuerunt adhuc precare mihi, quia adversum me appropinquaverunt et steterunt et indolui. Delictum quoque maximum incurrentes, te lumen oculorum meorum auferre tentaverunt, et concussa sunt omnia ossa mea, hic « conturbatum est cor meum, dereliquit me virtus mea (*Psal.* xxxvii); » et qui duo præcedentia robustiori mente pertuleram, tertio confectus elangui. Sed nobilis animus et de cœlesti sede ducens originem, in orbem sese recolligens redivivi spiritus assumpsit audaciam, ultimi enim facinoris indignitate commotus, dulcioribus litteris purgavit innocentiam suam et relisis obloquentium faucibus, perpetuum silentium susurrantibus et invidiosis indixit: « Mentita est ergo iniquitas sibi (*Psal.* xxvi); » quia majestas amicitiæ in perseverantiæ solio collocata, linguas transeuntes in terram sublimi securitate derisit, nunc ergo poliendus est stylus, et venustiori respergendus eloquio, ne verborum nuditas accuset ingenii facultatem. Quis mihi det nunquam memoriam tuam deserere, et nunquam ab illa deseri? Quomodo pati potuit tamen tam longam tam mutam absentiam? Cum resideo judex cogitationum mearum, et solus solitudinem cordis mei ingredior, admiror vehementer. Et si videre non licuit, saltem litteræ, quæ vera amici vestigia veras notas afferunt quare defuerunt? Quid est quod dico? quia videre non licuit? quænam excusatio? umbratilibus palliata mendaciis? nunquid usque ad Trecas mare interfluebat Oceanum? aut impenetrabiles Riphæi montes fuerant interjecti? Sed, etsi hæc omnia convenissent, nihil esse debuit amori invium, nihil arduum diligenti. Consuevit amor nare supra nubes et aquæ non possunt illum exstinguere, quia solus est qui difficultatum instantiam saltu suæ

(5) Terent., In Andr. act. 1. scena 1.

Digitized by Google

sublilitatis ludificare prænovit. difficile et angustum, leve facit; et latum opprobrium gloriam indicat, despectionem exaltationem esse contendit. Quem accusabo primum aut quem justiorem in nostra querela? Si verum cupio confiteri : « Ego sum qui peccavi, ego inique egi (*II Reg.* XXIV). » Quid enim tu fecisti, simplex et mansuetissime puer, et in ipsis arcanis verecundiæ, reclusione mirabili consignatus? vix audes oculos levare ad cœlum et respicere circumstantes : et ego pudorem altissimum altiori oblivione confudi. Factus sum tibi sicut ursus, et leo, et superbientis oculi dedignatione, teneritudinem tuæ mentis infregi. Idcirco me ipsum reprehendo, transfer peccatum hoc a me. Sed hactenus si garruli et subversores subvertunt te, amplius non subvertant (*Psal.* XXV) : ne sedeas cum consilio vanitatis et cum hominibus virulentos sermones afflantibus non commiscearis ; memento quia nemo invito auditori aliquid libenter narrat. Sed quia mortui apices non possunt applicare quod sentio :

Nil mihi rescribas; attamen ipse veni.

OVID., Epist.

Conspectus enim et conversatio habent aliquid vivæ voluptatis; quam litterarum elementa non capiant.

EPISTOLA IV.

Ad Attonem Trecensem episcopum (6) *multum recommendativa et laudativa.*

Magno sacerdoti et suo specialiter Patri, frater NICOLAUS, fungi sacerdotio in conspectu Dei.

Forsitan irreverentiæ arguar qui tantæ reverentiæ scribere non formido. Quid enim servus ad Dominum, discipulus ad magistrum, ad episcopum monachus? Nihil mihi et illi, cum illum summa dignitas, me vilitas alia componat. Tacebo igitur, ne loquens notam loquacitatis incurram : imo præsumam loqui ad Dominum meum : « Jucundum sit ei eloquium meum (*Psal.* CIV). » Dat fiduciam stylo sermo communis, antiquus amor, indivisa familiaritas. Laudatur Evangelica mulier, quia quod habuit, et fecit (*Marc.* XII; *Luc.* XXI); ita et ego facio, quod habeo; litteras habeo, et litteras mitto. Felices litteræ quæ non trahunt ad insaniam sed ad modestiam, felix scientia, quæ conscientiæ possidet puritatem. Consummatus sensus, qui sic serpentem exerit ut columbam non deserat, et sic columbam temperat, ut serpens non tepescat (7). Sublimis eloquentia quæ nec præcipitatur nec præcipitat; quæ docet ordinem, componit mores, patientiam induit, loquitur honestatem (*Prov.* XXVI). Erudita lingua quæ novit, quando debeat proferre sermonem, quæ tacet in tempore malo; quæ non profert totum spiritum suum simul, sed reservat in posterum. Pectus providum et plenum consilii; ubi reverentia sedet, regnat discretio, modestia dominatur. Quid enim sensus valet, si sensata non facimus? Quid sapientia est; si de sapientiæ occasione desipimus? Quid litteræ si litterarum effectum nescimus? Quid eloquentia, si loqui et tacere non novimus? Qui sensatus est ut dissentiat, sapiens ut desipiat, litteratus ut commoveat terram, eloquens ut linguosus appareat, non habet partem in regno Christi et Dei. Justus qui non cognovit litteraturam, introibit in potentias Domini (*Psal.* LXX). Moyses impeditioris et tardioris linguæ (*Exod.* IV), præficitur sexcentis millibus armatorum ; eliguntur piscatores et indocti, ut sapientes et philosophi confundantur : et.... sibi vindicat gloriam de muneribus Creatoris, perfectus animus et perfectæ compositionis partibus insignitus quem sensus maturior, sermo discretior, habitus reverentior honestavit, hanc vobis formam, dulcissime Pater, impressit Altissimus, et in virtutum altitudinem vita vestra surrexit. Quis enim rectius sentit, venustius loquitur, moderantius vivit? Sed ne videas iterum adulatorio sermone, rerum obnubilare splendorem, omittam cætera. Quæ vero præ cæteris virtutibus in pectore vestro sibi delegit principatum, ea, nisi fallor, patientia est. Vidi ego oculata (8) fide populos frementes obstrepere, et circumlatrare, plurimos clericorum turbari, terram ante faciem vestram et verba volantia in detestandum clamorem emergere : vos residere quietum, et eo munitum vallo, quo Infrendens stultitia apparere non posset. Vidi iniquos inique agere, et delinquentes exaltare cornu quos ad unum verbum episcopalis auctoritas posset subruere, si in eos irruere placuisset. Sed exspectabatis paulisper, et de tonante malignorum procella securius ridebatis, donec aut colliderentur ad invicem, aut a superioribus potestatibus arcerentur. Singularis virtus in homine ad illorum impatientiam, patientiam exhibere quos habet in potestate punire cum voluerit. Currebat stylus et affectum meum quibuscunque litteris indicabat, donec retrospexi et intellexi longitudinem sermonis epistolæ limitem excessisse. Finem igitur facio, et rogo ut interpositis curis aliquid rescribatis et puerum vestrum nobilis illius eloquentiæ consolationibus relevetis.

EPISTOLA V.

Ad magistrum archidiaconum (9) *multum recommendativa.*

Præcordiali amico et reverendissimo magistro G. archidiacono, frater NICOLAUS, in bono ministerio bonum gradum acquirere.

Tibi soli audeo scribere cui scribere multa præsumptio est, paupertas enim sensus et styli nuditas sapientiam tuam reformidat, et eloquentiam reve-

(6) Hic Hatto ex monacho Cluniacensi factus est episc. Trecensis ann. 1122, ut notavit D. Canus.

(7) In ms. *composuit.*

(8) In ms. male *antea occulta.*

(9) Suspicor hanc litteram solitariam significare Gebuinum : cujus meminit S. Ber. ep. 17, et Petr. Clun. IV, epist. 34, 135, ubi appellatur magister Gebuinus archidiac. quem in habendis concionibus non fuisse rudem ut hic memorat Nicolaus testatur 5 c. sermonum ejus in nostra bibliotheca servatorum.

Digitized by Google

retur. Utrumque tibi cumulata felicitate concessum est, et sentire sapienter, et proferre utiliter. Et quia cogitare de sapientia sensus est consummatus, stellantium auctoritas Scripturarum sedem invenit in te, manet apud te, de te facit armarium. Eloquentiæ vero præconsiderata discretio in sublimi sermonis claritate relucens tanta varietate se temperat, ut et doctis prosit, et non desit indoctis eruditus sermo, lingua polita, vultus hilarior et rhetoricus spiritus, amicis placens, nec displicens inimicis, infelicem invidiam feliciori gloria superavit. Tibi dedit duo talenta talentorum omnium distributor et profusiori spiritu. Spiritum duplicem infudit tibi spiritus intelligentiæ subtilis et discretus. Extollant alii philosophos, et grammaticos laudent, et nescientes loqui, laquaci dirivatione circumsonent : tu solus sufficis mihi, quem et sensus prudentior et sermo venustior consummata perfectione perficiunt. Vidi ergo Galliarum magistros, quos famosi nominis imago protulerat, ante tuam eloquentiam palpitare, et compresso murmure unum exire post alium, tibi gloriam, sibi verecundiam reportantes; sed fuit judicium, in quo esset abyssus multa, non caligaverunt oculi tui ; sed velociori ingenio prævolantes furtivam sententiam dimotis obscuritatibus invenerunt. Accedit ad hoc jucundior tuæ mortalitatis infirmitas, quæ severitate lætitiam condiens, ita tuæ mentis incendit arcanum, ut non contrarius, sed dissimilis cæteris videaris ; convictus honestior, et aureæ mediocritatis titulis insignitus avaritiam et ambitionem miro moderamine propulsavit. Castigata familia, et domi habens unde disceret, « non fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos (*Psal.* XIV). » Sic sapientiæ, eloquentiæ et disciplinæ dotibus approbatus, decus Ecclesiæ, lingua civitatis, populorum exemplum factus es. Felix esses Trecis civitas, si cognovisses et tu; si cumulum invidiæ in admirationis gloriam transtulisses, novi quid dicam, nec obumbratorio sermone rerum veritatem velare contendo, sed defero dominis, et amicis parco, impudica frondositas (10) est illum fugere et fugare quem sequi doctrina, consequi vero summa sapientia est, furiosa pestis invidia et ipsum cordis robur excedens, quæ utramque substantiam molestiori debilitatione perturbat. O si mihi datum esset desuper adhærere tibi, audire te, tuo consortio non removeri. Sed promissa stabilitas et discretioris legis præjurata professio submovent auditorium, et viventi constituunt sepulturam. Dum linguæ tuæ volubilitas aureo sermone diffunditur, Tullium, aut Quintilianum vel aliquem ex illis veteribus officinis perorare confiteor : et licet in multa sapientia multa sit indignatio ; sublimitatem tamen tuam humilitas tanta componit, ut videatur impletum in te, quod dicitur : « Et in veritate tua humiliasti me (*Psal.* CXVIII). » Excessi, fateor, et meæ tenuitatis oblitus, longum nudumque stylum tuis oculis præsentavi ; excuset ergo, dulcissime magister, orationis defectum affectus integer, et tegat amicitia quod imperitia denudavit. Sit in beneplacito tuæ dignationis ut digneris mihi mittere sermonem illum quem super illam Salvatoris sententiam dicere solebas : Si Filius vos liberavit, vere liberi eritis (*Joan.* VIII), ut liberet a morte peccati, qui solus fuit inter mortuos liber Jesus Christus sponsus Ecclesiæ Filius Dei.

(10) Rectius, *frontositas*.

EPISTOLA VI.

Ad Petrum (11) *Trecensem decanum, de unitate et dilectione.*

Decano suo et vere suo, frater NICOLAUS, a Domino super (12) decem constitui civitates.

Tibi aliter scribendum est, quia tibi me tota dilectione committo, unus es, quem affectus meus vindicat sibi : totumque te toto se trahere gloriatur. Ex duobus enim unum facimus et exclusimus binarium alternitatis principem, nec in nobis possidet locum dualitas, quos unitas commendat animorum. Spiritualis virtus est unitas, et illius unitatis unitatur (13) fastigium, in qua quidquid est unum est, hanc tantam inter me et te unitatem multiplex innexuit causarum pluralitas, et istam simplicitatem compositio multiformis effecit. Dulce colloquium, bona familiaritas, convictus assiduus, Scripturarum amor, venustas conversationis, morum gratia. Juventutis æqualitas, dulcedo naturæ, disciplinæ modestia, et (quod his majus est!) idem velle atque idem nolle in unitatem simplicitatis duos animos confuderunt. Super hæc omnia spiritus tuus bonus, et dulciori superfusus eloquio mitigavit asperitatem meam, et quidquid enorme fuerat, in mensuram redegit. Non invenit in me cultioris ingenii subtilitatem, nec eloquentiæ gloriantis insignia, sed jucundiori gratia prævenit is amicum suum, præventum coluit, et colere non desistit. Grata sane confœderatio, quam adulatio non extorsit, quam nescivit personata felicitas, nec fortunæ blandientis in altera prosperitas simulavit. Ubi enim inæqualitas eminet personarum, non tam amor quam favor dicendus est ; et raro amicitiæ magnitudo de fortuna impari pares animos facit. Nihil horum obstitit nobis, quos nec pecunia, nec fortuna, nec famosi nominis divulgata celebritas, sed magnus amor feliciori gloria colligavit. Erubescant philosophi, et academicorum linguæ convertantur retrorsum : quæ simplex et compositum confundente nihil simplex ex compositis partibus elucescere crediderunt. Ecce duo rediguntur in unum (*Luc.* XVII) et Aristotelicæ subtilitatis enervatur instantia, quæ verborum multiplicitate confidens, indivisibilis unitatis ignorat arcanum : nec præjudicat exterioris habitus separata divisio : quia non color vestium, sed amor cordium, amicitiæ fabricat majestatem.

(11) Huic rursus scribit ep. 17.

(12) Confidentius restitui voculam *super*. Respexit enim auctor ad parabolam exaratam.

(13) Apparet legendum, *imitatur*.

Digitized by Google

Gaudeo super te, et utramque fortunam te vivente derideo : dum aut prospera tibi communicata sit lætior, et adversa te compatiente sit lenior. Si fortuna superbiens lucidioris mihi gratiæ cursum abrupit, consolatio abscondita est ab oculis tuis, nec ante sereniorem vultum tua facies induit, quam mihi serenitas redderetur. Si demulcens et læta gratiosiori mihi jucunditate reduxit : statim mihi mens lætior, vultus hilarior, sermo compositior inundavit; felici animæ noctem verterunt in diem ; sed mihi infelici diem verterunt in noctem, qui separaverunt nos corporaliter, cum corde non possent. Et licet spatiorum diversitas non minuat diligentis affectum, convictus tamen et conversatio habent aliquid vivæ voluptatis, et collata colloquia dulces amicitias faciunt dulciores, ecce monachus factus sum in longitudine litterarum, sed stylum currentem instigavit plurimus affectus. Parcat affectui, qui novit affectum : et prolixitatem, deputet charitati. Felix tu sed ego multo felicior : consociales animi corpoream quoque societatem receperant, interim pro præsentia sit memoria donec utriusque gaudium impleatur.

EPISTOLA VII.

Ad priorem et seniores Clarevallis de ejus receptione (14).

Dominis et patribus reverendis priori R. et consilio suo frater Nicolaus facere misericordiam in illum qui incidit in latrones (*Luc.* x).

Hac vice sustinete modicum quid insipientiæ meæ, sed et supportate me : omnem enim mihi fiduciam suggerit, et humilitas vestra et necessitas nostra : et illud tertium, in quo mihi spem dedistis, nostræ pusillitatis susceptio. « Suscepimus, Deus, misericordiam tuam (*Psal.* xlvii), » cum suscepimus societatem illam, socii facti supernarum virtutum, quæ in Clarevallis locis cumulatius immittuntur propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Non est ergo vanitatis occasio, sed affectio veritatis; quia non illa quæ inflat, sed quæ ædificat, in causa est. Hoc excessu libera est anima mea licet gravioribus se astrictam diffiteri non possit. Clauseram quidem me infra memetipsum, ut non esset sermo in lingua mea, sed affectui meo amplius imperare non potui, quin hoc saltem remedio cor meum vestris cordibus communicarem. Impatiens animus meus et se verbis indicare gestiens, et loqui audet et veretur : æstuat ut se aperiat, veretur ne displiceat : laxo tamen habenas, et largiori voluntate totus in vocem feror. Familiare erit sapientibus tolerare nescientem. Discessi a vobis in gaudio; sed nolite credere quod gaudium meum plenum sit. Quale enim gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, qui lumen cœli, lumen Clarevallis non video? (15) O lumen descendens a Patre luminum (*Jac.* i), ubi lucent luminaria in firmamento cœli, unde assumptum est videlicet Eugenius papa, luminare majus quod illuminet terram. O felix regio, ubi vidi filios Israel per ordines et turmas incedere ; omnes negotiosos, otiosum nullum, omnes gladios tenentes et ad bella doctissimos in spiritu fortitudinis terram promissionis intrare ; ibi vidi Sponsam Christi, quæ fere ubique rugata est, sine ruga et macula (*Ephes.* v) : illam quæ vere vulneravit cor sponsi sui ; illam, quæ in uno capillulo et ocelluli scintillatione sollicitat cœlorum regem, angelorum Dominum, Filium Dei Patris, et dixi : « Castra Dei sunt hæc (*Gen.* xxxii).— Non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli (16), » quam circumvolat et circumdat legionum cœlestium multitudo in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia. Hæc videns, levavi me super me, et in mentis excessu raptatus, juravi et statui pauperem Christum cum pauperibus sequi, ut paupertatis præmium invenirem, nec potui nec volui diutius spiritum accensum exstinguere ; sed in brevi multa, et multiplici affectuum multitudine subsepulta, veni ad vos sicut de mari ad portum, de promisso ad præmium, de labore ad requiem, ad spem de desperatione : veni ad locum quem elegit Dominus ex omnibus locis, ut ibi non alibi sederem ad pedes Domini mei, donec audirem criminum remissionem in pace; locus ille locus sanctus est, vallis nemorosa, vallis abundans, paradisus deliciarum, gratiarum hortus, in quo si non fuero et vixero moriar. Fraudatus graviter a desiderio meo, coram Deo loquor, quia si conferrentur in me omnia regna mundi et gloria eorum, nihil esset, si vobiscum et in loco illo non adesse contingeret : Clarevallis in affectu, Clarevallis in sensu, Clarevallis in præsentia, Clarevallis in memoria, Clarevallis in ore, Clarevallis in corde est, et teneram animam tenerrima meditatione succendit. Libenter quidem consilium vestrum et sustineo et sustinebo; sed si qua est pietas, si quis charitatis affectus, miseremini mei, miseremini, et educite vinctum de domo carceris, quia carcer est ubique sine vobis. Nunquid non impetrari poterit a fratribus, imo ab hostibus nostris ut dimittant nos in loco isto, donec veniat communis pater, cui repositum est, qui spiritu oris sui dividat inter diem et noctem, vel inter diem et diem? Nunquid in tanto consilio tantillum consilium manendi inter vos non poterat inveniri? Recordamini prioris, quem ipsa senectus venerabilem reddit, et juvenis quem bona voluntas et multa utilitas amabilem facit : qui non habent consolationem, consilium nisi a vobis, et in vobis. Sentio quia nimis progredior et egredior ultra modum meæ pusillitatis ; sed excuset compassio, quod oratio ausa est, et prolixitatem charitas tegat : et quia post Deum omnem sollicitudinem meam projeci in vobis, sit in beneplacito vestræ dignationis ut mittatis nobis dominum Gaucherum (17), quia multa vobis habeo dicere, quæ scribere ausus non

(14) Ejus jam recepti meminit S. Bern. ep. 35, post edit.

(15) Hinc elucet tempus quo Nicolaus defecerit ad Clarevall. hoc est, post an. 1145.

(16) Excurrit vero in laudem Clareval.

(17) Hunc puto esse Gaucherum quem S. Bern.

Digitized by Google

fui, ne forte epistola in curiosorum manus incideret; renuntiate nobis dignationem vestram, et liberetis nos a circuitu isto, ut vos liberet ab omni malo qui solus fuit inter mortuos liber sponsus Ecclesiæ, filius Mariæ Dominus Deus noster.

EPISTOLA VIII.

Ad Theobaldum priorem, qui cum eo ordinem intraverat et exierat, revocativa.

Doleo super te, Pater Theobalde, et dolor iste in conspectu meo semper. Quotidie fit recentior et vulneri vulnus infigens (18) tam acriter quam pertinaciter affligit spiritum meum, renuit consolari anima mea; memor fui tui, et contristatus sum, et defecit spiritus meus (*Psal.* LXXVI). Nec sic memor ut obliviscar, sed sic, ut adurar magis ac magis. Credebas me forsitan oblitum tui et ex illorum esse numero qui colunt proximum dum bene succedit, cum male est, non agnoscunt. Scioque male tibi esse, nec fuit cuiquam pejus, nisi quis similiter aberravit. Homo eras in honore positus, plenus dierum, et litterarum bonæ voluntatis et multæ utilitatis societatisque dulcissimæ. Noverant te tam curiæ quam Ecclesiæ, principes : et sic vixeras in ordine contra ordinem, ut a mundi actibus alienus non esses. Quidquid dulcius habuit, habueras et eructaveras ex hoc in illud. Mihi quoque tanta familiaritate devinctus eras, ut mirarentur etiam nostri, nostris temporibus Scipionem (19) et Lælium revixisse. Uno denique consensu reliquimus omnia: et de Veteri Testamento et umbra Cluniacensium, ad Cisterciensium evolavimus puritatem. Nam, juxta Pauli vocem, si prius illud culpa vacasset, non utique secundi locum (20) inquireremus, et habent revera observationes vestrorum cum observantiis Judæorum nonnullam similitudinem. Illi enim in auro et purpura, in cibis et potibus et variis baptismatibus omnem ritum divini cultus intulerant : ita et apud vos (21), ubi plus est auri, plus creditur esse et meriti; ubi plus palliorum, plus morum; ubi plus epularum, et vestium, ibi verior observatio mandatorum. Hæc autem fecimus non subita, uti assolet, commotione jactati; sed morosa deliberatione firmati dedimus societatis dextras sub sacramento et testimonio divinitatis, et in manu quidem forti recessimus ab eis et ad istos accessimus : ubi te vidi virum virtutis, quem nec minæ concutere nec blandimenta seducere potuerunt. Quid plura? Egressus ab illis, ingressus ad istos, ad illos regressus es. Egressus commendabilis, ingressus prædicabilis, sed exsecrabilis est regressus. Non est hic regressus ad patrem; scandalum reliquisti tuis exiens, rediens multiplicasti. Nostri enim viderunt et doluerunt, sed compassione moti; non regressione vel transgressione turbati. Si væ tui, per quem quodlibet scandalum venit (*Matth.* XVIII), quid illi, per quem tot et tam gravia scandala provenerunt? Sed dicis fortassis : Pungebat me tunica, turbabat esca, premebant calores, vigiliæ fatigabant, cruciabat silentium, cogitatio contorquebat. Hæc quidem prima abstinentiæ gravia erant, et prope erat, ubi cupiditas relangueseeret et Deus tuus in adjutorium tuum. Si clamasses : « Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me (*Psal.* LXX); » nunquid subtraheret manum suam, qui implet omne animal benedictione? (*Psal.* CXLIII.) « Invoca me, inquit, in die tribulationis : eruam te, et honorificabis me (*Psal.* XLIX). » Ego quoque ex eodem luto formatus eram in tanta teneritudine et celsitudine nutritus qualem et ego novi et tu non ignorabas. Ego saltem te retinere debueram tam propter exemplum, quam propter affectum; sed tu rectitudinis et necessitudinis oblitus existi a concilio multorum et congregatione ad primum impetum; propheticæ et evangelicæ voces corruerunt in te : quia, qui juxta prophetam ad punctum et in modico dereliquerat te, revertebatur ad te in misericordia et miserationibus suis multis (*Isa.* LIV); nunquid novum aliquid habet mundus quod offerat iterum redeunti? Nunquid juxta vocem Berzelai (*I Reg.* XIX), cum septuagenarium excesseris vigent sensus tui ad discernendum suave et amarum; aut delectare te potest cibus aut potus, aut mulcere aures vox cantorum aut cantatricum? Quam melius juxta exemplum gloriosissimi senis (22), etiam si mori oporteret, gloriosam mortem quam vitam amplectereris odibilem et diceres cum eo : « Sustinendo fortiter, senectute dignus apparebo. Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, ne maculam vel exsecrationem senectuti meæ exquiram. Nam, etsi in præsenti tempore suppliciis corporis eripiar, sed manus Omnipotentis neque vivens, neque defunctus effugiam. » Hæc decerent hominem priorem ordine, magistrum honore, provectum ætate, canitie reverendum. Nemo tibi de reditu blandiatur, quia juxta satyricum tuum :

Nemo nocens absolvitur, se judice (23),

cum tu tuam conscientiam tecum! portes, et te miserum, si contemnis hunc testem. Propter hoc plorans ploravi, et plorare non desinam cum videam alterum me tam graviter periclitari, ne dicam apostatare, et mortem imminere extremæ senectuti; non enim habet quod speret, quem senectus ducit ad mortem, quia necesse est mortem senectutem sequi. Propterea, dilecte mi, redi ad cor tuum et festina venire ad hominem Dei : spretisque omnium consiliis, consilio ejus committe animam tuam, ne

epist. 267, appellat Galterum nuper ad Clareval. ex Cluniac. translatum et ad quem leges postea epist. 45.

(18) Melius, *infligens*.

(19) Tul. in Lælio testatur fuisse memorabilem utriusque familiaritatem.

(20) Locus est c. VIII, epist. ad Hebr. ubi præponit Novi Testamenti ministerium Veteri.

(21) Hoc est apud Cluniac. de quibus leges haud absimilia epist. 1, S. Bern.

(22) Huic erat Eleazarus nomen. Relege hist. ex II Mach. VI, ubi hæc alio ordine leguntur.

(23) Juven., sat. XIII

Digitized by Google

perdas eam, cave iterum ne hominibus vel negotiis A sæcularibus manum mittas, quia hoc et summæ infamiæ esset et extremæ dementiæ. Quod si perseveraveris dicens; Non faciam hoc, sed voluntatem cordis mei perversi sequar, neque iniquitas mea neque peccatum meum amplius. Erunt autem litteræ istæ inter me et te in testimonium ante terrificum tribunal illius qui tunc non parcet, nec miserebitur, quia justitia plena erit dextera sua. Quod si ex me, quæ circa me scire cupis, audi breviter. Nicolaus tuus mortem perdidit, et vitam invenit ad votorum plenitudinem: deest mihi resurrectio tua, quam si videre et audire contigerit, non sum fraudatus a desiderio meo. Vale, et memorare novissima tua.

EPISTOLA IX.

Brocardi (24) abbatis de Balerna ad ipsum Nicolaum de conversione et nova dilectione congratulativa.

Dilecto sibi multum et amabili valde Nicolao frater Brocardus de Balerna a salute in felicitatem.

Hac vice prima in simplici stylo recipe me : et sine modo, ut quadam compositione graduum liceat ascendere ad animal primum pennatum implumi bestiolæ. Si testudo est, quomodo loquetur avi pennatæ? Si talpa est, qualiter cum cervo saliet? Si cicada, quomodo citillabit (25) ad oloris melodiam? Concede, quæso, ut in simplicitate mea tanquam hebes vetulus accedam ad juvenem chalybatum; incidentis aciem persensi, ideo chalybe a simili mihi sit argumentum: at etiam hebeti et obtuso, opus est et chalybe, præfatiuncula hæc stet hic. Gratias ago Deo nova facienti omnia pro novo mirabili de immutatione nova innovati Nicolai : qui fecit album de nigro, novum quid fecit et mirabile : sed hoc mirabilius est inter omnia nova, et novo novius quod de tali nigro tale album factum est. Bene et optime potuit facere, quem fecisse constat, ut Æthiops pellem suam mutaret (*Jer.* XIII). « Hæc mutatio dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVI). » Benedicamus illi conflatorio, in quo sic conflatum est et purgatum ut ad albedinis claritatem perveniret cum nova admiratione et novo gaudio. Sed quid ad me de hac novitate? Multum per omnia. Etenim novam gratiam noviter me accepisse glorior in hac novitate de nova notitia et nova familiaritate et nova dilectione, nova intentio, novi thesauri de D novo amico noviter invento. Huic scriptum est : « Amicus fidelis protectio fortis : qui invenit illum invenit thesaurum (*Eccli.* VI), cujus memoria delicias mihi operatur incomparabiles et recordatio jucunditatem, et consideratio suavitatis abundantiam, et perfruitio gaudii novitatem. An non ista nova sunt, a nova inventione decurrentia et uberrime redundantia? Hæc a te ad me, sed a me, quid ad te? Dico, purga, poli, lima, rade, sculpe, innova, depone, lava, terge, ut album nostrum purgatum, adhuc ibi amplius quam septuplum purgetur.

(24) Epist. 146 S. Bern. appellatur Burcardus. Vide notas ad eamdem epist.

EPISTOLA X.

Rescriptum ad eumdem de una dilectione.

Reverentissimo Patri et amico charissimo Brocardo Balernensi abbati, frater Nicolaus in vero salutari, salutem.

Vidi litteras vestras, imo vos in litteris vestris et de camino fornacis ardentissimæ scintillas evolantes incurri, nec adustus sum ex eis, sed accensus et in medullas cordis, verba flammantia descenderunt et incenderunt eas. Beatum sane pectus, quod charitatis flamma profundius absorbuit in spiritu judicii, et spiritu ardoris. Felix anima, ubi vera paupertas, inexpugnabile refugium et singularem requiem fabricavit. Dulcissimus animus, quem B spiritus humilitatis largiori gratiarum flumine placidissime circum rorat. Vigilantissima mens, de qua tam sapientiæ quam eloquentiæ fontes et perenniter et affluenter ebulliunt. Denique consummatissimus homo, in quo virtutum concentus et conventus scientiarum reverendum sibi thalamum consecravit. Nunquid varietatis, et non potius veritatis sunt hæc verba? Veritatem dico, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea. Novit etiam ille divinus intuitus, cujus oculis omnia nuda sunt et aperta (*Hebr.* IV), quia sicut in scripto, sic et in animo, sentitque anima quod continet pagina, longeque sublimius quam mortui possunt apices designare. Unus et unicus estis post illum unum, quem C diligit anima mea, qui principalem in pectore meo mansionem habetis. Sed et ego in sacrarium vestræ dilectionis receptus, vestris visceribus inviscératus sum in æternum et in sæculum sæculi. Sola mors, quæ horrendum divortium amicorum facere novit, poterit hanc intercidere unitatem : imo nec ipsa, forsitan autem et huic ipsa comparabitur unitati quando tanto unicius, quanto invisibilius occurremus in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes.* IV). Tunc ex omni parte, omni arte callidi tergiversatoris elusa et elisa videbimus Deum in nobis, nos videndo alterum in altero subtili jucunditate et jucunda subtilitate : quia, qui « adhæret Domino, unus spiritus est (*I Cor.* VI). » Si itaque cum omnes D adhæserimus Domino, unus spiritus erimus cum Domino. Ergo in illa civitate munita et unita, unitas sola regnabit et implebitur illud quod puer citharœdus sic intonat : « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, etc. (*Psal.* CXXI). » Sed hæc cogitet, qui cogitare sufficit, quia etsi ex his afficior, defecit, fateor, spiritus meus, nec assurgit vel ad intuendum tantæ dignationis arcanum. Hic enim opus est et visu mundiori et sensu profundiori cum utrumque longe a me et ultra me esse non ambigam. Interim me felicissimum dico et judico cui sola notitia vestra, quæcunque reliqueram large centu-

(25) Hic videtur legendum *saltitabit*.

Digitized by Google

plicavit. Inde est quod licet præsentia corporis remotus sitis a me : memoria tamen cordis totus estis apud me, et in me et mecum, non sine multa dulcedine jucunditatis. Si potest mihi auferri cogitatio mea, poterit et dilectio vestra, quandiu illa fuerit in me, non eritis sine me; quia vera est nimis sententia illa, animus amico possidendus est, hæc autem nunquam abest, sed hactenus. De cætero itane ludere vultis cum puero isto, sane dignanter atque amicabiliter; sed si ita luditis, ut non illudatis, postulatis vos recipi a me in simplici stylo, cum ego totus obstupuerim in luce sagittarum vestrarum, in splendore fulgurantis chartæ vestræ. Tota pagina phalerata est, et splendoribus rhetoricis inauratur, et fecundissimi sensus, sententiarum majestate scintillant. Alteratis enim verba eadem in eadem pagina et difficillima, sed facillima vobis subtilitate: colores oratorum in manu vestra cerei sunt, illene ergo implumis est bestiola, qui floridissimas et multiplices artium pennas sensibus suis inauit, ut directior exeat sagitta verborum? Nunquid ille testudo est qui tam cognitione, quam dilectione veritatis in verticem rerum attolletur? Quomodo talpa est qui cordis oculos illuminatos habet, qui terram et terrena contemnit? An cicada qui voce magna clamat ad Deum et post Deum die ac nocte : magna humilitas est magnum esse, nec sentire se magnum. An pennatum animal ego sum? de sex alis pennatorum animalium nondum penna, necdum ala subcrevit. Cervusne ego qui necdum perfeci pedes meos tanquam cervorum, et super excelsa statutus sum? (*Psal.* XVII.) Siccine cygnus vocor, qui nondum dedi voci meæ vocem virtutis : cujus albedo, si qua est, necdum tamen est in sincerissimum repurgata candorem? Sed amicus est qui loquitur, et illum de quo loquitur, vehementer pectori suo impressit. Credit quidem propter quod loquitur, et ardenter credit de amico, quod etiam de inimico libentissime crederet. Porro illa duo secretiora verba, quæ mihi mandastis, collegi et collocavi inter verba mea; quæ etsi personata non sunt, tamen serpere desierunt. Dabo autem operam elimare et eliminare quod residuum est, ne quid in amico sit quod amicum offendat. Salutat vos H. (26) vester et mandat vobis quia prope est dies in quo feriet pactum cum Domino Deo suo, cui vos interesse et instanter supplicat et constanter requirit. Promisisti enim; sed et G. meus, et vestro, qui hæc excepit, individuus comes scriptitationum mearum, memoriam vestri spiritus in suo spiritu plenissime collocavit. Valete et orate pro utroque, quia uterque vester est

(26) Vel hallucinor, vel H. solitarium significat Henricum de quo epist.

EPISTOLA XI.

In persona Patris Fratris Girardi de Perona, ad quemdam hominem suum, de ingratitudine.

Dilecto suo N. Frater GIRARDUS dilgere judicium et justitiam.

Vetus proverbium est et veterum ore celebrata sententia : Beneficiorum memoria labilis est, injuriarum vero tenax. Nihil enim, ut philosophus ait, inter homines, tam celerrime consenescit quam beneficium, cum æternæ memoriæ configendum ab omnibus prædicetur. Hanc pessimam consuetudinem invenerunt filii hominum ut distendantur in ea, quia gratiis ingrati sunt, et beneficiis non volunt respondere. Ingratitudo pessimum vitium, dispersio virtutum, meritorum exinanitio, ventus furens et urens, exsiccans misericordiæ fontem, rorem pietatis extergens, et obturans flumina gratiarum (27). Hæc et si propter te penitus dico, volens ad beneficia commovere. Tu scis quia multa bona feci tibi, et fecisse me gaudeo : non est ista commemoratio quasi exprobatio beneficii accepti, sed commonitio quædam, ut quod mihi amplius facere non potes facias filio meo, quia ipse in me, et ego in eo (*Joan.* VI). Natura enim et usus habet, ut qui diligit patrem, diligat et filium, diligatur a patre (*ibid.*). Ipse tibi multa debet, sed tu mihi nulla debes; et hoc multum contra multum debet esse quædam laxatio debitori. Fac cum illo gratiam et benignitatem, quia quidquid illi feceris, mihi factum est. Sic enim liberaberis et apud Deum et apud homines; et omnes qui audierint dicent quia Fecit quod debuit facere homo iste. Ego autem G. uti charissimum meum rogo, ut prædicto R. litteras istas legas attentius et per singula verba discutias.

EPISTOLA XII.

Ad Abbatem Igniacensem in persona Prioris concordativa.

Et dilecto et multum diligendo Patri, Igniacensi et abbati Fr. R. de Clarevalle sancto igne iguiri (28).

Tanto securius scribimus vobis, quanto sincerius diligimus vos, et hæc pro negotio vestro. Omnia enim vestra nostra sunt, et nostra sunt vestra, dilectissime pater. Est negotium inter nostros Igniacenses, et vestros Clarevallenses quod vobis G. M. imo et vester viva referet voce, ipsum enim audietis tanquam nos. Supplicamus igitur quatenus tam pro matre vestra Igniacum cum prædicto G. eatis; et secundum quod ipse ex parte nostra dixerit vobis, negotium terminetis : cum enim communis pater dominus Clarevallensis venerit, tunc etiam juxta consilium vestrum omnis causa et omnis controversia decidetur quod si vos (quod quidem non expedit) ire non potestis, sit in beneplacito vestræ dignationis, ut fratrem Henricum de Vivisembero,

(27) B. Bern. serm. 51 in Cant. idem ferme scribit : *Ingratitudo ventus urens siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ; ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio.* Epist. 2, eamdem usurpavit sent. ex Comico in And.

(28) Ludit in nomine *Igniacensis*.

Digitized by Google

illuc mittatis qui vice vestra statuat quod constituendum est.

EPISTOLA XIII.

In persona Henrici fratris regis Franciæ ad dominum Clarevallensem pro episcopo Alicensi.

(Vide epistolam 1 Henrici Remensis archiep., supra hujus voluminis col. 1573.)

EPISTOLA XIV.

In persona Domini Clarevallensis, comiti et baronibus Britanniæ pro negotiis crucis.

(Vide *Patrologiæ* t. CLXXXII, col. 672, inter S Bern. epist.)

EPISTOLA XV.

Ad quemdam socium : commendat Clarevallenses et incitat reddere vota.

Quanto dolore tibi condoleam, noverit ille qui B dolores nostros portavit (*Isa.* LIII). Absit autem contempserim, quia non scripserim cum tibi ex fraternitate et familiaritate debeam quidquid sum, et ex charitate, quidquid facere possim in Domino. Sed tu scis quia inter homines sum, in quibus viget disciplinæ censura. Morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, taciturnitatis insigne. Nolo autem argui singularitatis, ut cum illi vacent, et videant, quoniam ipse est Deus, ego stylum et tabulas revolvam, ut revolem ad phaleras gloriamque verborum. Tamen a custodia matutina usque ad noctem nihil aliud facio : non illis imputetur qui mihi hæc oneris imposuerunt et posuerunt me multa scribere, et rescribere multis. Plorare enim et orare deberem ; et juxta prophetam (*Jer.* III) ponere in pulvere os meum si forte sit spes, si forte videat humilitatem meam Dominus, et laborem meum, et dimittat universa delicta mea (*Psal.* XXIV). Quod dicis quia non est cura mihi de aliquo ; aliter est. Nec enim quia in Clarevalle sum, affectus humanos vel exui vel exivi : sed testis mihi est Deus quomodo vos omnes habeam in visceribus meis : a quibus etsi corporaliter recessi, corde tamen non recedam in æternum et in sæculum sæculi. Te autem impressius posui in signaculum super cor meum, cujus mentem et ex parte novi et pro quo sæpius expandi manus meas ad illum qui non sprevit neque despexit orationem pauperum : sed nescio si posuit lacrymas meas in conspectu suo. Quod sæcularis es et sæcularibus conjunctus, quam sis morti proximus tua scientia et conscientia non ignorat. Quod arcana mentis tuæ mihi denudare non audes scribendo posses colloquendo : nisi magis timeres homines quam Deum. Quod te post me et a me trahi sperabas, jam impletum esset : nisi tu trepidasses timore ubi non erat timor. Tu scis quam fideliter et efficaciter te trahere voluerim de fornace ferrea magnæ Babylonis ; sed tu de manibus meis relapsus es ad antiquum incendium. Quod peccatum hujus discessionis dicis te lacrymis et A ligone pœnitentiæ delevisse. Utrum verum sit : sed in peccato manere, et peccati veniam impetrare non est illius qui dicit : Ex ore tuo justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. Si novisti quod non solvisti, præsertim cum noveris vel de malo ad bonum, vel de bono ad melius pertransire : vide quandiu non facias, si in utramque aurem valeas obdormire, et audi super hoc quid sentiam, nec meam solum, sed et beati Gregorii in Pastorali suo (29) : « Quisquis, inquit, majus bonum subire proposuit, bonum minus quod potuit, sibi illicitum fecit. » Item ipse in homilia tertia super Ezechielem (30) : « Sunt nonnulli qui bona quidem, quæ noverunt operantur ; atque hæc operantes meliora, quæ deliberant, sed exspectantes (31) meliora, quæ deliberant, (32) mutantur. Et quidem bona agunt quæ cœperant ; sed a melioribus, quæ deliberaverant, succumbunt. Ili nimirum ante humana judicia stare videntur in opere ; sed ante Dei omnipotentis oculos ceciderunt in deliberatione. » En speculum, in hoc non vultum nativitatis, sed factum tuæ reversionis considera. Quod vero bonum sit majus aut minus, superius aut inferius, arctius aut remissius, novit omnis ecclesia sanctorum. Quod autem statim tuis litteris non rescripsi, non potui pro passione Domini, in qua vix nuntio tuo vel licuit vel libuit conferre sermonem. Humbertus ille, qui hominem exuit non est ille communis pater, de quo tu dubitas, versus Galteri mei, imo et tui nondum habui. C Sed et si vidissem, non perlegissem, quia nos nihil recipimus, quod meretricis legibus coercetur. Ecce mitto ei epistolam (33), quam fidei tuæ sub testimonio divinitatis commendo ut eam inveni signatam et integram reconsignes et cum ipse viderit, videas eam. Dominus autem abbas noster ad præsens veniet sicut nobis mandavit, de cætero paratus sum tuam in omnibus cum voluntate Domini facere voluntatem. Vale, et cogita quia mori te oportet, et illic pergere ubi constituta est domus omnis juventutis. Quidquid dico, dicit et Girardus.

EPISTOLA XVI.

Ad Walterium nobilem juvenem, rogans eum ad ordinem remeare.

D Suo WALTERO, suus NICOLAUS.

In ipsis conversionis meæ principiis principaliter proposueram tibi scribere, quam proscribere et si non valui, volui tamen. In multis et per multa et multum peccasse me memini ; sed nemini tam multus tumultus meæ malignitatis incubuit, incanduit sæpius indignatio mea contra eos qui proposuerunt adversum me mala pro bonis et odium pro dilectione mea, sed in te pro amicitiis inimicitias exsecranda conversione converti. Non est necessarium errores et horrores illos epistolari charactere renovare qui et sepulti sunt ante oculos hominum,

(29) Pastor., admonit. 28 sub finem.
(30) Sub finem.
(31) Impressi legunt, *retractantes*.
(32) *Immutantur*, in excusis.
(33) Insequentem videlicet.

Digitized by Google

ante Dominum non sunt sopiti. « Quoniam, ait sanctus, mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit (*Psal.* LXXXIX). » Igitur « tibi soli peccavi, et malum coram te feci (*Psal.* L). » Revera malum quia malus eram voluntate, potestate pejor, sed pessimus auctoritate. Omnia votis meis plenius respondebant dum me circumfunderet et confunderet adulantium favor, et qui retunderet ne unus quidem. Quis enim se opponeret vento furenti et urenti, qui ab Aquilonis partibus totis artibus sibilabat? Bonum esset ei si natus non fuisset homo ille cui voluntas et... præsto sunt, si benignitas desit, sed hæc erat hora et potestas tenebrarum, in qua jam urgebat super me puteus os suum, nisi totis misericordiæ visceribus vigilasset super me ille misericors pietatis intuitus. Hujus rei gratia ligaveram linguam, invaginaveram stylum, ne forte magis te ad iracundiam provocarem, quam revocarem ad gratiam. Sed tu læsus postulas veniam et prævenis me in benedictionibus dulcedinis, supplicans ut scribam tibi aliquid in veteris amicitiæ argumentum. Gaudens et audens occurro gratiæ redeunti : et ambabus, ut dicitur manibus, traho et retraho te ad cor meum. Eia, accipe affectum meum, sed alium, et aliter quam solebam. Nec attendas hic splendidioris eloquentiæ claritatem ; quia hæc est unum eorum, quæ retro oblitus sum ; quod mihi sæpius insolentiam et extollentiam ministravit. Stylus enim sententiarum majestate scintillans, et vernantis eloquii rutilans positura, philosophum decet non monachum, oratorem non exploratorem peccatorum suorum. Puerum exuisti, exuisti adolescentem, virum et statura et ætate reddens. Nobilis es, juvenis es, litteratus es, juratus es, in militiam regis cujus regnum est omnium sæculorum. Ut tibi illud Virgilianum (*Æneid.*) offeram :

Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.

Nunc vere opus est animo maturiori et corpore graviori, ut quidquid vitiorum infantia præcipuit, rapuit adolescentia, saltem virilis ætas eliminet et elimet. Hoc etiam si non propter pœnam inferni vel gloriam regni, suscipiendum tamen et propter compositionem morum et vitiorum expunctionem. Nobilis enim animus, et de cœlestibus officinis ad imaginem Trinitatis elapsus, pudere debet putidis artubus deservire et sic servire in carnem suam ut eam ad nutum nutu citius et ducat et reducat. Salomon domum illam asserit incompositam et expositam perditioni (*Prov.* XXX), in qua servus regnat, et stultus saturatur et ancilla ejicit dominam suam. Domina mens est, ancilla, caro : ancillam dominari, et dominam ancillari extremæ dementiæ est. Si exigit ratio ab omni homine, quid tu debes rationi et rationis auctori, quem et conscientia ligat, obedientia vocat, potestas tangit, angit necessitas? Fere enim ab uberibus matris tuæ collocatus es in sanctuarium Dei, ad sancte vivendum, et serviendum Deo viventi. Si carnis tunicam impollutam servasti, si unicus virginitatis candor puerilia membra sine intermissione vestivit, standum est, et instandum donec transeas ad candidatorum gregem, qui Virginis filium, Virginum sponsum per floreas mansiones sequuntur. Quod si juxta prophetam (*Ezech.* XXXIII) in Ægypto fractæ sunt manus tuæ, et cum Christus tecum dormiret discooperuisti te et suscepisti adulterum, exeundum velocius et devotius transeundum illuc ubi est vita ; ubi digni pœnitentiæ fructus primam reddant innocentiæ stolam, et in paternos revocent et reducant amplexus. Si non me retineret, dilectissime juvenis, honor religionis, timor præsumptionis, amor habitationis antiquæ, jam regerminaret antiqua loquacitas et ostenderem tibi quam horridum et horrendum est ibi vivere, ubi mori non audeas. Verumtamen ne penitus spiritum libertatis exstinguam, intende paucis quod te non parum attendere volo. Quid facient ante faciem tuam, Domine Jesu, qui in ordine sunt : ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat? qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia intuebuntur vultum gloriæ tuæ qui totum superbiæ montem idolum abominationis pessimæ contexuerunt? et licet operti sunt iniquitate et impietate sua, discooperti sunt tamen et venerunt clericis in opprobrium, sæcularibus in derisum, orbi in fabulam, ordini in ruinam? Quis dabit mihi gladium (34) Phinees, zelum Mathathiæ (35), fervorem Petri (36) : aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem? Sed nimis progredior et debeo cursum frenare sermonis, ne forte et nihil proficiat, et displiceat oculis tuis ; quid dicendo taceam : imo quid tacendo dicere velim, novit et scientia et conscientia tua. Quis dabit mihi et fratrem meum cum fratribus meis Clarevallensibus (loquor ut excocta ad purum scoria tua) fabrefaciant te lapidem pretiosum in corona regis æterni? O si cognovisses et tu quam dulce sit cupiditates fugisse atque fugasse, vilissimo cibo atque asperrima tunica esse contentum, mundum habere sub pedibus, et ex altissima paupertatis specula respicere, et despicere vanitates et insomnias falsas (*Psal.* XCII). O si te unquam in schola pietatis, in loco sanctitatis, sub magistro Jesu, cum Domino Jesu merear habere consortem : et quos una tenuit amicitia, una teneat disciplina. Quam libenter partirer tibi calidos panes, et de furno, ut aiunt, recens tractos, coctos adipe frumenti in superna Jerusalem, quos paravit in dulcedine sua pauperi Deus. Quam crebro cognoscimus Dominum in fractione panis, de quo, qui semel gustaverit mortem non videbit in æternum. Sed dices : Quomodo possunt hæc fieri? An ignoras quia cognatione mea plena est omnis

(34) Quo Zambri Hebræum fornicantem cum Madianitide occidit. Num. 25.

(35) Leg. cap. II I Mach. I.

(36) Quo scilicet abscidit auriculam Malchi.

Digitized by Google

terra, et omnes me sanguine contingunt qui in circuitu nostro sunt? et ego, « omnia possibilia sunt credenti (*Marc.* IX), » volenti lenia, levia diligenti. Facile contemnit omnia, qui cogitat; quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Sed jam epistola finienda est in cujus fine obsecro te per viscera misericordiæ Dei nostri ut scias possidere vas tuum in sanctificatione et honore. Cogita quanti pudoris sit propter ignominiosas corporis partes et cadaverosa et cavernosa membra pudere et perdere (37) interminabiliter, intolerabiliter, incessanter? Vespere (ait sanctus de homine loquens) decidat, induret, et arescat, decidat in morte, induret in cadavere, arescat in pulvere. Eia superbia, hæc est gloria filiorum Adam. Hic est ille sublimis honor, qui excipit de sæculo exeuntes, veniunt in pallorem et horrorem, et in saniem et fetorem et in vermem et cinerem puniendi etiam in sepulcro. Hæc vident et rident filii hominum (*Psal.* LI), solliciti ne sollicitudinum materiam possint amittere. Nec mirum, quia finis fructuosus, locus gloriosus, comes speciosus exspectat eos, videlicet interitus, infernus, diabolus, quia et « mors peccatorum pessima (*Psal.* XXXIII), » et in inferno gloria eorum, et cum diabolo et angelis ejus. Hæc et ejusmodi versa in animo tuo, et dulcia conventicula fuge, quia nihil sic effeminat hominem et via veritatis exturbat. Semper vitiis serviunt blandimenta, lenocinantur dulcia delictis, virtutibus fortia et austera amica sunt. Tu vero licet præsentia sis remotus a me : in memoria tamen totus es apud me; præsentiores enim sunt, qui se animis, quam qui oculis intuentur : et plus est connecti corde, quam corpore. Ecce habes quod petisti, et utinam sicut petisti, illud autem non te lateat, quia tuus sum, et tuus ero quandiu fuero in visceribus Jesu Christi qui mihi et tibi, peccatorum veniam, virtutum gratiam, cœlorum gloriam largiri dignetur : et sit finis epistolæ qui finis est ad justitiam credenti.

EPISTOLA XVII.

Ad Petrum (38) *decanum Trecensem provocativa ad ordinem et mundi contemptum.*

Magistro PETRO Trecensi decano et præcordiali, Frater NICOLAUS in psalterio decem cordarum psallere Deo.

Nolo tibi longum facere prologum nec candidioris eloquentiæ gratia paginam phalerare, quia sermo floridus et verborum ornamenta consectans, philosophum decet, non monachum. A re ipsa incipio, ut res ipsa sicut cognitionem, sic et devotionem imprimat cordi tuo. Factum est in una dierum cum plorarem et orarem ad pedes Domini mei ut propitiaretur peccato meo (multum est enim) memoria mea, pectus meum et altius et arctius occuparet. Elevans autem oculos ad illius supereminentis majestatis imperium, in hæc verba prorupi : « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Domine (*Psal.* LXXXV). » Ubi multitudo viscerum tuorum, ubi miserationum tuarum inexhausta profunditas? Qui (39) respicis super peccatorem, ne sit supra modum peccans peccatum (*Rom.* VII). Quæ enim utilitas in sanguine ejus, ut quæras iniquitatem ejus et peccatum ejus scruteris in illa tribunali (40), et horribili scrutatione, cum scrutaberis etiam Jerusalem in lucernis (*Sophon.* I), ne comprehendas eum in operibus manuum suarum, miserator Dominus, sed collige itinerarium humanitatis tuæ, et quid ei contuleris, et quid pro eo pertuleris, dignanter attende. Intende illarum tuarum infantilium necessitatum dignationem, reminiscere laborum quos pertulisti in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo, conviciorum, sputorum, colaphorum, clavorum horumque similium quæ in salutem nostram operatus es in medio terræ, ille quem tu contemnis, liberalis est, amabilis est, docibilis est, juvenis est, cui carnalitas sola solita malignitate blanditur. Præveni cum in benedictionibus dulcedinis, tange cor ejus, et ad unius jussionis vocem omnia hæc cum Apostolo tanquam stercora computabit. Sic dimicabam et supplicabam pro te, et de te cum Domino et coram Domino exercituum, nescio si posuit lacrymas in conspectu suo. Unum scio quia nunquam sprevit neque despexit deprecationem pauperis, ille tantus paupertatis amator, qui eligit exsultare a cœlis, ut pauper posset esse in terris. Nunc ad te stylum converto supplicans patri spirituum, ut ille per illum pangat et compungat cor tuum, qui tibi carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium ministravit. Tuum erit patienter audire amicum tuum amantem sinceriter, amaturum perenniter, qui te vult vocare ad cor, revocare ad viam, ad gratiam provocare. Nec debes irasci provocanti et medicanti, qui non irasceris sagittanti et agitanti te in vulneribus et anfractibus multis. « Amen dico tibi Petre, quia in hac nocte antequam gallus (41), » ille matutinus concisiori voce convocet omnem mundum; nimium dormis, nimium pateris et lethargiam (42). Mundus transit et tu cum transeunte pertransis : ante tamen quam transeat emittet te. Cum interieris, non sumes neque consumes omnia : sed omnia remanebunt, et tu ibis viam tuam; et viam quæ ducit ad civitatem. Hujusmodi enim viam civitatis habitaculi non in-

(37) Melius opinor, *perire* : nam et adjiciebatur, *in æternum* : quod, quave de causa fuerit a quopiam expunctum, me fugit.

(38) Hunc, supra scribit epist. 6.

(39) Hic adverbium *non* erat interpositum, sed a me depositum, utpote otiosum.

(40) *Tribunali* adjective positum hic a nullo, quod sciam, auctore idoneo fuit hactenus usurpatum.

(41) Christi prænonitionem ad Petrum apostolum scite retorquet ad Petrum decanum.

(42) Mendose erat *letaqam*.

Digitized by Google

venerunt, duo sunt, quæ te vehementer oppugnant et incessanter expugnant, adversus quæ pugnare et repugnare, oportet. Si redire eligis non perire ; elatio in mente, voluptas in corpore. Ex his duobus fontibus omnis abyssus vitiorum exsurgit et submergit universam superficiem terræ. In totam mundi latitudinem istæ regnaverunt paludes et ubique regurgitantes ipsis etiam montium cacuminibus suam refusionem intentant. O elatio, velatio cordium, corporum confusio, infusio præsumptionum, singularitatis magistra, novitatis amatrix, turbatrix pacis, unitatis expunctrix, communitatis dissensio. Hanc qui sequitur, consequitur invidiam, quia nullum inexorabilius consequitur multitudo, quam illum, qui sibi multitudinis arrogat principium. Nihil sic arcem virtutis arietat, et totius disciplinæ subruit fundamentum, quam superbia : ad quam reprimendam et deprimendam totam se contulit illa majestas quæ nutu concutit orbem. Conferatur in te, præferatur tibi Alexandri Macedonis, et gloria Augusti Cæsaris ; quorum priori in Babylone constituto Occidentalium gentium est oblata corona ; alteri in Hispaniis posito, ab omnibus Orientalibus eadem gratia est relata. Mori tamen te oportet et illuc pergere, ubi constituta est domus omni viventi. Mors succedens succidet omnia, et gloriam hominum plebisque ramusculos multum quæsitos, vix inventos, parum possessos, altissima profunditate sepeliet in æternum et in sæculum sæculi : et hæc quidem propter gloriam et elationem. De voluptate vero audi brevem, sed veram sententiam. Comedere, bibere, dormire, luxuriari et rotam nativitatis suæ per hunc infelicissimum orbem rotare non est hominis, sed jumenti : Deliciis et divitiis circumfundi atque confundi (quarum juxta virum mordacissimum) omnis usus aut in ventre aut sub ventre est, pecorinæ voracitatis est non divinæ similitudinis : et tu, ut pace tua loquar, tota nocte variis ferculis crapulatus indigeriem tuam ructas ad cœlum, ut in te homo hominis sit sepulcrum ; et in homine, non hominem videam sed cadaver. Ciborum multiplicitas vitalia dejicit, infirmat stomachum, corrumpit sanguinem, viciat humores, succendit coleram, extremum febris gravat incendium. Inde est quod luxuria serpit in carne, in venis æstuat, intrat ossa, conditur in medullis, ardet in sanguine, prorumpit in phrenesim vitiorum. Luxuria prodigum filium tulit ex gremio patris, ejecit domo, exemit patria, spoliavit fama, castitate nudavit (*Luc.* xv) : civem, in peregrinum ; filium, in mercenarium ; in egenum, locupletem ; liberum mutavit in servum. In his versaris et vexaris ; et non cogitas ut quicquid de vitiis infantia suscepit, adolescentia rapuit, juventus invasit, saltem extrema corrigat et senectus ; etiam moriatur innocens, qui vixit in crimine. Sed jam epistola complicanda est et signum imprimendum ne ad honoratam personam sine honore veniat et decore. Pro illo igitur, qui pro toto te, totum se morti exposuit et tormentis, cogita infantiæ vanitates, adolescentiæ lapsus, juventutis ruinas, senectutis morbos, et veni hic finire finem tuum, qua non est via rectior, non vita sanctior in omni sanctitate, quam sanctus sanctorum reliquit in terris. Excussit magnam epistolam magnus affectus, quia dum me tecum fabulari arbitror, stylum in longinquum extendi. Rescribe mihi voluntatem tuam : et epistolas domini Cenomanensis (43) mitte nobis, quia volumus eas transcribere, et si fieri possit :

Nihil mihi rescribas : attamen ipse veni.

EPISTOLA XVIII.

In persona Fratris Gaucherii ad quemdam militem Templi de amicitia spirituali.

Illi suo militi et militi Christi, o frater, Gaucherius in cœlesti militia conscribi.

Utinam viderem te, non scriberem tibi : et impleret tunc Deus desiderium meum super terram. Desiderio enim desideravi videre faciem tuam, sed hoc longe est a me, et ultra spem meam. Infinita enim terrarum spatia et vastissimi maris interjecta profunditas invident mihi hujus desideratæ et desiderandæ visionis dulcedinem. Præterea ligat te disciplina militum, et militiæ Christi, ad quem misisti manum tuam et me claudit pœnitentia pauperum Christi, quam juravi et statui custodire : magnum chaos inter me et te firmatum est, ut tu ad me descendere vel ego ad te ascendere non possim : O si, quod possibilius est, videant oculi mei, ut te aliqua negotiorum magnitudo traheret ad nos, tunc non essem fraudatus a desiderio meo. Quod si divisa sunt corpora, nunquid corda dividi poterunt in æternum ? Si spatia locorum vel intervalla temporum corporum separant præsentiam, nunquid unitatem et unanimitatem recidere poterunt animorum ? Absit ! Neque enim diligimus nos sicut homines, qui se diligunt ut homines : qui in carne et sanguine, carnis et sanguinis affectant præsentiam. Nostra dilectio tota de puritate descendit, tota spiritum redolet, nihil habens terrenitatis admistum. Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam (*Joan.* vi). Quid enim est aliud caro quam caro ? Corpusculum fragile, vile mancipium, minima pars mei abest tibi. Spiritus tuus bonus semper est in spiritu meo, mecum manet, mecum perseverat, nunquam recedit a me. Memoriam suavitatis tuæ eructabo quoad vixero. In æternum non obliviscar tui, nec poterit facere malitia temporis ut te vel ad horam de pectore meo subripiat ; hujusmodi amor locorum et temporis incommoda penitus ignorat, semper enim licet diligere, etsi quem diligas, videre non liceat. Charitas Christi, quamvis absentem, præsentem tamen te mihi reddit : et quanto longius recessisti a me, tanto ardentius in visceribus meis remansisti. Absit ut tua dilectio maris

43) Hildebertum videtur signare.

Digitized by Google

mihi fluctibus auferatur, cum scriptum sit : « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam (*Cant.* VIII); » tamen, « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc (*Psal.* XLI), » videbo illum, si non in terra, saltem in cœlo, cum te videbimus, Domine Jesu, in die æternitatis tuæ in splendore ad dexteram Patris. Interim, dilecte mi, oro pro te, si quid potest peccatoris oratio, ad illum qui non sprevit neque despexit deprecationem pauperis. Cæterum « beati oculi qui viderunt quæ tu vides. » Quotidie perambulas officinas nostræ redemptionis, et adoras in loco ubi steterunt pedes ejus, vides ubi natus sit, ubi fatigatus sit, ubi miracula fecerit, ubi mortem pertulit, et omne itinerarium ejus felicibus oculis admiraris. Ad extremum vides sepulcrum ubi sepultum est corpus Jesu, ubi virgineus flos Mariæ linteis et aromatibus conditus est. Unde et resurrexit hic primus et maximus flos qui apparuit in terra nostra. Ibi non te prætereat memoria Galteri tui, sed ora regem gloriæ, ut qui tibi dedit hæc videre oculis tuis, plantet illa in sensibus meis, et non amoveat orationem tuam et misericordiam suam a me : et ecce Galterus nepos meus venit ad te, qui me tibi et nomine et sanguine repræsentet. Vides illum? vides me. Quidquid illi feceris, mihi factum est. Experiatur in te quantum gratiæ habeo apud te, dulcissime atque amantissime frater. De cætero, vir nobilis atque Deo amabilis, ut scias, et non solum scias, sed etiam sentias quantum erga te nostra fervescat dilectio, duas pelles de Clarevalle per quemdam collateralem tuum militem templi in amoris dotem tibi transmisimus. Hanc ipsam epistolam et per alios nuntios tibi destinare curavi, ut si quid vobis casu in hac delegatione, absentatione unius defuerit, alterius suppleatur præsentia. Bene valeas.

EPISTOLA XIX.

In persona fratris Adæ ad abbatem Cazeiensem cum ordinem intraret.

Domino et charissimo Patri S. Cazeiensi abbati, frater ADAM non contristari quidquid ei acciderit.

Non sunt in homine viæ ejus : et viam maxime juvenis quis invenit, vel cognovit? hoc est illud quartum, quod penitus ignorat ille Salomon (*Prov.* XXX), sapientia singularis, sublimis gloria, rebus affluens, pace securus, levitas enim juventutis comes, naturæ confusio, infusio vitiorum, adolescentiæ vias tortioribus semitis intervolvit, ut non facile possit agnosci unde juvenis veniat, aut quo vadat. Hæc idcirco dixerim ut sequentibus litteris viam faciam, et aperiam vobis cor meum quod diu operueram ante faciem vestram. Ad quid tam longus verborum circuitus intendit, et quo tendit tam audax, sed non mendax oratio? Audi paucis, domine Pater, affectum cordis mei, qui memoriam tuam impressit in pectore suo in æternum et in sæculum sæculi. Diu est quod deliberavi in corde meo, ut ingrederer ad cor meum et venirem ad vestros Clarevallenses et reliquum dierum meorum agerem inter illos et cum illis. Dissimulavi, fateor, et conceptum propositum meis visceribus invelavi, ne revelatum velociter laberetur. In hoc spiritu veni ad homines Dei, et tandiu pulsavi donec impetrarem ingressum, et ecce cum illis sum quasi unus ex illis. Placeat tibi, domine Pater hoc holocaustum quod obtuli de corpore et corde meo, Domino majestatis, et sit in beneplacito voluntatis tuæ ut voluntatem tuam renunties puero tuo, quia tuus sum, et tuus fui, et tuus ero in sæcula.

(44) Hic est procul dubio Hugo, cujus exstat memoria epist 9, l. v, Petri Venerab.

EPISTOLA XX.

In persona ejusdem ad Petrum abbatem Cellensem.

(Vide inter epistolas Petri Cellensis in editione nostra ep. 60, *Patrol.* t. CII.)

EPISTOLA XXI.

In persona Aletensis episcopi ad dominum Clarævallensem consultativa.

(Exstat inter epistolas S. Bernardi in editione nostra ordine 474, *Patrol.* t. CLXXXII, col. 680.)

EPISTOLA XXII.

In persona Girardi de Perona, monachi Clarævallensis, ad Petrum abbatem Cellensem.

(Vide in Petro Cellensi, *Patrologiæ* t. CCII, ep. 49.)

EPISTOLA XXIII.

In persona Rualeni prioris ad archiepiscopum Turonensem, de directione, amore et charitate.

Domino et digne reverendo HUGONI (44) Turonensi archiepiscopo frater R. utriusque vitæ successum in Domino.

Etsi paucis scribo vobis, non parum tamen vos diligo in visceribus Christi. Quæritis tamen quantum, ut secure et sincere respondeam, respondeo multum : additis, et qualiter : profecto quantum facultas est fideliter, sapienter, fortiter; in charitate, quia « fortis est ut mors dilectio (*Cant.* VIII). » In his tribus gradibus arbitror et affectum et effectum sancti amoris plenius expressum iri. Et quia semel cœpit, adhuc loquar ad Dominum meum, jucundum sit ei eloquium meum : Locus ille, quem tenetis, magnus est et magnam a vobis exigit charitatem. Sine hac fides nihil est, martyrium nihil prodest. Nihil valet omnino expositio facultatum. Hanc volo crescere in domino meo et Patre meo, ut omnia vestra in charitate fiant. Huic enim unitus et per hanc unitus securus ibitis ante pontificem nostrum (45), qui penetravit cœlos. Cæterum bene novit vestra paternitas quid fecerit et quid faciat abbas S. Albini de eleemosyna domini Magnetensis, cujus vos custos eratis constitutus. Saltem

(45) *Christum* scilicet de quo hæc S. Paulus c. IV ad Hebr.

Digitized by Google

depositum, quod apud eum deposui, resignare debuisset, et postea dicere si quid esset dicendum. Cum hoc emendare feceritis, vestrum ipsius honorem facietis, amantissime Pater. Dominum Aletensem (46) vestræ sanctitati commendo, quia quidquid illi feceritis, factum est nobis. Gloria vestra hæc est pauperem et vestrum et talem episcopum protegere et honorare. Ego autem vester fui, vester sum, et vester ero, quandiu fuero, et ubicunque potero; mea voluntas est vestram cum voluntate Domini facere voluntatem.

EPISTOLA XXIV.

Ad Petrum abbatem Cellensem, excusativa dictandi vel scribendi.

(Vide ubi supra, epist. 50.)

EPISTOLA XXV.

Ad Henricum Trecensem episcopum, in persona Rualeni prioris Claræval., pro abbate Cellensi recommendativa.

(Vide ubi supra, epist. 51.)

EPISTOLA XXVI.

In persona Henrici fratris regis ad Hugonem de Compendio, redargutiva et attractiva.

(Vide supra, hujus voluminis col. 1567, inter epistolas Henrici Remensis archiep., regis Ludovici VII fratris.)

EPISTOLA XXVII.

Ad Odonem Pulteriensem Abbatem regratiativa de tunica quam remisit.

Charissimo Patri et præcordiali amico O. Pulteriensi abbati Fr. N. se ad pedes.

Quantum et diligam vos, et dilectus sum a vobis testis est antiqua familiaritas. Licet enim me in humili, vos in sublimi loco fortuna locasset, amor tamen qui postquam amor est, et regem et pauperem unit, unum ex duobus effecerat, ille adhuc in vestro pectore concalebat, cum mihi vestra munera transmisistis, et posset quidem indui tunica vestra, si unica non fuisset. Nimis est pretiosa, et speciosa hæc solo, non bona quia nimium bona, dilectissime Pater. Nec volo nec valeo, imo non debeo induere illam inter eos qui panniculis et semicinctiis vestiuntur, nec purpuratus necnon tunicatus incedam. Absit, absit ut peccatrici carni vestis iterum splendida coaptetur, ne raptetur ad ineptias suas. Propterea remitto eam vobis, cum non sit inter nos qui vel audeat, vel debeat illam induere, vos induite illam, domine Pater, cui et ex ordine licet et ex dignitate. Cum enim tunicam induitis ultra consuetudinem et ordinem vestrum facitis, sed scitis quid dixerit. Si quid supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi. Multa tamen gratiarum actione prosequor et qualitatem muneris et quantitatem munerationis; ita vero diligo donum remissum, sicut diligerem et retentum; quia non datum, sed dantis animum intueor. Ego profecto qui fueram antea servus vestræ sanctitatis et nunc et ante. Nec enim ordinis mutatio mutavit amicitiæ firmitatem, sed augmentavit. Unum in calce litterarum, supplico, ut oretis et orare faciatis pro me filios vestros et fratres nostros, salutatis eis ex nostra parte, si dignum judicatis; salutate etiam Josellinum vestrum et rogate ut in diebus juventutis suæ memor sit mortis suæ, antequam veniant anni de quibus dicat: Non mihi placent.

EPISTOLA XXVIII.

Ad Petrum Cellensem. Exhortativa contra malos et de correctione.

(Vide in Petro Cellensi, *Patrologiæ* t. CII, ep. 52.)

EPISTOLA XXIX.

In persona fratris Philippi. Ad cancellarium imperatoris attractiva, consultoria pro libris, etc.

Charissimo domino et amico Coloniensis Ecclesiæ præposito, et cancellario imperatoris (47), Philippo, bene disponere ut suum.

Ut verbis propheticis te alloquar, dilecte mi, anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis (*Isa.* XXVI, 10, 4)! Tacere decreveram et cum propheta ponere in pulvere os meum, si forte sit spes (*Thren.* III), si forte respiciat ille misericors pietatis intuitus humilitatem meam et laborem meum, hæc proposueram, ne et loquens, loquacitatis notam incurrerem; sed, fateor, amplius affectui meo imperare non potui, quin saltem præsentis epistolæ remedio cor meum tibi communicarem. Quod si se stylus extenderit, parcat affectui, qui novit affectum, et prolixitatem deputet charitati, utinam datum esset mihi desuper hæc viva voce proferre! oculi quippe loquentis fidem proferrent vel facerent et efficacior esset sermo vivus, quam scriptus, lingua quam littera, osculares illud mihi dulcissimum atque amicissimum caput, totusque a collo penderem hominis illius, cujus memoria pectus meum latius occupavit, altius irrupit, stabilius possidet, viventi convivit; nec mirum quia spiritus tuus bonus prævenit me in benedictionibus dulcedinis, et, ut verum fatear, semetipsum exinanivit, vilem benigne colligendo personam, cum te in rerum verticem fortuna locasset. Et ideo dulcior ista confœderatio quam adulatio non extorsit quam nescivit personata felicitas, nec fortunæ blandientis in alterum sublimitas simulavit; ut enim inæqualitas eminet personarum, et superior inferiori totis partibus jungitur, singularis utique humilitas est, quia rarissime, amicitiæ magnitudo de fortuna impari pares amicos facit. Propterea dico tibi: solus es et in mundo, et de mundo, quem singulariter et interminabiliter visceribus meis impressi. Eia, auditum est in terra nostra quod vexillum crucis as-

(46) Hic est Alicensis episcopus vel a S. Maclovio, de quo ad epist 13, sup.

(47) Male in Ms. *Philippi*: Nam usque ad annum 1200, ne unus quidem hujus nominis imperator regnavit. Emendatior ergo lectio, *Philippo*: qui S. Ber. commotus exhortatione potenti, spretis cancellarii et Coloniensis canonici honoribus, factus est Clarevallensis monachus, et paulo post elegantem scripsit epistolam, relictis Coloniensibus canonicis, quæ exstat c. 9, l. VI *Miracul.* S. Ber.

Digitized by Google

sumpseris, quod proposueris ire in civitatem Jerusalem ubi virgineus flos Mariæ liteis et aromatibus conditus est, unde et resurrexit ille primus et maximus flos qui apparuit in terra nostra. Non tempus et opus est ostendendi sapientiam tuam, ut sic disponat domui tuæ, quod conveniat honori personæ tuæ et saluti animæ in æternum et in sæculum sæculi. Tu quia in sorte, et de sorte Domini es, sine uxore es, frater tuus sine liberis est, soror maritum non habet, tota domus spem perdidit filiorum, hoc ideo factum arbitror ut sterilitas carnis in quæstum animæ commutetur, et scias quia felicius est fecundum esse spiritu, quam carne, et gloriosius cœlo parere quam sepulcro. Cum ergo omnium necessitudinum nomina sint sublata, quis faciendus est hæres, nisi ille qui omnia dedit, qui te fecit, cum non esses, qui redemit cum perditus esses, qui te vocat ad servitium suum, et potens est reddere in illum diem Dominus Jesus Christus? Sed et illum singulariter thesaurum tuum nobilem, bibliothecam loquor : quam utique tam mirabiliter, quam incomparabiliter congessisti, vide ut relinquas pauperibus Christi, qui pro te orent et plorent ut prosperum iter faciat Deus salutarium nostrorum. Quos cum benedictionibus tuis visitaveris, leva oculos tuos super domum istam in qua habito : et si non propter illam, saltem propter me servum tuum : et, ut tibi in aurem loquar, non est locus ordinatior, non est gens amabilior, non est vita sanctior in omni sanctitate, quam Sanctus sanctorum reliquit in terris. Tu vero, etsi præsentia remotus es a me, memoria tamen totus es apud me, quia tuus sum, et tuus ero quandiu fuero. In corde meo te assidue videbo quare præsentiores sunt qui se animis quam oculis intuentur, et plus est corde connecti, quam corpore : ut autem memoriale tuum oculis corporalibus etiam præsentetur, mitte mihi aliquid quod monacho conveniat. Saluta mihi etiam dominum regem : qui et forte mei propter grandia negotia oblitus est, ego tamen ejus non obliviscar in sæculum.

EPISTOLA XXX.

In persona domini Clarevallensis ad Constantinopolitanum imperatorem, ut faciat novum militem.

(Est epistola 468 S. Bernardi. Vide *Patrologiæ* t. CLXXXII.)

EPISTOLA XXXI.

In persona fratris Walteri (48) *ad W. fratrem suum, exhortativa ad mundi contemptum.*

Dilectissimo fratri suo WALTERO frater suus W. viam veritatis ingredi, nec egredi ab ea.

Etsi longo terrarum spatio et difficillimi maris interjectu remotus sum a te, tamen memoria sum juxta te, et non cesso orare pro te ad illum qui non sprevit neque despexit deprecationem pauperis. Neque enim, quia in Clarevalle sum, vel exui vel exivi affectus humanos, sed audio Apostolum Dei, imo Dominum in Apostolo prædicantem : « Si quis curam suorum non habet, fidem negavit et est infideli deterior (*I Tim.* x). » Propterea memoriale nominis tui arctius impressi visceribus meis, sciens quia omnia tua mea sunt, et tu meus es, dulcissime frater. Garcioni (49) fratris mei ego nec credam, nec credidi. Obitum fratris mei jampridem noveram et feceram orari pro eo, et adhuc faciam, fratrem nostrum Achetimum scribis uxorem duxisse, sed utinam scripsisses quod ei tertio anno, pro meo amore, terram suam sicut biennio feceras, concessisses; si inveni gratiam in oculis tuis, adhuc et tertio anno, meaque intercessione concedatur. Quod autem sub domino rege Scotiæ (50), sub quo et virtus mercede, et vitium ultione non caret, disposueris (51) ire in Jerusalem, placet animæ meæ : hoc est enim militare militiam bonam, invisere et defensare officinas nostræ redemptionis, contra eos qui adversus Regem gloriæ extulerunt caput. Scio quia commota est, et contremuit terra a facie sermonis hujus, et reges, et principes, et populi terræ certatim evolant, ut annuntient in Sion nomen Domini, et laudem ejus in Jerusalem et nolo dicatur tibi : Tu solus peregrinus es, et nescis quæ fuerunt in Jerusalem his diebus? (52) (*Luc.* XXIV). Melius tamen esset et securius ut sæculum omne relinqueres, quia vanitas vanitatum, et omnia vanitas, et hoc singulare salutis consilium est esse in concilio justorum, et congregatione. Quod si tetigit te Spiritus Dei, ut omnino illuc ire proponas : dispone domui tuæ, et tali dispositione, quæ conveniat strenuitati tuæ et placeat animæ meæ. Terram illam, quam tibi dedit dominus rex, fac confirmari sigillo regio, et assensu filii sui coram testibus. Cum hoc factum fuerit et illam et reliquam, fac confirmari fratri tuo, si ego aliquid possum in corde tuo, si te tangit recordatio nominis mei, quis enim melius et fidelius servabit eam tibi? Quod si discesseris (quod Deus avertat) (53) quis justius succedet quam frater fratri? melius est enim quod frater tuus hæreditet terram tuam, quam filius alienigenæ inducatur in eam, qui se generi nostro per sororem nostram immiscuit. Ecce habes cor meum; et consilium meum audi, et exaudi me si frater meus es, et si vis me fratrem tuum in sæcula.

EPISTOLA XXXII.

In persona fratris Franconis ad socios qui remanserunt, incitativa ad fugiendum mundum.

Dilectissimis sociis suis, dilectissimus eorum

(48) Hunc Walterum esse illum ipsum de quo c. 11 lib. I Vitæ S. Bern. non obscure patebit lectori.

(49) Id est puero vel servo. Eam rursus vocem observavi in antiquis Cisterciens. constit. Apparet formatum ex Hispan. voce, *Garzone*.

(50) Scilicet Henrico, quem pluribus commendat Guell. Neubrig. l. I rerum Angliæ integro cap. 23.

(51) Perperam, in ms. *disponeris*.

(52) Est responsum apostolorum ad Christum habitu peregrini apparentem.

(53) Paret hic deesse voculam *nemo*.

Digitized by Google

socius Franco, cito fugere a ventura ira, quia tempus breve est.

Etsi corpore recessi a vobis, corde tamen remansi vobiscum, vel vos potius remansistis mecum in visceribus Jesu Christi. Minime quidem deserit me dulcis vestri memoria. Sed quanto memoria dulcior, tanto absentia esset molestior, nisi ille esset in causa, cui conveniunt omnia; cui nos et vivere, et mori felici necessitate proposuimus, vos quid facitis? qui videtis et intelligitis, quia « vanitas vanitatum et omnia vanitas (*Eccle.* I), » quia « vane conturbatur omnis homo? (*Psal.* XXXVIII.) » Abeunt dies et dies, anni, et anni, mundus irretardabili cursu festinat ad finem. Non cessant tamen filii hominum, quæcunque vident quæ cadere possunt, et juxta Prophetam non est finis possessionis eorum. Quis erit finis omnia sine fine conspicientibus? fremit mundus, premit corpus, tremit animus, mors vos sequitur, fugit vita, hostis instat a tergo, prope est judex, qui stetit sub judice ut reddat unicuique juxta opera sua, inter hæc omnia vos dormitatis et dormitis: cum verissimum et irrefragabile sit quia nihil mortalibus morte certius, nil incertius hora mortis, et, juxta Salomonem, « quid habet amplius homo de omni labore suo, quo laborat sub sole? (*Eccle.* I) » mors succedens succidit omnia et præterita vanitatis arguit et erroris. Pro illo igitur, qui elegit exsultare a cœlis ut vos reportaret ad cœlos, fugite de fornace Ægypti, et venite in terram promissionis: ubi vos amici et fratris jam præcessimus, quia non est via rectior, non est via sanctior, dilectissimi fratres.

EPISTOLA XXXIII.

Ad Philippum Leodiensem archidiaconum, rememorativa amicitiæ et incitativa ad religionem.

Illi suo antiquo et familiari domino et amico Philippo Leodiensi archidiacono frater Nicolaus, illi servire, cui servire regnare est.

Forsitan miraris quis est qui scribit tibi; sed noli mirari hoc, quia servus tuus est; et si dignum judicas, amicus, hic est qui tecum montes lubricos glacie vel scopulis exasperatos transiit et transivit (54), qui tecum Romæ et corde et corpore fuit, tecum in Tiburtinis montibus vigilavit. Hoc solum sit commonitorium et commemoratorium pristinæ fœderationis, quia non loca propter ea, sed propter amicitiam, quam in locis contraximus, memorantur. Quid enim hæc omnia nisi vanitas vanitatum, et omnia vanitas? ubi numerosus exercitus et militaris illa juventus triumphalibus ornamentis intexta? ubi denique ille sublimis et potens in solio gloriæ suæ, cui ad nutum nutu citius senatus et populus, sed et clerus astabat? transierunt hæc omnia velut umbra, et singularis ille splendor velut fumus evanuit; ibi tamen dilectio tua perennem in pectore meo pepigit mansionem; et ab illo die, memoria tua pectus meum altius irrupit, latius occupavit, stabilius possidet, viventi convivet, presseram stylum hactenus, rem tacitus considerabam et submurmurantium voces tanquam surdus non audiebam et sicut mutus non aperiens os suum. Alii dicebant: Prope est ut veniat tempus ejus et dies ejus non elongabuntur; alii vero: Quousque animam nostram tollit et non citius et sollicitius rumpit omnia et desideratus et desiderandus? Ego modicæ fidei eram, nec credebam afferentibus et referentibus sermonem istum, timens delicias et divitias in quibus ab ipso juventutis flore jugiter fueras observatus. Præcogitans tamen divitias miserationum Domini illud sæpissime replicabam. Quis scit si convertatur, et ignoscat Deus (*Joel.* XI): et relinquat post se benedictionem? dum ita mutaret sic, et mutaret se pusillitas et pusillanimitas amici tui, ecce subito nuntius plenus spei (quæ non confundit) advenit, qui diceret redditionem tuam solemniter factam, et jam non solum venire, sed et, qui veniant tecum, fideliter et efficaciter congregare; fateor, non me capio præ lætitia et inter administrationem et exspectationem suspensus sum, donec teneam te et non dimittam, nisi introducam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ, et gaudeas ad vocem sponsi et sponsæ omnibus diebus vitæ tuæ; verumne erit, Domine Jesu, ut tantæ nobilitatis sanguinem et tantæ utilitatis hominem abscondas in tabernaculo tuo in die malorum, et non solum in tabernaculo, sed in abscondito tabernaculi tui. Quam libenter videbit ille magnus providentiæ oculus tantum ac tale vas furatum Ægyptiis et in donaria Domini separatum. Lætentur igitur cœli, et exsultet terra, et spargatur celebratæ et celebrandæ conversionis gloria usque in fines terræ, quia Philippus ad paupertatem pauperum Christi descendit, et honorabile nomen eorum coram illo; veni igitur, Domine, et noli tardare, quia si negotiis credis, negotia nunquam finem habebunt, nemo cum sarcinis enatat, ait ille sæcularis orator (55), festivus erit tam festinus adventus, qui te in conscientiam, nos in lætitiam reponat, et quia verus amor, ibi quoque timore trepidat ubi non est timor: attende paulisper, et quod dico, quia propter te dixi, nec me putes orationis velle floribus inhiare, sed affectum accipe presse, cauteque signatum juxta vocem prudentis, in agro mentis pœnitentis spiritum concepisti, delicatus profecto conceptus, et excuti facilis ante partum. Mille sunt veneficia dæmonum, quibus injectis vel non formabitur vel deformabitur semen verbi Dei. Caro enim tenerrime respirat, et egressum de Sodomis spiritum respicere frequentius subhortatur, nec de victoria desperat, cum omnes illecebrosa sensuum voluptate facillime novimus revolare, et efficacior sit conatus carnis ad crimen, quam spiritus ad virtutem. Sed forti animo fortiter

(54) Necessario fuerit hic legendum . *transcendit*, aut aliud quidpiam simile, ad tollendam repetitionis superfluitatem.

(55) Seneca, epist. 21.

Digitized by Google

incedendum est, nec curandum, si post te mussitet (55*) prurigo voluptatum; sed juxta quod Augustinus de se meminit, succutiat carneam vestem suam, nec deerunt qui dicant tibi euge, euge, qui te admoneant in frigidiores annos sanctum differre propositum, et amoveant ab oculis tuis quia dies Domini sicut fur in nocte, ita venient dicentes: Quid tibi, et vitæ huic, quam potius evitare quam ad eam te invitare oporteat? Quid somnias teneros artus, et exquisitis educatos deliciis longum posse ferre martyrium? incipe, sed quod non te pœniteat incepisse, neminem sero pœnitet, quem mors invenit pœnitentem. In extremo vitæ dum paradisum latro meruit, exemplum reliquit. Si has Sirenes usque in extremum dulces audieris, longius abstraheris in voraginem voluptatum. Aderit autem et fraudulentus ille contortor (a quo nemo unquam nocendi inducias extorsit) sub quo casus frequens et respiratio difficilis, et de quo rara, et nunquam secura victoria, et dicet tibi : Hæc omnia tibi dabo si procidens adoraveris me (56). Cum autem vigilantissimum oculum habeas, nonne vides quanta mundus laboret insania? res in infinitum cedet si juxta sapientem recensere velim discrimina principum, si turbati querelas conjugii, si mille Menedemos deploratores, filios scortatores, si conflatas inique vel attritas turpiter divitias, si possessiones arrogatas armis, erogatas flagitiis, sublatas dolo, translatas præjudicio et (quibus in hoc tempore nihil abjectius) jactura nominis quæsitas et honesti. Ab Ecclesia igitur, et cum illo (57), (cujus nomen portas) adjunge te ad currum istum : ubi millia lætantium, et Dominus in eis, locus enim iste a Deo factus est, locus quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut esset nomen suum ibi; et miseri filii Adam, qui hic non finiunt finem suum. Denique nobiscum delirium, nobilium, delicatorum, litteratorum infinita pluralitas perseverat, qui ex eodem quoque luto formati sunt. Excessi, fateor, epistolarem modum; sed currentem stylum plurimus instigavit affectus; veni ergo, dilecte mi, incipiendo, veni proficiendo, venies et transibis perficiendo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

EPISTOLA XXXIV.

Ad Amedeum episcopum Lausanensem dilectiva, et laudatoria.

Patri suo frater Nicolaus se ipsum ad pedes.

Multa præsumptio, si non multa esset dilectio, quod præsumo scribere vestræ sublimitati, affectus enim trahit me, qui nec legibus obtemperare, et cui reges imperare non possunt. Nescio enim quo pacto, ex quo vidi vos, dilectio vestra ipsis animæ meæ penetralibus largiter se infudit. Nec fuit mora inter aspectum et affectum, quamvis affatum tardius habuissem. Si ergo fidenter scribo ex hoc est quia fideliter amo, quasi si audax sum, non tamen mendax. Amor Dominum nescit, agnoscit amicum, et in infulis, dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficax, perspicax puritate : quid ergo si ascendisti sursum, domine mi, imo potius dilecte mi? etiam super pennas ventorum non subduceris affectui meo, et si ascendas ad cœlos, sequar te quocunque ieris. Non enim amo pontificem, sed hominem qui zelum legis cathedræ contulit, non a cathedra suscepit. Quis ille, aiunt, vigor, quæ solertia spiritus, quæ saltu suæ subtilitatis obstantia quæque perrumpit, et quæ possit de singulis artibus etiam cum singulis artificibus philosophari? Propterea supereminet illa mortalitatis tuæ liberalitas, quæ juxta oratorem s· præbet blandam pueris, juvenibus comem, gravem senibus, confortans omnes, omnibus se conformans in sermone communis, in contubernio æqualis, in consiliis præcellens, et multum ambienda, quia minime ambitiosa. Vidi enim te sine superbia nobilem, sine invi ia potentem, sine superstitione religiosum, sine jactantia litteratum, sine ineptia gravem, sine studio facetum, sine asperitate constantem, sine pluralitate communem, illud admiraas quod eminenti scientiæ conscientiam habes superiorem. Talem te credit spiritus meus, talem te loquitur affectus meus, assidue mihi submurmurans spiritum tuæ suavitatis, mitto tibi librum magistri Anselmi (58) de Spiritu sancto bene punctatum, nisi fallor, et emendatum : ego, inquam, qui tuus sum et tuus ero quandiu fuero, amantissime Pater.

EPISTOLA XXXV.

Ad Walterum (59) *nobilem et discretum provocativa, ad religionem recommendativa Clarevallensem.*

Fratri *Waltero* frater Nicolaus illuc tendere, ubi est vita.

Litteras tuas tam libenter suscepi quam ardenter eas desideraveram; quæ, ut per fidelem nuntium manus meas occupaverunt, exoccupavi me, ab omni negotio et otio remotissimo mox admotus, vix me ipsum mihi ipsi credebam. Est mihi scriptoriolum

(55*) In exemplari, *inusitet;* nos vero reposuimus, *mussitet*. Pruriens enim caro non audet elata voce cœlestem animam compellare de spurcitia; sed mussitatione crebra tentat ingerere, excitareque mentis affectum, ut hæc notavi. Hildeb. Cenoman. epist. 41 occurrit iisdem scribens verbis, imo planioribus his : *Si dum incipis fugere te, velut post tergum mussitet prurigo voluptatum*, etc.

(56) Verba sunt ejusdem contortoris Christum tentantis. Matth. IV.

(57) Scilicet S. Philippo verba sunt S. Spiritus monentis S. Philippum ut jungeretur currui Candacis Æthiopis et infidelis legentis Isaiam prophetam, repete historiam ex Act. VIII cap. Non male his quadrat locus serm. 1 S. Bern. *De dedicatione Ecclesiæ*, haud procul ab initio.

(58) Scilicet S. Anselm. Cantuar. archiepiscopi : quem inscriptum de processione Sp ritus sancti hodieque lectitant docti. Ille, inquam, ipse est, de quo in epist. 21, 22, et Hildeb. Cenoman. ut auferam scrupulum ingestum ex scholio eidem apposito. Nam l. III, epist. ms. ejusdem S. Anselm. diserte legi nomina et scriptorum et ad quem scribebat.

(59) Epist. 31 scripsit alterius Walteri nomine, hanc autem suo.

Digitized by Google

(60) in mea Clarevalle, vallatum undique officinis cœlestibus et celantibus illud. Ostium ejus aperitur in cellam novitiorum, ubi frequens numerositas tam nobilium quam litteratorum novum hominem in novitate vitæ parturiunt, gemitibus cœlos, fletibus angelos inclinantes, nec declinantes donec orationis vehementia cherubin et seraphin transvolent, et ante misericordes oculos dulcissimi Domini rapiantur. A dextra parte claustri monachorum excrescit: ubi floridior ille conventus obambulabat, qui felici securitate vel secura felicitate in aliquid melius et lætius profecerunt et defecerunt in atria Domini. Ibi divinorum eloquiorum libros sub castigatissima disciplina sigillatim aperiunt, non ut eventilent thesauros scientiæ suæ, sed ut dilectionem, compunctionem eliciant et devotionem. A læva proeminet domus et deambulatorium infirmorum; ubi corpora disciplinis regularibus lassata atque cassata cibis lautioribus refoventur, donec vel sanata vel meliorata revolent ad laborantium et orantium gregem, qui vim faciunt regno cœlorum et violenter rapiunt illud, nec contemnendam putes domunculam meam, quia et desiderabilis est ad affectum et delectabilis ad aspectum et reclinabilis ad secessum. Plena est libris electissimis et divinis, ad quorum jucundam inspectionem, despectionem mundanæ hujus vanitatis agnosco, considerans quia vanitas vanitatum et omnia vanitas; et quia nihil est vanius vanitate, hæc mihi tradita est ad legendum, ad scribendum, ad dictandum, ad meditandum; ad orandum, et adorandum Dominum majestatis, hic sæpius infelicis conscientiæ mole depressus solus solitudinem mei cordis ingredior, et est mihi ratio judex, conscientia testis (61), timor carnifex, statuoque me ante faciem meam, ne me statuat ante faciem suam terribilis illa majestas in cujus manibus est horrendum incidere; hic aperui Epistolam tuam et prævolantibus oculis legi avide, relegi avidius, avidissime lego, totus contextus ejus virilis erat excedens vires ingenii tui; ingenii, inquam, illius quod reliqueram, inerant ei, juxta virum eloquentissimum, rhetoricæ partitiones, oratoriæ gemmæ, vernantes clausulæ non pueriliter sed viriliter operabantur. Nec hoc dico quasi hæc cor meum vel debeant vel habeant occupare quæ etsi funditus oblita non sunt, tamen penitus sunt relicta; sed quia cum te amem, amo etiam in te quod litteras amas. Pars enim quædam probitatis est nosse meliora, et bono proximus est, qui *diligit* ornamenta doctrinæ. Cum igitur eam attentius et intentius perlegissem, cogitavi dies antiquos inter nos, secundum sæculum, et quæ sæculi sunt, animæ duæ, animus unus excitarat et dixi: Aaa, Domine Deus, Seduxisti me, Domine, et seductus sum; fortior me fuisti, et invaluisti; partem animæ meæ recepisti in cœlo, partem reliquisti in cœno, et sine illo sum, sine quo tamen esse non possum, itane deficiet in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Si inveni gratiam in oculis tuis, redde eum sibi, imo et tibi, ac per hæc, mihi: quis tu es, qui peccata condonas, merita donas, præmia redonas, Domine Deus meus. Redde Robertum, redde Lecelinum, redde Valterum (62), et si de duobus nec exaudior, auliar saltem pro tertio. Remitte mihi ut refrigerer in hoc priusquam abeam, et videam dimidium animæ meæ vivere voluntati tuæ in medio meorum Clarevallensium, in medio denique juvencularum tympanistriarum, juvencularum quæ dilexerunt Deum nimis, tympanistriarum quæ crucifixerunt carnem suam cum vitiis et concupiscentiis: non cessabo a precibus, Domine virtutum (*Psal* LXVII), donec surgas juxta formam evangelici (63) largitoris, si non propter amicitiam, saltem propter importunitatem. Cum autem summatim verba Epistolæ volvissem, et revolvissem sigillatim, lætatus sum; sed lætitiam abundantior tristitia sepelivit, conjectavi enim te currere et acrius et alacrius post vanitates et insanias falsas: et nec unum verbulum ad quod tibi de Clarevalle proposueram, reposuisse [*al.* respondisse]. Scio ego quod amabilis et affabilis et tractabilis sis: et quod verearis et revereris aliquantulum oculos judicis cuncta cernentis, sed subversores sunt tecum, imo tu cum subversoribus esse cœpisti; illos duos loquor, vulpes astu, fastu leones: ad superbiendum, tauros: imo tauros ad consumendum, nonne ipsi sunt, quos juxta Sidonii vocem hæc peculiariter provincia manet inferre calumnias, deferre personas, afferre minas, auferre substantias. Ad eorum enim consilia (64) Falaris cruentior, Midas cupidior, (65), Ancus jactantior (66), Tarquinius superbior (67), Tiberius callidior (68), Gaius periculosior (69), Claudius socordior, Nero impurior, Galba avarior (70), Vitellius sumptuosior (71), Domitianus truculentior (72) redderetur. Fili mi, ne ambules cum eis. Ipsi suam tibi rubiginem affricabunt, et intricabunt te doloribus et laboribus multis, de quibus eras. 8.

(60) Hic incipit κοινοβιογραφίαν Clarævallensem persequiturque ad epist calcem.

(61) Videtur respexisse illud Quintil. orator. Instit. l. v, c. 11: *conscientia mille testes.*

(62) Quod ejus miro teneretur desiderio, testes sunt epist. 16, 31, 32.

(63) Perperam in ms. *Evangelii;* appellat autem evangelicum largitorem; qui amico noctu ab eo petenti tres panes dedit victus improbitate hominis.

(64) Nota ejus crudelitas ex æneo tauro, de quo Val. Max. l. IX, cap. 2. Sen. obiter l. VII De benef. cap. 19, l. II De ira cap. 4, et l. XI De Clem. cap. 4.

(65) Relege Prov. Midæ divitiæ, chil. 1, cent. 6,

(66) Ita Virg. VI, Æneid.

(67) Ob superbiæ contemptum. Dionys. Halic. l. I Orig. cap. 53, dec. 1.

(68) Eo præcipue spectare videtur cap. 59. Sueton.

(69) Vocat *periculosiorem* ob varia quibus se objecit bellorum pericula.

(70) Videbitur ejus avaritia. c. 12.

(71) Suet. cap. 13, et post Eutrop., l. VII describunt.

(72) Notissima est truculentia ejus in historiis Eccles., Martyrologiis, Suet. cap. 10, 21.

Digitized by Google

exire non poteris etiam cum volueris, cum dolueris te oppressum. Verumtamen de illis quid ad me? suo Domino stant aut cadunt, nec enim hæc dixi ad instantiam, sed ad cautelam; ne forte te convertant aut pervertant, si mores eorum imbiberis. Scio enim quia proprium est stultitiæ (73) aliorum vitia cernere, suorum oblivisci. Nunc ad te sermo retorquendus est, patere me paulisper attingere cor tuum, imo et cor meum : si tamen verum est, quod nos simus secundum epistolam tuam, unum et anima mea. Juvenis es, sed certe paucorum annorum juvenis, multorum peccatorum, nullorum meritorum, nondum pœnitentiam perfecisti, sed nec incepisti : nec me fallit vigilantia mea. Quæris unde id sciam? quia profecto non pœnitentiæ sed pestilentiæ est locus ille, ubi (74) cum fecerint unum proselytum, faciunt illum duplo filium gehennæ, quam se, non est tergiversandi locus : Ego, eos et intus et in cute novi. Sepulcra dealbata sunt, plena interius ossibus mortuorum. Prætermitto quod intrinsecus latet, quia et me pudet dicere et te non decet audire, venio ad manifesta. Quod si, juxta virum mordacem, nares illorum duorum (qui bene duo sunt, quia ab unitate divisi) rubiginosi aura (75) marsupii, afflaveris, nonne confestim videbis illic, et oculos Argi et manus Briarei (76), et Sphingarum (77) ungues et Ulyssis (78) argutias et Simonis (79) fallacias, et perjuria Laomedontis (80), et fidem Polymnestoris (81), et pietatem Pygmalionis (82) adhiberi? fortasse respondes : Juventuti lætitiam, senectuti pœnitentiam deputabo, cum deferbuerit sanguis, et juvenilium medullarum validissimus et calidissimus ignis abscesserit. Dilecte mi, mors hunc ordinem non servat, quæ tam juvenes quam senes exire compellit, involvens pariter humile et celsum caput. Nihil enim mortalibus morte certius, nil incertius hora mortis; non est, amantissime juvenis, summa nostræ felicitatis in carne ponenda. Honestum ei vile est, cui corpus nimis est charum. Non enim vivit, cui nihil est in mente nisi ut vivat (83). Nihil novi videmus : et fit homini hujus sæculi nausea; ver hiemem, æstas ver, autumnus æstatem premit, et omnia in orbem aguntur. Comedimus, bibimus, dormimus, et miserias nostras (quod omnibus miseriis miserius est) et eligimus et diligimus, horrendo fæculenti (84) corporis carcere circumsepti. Pro illo igitur, qui te fecit, redemit, vocavit in admirabile lumen suum, veni huc finire finem tuum, et si non propter te, saltem propter me, qui amore et timore tui, dies anxios et noctes laboriosas duco. In argumentum et condimentum tibi sit interitus iterii tui : quem in ipso ætatis et scientiarum flore, acerba mors præcidit et occidit. Quidquid alii patiuntur, et tu poteris pati, quia ex eodem luto formatus es. Nihil autem tibi grave esse poterit, si recordatus fueris quid biberit ad patibulum, qui nos invitat ad cœlum, cujus si sequaris exemplum, consequeris et regnum, regnum omnium sæculorum. Nonne etiam ille Henricus regis filius (85), et regis frater (86) nobiscum est genere singularis, sublimis gloria, rebus affluens, pace securus, secundum carnem nobilis, secundum sæculum potens, litteratus pro ætate, in cujus obsequium tam fortuna quam natura juraverant, quasi unus ex nobis? Omnis ille regius apparatus in profundissimam humilitatem detumuit : ita ut exemplo esse possit etiam his quos accepimus in exemplo. Super his omnibus, rescribe mihi voluntatem tuam et credo te vera dicturum, cum tibi a pueritia innatum sit nolle mentiri. Nec tamen, si non veneris ideo putes me ab amore tuo vel transverti vel averti posse, sed amicitiam semel ceptam atque receptam usque ad mortem et post mortem etiam retinebo in visceribus Jesu Christi, unde, et quidquid habeo, quidquid sum, quidquid possum, tuum est, si tamen voluntas tua cum voluntate Domini concordet. Nunc autem te prolixior pagina doceat, quia, etsi non dictatoris imaginem, orationis tamen perdidi veritatem; cum Tullius oratorum rex et Romanæ eloquentiæ princeps, principalem facundiam asserat, quæ paucis multa cohibens studet potius causam implere, quam paginam, sed addit plurimum huic vitio dilectio tua, quia dictare tibi et occupatus incipio et invitus depono, dum, saltem hoc remedio cor meum tibi volo communicare. Intolerabiles enim essent amicorum absentiæ, si non intervenirent re

(73) Stultitia fuerit, aliorum conspicere vitia, despicere sua.

(74) In rem suam vertit satiricum Christi acerbum de Pharisæorum hypocrisi sermonem Anath. 24.

(75) In ms. *auræ*, nescio quis adoram reposuerat *anima*, sequens vero verbum, afflo, sat ostendit reponendum fuisse, *aura*.

(76) Necessario licet res non postulasset, in plurali ponere debuit *manus*. Erat enim centimanus test. Phorn. in speculat. de nat. Deo. S. Gregor. Nazianz. in orat. de funere patris usurpavit eodem quo hic sensu : Κόι τοί γε τοὺς ἄλλους ὁρῶν σὰς βριάρεω χείρας ἐπιβάλλοντας τοις δημοσίοις : videns quoque alios, Briarei manus injicientes bonis publicis.

(77) *Sphingarum*, correctius, Sphingum ex Mela. lib. III, cap. 10, Plinio et aliis.

(78) *Ulyssis argutias*. Relege adagium, Ulysseum commentum.

(79) Simonis, vel Sinonis, illius scilicet vafri, quo agente Troes everterunt muros ad inducendum equum ligneum in urbem suam, qua de re Virgil. II Æneid.

(80) Perjuria Laomedontis, Hygin. fab. 89 enumerat.

(81) Polymnestoris fidem, mage perfidiam, quam Hygin. describit fab. 109.

(82) *Pietatem Pygmalionis*. Id εἰρωνικῶς dictum apparet, hoc I Æneid. :

Pygmalion scelere ante alios immanior omnes.

(83) *Non vivit, cui tantum est curæ, ut vivat.*

(84) Mendose, in ms. *fetulenti*.

(85) Ludovici Crassi Francorum regis.

(86) Ludovici VII æque regis, ut rursus epist. 39.

Digitized by Google

media litterarum. Sed jam epistola complicanda est, et ceræ mandanda, ut saltem terminum meæ loquacitati, quem non potuit verecundia, ponat vel charta. Quæ cum digitis tuis reserabitur, oculis inspicietur, ora Dominum qui fecit nos, ut non imputet nobis quæ fecimus nos; sed cum pereunte immunditia, mundus vere vocabitur : mundus ostenderit nobis se ipsum in forma Dei, in die virtutis suæ, in splendoribus sanctorum, et ipse sit finis Epistolæ, quem cernere finis.

EPISTOLA XXXVI.

Ad Petragoricenses clericos in persona fratris Alquerii, incitativa ad ordinem Clarevallensem.

Dilectis suis Petragoricensibus clericis frater ALQUERIUS : *Illam vivere* qua in cœlo *vivitur vitam.*

De terra longinqua scribo ad vos, quamvis vos a corde meo longe non sitis. Charitas enim, quæ in sacrario dilectionis, et amicum diligit in Deum et inimicum colligit propter Deum, non vos mihi absentes patitur vel ad horam, et facile est facere charitati, quæ unam rempublicam terram facit, et cœlum, in illa et cum illa et pro illa audacter audeo aggredi vos, propter vos, quia pro animabus vestris. Videtis quia juxta vocem Sapientis nihil est sub sole nisi labor et dolor et afflictio spiritus (*Eccle.* I); et quia quidquid in hoc tempore vel in hoc corpore est in irretardabili cursu festinat ad finem. Finis venit, finis venit, dilectissimi, super filios hominum qui Filium hominis non noverunt, qui noluerunt eum regnare super se, sed regnavit in eis luxuria, mundi gloria, diaboli superbia, sed et omnis materia vitiorum, filii Adam, filii Evæ, filii iræ, filii gehennæ, filii sæculi, filii diaboli, filii mortis, filii captivitatis, utquid diligitis vanitatem, et veritatem negligitis, et obliti estis quia homo nascitur in mœrore, vivit in labore, moritur in dolore? « Ducunt (ait Scriptura de divitibus loquens) in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt (*Job* XXI). » O dura et non duranda; imo semper duranda descensio, vel præcipitatio, ut sic descenderit ut nunquam ascendatur ibi : quomodo? « Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eas (*Psal.* XLVIII), » quam bene, sicut oves; quia perdito vellere mundialium divitiarum dure presseque detonsi, sempiternis involvuntur incendiis; mors depascet eos, et vere depascet, quia semper vivent, ut semper moriantur; et semper morientur ut semper vivant. Felices proinde, Domine Jesu, qui tibi serviunt; cui servire regnare est, quia et hic securitatem in conscientia, et illic felicitatem in gloria possidebunt. Sic tu solus soles amicos tuos, et hic confortare in via, et illic confortare in patria, hic solatium, illic præmium : hic..... illic gloriosus et faciens gloriosos. Quid ergo facitis? charissimi; quare non venitis ad domum istam, ubi filii Israel in procinctu circumspectæ militiæ inoffenso et indefesso pede transeunt Jordanem illum, jam videntes, quamvis a longe civitatem sanctam Jerusalem, et cœlestis palatii divitias adorantes? non est religio ista, sicut religiones quæ sunt in terra vestra, quia sæculares et sæcularibus conjunctæ, religionis nomen in contemptum et opprobrium adduxerunt; et mundum, et quæ mundi sunt, nostri penitus respuerunt et expuerunt a cogitationibus et operibus suis. Hinc est quod gloriosa ista societas in nomine Trinitatis in ternarium ordinem colligatur et colligitur, novitiorum, monachorum, conversorum; novitii sunt, qui probantur; monachi, qui approbantur; conversi, qui operantur, unde Christi pauperes, imo Christus in pauperibus sustentetur, et hæc quidem domus est, in qua Salvator diligenter suscipitur; ubi et Martha ministrat, et Maria vacat, et Lazarus resuscitatur. Martham accipite conversos laborantes; Mariam, monachos contemplantes, Lazarum, novitios plorantes, qui nuper sunt a mortuis resuscitati, non est vobis securum, curam animarum habere, et animas non curare; de Christi patrimonio vivere, et Christo non servire. Breves sunt dies hominis super terram (*Job* XIV), et nihil indignius quam brevi voluptate torrentem perdere voluptatis. Venite ergo, amantissimi fratres, et ingredimini tabernaculum sanctum, et de isto voletis in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Illud autem scitote quod non est facilior transitus ad civitatem Dei, sed nec compendiosior. Dominus autem virtutum det vocem virtutis, et concedat vobis ut faciatis ejus voluntatem ad vestram utilitatem corde bono et animo volenti.

EPISTOLA XXXVII.

In persona domini Clarevallensis ad Lucanum (87) *episcopum, incitativa ad fortitudinem et justitiam.*

(Est Epistola 469 S. Bernardi. Vide *Patrologiæ* t. LXXX).

EPISTOLA XXXVIII.

Ad Lecelinum (87) *socium suum, qui multum tardabat, redargutiva et attractiva.*

Fratri LECELINO frater NICOLAUS, non in levitate, sed in veritate spiritus ambulare.

Vere « fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio (*Cant.* VIII), » qua te æmulor. Æmulor enim Dei æmulatione, proposueram nec videre te nec loqui tecum, sed nec scribere tibi. Poteram enim mittere te nota et nomine deceptoris, nec dicam proditoris, et illud sapientis vel suggerere vel ingerere toto ore : « Qui denudat arcana amici, perdit fidem (*Eccli.* XXVII). » Dictaveram quidem Epistolam in occultis, sed pro occultis arguens te, statuens contra faciem tuam ut scires quæ deessent, quæ adessent, quæ prodessent tibi. Audacter, fateor, tam, secure loquens tecum, quam mecum, quippe qui credebam cor unum et animam unam. In argumentum mihi erat conversatio familiaritatis antiquæ et magnitudo vel multitudo beneficiorum,

(87) Videtur esse ille ipse cujus S. Bern. meminit ep. 368 postremæ edit.

Digitized by Google

qua præveneram te in omnibus necessitatibus tuis, et omnibus diebus vitæ tuæ inter nos et nobiscum. Sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam. Hærebas lateri meo, placebas cordi meo, meus et frater et filius : et si dignum ducis recordari, discipulus, potius autem condiscipulus, sub illo magistro cujus schola in terris est, et cathedra in cœlis, hinc est quod illud tantillum litterarum, quod infuderam animæ meæ, refuderam in animam tuam minus attendens quid facerem, ut satisfacerem tibi. Sic enim me vel induxeras vel reduxeras ad philosophicas vanitates, ut nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea; et, ut iterum summam summatim ac breviter perstringam, neminem habebam tam unanimem dum adhuc essem vobiscum quasi unus ex vobis. Quid ergo male merueram de te ut litterulas illas vel abbati, vel abbatis collateralibus ostenderes : qui quærunt animam meam, ut auferant eam, quibus morte gravior est vel memoria nominis mei? Quia enim zelo zelatus sum pro Deo Israel : zelum, dolum; conscientiam, arrogantiam; veritatem dicunt iniquitatem. Si tacuero, non tacebunt opera eorum, sed fiet quod unus ex satyricorum officina proclamat :

.....Taceant homines, jumenta loquuntur.

Sed et abbati insulæ Germanicæ (88-89), quid scripsisti? homo etiam ille, qui nec ordinem tenet nec tenetur ab ordine; cujus officium, non sacrificium sed carnificium est : homo ille bonorum excitator, legum contortor, quid extorsit a te? dedisti ei fidem contra fidem, quod in tua perfidia remaneres nec redderes Deo vota tua quæ distinxerunt labia tua. Singulari utique doctori et magistro incomparabili adhæsit anima tua, quia consumpsit et consummavit omnes actus suos in morte pauperis et rapinis viduarum : et in hoc versatur et vexatur, ut vim faciat causæ humilium populi Dei. De litteris autem, quas propalasti, unam pone meam breviter conjecturam, quæ utrum certi aliquid habeat, tuo judicio derelinquo, aut volens, aut nolens hoc fecisti. Si volens, quid adhuc egemus testibus? Nolens autem, quomodo? cum illi vel in levissima re offendere oculos tuos nec velint nec possint nec audeant? Timent enim quod fortassis quandoque futurum est, ut recedas ab eis, et accedas ad istos : relinquas umbram et teneas veritatem. Nonne ergo Deus requiret ista? Licet hæc celes in corde tuo, nosti tamen, quia supradictas ad invicem colliderem rationes; quid infigi vel infligi posset tuæ discretioni. Verumtamen hæc omnia dimitto et remitto quod factum est quasi ut factum fuerit, tantum ne iteretur. Si enim iteraretur, ut ne dicam amicitiam, amicitiæ tamen subtraherem familiaritatem, et hoc sine spe recuperationis, recordatus cum tui sum : miserearis adolescentiam tuam et claritatem tuam qua secutus es me etsi non assecutus. Sed etsi Girardus (90) meus, imo et tuus, cui multum in te complacuit, non solum animavit ad veniam sed et armavit ad gratiam, ita ut paratus sum succurrere et occurrere, juxta prophetam (*Isa.* xxi) cum panibus, fugienti, jam enim gaudentior et ardentior ibit oratio de charitatis fornace descendens. Quid ergo, quod dilectus meus moram facit inveniendo, et non citius et sollicitius rumpit omnia, ut sequatur qui est super omnia, non furtivo incessu, sed velocissimo cursu currens cum gigante qui exsultat ad currendam viam; scio ubi habitas, ubi sedes est non sedentis super thronum. « A planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas (*Isa.* i). » Solus ille vir bonus et justus non consensit consilio et actibus eorum. Isembardum loquor, qui et ipse exspectat regnum Dei. De reliquo curre per omnes, curre per singulos, et vide si non omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi (*I Cor.* xiii). Quid tibi et illi, qui litteratus es, et præventus a Patre spirituum in benedictionibus dulcedinis, cui, nisi fallor, et mundus, et quæ mundi sunt et corde et corpore viluerunt? Cum sanctis sanctum esse magnæ felicitatis est; cum malis bonum, summæ difficultatis, et, ut brevibus verbis perstringam, quidquid te vel urit vel urere potest. Audi amicum tuum, dubitas de professione tua? sed hoc solum dubitandum est, quia vovisti, quod non solvisti; et quærendum ubi solvas, quia, sicut ait legislator, ubique uni Deo servitur, uni regi militatur. An emendationem monasterii exspectas? Sed multitudo impiorum invaluit et prævaluit, et dies ultimus non est cognitus tibi. An parentes tui retinent te, quorum turba te circumvolat et circumvallat? Sed patris juberis te contemnere sepulturam (*Matth.* viii). Times scandalum? Sed melius est, ut scandalum oriatur, quam veritas relinquatur. Putasne peccata Deus nolit remittere? Sed affixit ea cruci suæ cum manibus. Paves, quia tener et delicatus es? Sed et ipse cognovit figmentum tuum. Quia consuetudine peccandi ligatus? Sed « Dominus solvit compeditos (*Psal.* cxlv). » Quia peccata multa sunt? Sed ubi abundavit peccatum, superabundare gratia consuevit. An de cibo et potu et vestimento sollicitus es? Sed scit Pater tuus cœlestis quia his omnibus indiges (*Luc.* ix). Exspectas usque in senectam et senium? Sed nihil morte certius, nihil incertius hora mortis. Metuisne ad extraneos venias? Sed omnes in Christo unus sumus. In me quoque omnium nomina necessitudinum invenisti; et nunc multo magis invenies. Quid ergo dubitas modicæ fidei? (*Matth.* xiv.) Ablata est tergiversationum excusatio, non est quo te vertas. Adhuc, inquis, oblitus es. Quidam enim ex nostris terruerunt me qui de vobis ad nos reversi sunt. Illi non tam mo-

(88-89) Abbatem insulæ Germanicæ eumdem esse cum Celtensi, leges notatum ad ep. 20.

(90) Hic est Girardus cui scribit ep. 1, cujus nomine scribit epp. 11, 21.

Digitized by Google

vere, quam ego te movere debeo quem sibi retinuit spiritus veritatis; quem vidisti deliciis et divitiis constipatum, in tanta teneritudine nutritum, quantam et ego novi, et tu quoque non ignoras. De illis aliquid dicere supersedi, quos tu nosti teneris præbibisse medullis, quod in consuetudine ossa perduruit, et

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem,
Testa diu.

HORAT. l. I, Ep. 11.

Vides inveteratum illum, qualiter ad vomitum suum reversus est, portans tabulas testamenti sui in caput suum, ut sigillet et sugillet orphanos et viduas, nesciens quia exturbabitur a facie patris orphanorum et judicis viduarum. Sed alter bovinum semper habuit intellectum. Putasne poteris mutare pellem rufedinis suæ? non multum est enim, neque enim exspoliavit eam cum venerit ad vos, sed asino leonem supervestivit; et nunc detracta regia pelle ad innatam et cognitam sibi reversus est tarditatem. Transi ergo, dilecte mihi; nihil tibi difficile erit nisi transire, quia omnis subita mutatio rerum non sine quodam conflictu contingit animorum; venies ad ignotos, sed non ignotus, quia paravi viam amico. Veni ergo, et vide viam Domini quæ posuit prodigia super terram, multos potentes, multos nobiles, multos litteratos, multos delicatos, filios regum et principum ex omni natione quæ sub cœlo est, congregatos in loco illo quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, ut esset nomen suum ibi, ut dicas : « Castra Dei sunt hæc (91). » Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli, mi Leceline. Non est via rectior, non est vita sanctior in omni sanctitate, quam reliquit Sanctus sanctorum in terris. Sed dicis : « Paratus sum et non sum turbatus (*Psal.* CXVIII); » sed exire non possum. Demonstra eis vias eorum et studia eorum prius; et si te audire noluerint, instanter et constanter dic, dic quia in invio es et non in via, et ibis ad illos, ut fiat tibi Christus via in exemplo, veritas in promisso, in præmio vita; dic, dic, quia non est domus orationis sed spelunca latronis absque eo quod intrinsecus latet, dic : In domo Israel vidi horrendos et plangentes Adonidem. Si viderint audaciam et perseverantiam tuam, non exspectabunt ut exeas, sed cogent egredi et superponent digitum ori suo. Meministine quod propitium me suggerente imo et cogente invenisti hominem Dei? Cui aliquando de ordine tuo sic respondit ore suo illa cœlestis fistula, et singulare organum Spiritus sancti : « Non turbetur cor tuum, neque formidet (*Isa.* VII); » quia quidquid in priore epistola mandavi, totum implebo et supererogabo adhuc quæcunque, undecunque colligere potero. Cætera posui in ore præsentium latoris, qui dicet tibi quid te oporteat facere. Solus soli dabit epistolam, quam si viderit oculus absque oculo tuo, perdidisti me in æternum et in sæculum sæculi : nec hoc dico quasi de veritate pro veritate timeam, sed quia scandalum facere et nihil proficere nec prudentis est nec providentis bona coram Deo et hominibus. Scio enim ubi legerim : uterque reus est, et qui veritatem relat, et qui mendacium loquitur, quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat. Pro illo igitur, qui pro toto te, totum morti se exposuit et tormentis, veni et refrigera animam meam, quia crucior in hac flamma, cum videam partem animæ meæ receptam in cœlo, partem relictam in cœno; etsi non propter te, saltem propter me transi, et gladium timoris, qui transverberat interiora mea usque ad divisionem spiritus et animæ, remove a me, quia removeri non potest, nisi tu moveas pedem tuum a loco illo qui terra sancta non est. Tota die, ut audio, philosophos, rhetores, et poetas legis; putasne intelligis, quæ legis? Crede mihi, plus invenies apud nos in securi et ascia, quam apud vos in scripto et pagina, nobis enim montes stillant dulcedinem, et colles fluunt lac et mel, oleumque manat de saxo durissimo, et omnia ligna silvarum plaudunt manibus. Sed ecce, dum me tibi fabulari arbitror, stylum in longinquum extendi oblitus quantum spatii post terga reliquissem. Si minus splendida videtur epistola, nec eventilatis cumulata sermonibus; recole scriptum, prudenti viro non placere falerata sed fortia. Non enim elegi quid subtilius ad consequentiam, sed quid utilius ad conscientiam esset, sed in hoc tantillo quantum quantulæcunque meæ devotionis perdiderim, novit ille qui novit abscondita cordis. Vale, et ora pro me; et cor tuum, cordi tuo rescribe, et si fieri potest :

Nil mihi rescribas, attamen ipse veni.

(OVID., in *epist.*)

Jam epistola complicata erat, cum mihi in mentem venit ut mitterem tibi tantum ac talem nuntium, qualem conspiciunt oculi tui : Quæcunque dixerit tibi, attende, et fac et vide ne inveniat apud te est et non, et sicut disposuerit in corde tuo, pone et vide ut ne unum iota de his quæ dixi tibi prætereas. Cave ne tempus opportunum perdas, quia nunquam amplius poteris recuperare, si nunc neglexeris.

EPISTOLA XXXIX.

Ad Henricum fratrem regis, Clarævallensem monachum.

(Vide supra, hujus voluminis col. 1575.)

EPISTOLA XL.

Ad abbatem Arremarensem, quando fecit concordiam cum eo.

Patri suo frater NICOLAUS, exhibere viscera patris.

Forsitan vel imprudentiæ, vel impudentiæ ascribetur, quod vobis scribere præsumo, quod resumo patriam diligentis ita est : efficacius namque, citius, et ardentius natura mortalium culpat aliqua quam laudat; et filiis Adam est facilius ad mala quam ad bona devolvi, unusquisque in suo sensu abundabit; ergo ignem, qui triste pectus adurit, amplius non

(91) Verba sunt Jacob dicta post visionem angelorum ascendentium et descendentium. (Gen. XXVIII.)

Digitized by Google

abscondam, sed refundam in flammas scintillasque verborum, recordor enim, etsi non ubi legerim, tamen quæ legerim :

Quoque magis tegitur, tanto magis æstuat ignis.

Iste ignis, dolor est; dolor utique singularis, et dolor meus in conspectu meo semper, dolor summus, et consumens spiritum meum; qui lacrymis non minuitur, sed augetur et in ipsam animæ sedem furiosus irrumpit. Tu scis, omnipotens Pater, cujus oculis omnia nuda sunt et aperta, quia scribentem lacrymæ comitantur; quæ utinam sic ante Patris oculos admittantur, sicut emittuntur ab oculis meis. Patris, dico, non mei, sed fratrum meorum; quia « jam non sum dignus vocari filius tuus (*Luc.* xv), » ex quo averti faciem tuam a me et factus sum conturbatus. Et ego quod fueram ei filius tenerrimus, quem ipse non tanquam unum de cæteris, sed præ cæteris unum eligebat, diligebat, colligebat in multitudine misericordiæ suæ. Juvenis eram ætate, infirmus corde, pusillanimis spiritu, in verbis levis, in operibus indiscretus, lingua pollutus, conscientia sordidus, scientia superbus. Quamvis autem illa nulla esset aut parva: pro his omnibus manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum pro me, dum me volebat reddere mihi, imo et sibi; ac pro hoc tibi « Domine Deus meus A, a. Domine, Deus (*Jer.* i), » quoties doluit, ne dolerem! et præveniens expugnavit expugnantes me, cavens! et pavens ne vel tenuis susurrantium rumor aures meas adverberaret. Quoties in mensa sua ipso præsente et præsidente consedi, non tanquam socius et conservus essem, sed tanquam dominus, et dominus vere dicebam huic : « vade, et vadit : et alii veni, et venit (*Luc.* vii), » et ad verbum oris mei et conviva et convivium parabatur, et quia me noverat splendidioribus epulis assuetum, quæque delicatissima componebat et apponebat mihi, se jejuniis, me deliciis pascens. Quamvis autem gloriæ saltibus (quod sine gloria dico) venenum invidiæ transissem; sollicitus tamen erat providere, ne invidere quis posset, magis amabilem quam admirabilem esse me volens; quid plura? In hoc totus erat ut totum faceret quod volebam, et sibi factum assignabat quidquid me poterat insignire. Interea cogitationes meæ transierunt in affectum cordis, ut transirem ad arcem paupertatis hujus, et verticem disciplinæ diu tam animo in diversa versato. Conferebam enim et hominem et ordinem, hujus mollitiem, illius duritiam cogitabam; sed incaluit et invaluit timor Dei, igitur juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ secundum Cisterciensium instituta. Exiit sermo inter fratres, non potuit latere illum, quem poterit altiori vulnere vulnerare. Exterritus igitur et me et socios meos convenit et invenit verum esse, quod in ore populi volitabat; statim mutatus est color, et dolor alta suspiria trahens in lacrymarum fontes bullit, supplicabat precibus, præceptis instabat; sed iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, quæ duriori pœnitentia fuerant confringendæ, factus sum sicut homo non audiens et ruptis gravissimorum affectuum vinculis propositum meum non distuli, sed contuli me in hanc domum Domini Dei nostri, ubi cum intrassem, intra me nihil remanere permisi, sed commisi quidquid me vel urebat vel urere poterat. Homini huic in quem respiciunt oculi totius Israel, unum locutus sum, quod utinam non dixissem : et a. q. u. n. (92) possem dicere, quod ad exonerandum conscientiam meam, ad honorandum Ecclesiam illam, ad honorificandum patriam suam dixi; sed accusare, non excusare me venio. Eia ergo, domine Pater, « ego sum qui peccavi; ego qui inique egi (*II Reg.* xxiv), » qui retribui mala pro bonis, et odium pro dilectione mea, ego ingratus tibi exstiti, tuis beneficiis non respondi, hostis naturæ, tibi nequam, mihi nequior, mille mortibus dignus, indignus venia, veniens et hac vice in profundum iniquitatis non suspexi Dominum, non respexi patrem, amicum despexi, et in leges amicitiæ peccavi peccatum grande, et juxta Pauli vocem (*Rom.* viii), supra modum peccans peccatum, factus sum alter mihi Absalon, et plus quam Absalon hic; cum illum pater, nec reliquis filiis contulit, hic me prætulerit universis, utinam vocem patris audiam; servate mihi puerum Absalon (*II Reg.* xviii), ut respirare liceat a tribulatione malorum et dolore, utinam mihi datum esset desuper hoc dicere, non dictare, ut orarem non perorarem, nec mortuis apicibus quod vivis vocibus debebatur, committerem. Provolverer pedibus, amplecterer genua, amplexarer manus, totusque a collo penderem, et osculare mihi illud dulcissimum atque amicissimum caput, donec audirem remissionem criminum, dimissionem in pace. Revera crebris fletibus flecterem illum quia benignus et misericors est, et doctus

Parcere subjectis et debellare superbos (93).

Domine Pater et Deus vitæ meæ, tu mihi testis es, quoties nudum et virgas tenens in manibus astare mihi videor ante ipsum et totum corpus verbis et verberibus offerre, ut juxta vocem viri sancti hæc mihi consolatio sit, quod affligens dolore, non parcat, si non parcit tunc parcet, et vindictæ magnitudinem, gratiæ multitudinem computabo, quia si flagellaverit, signum est quod recipiat filium suum. Inveniam veniam Domini mei in conspectu tuo. « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco et peccatum meum contra me est semper : tibi soli peccavi (*Psal.* l), » non habeas peccatorem se judice te judicante, damnabilem, sed memento quia sine intervallo conjuncta sunt, et lacrymæ peccatricis et indulgentia Salvatoris. Ego enim, qui potui offendere, volo defendere quidquid offendi, et devotis obsequiis et humili satisfactione,

(92) Sic puto hæc legenda : *et audivi, quæ ubique non.*

(93) Virg. Æneid. lib. vi, sub finem.

Digitized by Google

hic, tuus ero, quandiu fuero et amicum tuum, patrem meum, imo patrem omnium ex amico amicissimum reddam, et huic sanctæ multitudini specialem dominum et amicum sempiterno fœdere sociabo. Nec putes parum provectum esse hujusmodi vel profectum, quia et ii tibi pro scuto erunt in temporalibus et spiritualibus maximum adjumentum. Gratia enim Domini, gratiam inveni in oculis eorum diligens omnes et dilectus ab omnibus, ab illo præcipue quem præcipue diligit anima mea. Hic ostendam tibi, et quod tibi, et tuis non mortuus sum, sed revixi, et probabis, si probare dignaberis, quia vera sunt hæc non verbo, neque lingua, sed opere et veritate. Cur ergo faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum? non contra solium, sed contra filium, ostendis potentiam tuam et animam tuam persequeris. Quæ tibi gloria erit persequi carnem mortuam et pulicem unum (94)? Velis, nolis, tuus fui, tuus sum, tuus ero quandiu fuero; et scio, quia cum intus fueris, misericordiæ recordaberis. Quis me cogit hæc loqui? Timor? non, neque enim aliquid ab illis partibus timeo, cum cura corporis mei in alium translata sit, fortassis spes? absit! neque enim aliquid est, et si est, parum est in ordine illo, quod ordini illi conveniat, et consuetudinibus istis. Vos enim elegistis viam dulciorem, nos fortiorem: et utraque Deum quærit, utraque Deum invenit, cum utriusque auctor sit Deus. Amor igitur, et amor non tam amans quam amens, qui mihi lacrymas tuas, quas mihi in extremis libasti reducit, tua beneficia superducit, et me ad id faciendum inducit. Amantissime Pater, elige quam volueris, et sicut volueris pœnam, ego subire paratus sum, tantum ut salvum sit propositum meum. Regredi enim vel egredi, mihi morti esset, non saluti tibi; oneri, non honori; multis destructioni. Pro illo igitur, qui tantus misericordiæ amator fuit, ut potius mori eligeret, quam non misereri, « miserere mei secundum magnam misericordiam tuam (*Psal.* L),» concedendo veniam, reddendo gratiam, augendo gloriam ad gloriam Dei, non te prætercat vox illa quæ de cœlo descendit: culpas dimittere, cœleste est, vindicare terrenum (95). Quidquid enim mihi condonabis, donabis tibi cum veneris ante judicem, qui stetit sub judice (96); et ipse sit epistolæ terminus, qui terminum non habet Dominus Jesus Christus; reliqua lator præsentium præsenti narratione tibi efficacius referet.

EPISTOLA XLI.

Ad dominum Clarevallensem in persona Rualeni (97) prioris pro episcopo Aletensi recommendativa.

Fratri suo, frater Rualenus.

Iste vir, episcopus pauper, pauperum amicus. Et, quod majus est, paupertatis amator veniens ab urbe, venit ad nos, et per nos, sperans vos invenire nobiscum. Retinuimus eum communi consilio tam pro familiaritate, qua nobis devinctus est, quam pro necessitate, quia non habebat ubi reclinaret caput suum; omnes amici, inimici: omnes necessarii, adversarii facti fuerant, et aggregaverat manum suam super eum manus potentis, filius excussorum. Quam benigne intravit, et exivit nobiscum, quantumque commercium cum paupertate habeat, viderunt oculi nostri, non est consilium, non est auxilium, sed nec refugium nisi ad vos, et in vobis, venit ipse ad vos, et nos cum eo, et pro eo, etsi non corpore, spiritu tamen. Aperite illi illum vestræ pietatis latissimum sinum, quia (nisi multum fallimur) negotium Dei est, et si Dei, et nostrum et vestrum. Complacuit in illo universitati nostræ propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, quæ eum etiam inimicis commendabilem reddere possunt. Sed si hac vice ad vestros Clarevallenses redieritis, reducite eum vobiscum; et tunc videbitis quantam sollicitudinem et teneritatem super ejus tribulationibus habeamus: poteris etiam loqui de negotio ejus cum fratre Gregorio, quem dominus papa misit ad vos pro negotiis suis.

EPISTOLA XLII.

Ad Gaufridum pro episcopo Aletensi recommendativa.

Gaufrido suo, suus Nicolaus, quod suus.

Quod te meum appello, non adulationis sed dilectionis est argumentum, nec mirum, si tu meus es, quia ego sum tuus, et tuus ero quandiu fuero. Conversatione enim et litteratura pariter amplectendus perennem in pectore meo meruisti mansionem, unde licet præsentia remotus sis a me, memoria tamen totus es apud me. In sacrario enim casti et castificantis amoris præsentiores sibi sunt, qui se animis quam oculis intuentur, quia plus est connecti corde quam corpore. Totum ergo illud familiaritatis arcanum, quod mihi servas in pectore tuo, experiatur dominus Aletensis episcopus in negotio suo. Totus enim episcopum vivit, nihil habens in vestibus et moribus de supercilio Pharisæorum admistum. Pauper est, et pauperum amicus; et, quod majus est, paupertatis amator. Insurrexerunt in eum viri absque misericordia, antiqui fratres mei, quibus antiquum est aurum et argentum effundere, ut confundere possint populos in universa terra, ubique terrarum pestilentialis iste morbus excrevit, et non fuit adhuc qui insolentes reprimeret, qui se opponeret murum pro domo Israel; qui sagittas suas compleret in eis. Putaveram ego

(94) Rectius *canem mortuum*. Sunt enim Davidis verba Saulem rogantis, *I Reg.* XXIV. *Quem persequeris, rex Israel? Canem mortuum persequeris et pulicem unum.*

(95) *Vox cœlestis: culpas dimittere cœleste, vindicare terrenum.*

(96) Scilicet Jesum Christum, qui stetit ante Pilatum judicem.

(97) Ad eum Bernardus epist. 260.

Digitized by Google

quod ille, quem posuerunt custodem in vineis, putaret hujusmodi infructuosas vites, et sterilia sarmenta recideret. Sed res in contrarium relapsa est. Homines enim monasterii majoris, majores fecit in curia, utrum majori pecunia, nescio : Deus scit. Traditus est pauper episcopus in animam inimicorum suorum ; et, quos suspectos habebat, judices accepit, ubi veraciter dicere possit : « Et inimici nostri sunt judices (*Deut.* xxxii).» Unum tamen ei inexpugnabile refugium remansit, Pater tuus (98), imo et meus ; quem monachi, nec auro corrumpere, nec minis concutere, nec blandimentis seducere poterunt in æternum. Unus enim exceptus est ex filiis Adam, qui integer inter munera, et intrepidus inter minas, Dei sibi similitudinem induit ; apud quem non est acceptio personarum (*Rom.* II ; *Deut.* x ; *II Par.* xix ; *Act.* x). Elabora et effice apud eum, ut pauper episcopus eripiatur a diripientibus eum, et exaltetur apud proximos suos, et super inimicos suos despiciat oculus ejus. Litterulæ enim, quas ei et pro eo fecisti, non solum non profuerunt, sed plurimum nocuerunt, quia docuerunt dominum papam de ambiguitate verborum suorum ad Romanam tergiversationem recurrere, et de his satis. Cæterum ora pro me ; et ora patrem meum orare pro me ; curam agere de me, compassione esse juxta me, nostra enim universitas exspectat illum, ut videat faciem ejus tanquam vultum angeli stantis inter illos. Vale, et dilige diligentem te, saluta mihi dominum Philippum. Jam enim pridem conglutinata est anima mea animæ illius.

EPISTOLA XLIII.

Ad Rualenum abbatem Sancti Anastasii (99) *querimonia de absentia, recommendativa.*

Suo Rualeno, suus ille, quod suus.

Forsitan quæris vel quereris, quod cum nomen tuum præscripserim, non subscripserim abbatem ; abbatem tanquam beati Petri (100) manibus exaltatum. Dicant hoc, qui dicunt tibi, euge, euge ; qui personata vocabula masticantes de oleo peccatoris plurimum vendere non verentur ; non sic ego, non sic. Cedit quippe fastus, cum accedit affectus ; et personalis reverentia deperit, cum cœperit familiaris amicitia perorare : licet enim custos hominum te locaverit et vocaverit ad urbem : quam, juxta philosophum, novimus fuisse domicilium legum, gymnasium litterarum, curiam dignitatum, verticem mundi, patriam libertatis ; ego tamen non agnosco nisi Rualenum meum ; meum, inquam, meum, et specialiter meum in visceribus Jesu Christi. Illum mihi oculus mentis repræsentat, quem vidi diligentem omnes, dilectum ab omnibus, in solius pauperA tatis divitias et cordis et corporis defixisse conspectus. Quam verum est, Domine Jesu, quod illo tuo sancto ore sanxisti : Nolite arbitrari quod veni pacem mittere in terra, non veni pacem mittere sed gladium (*Matth.* x ; *Luc.* xii) ; quam durus esset hic gladius, si non esset tuus qui meliorem partem mei Romanis arcibus imposuit, deteriorem reliquit in valle lacrymarum, in loco quem posuit ut esset nomen suum ibi. Elongasti a me amicum, et proximum ; amicum simillima voluntate, proximum una professione. Itane, domine Pater, placitum est ante te, ut quos adinvicem convinxeras, dispergas ab invicem super faciem terræ ; sed quo progredior? Nunquid et ego cum Deo cupio disputare? Absit, non enim contradico sermonibus sancti, quia etsi B doleo, non murmuro tamen ; non justificabitur in conspectu tuo, Domine, omnis vivens, nec respondere poterit unum pro mille (*Job* ix). Tuus erat Rualenus ; tu de tuo, opus tuum fecisti, quoniam omnia serviunt tibi. Ego tamen vulneratus sum, meam animam gladius pertransivit ; in me hæc omnia mala reciderunt ; sublatus est mihi homo una nimis secundum cor meum, dulcis ad gratiam, suavis ad mores, cui nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum erat. Quam ardentissima charitate ipse in me, et ego in eum irruimus? Vix ille facundiæ Romanæ splendor implere posset, de quo scriptum est (1) : Quæ studio informaverat, affectu urgebat, arte exsequebatur : totum pectus in linguam facillima C transferens facultate : obligaverat me Rualeno beneficiis indulgentiarum suarum, et tantus tantillum tanta dignatione prævenerat, ut me tibi subriperet in multitudine dulcedinis suæ. In alto tamen erat, sed altum non noverat, nil Deo charius, nil rarius apud homines esse non dubitans, et cum omnes omnium necessitudinum nomina in eo invenissent ; ego tamen suspiciebam eum ut dominum, diligebam ut amicum, reverebar ut patrem, ut familiarissimum complectebar. Doleo igitur sed et dolebo, nec me consolabitur illa verisimilis, sed non vera sententia : Nemo sibi de absentia blandiatur : præsentiores sunt, qui se animis quam oculis intuentur ; et plus corde quam corpore. Quamvis enim plenior cognitio sit in spiritu, conspectus tamen et conversatio haD bent aliquid vivæ voluptatis, quam isti allegorice diligentes exhibere non possunt. Propterea, dilectissimi, memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabo, quando præsentiam habere non possum ; et illa tuorum singularium morum proprietas, amici pectus tam æternaliter quam spiritualiter possidebit ; et, nisi me retineret communis Pater (2), in cujus meritis superbiora sæcula, et ora prophetarum, quæ legebamus, aspeximus, novit ille desiderium meum,

(98) Subintelligit S. Bern.

(99) Romæ est id cœnobii reparati anno 1140, Octobr. 25, et a Clarevallensib. inhabitati.

(100) Sic antonomastice vocat Eugenium papam S. Petri in apostolica sede successorem. Huc vero pertinent de Rualeni promotione S. Bern. epist. ad Eugenium.

(1) Petrus Venerab. epist. 37 ad l. VI, tribuit Nicolao nostro inquiens : *Non solum tuum sequeris Tullium Tullianus, de quo scripsisti quod pectus in linguam facillima transferebat facilitate.*

(2) Intelligit S. Bern. cujus hic permaxima laus uno verbo.

Digitized by Google

in quem desiderant angeli prospicere (*I Pet.* I). « Quare tamen tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi (*Psal.* XLII); » si non in terra, saltem in cœlo, in illa civitate, cujus rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas; ubi semper erimus, ubi bene erimus, ubi simul erimus, sine metu, sine fastidio, sine defectu; interim quidquid sum, quid quid facere possum, tuum est:

Et tuus, o Rualene, quod optes,
Explorare labor: mihi jussa capessere fas est (3).

Tantum ne dedigneris præcipere. Et quia nemo majore fiducia utitur, quam qui ex affectu diligit: nunc te quasi portionem animæ meæ convenio, habens apud te familiarem et dolentem querelam, quamvis enim nunquam sis tacitus mihi, qui scio, quod tuo pectori nunquam defui: contra tamen tuas litteras non accepi, in quibus cum amico misceres sermonem; in quibus imago tuæ præsentiæ refulgeret. Quomodo largus eris in factis, qui tam parcus conduras in verbis? nec hæc dico quasi tua quæram, qui te solum quæro, quia et mundum, et quæ in mundo sunt, si non transire, tamen transire vehementer inspicio. Male enim de te judicat, nec de me melius, qui tuam absentiam muneribus compensandam aut me putat muneribus redimendum. Sed frenandus est stylus, ne ultra limitem epistolarem evagetur oratio, cum noverim quantum compendiosa gaudeas brevitate. Unum in calce litterarum et supplico sicut patri, et consulo sicut amico, quatenus onus magis impositum, quam susceptum habeas, faciasque de necessitate virtutem. Absit enim ut te alteret exterorum locus: cum illud, per quod homini bene est, in homine sit, non in loco (4), non patriam, sed locum mutasti, cum verissimum sit, quia stultus ubique exsulat et sapiens ubicunque sit, peregrinatur. Si ergo diligis episcopum, pasce oves ejus; « quia diligis me, inquit, pasce oves meas (*Joan* XXI). » (5) Semper autem puta te non dominum monachorum, sed unum ex illis, bonorum servum, malorum metum, magistrum insipientium, nutricem infirmorum, omnium formam. Mitto tibi cultellum eburneum opere argentario et manubriolum illud Hiberniticum (6), quod non minus pretiosum est gratia quam natura, extra enim naturaliter habet propulsare venenum, et lignum, de quo abscissum est plantavit quidam sanctus manibus suis, et arbor illa sicut accepimus pro summis reliquiis custoditur, difficillime extorsi illud de manibus illius, quem tu non ignoras. Vale et ora pro me, ut videant te oculi mei antequam moriar. Airadum tuum, imo et meum, et ore tuo, et nostro spiritu salutare dignare.

EPISTOLA XLIV.

In persona prioris ad Garnerum (7) *Cluniacensem, congratulatio de conversione.*

Fratri GARNERIO fr. R. spiritum fortitudinis.

Vidimus litteras tuas, exsultavimus et delectati sumus, non qualicunque gaudio, sed gaudio magno valde. Benedictus ille pauper unicus, qui te paupertatis et unitatis suæ reddidit amatorem, quia faciet hæreditatis suæ esse consortem præ consortibus tuis. Fuimus quidem de conversatione tua læti, sed adhuc eramus de conversione solliciti; nunc autem tam conversatione quam conversione lætatur anima nostra, quia clamant litteræ tuæ: « Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea (*Psal.* XVI). » Quis putaret te de tanta sublimitate ad tantam humilitatem vel voluisse vel potuisse descendere? felix iste descensus, in quo sic descenditur ut ascendatur, ubi auditis: « Amice, ascende superius (*Luc.* XIV). » Maledicti autem, qui ascendunt usque ad cœlos, quia descendunt usque ad abyssos; qui vocaverunt nomina sua in terris suis, qui sonoro facundiæ plausu fecerunt sibi nomen grande juxta nomen magnorum; qui sunt in terris, nec amaverunt paupertatem vel præmium paupertatis, quod est regnum cœlorum: esto, divitiis et deliciis in ordine contra ordinem affluxisti, nunquid tamen in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Quis enim erit finis omnia sine fine concupiscentibus? non habebit pacem, non habebit requiem animus, qui non fuerit a mundi hujus aspergine pure pressoque detersus. Quis nobis det te fratrem nostrum sugentem ubera matris nostræ, ut inveniamus te intus, quia « omnis gloria ejus filiæ regis ab intus (*Psal.* XLIV). » Hoc enim desideras, ut sis nobiscum, cum nos multo magis, ut simus tecum, in loco tamen isto; quem præ omnibus locis elegisti. Nec excidit hoc a pectore nostro, sed omni opere operam damus ut gaudium tuum plenum sit, et gaudium nostrum ut unus tandem habeat locus, quos unus continet animus: quod et credimus fieri cito. Salutat te Nicolaus tuus, et frater Thomas ille regius juvenis, quem et si commendat nobilitas terrestris, multo amplius illa cœlestis; qui omnes te diligunt non verbo, neque lingua; sed opere et veritate. Dominum Willelmum, qualem voluimus, invenisti. Ipsi

(3) Ex Æneid. verbit ad institutum.

(4) Per quod homini bene est, in homine est, non in loco.

(5) Qualem se debet abbas existimare.

(6) Forsan Hybernicum, imo sic necessario legendum, et, ni fallor, intelligenda consequentia de baculo, cujus virtutem sic recenset Girald. Cancren. in Topograph. Hyber. cap. 34: Inter universos Hyberniæ baculos ligneæque naturæ, sanctorum reliquias virtuosus ille et famosus, quem baculum Jesu vocant, non immerito primus esse videtur. Per quem vulgari opinione S. Patricius venenosos ab insula vermes ejecit. Verum si quis malit, accipiat hoc de salice, quæ S. Keiwino ægroti pueri pomaque desiderantis compatienti, non procul ab ecclesia poma protulit, tam puero quam aliis ægrotantibus salutifera, inquit idem Girald. lib. super. cap. 28.

(7) Petrus Venerab. l. VI, epist. 35, quæ est ad S. Bernar, meminit Garnerii in Clarevallem dimissi sua potestate.

Digitized by Google

et abbati et congregationi ejusdem loci propriis litteris proprias gratias referimus : et, ut quod in te, et de te bene cœperunt, melius perficiant suppliciter supplicamus.

Fratri suo Garnerio frater Hugo in Domino salutem. Paucis scripsisti, sed ego paucioribus rescribo tibi : visis litteris tuis revixit spiritus meus, sufficit mihi, si videam te nobiscum, antequam moriar.

EPISTOLA XLV.

Ad fratrem Gaucherium (8), *cum ad ordinem venire decrevisset, recommendatio Clarevallensium et religionis.*

Fratri Gaucherio, frater Nicolaus, induere viscera misericordiæ.

Tristis est anima mea usque ad te, quia in te, Domine, speravi ; non in te vel in homine (9) fundamentum spei meæ locaverim ; cum scriptum sit : « Maledictus, qui spem suam ponit in homine, ut a Deo recedat cor ejus (10). » Sic enim recedimus a Domino, et Dominus recedit a nobis, non sic ego, vel de te, vel in te speravi ; sed quantum homo in homine confidere possit, vel debeat, et nunc quid a te volui supra petram nisi videre te, tibi loqui, tecum vivere? Primus enim es, cui primitias cordis mei sub testimonio divinitatis aperui, et inveni te secundum cor meum et secundum Deum. Ardens eram, sed ardentiorem me fecisti ; reliquisti vero ardentissimum. Sub pannis enim humilitatis Christi intrans et exiens, in voluptatum gurgitem saliebam et de patrimonio crucifixi, de pretio vulnerum Domini mei, non solum intra sanctorum (11), sed intra Sancti sanctorum monachum sine regula, presbyterum sine reverentia exhibebam. Ad Romanam enim curiam curiosius iens, et rediens feceram mihi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terris, et in omni vita mea, nec una die vixisse me memini. Hoc recordatus sum et effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Tabernaculum, Clarevallis domum non manufactam intelligo ; ex hoc tabernaculo facilis est transitus ad illam domum : hic qui steterit, illic sedebit, felix tabernaculum, ubi vidi homines, non homines : imo vere homines ; et, quod verius est, supra hominem ambulantes : Vidi milites Christi armatos stare, et ambire lectulum Salomonis, uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos ; vidi stare super custodias Domini totis diebus et totis noctibus, indutos lorica justitiæ et galea salutis, habentes scutum fidei et gladium spiritus, quod est verbum Dei ; conspexi oculata fide habitare homines unius moris in domo, nocte consurgere ad confitendum nomini Domini, vespere et mane et meridie narrare, et annuntiare laudem ejus, et omnem illorum sedulitatem in orbem divini obsequii complicari ; vidi manducare labores manuum suarum, non viduarum lacrymas, non pauperum sanguinem, nec sub obtentu pietatis, carnificinam crudelitatis intrudere. Plena erant subsellia concinentibus ; concentu et parili voce in sublimibus resultabant, ut felici invidia jurasse eos crederem jubilare Deo in voce exsultationis ; vellem, nollem, eorum devotione tractus sum, et dicebam : « Castra Dei sunt hæc (*Gen.* xxxii), » — « Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli (*Gen.* xxviii). » In veritate dico tibi, quia extunc concupivit et defecit anima mea in atria Domini, tantoque affectus sum desiderio, ut diem pro anno computaverim mihi. Inde est, quod terminum quem mihi constituerat non præterivi, sed prævi, sed multa passus quæ brevitas epistolaris non permittit inserere ; et utinam aliquid propter justitiam. Quis enumeret abbatis lacrymas, gemitum monachorum, famulorum planctum, quæsitam licentiam, licet non impetratam? Quis dicat qualiter de manibus eorum elapsi sumus sine pannis, sine nummis, sine famulis, sine equis, et vix apud Aripatorium appulsi? Sed et illinc fugati fugimus ad refugium nostrum (Clarevallem loquor) non capientes nos præ lætitia, quia tandem meruimus videre tabernaculum Dei cum hominibus. Jam in portu eramus nihilque aliud exspectabamus nisi videre visionem hanc grandem, et effici quasi unus ex vobis ; sed res in contrarium relapsa est : « Humiliatus sum, et conturbatus (*Psal.* lxxxvii), » elongatus et missus in fines terræ, et avulsa sunt viscera mea a me, et ego a visceribus meis. Propter hoc non momentaneus, sed continuus dolor est cordi meo, quia vobiscum non sum ; quia cogor vivere sine vobis. Angustiæ fratrum meorum, qui secuti sunt me, super dolorem vulnerum meorum addiderunt qui morte afficiuntur tota die, quos nec ad horam mitigare possum, quia vobiscum esse non possum ; hoc solo desolamur ; non est qui consoletur nos ex omnibus charis nostris, sed ignoti cum ignotis habitare compellimur. Præter hæc sunt alia multa quæ non mortuis apicibus, sed tuis auribus judico committenda. G. homo Dei, si qua pietatis viscera, si quis charitatis affectus, si te tangit amici recordatio, et illius amici, qui se tibi credidit et gaudet credidisse, veni velociter ad nos, et memor esto verbi tui servo tuo in quo mihi spem dedisti. Si non veneris cito, scito doloribus dolores additos, et requiret Deus de manu tua sanguinem nostrum. Puerum autem præsentium latorem litterarum pro ætate custodi sicut me, et reduc eum tecum ad me ; solus me secutus est ex quo solus factus sum, nec declinavit a servo tuo, beatus enim si ei retribuere notuero. Vale et veni.

(8) Calcherium cellerarium Clarevallis appellat Pet. Venerab. l. vi, epist. 36, et Nicol. noster epist. ult. Gaucherium ut hic Clun. meminit.

(9) Videtur legendum, *non quod in se velut in homine.*

(10) Jer. xvii, ubi vulg. edit. pro *spem suam*, habet *confidit.*

(11) Purior fieret hæc oratio : *intra sanctuarium*, seu *intra Sancta sanctorum.*

Digitized by Google

EPISTOLA XLVI.

Ad Fremundum hospitalem Clarevallensem congratulatio de mira conversione.

Fratri suo, frater Nicolaus, et mundum, et quæ mundi sunt, penitus oblivisci (12).

In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, et experimentum meum tu es, quem de fornace ferrea Babylonis ad locum religionis, sine me, spiritus pietatis adduxit. Spiritus iste multiplex et subtilis, qui deduxit te in viam rectam non in justificationibus tuis, sed in miserationibus suis multis. Quid enim ad gloriam tuam dico? nonne tu es vir, qui conturbasti terram, qui circuisti regna, qui terrarum orbem famosa infamia replevisti; et nunc quanto perniciosior, tanto gloriosior apparuisti. Si gaudium est angelis super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* xv), quale gaudium est super te tanto ac tali peccatore, jam non solum pœnitentiam agente, sed et alios ad pœnitentiam exhortante. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi; mutatio, quæ sublimiores illas officinas profusioribus gaudiis cumulavit. Attende igitur quam indebita miseratio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo illius, qui te vocavit in admirabile lumen suum; qui transtulit in regnum filii claritatis suæ; qui te posuit in partem sortis sanctorum, et inter fortissimorum militum cuneos aggregavit. Tota se toti te comparaverat, et te toto totum illum blasphemare gaudebat, tanto lætior, quanto flagitiosior. Non sufficiebat tibi ut interires in sæculum sæculi, nisi alios ad interitum pertraheres sempiternum : sed ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* v); et ille magnus providentiæ oculus succussit carneam vestem tuam, et confixit timore suo : pannos humilitatis suæ concessit tibi; inter homines angelorum more viventes collocavit te, et miro modo statuit in exemplum, ut exemplum acciperes a justis et esses peccatoribus in exemplum. Coram Deo loquor : solus es, qui consolatus es me, et vivus incendor quia præcedere me vis in regnum Dei, et nunc quid dabis liberatori tuo pro tanto dono suo, tam specioso et pretioso, specioso propter speciem, pretioso propter utilitatem? Serva ei corpus et animam tuam, qui pro te posuit corpus et animam suam, nihil quærit a te, nisi te, sed nec te nisi propter te; ipse non eget vel te vel tuis; sed tu, et se, et suis. Quid autem audeat arida vel jejuna lingua mea tuo spiritui immutire, qui tanta sancti Spiritus devotione distillat? Dicturus sum tibi, ut relinquas mundum et quæ in mundo sunt, quem video non solum facultates, sed et animi cupiditates penitus abstersisse? Dicam tibi ut desævienti gulæ lautiores deneges apparatus, cui pulmentum et legumen inconvertibili continuatione subserviunt? Dicturus sum, ut vivas caste; in quo nihil crucifigendum, sed totum crucifixum esse non dubito. Dicam tibi, ut non sedeas cum concilio vanitatis, quem in concilio justorum, quos beata illa Clarevallensis regio circumdat, intueor considere? Porro unum est necessarium : teneat te perseverantia, imo tu perseverantiam non relinquas : et beatus es, et bene tibi erit. Perseverantia est singularis filia summi regis, quæ reliquarum virtutum conventum ad dominantis thalamum introducit. Hæc igitur pro te. Sed et si me vis audire, quæ circa me sunt audi breviter. Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, quia cogor vivere sine vobis, sine quibus non vivo, sed morior? Clarevallis in ore, Clarevallis in corde, Clarevallis in toto, Clarevallis in partibus mecum manet, mecum perseverat, nunquam recedit a me. Inde frequentes gemitus, lacrymæ juges, crebræ vigiliæ, profunda suspiria, singultus innumeri, anxia cogitatio, et quæ vel ad monumentum non valeat revelari. O Domine Jesu, quare non judicas et vindicas sanguinem meum, iis qui remorantur iter meum, qui claudunt viam venienti ad te, et in te confidenti? Eapropter, charissime amice Fromunde, quem multum diligo, et a quo multum diligor, suggere patribus et fratribus nostris, ut educant me de isto carcere, et inducant in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, ne moriar in amaritudine animæ meæ; qui, si hic diutius fuero, melior est mihi mors quam vita; efficiant et elaborent, ut licentiam habeam, aut sine licentia recipiar, quæ est non licentia eundi ad Dominum. Cætera clericus iste meus, imo et tuus, viva referet voce; qui solus me solum secutus est, et nullo pacto patitur ut a me discedere possit litteratus pro ætate in commisso fidelis. Hunc tuæ libertati commendo utpote solatium meum in loco peregrinationis meæ. Vale et ora pro me.

(12) Verba sunt S. Petri, Act. x.

EPISTOLA XLVII.

In persona Gaucheri et Girardi. Ad Henricum nobilem militem consultiva vox.

Viro illustri Henrico Gaucherius et Girardus, bonum propositum bono fine concludere.

Putas nos oblitos tui, vir nobilis et fidelis, homo suavis ad mores, dulcis ad gratiam, ad obsequium impiger : et (quod majus est) in sæculo sæculum non amplectens. Absit, in æternum non obliviscentur tui amici tui; nec poterit facere malitia temporis, ut te vel ad horam subtrahat a cordibus nostris; invenimus hominem secundum cor nostrum, qui in sæculo quærit Deum, qui sub militari cingulo monachum profitetur. « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis (*Luc.* xxiv) de Jesu, dum loqueremur in via tecum de illo, qui est via, veritas, et vita? (*Joan.* xiv.) Utinam datum esset nobis desuper hæc dicere, non dictare, ut possemus loqui tecum, tuo consortio delectari. Nunc, revera experimento didicimus, quia amor inter præsentes gratus est,

Digitized by Google

inter absentes molestus. Conspectus enim et conversatio habent aliquid vivæ voluptatis, quam mortui apices non loquuntur. Quid tamen? etsi non videmus te oculis corporis, videmus tamen te oculis cordis in visceribus Jesu Christi, qui tibi et nobis peccatorum veniam, virtutum gratiam, cœlorum gloriam largiri dignetur, cum surrexerit percutere terram virga oris sui. Interim orabimus pro te ad illum qui fecit te, ut tibi inspirei voluntatem suam ad tuam utilitatem, ad lætitiam nostram, ad exsultationem universæ terræ: nos enim tui sumus, et tui erimus quandiu fuerimus; tui, inquam, et specialiter qui memoriam abundantiæ suavitatis tuæ ad invicem eructamus.

EPISTOLA XLVIII.

Ad Petrum abbatem Cellensem.

(Vide in Petro Cellensi, epist. 62, Patrologiæ t. CCII.)

EPISTOLA XLIX.

Ad eumdem conquerentem cur aliquid longius non scriberet.

(Vide ibid., ep. 63.)

EPISTOLA L.

Ad cantorem, Grandisylvæ (13) *in persona Matthæi affectuosa et recommendativa.*

Charissimo B. frater Nicolaus, cantare Deo in voce exsultationis.

Quantum ego diligam te in visceribus Jesu Christi, novit ille qui novit abscondita cordis. Memoria enim tui pectus meum altius irrupit, latius occupavit, stabilius possidet, viventi convivit. Quis mihi det nunquam memoriam tuam deserere, nunquam ab illa deseri? Absit ut ego deseram, non recedet a me in sæculum sæculi. Felix ego, qui te diligere et cognoscere merui, cujus indoles et multos mores gratiæ satis expetunt diligi, plus extollit. Multo autem felicior quem diligere et colligere dignatus est ampla charitate, et familiaritate non minima. Pro his omnibus graviter fero absentiam tuam, et suspiro ad præsentiam tuam, suspiriis et gemitibus inenarrabilibus: et, quia non possum habere præsentiam, memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabo, et dicam animæ meæ: « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me (*Psal.* XLI)? » Spera in Deo quoniam adhuc videbo illum, si non in terra, saltem in cœlo, et satiabor præsentia sua, cum apparuerit gloria Domini mei. Ibi nemo poterit me prohibere, quia non erunt corpora, vel corporeorum obstacula, quæ desiderium meum, vel excludere vel includere possint (14). Scio ego quia conspectus et conversatio habent aliquid vivæ voluptatis, sed hoc in sæcularibus. Locorum enim vel temporis incommoda verus amor ignorat, quia affectus in eo principatur qui semper sui juris est, charitas enim amplectitur quidquid Oceanus, et in sacrario dilectionis neminem nobis patitur non esse præsentem, in ista et cum ista vivit in spiritu meo spiritus tuus bonus, et dum affectum tuum recolo, cor meum et caro mea exsultant in Deum vivum. Hæc pro me. Nunc commendo tibi fratres nostros, qui tecum sunt, ut si ibi remanserint, foveas illos et faveas illis: qui ipsi in me et ego in eis. Sed et si quid apud amicum preces amici possunt, custodi zelum illum in ordine, et de ordine tuo in pectore tuo et tene sine fine, ut in fine merces tua multa sit in cœlis. Cæterum ego et Samuel unum sumus; neminem ego habeo tam unanimem, et cui te familiarius commendare possem. Ipsum salutavi ex parte tua, et litteras tuas dedi in manus ejus. Suscepit eas religiosus et fidelis adolescentulus, et gavisus est non qualicunque gaudio, sed gaudio magno valde. Legit eas avide, relegit avidius abscondens eas in sinu suo, et in animo suo in æternum et in sæculum sæculi. Quid plura? Dilectio tua perennem in pectore meo pepigit mansionem. Quidquid ego loquor, et ipse loquitur: et totus epistolæ contextus non minus est suus quam meus. Nos ergo, duo in te uno; et tu, in nobis duobus: et hæc trinitas in unitate, illi uni trinitati, imo et trinæ unitati supplicat, ut sicut charitate jungimur in terris, sic et veritate conjungamur in cœlis; et, ut breviter cordi meo cor meum exponam, nihil est mihi tua persona dulcius in rebus humanis, et oro Deum ut videant te oculi mei, antequam moriar. Excessi, fateor, epistolarem modum, sed currentem stylum plurimus instigavit affectus. Dum enim cor meum in arcanis amicitiæ feliciter versaretur, oblitus quantum spatii reliquisset post tergum, semper ad anteriora tendebat: nescio enim quo pacto quod multum diligimus, nunquam loqui fastidimus. Finem igitur litteris facio, dilectionis tuæ finem minime positurus, dulcissime atque amantissime frater

EPISTOLA LI.

Petri abbatis Cellensis ad Nicolaum.

(Vide in Petro Cellensi, ep. 64.)

EPISTOLA LII.

Nicolai ad Petrum.

(Vide ibid., epi. 65.)

EPISTOLA LIII.

Rescriptum Cellensis abbatis.

(Vide ubi supra, epist. 66.)

EPISTOLA LIV.

Ad abbatem Cluniacensem.

(Est epist. 7 libri VI Epistolarum Petri Venerabilis. Vide *Patrol.* t. CLXXXIX.)

EPISTOLA LV.

Ad eumdem.

(Vide ubi supra, epist. 33.)

(13) Grandisylvæ cœnobii ad auctoritatem Clarevallensis abbatis reducti an. 1144, fit mentio l. IV Vitæ S. Bern., c. 4 et 4.

(14) Est quiddam simile epist. 47.

Digitized by Google

EPISTOLA LVI.

Ad Henricum Campaniæ comitem.

(Baluz. *Miscell.* edit. in-fol., t. III., p. 76.)

Serenissimo principi et charissimo domino suo Henrico comiti Trecensi, frater Nicolaus vita peccator, habitu monachus, a salute salutem.

Philosophus dicit : « Ego tunc humanarum rerum statum arbitror esse felicem cum aut philosophos principari aut principes philosophari contigerit. » Viva sententia, nec modo hominis ore formata, sed Dei. Quid est enim homo sine litteris nisi sepulcrum animæ rationalis viventis et sepultæ ? Litteræ viæ sunt ad honestatem, et honestas fructus est litterarum. Et licet sensus litteras, non litteræ B sensum inveniant, ornant tamen et ordinat inventio inventorem, tanquam de pulchro patre pulchrior filius elucescens. Vetus enim proverbium est, et ore veterum celebrata sententia : Quantum a belluis homines, tantum distant a laicis litterati. Hæ primum a Deo inventæ et scriptæ digito pro singulari munere datæ sunt et commendatæ mortalibus. Per has præsens est quod præteritum fuit. Hæ quidquid usquam vel unquam gestum est recolligunt in se ipsis. Ad quid tamen eas effero nisi ut te efferam, cui datum est in philosopho principem, in principe philosophum retinere. Proinde felicia dixerim tempora nostra, quæ tuo principatu principaliter sunt insignita, per quem ditantur clerici, dotantur C ecclesiæ pariter et ornantur. Non invideant milites, quia et illis morem geris. Non tamen unus sed tanquam unicus inter principes terræ ; largissima manus tua, et cui non sit similis in filiis hominum, de possessionibus suis et pauperibus diffundit et divitibus, ut dives astringatur fortius et pauper melius sustentetur. Porro pecuniam sicut paleam reputas, quæ fere indifferenter spargitur et universis. Nihil tibi et illi ; quæ cum ad te venerit, non abscondentem invenit, sed fundentem. Plerumque et antequam veniat collata est et collocata, ut se libentius emitti judicet quam admitti. Miror tamen quomodo sufficiat et non deficiat dextera tua, nisi quod scriptum est : Difficile est ut divitem animum possibilitas deserat, et abundantia sequatur hominem D mente mendicum. Sic inter litteratorium et equestrem ordinem residens utrumque magnificas, magnificus et munificus ad utrumque. Non est inventus similis tibi in hac dote naturæ, sicut præsentes narrant, narrabunt posteri, et nati natorum et qui nascentur ab illis. Dedit autem tibi ad hoc Dominus intellectum et linguam eruditam, ut tantæ nobilitatis sanguis et eloquio et ingenio præfulgeret. Nec hoc dico quasi adulatorio sermone velim illustrare rerum tuarum splendorem, sed ut te incitem et invitem ad opus sanctum dignum benedictione. Nosti enim nihil esse verius verbo veritatis, quæ dicit : Omni petenti te tribue. Et : « Beatius est dare quam accipere (*Act.* xx.). » Nosti etiam quia nihil A quæro a te nisi te et gratiam tuam, et quia nec importunus unquam volui esse nec ingratus. Et quid ? Ab ineunte ætate mea placui magnis et summis principibus hujus mundi. Sed tibi singulariter ex dominio naturæ debeo quidquid sum, et ex officio amicitiæ quidquid possum. Dicit autem sapiens :

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Si principibus, quanto magis illi principi qui jure primatus omnes in me principes antecedit ? Et quia novi excellentiam tuam studiis liberalibus, præsertim eloquentiæ, omni opere operam dare, mitto sublimitati tuæ quasdam epistolas quas dominum papam et cancellarium aliosque personatos viros intra hoc biennium memini aliquanto studiosius dedicasse, ut scias quia si plus haberem, plus mitterem ; sicut de peccatrice muliere virginis filius protestatur : Quod habuit et fecit. Non quod in me vel ex me aliquid sentiam quod debeat approbari, sed quia sic afficior erga nobilitatem tuam ut ineptias meas apud te plus retegere quam tegere velim. Parce etiam affectui, qui juxta philosophiam nec regibus obtemperat, et cui leges imperare non possunt. Rex regum et Dominus dominantium sic te dominari concedat in dominatione terrena ut non priveris æterna, cum surrexerit Dominus percutere virga oris sui, et reddet unicuique juxta opera sua (*Rom.* II).

EPISTOLA LVII.

Ad Willelmum Remensem archiepiscopum.

(Baluz. *ibid.*, p. 77.)

Suo domino Remensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, Nicolaus suus, quod suus.

Confiteor tibi, Pater, quia peccavi in cœlum et coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus (*Luc.* xv), nisi tua dignatio reducat indignum. Indignus est enim qui beneficium non advertit, sed avertit faciem suam a benefactore suo, indignus pariter et ingratus. Ingratitudo ventus urens, siccans misericordiæ fontem, absorbens flumina gratiarum. Talis ego, et talia quæ paravi. Tu ille Remensis cujus remigio navis Gallicanæ Ecclesiæ procellosissima loca secura persulcat. Recepisti me infra sacrarium tuæ familiaritatis ; quæ ad recipiendum rara est, ad retinendum constantissima. Non facile se indulget nisi cui se noverit indulgendum ; et hoc morosiori deliberatione. Scriptum est enim : « Semper est nobilis familiaritas perniciosa, et post longam deliberationem et turpis. » Dum autem quis receptus fuerit, non est deceptus, factus acceptus illi apud quem in hac parte non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Non habet apud te susurro locum ; detractor non appareat, sciens quia subito aspici sit deprehendi. « Rex qui amat verba susurri, ait sapiens, omnes ministros habet impios. » Nemo tibi ministrat in ministerio isto, cum præclari et magni viri his diebus

Digitized by Google

credulitatis vitio fascinentur, non attendentes aut non curantes quod scriptum est : « Qui cito credit, levis est corde (*Eccli.* XIX). » A tanto et tali tantillus et talis et taliter susceptus sum ut me mihi subriperet in benedictionibus suis. Ego autem quid feci ? Multi dies evoluti sunt quod nec vidi eum nec scripsi ei, cum et muta charitas repræsentet speciem non amantis, et conspectus habeat aliquid vivæ voluptatis quam mortui apices nequeunt experiri. Excusabo me de difficultate itineris, de longinquitate regionis, quæ est inter Remensem urbem et Arremarensem ecclesiam ? Sed iter breve est et via plana, et plena in circuitu multitudine amicorum meorum. Dicam, quia negotiosus fui, ut quatuor dierum spatio me ipsum mihi ipsi furari non possem ? Nimirum homo magnus occupatus est in magnis. Sed quis hoc dixerit ? Apud profecto instrumentum formica plaustrum trahens. Adjiciam quia licentiam veniendi habere non potui, cum vadam et veniam, eam et redeam tota die ? Hæc dicerem si ita essem sub potestate constitutus ut mei ipsius potestatem habere non possem. Sublatum est A omne patrocinium excusandi ad excusandas excusationes in peccatis. Non est nisi ut veniam petam, et accedam ad pedes ejus qui novit

Parcere subjectis et debellare superbos.

VIRG.

Quem humilis agnum, sublimis invenit elephantem, apponet ut complacitior sit adhuc. Non continebit in ira sua misericordias suas. Cum viderit servum suum, miserebitur ejus; quoniam multus est ad ignoscendum, cum ad cognoscendum peccatum meum ultroneum videat et paratum. Hæc, domine Pater, locutus sum ut sentias, quia, etsi tu ita non sentis, ego tamen ita sentio in me ipso. Inter jucunda enim mea, domine venerabilis, nihil B mihi tua dilectione jucundius aut æque jucundum. Tanto enim de illa lætior sum quanto et certior sum quod non deesset mihi in opportunitatibus in tribulatione. Sit beneplacitum ante te ut relitteres mihi quando Remis post octavas Paschæ tuam potero reverentiam invenire, et videam mihi desideratam faciem tuam.

NICOLAI SERMONES.

(Vide *Patrologiæ* tom. CXLIV, inter Opera S. Petri Damiani, serm. 9, 11, 23, 26, 27, 28, 40, 42, 44, 47, 52, 53, 56, 57, 59, 60, 61, 63, 70.)

INDEX ANALYTICUS

IN OPERA RICHARDI S. VICTORIS.

A

Aaron devotionem, Moyses discretionem, Samuel circumspectionem denotat, 334. Aaron interitus et mors Moysi quid sit, 332.

Abraham accepit tantum in suis hæredibus terram sibi promissam a Deo, 643. Abrahæ in sacrificio cur Deus unam tantum vaccam requisivit, et David plurimas obtulit, 1039, 1040. Abrahæ sacrificium in quo differat a sacrificio David, 1057.

Abyssi fontes quando specialiter rumpuntur, 309, 310. Abyssus quid sit, 851.

Adam per rationem, affectio per Evam intelligitur, 363. Ab Adam usque ad Christum omnes sub nocte fuerunt, 1006.

Adorare Dominum in atrio sancto ejus quid sit, 288. Adorare statuam Nabuchodonosor quid sit mystice, 500.

Adulterinus affectus quid faciat, 1216.

Adventus Domini qualis, 380, 381.

Adversitates diversæ diei judicii, 203, 204

Ægyptus quid sit, et quid significet, 691.

Æqualitas trium personarum qualis, et in quibus consistat, 928.

Æterna quantum cognoscimus, tantum transitoria despicimus, 431.

Affectiones variæ animi humani, 131.

Affectus principales qui sint, et quomodo in virtutes redigantur, 6. Affectus quomodo inordinatus et inmoderatus sit, 1141.

Affluentia deliciarum unde sit, 185.

Agnum quis in sacrificio offerat, 286. Agnus et leo cur dicatur Christus, 756. Agnos duos offerre sacerdotes quid sit, unum mane, et alterum vespere, 1015.

Alas perdere est sublimes contemplandi volatus amittere, 1353. Alas avellere quid sit, et quando avellantur, 1351.

Alexander Macedo et Judas proditor, licet reprobi, signa fecerunt, 469.

Alius angelus Dei, Christus, 776.

Allegoria quid sit, 200. Allegoria quomodo sit machina per quam anima levetur ad Deum, 405.

Alleluia quid sit, cur Deo dicatur, cur reiteretur, 845. Cur toties dicatur, 847.

Allocutio Christi ad animam, 484.

Altare Dei Christus, 768. Altare de terra quodnam sit, 776. Cur aureum dicatur, 777, 786.

Amalec quid significet, 451.

Digitized by Google

Amana quid denotet, 479.
Amaritudo amarissima quid sit, 304. Amaritudo et tædium vehemens cordis virtutes exercet, non evertit, 460.
Ambigua verba prophetiæ excæcant Judæos, illuminant Christianos, 651.
Ambitio quid sit, et illius species, 1360.
Ambulare Christum in medio servorum suorum quid sit, 714.
Amici chari qui comedunt, charissimi qui bibunt, et eorum differentia, 135. Amicos suos quare Dominus interdum deserat. 498. Amicos pascit gratis Deus, relicit charissimos, 500.
Amor quomodo oriatur et ordinetur, 8. Amoris quid sit proprium, 8. Amor ubi est, ibi oculus, 10. Amor verus et amor vanus aliquando eodem tempore causantur, 38. Amorem mundi suggerit vanitas, 281. Amor Christi gaudium beatorum, 435. Amor mutuus inter Christum et beatos, 436. Amor terrenorum quid faciat, 458. Amor divinus ita in diva Virgine convaluit, ut nullus defectus in eam incidere potuerit, 663. Amor duplici modo intelligitur, 682, 683. Amor discretus ubi dicatur esse, 919. Amor summus quisnam sit, 961. Amor gratuitus et debitus quidnam sint, 962. Amor ignis consumens est, 1206. Amor nomen difficultatis ignorat, 1202. Amor Christi ejusque effectus, 1197. Amoris vis ratione non compescitur, 1196. Amore Deum tenere potest, 1197. Amoris effectus triplex, 1206. Amoris violentia impossibilitate nulla frenatur, 1199. Amoris primus gradus quis sit, 1201. Amoris visitatio delectat, molestat vicissitudo, 1198.
Amygdalum florebit cur dicatur, et non fructificabit, 206.
Anagoge quid significet, 687. Anagogica doctrina quid sit, 200.
Angeli sunt vigiles, et cur ita dicantur, 416. Angelorum ministerium erga homines quale, 417, 418. Angelus fortis quis sit et dicatur, 753. Angeli quatuor tenentes quatuor ventos quid significent, 770. Angelus ascendens ab ortu solis quid sit, 771. Angeli septem stantes in conspectu Dei qui sint, 776. Angelus alter cur nube amictus, et Iridem in capite habens, 788. Cur dicatur ponere dextrum pedem supra mare et sinistrum super terram, 789. Angelus alter quid sit, 839. Angelus cur dicatur metiri civitatem sanctam mensura hominis, quæ est angeli, 869. Angelus in Veteri Testamento cur se adorari passus fuerit, et in Novo non, 879.
Anima quando pacem inveniat, 165. Animæ ingratæ verba ad Deum sponsum suum, et responsum, 149, 150. Animæ seipsam ad semetipsam totam colligere quam sit difficile, 152. Animæ seipsam extra semetipsam totam effundere et supra semetipsam ire pene impossibile, 154. Animam ascendere supra metas industriæ suæ quid sit, 188. Anima quæ hic viveus Dei similitudinem in se fœdavit, quanta confusione plena ad Deum redibit, 211. Anima justi sedes sapientiæ, 309. Animæ quænam per vicos, quænam per plateas designentur, 412. Animam a vigilibus esse inventam quid sit, 418. Anima quid sola cum Deo in cubiculo discere debeat, 423, 424. Anima quibus modis fruitur Deo in cubiculo sola, 425. Anima perfecta quas cogitati nes vitare debeat, 451. Anima quantum mortificatur in temporalibus, tantum vivificatur in spiritualibus, 450. Animam per desertum ascendere quid sit, 429. Animæ interior pulchritudo quid sit, 447, 448. Animæ devotæ oculi cur dicantur oculi columbarum, 450. Anima quibus modis obtineat a Deo quæ postulat, 451. Anima cur aliquando privetur gratia, 454. Animæ carnalis opera cur sint imperfecta, 459. Animæ sanctæ quare dulcia verba habeant, 462. Anima sancta et Christi sponsa quid faciat, 485, 486. Anima laudibus quomodo incantetur, 488. Anima quæ durius laborabit tentatione, plenius remunerabitur perfectione, 494. Anima Deum amans amore non satiatur, 1200. Anima quomodo languescat, subtracta amoris dulcedine, 1198. Anima prævaricatrix quando statuitur contra faciem suam, 1258. Anima prævaricatrix prius precesse est ut confusionem agnoscat quam erubescat, 1278. Anima perfecta habet in se latentes virtutes, 1299. Anima impudens decem modis obdurescit, 1362. Animas non tradas bestiis confitentes tibi, cur dicat Psalmista, et non corpus vel carnes, 1350.
Animi puritas ut acquiratur, magna opus est diligentia, 140. Animum humanum uni desiderio suavitatis internæ inhærere quam sit admirabile, 1029. Animus in crimen consentiens tripliciter ligatur, 1162. Animus humanus cur non acquiescat divinæ voluntati, 1245. Animi impetus diversi, 1244. Animi humani splendor, 1252.
Animalia munda et immunda quanam ratione dicantur, 255. Animalia munda et immunda quæ, et quomodo impediunt vel adjuvant bonum, 310, 311. Animal quod quatuor facies habuit, cur pedes habuerit vitulinos, 528. Animalia cœlestia cur quatuor facies habeant, 528. Animalia cœlestia quare dicantur habere quatuor pennas, quatuor facies, et quatuor manus, et numerus pedum non exprimatur, 528, 529. Animalia cœlestia quomodo sine corporis conversione ire et redire potuerint, 529.
Annorum ad medium pervenire quid sit, 403.
Annuli aurei in singulis arcæ angulis quid mystice significent, 101.
Antichristus caput et princeps universæ persecutionis fidelibus inferendæ, 770.
Apertio cœli quid sit, 850
Approbat quod quisque, hoc amat, 8.
Aqua cogitationem humanam quomodo figuret, 180.
Aqua divinæ sapientiæ quomodo se habeat erga homines, ejusque effectus, 308. Aqua ad irrigandum nostras animas quando deducatur, 354. Aqua putei viventium aquarum qualis, 492. Aquæ putei viventis cur magno impetu fluant, 493. Aquarum viventium quis sit puteus, 492. Aquarum fontes quinam sint, 781. Aqua non annihilabitur in mundi innovatione, 859. Aquas inferiores quid sit spiritualiter in mare decurrere, 1084, 1085.
Aquila quid denotet, 782.
Aquilo unde dicatur, 493. Aquilo quando flat in horto, 493, 494.
Ara exterior et ara interior quæ sit, 331.
Arbitrii potestas et libertas differunt, 1281.
Arboris visæ a Nabuchodonosor magnitudo quid significet, 1312. Et quid ejus singulæ partes, 1313. Arborem Nabuchodonosor escam universorum in se habere quid sit, 1314, 1315.
Arca cur dicatur arca fœderis Domini, 65. Arcam fieri a Moyse cur Dominus præceperit ante constructionem tabernaculi, 64. Arca sanctificationis quid denotet, 67. Arca quomodo quatuor prima contemplationum genera mystice designet, 77. Arcam sibi spiritualiter fabricare quid sit, 80, *et per totum fere librum* II. Arcam deaurare quid sit, 85. Arca conscientiæ quid, 309.
Arcta via perfectorum via, 315, 316.
Arcus et corona quid significent, 761, 762. Arcus tentationes fraudulentas, arma violentas denotant, scutum vero excusationes, 663.
Arena maris quidnam designet, 804.
Argentum verbum prædicationis est, 678.
Aries gerit formam mansuetudinis, 1051.
Arioch ad solitudinem redigens interpretatur, 1243.
Arioli, magi, Chaldæi, aruspices quid designent, 1301.
Arma quibus milites Dei se muniunt, 439. Arma malorum quibus æternam damnationem sibi acquirant, 472.
Aromata virtutum quando fluunt, 494.
Arrogantia quid efficiat, 1277. Arrogantia quid sit, et quid extollentia, 1362.
Arundo aurea ad mensurandum sanctam civitatem, portas et murum ejus, quid significet, 867.
Ascensus ad primum, ad secundum, ad tertium cœlum quomodo fiat, 890.
Aser idem interpretatur quam beatus, 77.
Asinus processioni interesse debet, 1063.
Attributorum Dei, simplicitatis, bonitatis, potentiæ, etc., enarratio, 137.
Augmenti similitudo corporis humani cum Ecclesia Christi, 401 *et seqq.*
Aurem quis dicatur habere, 717.
Aurum intelligentiæ ubi deest, fidei obrysum adesse potest, 88. Aurum, lapis pretiosus, mel et favum quid denotent, 351. Aurum purum natura humana purgata in Christo, 587. Aurum ignitum est charitas, quomodo ematur, 740. Aurum et reliqua metalla in statua Nabuchodonosor quid significent, 1260, 1270.
Auster quando flat. Quid suo statu efficiat, 494.
Avaritia quomodo peccetur mortaliter, 481.
Aves cœli qui veraciter dici possint, 1341.
Azyma quid sit. Azyma et fermentum quonam modo possint esse simul, 357 Azyma habere aliud est et comedere, et aliud item azyma esse, 263. Azymos esse oportet, si Christo similes in gloria fieri volumus, 263. Azyma sinceritatis cur ab Apostolo prius ponatur quam veritatis, 265.

B

Babylon magna quæ sit, et cur civitas dicatur, 851. Babylonis descriptio, 833. Babylonis fornicatores qui sint, 842. Babylonica mulier cur civitas magna et meretrix dicatur, 857. Babylonica meretrix cur poculum aureum teneat in manu, 833. Babylon magna cecidit, cecidit; per geminationem istam denotatur geminatio ruinæ, 859. Babylon

Digitized by Google

cur damnata sit, causa declaratur, 840, 841. Babylonis mercatores quinam sint, 840. Babylonis super ruinam cur dolebunt negotiatores terræ, 842. Babylonica meretrix cur se dicat reginam et non viduam, 840.

Bala et Zelpha Rachelis et Liæ famulæ quid denotent, 5.

Baptismi efficacia, 1014. Baptizare in spiritu quid sit, 1016.

Barba capiti inhærens quid significet, 692.

Beata Virgo Maria gravius passa fuit quam martyres, 483, 484. Beatus Joannes cur non dicat in salutatione : Ego magister, 702. Cur primo dicat in tribulatione, et postea in regno, 703. Beatorum felicitas, 1091, 1092.

Bellum primum adversus milites Dei, 314. Bellum secundum et tertium, 315.

Benedictio quam populo suo dabit Dominus quæ sit, 319, 320.

Benjamin interpretatur filius dextræ, 773.

Bestia quando de mari ascendit, 804. Cur similis dicatur pardo, 804.

Bestialis imaginatio quid sit, 11. Bestiarum fremitus quid, 267. Bestiæ sedes quænam sint et dicantur, 827. Bestia amissis alis, et a terra sublevata ubinam erit, 1354. Bestiæ et volucres arboris visæ a Nabuchodonosor quid significent, 1316. Bestiæ sub arbore Nabuchodonosor quando fugiant, 1322. Bestias de mari ascendere quid sit, 1350.

Blasphemare in Spiritum sanctum quid et quam horrendum, 1190.

Blasphemia ex malignitate pessima omnium, 1188. Blasphemia quid sit, quidve spiritus blasphemiæ, 1188.

Bona vera animi nec acquiri nec conservari sine discretione possunt, 48. Bonos quantum quis diligit, tantum bonus efficitur, 429. Bona malis admista Deo non placent, 446. Bonorum cibus quisnam sit, 498. Bonorum multiplex vicissitudo in hac vita, 498. Boni quando comedant, 497, 498. Boni nigri et despecti sunt apud se, sed pulchri et pretiosi apud Deum, 510. Bona castri munitio quæ sit, 513. Bonum nullum irremuneratum apud Deum, et nullum malum impunitum, 819. Bona cœlestia quisnam sitiat, 862. Bonum omne quantum minus a præsenti malo liberatur, tanto amplius a suo, perfectione sui minuitur, 876. Bona prius amittuntur, deinde committuntur mala, 1327. Boni et mali ignorantia, 1133. Boni videbunt conscientias malorum, sed non vice versa, 1179.

Bonitatis summus gradus quis sit, 926. Bonitas est bona voluntas, 994.

Bos est forma obedientiæ, 1033. Boves quandonam sunt a nobis oblati, 1038.

Botri, messis, vinea quid denotent, 817.

Brutalis caro quando mactatur, 1291, 1292.

C

Cadere in faciem quid sit, 1291.

Calculus candidus quidnam sit, 724.

Calix, vinum mistum et fæx quid, 323.

Campi sunt qui terrena non deserunt, 337.

Candelabri factura, 213. Candelabris cur Ecclesiæ comparentur, 705.

Candelabrum movebo, quid significet, 717.

Candidus cur dilectus sponsæ, 508.

Canes et porci quinam sint, 693. Canes immundi qui, 881.

Canticum canticorum cur vocetur liber Salomonis, et non simpliciter canticum, 407. Canticum cur dicatur novum, 758. Canticum quasi novum cur dicatur, 810. Canticum quasi novum cur nemo poterat dicere præter illa centum quadraginta quatuor millia, 811.

Capillus de capite vestro non peribit; quomodo hic Scripturæ locus declaretur, 291. Capilli capitis consilia cordis, 398. Capilli sponsæ meditationes sanctæ, et cur capillis capreæ comparentur, 451. Capillus capitis quid designet, 1239. Capillos in similitudinem aquilarum quisnam habeat, 1340.

Caprea quando sit viri perfecti oblatio, 1040. Capram cur potius quam hircum Dominus ab Abraham exegerit, 1039.

Capreæ, quæ sunt meditationes, cur dicantur ascendere de monte Galaad, 452.

Caput esse plenum rore quid sit, 502. Caput, capilli et candor quid significent, 786, 707. Capita draconis septem quid significent, 799.

Caput in statua Nabuchodonosor cur aureum dicatur, et cætera membra aliis nominibus nominentur, et quid significent, 1273 *et seqq.*

Carminum filiæ quænam sint, 206.

Carnem hircinam offerre quid sit, 1033. Carnes comedere quid, 1357.

Causa fletus nostri qualis esse debeat, 335.

Cedros confringere quid sit, et quid confringere cedros Libani, 292. Cedri quomodo significent electos, 443. Cedri cur dicantur electi, 516.

Centum quadraginta quatuor millia cur dicantur, 809, 810.

Cervus spiritualis quis sit, et quæ ei pertinentia, 505.

Charitas in quibus regnet, 322. Charitatis ornatum non habent qui uno opere tantum delectantur, 324. Charitas mater virtutum, 486. Charitatem primam relinquere quid sit, 716. Charitas ubi est, ibi et plenitudo, 750. Charitas summa ut fiat, quæ requirantur, 917. Charitatis defectus grandis non potest pati consortium amoris, 923. Charitatis plenitudo quid requirat, 954. Charitate nihil melius et jucundius, 917. Charitatis quæ sit longitudo, latitudo et profunditas, 1068. Charitas quomodo gustet et pugnet, 1204. Charitas est perfectionis vinculum, 1205. Charitas omni offertur, aufertur autem nulli nisi suo vitio, 1205. Charitatis Christi egregii effectus, 1196. Charitatis Christi vis omnem amorem superat, 1207.

Cherubim duo in arca quomodo novissima duo contemplationum genera mystice designent, 78. Cherubim quomodo interpretetur, 135. Cherubim unus in latere uno quid sit, 141, 142. Cherubim quandonam se mutuo respiciunt, 156, 161. Cherubim vultus suos in propitiatorium vertere quid sit, 156, 161. Cherubim factura duorum, 213.

Christus omnibus dilectus, 296. Christi dilectores sunt unicornes, et cur ita appellati, 296. Christum qui non diligit veram dilectionem non habet, 296. Christus quomodo concipiatur in se et in aliis, 297. Christi Dei qui appellantur, 336. Christus quomodo nobis in hac vita ministravit, ac ministrabit in futura, 417 Christus in qua anima maneat, 422. Christus quibus solet robur præbere, 467. Christus est totus desiderabilis, 520. Christus ponitur in signum populorum, et quomodo, 525. Christus cur de matre tantum carnem assumpsit, 620. Christus plus nobis contulit, quam abstulit diabolus, 633. Christus passibiles affectus, sed ordinatos habuit, 651. Christus quænam per experientiam didicit, 650, 651. Christus cur primogenitus ex mortuis dicatur, 697. Cur princeps regum, 697. Christus quomodo nos dilexerit et laverit, 698. Fecit nos regnum et sacerdotes, 698. Christus videbitur oculo corporali et spirituali, 699. Christo cur gloria et imperium, 698. Christus esse in medio quid sit, 705. Christus primus et novissimus, 711. Christus cur verus et sanctus dicatur, et cur clavis David, 733. Christus electos demulcet, reprobos terret, et quomodo, 746. Christus cur dicatur agnus et leo, 756. Christus in sacra visione cur non apparuit Filius hominis, sed similis Filio hominis, et quare dicatur habere coronam et falcem, 815. Christus et sancti sicut gaudent de gloria bonorum, ita diabolus et ejus ministri de pœna malorum, 836. Christus unde venerit, quo et quomodo processerit, 1061. Christus quomodo noster esse dicatur, 1308.

Christiani majora habebunt in statu futuræ gloriæ quam in statu innocentiæ, 526.

Cibos quales Dominus amet, 1264.

Circumspecte agenda omnia, 1298.

Cithara quid significet, 757. Et quid psalterium, 1071.

Cito quæ dicantur fieri oportere, 695, 694

Cives paucos quando habemus, 555.

Civitatem quomodo circuit anima, 412. Civitatis decima pars quæ sit, 794. Civitas sancta speciali nomine significat plebem inferiorem, 867. Civitatem sanctam Hierusalem quinam intrabunt, 875.

Claritas civitatis sanctæ admirabilis, 874.

Clypei mille pendentes ex turri David quid significent, 471.

Coccineæ vittæ labia sponsæ comparantur, 461.

Cœlum tertium quodnam sit ad quod se raptum dicit Paulus, 76. Cœlum primum quis teneat, quisve secundum et tertium, 565. Cœlum sancta Ecclesia est, 714. Cœlum recessit, quid sit, 769.

Cogitatio quid sit, 67. Cogitationibus turpibus pulsantibus quid faciendum, 13. Cogitatio quælibet a simili corrigitur, 14. Cogitationum pravarum effectus, 282. Cogitationes quæ ascendunt de lavacro, 438. Cogitatione quomodo peccetur, 480.

Cogitatum videre est aliud, et aliud sensum videre, 1182.

Cognitio sui ad cognitionem Dei perducit, 51. Cognitio sui plena quantum valeat, 55, 117. Cognitio Dei frustra in nobis crescit, nisi amor crescat, 145. Cognitio mandati cur non dicatur, sed cognitio peccati, 674.

Cohibere aliud est quam cavere. 1365.

Colloquium dulce quod ex divina gratia procedit, 462.

Colloquium dilecti quid faciat, 506.

Digitized by Google

Collyrium quid sit, et quid collyrio ungere oculos, 716.
Columbæ cur super rivos aquarum resideant, 510. Columbæ cur dicantur lotæ lacte, 511. Columbæ gemitus quis, 1018. Columbas duas offerre quid sit, 1044.
Comæ dilecti quæ; cur palmæ assimilentur; cur dicantur nigræ, 509.
Commorari inter lapides quid sit, 473.
Comparatio gaudii hujus vitæ cum patriæ gaudio, 456. Comparatio Christi ad florem, et Mariæ ad virgam, 1050.
Complacere Deo in veritate quid sit, 280.
Compunctio timoris amaritudinem, compunctio amoris dulcedinem habet, 98. Compunctio quid faciat, et quid faciat compunctionem, 458. Compunctionis optimus modus, 1257.
Conceptionis Christi virtus, 620.
Concupiscentia crevit ex contactu infirmitatis carnis, 662.
Condignum velle habere et condilectum habere velle in quo differant, 971.
Condilectio quando fiat, 927.
Confabulatio Dei dulcis est, 1206.
Confessio duplex, vera et falsa, 1074.
Conjugati qui voluptati suæ serviunt non sunt possessio dilecti, sed diaboli, 514.
Conscientia erronea quæ sit, 481. Conscientia per domum intelligitur, 1299.
Consideratio dolorum Christi quid efficiat, 465.
Consolator quem Dominus promisit, qualis sit, 1017 *et seqq.*
Conspersio nova quid sit, 260.
Contemplatio quid sit, 67. Contemplationis gratiam obtinere quam sit arduum, 52. Contemplationum genera duo, 61. Contemplationis, meditationis et cogitationis discrimen, 66, 67. Contemplationis modi multiformes, 68. Contemplationum sex genera a se et inter se omnino divisa, 70-72. Contemplationis generibus variis communia, 72; et cuique illius generi propria, 73. Contemplationis genus quale per propitiatorium intelligatur, 142. Contemplatio divinorum quam sit suavis et jucunda, 274. Contemplatio fervorem excitat, 506.
Contentio omnis quando in nobis cesset, 492.
Contingentia qualia dicantur et sint, 893, 894.
Contrapositio comestionis Adami et Emmanuelis nostri, 618.
Contritionis virtus quanta sit, 432. Contritionis utilitas, 518.
Contumacia quid sit, 1363.
Contumelia creatoris detestabilius est cæteris omnibus peccatum, 1188.
Conversatio malorum fugienda, 472. Conversandum cum bonis, 473.
Cordis intima nihil adeo purgat quam profunda et intima animi compunctio, 139, 140. Cor sponsi quomodo vulneretur, 484. Cor Christi quam dulce, 655. Cor carneum ad compatiendum præ cæteris omnibus habuit Emmanuel, 655. Cordis amaritudo, mentis perturbatio, animi inquietudo, quid sint, 658. Cor quomodo aperiat Christus, 735. Cor quod beneficiis liquescere non potest, quomodo Deus flagellis mollescat et erudiat, 1201. Cor quomodo ab humano mutetur, 1326. Cordis obduratio quid sit, 1365.
Corona arcæ quid significet, 90. Corona et arcus quid significent, 761. Corona quare in capite virginis stellarum duodecim, 799.
Corporis et animi concordia, 98. Corpus ab anima derelictum quid sit, 210. Corpus et anima, res admodum diversæ, unam personam qua ratione efficiant, 921.
Cortinarum modus et mensura, 214.
Creationis, justificationis et glorificationis bonorum effectus, 197.
Crura sponsi quid sint, 515.
Cubiculum quid sit, 425.
Cultores vineæ qui sint, 1142. Cultores novissimi cur primi denarium accipiunt, 1145.
Cura rerum terrenarum quomodo noceat, 488.
Custodes quid significent, 507.
Cypri semen, nardus, crocus quid significent, 489.

D

Daniel quomodo dicatur mystice ingredi domum suam, sociisque indicare negotium, 1249. Daniel munera accipiens quid mystice significet, 1296. Daniel quomodo præsideat foribus, 1298. Daniel fervorem devotionis, Arioch zelum fortitudinis repræsentant, 1243. Danielis tres socii quid nobis denotent, 1248. Danielem quid sit ad regem intrare, 1246. Danielem intus morari quid sit, 1306
David et Urias quid designent, 1253.
Dæmones quomodo dicantur reges terræ, variique illorum effectus, 267. Dæmones quomodo etiam pergentes intelligi possint, 268. Dæmones alios homines, alios reges cur appellet propheta, 335. Dæmonum variæ tentationes, 377. Dæmonium meridianum quid, 591. Dæmones quomodo decipiant, 455, 456. Dæmonis suggestiones diversæ, 468. Dæmonibus ipsis B. Virgo formidabilis est, 483. Dæmones revelationes aliquibus ostendunt, 515. Dæmones cur volucribus assimilentur, 859.
Deambulare quid sit, 1338.
Deauratio quid sit, 111.
Decor animæ maximus qualis, 415.
Decretum proponere quid, 1502.
Deducere alium in intellectibus manuum quid sit, 1317.
Delectatio præsens spiritualis quamvis magna, futuræ tamen comparata, parva est, 26. Delectationes carnales animam excæcant, 441. Delectationibus in specialibus quid cavendum, 457. Delectatio potus et cibi quando est vitiosa, 481. Delectationes exteriores quantum quis contempserit, tantum in Deo delectari poterit, 518.
Deliciis affluere quid sit, 185.
Dentes obstupescere quid sit, 441. Dentes quid significent, 455.
Deorsum quis se dimittat, 470.
Derogare et derogatio quid sint, 1357.
Desertum duplex, aliud bonum, aliud malum, 302. Desertum Idumeæ malum, desertum Cades desertum bonum, 303. Deserti concussio quid sit, 303.
Desiderium justitiæ et ejus proprietas, 2.
Desperationis malum timidum potiusque timidum reddit, et alia plura efficit, 1364.
Detonsiones quænam sint, 457.
Detrahere quid sit, 1357.
Detrimentum cupientis prodesse aliis indiscrete, 428.
Deus aliquando eos cadere permittit, per quos alios postmodum erigat, 33. Dei operatione justa, ejus vero permissione tantum injusta fieri, 100, 101. Deo nihil futurum nihilque præteritum, 102. Deus in electis suis contraria ex contrariis gignit, fovet et nutrit, 105. Deum præsentem sed quasi transeuntem habere quid sit, 147. Deum quomodo videamus per fidem, contemplationem et spem, 270, 271. Deus majestatis intonuit : quid sit in his verbis spiritualiter intelligendum, 289 *et seqq.* Deus quomodo habeat et exerceat sensus, 347. Deus plus gaudet dici sponsus quam pater, et pater quam Dominus, 408. Deus quomodo ab anima teneatur, 421. Deus diversis modis visitat animam, 424. Deum amplexari et deosculari animam quid sit, 426. Deus inter quos commoretur, 508. Dei suavitas quo magis sentitur eo avidius desideratur, 519. Deus quomodo nobiscum sit in Emmanuele, 622. Deus quomodo scit bonum et malum, 632. Deo gloriam quando demus, 754. Deus neminem permittit cadere, qui vero amore illi servit, 769. Deus permittit malos magna libertate uti in hoc sæculo, 857. Deo optima quæque tribuenda, 900. Deus est ubique, 913. Quomodo *sit in loco*, 914. Dei Filius cur Verbum dicatur, 976. Deus quare permittit tribulationes, 1199. Deus ab anima non invenitur, antequam mundus ab ea despiciatur, 1198. Deus quomodo solum amorem a nobis exigat, 1202. Deus quomodo spiritualiter regna transferat, 1252. Deus aliquando aliqua nonnisi juste permittit quæ homo injuste disponit, 1244. Deus lux est, cur non dicatur in prophetia Danielis, sed cum eo lux est, 1253. Dei dona cur accipiamus, 1365. Deus quando laudandus, 1347. Dei in regno quo quis humilior, eo sublimior est, 1330.
Devota anima quando bene cum Deo dividit, 464.
Devotionis socii quinam sint, 1243. Devotionis perfectæ signum, 1258. Devotionis veræ proprium, et discrimen inter illam et falsam, 1305, 1306.
Diabolo resistendum etiam in minimis, 468 Diabolum cum confutamus, percutimus, 470. Diabolus cur dicatur draco magnus et serpens antiquus, 801. Cur deorsum fluens, cur habere iram magnam, cur amplius non habere locum, 802.
Diadema septem in septem capitibus draconis quid, 799.
Dies Idumæi quales, 1008. Dies nostra justitia nostra, 1008.
Differentia inter irridere et subsannare, 271
Diffidit quantum quis in se, tantum in divinæ spei adjutorio confidit, 467.
Diffinitio personæ ex Boëtio, 945.
Digiti quinque quomodo respondeant quinque gradibus discretionis, 381. Digiti dilecti quid significent, 501. Digitorum spiritualium operatio quæ sit, 582.
Digniores apud Deum quinam sint, 809.
Dignitas creaturæ ratione præditæ in quo consistat, 857.

Digitized by Google

Dilatatio charitatis magna quæ se ad inimicos extendit 526. Dilatatio, sublevatio et alienatio mentis quæ sint, 170.
Dilectio vera in quo consistat, 961. Dilectionis dulcedine nihil dulcius, 916. Dilectionis proprietas, 917.
Dilecto inniti quid sit, 187. Dilectus non ad voluntatem, sed tamen aliquando ad utilitatem exaudit, ut expedire videtur, 506. Dilectus ex dilecto filius Dei, 508. Dilectus cur sit desiderabilis, 520.
Diligi a Deo cupienti quid faciendum, 345.
Diluvium bonum quid, 312.
Dina cur post Zabulon nascatur, 36.
Disciplina corporis absque disciplina cordis inutilis est, 22.
Discretio internæ puritatis custos, 49. Discretionis veræ effectus qui et quales, 49, 50. Discretionis proprietates quænam sint, 51. Discretionis gradus quinque, 381. Discretio quid faciat, 458, 459.
Discrimen inter judicium particulare et universale, 1181. Discrimen inter secundum et tertium gradum violentiæ charitatis, 1210.
Dispensatio divina erga nos, 379.
Divina virtute non nostris viribus cum dæmonibus congrediendum, 440. Divinitas non aliquid aliud est quam summa substantia, 898. Divinum esse quid sit, 941, 948. Divinis personis quid sit commune, quidve singulis proprium, 967. Divinitus glorificatur qui in afflictione divinam gloriam quærit, 1258.
Doctrina qua terrena docentur differt ab ea qua docentur cœlestia, 57.
Dolentes quid soleant facere, 205.
Dolor quomodo oriatur vel ordinetur, 7. Dolor Christi acerbissimus fuit, ut dolores omnium portaret, 465.
Dominium supernæ majestatis quid sit in regno hominum agnoscere, 1329.
Dominus de thesauris suis quales ventos producat, 367. *Dominus ipse dabit*, cur dicatur, 616. Dominus ostendit servis suis quæ oportet fieri cito, 877. Dominus quare dixerit Petro *quodcunque ligaveris*, et non, quæcunque ligari volueris, 1167. Dominus cum anima devota quomodo sæpe se gerit, 1218 *et seqq.* Dominus quando se longius ire fingit, 1263. Dominus quomodo compellatur intrare, quomodo evanescat, 1264.
Domus Hierusalem si scrutabuntur, quid fiet de domibus Babylonis, 1184.
Dona Dei exprimi non possunt, 1201. Dona Dei suis meritis ascribere impiissimum est, 285.
Draco magnus et rufus quis, 799.
Ducere in captivitatem, et gladio occidere quid sit, 806.
Dulcedo interior et dulcedo exterior inter se comparantur, 26, 27. Dulcedo cordis in lacte, in butyro cordis exsultatio intelligitur, 655. Dulcedo omnis instillata nostro Emmanueli, 656.
Duo in omni peccato sunt consideranda, 1174.
Duplici modo intelligitur amor, 682.

E

Ebrii spiritu qui sint, 276.
Effectus, vel excessus animi humani divino amore succensi, 174, *et fere per totum lib.* v. Effectus diligentium se in Deo, 522. Effectus charitatis quinam sint, 1197.
Eleemosyna maculata quæ sit, 433.
Elementorum in innovatione cur non fit mentio de igne, 859. Elementorum de innovatione intelligi possunt illa verba : *Ecce nova facio omnia*, 862.
Elephas, castum animal et frigidæ naturæ, 514.
Eloquium sacrum recte per cœlum intelligimus, 798.
Emissiones quænam sint, 490.
Emundatio lepræ quibus differatur, 1169, 1170.
Ephesus, Smyrna, Pergamus, Thyatira, Sardis, Philadelphia et Laodicea, quid singulatim hæ septem civitates significent, 742.
Episcopus cur columnæ comparetur, 736.
Equus albus quid significet et ejus sessor quis sit, 761. Equus rufus quid denotet, et quis sit sessor ejus, 763.
Erectio tabernaculi, 219.
Errare in via et errare in invio quid, 397. Errare non potest qui cum consilio vivit, 515.
Error judicii geminus, 1134.
Esse substantiale habere ex propagatione cujus sit proprium, 940.
Essendi potentia quid sit, 896.
Euphratis nomine quid intelligatur, 828.
Eva quoties mittat in exsilium, 363.
Evangelium quid doceat, et quid lex, 672.
Exaudiri ut a Deo mereamur, quid sit nobis faciendum, 454.
Excellentia animæ rationalis, 129, 130. Excellentia B. V. Mariæ, 659.
Excommunicati et anathematisati qui sint, 482.
Excusationes scuta vitiorum, 665.
Exempla virtutum in sanctis, 413.
Exercendi peritiam Christus ab initio habuit, sed ad experientiæ notionem per temporis accessum accrevit, 655, 654.
Exercitium laboris mentem roborat, 506.
Existentia variatur secundum originem, 938. Existentia communis et particularis, 945. Existentiæ humanæ variatio, 938.
Existere quid sit, 937.
Expiandi modus in duobus consistit, 1163, 1164.
Exploratorum genera duo, 1099.
Extrema maris tenere, quid sit, 76.

F

Fabricatio arcæ, 212.
Faciendum quid sit auro sapientiæ abundare quærenti, 115.
Factæ sunt voces, quid sit, 794.
Falcem mittere et metere quid sit, 816.
Falsa delectatio quomodo exstinguatur, 512. Falsus sapor quisnam sit, 519. Falsi Christiani duo cornua habent, 807.
Fames animæ quid sit, 1200.
Favus distillans sunt labia devotæ animæ, 486. Favus est dulcedo meritorum, 496. Favum quando comedit Christus, 496, et quando anima. 497. Favus et mel quare prius comedatur et postea lac bibatur et vinum, 497.
Felicitatis summæ plenitudo quid requirat, 923.
Ferculum est anima sancta, quæ pascit et reficit Christum et membra ejus, 442 *et seqq.*
Fermentum spirituale quid, 258. Fermentum omne peccatum, 258. Fermentum modicum quid, 253. Fermentum vetus quid, quidve recens, 259.
Ferreis loricis dæmones vestiti dicuntur, 787. Ferri contritio quid significet in statua Nabuchodonosor, 1269. Ferrum omnia cætera metalla domans crudelitatem designat, 1361.
Fides quid sit, 266. Fides conceptionis in B. virgine præcessit fecunditatem prolis, 386. Fide quantum quis accedit, tantum mundabitur, 493. Fides prima quid sit, 725. Fidei nostræ sacramenta obscure prolata, 614.
Filius Dei in religione seu religionis statu quis censeatur, 285. Filios arietum quando immolamus, 287. Filiæ Hierusalem quæ sint, 508. Filii Dei quando liberabuntur, 790. Filius quando raptus est ad cœlum, 800.
Finis orationis quando melior sit quam principium, 455.
Firma munitio castri animæ quæ sit, 513.
Fluenta plenissima quæ sint, 511.
Flumen aquæ quid significet, 803. Flumina intrare in mare quid, 1124.
Fluvius civitatis sanctæ quid sit, et cur gratia fluvio comparetur, 875.
Fluxerint quando aquæ de Libano, 492.
Folia ligni vitæ quænam sint quæ dicuntur esse ad sanitatem gentium, 876.
Fons totius boni duplex, 3. Fons hortorum quid sit, 491. Fons quid significet vel præfiguret, fons signatus quid, 491. Fons draconis quid sit, 691.
Fœnum quasi bos quis comedat, 1339.
Formido futura insignis in die judicii, 205.
Fortitudinem nostram exercentes tentationes quæ sint, 392.
Fraudulentia quid sit, 1358.
Fremere gentes, quid sit, 267.
Frigidus et calidus quomodo quis esse dicatur, 758. Frigidus aut calidus utinam esses, cur ita optative dicatur, 758.
Fructum geminum quomodo aliquis facere possit, 461.
Fulgura, nubes et pluvia quid significent, 367.
Funem argenteum rumpi, et vittam auream recurrere quid sit, 208.
Furiosus in furia aliquem occidens quando peccet mortaliter, 480.
Furor et ira quid sint, 1241. Furor cur prius et deinde ira ponatur, 1242.

G

Gaudium beatitudinis ex duobus constat, 18. Gaudium internum quis non inveniat, 25, 26. Gaudium verum Deus, 436 *et seqq.*
Gemelli hinnuli capreæ cur sint, 474.

Digitized by Google

Gemina felicitas tam angelorum quam hominum quæ sit, 497.
Gemitus columbæ quis, et quis gemitus corvi, 1018.
Genæ malo punico cur comparentur, 465. Genæ cur dicantur similes fragmento mali punici non integro, 464. Genæ dilecti quæ sint, et quæ pulchræ, 512.
Generatio quid sit, quidve productio, 982.
Gentes civitatis sanctæ denotant subjectos, reges vero prælatos, 875.
Gentiles cur mari comparentur, 780.
Genus contemplationis primum in consideratione rerum visibilium consistit, 79. Et per septem gradus distinguitur, 84. Genera tentationum septem, 387. Genera quatuor hominum, 857. Genus studii optimum, 1311. Genus eleemosynæ præclarum, 1337.
Gigantes quid denotent, 311.
Gladius acutus sermo divinus, 708. Gladius magnus quis sit, 764.
Gloriam et honorem Domino quibus modis offeramus, 287.
Gog et Magog quid significent, 855.
Grabatum tollere quid significet, 1073.
Gradus tres primi generis contemplationis, 194. Gradus profectuum in augmento suavitatis internæ, 274. Gradus summus bonitatis ubi esse videtur, 926. Gradus libertatis tres, 1132. Gradus discretionis quinque, 1135. Gradus amoris in affectibus quis primum locum obtineat, 1214. Gradus amoris quartus in humanis, est quædam forma damnationis, 1214. Gradus delectionis qui sint, 1271, 1275. Gradibus profectuum quibusdam sicut ad alta conscenditur, sic rursum gradatim ad ima descenditur, 1270. Gradus sævitiæ qui sint, 1327. Gradus vitiorum qui et quales, 1351.
Grandinis sonus quid significet, 798.
Gratiæ dona quæ, 269. Gratiæ divinæ subtractio quomodo inter electos, 371. Gratia cur detur, 883. Gratia ante peccatum quæ fuerit, 1026. Gratia quam habuit homo ante peccatum quanta, 1131. Gratia integra in hac vita ab homine non potest recuperari, 1132.
Gratum Deo sacrificium toties offerimus, quoties propter Deum nos ipsos humiliamus, 424.
Gravissimum quid sit in peccato, 826.
Guttur sponsi est internus sapor, 518. Suavissimum est, 520.

H

Habitantes in terra quinam sint, 782.
Habitatores Seir quinam dicantur, 997.
Hæreditas spiritualibus promissa, est terra promissionis Abrahæ, 1055.
Hæreticis assimilantur locustæ, 783.
Hierarchiam primam angelorum per arietes significatam saltus suos dare quid sit, 340, 341.
Hierusalem alia cœlestis, alia terrestris, 320. Hierusalem supernam ingredi cupienti quid sit faciendum, 1218 *et seqq.*
Hinnuli duo quinam sint, 474.
Historia de S. Antonio eremita, et de S. Paulo, 414, 415.
Holocausti altaris descriptio, 220 *et seqq.*
Homo animalis quomodo discat effici spiritualis, 90. Homo exterior interiorem quomodo adjuvat, 99. Homo ex aliquo similis, ex aliquo dissimilis Deo, 142. Hominem perfectum efficiunt virtus et sapientia, 279. Hominis interioris oculi qui sint, 359. Homo non habet vires contra adversarium extra charitatem, 439. Homo quot modis in sacra Scriptura intelligatur, 750. Homo quid sit, quidve animal, 934. Homo si non peccasset quomodo se haberet productione seu generatione, 985. Homines quomodo dii appellentur, 1296.
Honorem divinum quando nobis tribuimus, 1292.
Hortus conclusus quid sit, 488. Hortus dilecti fructibus omnigenis abundans est, 521.
Hostes animæ veri, carnales sunt delectationes, 23.
Humana actio ut sine gratia inutilis, ita cum illa utilis, 285. Humani animi mutabilitas, 1259. Humana semina quid significent, 1288.
Humiliatio secundæ divinæ personæ, 624.
Humilitas triplex, 448. Humilitas sublimior quæ, 449. Humilitas virtus Christi, 449. Humilitas est custos virtutum, 464. Humilitatis effectus, 490, 506. Humilitatem qui habuerit, Christo assimilabitur, 509. Humilitas est præparatio ad Spiritum sanctum recipiendum, 1027. Humilitas vera quæ sit, 1067. Humilitatem et humiliationem utramque habere debet servus Christi, 1063. Humilis vere quis, 1330. Humilitas altera vera, altera falsa, 1338.
Hyacinthus quid et qualis sit, et cur manus plenæ dicantur hyacinthis, 514.
Hydria et rota ad quid serviunt, 210. Hydriam conteri et rotam confringi quid sit, 209.
Hypocrisis, crimen pessimum, de quo Joseph fratres suos apud patrem accusavit, 50.
Hypocritarum actiones quæ et quales sint, 1358 *et seqq.*

I

Ignis terrenus et ignis cœlestis quid, 299. Ignis bonus qualis, 348. Ignis corporalis quo operatur in ferrum, hoc Spiritus sanctus circa cor operatur, 978. Ignis purgatorius quare sic dictus, 1178. Igne purgatorio qui puniuntur et purgantur, se salvos fore cognoscunt, 1178.
Imaginatio quomodo sit rationis famula, 4. Imaginatio duplex, alia bestialis, alia rationalis, 11. Imaginatio aliquando est ut instrumentum, 12.
Immortalitatem animæ non credentis detrimentum, 131.
Impatientia peccatur mortaliter, 481.
Imperfecti sunt invalidi ad opera laboriosa, 439. Imperfecti non loti lacte gratiæ sæpius incidunt in defectus, 511.
Impetus hominum diversi, 457.
Impietas quid sit, et ejus effectus, 281. Impietatis nomine intelligitur specialis injuria Creatoris, 1165.
Importuna tentatio quæ sit, 587.
Impudentia quid, 1361.
Incommunicabilis substantia vel existentia quæ sit, 907, 908.
Incommutabile esse quid sit, 903. Incommutabilis existentia quæ, 940.
Increpatio ad non laudantes Deum, 997.
Inferni portæ duæ quæ sint, 404. Infernum, mortem et mare dare suos mortuos quomodo intelligendum, 857.
Infirmus in pugna spirituali quomodo forti adæquari possit, 461. Infirmitas liberi arbitrii, 1125.
Ingenito potentia cur speciali quodam modo attribuatur, 979.
Ingressus ad Deum facilius patent pie pulsantibus, quam subtiliter perscrutantibus, 1201.
Inimicus quomodo nos impugnet, 459. Inimici suggestionibus resistendi diversi modi, 469. Inimicus quando diligatur, 494.
Iniquitas quid sit, 281. Iniquitatem cogitare, loqui, et loqui in excelso quid sit, 380. Iniquitas quando committi dicatur, 1175.
Injuria fit Deo peccando, 1175.
Inquietudo affectus humani quanta, 1122.
Insolentia quid sit, ejusque mala, 1356.
Intrinsecum extrinsecumque quid in divinis secundum humanum loquendi modum dicatur, 976.
Introduci ab alio quid sit, quidve per seipsum ingredi, 1246.
Introitus et exitus Ruben quid significet, 19.
Inundationem fames sequitur, 203.
Invida mens quomodo dolore uratur, 1358.
Invidia quando in invidentiam excrescat, et quid sit invidentia, 1356.
Invocatio auctoris ad B. Virginem Mariam, 475.
Ira quando non sit peccatum mortale, 481.
Irasci et non peccare quid sit, 30.
Iris judicium significat, 746. Cur dicatur similis visioni smaragdinæ,— cur dicatur tam in circuitu sedentis quam sedis, 747.
Irridentur illi qui gloriantur se posse aliquid contra electos Dei, 273.
Irrisio quid, et quid subsannatio, 271.
Irritamenta voluptatum unde, 183.
Issachar cur dicatur asinus fortis, 27.

J

Jaspidis et sardini lapidum significatio, 746.
Joannes cur aquilæ volanti assimilatur, 751.
Jordanus quid sit, 492.
Judas quid significet, 8.
Judicare mortuos quid sit, 796. Judicandi qui sint a viris apostolicis, 1179. Judicandorum conscientiæ quid sint, quidque corda, 1182.
Judicia quæ nos adjuvent, quæ sint, 345. Judicium dupliciter consideratur, 1180. Judicium secundum partem, et secundum plenitudinem, 1181.
Jugum et vincula quid spiritualiter in nobis operentur, 270.
Justum esse quid sit, 2.
Juventus vera quæ sit, 8.

L

Labia sponsæ cur vittæ comparentur, 461, 462. Labia dilecti quæ, 512.

Digitized by Google

Lac quando percipit anima, 497
Lacus calcabitur quid significet, 817.
Lampades septem quænam sint,— ardentes, septiformis gratiæ illuminationes denotant, 648.
Languor amoris quid, 1199.
Lapides, aurum et argentum quid denotent, 678. Lapis pretiosus cur Christus dicatur, cur jaspis, 865. Lapis primus in Jordane collectus est timor Domini, 1107. Lapides duodecim in Jordane collecti quasnam virtutes denotent 1106 *et seqq.* Lapides bonos in loco malo, et vice versa cur ponere jubemur, 1104. Lapidem tollere quid sit, 1170. Lapis percutiens statuam Nabuchodonosor cur non crescat in rupem, sed mutetur in montem, 1276. Lapis sine manibus abscissus quis sit, 1276.
Laqueus mortis affectio pravæ delectationis, 397.
Laus vera est de recta voluntate quæ per opus bonum innotescit, 21.
Lavare manus inter innocentes quid sit, 286.
Legalia quid significabant, 667.
Leo dormit oculis apertis, 756. Leo quid significet, 1353.
Leprosus quando mundetur, 1171. Leprosum mundari quid sit, 1168.
Levi, tertius Jacob filius, quid significet, 7.
Lex quid faciat, 670. Lex quid doceat, 672. Legis nomine quid intelligatur, 667. Lex quadruplex distinguenda, scilicet lex Dei, diaboli, mentis, et carnis, 357.
Lia quid significet, 2.
Libanus quid sit, 478. Quid significet, 492. Libanus Christus est, 516.
Liber vitæ continet etiam damnandos, sed postea ex eo delentur, 731. Liber qui in dextera Dei tenetur quid sit, 735. Cur in dextera teneatur, cur dicatur scriptus intus et foris, 755. Librorum apertio quid sit, 1181. Libros aperire et in illis legere quid, 1182
Libertas et potestas in homine quæ sint, 1125, 1126.
Liberum arbitrium in homine regnum accepit, 1281.
Licentia in bonos grassandi per quinque menses cur malis concessa, 784.
Licere aliquid duobus modis potest accipi, 679.
Lignum vitæ unde dictum, 625. Ligna, fenum, et stipula quid significent, 677. Lignum vitæ Christus, 618. Lignum vitæ quid sit, quare in medio plateæ civitatis sanctæ, 875. Ex utraque parte fluminis fructum proferens in sancta civitate quid significet, et cur per singulos menses fructum reddat, 876.
Lilia munditiam bene viventium denotant, 474.
Lingua dolosa quid, 398. Linguam suam comedere quid sit, 827.
Locutio intrinseca et extrinseca quæ sit, 977.
Longitudo, latitudo et altitudo civitatis Hierusalem quænam sint, et cur hæc tria in ea sint æqualia, 869.
Lucas cur vitulo assimiletur, cur in visione ante Matthæum ponatur, 750.
Lucerna cordis judicium discretionis, 397.
Lumen in lumine videre quid sit, 1344
Luna sub pedibus Mariæ quænam sit, 517. Lunam sub pedibus habere quid sit, 799. Luna facta sicut sanguis quid, 769. Lunæ pars tertia quæ sit, 782.
Luxuria quid sit, 690.

M

Magisterii locum cum suscipere oportet, quid faciendum, 1253.
Magna de nobis sentimus, licet nihil simus; cæci, habentes albuginem in oculis, 1013. Magnum esse et altum esse differunt, 1267.
Mala punica rubea quid significent, 489.
Malignitas quid sit, 181 Malignitas pessima quæ, 284. Malignitas amorem proximi tollit, 283, 284.
Malitia quid sit, 690.
Malum nunquam perpetramus nisi volentes, 15. Malum opus esse non posse quod ex bona intentione procedit, erronea opinio refellitur, 358. Malus ignis qualis, 1034.
Mammæ duæ quid significent, 485.
Mancipiorum et animarum hominum cur amissorum nomine dolere negotiatores Babylonis dicantur, 842.
Manducare de idolothytis quid sit, 726.
Manna absconditum quid sit, 724.
Manuductio materialis quid sit, 690.
Manus dilecti quid significet, 503. Manuum spiritualium quæ sit operatio, 379. Manus bonorum cur aureæ dicantur, 513. Manus dilecti cur tornatiles, 513.
Marcus cur leoni assimiletur, 750.
Mare vitreum quid significet, 748. Mare quid, quidve terra denotet, 806. Mare vitreum quid denotet, 820. Mare gentilitatem diversitate deorum fluctuantem denotat, 824. Mare Rubrum cur ita vocetur, 1085. Mare quid figurare dicatur, 1347.
Maria cur mater Dei facta, 518. Maria speciosa, Christoque simillima, 516. Maria supra angelos est, 517. Ejus excellentia,—Mater misericordiæ, 518. Maria virgo semper parata fuit ad omnia genera tormentorum sustinenda, 1047.
Marmori comparantur crura sponsi, et quare, 515.
Martyrium in mente quale sit, 466. Martyrium quid sit, 489.
Mater quando aliquis efficitur, 473.
Materia contemplationis in primo gradu quam sit copiosa, 80.
Matthæus cur dicatur habens faciem quasi hominis, 750.
Matutini exitus delectant, et contristant introitus vespertini, 1333.
Medela efficacissima vitiorum, 1154.
Meditatio quomodo surgat in contemplationem, et contemplatio desinat in meditationem, 62. Meditatio quid sit, 67. Meditatio cur sit ferculum, 499. Meditatio Christi quid efficiat, 515. Meditatio et contemplatio quæ sint, 1102. Meditatio quem fructum pariat, 1301. Meditari qualis sit Deus, quam dulce sit, 518.
Medulla virtutum quæ, 1033.
Mel et lac quid sit habere sub lingua, 487. Mel operationem bonam designat, 496. Mel quando comedit anima, 497. Melle reficitur Christus quando fiunt bona opera, 496. Mel et butyrum deliciæ muscarum, 624. Mel comedere et lac sugere quid sit, 1036.
Membrum Christi quot modis aliquis dicatur, 1172.
Mendaces quomodo sint inventi qui se apostolos dicebant, 715.
Mendacium plures minus erubescunt quam barbarismum commissum, 34.
Mensæ formatio, 213.
Mens nostra a quibus roboretur, 438. Mentem quid sit inter duos cherubim versari, 163. Mentis humanæ excessus ob magnitudinem devotionis quales, 174. Item ob magnitudinem admirationis. Item ob magnitudinem jucunditatis, 174. Mentem consurgere velut auroram quid sit, 178. Mens nostra ad divinitatis arcana caligat, 889. Mens humana non capit multa, licet manifesta sint, 931. Mens præsumptuosa seipsam sæpe præcipitat, 1233, 1234. Mens adversus proximum quatuor modis induratur, et adversus superiores, 1363. Mentis effrenatio quid, 1363.
Mensura æstimationis pendet ex mensura dilectionis, 1265.
Mercatores Babylonis quinam sint, 840.
Merita occultandi modus, 466.
Metallorum varia permutatio in statua Nabuchodonosor quid significet, 1231.
Militum Dei prima cautela, 439, 440
Miracula Antichristi quæ, 807, 808.
Miseria multiplex quæ superveniat universis in die judicii, 205 *et seqq.* Miseria hominis ab appetitu carnis exagitati, 1124.
Misericordia semper comitatur patientiam perfectam, 23. Misericordia B. Virginis cur cursui hinnulorum comparetur, 475.
Modus resistendi tentationibus, 22. Modus psallendi geminus in organo exsultationis, 375. Modus essendi idem non tamen idem existendi, 943. Modus judicandi qui apostolo is permittitur quis sit, 1181 *et seqq.*
Mons myrrhæ quid significet, 476. Mons est mens devota, 477. Montis verticem subire quid sit, 167. Montes, colles, campi quid spiritualiter significent, 337. Montes contemplativos, colles speculativos, campi activos homines denotant, 337. Montes sunt qui cœlestia tantum quærunt, 337. Montes in modum arietum exsultare quid sit, 340. Montes sunt homines devoti, 476. Mons magnus cur diabolus dicatur, 780. Montes in cor maris transire quid sit, 1354.
Monstruosum quid sit in homine Christiano, 369.
Mors animæ quæ sit, 397. Mors prima et mors secunda quæ sit, 721, 855. Mors, luctus, dolor, clamor, etc., cur non erunt in futura æternitate, 861.
Mos amantium quis, 508.
Motus varii naturales cordis, 501.
Moysi officium quale sit in spirituali homine, 330. Moysi mors, et interitus Aaron quid, 332.
Mulier amicta sole quænam sit, 798. Mulier quomodo fugerit in solitudine, 800. Mulier cur volet in desertum, 803.
Multa capita habere quid sit, 1354.
Mundus cur dicatur desertum, 450. Mundus tribus modis accipitur, primus cujus sit, et cujus secundus, 795. Mundus cur innovabitur, 859.
Murus magnus sanctæ civitatis quis, et quid denotet, 865.

Digitized by Google

Mutabilitates vel vanitates tres sunt, 790. Mutabilitas triplex, propositi, promissi, voti, et quid in his denotetur, 1347 *et seqq.*

Mutationes variæ animi humani, 131.

Mutuus amor quid requirat, 917.

Myrrha et thus quid denotent, 430. Myrrham et thus quis in se habeat, 478. Myrrha probatissima quæ sit, 501. Myrrha prima quæ, 513. Myrrha in martyribus, aromata in confessoribus metuuntur, 521.

Mysterium reparationis nostræ et Judæis et gentibus revelatum, 1002.

Mystica interpretatio triplex, 199. Mystici et historici sensus discrimen, 199. Mystica intelligentia illorum verborum : *Quid de nocte*, 1002 *et seqq.*

N

Nabuchodonosor quid significet, 1232. Cur secundo anno viderit somnium, 1233.

Nardus quid significet, 490.

Natura spiritualis per propitiatorium, 109. Naturæ dona quæ, 269. Natura angelica mero et fæce potata fuit, 324.

Negligentias etiam minimas fugiat, qui vult dilecto perfrui, 505.

Negotiatores terræ cur dolebunt super ruinam Babylonis, 842.

Nephtalim cur cervo comparetur, et non avi, 16.

Nequitia quid et quando dicatur, 257. Nequitiæ proprium quid sit, 264.

Niger equus quid significet, 764. Et quis sessor ejus, 765.

Nigredo bonorum quid, 510.

Noctes timendæ quæ sint, 442.

Nomen Antichristi quid significet, 808. Nomina pauca habere quid sit, 731. Nominibus diversis Dei sapientia nominata, 896. Nomen doctrinæ dupliciter accipitur, 989. Nomina proprietatum quæ non possunt convenire nisi uni personæ soli, 975.

Notitiam rerum triplici modo apprehendimus, 891.

Nubes lucida obumbrans quid sit, 661. Nubes candida quid sit, 815. Nubes quando transeant, et quid sit quod transeant, 1290.

Numeri centenarii, quadragenarii, et quaternarii significatio, 771. Numerus filiorum Israel cur determinatus est, et non gentium, 773. Numerus nominis bestiæ Antichristi, 808. Numerus personarum in Trinitate est juxta numerum proprietatum, 963.

Nuptiæ agni quæ sint, 847.

Nutrit sæpe elationem quod nobis videtur excitare devotionem, 676.

O

Obedientia corporis ad animum et animi ad corpus, 97. Obedientia qualis erit perfectum sacrificium, 1037 Obedientiæ sacrificium quantum, 1033. Obediendi propositum per vitulum designatur, 1037.

Oblatio turturis et columbæ quid significet, vel det intelligi, 1042.

Obligatio culpæ quæ sit, 1161.

Oblocutio quid sit, et quando fiat, 1357.

Obsequia sensualitatis et imaginationis, 4.

Obtinentia quid sit, 957.

Occasus quid significet, 191.

Octo species damnandorum quæ sint, et quomodo iis damnati octo beatitudinibus oppositi intelligantur, 863.

Oculus spiritualis quo invisibilia et arcana percipit anima humana, 119. Oculorum culpam deflere quid sit, 327. Oculum dextrum erue cur dictum sit, et non sinistrum, si scandalizat te, 362. Oculi sive visus duo sunt, 484. Oculus dexter quis, 510. Oculos habere sicut flamma ignis quid sit, 723. Oculis cur plena sint quatuor animalia in circuitu sedis Altissimi existentia, 750, 752. Oculus quomodo videat ubi non est, et non videat ubi est, 931. Oculus amoris non potest obturari, 1203. Oculos duos habet anima, 1203. Oculi quod cadendo aperiantur quid sit, 1309. Oculos ad cœlum levare quid sit, 1542.

Odoramenta sunt orationes, 757.

Officium veri zelatoris quale sit, 31. Officium Samuelis quid sit ab homine spirituali exerceri, 331. Officia animi quænam sint, 1232. Officium veræ devotionis triplex, 1251.

Oleum lætitiæ quid sit, 1155.

Olivæ quare duæ, 792.

Olus quare comendendum, 499.

Omnipotens quare Deus dicatur, 700.

Operatio naturæ et operatio industriæ quæ sint, quomodo inter se differant, 83. Operatio Dei triplex in S. Virgine Maria, contra naturam, secundum naturam et supra naturam, 620.

Opera conditionis, opera redemptionis, opera glorificationis quæ sint, 350. Opus dæmonum famulos Dei infestare, 394. Opera virtutum discutere et pigmenta in pulverem conterere quid sit, 433. Opus sine bona intentione tanquam corpus sine vita, 1120. Opera bona sine charitate nihil prosunt, 1202.

Opprobrium nostrum verum quale, et quando cessavit in adventu nostri Emmanuelis, 631.

Orationis utilitas, 1249. Orare nunquam mens quieta potest, nisi se præparet, 1249.

Ordo dandi quis et qualis, 692. Ordines vitæ tres, 409. Ordines judicandorum et judicantium, salvandorum et damnandorum, 1177 *et seqq.*

Organa nostra in salicibus suspendere quid sit, 372. Organum eruditionis quid requirat, vel quid ad illud pertineat, 374. Organum exhortationis quomodo psallamus, 374. Organum jubilationis unicum tantum canticum habet, 375. Organo devotionis quibus modis utamur, 375.

Os interioris hominis quid sit, 327. Os et cauda equorum quid denotent, 788. Os interioris hominis nunquam satiatur, solisque specialibus deliciis impletur, 1028.

Ossa arida opera fortia sine bona intentione, 1121.

Ostium apertum quid sit, 734. Ad ostium quomodo stat Christus, 741. Ostium apertum quis videat, Ostium apertum est sacra Scriptura, 744.

P

Pactum cum lapidibus regionum quinam habeant, 473.

Palfidus equus quid significet, et quis ejus sessor, 767.

Palma membris Christi comparata. Ejus proprietas, 509.

Panem doloris comedere quid sit, 98. Panis et conspersionis discrimen, 260. Panes spiritus qui comedant, 321.

Panis cristallinus quid, 328 Panis azymus quid significet, 1072

Pannis involvere Jesum quid sit, 1012.

Par turturum offerre quid sit, 1043. Par turturum et duos pullos columbarum cur obtulerit diva Virgo, 1047.

Pardum urso succedere quid sit, 1338.

Parturitio unde dicatur, 799.

Parvulorum statim post baptisma decedentium certa salvatio, 1177.

Pascere Dominum qualiter dicamur, 147.

Pascha Judæorum et pascha Christianorum in quo differant, 264. Pascha transitus dicitur, 1060.

Patientiæ perfectæ commendatio, 24. Patientiam et prudentiam nostram exercentes tentationes quæ sint, 392. Patientibus adversa quid faciendum, 447.

Pauper vere quis sit, 739. Pauper quis dici jure merito possit per amissionem charitatis, cæcus per amissionem cognitionis, nudus per amissionem boni operis, 739.

Pax spiritualis plena quæ sit, quibus constet, et quibus crescat gradibus, 273. Pax datur post virtutum certamina, 318. Pax quadruplex, scilicet ad Deum, ad mundum, de carne et de diabolo, et quomodo adipiscenda, 319. Pax quomodo restituitur, corpore castigato, 321. Pax duplex, alia ante, alia post pœnitentiam, 527 *et seqq.*

Peccatum si perfecte erubescerent homines, non tam facile committerent, 34. Peccati cognitio per legem, 669, 674. Peccatum duplex, aliud originale, aliud actuale, 690. Peccare in Patrem, in Filium et in Spiritum sanctum quomodo intelligendum, 1148. Peccatum cur non dicitur remitti, sed impietas peccati, 1163. Peccatum remittere quid sit, 1164. Peccatorum purgatio fit tribus modis, 1177. Peccator peccando duplicem obligationem incurrit, 1160. Peccatores quomodo diversis temporibus curentur, 1169. Peccatum quodnam sit detestabilius, 1188. Peccatum esse inexpiabile aliud est ab illo quod peccatum sit irremissibile, et quodnam sit inexpiabile et irremissibile, 1189. Peccati mortalis et venialis differentia, 1191. Peccare grave, gravius non pœnitere, gravissimum pro peccato et impœnitentia æterna tormenta subire, 826.

Pennæ quatuor animalium Ezechielis quid denotent, 530.

Percussio statuæ quid sit, 1276.

Perfectio vera quæ sit, juxta S. Gregorium, 469. Perfectionis signa quæ sint, 471. Perfectionis gratia quanto melius agnoscitur, tanto ardentius concupiscitur. 1096.

Perfecti soli vix ad omnia sex genera contemplationum proficiunt, 75. Perfectus quilibet columna est, 736. Perfectum aliquem in charitate non esse quomodo probetur, 922. Perfectorum corda quid sint, 1184.

Personas plures et unam solam substantiam esse non est mirandum, 921. Personæ divinæ descriptio, 945. Personalis proprietas est omnino incommutabilis, 941. Personæ divinæ quas habitudines habeant ad invicem, 992. Personas plures quid sit esse in una divinitate, 964.

Digitized by Google

Persuadet facile, qui ita perficit opera, sicut verbo docet, 512.
Perterreri a somnio quid sit, 1300.
Pes cur in quinque digitos dividatur, 1287. Pedes mensæ in arca quid significent, 201. Pedes cur similes aurichalco, 707. Pedum nomine quid intelligatur, 707. Pedes sacerdotis in parte aquæ tincti quid significent, 1090.
Pessulum quid significet, 505.
Phiala quid significet, 737. Phialæ aureæ quid denotent, 822. Phialæ primæ effusio a primo angelo facta, quid significet, 823. Phialam suam cur in solem dicatur quartus angelus effudisse, 826.
Philosophi quomodo in rebus visibilibus se exercuerunt, 80. Philosophi arcam suam deaurare nec voluerunt nec potuerunt, 87. Philosophus mundi captator est famæ et neglector conscientiæ, 112.
Piæ mentis est patienter sustinere quæ sunt ad pœnam, 661.
Pigmen et pigmentarius quid sit, 431. Pigmentarii quinam sint, 512.
Pili caprarum quid denotent, et quomodo nos juvent, 109.
Plagæ ab angelis septem illatæ cur novissimæ dicantur, 819.
Plateæ sanctæ civitatis sancti inferiores sunt, et cur dicantur aurum mundum, 872.
Plena felicitas sine quibus esse non possit, 917.
Plenitudinem habere plus est quam participationem, 897.
Pluralitas ubi non est, nec differentia esse potest, 936.
Podere quid significetur, 706.
Poma quæ sint quæ comedit dilectus, 496.
Populus Dei quis, 313.
Porta stercoris quid significet, 691. Portæ sanctæ civitatis sunt apostoli, 866.
Potentia quid, et quid sapientia, 994. Potentior quis in spirituali regno, 1240.
Potestas liberi arbitrii in homine ante peccatum, 1126.
Pœna duplex reproborum, una quam patiuntur in hoc mundo, et altera quam patiuntur in inferno, 819. Pœna criminosorum Christianorum, 1173.
Pœnitentia vera quid faciat, 677. Pœnitentia vera quæ et qualis, 1163.
Prandebo cur non dicit, sed cœnabo, 741.
Prandium et cœna quid significent, 848.
Præceptum Dominicum de alis expandendis quis adimpleat, 145.
Præcipitatio et præsumptio duæ alæ bestiæ, 1353.
Prædicatoris veri officium in duobus constat, 202. Prædicatores cur turri comparentur, 468. Prædicator quid debeat docere, 677. Prædicatores sancti cur vestiantur lapide mundo et candido, 822. Prædicatores universi qui per angelos significantur, recte septenario figurantur, 819.
Præliator est egregius Deum timens, 314.
Præmium et donum ut differant, 1237. Præmium merito respondet, 1232.
Prærogativa substantiæ incorporeæ et corporeæ diversa, 680.
Præsumptio et curiositas prohibitæ, 1315. Præsumptionis in æmulationem et simulationem gradatio, 1352.
Pretiosius in Dei oculis mortificari quam mori, 346.
Primogenita Ægypti quid significent, 368.
Probatio irrefragabilis quod illa verba : *Ecce virgo concipiet*, completa fuerint in B. Virgine Maria, 606 *et seq.* Probari a Domino quid sit, 279.
Processio principalior quænam sit, 953. Processio duplex in paschate, 1060. Processiones exteriores quid significent, 1071.
Prophetæ qui dicantur, 336.
Proprietates duæ veræ bonitatis, et quomodo noster Emmanuel eas habuerit, 636. Proprietas personalis quid sit, 941. Proprietates in Trinitate tot sunt quot personæ, 941. Proprietatum distinctio circa duo versatur, 960.
Propugnacula turris quæ sint, 468.
Prudentia carnis quandoque per aquam intelligitur, 44.
Psallère psaltem quando facimus, 190.
Purgationis modus multiplex, 259.
Pusilli et magni qui sint, 796.
Putei tres et quando fodentur, 491.

Q

Quadrum civitatis sanctæ quid, 868.
Quatuor arcæ anguli moraliter et mystice, 100. Quatuor animalia in circuitu sedis Altissimi quid denotent, 749. Cur ter clament *Sanctus*, et semel tantum *Dominus omnipotens*, 752. Quatuor animæ columnæ quæ sint, 443.
Quærere Deum in lectulo et per noctem quid sit, 410. Quæstio quonam modo B. Joannes revelationem viderit, 687 *et seqq*
Qui erat, quid in eo significetur, 696. — Qui nocet noceat, quomodo intelligatur. Non optat fieri, sed prophetat futurum, 880. Quisnam apponat, quisnam minuat, 884.
Quies dicitur lectulus, et quare, 434. Quiescere perfecte quid sit, 752.
Quindecim cantica Sion enumerantur, 376.
Quinque organa in quibus resonare debemus in conspectu divinæ majestatis, 373

R

Rachel quid significet, 3. Rachel cur prius liberos habet de ancilla, 10. Rachel cur non mandragoras, sed partem illarum petat, 20.
Radius solis a sole procedit, et fuit semper cum illo, 895.
Rapi ad tertium cœlum quid sit, 365.
Ratio et affectio quid, earumque officia, ministeria et affectus, 3. Ratio quomodo judicat, et quomodo sensualitas, 255. Rationalis substantia quæ et qualis, 896.
Reclinatorium pura conscientia est in qua reclinat se et requiescit Christus, 444.
Refectio duplex, alia corporalis, alia spiritualis, 199.
Regere alios quisnam dignus sit, 727. Regere se et alios quisnam noscat, 872.
Reges quinam sint et dicantur, 406.
Regina Saba ad Salomonem veniens quid sit moraliter, 181. Regina virtutum charitas, 321.
Regnare super terram quid sit, 758.
Regnum cœlorum quibus modis rapiant viri perfecti, 316. Regnorum destructio ubinam incipiat, 1289.
Religiosis quando dicatur manda et remanda..., 150 *et seqq.*
Remedia duo contra duo mala principalia, 188.
Reprehendunt multi seipsos, pauci vero seipsos judicant, 14.
Reprobi per adversitatem concipiuntur, non autem corriguntur, 100.
Requiescere in solo divinitatis desiderio quam arduum sit et difficile, 153.
Residere juxta fluenta quid sit, 511.
Restaurationis humanæ modus, 1004, 1005.
Retia evangelica quæ sint, 86.
Reverti quid sit et non reverti, 529.
Rigidus quid, et quid benevolus faciat, 460.
Romphæa quid sit, 722.
Ruben quid significet, 6.
Rubicundus cur dilectus sponsæ, 508.
Rumpere vincula, et jugum abjicere quid sit, 270.

S

Sacerdos unctus offerens vitulum quid significet, 1038.
Sacramentum quasi rei sacræ signum, 712.
Sacrificia quid fuerint, 670. Sacrificium Abrahæ in quo differat a sacrificio David, 1037.
Sagittam in nocte volare quid, 393.
Sagorum factura, 213.
Salicta ubi et quomodo crescunt, 371.
Salomonis templi descriptio ad litteram, 223 *et seqq.*
Saltus spirituales formare posse quam sit mirabile, 339. Saltus spirituales et cœlestes quid sint, 342.
Sanguis sanguinem tetigit, quomodo intelligatur, 474. Sanguis mortui nigrescit, 824.
Sanir et Hermon quid significent, 479.
Sapientes perdere quid sit, et sapientum domos publicare, 1237. Sapientes suos quinam sint qui occidant, 1237. Sapientes Babylonis qui, quando introducantur, 1302.
Sapphirus quid sit 514.
Saturitas spiritualis quæ sit, 275.
Sæcularibus negotiis se implicans ab internis et æternis se alienat, 690.
Sceptrum quando auferatur, 648. Sceptrum Judæorum illis ablatum fuit ob regnantium malitiam, 647.
Scientia humana cubitum habere plenum quid sit, 82. Scientia, præscientia, prædestinatio et dispositio Dei quæ sint, 101. Scientia qualis non inflat, sed accendit et humiliat, 457. Scientiam quomodo et qualem Christus processu temporis acquisierit, 625 *et seqq.* Scientia triplex, et quid in aliquibus, 681. Scientia sanctitatis sine bona intentione est imago sine vita, 1292.
Scorpio qualis sit, 783.
Scriptura sacra multiplicem expositionem admittit, 269. Scriptura sacra quid per centuplum intelligat, 405. Scriptura sacra cur mons dicatur, 407. Scriptura sacra cur de melle et butyro tantum in cibo Emmanuelis fecerit mentionem, 627. Scriptura sacra cur dicatur ignea lex, 755. Scripturæ sacræ cur sint manifestandæ et occultandæ, 879.
Sedes posita in cœlo sunt sancti angeli, perfecti docto-

Digitized by Google

res, et prælati per divinam providentiam positi et ordinati in sancta Ecclesia, 746.
Seir quid significet, 996.
Senarius perfectionem significat, 752.
Senes viginti quatuor propter gravitatem maturitatis dicti sunt, 748. Cur amicti stolis albis, 648. Sunt omnes Veteris et Novi Testamenti sancti et perfecti doctores, 647. Senum et vetularum loquacitas, 6.
Sensualitas quomodo sit affectionis ancilla, 4.
Sensus per quos discurrere habeat consideratio sui, 118. Sensuum singulorum officia, 1293.
Sententia ultionis secundum processum impietatis ordinatur, 825.
Sentire quid debemus de unitate Dei et personarum Trinitate, 160 *et seqq.*
Septem Liæ proles quid significent, 6. Septenarius quid significet, 701. Septem spiritus Dei habere et septem stellas quid sit, 729. Septem tempora quando mutentur, 1327. Septenario universitas designatur, 1328.
Sepultum foras venire, et institis vinctum prodire quid sit, 1166.
Sermo vox est significativa secundum placitum, vocum varia genera, 1020.
Servitus Christi quid nobis contulerit, 437.
Sessor sedis supernæ cur similis aspectui lapidis jaspidis et sardini, 746.
Sichem quid significet, 36.
Signaculi apertio est revelatio mysterii cum exhibitione promissi, 762.
Sigillis septem signatus liber quid significet, 755.
Significatio verborum *In sede* et *In circuitu sedis*, 752. Significationes multorum verborum, 851.
Signa quare suspecta, 469. Signum cur datum sit ad Achaz a Deo, 616. Signi dati ad Achaz duplex significatio, 643. Signum Dei quodnam sit, 771. Signum magnum cur dicat se Joannes vidisse in cœlo in sua revelatione, 819.
Silentium, id est, tranquillit s magna ex omni parte parata, et cur dicatur silentium quasi mediæ horæ, 773.
Simeon, secundus filius Jacob, quid significet, 7. Simeon et Levi gladiis pugnare quid sit, 41.
Similitudo pulcherrima a medicis desumpta, 721. Similitudo in humanis magis dicitur propter extrinsecam quam propter intrinsecam similitudinem, 976.
Sistere quotuplex sit, 937.
Sitire quisnam dicatur, 304.
Situs portarum sanctæ civitatis ad orientem, austrum.., quid significet, 8 6.
Sodoma quid sit, et quid significet, 793.
Sol quando spiritualiter oritur et occidit, 117. Sol factus niger quid denotet, 769. Solis tertia pars quæ sit, 782. Solis lumine non egebunt sancti sequentes Agnum, quid denotet, 876.
Somnus corporeus et somnus spiritualis, et in quo differant, 276. Somnium videre quid sit, 1233. Somnium loqui coram Daniele quid, 1309 Somnium quid sit videre, 1300. Somnia in conspectu sapientum narrare, 1304.
Speculatio, quæ surgit ex imaginatione, duplex, 12.
Specula intellectualis quid sit, ejusque supereminentia, 119. Speculam statuere quid sit, 172.
Speculativi unde dicti, 337.
Speculum suum tergat oportet, qui vult Deum videre, 51.
Spes quomodo ordinetur, 7. Sperare in Domino quid sit, 278.
Spiritus sanctus multipliciter per gratiam inspirantem operatur, 133. Spiritum quid sit in spiritu esse, et quid spiritum sine spiritu, 182. Spiritus ad se redire quid, 339. Spiritus sanctus unicus dicitur et multiplex, 499. Spiritus maligni in principibus designati, 629. Spiritus maligni quando principatum in homines accipiant, 653. Spiritus immundi qui sint, et quare sint immundi, 828. Spiritus sanctus cur dicatur donum Dei, spiritus sancti datio quid sit, 978. Spiritus sanctus cur non dicatur Filius, cur non dicatur imago Patris sicut et Filii, 985. Spiritus Dei Deo consubstantialis per omnia æqualis, 973. Spiritus humanus alius corporalis, alius spiritualis, spiritualis quando dicatur sanctus, quando incipit esse sanctus, 974. Spiritus sanctus quomodo sit amor Patris et Filii, 1011. Spiritus blasphemiæ et spiritus Dei omnino contrarii, 1188. Spiritus blasphemiæ cur non remittitur, 1188. Spirituum cura continua tam bonorum quam malorum erga homines, 1319. Spirituum bonorum et malorum longissima distantia, 1320. Spiritus sanctus diversis modis operatur in anima, 456.
Spirituali de harmonia cur non sentimus quod de corporali quotidie experimur, 190. Spiritualia vere diligere quid sit, 1216.
Sponsa cur causetur dilectum declinasse, 506 Sponsus cur aliquando ab anima etiam propter nullam illius culpam se subtrahat, 506. Cur electus ex millibus, 508. Sponsus et sponsa cur dicantur, 882.
Stare cum Domino quid sit, 147. Stare quid sit super custodiam, 172.
Statua quid significet, 1274. Statua Nabuchodonosor quando contra quemlibet nostrum erigitur, 1268.
Status ab Adamo usque ad Antichristum septem, 835.
Stella quid significet, et cur dicatur magna, 781. Stellis cur pastores comparentur, 708. Stellæ septem quid significent, 708. Stellæ nomen Absynthium cur dicatur, 781. Stella quæ, angelo cadente, cecidit, quæ sit, 783.
Sterilitates quatuor in salicibus expressæ quæ, 370.
Stolæ quid significent, 881.
Studium sapientiæ et ejus commendatio, 1. Studium lectionis studio operis jungendum est, 56. Studium summum in quo ponere debeamus, 892. Studium nostrum quale esse debeat, 1018.
Stultitia summa quæ, 1089. Stultus sapienti quomodo serviat, 463.
Sublimitas et humilitas nostri Emmanuelis, 649.
Subsistentia et existentia unde dicantur, 942.
Substantia duplex est in humana natura, non item in divina, 936. Substantiæ omni quid sit commune, 947. Substantia substantiam gignit, 987.
Superbia quanto magis dilatatur, tanto minus cognoscitur, 424. Superbi cujusnam sint discipuli, 1068.
Symbolum quid sit, 687.
Synagogam inter et Ecclesiam differentia, 60.
Syriace respondere quid sit, 1234.

T

Tabernaculum fœderis quid denotet, 191. Tabernaculum, mensa, altare et candelabrum quid significent, 192, 193. Tabernaculum nunquam vidit Josephus Judæus historicus, 214. Tabernaculum Domini cum hominibus, quid, 860.
Tabularum modus et mensura, 217.
Tactum spiritualem Dominus a Maria requisivit, corporalem prohibuit, 493.
Templum Domini cor hominis, 306. Templum in cœlo quid significet, 798. Templo fumo impleto, cur nemo possit introire, 822.
Tempus modicum dicitur, quia brevis est cursus temporis ad statum æternitatis, 769. Tempus quod amplius non erit, quomodo intelligatur, 790. Tempore tranquillitatis impetranda est gratia orandi tempore perturbationis, 1247. Tempus duplex quale investigandi quæ sunt supra se, et discutiendi quæ sunt intra se, 1333. Tempus matutinum et vespertinum, 1333.
Tentationes variæ, 377. Tentationibus resistendi modus, 22. Tentationum genera septem, 387. Omnium perniciosissima, 390. Tentationes cur Dominus permittat, 491. Tentationem cum non possumus virtute repellere quid faciendum, 1211.
Terra quid det nobis intelligere, 27. Terram in funiculo distributionis dividere, 362. Terræ nostræ extrema quid, 366. Terra Ægypti quid sit, 477. Terræ motus quid sit, 769 Terra et mare quid significent, 802. Terra cur mulierem contra flumen adjuvet, 803. Terra, solidum elementum, quid denotet, et quid mare, 1349. Terram perdere quid sit, 1351.
Terror multiplex in die judicii, 204.
Testa lutea nihil aliud quam fœda consuetudo, 1287.
Testis fidelis quis, et cur ita dictus, 697.
Thesaurus quisnam sit producens ventos, et ejus quatuor gazophylacia, 567, 569.
Thronus Dei quid sit, 846. Thronus quid denotet, 860.
Timidi quinam sint, et qui increduli et exsecrati, 865.
Timor, prima virtutum proles, unde oriatur, 6.
Tonitrua duras et terribiles de pœnis reproborum comminationes denotant, 748.
Transire de gente ad gentem quid sit, 329.
Transitus de vitio ad virtutem non datur, nisi per medios gladios hostium, 335. Transitus duplex, qui sit uterque, 1074 *et seqq.*
Translatione aliquando utendum est, aliquando comparatione, 15. Translatione quando utendum, 15.
Tribulatio quomodo nos juvet, 1084.
Trina vocatio quid significet, 478, 479.
Trinitatem circa personarum quæ creduntur et veraciter asseruntur, 158, 159.
Triplici in creatura investigari et cognosci potest Deus, 419.
Tropologia quid sit, 200.
Tunica quid significat, 503.
Turris David quid sit, 467.

Digitized by Google

U

Ubera duo quid significent, 485.
Unguenta prima quænam sint, 494.
Universitas divinorum scriptorum et prædicatorum per aquilam significatur, 782.
Unus crinis colli quid sit, 485
Ursus quid significat, 1356.

V

Vaccas quando offerimus, 1058.
Valles quid dent intelligi, 340.
Vanitas quid sit, et ejus effectus, 281, 282. Vanitas triplex in qua homo servit, et diabolus regnat, 364.
Væ triplicatum quid denotet, 842. Cur duplicetur, 843.
Vas capiens duos sectarios Bilibris esse dicitur, 766.
Venia vere pœnitentibus est promissa, 999.
Veniale peccatum per contemptum fit mortale, 481.
Venter dilecti quid sit, 503, 514. Venter sponsæ et mustum quid significent, 455.
Venti urentis effectus, 1349. Ventorum cœli diversitas quid denotet, 1349.
Verba Apostoli quomodo non sint verbis Domini contraria, 671. Verba illa, *Non erit istud*, quomodo sint intelligenda, 642. Verba illa, *Non timebis a timore nocturno*, quomodo secundæ tentationi, quæ ambigua dicitur convenient, 392, 393. Verba dissoluta quid efficiant, 462. Verba illa : *Qui in uno offendit, reus est omnium*, quomodo intelligatur, 1010. Verba illa : *Scuto circumdabit te veritas ejus*, quomodo ad primam tentationem, quæ est importuna pertineant, 392. Verbum an aliud sit cordis, aliud oris, 976.
Verecundia bona quæ sit, 43.
Veritas sicut nunquam non fuit, sic nunquam non erit, ab æterno, 902. Veritas ducere scit, seducere nescit, 55.
Vestimenta animæ quæ sint, 487. Vestimenta quid denotent. Vestimentorum nomine quid intelligatur, 731. Vestimentis albis quis indui dicatur, 740. Vestimentis in albis cum Christo ambulare quid, 731.
Vestis integra et vestis gloriosa inter se differunt, 57.
Vetus fermentum peccatum, 1072.
Via arcta quid sit, 1018.
Via arcta perfectorum via, 315, 316.
Videre Christum in peregrina specie quid sit, 1264.
Videndi modi diversi, 1312.
Viæ Dei quæ, et quomodo veræ et justæ, 820.
Vigilans esse quid sit, 729.
Vigiles sancti angeli non dicantur, 1328.
Vilitas mentis quam sit pretiosa, 449.
Vinculum æreum et ferreum quid significat, 1324.
Vinea quando plantatur et gentes quando ejiciantur, 1252.
Vinum et oleum quid significent, 766. Vinum quando bibit anima, 497.
Violentæ charitatis gradus quatuor, eorum signa et proprietates, 1208 *et seqq.*
Virgines sunt species Christi, 516.
Virgulæ sponsa cur comparetur, 454.
Viri perfecti exemplum proponitur, 494, 495. Viri spirituales fraudes dæmonum facile deprehendunt, 378.
Virium naturalium potestas quæ et qualis sit, 460.
Virtus quid sit, et quomodo comparetur, 132. Virtus patientiæ quanto laudabilior, tanto gloriosior retributio coronæ, 792. Virtus virtuti quomodo contradicat, 1129, 1130. Virtutes, nisi per discretionem moderentur, in vitia vertuntur, 47. Virtutes quamvis pares sint, non tamen æqualiter exercentur, 460.
Vis charitatis Christi omnem amorem superat, 1207.
Visio corporalis duplex, item et spiritualis, 686. Visio mystica cur ostensa sit Nabuchodonosor, 1231. Visiones omnes D. Joannis, de quo agant, 701, 702. Visitatio Dei quid efficiat, 422.
Vitæ duæ, activa et contemplativa, 427. Vitæ humanæ status duplex, 199.
Vitia imaginationis et sensualitatis, 5. Vitia carnalia et vitia spiritualia, 395, 396. Vitia duo principalia, malitia scilicet et luxuria, 690. Vitia sunt bestiæ, 1350. Vitiis impugnantibus nobis quid faciendum, 1335. Vitium vitio quomodo resistat, 1129. Vitium quid sit, 1147.
Vitulus Libani quis, 293. Vitulum propriæ voluntatis pascere in pascuis Libani quid sit, et quid in pascuis Carmeli, 294. Vituli Libani ad instar communici desideranti quid faciendum, 295. Vituli Libani denotant præsumptiones arrogantiæ, Cedri Libani fastus superbiæ, 295. Vitulus fœnum comedens quid significet, 1295.
Volucres ad suos ramos redire in arbore Nabuchodonosor quid sit, 1318.
Voluntatem malam nunquam Deus facit, quamvis eam esse permittat, 102.
Vox quid sit, 976. Vox de cœlo quando ruat, 1339. Vox et sibili Domini quomodo audiantur, 307. Vox dilecti est inspiratio, 502. Vox prophetica de internis et æternis bonis prima sonuit, 744. Vox aquarum quid significat, 708. Vox corporalis et vox spiritualis, 758. Vox magna cur dicatur, 759. Vox magna cur dicatur facta est salus, 801. Vox duplex quænam sit, 840. Vocem Dei audire nequeunt qui exteriora diligunt, 277. Voces quatuor notabiles distinguendæ, 343. Voces divinæ sunt admonitiones, 744. Vox evangelica dignitate præstantior prophetica et quare, 745.

Z

Zabulon quid sit, et quid significet, 29. Zabulon cur dicatur habere habitare in littore maris, 32. Zabulon quomodo et quando ad Sidonem pertingat, 32.
Zelatoris veri officium, 31 *et seq.*
Zelus animarum Deo placet, et placat Deum, 30. Laudibus offertur, 33.
Zona ad renes et mamillas quid significet, 29.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

RICHARDUS SANCTI VICTORIS.

OPERUM PARS PRIMA. — EXEGETICA.

DE PRÆPARATIONE ANIMI AD CONTEMPLATIONEM. LIBER DICTUS BENJAMIN MINOR.

Cap. I. — De studio sapientiæ, et ejus commentatione. 1
Cap. II. — De desiderio justitiæ, et ejus proprietate. 2
Cap. III. — De gemino totius boni fonte, ratione videlicet et affectione. 3
Cap. IV. — Quomodo per studium sapientiæ animus latenter sæpe inducitur ad exercitia justitiæ. 3
Cap. V. — Quomodo imaginatio subserviat rationi, sensualitas affectioni. 4
Cap VI. — De vitio imaginationis et sensualitatis. 5
Cap. VII. — Qui sint affectus principales, et quo ordine vel modo redigantur in virtutes. 6
Cap. VIII. — Quomodo vel unde oriatur ordinatus timor. 6
Cap. IX. — Quomodo oriatur vel ordinetur dolor. 7
Cap. X. — Quomodo oriatur vel ordinetur spes. 7
Cap. XI. — Quando oriatur vel ordinetur amor. 8
Cap. XII. — Quid sit proprium amoris. 8
Cap. XIII. — Quomodo per invisibilium amorem mens instigetur ad invisibilium investigationem. 9
Cap. XIV. — Quæ sit prima via omni ingredienti ad invisibilium contemplationem, videlicet per imaginationem. 10
Cap. XV. — Quomodo infirmorum speculationi divinæ Scripturæ alludant. 10
Cap. XVI. — Quod imaginatio alia sit bestialis, alia rationalis. 11

Digitized by Google

CAP. XVII. — Quod cum imaginationem, rationem, voluntatem dicimus, diversis modis id accipimus. 12
CAP. XVIII. — De gemina speculatione, quæ surgit ex imaginatione. 12
CAP. XIX. — De prima speculatione, et ejus proprietate. 13
CAP. XX. — De officio primæ speculationis. 13
CAP. XXI. — De utilitate primæ speculationis. 14
CAP. XXII. — De secunda speculatione, et ejus proprietate. 15
CAP. XXIII. — Quid sit familiare, seu etiam speciale speculationi secundæ. 16
CAP. XXIV. — Quanta sit jucunditas speculationi secundæ. 16
CAP. XXV. — De gemina virtutum prole quæ nascitur ex edomita sensualitate. 17
CAP. XXVI. — De rigore abstinentiæ, et vigore patientiæ, et eorum proprietate. 18
CAP. XXVII. — Quod sensualitatis appetitus non temperatur, si imaginationis evagatio non restringitur 19
CAP. XXVIII. — Quomodo per abstinentiam et patientiam animus roboratur ad omnem obedientiam. 19
CAP. XXIX. — Quomodo ex abstinentia, humana laus surgit et quam caute ejus appetitus temperandus sit. 20
CAP. XXX. — Unde maxima soleat laus surgere, et quod vera laus sit de recta voluntate. 21
CAP. XXXI. — Quomodo virtutibus prædictis muniatur tam disciplina cordis quam corporis. 21
CAP. XXXII. — Quod disciplina cogitationum non possit custodiri sine disciplina sensuum. 22
CAP. XXXIII. — Quomodo in cordis custodia vicissim sibi virtutes prædictæ cooperentur. 23
CAP. XXXIV. — Quod perfectam patientiam semper comitatur misericordia. 23
CAP. XXXV. — Commendatio perfectæ patientiæ, 24
CAP. XXXVI. — Quomodo, vel quo ordine oriatur verum gaudium. 25
CAP. XXXVII. — Comparatio interioris et exterioris dulcedinis. 26
CAP. XXXVIII. — Quid soleat impedire illud internum gaudium. 27
CAP. XXXIX. — Quomodo interna dulcedo soleat animum et ad fortia roborare, et ad humilia inclinare. 27
CAP. XL. — Quomodo vel quo ordine oriatur in nobis odium vitiorum. 29
CAP. XLI. — Quam sit rarum ex vero vitiorum odio, zelum rectitudinis habere. 30
CAP. XLII. — Quod sit officium veri zelatoris. 31
CAP. XLIII. — Quod veri zelatoris sit vigilare, non solum contra sævitiam, sed etiam contra fraudulentiam. 32
CAP. XLIV. — Quale sit, vel quantum habere perfectum zelum animarum. 33
CAP. XLV. — Quomodo, vel unde oriatur ordinatus pudor. 33
CAP. XLVI. — Quis, vel qualis sit ordinatus pudor. 34
CAP. XLVII. — Quam sit rarum habere pudorem verum. 34
CAP. XLVIII. — Quid sit proprium pudoris. 35
CAP. XLIX. — De utilitate et venustate verecundiæ. 35
CAP. L. — Quomodo verecunda mens modestiæ metas transgreditur, cum per superbiam et vanam gloriam corrumpitur. 36
CAP. LI. — Quomodo verecunda mens ab intentionis suæ rectitudine dejicitur. 37
CAP. LII. — Quomodo sub uno eodemque tempore unde una corrumpitur, inde aliæ virtutes quandoque nutriuntur. 38
CAP. LIII. — Cum quanta instantia, vel cautela corrigenda sit intentio depravata. 39
CAP. LIV. — Quomodo, vel quam caute oporteat intentionem mutare, et morum honesta non deserere. 40
CAP. LV. — Qua maxime consideratione debeamus intentionis depravationem castigare. 40
CAP. LVI. — Quod mens in omni corruptione sua debeat et patienter dolere, et de sua correctione non desperare. 41
CAP. LVII. — Quomodo, vel quam caute per exprobrationem peccati vel per exactionem debiti, debeat corrupta mens flagellari. 41
CAP. LVIII. — Quomodo per nimiam afflictionem mens quan loque usque ad impudentiam effrenatur. 42
CAP. LIX. — Quod nec ordinata verecundia sit bona, nisi sit et moderata. 43
CAP. LX. — De principalium affectuum numero, et ordinandi modo compendiosa recapitulatio. 43
CAP. LXI. — Quod affectus ordinati veraciter sunt boni si sunt et moderati. 44
CAP. LXII. — Quibus modis timor mensuram æquitatis transgreditur. 44
CAP. LXIII. — Ad quam impudentem evagationem nimius timor mentem prostituit. 45
CAP. LXIV. — De vi vel efficacia timoris sine quo nec mala deserimus nec bona inchoamus. 45
CAP. LXV. — De principalitate timoris, et aliis affectibus qui quibus principentur. 46
CAP. LXVI. — Quomodo virtutes in vitia vertuntur nisi per discretionem moderentur. 47
CAP. LXVII. — Quomodo, vel quam sero oriatur discretio cum sit prima proles rationis. 48
CAP. LXVIII. — De discretionis utilitate. 48
CAP. LXIX. — Quam sit utile et item quam sit difficile discretioni perfecte obtemperare. 49
CAP. LXX. — De multiplici officio veræ discretionis. 50
CAP. LXXI. — De gemina prole rationis, gratia videlicet discretionis, et gratia contemplationis. 51
CAP. LXXII. — Quomodo per plenam cognitionem sui, sublevetur animus ad contemplationem Dei. 51
CAP. LXXIII. — Quam sit arduum, vel difficile gratiam contemplationis obtinere. 52
CAP. LXXIV. — De illo contemplationis genere, quod est supra rationem. 52
CAP. LXXV. — De supereminentia spiritualium theoriarum. 53
CAP. LXXVI. — Quam sit rarum, vel quam jucundum, spirituales theorias in usum adducere et in oblectamentum vertere. 54
CAP. LXXVII. — Quod frustra nitimur ad summa sine præveniente gratia. 55
CAP. LXXVIII. — Quantum valeat plena cognitio sui. 55
CAP. LXXIX. — Quibus modis ad scientiæ altitudinem pertingimus. 56
CAP. LXXX. — Quomodo summis conatibus nostris, divina revelatio occurrat. 56
CAP. LXXXI. — Quam suspecta debeat esse omnis revelatio, quam non comitatur Scripturarum attestatio. 57
CAP. LXXXII. — Quam sint incomprehensibilia, quæ mens per excessum videt ex revelatione divina. 58
CAP. LXXXIII. — Quod illa mens divinas revelationes percipit, quæ in intimis stare consuevit. 59
CAP. LXXXIV. — Quomodo mens se ad interiora colligere debeat, quæ in cœlestium contemplationem anhelat. 58
CAP. LXXXV. — Quam sit jucundum, et dulce contemplationis gratiam familiare habere. 60
CAP. LXXXVI. — De duobus generibus contemplationum. 61
CAP. LXXXVII. — Quomodo contemplatio desinat in meditationem, vel quomodo meditatio surgat in contemplationem. 62

LIBRI QUINQUE DE GRATIA CONTEMPLATIONIS, SEU BENJAMIN MAJOR.

LIBER PRIMUS

CAP. I. — De contemplatione ejusque commendatione. 64
CAP. II. — Quot sit utilis, vel grata hæc gratia proficientibus in ea. 65
CAP. III. — De contemplationis proprietate, vel in quo differat a meditatione, vel cogitatione. 66
CAP. IV. — Definitio singulorum, contemplationis, meditationis, cogitationis. 67
CAP. V. — Quod contemplationis modus multiformiter agitur. 68
CAP. VI. — Quot sint, vel quæ contemplationis genera. 70
CAP. VII. — Quæ, quibus sint communia. 73
CAP. VIII. — Quæ sint singulorum propria. 75
CAP. IX. — Qua sibi quæque proportione respondeant, vel quomodo invicem permiscere soleant. 74
CAP. X. — Quod vix soli perfecti ad omnia sex contemplationum genera proficiunt. 75
CAP. XI. — Quomodo prima quatuor contemplationum genera mystice describantur. 77
CAP. XII. — Quomodo novissima duo contemplationum genera mystice designentur. 78

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. — Primum contemplationis genus consistit in consideratione et admiratione rerum visibilium. 79
CAP. II. — Quod sit copiosa hujus contemplationis materia, vel quomodo philosophi se exercuerunt in ea. 80
CAP. III. — De triplici distinctione primæ speculationis. 81
CAP. IV. — Quod primus gradus hujus speculationis consideratur in materia, forma et natura. 82

Digitized by Google

CAP. V. — Quod secundus gradus consideratur in operatione naturæ et industriæ. 83
CAP. VI. — Quod tertius hujus speculationis gradus consistat tam in humanis quam in divinis constitutionibus. 83
CAP VII. — Quod secundum contemplationis genus constat in consideranda et admiranda rerum visibilium ratione. 85
CAP. VIII. — Quam sit copiosa hujus contemplationis materia. 86
CAP. IX. — Quomodo philosophi se in hujus contemplationis materia exercuerint. 87
CAP. X. — De distinctione secundæ contemplationis. 88
CAP. XI. — De proprietate secundæ contemplationis. 89
CAP. XII. — De tertio contemplationis genere. 89
CAP. XIII. — Quomodo in hoc contemplationis genere incipiat homo fieri spiritualis. 90
CAP. XIV. — De distinctione eorum quæ ad hanc speculationem pertinent. 91
CAP. XV. — Quod hoc contemplationis genus recte in quinque gradus dividitur. 93
CAP. XVI. — Quod illa quæ ad hanc speculationem pertinent aliter adhuc distingui possunt. 94
CAP. XVII. — Quod in hac speculatione corporeæ similitudinis manuductione utimur. 95
CAP. XVIII. — Quod hoc contemplationis genus constat in ratione secundum imaginationem. 99
CAP. XIX. — Quomodo ad permissionem, vel operationem Dei pertineat quidquid radius contemplationis perlustrat. 99
CAP. XX. — Quod Dei sapientia, cum sit simplex et una, diversis considerationibus in contemplationem adducitur, et modo scientia, modo præscientia, modo dispositio vel prædestinatio nominatur. 101
CAP. XXI. — Quod divina sapientia secundum diversos contemplationis modos in quibusdam videatur mirabilior, in quibusdam jucundior. 101
CAP. XXII. — In qua speculatione divina præscientia, vel scientia appareat mirabilior. 103
CAP. XXIII. — In qua speculatione divina prædestinatio appareat jucundior. 104
CAP. XXIV. — In qua rerum speculatione soleat divina dispositio jucundior apparere. 104
CAP. XXV. — Quod contemplationis spectaculum semper comitari debent magna admiratio et ingens exsultatio. 106
CAP. XXVI. — Quod secundum modum admirationis et exsultationis variatur modus contemplationis. 107
CAP. XXVII. — Quod in omni rerum mutabilium contemplatione necesse sit divinæ sapientiæ considerationi inhærere. 107

LIBER TERTIUS.

CAP. I. — De materia quartæ contemplationis ejusque proprietate. 107
CAP. II. — Quomodo differat, vel quantum emineat hoc contemplationis genus primo et secundo. 110
CAP. III. — Item quomodo differat, vel superemineat secundo. 111
CAP. IV. — Quomodo differat, vel quantum superemineat tertio. 113
CAP. V. — Quantum valeat fortiter insistere huic contemplationi, vel quomodo ad ipsam proficiat mens ex multa consideratione et cognitione sui. 113
CAP. VI. — Quomodo ex speculatione sui spiritualium intelligentia comparatur, seu etiam amissa reparatur. 116
CAP. VII. — Quomodo ex speculatione sui accepta intelligentia ad omnia dilatatur. 117
CAP. VIII. — De sensu triplici, per quos discurrere habet consideratio sui. 118
CAP. IX. — De sensu intellectuali, quo solo possunt invisibilia videri. 118
CAP. X. — De intellectuali speculo, ejusque supereminentia. 119
CAP. XI. — De triplici distinctione quartæ speculationis. 121
CAP. XII. — De subdistinctione primi gradus hujus contemplationis. 121
CAP. XIII. — Quomodo in primo hujus contemplationis gradu mens exercere se debeat, vel quantum ejusmodi exercitatio valeat. 122
CAP. XIV. — Designatio eorum, quæ in hoc speculationis gradu comprehendi non possunt. 123
CAP. XV. — Quod nec illa negligere debemus, quæ non nisi ex parte comprehendimus. 124
CAP. XVI.—De subdistinctione secundi gradus contemplationis. 125
CAP. XVII. — Quod quædam similiter in secundo hujus contemplationis gradu sunt, quæ comprehendi non possunt. 126
CAP. XVIII. — De prima et secunda distinctione hujus contemplationis, earumque differentia. 126
CAP. XIX. — Quod nullo sensu nostro comprehendi valeant quæ ad tertiam definitionem spectant. 128
CAP. XX. — Quomodo hoc contemplationis genus possit in quinque gradus dividi, et quæ pertineant ad primum gradum. 129
CAP. XXI. — De consideratione eorum quæ pertinent ad secundum gradum. 129
CAP. XXII. — De consideratione eorum quæ pertinent ad gradum tertium. 131
CAP. XXIII. — De consideratione eorum quæ pertinent ad quartum gradum. 132
CAP. XXIV. — De consideratione eorum quæ pertinent ad gradum quintum. 133

LIBER QUARTUS.

CAP. I. — De quinto et sexto contemplationum generibus. 135
CAP. II. — Quod rationem humanam excedunt, quæ ad has novissimas speculationes spectant. 136
CAP. III. — Quod ea quæ supra rationem sunt, gemina distributione distingui possunt, et quæ cui generi subsunt. 136
CAP. IV. — Quod sint aliena ab omni imaginatione quæ pertinent ad hæc contemplationum genera. 138
CAP. V. — Quæ sit supereminentia harum novissimarum contemplationum. 138
CAP. VI. — Quod sit arduum, vel difficile in hæc novissima contemplationum genera gratiam sibi comparare. 139
CAP. VII. — Quod frustra homo ad hos theoricos excessus nititur, nisi divinis revelationibus adjuvetur. 139
CAP. VIII. — Quod quintum contemplationis genus similitudinis rationem admittit, sextum vero totius similitudinis proprietatem excedit. 141
CAP. IX. — Quomodo per hæc duo contemplationum genera temperatur cuique amor, et approbatio sui. 143
CAP. X. — Cum quanta animi aviditate debeant, vel soleant spirituales viri his novissimis contemplationum generibus inhiare. 145
CAP. XI. — Quomodo post multam desiderii sui fatigationem alii soleant, alii non soleant ex visitante gratia super semetipsos levari. 146
CAP. XII. — Quod ea quæ per excessum mentis solent videri, alia possunt, alia omnino non possunt ad communem intelligentiam inclinari. 148
CAP. XIII. — Quod omni hora anima sancta et contemplativa ad susceptionem gratiæ debeat esse parata. 149
CAP. XIV. — Quam sit paucorum, ad susceptionem gratiæ animum semper habere paratum. 150
CAP. XV. — Quod sit arduum, vel difficile, cuivis perfectæ animæ seipsam ad semetipsam totam colligere, et in solo divinitatis desiderio requiescere. 152
CAP. XVI. — Quam sit pene impossibile cuivis animæ seipsam extra semetipsam totam effundere, et supra semetipsam ire. 154
CAP. XVII. — De his quæ specialiter pertinent ad quintum genus contemplationis. 156
CAP. XVIII. — De his quæ specialiter pertinent ad quintum genus contemplationis. 158
CAP. XIX. — De mutua collatione duarum novissimarum speculationum. 160
CAP. XX. — De mutua collatione trium novissimarum speculationum. 161
CAP. XXI. — Quod frequentationem trium novissimarum speculationum semper comitetur frequentia divinarum revelationum. 165
CAP. XXII. — Quod in omni contemplationis genere contingit contemplantem mente excedere. 164
CAP. XXIII. — Quod excedendi donum alii fortuitum habent, alii tam quasi ex virtute possident. 166

LIBER QUINTUS.

CAP. I. — Quod tribus modis in gratiam contemplationis proficimus. 167
CAP. II. — Quibus modis soleat omnis contemplatio contingere, mentis videlicet dilatatione, mentis sublevatione, mentis alienatione. 169
CAP. III. — De mentis dilatatione quibus modis soleat accrescere. 171
CAP. IV. — De mentis sublevatione, quibus soleat gradibus assurgere. 172
CAP. V. — Quod triplici ex causa fieri soleat humanæ mentis excessus. 174
CAP. VI. — Quod primus excedendi modus surgat ex magnitudine devotionis. 175
CAP. VII. — Quod primus excedendi modus, quando-

Digitized by Google

que fiat ex sola ferventis desiderii exæstuatione. 175
Cap. VIII. — Quod primus excedendi modus, quandoque fiat, tam ex æstuanti devotione, quam ex adjuncta sibi divina revelatione. 176
Cap. IX. — Quod secundus excedendi modus fieri soleat ex magnitudine admirationis. 178
Cap. X. — Quod secundus excedendi modus quandoque sola admiratione incipit, et in ferventissimum devotionis desiderium desinit. 179
Cap. XI. — Quod secundus excedendi modus, quandoque a sola admiratione inchoat, et in eodem tenore perseverat. 179
Cap. XII. — Quod in secundo excedendi modo, quandoque divina revelatio nostræ meditationi occurrit. 180
Cap. XIII. — Quod in secundo excedendi modo, divina revelatio quandoque etiam nostram meditationem prævenit. 182
Cap. XIV. — Quod tertius excedendi modus fieri soleat ex magnitudine jucunditatis. 184
Cap. XV. — Quod quilibet mentis excessus humanæ industriæ vel meriti modum excedit. 187
Cap. XVI. — Quod in tertio maxime excedendi modo totum pendet ex divino beneficio. 188
Cap. XVII. — Qui ad hunc tertium ejusmodi gratiæ gradum profecerit, unde idipsum adjuvari possit. 189
Cap. XVIII. — Quid maxime soleat valere ad innovationem ejusmodi gratiæ. 190
Cap. XIX. — Quibus gradibus excrescat humanæ mentis excessus. 192
NONNULLÆ ALLEGORIÆ TABERNACULI FŒDERIS cum recapitulatione brevissima contentorum in præfato opere De gratia contemplationis. 192
TRACTATUS de meditantis plagis quæ circa finem mundi evenient. 201
EXPOSITIO difficultatum suborientium in expositione tabernaculi fœderis. 211

TRACTATUS PRIMUS.

Prologus. 211
Cap. I. — De fabricatione arcæ. 212
Cap II. — De factura duorum cherubin. 213
Cap. III. — De formatione mensæ. 213
Cap. IV. — De factura candelabri. 213
Cap. V. — De modo et mensura cortinarum. 214
Cap. VI. — De factura sagorum. 215
Cap. VII. — De gemino operimento arietinarum pellium. 216
Cap. VIII. — De modo et mensura tabularum. 217
Cap. IX. — De erectione tabernaculi. 219
Cap. X. — De superductione operimentorum. 219
Cap. XI. — Descriptio altaris holocausti. 220

TRACTATUS SECUNDUS.

De templo Salomonis ad litteram. 223

TRACTATUS TERTIUS.

DECLARATIONES nonnullarum difficultatum Scripturæ ad B Bernardum Clarævallensem abbatem. 255
MYSTICÆ ADNOTATIONES IN PSALMOS. 265
EXPOSITIO CANTICI HABACUC. 401
IN CANTICA CANTICORUM EXPLICATIO. 405
Cap. I. — Quomodo in quiete quæratur Deus, et de ampliori gratiæ desiderio. 410
Cap. II. — Quomodo tam perfectorum quam imperfectorum exempla considerat anima. 411
Cap. III. — Quomodo considerata exempla bonorum humilient et accendant. 414
Cap. IV. — Quomodo anima angelorum præsentiam cognoscit, et eis desideria sua pandat. 416
Cap. V. — Quomodo anima post angelorum contemplationem, ad Dei contemplationem transeat et discretionem. 419
Cap. VI. — Quomodo anima Christum in se suscipiat, et de vera dilectione Dei. 421
Cap. VII. — Quomodo in secreto mens Deo fruitur, et ab eo de occultis eruditur. 423
Cap. VIII. — De meritis et utilitate contemplativæ vitæ, et quando ad requiem aliquis debeat venire. 426
Cap. IX. — De spirituali assensu animæ, et de discretione et fervore. 429
Cap. X. — De requie superna et quomodo perfecti hanc desiderant. 434
Cap. XI. — De cautela pugnandi contra inimicum, et de remedio contra cordis cæcitatem. 439
Cap. XII. — De animæ virtutibus et perfectione, munditia, desiderio et discretione. 442
Cap. XIII. — De modo proficiendi, et de exemplo Christi, et præmio. 445
Cap. XIV. — De humilitate interiori et exteriori, et de ejus triplici distinctione. 447
Cap. XV. — Quomodo anima terrena despiciat, et interna cognoscat. 449
Cap. XVI. — Quomodo a Christo per orationem meditationis sanctæ obtineantur. 451
Cap. XVII. — De discretione cogitationum, et quomodo ad hanc veniatur. 455
Cap. XVIII. — De discretione naturalium et gratuitorum; et de diversis motibus animæ. 458
Cap. XIX. — De custodia loquendi et dulcedine. 461
Cap. XX. — De pulchritudine animæ pœnitentis, et humilitate, et occultis ejus meritis. 463
Cap. XXI. — De profectu, et fortitudine bonorum, et Scripturæ documentis. 467
Cap. XXII. — De vera perfectione et exemplis perfectorum. 470
Cap. XXIII. — De pietate bonorum, et maxime beatæ Virginis. 473
Cap. XXIV. — De mortificatione et oratione, et perfecta pulchritudine animæ. 476
Cap. XXV. — De corona beatorum; et quomodo pollutio et alia sunt mortalia. 478
Cap. XXVI. — De beatæ Virginis Mariæ integra et perfecta pulchritudine. 482
Cap. XXVII. — De spirituali visu, et quomodo Deo placeat cura propriæ salutis, et alienæ. 484
Cap. XXVIII. — De laude geminæ passionis, et dulci doctrina. 485
Cap. XXIX. — De gemina conclusione animæ, et occulto martyrio. 487
Cap. XXX. — De fonte animæ, et aquis vivis gratiæ, quæ fluunt a Christo. 491
Cap. XXXI. — De consolatione tentationis, et quod hanc sequitur amplior gratia. 493
Cap. XXXII. — De adventu Christi in anima, et quod per mortificationem pervenitur ad perfectionem. 495
Cap. XXXIII. — De spirituali refectione et usu gratiæ. 497
Cap. XXXIV. — Quomodo gratia consolatur, et accendit, et de perfectione et mortificatione. 503
Cap. XXXV. — Quomodo Deus desideratur, et se subtrahit, et quomodo ad salutem adest, et exaudit. 505
Cap. XXXVI. — De amore dilecti et ejus qualitate. 507
Cap. XXXVII. — De qualitate membrorum dilecti. 509
Cap. XXXVIII. — De membris dilecti. 512
Cap. XXXIX. — Descriptio aliquorum membrorum dilecti et virginis Mariæ laudes. 514
Cap. XL. — De Christo et meritis ejus. 518
Cap. XLI. — Sponsus sponsam invitat ad hæreditatem suscipiendam. 521
Cap. XLII. — De assumptione Mariæ, et ejus laudibus. 522
QUOMODO CHRISTUS PONITUR IN SIGNUM POPULORUM. 525
IN VISIONEM EZECHIELIS. 527
Cap. I. — Compendiosa comprehensio eorum ædificiorum quæ ad unam medietatem pertinent. 534
Cap. II. — Compendiosa prælibatio eorum ædificiorum quæ ad aliam medietatem pertinent. 536
Cap. III. — Quomodo, vel quam multis circumstantiis mystica hæc descriptio commendetur. 537
Cap. IV. — Collectis hinc inde Scripturæ testimoniis, hoc hic de una porticu astruitur quod de cæteris omnibus jure intelligatur. 542
Cap. V. — De his quæ ad unam medietatem cujuslibet porticus pertinere videntur. 545
Cap. VI. — De cæteris quæ de porticu restant, ad totius descriptionis completionem. 547
Cap. VII. — Expositio litteræ super descriptionem orientalis portæ. 550
Cap. VIII. — De his quæ pertinent ad descriptionem totius. 554
Cap. IX. — De aquilonari et australi porticu exterioris atrii. 557
Cap. X. — De tribus porticibus interioris atrii. 559
Cap. XI. — De mensis ubi immolabatur holocaustum, et de gazophylaciis cantorum. 562
Cap. XII. — De coquinis quæ subter porticus fabricatæ erant et de atrio interiori. 565
Cap. XIII. — De quantitate, vel ædificiorum quæ templo adjacebant. 566
Cap. XIV. — De situ vel ratione cæterorum ædificiorum quæ ad occidentalem plagam erant. 570
Cap. XV. — Quomodo vel unde colligitur, quæ sit arduitas montis. 573

Digitized by Google

CAP. XVI. — Descriptio templi ipsiusque vestibuli. 579
CAP. XVII. — Descriptio ædificiorum quæ templo adjacebant. 587
CAP. XVIII. — De cæteris quæ restant usque ad finem descriptionis. 595
CAP. XIX. — De descriptione altaris holocausti. 597
CAP. XX. — Terræ promissionis descriptio seu divisio, et quæ portio debeatur sacerdotibus et levitis. 599
DE EMMANUELE. 601
Prologus. Objectiones magistri Andreæ secundum quod Judæi solent nobis opponere de nostro Emmanuele. 601
LIBER PRIMUS.
CAP. I. — Refellitur Judæorum sententia et Christianorum confirmatur. 605
CAP. II. — Quæ sunt illa quæ nobis solent Judæi, vel judaizantes opponere ad ea quæ sentimus de nostro Emmanuele. 607
CAP. III. — Quomodo Judæi putant totum quod dicitur de Emmanuele intelligi debere de filio prophetissæ 608
CAP. IV. — Quam impudens omnino hoc loco videatur Judæorum assertio. 609
CAP. V. — Quomodo propriæ objectionis argumentis refellitur sententia Judaicæ assertionis. 610
CAP. VI. — Quomodo ex beati Hieronymi responsione sufficienter refellitur quod nobis opponunt de Virgine. 612
CAP. VII. — Quomodo Christiani confutandi sunt qui in Isaiæ verbis de sententiæ nostræ veritate diffidunt. 613
CAP. VIII. — Quomodo ad ea quæ dicuntur de nostro Emmanuele circumstantia litteræ videtur non reclamare sed acclamare. 614
CAP. IX. — De his quæ ad signi commendationem pertinere videntur, a quo, quare, vel qualibus detur. 615
CAP. X. — Quomodo ex signi qualitate perpenditur quod tollendæ primæ prævaricationis causa datum videatur. 617
CAP. XI. — Quomodo ex prima prævaricatione triplex damnum, et, secundum damnum triplex, triplex promissum, et item secundum triplicem promissionem triplex signum. 618
CAP. XII. — De signo recuperandæ incorruptibilitatis. 619
CAP. XIII. — De signo recuperandæ dignitatis. 621
CAP. XIV. — De signo recuperandæ felicitatis. 623
CAP. XV. — Ad quam humilem scientiam Deus propter hominem descendit, qui et bonorum et malorum nostrorum experientiam suscepit. 624
CAP. XVI. — Quod per humilem illam quam suscepit supereminentis scientiæ plenitudinem naturæ nostræ acquisivit. 626
CAP. XVII. — Quod in passione nostri Emmanuelis multi captivati sunt ex spiritibus malignis. 628
CAP. XVIII. — Quod in signum generalis damnationis in Christi passione inchoata est quædam captivitas dæmonum, sicut in Christi ascensione glorificatio resurgentium. 629
CAP. XIX. — Quod ex incarnatione nostri Emmanuelis factus est Deus quasi unus ex nobis. 631
CAP. XX. — Quod homo factus est velut Deus, et quod homo verus factus est verus Deus. 632
LIBER SECUNDUS.
Prologus. 633
CAP. I. — Prælibatio materiæ de qua agitur in hoc opere. 634
CAP. II. — Quod dicta prophetia non possit veraciter intelligi, nisi de sola beata virgine Maria. 635
CAP. III. — Post datam rationem quæ satisfaciat Christiano, datur et alia quæ satisfacere debeat Judæo. 637
CAP. IV. — Quomodo auctoritas libri Regum convincit quod partus Virginis tollendi timoris gratia datus non sit. 638
CAP. V. — Quomodo cavillatorum controversia sit sibi ipsi contraria. 639
CAP. VI. — Quomodo rationes sub Judæorum nomine positæ videntur sibi contrariæ. 640
CAP. VII. — Cujus rei signum convenienter dici possit partus quem Dominus proponit. 641
CAP. VIII. — Unde perpendi possit in cujus rei signum datum non sit, vel quomodo sit illis datum a quibus nunquam est visum. 643
CAP. IX. — Quod electio boni soleat diversis modis accipi. 644
CAP. X. — Unde perpendi possit quod de regibus Rasim, et Phacee, dictum non sit; derelinquetur terra a facie duorum regum suorum. 645
CAP. XI. — Quod in his duobus regibus non illos duos qui in regno Israel adhuc supererant intelligere debemus. 645
CAP. XII. — Quod in duobus regibus non intelliguntur duæ personæ tantum, sed gemina series regum secundum geminum regnandi modum. 646
CAP. XIII. — Quomodo defectus Israelitici regni prædicitur, vel qua ex causa ad alienigenam transfertur. 647
CAP. XIV. — Defectus Israelitici regni, et adventus Emmanuelis nostri, quomodo possunt alteruter ex altero perpendi. 648
CAP. XV. — Quomodo concordet electio temporis cum qualitate personæ adventantis. 649
CAP. XVI. — Quod ab hora conceptionis suæ cœpit bonorum et malorum nostrorum experientiam capere et habere. 650
CAP. XVII. — Quod illum dicendi modum propheta elegit, qui ad omittendum sacramentum convenientior fuit. 651
CAP. XVIII. — Quomodo Jesus intelligitur non solum ætate, verum etiam sapientia profecisse. 652
CAP. XIX. — Quid in dictis duobus juxta allegoriam intelligere debeamus. 653
CAP. XX. — Quod oportet, si fieri posset, hanc materiam semper præ oculis habere, et in ejus admirationem jugi occupatione animos suspendere. 654
CAP. XXI. — Quid mystice intelligendum sit de butyro, vel quæ ejusmodi cibi comestio. 655
CAP. XXII. — Quomodo in butyro summa et intima suavitas intelligi possit, vel unde hic cibus Emmanueli nostro abundavit. 655
CAP. XXIII. — De spirituali, et summæ dulcedinis melle, et quod ejusmodi cibo satiatus sit Emmanuel ab hora conceptionis suæ. 656
CAP. XXIV. — Quomodo Emmanuel ex accepta beatitudine confirmatus sit in omni bonitate. 657
CAP. XXV. — Quomodo Deus beatam Virginem mirificaverit, quæ talem fructum facere meruit. 659
CAP. XXVI. — Quod nisi ad plenum purgata fuisset, talem fructum facere non posset. 660
CAP. XXVII. — Quod ante Emmanuelis conceptum liberata sit a gemina radice vitiorum omnium. 661
CAP. XXVIII. — Quod solum illud remansit in Virgine quod erat ad pœnam; illud recessit, quod erat ad culpam. 662
CAP. XXIX.—Quod Emmanuelis nostri puerpera in omni fuerit virtutum consummatione perfecta. 662
CAP. XXX. — Quod dicta puerpera in omni dono quod acceperat videtur consummata, pariter et confirmata. 663
CAP. XXXI. — Quod præ cæteris sanctis hoc singulariter habuit, quod a vitiis quidem nec impugnari potuit. 664
EXPLICATIO aliquorum passuum, difficilium Apostoli. 665
IN APOCALYPSIM JOANNIS LIBRI SEPTEM. 683
LIBER PRIMUS. De visione prima.
CAP. I. — De titulo, et de quatuor generibus visionum. 686
CAP. II. — De salutatione. 695
CAP. III. — Generalis sententia de septem visionibus sacris. 700
CAP. IV. — De visione prima. 702
CAP. V. — De episcopo Ephesi. 712
CAP. VI. — De episcopo Smyrnæ. 718
CAP. VII. — De angelo Pergami. 721
CAP. VIII. — De episcopo Thyatiræ. 724
CAP. IX. — De episcopo Sardis. 728
CAP. X. — De episcopo Philadelphiæ 732
CAP. XI. — De episcopo Laodiceæ. 737
LIBER SECUNDUS. De visione secunda.
CAP. I. — De sedente in throno, et ornatu ejus, quantum ad textum, capitulum IV. 744
CAP. II. — De quatuor animalibus. 749
CAP. III. — De libro septem sigillis signato, et agno aperiente librum. 754
CAP. IV. — De primo sigillo, et apertione ejus. 760
CAP. V. — De secundo sigillo, et apertione ejus. 762
CAP. VI. — De tertio sigillo, et apertione ejus. 764
CAP. VII. — De quarto sigillo, et apertione ejus. 766
CAP. VIII. — De quinto sigillo, et apertione ejus. 768
CAP. IX. — De sexto sigillo, et apertione ejus. 769
CAP. X. — De septimo sigillo et apertione ejus. 775
LIBER TERTIUS. De visione tertia.
CAP. I. — De septem angelis canentibus tuba, et de alio angelo stante ante altare. 776

Digitized by Google

CAP. II. — De primo angelo, et tuba ejus. 778
CAP. III. — De secundo angelo, et tuba ejus. 779
CAP. IV. — De tertio angelo, et tuba ejus. 780
CAP. V. — De quarto angelo, et tuba ejus. 782
CAP. VI. — De quinto angelo, et tuba ejus. 783
CAP. VII. — De sexto angelo, et tuba ejus. 786
CAP. VIII. — De septimo angelo, et tuba ejus. 794

LIBER QUARTUS. De visione quarta.

CAP. I. — De templo aperto, et arca visa, et muliere pariente. 797
CAP. II. — De Michaele et dracone, et prælio eorum. 800
CAP. III. — De persecutione draconis, et fuga mulieris. 802
CAP. IV. — De bestia ascendente de mari. 804
CAP. V. — De bestia ascendente de terra. 806
CAP. VI. — De Agno, et centum quadraginta quatuor millibus. 809
CAP. VII. — De tribus angelis succedenter prædicantibus. 812
CAP. VIII. — De angelo Christum siguante et de judicio 815

LIBER QUINTUS. De visione quinta.

CAP. I. — De septem angelis, et septem plagis novissimis. 819
CAP. II. — De septem angelis, et septem phialis eis datis. 821
CAP. III. — De primo angelo, et phiala ejus. 823
CAP. IV. — De secundo angelo, et phiala ejus. 824
CAP. V. — De tertio angelo, et phiala ejus. 825
CAP. VI. — De quarto angelo, et phiala ejus. 826
CAP. VII. — De quinto angelo, et phiala ejus. 826
CAP. VIII. — De sexto angelo, et phiala ejus. 827
CAP. IX. — De septimo angelo, et phiala ejus. 830

LIBER SEXTUS. De visione sexta.

CAP. I. — De ruina Babylonis et luctu amatorum ejus. 839
CAP. II. — De exemplo submersionis ejus. 844
CAP. III. — De gratiarum actione Deo exhibenda et ruina ejus. 845
CAP. IV. — De Christo eam judicante, et potestate ejus. 849
CAP. V. — De angelo dæmones invitante ad comestionem regum Babylonis, et tribunorum ejus. 851
CAP. VI. — De damnatione Antichristi, et pseudoprophetæ ejus. 852
CAP. VII. — De Satana ligando, et iterum solvendo, et sævitia et damnatione ejus. 855
CAP. VIII. — De die judicii, et qualitate ejus. 856

LIBER SEPTIMUS. De visione septima.

CAP. I. — De innovatione elementorum. 859
CAP. II. — De civitate sancta Jerusalem cœlesti. 860
CAP. III. — De ostensione Agni sancto theologo per angelum facta. 864
CAP. IV. — De muro Hierusalem, et portis, et angulis, et fundamentis ejus. 865
CAP. V. — De mensura ejus. 867
CAP. VI. — De qualitate muri, et fundamentorum et portarum ejus. 870
CAP. VII. — De fluvio aquæ vivæ, et ligno vitæ, et fructu ejus. 875
CAP. VIII. — De triplici commendatione libri hujus 877
CAP. IX. — Contestatio sancti Joannis ad audientem verba prophetiæ hujus. 883
CAP. X. — Generalis recapitulatio septem visionum. 885

RICHARDI SANCTI VICTORIS OPERUM PARS SECUNDA. — THEOLOGICA.

DE TRINITATE. 887

LIBER PRIMUS.

CAP. I. — Quod rerum notitiam triplici apprehendimus modo, experiendo, ratiocinando, credendo. 891
CAP. II. — Quod nihil firmius teneatur quam quod constanti fide apprehenditur. 891
CAP. III. — Quod de his agitur in hoc opere, quæ jubemur de æternis credere. 892
CAP. IV. — Modus agendi in hoc opere, non tam auctoritates inducere, quam ratiocinationi insistere. 892
CAP. V. — Breviter prælibatur de quibus in sequentibus agitur. 893
CAP. VI. — Quod universaliter omnis modus essendi potest sub triplici distributione comprehendi. 893
CAP. VII. — De illo essendi modo, qui non est ab æterno, et eo ipso, nec a semetipso. 894
CAP. VIII. — De illo essendi modo qui est a semetipso, et eo ipso ab æterno. 894
CAP. IX. — De illo essendi modo qui est ab æterno, nec tamen a semetipso. 895
CAP. X. — Quod circa duos tantum modos qui sunt ab æterno, versatur tota hujus operis intentio. 895
CAP. XI. — De substantia summa, quod sit a semetipsa, et eo ipso ab æterno, et sine omni initio. 895
CAP. XII. — Item quod una sola substantia sit a semetipsa, a qua et cætera omnia, et quod nonnisi a semetipsa habet totum quod habet. 896
CAP. XIII. — Quod summa substantia sit idem quod ipsa potentia, idem quod ipsa sapientia, unde et quælibet est idem quod altera. 897
CAP. XIV. — Quod summa substantia non possit habere parem, sicut nec superiorem. 897
CAP. XV. — Quod sit impossibile summam substantiam propriæ naturæ consortem habere. 897
CAP. XVI. — Quod summa substantia sit idem quod divinitas ipsa, et quod Deus non sit nisi substantialiter unus. 898
CAP. XVII. — Item, quod non sit Deus nisi unus; quod ab ipso est omne quod est; quod nonnisi a se habet totum quod habet; quod idem sit; quod ipsa potentia; quod et ipsa sapientia. 898
CAP. XVIII. — Quod omnino sit impossibile, vel ipsum Deum, quod Deo sit melius definire posse. 899
CAP. XIX. — Si Deus ipse non potest per intellectum attingere aliquid melius Deo, multo minus humana cogitatio. 899
CAP. XX. — Investigantibus et disputantibus de Deo quid soleat esse quasi maxima propositio, et velut communis quædam animi conceptio. 899
CAP. XXI. — Quod Deus sic sit summe potens, ut etiam sit omnipotens. 900
CAP. XXII. — Quod Dei sapientia sic sit summa, ut sit usquequaque perfecta. 900
CAP. XXIII. — Quod de Dei sapientia dicitur, alia adhuc ratione confirmatur. 901
CAP. XXIV. — Confirmatur eadem ratione quod superius dictum est de divinæ potentiæ plenitudine. 901
CAP. XXV. — Quod non potest omnipotens esse nisi unus solus, et quod consequens est, nec Deus nisi unus. 902

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. — Quod in hoc libro agitur de divinis proprietatibus, et primo quod Deus sit increatus. 901
CAP. II. — Quod sempiternus sit Deus. 902
CAP. III. — Quod sit incorruptibilis, et omnino incommutabilis. 903
CAP. IV. — Unde colligere possimus quod sit æternus. 903
CAP. V. — Quod sit infinitus, et eo ipso immensus. 904
CAP. VI. — Quod non sit, imo esse non possit immensus nisi unus solus. 904
CAP. VII. — Quomodo ex eo quod non sit nisi *unus immensus*, probatur quod non sit nisi unus æternus. 904
CAP. VIII. — Quod solus Deus sit increatus, solus ab æterno, cætera omnia creata ex nihilo. 905
CAP. IX. — Alius de Deo modus probandi, quod sit æternus, et quod non sit æternus nisi unus. 905
CAP. X. — Alius de Deo probandi modus, quod non sit immensus nisi unus. 906
CAP. XI. — Quod immensitas et æternitas sint incommutabiles, nec possint esse pluribus substantiis communes. 907
CAP. XII. — Quod divinitas superius incommutabilis dicitur, hic enucleatius pleniusque exprimitur. 907
CAP. XIII. — Quod secundum diversos modos dicendi possit sapientia seu potentia modo communicabilis, modo incommunicabilis dici. 908
CAP. XIV. — Multiplex probandi modus quod non sit Deus nisi unus. 909
CAP. XV. — Quod non potest esse nisi unus Dominus, sicut nec nisi unus Deus. 909
CAP. XVI. — Quod Deus ipse sit summum bonum, et quod summum bonum sit universaliter perfectum. 910
CAP. XVII. — Quod in illo summo bono universaliterque perfecto sit vera unitas, et summa simplicitas. 910
CAP. XVIII. — Quod de summi boni simplicitate vel unitate dictum est, quomodo alia ratione confirmari potest. 911
CAP. XIX. — Quod illud bonum universaliter perfectum, sit summe unum, et unice summum. 911
CAP. XX. — Quod sit incomprehensibilis simplicitas illa veræ et summæ unitatis. 912
CAP. XXI. — Quomodo quisque possit in sua scientia ex comparatione colligere quid debeat de illa supereminenti incomprehensibilitate sentire. 912
CAP. XXII. — De Dei substantia quid dicatur rectius,

Digitized by Google

et quod ipse sit sine quantitate magnus, et sine qualitate bonus. 913
Cap. XXIII. — Quod sit in omni loco incomprehensibiliter, et in omni tempore invariabiliter, et quomodo uniformis, et quomodo multiformis. 913
Cap. XXIV. — Quod ejus facere sit a se fieri velle, et ejus pati non velle fieri, et quod æque habet et quod actualiter est et quod actualiter non est. 914
Cap. XXV. — Quod quidquid dictum est de divinis proprietatibus usque modo videtur pertinere ad illud esse quod est ab æterno et a semetipso. 915

LIBER TERTIUS.

Cap. I. — Quod hucusque actum sit de divinæ substantiæ unitate, quomodo quærendum quid sentiendum sit de divinarum personarum pluralitate. 915
Cap. II. — Quomodo ex charitatis proprietate plenitudo bonitatis convincit quod in vera divinitate personarum pluralitas deesse non possit. 916
Cap. III. — Quod idem quod de divinarum personarum pluralitate plenitudo bonitatis loquitur plenitudo divinæ felicitatis attestatur. 917
Cap. IV. — Quod de personarum pluralitate in dictis duobus testibus astruitur, ex considerata divinæ gloriæ plenitudine confirmatur. 918
Cap. V. — Quod jam dictæ divinæ pluralitatis assertio triplici confirmatur testimonio. 918
Cap. VI. — Quod personas divinas oporteat omnino esse æternas. 919
Cap. VII. — Quod in illa personarum pluralitate oportet tam summam æqualitatem, quam summam similitudinem esse. 919
Cap. VIII. — Quod miranda ratione sit substantialis unitas in illa pluralitate, et personalis pluralitas in vera unitate substantiæ. 920
Cap. IX. — Quod in divina natura pluralitas personarum sit in unitate substantiæ, et in humana natura pluralitas substantiarum in unitate personæ. 921
Cap. X. — Quomodo ex pluralitate et unitate quam invenit in semetipso, docetur homo quid quasi ex opposito existimare debeat de his quæ sibi credenda proponuntur de Deo suo. 921
Cap. XI. — Quomodo convincitur ex charitatis integritate, quo diversa trinitas sit in vera unitate, et vera unitas in vera Trinitate. 922
Cap. XII. — Quomodo summa bonitas et summa felicitas Trinitatis assertionem concorditer clamant, et mutua attestatione confirmant. 923
Cap. XIII. — Quod plenitudo divinæ gloriæ in contestatione summæ bonitatis et felicitatis videatur acclamare. 923
Cap. XIV. — Quod communicatio amoris non potest esse omnino minus quam in tribus personis. 924
Cap. XV. — Quod oporteat geminam personam in divinitate pari voto, consimili ratione tertiam personam requirere. 925
Cap. XVI. — Quod plenitudo potentiæ et sapientiæ videatur posse consistere in singularitate personæ. 925
Cap. XVII. — Quod completio felicitatis non videatur posse sub istere sine geminatione personæ. 926
Cap. XVIII. — Quod consummatio veræ et summæ bonitatis videtur non posse subsistere sine completione Trinitatis. 926
Cap. XIX. — Quomodo ex inspecta solum proprietate condilectionis deprehendi possit vestigium Trinitatis 927
Cap. XX. — Quomodo ex tertiæ personæ consoliditate in illa Trinitate agitur, ut concordialis et consocialis amor ubique nusquam singularis inveniatur. 927
Cap. XXI — Quod summa æqualitas sit in illa Trinitate, ubi oportet omnes æque perfectos esse. 928
Cap. XXII. — Quod in singulis personis sit summa simplicitas, et in omnibus simul vera et summa unitas, et utrobique miranda identitas. 928
Cap. XXIII. — Quomodo in his personis sit intelligenda dicta æqualitas, ubi est tanta unitas, et talis identitas. 929
Cap. XXIV. — Quam incomprehensibilis sit illa omniformitas summa cæqualitatis. 929
Cap. XXV.—Quod in illa Trinitate nusquam aliquis est dissimiliis sibi, nec inæqualis in aliquo alicui alteri. 930

LIBER QUARTUS.

Cap. I. — Quod incomprehensibile videatur humanæ intelligentiæ, quod pluralitas personarum sit in unitate substantiæ. 929
Cap. II. — Quod multa sunt quæ humana intelligentia non comprehendit, quæ tamen ipsa propria experientia latere non sinit. 931
Cap. III. — Quod multa incomprehensibilia sunt ad quæ experientia deficit, quæ tamen ratio manifesta latere non sinit. 931
Cap. IV.— Quod ad doctrinæ evidentiam oportet personæ significationem determinare, et secundum determinationem Trinitatis unitatem assignari. 932
Cap. V.— Quod ante nos quæsitum est qua necessitate; quod restat quærendum qua veritate tres illi in Trinitate dicti sunt personæ. 933
Cap. VI. — Quod multum differant inter se significatio substantiæ et significatio personæ. 933
Cap. VII. — Quod non tam aliquis quam aliquid significatur nomine substantiæ, nec tam aliquid quam aliquis ex denominatione personæ. 934
Cap. VIII. — Quod non sit necesse ubicunque sunt plures personæ, etiam plures substantias credere. 935
Cap. IX. — Quod nihil definimus sibi contrarium, in eo quod dicimus Deum nostrum et substantialiter unum, et personaliter trinum. 935
Cap. X. — Quod nec pluralitas substantiarum dissolvit unitatem personæ in natura humana, nec pluralitas personarum dividit unitatem substantiæ in natura divina. 936
Cap. XI. — Quod in discernendis personis opus est gemina consideratione, hoc est, ut sciamus quale quid sit, et unde habeat esse. 936
Cap. XII. — Quod sub nomine existentiæ possumus utramque considerationem subintelligere, et illam quæ ad rationem essentiæ, vel quæ pertinet ad rationem obtinentiæ. 937
Cap. XIII. — Quod generalis existentiarum variatio triplici distinguitur modo. 938
Cap. XIV. — Juxta quid parietur personarum existentia in humana natura, et juxta quid varietur in natura angelica. 938
Cap. XV. — Quod divinarum existentiarum differentiam oportet quærere circa originem solam. 939
Cap. XVI. — Quod in natura divina sit existentia quæ est pluribus communis, et est existentia quæ est omnibus incommunicabilis. 940
Cap. XVII. — Qua ratione in divinitate possunt esse incommunicabiles existentiæ, et quot tot sunt quot personæ. 941
Cap. XVIII. — Quod quantum ad divina nihil aliud est persona quam incommunicabilis existentia. 941
Cap. XIX. — Quod possunt plures existentiæ esse, et, quod consequens est, plures personæ, ubi non est nisi unitas substantiæ. 942
Cap. XX. — Quomodo intelligendum sit, vel quomodo convenire possit quod quidam dicunt tres substantias et unam essentiam, quidam tres subsistentias et unam substantiam, alii autem tres personas et substantiam vel essentiam unam. 943
Cap. XXI. — Definitio personæ, non cujuscunque, sed solius creatæ. 944
Cap. XXII. — Descriptio personæ, non cujuscunque, sed solius increatæ. 945
Cap. XXIII. — Descriptio personæ quæ videtur soli et omni posse convenire. 945
Cap. XXIV. — Item descriptio personæ quæ videtur soli et omni posse convenire. 946
Cap. XXV. — Quod proprium sit divinæ naturæ personarum pluralitatem nabere in unitate substantiæ, et eo ipso habet ab aliis differre. 947

LIBER QUINTUS.

Cap. I. — Quoniam jam constat de divinæ substantiæ unitate, et personarum pluralitate, constat et de concordi unitatis et pluralitatis ad invicem habitudine, superest de personarum proprietatibus quærere. 947
Cap. II. — Quod jucundissima personarum germanitas non possit deesse in summa felicitate, nec ordinatissima proprietatum habitudo in summa plenitudine. 949
Cap. III. — Quod exigit rerum natura ut sit aliqua persona quæ sit a semetipsa et non ab alia aliqua. 950
Cap. IV. — Quod non possit esse nisi sola persona, quæ sit a semetipsa. 951
Cap. V. — Quod duæ in divinitate personæ habeant aliunde quam a semetipsis esse juxta alium existendi modum qui est ab æterno, nec tamen a semetipso. 952
Cap. VI. — Quod processio personæ de persona alia sit tantum immediata, alia mediata simul et immediata. 952
Cap. VII. — De processione tantum immediata, et quod oporteat in divinitate esse personam, quæ sit ab una sola 953
Cap. VIII. — De processione quæ immediata simul est

Digitized by Google

et mediata, et quod oporteat esse in divinitate personam, quæ sit a gemina. 954
Cap. IX. — Quod processio quæ fit ad aliquam personam, tantummodo mediata, non possit esse in divina natura. 955
Cap. X.— Quod in divinitate non possit esse plus quam una quæ sit ab una tantummodo persona, nec nisi una sola quæ esse non habeat nisi ex gemina. 956
Cap. XI. — Quod oportet ut in divinitate sit persona qua non sit alia aliqua, cum tamen eadem non sit a semetipsa. 957
Cap. XII.— Quod non possit esse nisi una sola in divinitate persona a qua non sit aliqua alia. 958
Cap. XIII. — Quod oportet ut in divinitate talis personaa existat, quæ ab alia procedat, et de se procedentem habeat. 959
Cap. XIV. — Quod in divina natura non possit esse nisi una sola persona, quæ et ab alia procedat, et de se procedentem habeat. 959
Cap. XV. — Quod in divina natura non possit esse quarta persona. 960
Cap. XVI. — De veri amoris plenitudine, et quæ circa illum consideratur proprietatum distinctione. 961
Cap. XVII. — Cui conveniat in Trinitate personæ solius gratuiti amoris plenitudinem possidere. 961
Cap. XVIII. — Cui conveniat in Trinitate debiti amoris plenitudinem habere. 962
Cap. XIX. — Cui proprie proprium sit in Trinitate personæ tam gratuiti quam debiti amoris plenitudinem obtinere. 962
Cap. XX. — Unde ratio manifeste convincit quod quarta in Divinitate persona locum habere non possit. 963
Cap. XXI. — Ex novissime posita speculatione quam multa possimus colligere. 964
Cap. XXII. — Quod dicitur plenitudo amoris gratuiti esse in solo dando, plenitudo debiti in solo accipiendo, non sic oportet intelligere quasi sit opus gratiæ et non potius operatio naturæ. 964
Cap. XXIII. — Quod quantum ad substantiam dilectionis in omnibus est amor summus et unus, quamvis sit in singulis proprietatum discretione distinctus. 965
Cap. XXIV. — Quod quantum ad integritatem perfectionis nulla sit in Trinitate differentia amoris vel dignitatis. 966
Cap. XXV. — Quæ quibus sint personis communia, vel quæ sint singularum propria, et quæ sint, quæ restant adhuc, in istis quærenda. 967

LIBER SEXTUS.

Cap. I. — Quod in vera divinitate nihil sit juxta donum largientis gratiæ, sed totum juxta dotem proprietatemque naturæ. 967
Cap. II. — Quod germanitas, quæ est inter parentem et prolem, videtur esse omnino inter innascibilem et personam de ipso principaliter procedentem. 968
Cap. III. — Quod in producenda prole diversus modus sit pro diversitate naturæ. 969
Cap. IV. — Quod convenienter obtinuit usus, ut in illa Trinitate unus ex duobus diceretur Pater et alius Filius. 970
Cap. V. — Quomodo certa et manifesta ratione tenemus cur unum Patrem, alterum ipsius Filium dicamus. 970
Cap. VI. — Cum sit cæteris duobus commune de Patre procedere, quid sit inter processionem unius et processionem alterius. 971
Cap. VII. — Quod alia sit germanitas quam habet ad unum, et alia quam habet innascibilis ad alium. 972
Cap. VIII. — Quod ille qui a Patre Filioque procedit eorum filius recte dici non possit. 972
Cap. IX. — Qua ratione Dei Spiritus dictus sit qui a Patre Filioque procedit. 973
Cap. X.— Qua ratione procedens a duobus dictus est Spiritus sanctus. 974
Cap. XI. — Qua ratione solus Dei Filius imago Patris sit dictus. 975
Cap. XII. — Qua ratione solus Dei Filius Verbum sit dictus. 976
Cap. XIII — Secundum clarificandi modum non solus Filius clarificat Patrem suum, unde et non immerito ejus dicitur Verbum. 977
Cap. XIV. — Cur Spiritus sanctus dicatur donum Dei, et unde, vel quomodo habeat mitti, vel dari. 978
Cap. XV. — Quare speciali quodam dicendi modo potentia attribuitur ingenito, sapientia genito, bonitas Spiritui sancto. 979
Cap. XVI. — Quare Pater dicatur ingenitus, Filius genitus, Spiritus sanctus nec ingenitus, nec genitus. 980
Cap. XVII. — Quid sit Patrem gignere, quid sit Filium nasci de Patre, quid procedere ex generatione, quid procedere sine generatione. 981
Cap. XVIII. — Item docetur alia ratione, quid sit Patri Filium generare. 982
Cap. XIX. — Quod Spiritus sanctus non sit imago Unigeniti, sed nec debeat ejus filius dici. 985
Cap. XX. — Quod ibi sit quærenda imago paterna ubi est mutua congruentia non sine aliqua differentia, nec differentia sine mutua congruentia. 984
Cap, XXI. — Qua ratione Dei Unigenitus dicitur figura substantiæ ipsius. 985
Cap. XXII. — Quod ea quæ de ingenita et genita substantia, secundum catholicam fidem a sanctis Patribus accepimus, credere debeamus, quamvis quam vera sint interim per intelligentiam capere nequeamus. 986
Cap. XXIII. — Qua ratione convinci possit, quod de ingenita substantia, et genita catholica fides tradit. 988
Cap. XXIV. — Ex qua consideratione possumus colligere, quod geminatio personæ possit esse sine geminatione substantiæ. 989
Cap. XXV. — Ex qua consideratione et quasi per exemplum confirmatur, quod de Trinitate et unitate a catholicis creditur. 990
DE TRIBUS APPROPRIATIS PERSONIS IN TRINITATE, ad divum Bernardum abbatem Clarevallensem. 992
DE VERBO INCARNATO. 995
QUOMODO SPIRITUS SANCTUS EST AMOR PATRIS ET FILII. 1011
DE SUPEREXCELLENTI BAPTISMO CHRISTI. 1011
DE MISSIONE SPIRITUS SANCTI. 1018
DE COMPARATIONE CHRISTI AD FLOREM ET MARIÆ AD VIRGAM. 1031
DE SACRIFICIO DAVID PROPHETÆ. 1031
DE DIFFERENTIA SACRIFICII ABRAHÆ A SACRIFICIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. 1043
DE GEMINO PASCHATE. 1059
SERMO IN DIE PASCHÆ. 1059
DE EXTERMINATIONE MALI ET PROMOTIONE BONI. 1073

TRACTATUS PRIMUS.

Cap. I. — « Quid est tibi, mare, quod fugisti et tu Jordanis quia conversus es retrorsum? » (Psal. cxm.) 1073
Cap. II. — De gemina confessione et gemina promotione. 1074
Cap. III. — Quomodo confessio criminis valeat ad exterminium mali 1075
Cap. IV. — Quomodo confessio laudis valeat ad promotionem boni. 1075
Cap. V. — Quod prima promotio virtutis sit in contemptu mundi. 1076
Cap. VI. — Quod secunda promotio virtutis sit in contemptu sui. 1077
Cap. VII. — Quomodo per contemptum mundi fiat exterminium mali. 1077
Cap. VIII — Quod contritio animi nunc in adjutorium, nunc ad firmamentum boni. 1077
Cap. IX. — De utili et inutili contritione. 1078
Cap. X. — De gemina cordis compunctione. 1079
Cap. XI. — De vano vel vero mundi contemptu. 1079
Cap. XII. — Quam sit difficile ad perfectum sui contemptum pertingere. 1080
Cap. XIII. — Quibus modis mens ad plenum sui contemptum eruditur. 1080
Cap. XIV. — Quod superfluus amor sui inter successus virtutum difficilius vincitur. 1081
Cap. XV. — Quomodo gradatim animus ad sui contemptum est promovendus. 1082
Cap. XVI. — Quomodo vano amore exhausto animus in Dei amore dilatatur. 1085
Cap. XVII. — De vani amoris defectu et veri amoris profectu. 1084
Cap. XVIII. — Quomodo per vani amoris defectum mentis perturbationes deficiunt. 1085
Cap. XIX. — Cum qua cautela debeamus cordis perturbationes delere. 1086

TRACTATUS SECUNDUS.

Cap I. 1087
Cap. II. — Quando investigatio et retractatio salubrium valeat ad corrigendum animum. 1088
Cap. III. — Quod facilius est animum corrigere quam ejus intima penetrare. 1089
Cap. IV. — Quantum valeat cum profunda admiratione infirmitatis nostræ considerationi diutius inhærere. 1090
Cap. V. — Quomodo post plenam correctionem sui, animus ad æternorum contemplationem introducitur 1090

Digitized by Google

CAP. VI. — Quod in futura vita post æternorum contemplationem, animus ad omne desiderii sui bene placitum relaxatur. 1091
CAP. VII. — Quomodo quidam in hac etiam vita ad æternorum contemplationem sublevantur. 1093
CAP. VIII. — Quod semper oportet per contemplationis studium prævidere quo debeamus per desiderium tendere. 1094
CAP. IX. — De gemina imperfectione quas semper oportet præ oculis habere. 1095
CAP. X.— Exemplum vel forma propositæ considerationis 1096
CAP. XI. — De his quæ pertinent ad meditationem, et quantum valeant ad virtutis promotionem talium captus. 1098
CAP. XII. — De gemina præmeditatione, præmiorum videlicet et meritorum. 1099
CAP. XIII. — Quomodo speculationi præmiorum oporteat vehementius insistere. 1100
CAP. XIV. — Quod speculatio meritorum in duobus constat. 1101
CAP. XV. — Quid sit meditationis, et quid sit contemplationis. 1102

TRACTATUS TERTIUS.

CAP. I. 1103
CAP. II. — De confirmatione mentis in bono et obdurat-one tione mentis in malo. 1104
CAP. III. — De malo præsumptionis seu desperationis. 1104
CAP. IV. — Quomodo ex malorum nostrorum recordatione oporteat præsumptionem reprimere. 1105
CAP. V. — Quomodo ex bonorum nostrorum recordatione oporteat desperationem repellere. 1105
CAP. VI. — De duodecim principalibus in quibus solidandus est animus. 1106
CAP. VII. — De soliditate timoris 1107
CAP. VIII. — De gravitate compunctionis. 1108
CAP. IX. — De spei longanimitate. 1108
CAP. X. — De charitatis integritate. 1108
CAP. XI. — De maturitate jucunditatis. 1108
CAP. XII. — De asperitate severitatis. 1108
CAP. XIII. — De austeritate abstinentiæ. 1109
CAP. XIV. — De robore patientiæ. 1109
CAP. XV. — De sollicitudine circumspectionis. 1110
CAP. XVI. — De assiduitate speculationis. 1111
CAP. XVII. De certitudine discretionis. 1112
CAP. XVIII. — De quiete contemplationis. 1113
DE STATU INTERIORIS HOMINIS. 1115

TRACTATUS PRIMUS.

CAP. I. 1117
CAP. II. — De tribus principibus in homine. 1118
CAP. III. — De dignitate liberi arbitrii. 1118
CAP. IV. — De utilitate consilii. 1119
CAP. V. — De infirmitate carnalis desiderii. 1119
CAP. VI. — De principatu liberi arbitrii. 1120
CAP. VII. — De virtute utilis consilii. 1120
CAP. VIII. — De inquietudine carnalis desiderii. 1121
CAP. IX. — De inquietudine humani affectus. 1121
CAP. X. — De inquietatione carnalis appetitus. 1122
CAP. XI. — De triplici incommodo hominis. 1124
CAP. XII. — De infirmitate liberi arbitrii. 1125
CAP. XIII. — Quid sit libertatis vel quid potestatis. 1125
CAP. XIV. — De potestate liberi arbitrii ante peccatum. 1126
CAP. XV. — De privatione primæ potestatis. 1127
CAP. XVI. — De recuperatione primæ potestatis. 1127
CAP. XVII. — De perturbatione internæ pacis et conflictatione virtutum cum vitiis. 1128
CAP. XVIII. — Quomodo vitium vitio resistat. 1129
CAP. XIX. — Quomodo virtus virtuti contradicat. 1129
CAP. XX. — De gratia et natura. 1130
CAP. XXI. —De integritate gratiæ ante peccatum. 1131
CAP. XXII. — De stabilitate gratiæ ante peccatum. 1131
CAP. XXIII. — De tribus gradibus libertatis, et quod summam libertatem habeat homo. 1132
CAP. XXIV. — De ignorantia boni et mali. 1133
CAP. XXV. — De gemino errore judicii. 1134
CAP. XXVI. — De quinque gradibus discretionis. 1135
CAP. XXVII. — Quod discretionis gratia modo datur, modo subtrahitur. 1135
CAP. XXVIII. — De duobus gradibus deliberationis. 1136
CAP. XXIX. — De discretionis et deliberationis norma, et quæ talenta, quomodo sint augenda. 1137
CAP. XXX. — Cur non sit quinque gradus deliberationis, sicut et discretionis. 1138
CAP. XXXI. — Quod illuminantem gratiam non semper habemus præsentem, nunquam autem sufficientem. 1138
CAP. XXXII. — De concupiscentia mali. 1139
CAP. XXXIII. — Quod totum hominis infirmitati subjacet. 1140
CAP. XXXIV. — Quomodo sit inordinatus, vel quam inordinatus affectus. 1141
CAP. XXXV. — Quomodo homo ad legitimam integritatis mensuram perducitur. 1142
CAP. XXXVI. — Quibus gradibus ad integritatis plenitudinem perducimur. 1145
CAP. XXXVII. — Quod eadem perfectionis forma futura sit in cogitatione, et in affectione. 1144

TRACTATUS SECUNDUS.

CAP. I. 1146
CAP. II. — Quid sit vitium, et quid sit peccatum. 1147
CAP. III. — Quod tribus modis peccata contrahimus. 1148
CAP. IV. — Quid quibus peccatis sit proprium. 1149
CAP. V. — De peccato triplici, actionis, cogitationis, consuetudinis. 1150
CAP. VI. — Quod prædicta singula tribus modis possint accipi. 1150
CAP. VII. — Quid quibus peccatis sit familiare. 1151

TRACTATUS TERTIUS.

CAP. I. 1151
CAP. II. — De triplici institutione 1153
CAP. III. — De triplici comminatione. 1153
CAP. IV. — De triplici promissione. 1154
CAP. V. — De triplici virtute triplicis promissionis. 1155
CAP. VI. — De triplici levamine contra triplicem dolorem. 1156
CAP. VII. — Assignatio triplicis promissionis. 1157
CAP. VIII. — Assignatio multiplicis utilitatis in divinis promissionibus, et prædictorum recapitulatio. 1158
DE POTESTATE LIGANDI ET SOLVENDI. 1159
DE JUDICIARIA POTESTATE IN FINALI ET UNIVERSALI JUDICIO. 1177
DE SPIRITU BLASPHEMIÆ. 1183
De differentia peccati mortalis et venialis. 1191
DE GRADIBUS CHARITATIS. 1195
CAP. I. — De insuperabilitate charitatis. 1195
CAP. II. — De amoris insatiabilitate. 1198
CAP. III. — Quod amor incessabiliter videt amatum. 1200
CAP. IV. — De amoris inseparabilitate. 1204
DE QUATUOR GRADIBUS VIOLENTÆ CHARITATIS. 1207

RICHARDI SANCTI VICTORIS. OPERUM PARS TERTIA. — EPISTOLÆ ET MISCELLANEA.

EPISTOLÆ. 1225
EPIST. I. — Ernisii abbatis et R. prioris S. Victoris Paris. ad Robertum Herefordiensem. 1225
EPIST. II. — Prioris S. Victoris Paris. et R. abbatis S. Augustini ad Alexandrum papam. 1226
EPIST. III. — Willelmi prioris Ursicampi ad Richardum priorem S. Victoris. — Petit aliquod ex ejus opusculis describendum. 1226
EPIST. IV. — G. presbyteri Anilcurtensis ad Richardum priorem S. Victoris. — Petit ab eo Passionem sive lectiones novem de S. Victore, inserendas in breviario. 1227
EPIST. V. — G. ad Richardum priorem S. Victoris. — Cupit rescire quid cum rege et abbate S. Germani egerit pro suo negotio. 1227
EPIST. VI. — G. prioris ecclesiæ S. Albani ad R. de S. Victore. 1227
EPIST. VII. — Ejusdem ad eumdem. 1228
EPIST. VIII. — Ejusdem ad eumdem. 1228
EPIST. IX. — M. ad Richardum. 1229
EPIST. X. — Ejusdem ad eumdem. 1229
EPIST. XI. — G. prioris S. Albani ad Richardum 1230
DE ERUDITIONE HOMINIS INTERIORIS. 1229

LIBER PRIMUS.

CAP. I. — De mystico somnio regis Nabuchodonosor, et summa intentionis totius operis. 1229
CAP. II. — Quomodo contemplationis gratia quibusdam modo datur, modo subtrahitur, interimque amissa recuperatur 1233
CAP. III. — Quod in omne quod agimus, intentioni bonæ studere et gratiæ divinæ inniti debeamus. 1233
CAP. IV. — Quomodo secundum varios studiorum suorum successus, quidam se, vel enerviter deficiunt, vel inaniter extollunt. 1236
CAP. V. — Quam multis modis animus seipsum decipit, et suum sibi vitium non invitus abscondit. 1238

Digitized by Google

CAP. VI. — Quam temere, vel frustra ex humana industria præsumimus quod ex angelica solum, seu divina revelatione exspectare debemus. 1240
CAP. VII. — Quomodo post præclara sæpe studiorum suorum mens tam sæcularium quam spiritualium doctrinarum curam deponit : et se totam ad sola exteriora negotia exponit. 1241
CAP. VIII. — Quomodo in omni proposito, vel instituto debeamus æquitatis regulam consulere, et improvide statuta ad saniorem sententiam revocare. 1245
CAP. IX. — Quod quidquid contra nos accidere solet, dispensante Deo libero mentis arbitrio, juxta meritorum qualitatem respondet. 1244
CAP. X. — Quibus considerationibus pensanda sunt quæ circa nos accidunt. 1245
CAP. XI. — Quomodo perturbationis nostræ tempore debeamus ad orationis remedia confugere, et ejusmodi suffragium in usum adducere. 1246
CAP. XII. — Qualibus meditationibus oportet animum ad devotionem inflammare, vel quomodo oporteat studiorum nostrorum instantiam reformare. 1248
CAP. XIII. — Quomodo semper ad innovationem intelligentiæ debeamus non nostram industriam, sed Domini magnificentiam magnificare. 1250
CAP. XIV. — Quod triplex sit veræ devotionis officium. 1251
CAP. XV. — Quomodo debeamus æquitatis regulam arctius consulere, eo maxime tempore quo oportet quodlibet sublimitatis officium explere. 1254
CAP. XVI. — Quibus gradibus mysteriorum cognitio proficit, et ad quantam scientiæ perfectionem animus sæpe merito devotionis ascendit. 1255
CAP. XVII. — Quod ille summum devotionis culmen attingit, qui quidquid sibi molestiæ etiam præter meritum accidit, suis meritis ascribit. 1257
CAP. XVIII. — Quod de virtute devotionis sæpe minus præsumimus quam debeamus, et quod aliud est munus mysticæ intelligentiæ, et aliud munus mysticæ doctrinæ. 1259
CAP. XIX. — Quod amissam contemplationis gratiam, melius devotione quam investigatione recuperamus, et quod id quoque gratis obtinemus quod merito devotionis acquirimus. 1261
CAP. XX. — Compendiosa recapitulatio prædictorum cum similitudinis attestatione. 1263
CAP. XXI. — Quomodo oporteat unumquemque a præsumptionis suæ altitudine detumescere, qui cupit in vera stabilitate quandoque fixus manere. 1265
CAP. XXII. — De modo conditionis, vel corruptibilitatis humanæ et quod in quolibet virtutum culmine oporteat morum ruinam timere. 1266
CAP. XXIII. — Quod de magno sæpe virtutum culmine soleat mens humana gradatim in ima corruere. 1269
CAP. XXIV. — Quomodo vel quibus corruptionis gradibus de summis in ima corruat sæpe animus humanus. 1271
CAP. XXV. — De prædictorum differentia graduum, et qualitate singulorum. 1273
CAP. XXVI. Dictum est quomodo defluat homo sæpe de bono in malum, nunc dicitur quomodo corruat sæpe de malo in malum et vitio in vitium. 1274
CAP. XXVII. — Quibus reparationis gradibus mens sæpe ex divina operatione resurgit, quæ de magnis bonis in ima cadit. 1276
CAP. XXVIII. — Quibus promotionis gradibus sæpe divinitus reparetur mens quæ de magno malo in deteriora labitur. 1277
CAP. XXIX. — Quomodo vel ad quantam perfectionem sæpe homo post multiplicem lapsum ex divina operatione resurgat. 1278
CAP. XXX. — Qualem libertatem naturaliter habemus, et qualem potestatem ex gratia accipimus, et quid sit libertatis vel potestatis. 1280
CAP. XXXI. — De diversis corruptionis gradibus, eorumque proprietatibus descendentium de bono in malum. 1282
CAP. XXXII. — De diversis corruptionis gradibus, eorumque proprietatibus, descendentium de malo in malum. 1284
CAP. XXXIII. — Quomodo mens in semetipsam scinditur, laceratur, confunditur, cum ad corruptionis extrema pervenitur. 1286
CAP. XXXIV. — Quomodo divinitus promovetur homo quandoque de profundo iniquitatis ad summum fastigium charitatis. 1288
CAP. XXXV. Quæ sit nimis sera, vel quæ sit utilis et certa prudentia. 1290
CAP. XXXVI. — Quod humiliatio instabilis et indiscreta sit quidem reprehensione digna. 1291
CAP. XXXVII. — Quod in nulla nostra virtute debeamus confidere vel gloriari velle. 1291
CAP. XXXVIII. — Quam multi quærunt virtutum scientiam, morumque doctrinam ad ostentationem, non ad utilitatem. 1292
CAP. XXXIX. — Quod in cujuscunque virtutis executione septem ista oporteat observare. 1293
CAP. XL. — Quod sæpe desiderium corrumpitur unde intelligentia illuminatur. 1294
CAP. XLI. — Quod alia ex divina revelatione cognoscimus, alia ex ratione colligimus. 1295
CAP. XLII. — Quod optimum sit ad devotionem nostram eo usque proficere, quod nulla occupatio possit ejus officium interrumpere. 1296
CAP. XLIII. — Quod etiam in necessitatis nostræ usibus nihil improvide, nihil inconsulte agere debeamus. 1297
CAP. XLIV. — Quod quidquid animum per cogitationem pulsat, mentis devotionem excitare debeat. 1298

LIBER SECUNDUS.

CAP. I. — De conscientiæ securitate, vel profectuum innovatione. 1299
CAP. II. — De intellectualis sensus illuminatione, vel quomodo contemplationis nostræ spectacula, menti soleant utilem timorem incutere. 1299
CAP. III. — Quod alia sit gratia per quam cognoscimus judicia divina, alia per quam discernimus merita propria. 1301
CAP. IV. — Quomodo oporteat sæcularia studia deponere, et ad spiritualium investigationem convertere. 1302
CAP. V. — Quomodo insistere oporteat, qui ad divinorum mysteriorum enodationem anhelat. 1303
CAP. VI. — Quam sit inane mysteriorum profunda rimari, sine magisterio Spiritus sancti. 1304
CAP. VII. — Quod ad mysteriorum enodationem melius proficimus devotione, quam investigatione, et quod veræ devotionis sit omnia discutere, ut possit omnia dijudicare. 1305
CAP. VIII. — Quibus devotionis studiis insistere debeat, qui occultorum revelationem divinitus exspectat. 1306
CAP. IX. — Quanta virtus veræ devotionis sit, quæ filium Dei facit, quæ animum humanum Deo conjungit. 1307
CAP. X. — Quod maxime sub tempore orandi quibusdam solet intellectualis sensus aperiri. 1309
CAP. XI. — Quod sæculares scientiæ debeant spiritualibus studiis subservire, et veræ devotionis lucris militare. 1310
CAP. XII. — Quod sit utile summæ devotioni summam curam impendere. 1311
CAP. XIII. — De contemplandi modo, vel qual tate; et quod aliter videntur res in suo esse, atque aliter in sola ratione, vel summa veritate. 1311
CAP. XIV. — De magnitudine gratiæ mentis postmodum casuræ, et in tanta plenitudine gratiæ, quid soleat esse causa ruinæ. 1312
CAP. XV. — De auctoritatis magnitudine mentis postmodum ruituræ. 1314
CAP. XVI. — De multitudine scientiæ mentis ruituræ, et in tanta scientiæ plenitudine quid esse soleat causa ruinæ. 1314
CAP. XVII. — De rigore disciplinæ quem solet ruitura mens sæpe erga alios exercere. 1315
CAP. XVIII. — De rigore disciplinæ quem solet ruitura mens apud semetipsam exercere. 1317
CAP. XIX. — Quod in quolibet virtutum culmine oporteat semper morum ruinam timere. 1318
CAP. XX. — Quod quidquid circa nos agitur, Dei dispositione et angelica administratione dispensatur. 1319
CAP. XXI. — Quod nihil in nos possunt spiritus maligni nisi permissione Dei. 1320
CAP. XXII. — Quomodo, vel quo ordine ad subtractionem gratiæ soleat mens humana corruere. 1321
CAP. XXIII. — Quomodo mens post fœdam dejectionem sui soleat postmodum et ab aliis contemni, et in semetipsam resolvi. 1322
CAP. XXIV. — Quod turpiter lapsos, et a sublimi dejectos divina miseratio sæpe et ad pœnitentiam reservat, et ad correctionem exspectat. 1323
CAP. XXV. — Ad quantam pravitatem, mens quandoque obduratur quæ tamen divinitus ad veniam reservatur. 1324
CAP. XXVI. — Quomodo mens, quæ moribus depravatur, postmodum ad errores vel fraudes imbuitur. 1325
CAP. XXVII. — Quomodo mens ad omnem crudelitatem quandoque effrenatur, cum tamen divinitus ad pœniten-

Digitized by Google

tiam reservetur. 1326
Cap. XXVIII. — Quomodo malum grassatur in his qui semper in deteriora labuntur. 1327
Cap. XXIX. — Quod sæpe contingat mentem omniformiter corrumpi, quam tamen constat ad pœnitentiam ex divina miseratione reservari. 1327
Cap. XXX. — Quomodo soleat multorum utilitati deservire quod quosdam contingat de sublimi corruere. 1328
Cap. XXXI. — Quomodo addiscant quidam ex proprio, quidam ex alieno casu, quod nihil suis viribus attribuere debeant. 1329
Cap. XXXII. — Quod ex modo humilitatis pendet mensura magnitudinis. 1330
Cap. XXXIII. — Quod aliud sit divina judicia per contemplationem cernere, atque aliud eorum ratione perpendere. 1331
Cap. XXXIV. — Quod eorum notitiam sæpe merito devotionis acquirimus quæ nulla nostra sagacitate, nullo nostro studio penetrare valemus. 1332
Cap. XXXV. — Quod animus dum ex multa consideratione infirmitatis suæ humiliatur, sæpe ad sublimem intelligentiam divinitus illuminatur. 1333
Cap. XXXVI. — De vera mentis devotione, quomodo debeat semetipsam discutere. 1334
Cap. XXXVII. — Quomodo devotio quandoque totum interioris hominis statum deprehendat, et tam præsentem perspiciat, quam futurum provideat. 1334
Cap. XXXVIII. — Quomodo imminenti periculo repugnare oporteat, vel quantum eleemosina valeat, si simplici intentione fiat. 1336
Cap. XXXIX.—Quam patienter, vel misericorditer correptionem nostram, Dei longanimitas exspectat, vel quomodo perversa mens ejus patientia abuti soleat. 1337
Cap. XL. — De typo arrogantis animæ; vel quomodo soleat semetipsam magnificare. 1338
Cap. XLI. — Quam subito sæpe, et quam profunde labuntur, qui patientia Dei abutuntur. 1339
Cap. XLII. — Quod una, eademque sententia per contemplationem prænoscitur, per timorem intentatur, per desperationem confirmatur. 1339
Cap. XLIII. — Quod sine divina protectione nullus valeat suis passionibus, vel malignis suggestionibus resistere. 1340
Cap. XLIV. — De quanto virtutum culmine contingat in ima vitiorum corruere. 1340
Cap. XLV. — Quomodo interim etiam ad majorem Dei gloriam quandoque resurgit qui prius de sublimi cecidit. 1341
Cap. XLVI. — Quomodo solum Deum glorificat, qui seipsum tam impudenter magnificabat. 1343
Cap. XLVII. — Quid agat superba gloriatio, vel quid efficiat devota glorificatio. 1343
Cap. XLVIII. — Quomodo per discretionem judicii, vel circumspectionem sui solet morum disciplina reformari. 1344
Cap. XLIX. — Quomodo debeat dejecta mens semetipsam discutere, et ad pristinum fervorem innovare. 1345
Cap. L. — Quomodo ex virtute humilitatis animus in bono roboratur, et ad boni perseverantiam solidatur. 1346
Cap. LI. — Quomodo vel qua utilitate oporteat Deum laudare. 1346

LIBER TERTIUS.

Cap. I. — De triplici modo mutabilitatis, et inconstantia mentis. 1347
Cap. II. — Qualis, vel quanta conflictio tentationis surgat ex inconstantia mentis. 1350
Cap. III. — Quod bestialiter vivendi modus sit quadripartitus. 1351
Cap. IV. — Quibus corruptionis gradibus corruere solet sæpe animus humanus. 1351
Cap. V. — De vitio insolentiæ. 1352
Cap. VI. — Quibus insolentiæ gradibus paulatim corrumpitur animus humanus. 1353
Cap. VII. — Quomodo ex vitio insolentiæ, cadat homo in vitium invidentiæ. 1354
Cap. VIII. — De vitio invidentiæ. 1356
Cap. IX. — De malo invidentiæ quibus soleat gradibus accrescere. 1356
Cap. X. — Quomodo ex vitio invidentiæ mens cadat in vitium fraudulentiæ. 1357
Cap. XI. De vitio fraudulentiæ. 1358
Cap. XII.—De malo fraudulentiæ, quam sit multiforme in opere. 1359
Cap. XIII.— De malo fraudulentiæ, quam sit multiplex intentione. 1360
Cap. XIV. — Quomodo ex vitio fraudulentiæ mens cadat in vitium impudentiæ. 1360
Cap. XV. — De vitio impudentiæ. 1361
Cap. XVI. — Quomodo mens obduratur per impudentiæ vitium, et primo contra Deum. 1362
Cap. XVII. — Quomodo per impudentiæ vitium, mens obdurescit apud semetipsum. 1362
Cap. XVIII. — Quomodo per impudentiæ vitium, mens obdurescit erga proximum. 1363
Cap. XIX. — Quomodo mens, cum in profundum malorum venerit, sæpe in desperationem cadit. 1364
TRACTATUS EXCEPTIONUM. 1365
AD OPERA RICHARDI VICTORINI APPENDIX. 1365
GILDUINI, ACHARDI, ERVISII, GUARINI EPISTOLÆ. 1365
I. — Notitia in Gilduinum. 1365
II. — Notitia in Achardum. 1371
III. — Notitia in Ervisium. 1374
IV. — Notitia in Guarinum. 1375
Epitaphium Achardi. 1379
EPISTOLÆ GILDUINI ABBATIS. 1379
Epist. I. — Ad episcopum Belvacensem. — Commendat ei presbyterum, cujus frater intestatus obierat. 1379
Epist. II. — Litteræ Gilduini de ecclesia S. Petri de Monte Lotherico concessa monachis Longi Pontis, et de compensatione facta canonicis S. Victoris, qui in ea præbendam, et annualia possidebant. 1379
EPISTOLÆ ACHARDI ABBATIS, POSTMODUM ABBINCENSIS EPI COPI. 1381
Epist. I. — Ad Henricum II, Anglorum regem. — Ut Richardum de Ely, thesaurarium suum, ad solvendum pauperibus et ecclesiis relictam a canonico Parisiensi pecuniam compellat. 1382
Epist. II. — Ad A. episcopum Lexoviensem. — Commendat ei ecclesiam suam. 1382
EPISTOLÆ ERVISII ABBATIS. 1382
Epist. I. — De Ervisio abbate S. Victoris, patrino Philippi regis. 1382
Epist. II. — Epistola Ludovici regis ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Petit justitiam ab hominibus de Amponvilla. 1383
Epist. III. — P. S. Chrysogoni, papæ capellani, ad Ervisium abbatem S. Victoris.—Ejus ob amorem se pecuniam Roberto de Brisso accommodasse. 1383
Epist. IV. — Epistola G. Herefordiensis episcopi, ad Ervisium, Sancti Victoris abbatem. — Petit aliquem ex ejus grege, qui Ecclesiæ Wigorniensi pastore viduatæ præficiatur. 1384
Epist. V. — Epistola Ervisii abbatis S. Victoris, ad O. cardinalem apostolicæ sedis legatum. — Regem ei liberam concedere facultatem ad suos fratres cardinales revertendi. 1384
Epist. VI. — Epistolæ Alexandri papæ III ad abbatem S. Victoris. — Commendat ei Alexium diaconum apud Sanctum Victorem commorantem. 1385
Epist. VII. — Epistola Laurentii abbatis Westinensis ad Ernestum [Ervisium] abbatem S. Victoris. — Commendat ei Joannem sui prioris cognatum qui scholas regere desiderabat. 1385
Epist. VIII. — Epistola E. ad Ervisium S. Victoris abbatem. — Significat mala quæ sibi ab Ursino milite inferuntur. 1385
Epist. IX. — Epistola R. abbatis S. Evurtii ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Excusat se quod non venerit ad eum, commendatque illi sui monasterii negotia. 1386
Epist. X. — Epistola Ricardi abbatis Bristoliensis ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Laudat monasterii S. Victoris sanctitatem, agitque gratias de impensis Rob. gratiis. 1386
Epist. XI. — Epistola G. ad Ervisium abbatem fratrem suum. — Ejus se commendat precibus, mittitque ei munuscula 1387
Epist. XII. — Epistola Odonis cardinalis ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Commendat ei famulum et negotia ei commissa. 1388
Epist. XIII. — Epistola Jonæ canonici ad Ervisium abbatem S. Victoris. — Missus Cæsaris Burgum rogat revocari ad S. Victorem. 1388
EPISTOLÆ GUARINI ABBATIS. 1388
Epist. I. — Alexandri et Theoderici cardinalium ad Guarinum abbatem. — Gratulantur ei de sua promotione, hortantur ut construendis magnis ædificiis non insistat. 1388
Epist. II. — Alexandri papæ III ad canonicos S. Victoris. — Cessionem Ervisii et Guarini promotionem confirmat. 1389
Epist. III. — Ejusdem ad Guarinum, abbatem S. Victo-

Digitized by Google

ris. — Gratulatur ei de sua electione, hortaturque ut pastoris vices diligenter obeat. 1389
Epist. IV. — Guarini, abbatis S. Victoris, ad Joannem cardinalem Neapolitanum. — Se non posse ei quos petierat fratres mittere, uno jam defuncto, altero graviter ægrotante; sed et ægre alios mitti posse. 1389
Epist. V. — Guarini, abbatis S. Victoris, ad Alexandrum papam III. — Ejusdem argumenti. 1390
Epist. VI. — Gilduini, abbatis Fontis Joannis ad Guarinum, abbatem S. Victoris. — De annona quam ab eo mutuo petebat. 1390
Epist. VII. — Joannis, comitis Augi, ad Guarinum, abbatem S. Victoris. — Ut canonici quos Augum direxit, consuetudines Aroasiæ observent, alioquin recedant. 1391
Epist. VIII. — P. cardinalis ad Guarinum, abbatem S. Victoris. — Quid egerit pro negotio S. Victoris et quid faciendum consulat. 1391
Epist. IX. — Hugonis Petri Leonis cardinalis ad Guarinum et capitulum S. Victoris. — Dolet de facto Ervisii quondam abbatis, suaque illis offert obsequia. 1392
Epist. X. — Bernardi cardinalis ad Guarinum abbatem et capitulum S. Victoris. — Condolet gravamini monasterii S. Victoris, commendatque illis Bernardum nepotem suum. 1393
Epist. XI. — Joannis Neapolitani cardinalis ad Guarinum abbatem et fratres S. Victoris. — Gratias ei refert de concessione Petri canonici quem ei miserat, omnemque ei curam et sollicitudinem pro suis negotiis promittit. 1394
Epist. XII. — Petri, papæ camerarii, ad Guarinum, abbatem S. Victoris. — Condolet domus ejus gravaminibus. 1395
Epist. XIII. — Alexandri et Th. cardinalium priori et fratribus S. Victoris. — Hortantur eos ad regulæ observantiam. 1395
Epist. XIV. — Alexandri papæ III ad Robertum priorem et capitulum S. Victoris. — Ejusdem argumenti 1396
Epist. XV. — Guarini, abbatis S. Victoris ad Cœlestinum papam III — Gratulatur ei de ejus promotione, commendatque illi S. Victoris ecclesiam. 1396
Epist. XVI. — Guarini, abbatis S. Victoris, ad Philippum regem Francorum. — Ut finem imponat dissidio Grandimontensium. 1396

ODO PRIOR S. VICTORIS.

ODONIS EPISTOLÆ. 1399
Epist. I. 1399
Epist. II. 1403
Epist. III. 1404
Epist IV. 1406
Epist. V. 1409
Epist. VI. 1411
Epist. VII. 1415

GODEFRIDUS S. VICTORIS.

Notitia et fragmenta. 1417

ADAMUS S. VICTORIS.

Notitia, auctore perantiquo scripta. 1421
SEQUENTIÆ. 1423
I. — De sancto Stephano. 1423
II. — De sancto Joanne evangelista. 1427
III. — Dominica intra octavas Nativitatis Domini. 1430
IV. — De resurrectione Domini. 1435
V. — De resurrectione Domini, alia prosa. 1437
VI. — In festis paschalibus, alia prosa. 1440
VII. — De resurrectione Domini alia prosa. 1442
VIII. — De sancto Spiritu. 1446
IX. — De sancto Spiritu alia prosa. 1451
X. — De sancto Spiritu alia prosa. 1454
XI. — De sancta Trinitate. 1456
XII. — In dedicatione templi. 1460
XIII. — In dedicatione ecclesiæ prosa. 1464
XIV. — De sancto Andrea. 1469
XV. — De sancto Nicolao. 1470
XVI. — De sancta Agnete. 1473
XVII. — De sancto Vincentio. 1475
XVIII. — De conversione sancti Pauli. 1479
XIX. — In Purificatione beatæ Mariæ. 1481
XX. — In Inventione sanctæ Crucis. 1484
XXI. — De sancto Joanne Baptista. 1489
XXII. — De sancto Petro apostolo. 1491
XXIII. — De sanctis apostolis Petro et Paulo 1495
XXIV. — De sancto Laurentio. 1498
XXV. — In Assumptione beatæ Virginis. 1501
XXVI. — De sancto Bartholomeo. 1505
XXVII. — De sancto Augustino. 1507
XXVIII. — In festo Decollationis sancti Joannis Baptistæ. 1510
XXIX. — In Exaltatione sanctæ Crucis. 1512
XXX. — De sancto Matthæo evangelista. 1515
XXXI. — De sancto Michaele. 1518
XXXII. — De sancto Dionysio. 1520
XXXIII. — De sancto Luca evangelista. 1523
XXXIV. — De omnibus sanctis. 1526
XXXV. — De sancto Martino. 1529
XXXVI. — De sancta Catharina. 1531

JOSELINUS TURONENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Notitia. 1533
EPISTOLÆ.
Epist. I — Ad Ludovicum VII Francorum regem. 1535
Epist. II. — Ad eumdem. 1535
Epist. III. — Ad eumdem. 1536
Epist. IV. — Ad eumdem. 1537
Epist. V. — Ad eumdem. 1537
Epist. VI. — Ad eumdem. 1538

HENRICUS ARCHIDIACONUS SALZBURG.

HISTORIA CALAMITATUM ECCLESIÆ SALZBURGENSIS.
Præfatio. 1539
Cap. I. — Occulto Dei consilio cuncta mala temperantur. Occasio malorum in Ecclesia Salzb. emergentium dirum schisma fuit ab imperatoribus excitatum, et a quo sola Ecclesia Salzburg. se immunem et puram præstitit. 1540
Cap. II. — Morte Eberhardi archiepiscopi, et Chonradi electione nulla Ecclesiæ Salzburgensis malis medela allata; imo imperatoris in eamdem ira magis accensa, et Adelberti subrogatione plurimum aucta. 1541
Cap. III. — Obsidio urbis Salzburgensis a Friderico imper, decreta, et totius episcopatus subversio. Incredibilis inde timor, et anxietas Salzburgensium, etc. 1543
Cap. IV. — Salzburgum quorumdam prodition ac perfidia in Friderici potestatem traditum. Adelbertus episcopatum deserere compulsus. Temporariorum bonorum amissio fortiter ferenda, dum spiritualia integra maneant. 1544
Cap. V. — De malis, quæ Uldaricus patriarcha Aquilegiensis, et Alexander papa in schismate Fridericiano perpessi sunt, ad quæ exigua sint, quibus Adelbertus archiep. Salzburg. vexatus. 1546
Cap. VI. — De pestilentia, qua invasus Friderici exercitus obsidionem urbis Romæ deserere compulsus fuit. 1547
Cap. VII. — Quantus eorum numerus, et dignitas fuerit, qui ante urbem peste occubuerunt. Misera mors Reinaldi archiep. Coloniensis, ac aliorum Germaniæ *principum*. 1548
Cap. VIII. — Friderici pertinacia in persequendo Adelberto, quem, ut in solo Dei auxilio confidat, auctor hortatur. Corruptio morum per schisma in clerum Salzburgensem invecta. 1549
Cap. IX. — Ostenditur, quam necessaria sit medela tot, absente Adelberto, irrumpentibus vitiis et criminibus, quibus maxime clerici concubinarii, ac impudentes obnoxii sint. 1551

HUGO DE FOLIETO.

Notitia. 1553
Notitia altera (De scriptis Hugonis de Folieto, vide *Patrologiæ*, t. CLXXV, CLXXVI, CLXXVII, Append. ad Opp. Hugonis a S. Victore). 1557

HENRICUS REMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Notitia. 1559
EPISTOLÆ. 1565
Epist. I — Ad Bernardum Clarævallensem abbatem, pro episcopo Aletensi. 1565
Epist. II. — Ad Sugerium abbatem S. Dionysii. — Expetitus in episcopum Bellovacensem, rogat ut alius eligatur. 1567
Epist. III. — Ad Petrum Venerabilem Cluniacensem abbatem. — Quod invitus espiscopalem curam consilio Petri sibi creditam susceperit. 1567
Epist. IV. — Ad Sanctam Hildegardem. — Precibus ipsius se commendat. 1567
Epist. V. — Ad Hugonem de Compendio. Redargutiva et attractiva. 1567
Epist. V *bis*. — Ad Ludovicum regem. — Contra Victorem antipapam. 1568

Digitized by Google

Epist. VI. — Eberhardi archiepiscopi Salzburgensis ad Henricum. — Pro Alexandro papa. 1569
Epist. VII. — Rescriptum Henrici ad Eberhardum. — Ejusdem argumenti. 1569
Epist. VIII. — Ad Ludovicum regem. — De electione episcopi Catalaunensis. 1570
Epist. IX. — Ad eumdem. — Illum de invalitudine sua certiorem facit. 1570
Epist. IX *bis*. — Ad eumdem. — Pro comite de Roceio. 1571
Epist. X. — Ad suos suffraganeos. — De gravaminibus sibi ab Henrico comite illatis. 1571
Epist. XI. — Ad Laudunensem episcopum. — Causatur quod ipsius judicio et mandatis non obediverit. 1572
Epist. XII. — Ad Ludovicum regem. — De colloquio apud Betiziacum habendo. 1573
Epist. XIII. — Ad episcopos et cardinales Romanæ Ecclesiæ. — Pro Drogone cancellario Noviomensi. 1573
Epist. XIV. — Ad Alexandrum III papam. — Ejusdem argumenti. 1574
Epist. XV. — Ad eumdem. — In causa S. Thomæ Cantuarensis. 1574
Epist. XVI. — Ad Ludovicum regem. — Pro Hugone de Campo-Florido, episcopo Suessionensi, regis cancellario. 1574
Epist. XVII. — Ad Ervisium S. Victoris Parisiensis abbatem. — Ut superiorem epistolam ad regem dirigat. 1575
Epist. XVIII. — Ad Hugonem de Campo-Florido, regis cancellarium. — Quod pro eo ad regem scripserit. 1575
Epist. XIX. — Ad Alexandrum III papam. — Queritur de quodam Roberto de Aria in Ecclesiam Cameracensem intruso. 1575
Epist. XX. — Epistola Nicolai Clarævallensis, S. Bernardi notarii, ad Henricum fratris regis, Clarævall. monachum, qui recesserat pro infirmitate, deplorativa. 1575

DIPLOMATA. 1577
I. — Charta Henrici Remorum archiepiscopi pro S. Justi ecclesia. 1577
II. — Charta de nundinis in gratiam leprosorum Remis institutis a die Paschatis incipientibus. 1579
III. — Sansonis prædecessoris sui statutum de canonicis non mansionariis confirmat. 1580
IV. — Charta de Sampigniaco ab archiepiscopo Remensi. 1581

HUGO DE CAMPO-FLORIDO, SUESSIONENSIS EPISCOPUS, LUDOVICI VII REGIS CANCELLARIUS.

Notitia. 1583
EPISTOLÆ. 1585
Epist. I. — Ad D. Portuensem episcopum. — Petrum Clericum commendat. 1585
Epist. II. — Ad Ludovicum regem. — De colloquio cum Normannis habito. 1585
Epist. III. — Ad eumdem. — De solutione interdicti ecclesiæ Suessionensis. 1586
Epist. IV. — Ad eumdem. — Quid Suessionem redux egerit mandat. 1587
Epist. V. — Ad eumdem. — De colloquio cum Normannis habito. 1587
Epist. VI. — Ad præpositum de Chialfmunt. 1588
Epist. VII. — Ad canonicos Antissiodorenses et Willelmum de Dampetra. 1588
Epist. VIII. — Ad Ludovicum regem. — In extremis positus apud regem se ab imputatis purgare conatur. — — Clericos suos commendat. 1588

NICOLAUS CLARÆVALLENSIS.

Notitia historica. 1589
Præfatio. 1589
EPISTOLÆ. 1595
Epist. I. — Ad fratres Girardum et Henricum nuncupatoria. 1595
Epist. II. — Ad quemdam socium suum qui, relicto claustro, in urbe morabatur. 1594
Epist. III. — Item ad eumdem. 1596
Epist. IV. — Ad Ottonem Trecensem episcopum, multum recommendativa et laudativa. 1597
Epist. V. — Ad magistrum archidiaconum, multum recommendiva. 1598
Epist. VI. — Ad Petrum Trecensem decanum, de unitate et dilectione. 1600
Epist. VII. — Ad priorem et seniorem Clarevallis de ejus receptione. 1601
Epist. VIII. — Ad Theobaldum priorem, qui cum eo ordinem intraverat et exierat, revocativa. 1603
Epist. IX. — Brocardi abbatis de Balerna ad ipsum Nicolaum, de conversione et nova dilectione congratulativa. 1605
Epist. X. — Rescriptum ad eumdem de unita dilectione. 1606
Epist. XI. — In persona Patris fratris Gerardi de Perona ad quemdam hominem suum, de ingratitudine. 1608
Epist. XII. — Ad abbatem Igniacensem in persona prioris concordativa. 1608
Epist. XIII. — In persona Henrici, fratris regis Franciæ, ad dominum Clarevallensem pro episcopo Aliensi. 1609
Epist. XIV. — In persona domini Clarevallensis comiti et baronibus Britanniæ pro negotiis crucis. 1609
Epist. XV. — Ad quemdam socium : commendat Clarevallenses et incitat reddere vota. 1609
Epist. XVI. — Ad Walterium nobilem juvenem, rogans eum ad ordinem remeare. 1610
Epist. XVII. — Ad Petrum decanum Trecensem provocativa ad ordinem et mundi contemptum. 1615
Epist. XVIII. — In persona Fratris Gaucherii ad quemdam militem Templi de amicitia spirituali. 1616
Epist. XIX. — In persona fratris Adæ ad abbatem Cazeiensem cum ordinem intraret. 1617
Epist. XX. — In persona ejusdem ad Petrum abbatem Cellensem. 1618
Epist. XXI. — In persona Aletensis episcopi ad dominum Clarevallensem, consultativa. 1618
Epist. XXII. — In persona Girardi de Perona, monachi Clarevallensis, ad Petrum abbatem Cellensem. 1618
Epist. XXIII. — In persona Rualeni prioris ad archiepiscopum Turonensem, de dilectione, amore et charitate. 1618
Epist. XXIV. — Ad Petrum abbatem Cellensem, excusativa dictandi vel scribendi. 1619
Epist. XXV. — Ad Henricum Trecensem episcopum in persona Rualeni prioris Clarevall., pro abbate Cellensi recommendativa. 1619
Epist. XXVI. — In persona Henrici, fratris regis, ad Hugonem de Compendio, redargutiva et attractiva. 1619
Epist. XXVII. — Ad Odonem Pulteriensem abbatem regratiativa de tunica quam remisit. 1619
Epist. XXVIII. — Ad Petrum Cellensem exhortativa contra malos, et de correctione. 1620
Epist. XXIX. — In persona fratris Philippi. Ad cancellarium imperatoris, attractiva, consultoria pro libris. 1620
Epist. XXX. — In persona domini Clarevallensis ad Constantinopolitanum imperatorem, ut faciat novum militem. 1621
Epist. XXXI. — In persona fratris Walteri ad W. fratrem suum, exhortativa ad mundi contemptum. 1621
Epist. XXXII. — In persona fratris Franconis ad socios qui remanserunt, incitativa ad fugiendum mundum 1622
Epist. XXXIII. — Ad Philippum Leodiensem archidiaconum rememorativa amicitiæ et incitativa ad religionem. 1623
Epist. XXXIV. — Ad Amedeum episcopum Lausanensem, dilectiva et laudatoria. 1625
Epist. XXXV. — Ad Walterum nobilem et discretum, provocativa, ad religionem recommendativa Clarevallensem. 1626
Epist. XXXVI. — Ad Petragoricenses clericos in persona fratris Alcpierii, incitativa ad ordinem Clarevallensem. 1631
Epist. XXXVII. — In persona domini Clarevallensis ad Lucanum episcopum, incitativa ad fortitudinem et justitiam. 1632
Epist. XXXVIII. — Ad Lecelinum socium, qui multum tardabat, redargutiva et attractiva. 1632
Epist. XXXIX. — Ad Henricum fratrem regis, Clarevallensem monachum. 1636
Epist. XL. — Ad abbatem Arremarensem, quando fecit concordiam cum eo. 1636
Epist. XLI. — Ad dominum Clarevallensem in persona Rualeni prioris pro episcopo Aletensi recommendativa. 1639
Epist. XLII. — Ad Gaufridum pro episcopo Aletensi recommendativa. 1640
Epist. XLIII. — Ad Rualenum abbatem Sancti Anastasii querimonia de absentia, recommendativa. 1641
Epist. XLIV. — In persona prioris ad Garnerum Cluniacensem, congratulatio de conversione. 1644
Epist. XLV. — Ad fratrem Gaucherium, cum ad ordinem venire decrevisset, recommendatio Clarevallium et religionis. 1645
Epist. XLVI. — Ad Fremundum hospitalem Clarevallensem congratulatio de mira conversione. 1647

Digitized by Google

Epist. XLVII. — Ad petrum Cantorem et Gerardum. 1643
Epistola nonagesima quinta nunc primum edita. 1645
Epist. XLVIII. — Ad Petrum abbatem Cluniacensem. 1649
Epist. XLIX. — Ad eumdem conquerentem de absentia magistri sui Gerardi. 1649
Epist. L. — Ad eumdem, Gerardum, in petrum Matisconensem, alterumque et communem filium. 1649
Epist. LI. — Petri abbatis Cluniacensis ad Nicolaum. 1650
Epist. LII. — Nicolai ad Petrum. 1650
Epist. LIII. — Beatricem Cellensis abbatis. 1650
Epist. LIV. — Ad abbatem Omnacensem. 1650
Epist. LV. — Ad eumdem. 1650
Epist. LVI. — Ad Beatricem Campaniæ comitem. 1651
Epist. LVII. — Ad Willelmum Remensem archiepiscopum. 1652
NICOLAI SERMONES. 1655
Index analyticus in Opera Richardi S. Victoris. 1675

FINIS TOMI CENTESIMI NONAGESIMI SEXTI.

Ex typis L. MIGNE, au Petit-Montrouge.

Digitized by Google